Hist. Germaniae

Digitized by Google

7
6 M
1

ANTIQVITATES
ET
ANNALES
TREVIRENSES.

Assistentia Germaniae Societatis IESV. 1676.

LEODII, APUD JOANNEM MATHIAM HOVIUM. M. DC. LXX. Philip. Kilian f.

ANTIQUITATUM ET ANNALIUM TREVIRENSIUM

LIBRI XXV

DUOBUS TOMIS COMPREHENSI,

AUCTORIBUS RR. PP. SOC. JESU,

P. CHRISTOPHORO BROWERO
Geldro-Arnheimienſi,

ET

P. JACOBO MASENIO
Juliaco-Dalenſi.

Quorum Ille Propamſceven, cum Libris XXII Annalium ſcripſit: Hic, præter Additamenta Propamſceves & Hiſtoriæ, III reliquos Annalium libros, cum luculentis Indicibus, adjecit.

TOMUS PRIMUS.

Opus variis Antiquitatum monumentis æri & ligno inciſis adornatum.

LEODII,

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA JO. MATHIÆ HOVII,
Ad inſigne Paradiſi Terreſtris. M. DC. LXX.

SUPERIORUM PERMISSU.

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
D. CAROLO CASPARO
A PETRA,
ECCLESIÆ TREVIRENSIS
ARCHIEPISCOPO,
S. R. I. PER GALLIAM ET REGNUM ARELATENSE
ARCHICANCELLARIO,
PRINCIPI ELECTORI,
ADMINISTRATORI PRUMIENSI PERPETUO, &c.

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.


TAndem ſub auſpiciis veſtris, EMINENTISSIME PRINCEPS, deſideratam jamdiu Trevericarum Antiquitatum, & rerum geſtarum, hiſtoriam producimus. Naufragium illa propemodum, magnâ ſui parte annis ſuperioribus perpeſſa, ad quoſdam invidentium ſcopulos impegerat; nunc, tempeſtate ſedatâ, & adſpirante benigniore favoris auxiliique veſtri aurâ, ad portus ſtationem tran-

quilliorem

quilliorem educitur, poſtquam vires illi opesque, benevolente animo liberalique manu, ſuppeditantur. Unde ſuis exculta Antiquitatum figuris, noviſque incrementis aucta, multò nunc etiam illuſtrior, è ſqualore ac tenebris, in lucem, Eminentiæ Veſtræ beneficio, publicam emergit; ut repudium ac damna, quæ ſuſtinuit olim, in lucro illius ac gloriâ computentur. Quod, ut Tuopte, EMINENTISSIME PRINCEPS, ingenio, & Metropolitani Capituli ſtudio; ita ſummorum Principum hortatu, deſiderioque rerum noſtrarum, impulſus, tantò præſtitiſti diligentius, quantò majus ad Eccleſiæ Trevericæ exiſtimationem, ab hac hiſtoria, decus ornamentumque acceſſurum intellexiſti.

Quæ quidem plus iccircò, in Eminentia ſua, habent admirationis; quòd, licet digna in Archiepiſcopatu ſibi credito hiſtoriis moliatur; rerum tamen à ſe geſtarum memoriam his complecti Scriptorem noluerit: ne quam in vulgandis Annalibus virtutum ſuarum apud poſteros aucupari famam videatur. Cedimus hîc modeſtiæ demiſſionique laudatiſſimæ, nec ultra electionis ipſius & principatus exordia in hiſtoriarum ſerie excurrimus. At, ut in hac ipſa Annalium, illi jure optimo

inſcri-

inſcriptorum, dedicatione, omnem præclarè factorum recordationem deponamus, hoc neque exigere pari ſeveritate poterit, neque nos ſine aliqua ingratitudinis nota committere. cùm priſcâ ſcribentium conſuetudine receptum ſit, eorum honorem nequaquam negligere, quorum patrocinio luce publicâ libri fruuntur: ne, vel clientes beneficiorum acceptorum immemores, vel parum idoneis & illaudatis Patronis laborem ſuum commendaſſe videantur. Et verò illa inprimis Scriptores cura tenet, ut quàm nobiliſſimo potentiſſimóque Mecœnate ſubnitantur. quò & ſecuritatem operi, & ſuam illi autoritatem concilient. Quod cùm mihi, in hac cauſa, minimè eſſe negligendum putarem, digniorem Suâ Eminentiâ, in hac Archidiœceſi, cujus hiſtoriam proſequor, reperi neminem. Sive enim antiquitatem generis æſtimem, ſive animi in illa fortitudinem, morumque præſtantiam, multa in hanc me ſententiam argumenta impellunt.

Equidem cùm generis Veſtri ſector primordia, quod Latio quidem ſermone A PETRA, vernaculo ac Germanico A LEY, aut LEYANIS (ut Romano more terminē) deducitur, præclariſſimis illud jam olim heroïbus conſtat eſſe nobilitatum, atque illuſtratum.

Non evolvam hoc in loco, ex antiquissimo rerum Germanicarum scriptore, Cornelio Tacito, ejúsque libro undecimo: *Equites Romanos illustres quibus PETRA cognomentum*, qui haud multò post Christum sub Claudio Rom.. Imperatore floruerunt: non producam Sigismundum à Petra, cum uxore Magdalena de Pyrmont, sub Ottone I. Imp. in lustro Nobilitatis Merspurgi ad Salam celebratum.

Munsterus Cosmogr. l. 3. & Scriptor verus Tornamenti.

Ille certior propiórque nobis stirpis vestræ heros herésque fuit, Wolframus de Petra, quem alterâ post Sigismundum ætate sub Conrado II. Imp. Trevirensium Annales memorant, anno Christi 1151 inter ceteros Comites Nobilésque subscripsisse, ut testem, sententiæ, in causa Abbatiæ S. Maximini, tempore Hillini Archiepiscopi latæ.

D. Mecibaū in Sylva Academ. dedicatione.

Quo jam tempore floruisse vestræ familiæ Majores, ac sub alterutro, vel DE PETRA vel LEIANO celebratos nomine, vix censeo ambigendum. Nam eidem Wolframo, ut coætaneum, sic consanguineum fuisse autumo Henricum Leianum è nobili prosapia creatum anno salutis 1145 Leodiensium Episcopum, qui pessundatam, flagitiosâ multorum Ecclesiasticorum vitâ, religionem pietatémque, sub Alberone Decessore suo, laudatissi-

Barthol. Fisen histor. Leod. lib. 10.

mis institutis, moribúsque rursum erexit. Fretus tum D. Bernardi Claraevallensis salutiferâ multis mortalibus praesentiâ, ob stupendam miraculorum, indies ibidem patratorum, virtutem; tum etiam Friderici Imperatoris favore. ut in sacris juxta profanisque tribunalibus summa esset Henrici auctoritas. Unde & pseudopontifice Victore, ejus nominis quarto, morte sublato, unus Caesari Henricus dignus visus est, qui ad pontificiam infulam raperetur: nisi majori ille virtute oblatam tiaram subterfugisset, quàm alii deferebant. Ceterùm ea fuit à Leiano Trevericae nobilitatis parta apud Leodiensem Clerum existimatio, ut alterum è Treviris oriundum praesulem Alexandrum de Horreo defuncti Henrici in locum suffecerint. A quo tempore, inter praecipua nobilium decora Leianorum familiam ad hâc nostram aetatem usque eminuisse non ambigimus: donec ad Joannem Leianum, sive à Petra, Tuum, EMINENTISSIME ANTISTES, propatruum, Trevirorum Archiepiscopatus, ac denique ad Teipsum quoque delatus est. In qua sede dum unà Tecum Damianum fratrem summae aedi Praepositum, Nepotésque geminos ex sorore Orsbeckios probatissimae

omnes vitæ exemplique viros censes, quis non intelligit,quantum Tibi,generique Tuo decus, ornamentumque accedat? Namque, ut illa laus generis absque virtute, inanis sine laude titulus fucusque est, & hæc sola, ut prima nobilitatem peperit, atque à vulgò mortalium per illustriora primùm facinora, ac deinde & officia honoratiora secrevit; ita ejusdem conservatrix unica est. à qua proinde Te Tuosque non deflexisse hactenus, tantò nobis compertius est, quantò est manifestius, seram in vestra stirpe posteritatem potioribus semper honoribus fuisse cumulatam. ut decus non tam à suis accepisse Majoribus, quàm eisdem contulisse videatur.

Id verò, REVERENDISSIME PRÆSUL, Te præstitisse, sive cùm ad mitram dignis Tuâ nobilitate temet moribus formares, sive cùm sub illa pedum gladiumque in utroque tractare foro cæpisti, aliis non indiget, quàm à prudentia, æquitate, religione, clementia ac liberalitate Tuâ petitis testimoniis, quæ singula percensere fortè Tuæ magis modestiæ, quàm nostræ esset futurum industriæ molestius, nonnihil tamen ex illis delibare in limine historiæ par esse, dignumque instituto nostro videtur.

Aurelius Victor in Traiano ait: *duo à Principe exſpectari, ſanctitatem domi, foris fortitudinem, ſed utrobique prudentiam.* illæ velut gemini poli cardinésque ſunt, in quibus Principum laudatorum vita, tanquam cælum aliquod ſublunare volvitur, & prudentiâ, ut ſole quodam, illuſtratur. Hæc Te nequaquam ignorare intelliget, quiſquis incorruptæ laudabilisque à TUA EMINENTIA inſtitutæ vitæ rationes, ad humanarum divinarúmque legum normam expenderit. Domi procul omni morum corruptela, procul ab omni incontinentiæ levitate, conſortióq; depravatorum hominum; quantum fas eſt, ad leges ſacrati Deo Antiſtitis vitam piè moderaris, ideóque Eccleſiaſticorum ac Religioſorum hominum, laudatis honeſtísque moribus probatorum, conſuetudine delectaris, atque illarum ſæpè rerum memoriâ gaudes, quæ fluxam lubricámque hujus vitæ ſortem, contráque ſecuturæ æternitatis imaginem animo ſubjiciunt. Privatis etiam ſacrarum rerum commentationibus, pietatisque conſuetæ exercitationibus, ita defungeris, ut optimam manè lucis partem, ceu primitias quotidiani laboris, Deo conſecres, reliquum deinde negotiorum ſub illius tutelâ tantò ſecurius glorioſiúsque

transſacturus. Poſt hæc ſiquis auxilii conſiliique Tui indigus affatum petat, difficiles nequaquam aures exhibes; ſed promptâ humanitate quoſlibet, etiam ordinis inferioris homines, excipis, cauſas audis, facilique ingenio penetras, nec minori promptitudine reſponſa expedis; ut quæ repentè diſſolvis, licet inaudita hactenus, longâ ante meditatione ponderaſſe videaris. Ita raram duarum in eodem Principe rerum ſocietatem, hoc eſt, expediendorum negotiorum celeritatem, cum prudentia, conjungis.

His accedit capacis animi, perque omnia domeſtica aulicorum tuorum officia, œconomiam, & rerum domi foriſque agendarum diffuſi amplitudo, quâ ita complecteris univerſa, ut ſingulis adeſſe videaris, ideóque advigilantis Domini oculos, miniſtri & operum curatores ubique venerentur; tam in ſervitio ſoliciti, quàm offendere metuentes. Graviora tamen in cauſis reconditis judicia ad conſiliariorum tuorum pronunciata, juxta æquitatis formulas concipienda remittis: atque ita regis, ut ex ſcitis ſapientum, juſtitiæque legibus Te æquo ſenſu regi patiaris; ratus, facilius unum, quàm plures, falli poſſe, & prudentis mo-

deratoris

deratoris eſſe, ſuæ nimiùm prudentiæ non confidere.

Ingreſſus es turbatam longisq́ue bellorum injuriis afflictam remp. atque Archidiœceſin tuam: primùm electus Archiepiſcopus, reperiſti exhauſtos cum ærariis ſubditos, multóque gravatos debitorum onere. Conatus poſtea es, alieno gravatam ære patriam, ſi non prorſus redimere, certè pro viribus ſublevare: tum deinde adverſus novum hoſtem opportunis munire præſidiis, ne pacis tempore belli immemor, ſeriùs inter bella defenſionis conſilia meditareris.

Cernimus igitur ad Rheni Moſellæq́ue confluentes Tuâ induſtriâ impenſisq́ue ſurgere munimentum Confluentinæ urbis eximium, quod non illâ, quâ nuper accepit hoſtes, facilitate venturos deinde inimicos ſit excepturum; ita vallis propugnaculisq́ue undequaque cinctum firmatumq́ue, jam ad ſuam propemodum perfectionem ſpectat, operis auctorisq́ue ſui memoriâ diu fruiturum.

Accedit oppoſitæ trans-Rhenum arcis Ehrenbreitſteinianæ inſtaurata, magisq́ue invictè adverſus omnem hoſtem inſtructa munitio. Quam, ut non minùs ad defen-

ſionem

ſionem commeatumque per Rhenum inferendum idoneam, quam contra oppugnantium vim redderes invincibilem, res duas rariſſimas inveniſti. unam, quâ latiſſimam geminisque juxta ſe rhedis commeabilem viam, ex inferiori ad flumen arce, per altiſſimam præcipitémque rupem ad ſummum uſque verticem, obliquo tractu, magnis ſaxorum molibus, quà ferro, quà nitrato effractis pulvere, educeres: alteram, quâ vicinam à latere Helfenſteinianam rupem, unde ab hoſte munimentum Ehrenbreitſteinianum affligi baliſtis æreis poterat, cum priſcæ arcis ruderibus vel detrahere, vel in propugnaculi adjuncti uſum convertere viſus es. ne quem oppugnaturis locum relinqueres aggrediendi opportunum. Jam quantum in arce ipſa circumque adjeceris, tam in ædificiis internis, quàm antemuralibus præmunitionibus operum, enarrare longum ſit, nimisque huic epiſtolæ laborioſum. Qui iſta vident, Te belli non minus, quàm pacis artibus inſtructum ſentiunt, & in hac, de illius vi, aut avertenda, aut infringenda prudenter meditari.

Cetera, quæ in arcibus tuæ Archidiœceſis, vel inſtaurandis, vel excitandis hactenus

egregiâ magnificentiâ moliaris non tango: illa enim potiori jure extollenda nobis censeo, quæ in Dei magis, quàm hominum gratiam honorémque locis diverſis ædificia piâ laudabilique munificentiâ erigis commemoranda duco; cùm longè majorem in terris commendationem, in cœlis remunerationem mereantur. Multa Eccleſiæ Metropolitanæ ædificia habitationésque Canonicorum vetuſtate ſenſim collapſa, nunc Eminentiæ Suæ operâ, ad illius baſilicæ decus emolumentúmque ex ruderibus, & ſqualore ad honeſtam ſpeciem uſumque educta ſunt. ipſa ſummæ ædis facies, parte unâ, monumento ſanè egregio, tum aræ, tum ſepulchri, totusque qui Divo Nicolao ſacratus eſt chorus illius impenſis illuſtratus. Collegium Societatis JESU magnâ parte in ruinam caſumque propendens, vel novo nobilique conſurgit opere vel principali liberalitate inſtauratur.

Seminarium quod in uſum juventutis rectè, inſtituendæ meditatur, jam novis parietibus, baſilicáque non contemnenda ab imis in altum fundamentis aſſurgit, ut proximis ab hinc annis inſigni diſciplinarum cultu effloreſcat.

Hoc enim laudabili conatu agit aggrediturque, ut doctorum juxta probatorumque juvenum ac virorum delectu, & studiis Academicis, & Ecclesiasticis per Archidioecesin Trevir. muneribus, templisque ac parœciis, quàm optimâ securissimáque ratione provideatur. ut ab his tam patriæ suum constet emolumentum, quàm Ecclesiæ honor & ornamentum. Et verò sapienter: cùm seriam religionis curam præcipuum esse constet publicæ incolumitatis ac pacis fundamentum. Quod à Romanis quoque gentilibus Valerius olim Maximus, dignâ Christiano homine sententiâ, memorat observatum. *Omnia*, inquit, *post religionem ponenda semper nostra Civitas duxit, etiam in quibus summæ majestatis conspici decus voluit. Quapropter non dubitavit sacris imperia servire. ita penes se humanarum rerum regimen existimans, si divinæ potentiæ benè & constanter fuisset famulata.* Ad hanc veritatem agnoscendam sequendamque, Ethnicos sola ratio; nos etiam Christi lex ac religio instruit, & pia eòdem Suam Eminentiam rapit affectio; quam dum sequitur, à felicitate præsenti æternáque Deus excidere non patietur: exoptatus rerum successus ornabit Ec-

Lib. 1.

clesiam, patriamque tam in seculari, quàm spirituali regimine cohonestabit.

Non jam memoro, quantâ ad bonas artes disciplinasque in urbe Treverica excolendas sedulitate invigilet. Jurisprudentiæ studium hactenus tam in sacris Canonibus, quàm profanis legibus exponendis languens piâ sollicitudine vigorem induit, crebramque ex vicinis nationibus juventutem trahit, ad Academicas verò tam Philosophorum, quàm Theologorum scientias, per propatruum Jcannem à Petra, hujusce etiam Sedis Antistitem, excitatas, animum Eminentia Sua quoque adjicit, non solùm ut conserventur, verùm etiam junctâ ope locupletentur: ne rudibus ad Ecclesiarum moderationem ministris adhibitis, subditarum animarum cura langueat, ac salus periclitetur. sperandumque est, ut quemadmodum hanc in Sua Eminentia curam Superi concitarunt, ita ardorem succendant, felicémque eidem eventum largiantur.

Porrò longum sit in epistola omnes animi principalis dotes percensere velle. Concludam igitur, si tamen antè clementiæ, expertæque nobis humanitatis meminero, quòd ingrati videatur, hanc omnino præ-

teriiſſe, quæ præcipuum mihi calcar momentúmque ad hanc attulit ſcriptionem, quam in hac declivi ad ſenium ætate mea, niſi his impulſus, non ſuſtinerem. Præclarum Nazianzeni Doctoris effatum eſt: *Nihil tam divinum homo habet, quàm de aliis benè mereri. Fac calamitoſo ſis Deus, Dei miſericordiam imitando.* Sentiunt de Te illud, EMINENTISSIME DOMINE, quotquot vel offenſione aliquâ indignationem ejus provocarunt; vel indigentiâ, aut neceſſitate aliquâ auxiliis ſublevantur. quod eis didicerit clementer ignoſcere, his miſeranter ſubvenire. Multarum illi rerum (quæ memoriæ ejus fidelitas eſt) conſtans eſt recordatio, præterquam injuriarum, quas, cùm oblviſci non poteſt, ſolet contemnere, & nonnunquam etiam, ultione laudabili, beneficiis remunerari. quo facinore nullum poteſt in ſummis viris reperiri illuſtrius, adeò divinam hæc una virtus clementiam repræſentat. Jam & illud in eâ prorſus egregium, quod cùm autoritate inter ſuos tantâ emineat, quanta in tali principe queat deſiderari; tamen inſigni humanitatis condimento par infimis quoque videatur. ita quidem, ut nec gravitas faſtidium cuiquam pareat, nec demiſſa

De paup. amore.

ad liberalem familiarémque conversationem humanitas generet contemptum. Severitatis, remissionisque temperamentum eximium tam naturâ, quàm virtute assequitur, quâ seria jocosque, suis novit temporibus locisque dispensare. Liberalitate verò ac beneficentiâ ejus multæ per urbem patriámque religiosæ familiæ in suis necessitatibus recreantur; ut illorum diversis locis incrementum & propagatio testatur, quæ citra benevolentiæ opisque ipsius adjumenta sperari non possent. His aliisque virtutibus cùm sibi plurimos devinciat, tum minimam Societatem nostram, méque inprimis obstrinxit, cùm privatis favoris, beneficentiæque argumentis, tum liberalitate insigni, quâ literarium hoc opus ad commune Ecclesiæ Orthodoxæ decus adjumentúmque promovit; ut ingratus, immemórque tantorum beneficiorum, ab optimo in se Mecœnate profectorum, futurus sit, qui alterius hos Annales nomini, quàm patroni usque adeò munifici, sit inscripturus. Ad TUÆ igitur EMINENTIÆ manus, protectionémque remitto historiam, quæ ab illius consilio, auxilióque ex privatis tenebris ad publicam

potiſſimùm lucem educta, aliquâ frui libertate & honore cœpit. Vive, fave, ac tuere. Ita precatur

EMINENTIÆ VESTRÆ

Servus in Christo humillimus

I. M.

APPRO-

APPROBATIONES.

ANTIQUITATES ET ANNALES TREVIRENSES, Autoribus RR.PP. Christophoro Brovvero, & Jacobo Masenio Societatis JESU, duobus Tomis complectentes Historiam Augustæ Trevirorum Urbis & Diœcesis, ab anno ante reparatam Salutem CCLXX. usque ad MDCLII. Salutis nostræ, serie nullibi interruptâ, alterâ hâc editione locupletiori, ab eruditis pridem expetitos, luce publicâ dignos judicamus, & profuturos veritatis Catholicæ amatoribus; tum ob continuatam deductamque ab Apostolis usque & Euchario D. Petri discipulo unius ejusdemque Ecclesiæ doctrinam; tum ob perpetuam centum & octo Episcoporum & Archiepiscoporum usque ad Carolum Casparum (hodie feliciter gubernantem) successionem, nullius hæresi aut defectione ab Apostolica, receptaque semel disciplina inquinatam; ut non ex vano gloriari Treviri possint, Apostolicæ Orthodoxæque, quamque Romana Ecclesia profitetur Religionis reverentiam, custodiamque penes se fidelem extitisse hactenus, ut ex toto Annalium decursu manifestum Lectoribus futurum est. Utantur, fruantur. Dabamus Treviris anno MDCLXX. die XIX. Mensis Martii.

IOANNES HOLLER EPISCOPVS AZOTENSIS
Vicarius Generalis & Suffraganeus Trevirensis. manu propriâ.

Locus (*) sigilli.

****

Placet, imprimatur. Leodii 9. Julii 1670.

IOAN. ERN. BARO DE SVRLET,
Vicarius generalis Leodiensis.

Privilegium R.P. Provincialis Societ. IESU Rheni Inferioris.

CUm ex mandato Sacræ Cæsareæ Majestatis omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis ac aliis quamcumque librariam negotiationem exercentibus seriò firmiterque inhibeatur; ne quisquam libros ullos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos, aut in posterum edendos, intra Sacri Romani Imperii, Regnorum, ac Dominiorum suæ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili, alióve charactere, aut formâ, sive in toto, sive in parte excudere, recudere, vel aliò excudendos & recudendos mittere, vendere, distrahere, clam seu palàm, citra supradictorum Patrum consensum ac testimonium, audeat, vel præsumat. Ego MATTHIAS MERRHEM Societatis JESU per Provinciam Rheni Inferioris Præpositus Provincialis, concedo JOANNI MATTHIÆ HOVIO Typographo Leodiensi facultatem excudendi librum, cui titulus est, ANTIQUITATES ET ANNALES TREVIRENSES, collecti à R.P. CHRISTOPHORO BROVVERO, & à R.P. JACOBO MASEN Societatis JESU, XXV libris, in duos Tomos distinctis, &c. In quorum fidem hoc ei testimonium manu propria subscriptum & sigillo nostro munitum dare voluimus Coloniæ 23 Junii 1670.

MATTHIAS MERRHEM.

Locus (*) sigilli.

PRÆFA-

PRÆFATIO R. P. BROWERI
ad Lectorem Annalium.

PVS Annalium aggressurus, duobus inclusum volui, ut emblema, parergis: adparatu, ad gentis antiquitatem; Metropoli, ad noscitandum religionem & sacra: argumento styloq; varium, fateor. Excusarem inchoatum cum ætatis juventa; positum inde resumptumq; ab occupato, plurimumq; desueto ad hæc floridiora, quæ proferre poterat scribendi assiduitas, & pinguis otium. Sed Annales non historiam me scribere repetebam, in quibus, ut olim, apud Romanos Pontifex Maximus memoriæ publicæ retinendæ causâ, res omnes singulorum annorum, non tam ornatè quàm breviter, & dilucidè in tabulas referebat, populoq; noscendas offerebat; sic illustris Ecclesiæ res abstrusas & latentes equidem in album referrem, instructus non tam rerum copiâ & verborum compositione, quàm veri studio, ac consuetudine fortè nonnullâ pravestigandi regiones, intra quas venari, & multa quæ vetustas sepelivit, vel obruit, eruere licuit. Etenim Fidei & veritatis, uti par, antiquissimam mihi curam fuisse profiteor; id, quod si non agnoscent mali ob improbitatem, faciam illorum esse judicii, qui ex veteri formula. Quod æquius, melius, arbitri boni cognoscent. Hinc adeò sine delinimento aurium, tam alieno interdum quàm nostro sermone loqui placuit. Multa erunt, scio, quæ prædamnent ætatis hujus Aristarchi; multa quæ desiderent eruditi; haud pauca quæ requirent ipsi Treverici. Sed absque venia cujus ingenium unquam placuit? aut quis omne, quavis in arte punctum tulit? Etsi magnum hic haberi debet, si rectè judico, operi nec elimato, nec ad unguem facto non meam privati hominis vanitatem, absit enim à religioso calamo vanitas; sed obsequii parendiq; studium dedisse initium, fecisse lucem. Placere certè nemini antiquæ religionis inimico, vel desertori possum, aut studeo; nec censuræ me quidem temerè objicio, nimis aut acri, aut nimis remissæ: Nam ut C. Lucilius ea quæ scriberet, neq; à doctissimis, neq; ab indoctissimis legi optabat; quod illi fortasse plus, quàm ipse; hi verò nihil intelligerent: sic ego vitatis extremis judicium moderati Lectoris opto vel requiro, qui humani ingenii virtutes vitiaq; juxta

æstimet;

æstimet; & quod errori obnoxium & imbecillum æquitate suâ leniat ac mitiget potius, quàm frangat & exasperet. In Ecclesia Trevirorum tuenda dignitate ac jure vereor, ut fortem, prolixum, intentumq; culpent nonnulli: at hinc sciant ipsi, scribendi ansam venisse sub manum: & hoc quidquid operæ textum ex ea tela, quam scriptor hæreticus orditus est. Quis enim Domesticorum nescit, quàm acerbè, & hostiliter is Ecclesiam hanc, & in ea communem matrem omnium nostram oppugnarit? Fructus ergò defensionis in utrumque spero redundabit, manabitq; latiùs, si qui fortè ex isto inquinato fonte cupidiùs, vel incuriosiùs hauserunt. Sacris, sacratorumq; hominum negotiis officiisq; datum plurimum, haud diffiteor. Neque enim, ut in amplissimis regnis, imperiosisq; nationibus hic spolia legere incogniti orbis; aut ire per trophæa bellorum, terrâ mariq; relicta contigit: sed ne angusto quidem in campo datum est, quod aiunt, pleno incedere gradu, & ceu in heroica tempora incidissem, honoris flectere quadrigas. Et quis negare tamen audeat in hoc etiam terrarum angulo relictum aliquid, quod

Tuas (*Augusta Treverica*) virtutes in ævum,
Per titulos memoresque fastos, æternet?

Quis neget, inquam, tot cœlo receptis civibus, tot martyrio radiantibus puris castisq; mentibus, tot in omni ætate per immortalia facta consecratis Sacerdotibus, devotis Christo pectoribus, etiam à mediocri scriptore venire splendorem, conciliari gratiam? Quod si igitur in Annalibus his non erit, quò bellicæ gloriæ studium alatur; at fortè in toga, quietaq; vita supererit, quò per virtutum, vitiorumq; disciplinam benè, beatèque vivendi rationem percipiant posteri; animùmque pascant memoriâ non ingratæ vetustatis.

Ceterum universam Annalium seriem accuratiùs cum animo reputăti, & intuenti præsertim hujus Ecclesiæ faciem, imago quædam occurrit, haud ejus multum dissimilis, quæ Chaldæorum Monarchæ, ad noscitandam variorum imperiorum sortem, per quietem est oblata. In ea metalli diversa cujusq; specie ingētium signatæ regnorum vicissitudines. Hominis illa statua fuit: hunc hominem, ut arborem à summo contemplor, per folia, ramosq;. Veterum itaque sive Celtarum, sive Gallorum gentem sedibus suis vagam, & per Rheni finitima, seu ramis olim diffusam, sparsamq; ferream & fictilem esse facio. Quæ compositio partium, nec optimè comparata, nec basura diu in statuæ tibiis extitit. Coaluit inde Latii, Galliæq; sanguis, qui ferociâ belli armorumq; assiduâ tractatione, robur

æneum

æneum & masculum quoddam sibi circumdedit; Femur & ventrem fuisse statuamus. At quæ pectus & brachia inde ex argento successêre, Christianorum Principum, qui Treviris pro imperio, adversus Barbaros, excubias habuere; ac tot illustrium Antistitum, Senatorum, Palatinorum & militum, civiumq́ Rempub fuisse cogito, quæ Metropoli & curiâ florens, ceu pectoris generosi toris luxuriavit, quoad Francorum gens, huic se pectori tanquam brachia innectens, lacertorum robore in se occidentem penè totum traxit. Hinc truncus arboris, ipsaq́ radix, & quod fructus in eâ præstantissimum, religioni cessêre; cùm Francica Germanicáque sceptra se Sacerdotibus & Ecclesiis inclinarunt. Quæ ex re Trevirorum Metropolitano civilia sacraq́ jura denique universa, fascésque submisêre, renascente tanquam aureâ quâdam ætate, quam multis utique sæculis, feliciter æquè atque speciosè, hæc Ecclesia exegit. Habes effigiem hujus, tum civilis, tum sacri, corporis; quam primo aditu, etsi non optimo in lumine, saltem in umbra spectandam proposui, ut à rudibus etiam hæc qualis qualis forma cognosci possit. Sed, uti quæ corpora globosa, rotundaq́ sunt, non ita confestim patent oculis, ut uno intuitu quavis sui parte conspiciantur: sic quæ ætatum intervallis & temporum sejunguntur, gradatim amant agnosci; nec, ut ita dicam, unô mentis ictu solent comprehendi. Nemo itaque jure mihi succenseat, si dum corpus hoc universè, ceu Phidiæ clypeum dissolvero, & partes membrorum singulas obiero, nunc apud Celtas, seu Gallo-græcos: jam apud Romanos: modò apud Francos: interim apud Germanos commorari me, & non unius populi contentum Coloniâ; sed usque oberrantem tot gentium adire Civitatem, sive tribus videat. Quin potius ut arboris pulchritudinem & fructum usurpat nemo, qui radices ejus stirpésque non curat; ita, meo quidem animo, neque dignitatem ullam Historiæ, neque fructum Annalibus ille conciliat, qui rerum affinium & cognatarum luce spoliatam, suis scilicet etiam præsidiis renudat, & in illas cogit angustias, ut neque campum habeat ad excursum, neque motum ad palæstram. Quare sicut in Hercule Ognio prisci finxêre Celtarum, ut cum cætero corporis habitu is appareret severior, os ei venustum & blandius adderent, quò cœtus hominum concatenatos auribus per ansulas linguæ suæ insertas duceret, raperétque faciliùs quò vellet; ita optem mihi licere Trevirorum cœtus, & ætatibus dispares, & moribus legibusq́ dissimiles, Annalium hac unâ catenâ colligare; & quò faciliùs agnoscerent, ansulis etiam linguæ,

stiliq́

styliq; devinctos posterorum animis, memoriæq; subjicere. Quod quidem optare mihi, ut fas esse nemo neget, ita consequi ardui sit operis. Ceterarum enim homines artium, quæ ab imperitorum intelligentia remotæ, si quando aliquid minus accuratè, aut mediocriter præstiterunt, facilè probantur; at judicis & censuræ gravius discrimen ii scilicet adeunt, quorum in Annalium confectione, aut Historia, deprehenditur offensio.

Hoc nempe volebam, Christiane Lector, mihi præmuniri, & te præmonere, ne citra consilium & temerè, qui soccis debueram, cothurnis viderer ingressus aliquando. Porrò in opere tam diffuso, & lacinioso, si quid peccasse interdum, & Theta dignum tuo admisisse censear, id abs te benignè corrigi, mihiq; adscribi sanè cupio. Sin aliquid elaboratum, scriptumq; ex tua sententia, benè, id Deo imprimis bonorum omnium auctori; dein Sanctißimæ ejus parenti Mariæ Virgini; ac denique Divorum Cælitum, qui Treviris coluntur, experto, singulariq; patrocinio attribuas, velim.



ANTIQUITATUM TREVERICARVM PROPARASCEVE.

CAPUT I.

De instituto hujus libri, & veritate historica.

Sap. c. 7.
Plat. in Tim.

I.

Q U I, ut sapientiæ sic veritatis ortum & pregeniem usque à cœlo repetunt, nec aliunde statuunt, quàm ex cœlesti origine humanæ vitæ lumen effusum; hi sanè cum rationem omnium optimam aperiunt, qua ad sapientiæ autorem quasi gradu facto perveniamus, tum ad veritatem inveniendam ipsam, allucent facem in hac ingenii humani, & multarum rerum abstrusarum teterrima caligine. Cùm enim fontem veritatis ac lucem in se contineat præpotens & gloriosus DEVS; ipseque adeo lex quædam certissimaque regula sit, qua vestigandi explorandique ratio veri tota nititur, ab hoc profecto fonte dimanet historiæ quicunque rivulus etiam oportet; qui pravo purus affectu, & vanitate nequaquam interpellante, fluat. Enimvero mens humana, dum hac terrestri confusa labe, ac fluentium rerum admistione gravis, simplicem adhuc & beatam illam naturam assecuta non est, in tenebras quasi demersa, ex vinculis iis corporum, quibus illigatur, vix eminet; & agitando movendoque se, ad intimas rerum cognitione dignissimarum latebras sero valde penetrat. Ut igitur ea pars animi, quæ temeritati & erroribus est obnoxia, ducem velut in tenebris ac viæ moderatorem habeat, fecit humanæ naturæ benignissimus parens; qui post hominis quoque primi ruinas aliquam nobis ad aspiciendum scintillam veri reliquit, eamque lucem cœlitus impertiit, in quam si divina gratia paulùlum modò provectus sese induat animus, ad veritatis regionem possit ac domicilium, cursu multo quidem liberiore pervolare. Ergo, ut hujus cœlestis radii illapsu vegetata mens, naturæ totius obscuritatem, & abditissimarum rerum caussas penitius intuetur, sic memoriam omnem antiquitatis, hominumque res gestas, conservatis, notatisque temporibus, haud iis solùm, in quæ præsens incurrit vita, sed etiam ab ultimis repetita sæculis, & quasi tenebris sepulta, ejusdem solis velut accensa radio, collustrat & vindicat ab oblivione.

Historiæ veritatis prima regula Deus, ejusque luce & gratia nititur.

Psalm. 4.
S. Cyprian. ep. 2. ad Donat.
Theodoret. Paraeneſ. c. 67.

II. Historiæ quædam est æternitas, quæ ut in Deo simul omnia per naturam, ita in homine per memoriam res præteritas exhibet.

Qua sanè in re divinæ magnitudinis ac sapientiæ præstantiam adumbrare mihi videtur. Ut enim DEVS Opt. Max. annorum omnium & sæculorum ætates, æternitatis suæ tanquam freno, sic sistit cohibetque, ut neque quæ prætereunt, effugiant, neque expectet item futura, quo eveniant, sed omnia usque sibi præsentia, nullo effugio dato, retineat; ita hominum memoria literis, ac insita reminiscendi vi adjuta, & quæ dudum jam præteriêre quasi præsentia revocat offertque legentibus, & quæ necdum adsunt, hæc præteritorum, admonitu, ac rerum similitudine quadam, prudentis animo subjicit, & ante tempus etiam, venire quodammodo & adesse compellit. At constet licet, singulari DEI munere concessuque, eam homini facultatem naturæque præstantiam contigisse, quâ res pænè innumerabiles, & ipsa vetustate jam oblitescentes, tanquam ex occultiore quodam memoriæ thesauro promat, & in apertum ceu rediviva proferat; evenit non raro tamen, vel rerum temporúmve casibus, vel ipsa ingenii humani vecordia & improbitate, ut fugientem illam antiquitatis, reconditamque sæculis memoriam non assequatur.

Historicæ veritatis impedimenta varia.

III. Extrinseca impedimenta.

Et primi quidem historicæ veritatis aditus, quibus externis intercepti casibus, rerumque difficultatibus obsepti, vulgo non ita pateant, is nescire nequit, qui priscum mortalium genus meminerit tanta marium & regionum immensitate divisum, disclusumque, vastis interjectis tot solitudinibus, in humanæ societatis, ac evariantis linguæ commercia ægrè ac serò coalvisse. Eaque re factum, ut ne inter ipsos ab aliis ad alios quicquam, non per locorum modo intervalla, sed ne per sermonis quidem vocisque fœdera commearit. His jam adde ferociam plurimis innatam, insitumque bellandi studium, armorum & odiorum natas ex facili caussas, quorum metu respectuque procul habiti, & à barbarorum finibus exclusi homines culti & mansuetiores, ut omnia diligenter perquirerent, & fando nonnulla perciperent, bellorum tamen hominumque injuriis prohibiti sunt, quo minus id quod litteris memoriæque traderent, esset exploratissimum.

IV.

Sed & ultimæ retro ætati Annalium laudisque publicæ stylo retinendæ postrema cura; ut plurima quoque cum sæculis ætatibusque hominum aut extabuisse prætercam, temporis ipsa longinquitate aut inveterata, ab illo primævo candore demum abiisse in fabulas. Testantur id sermonibus omnium pervagati, Tuiscones, Belgii, Hercules Alemani, Tongroti, & in historia Francorum Iliacus sanguis, & Troiana soboles, ad cujus laudem originis, quantulum etiam obscuræ gentis, per mendacia, si aliter non licet, adspirat? Nam Græcorum fabulositatis, tam crebris majorum litteris confixæ fractæque, ne meminero quidem: quæ ex mortali divinoque satu, semideam nobis propaginem, heroum multiplicia bella, pugnas, prælia, sed & Deorum effusas, ut ille ait, in omni intemperantia libidines, & alia id genus multa comminiscitur; quæ nostra ætas, ut incredibilia, planeque delira, tam facilè quàm narrantur, tã justè ejicit atque explodit:

Fabulosa commenta superioris ævi de gentium orig.

Or. 2. de natur. Deor.
Halicarnaſ. in Thucyd.

quippe priscam illam Satyrici vatis sequuta tabellam, qui damnavit

Iuven. Sat. 1.

quicquid Græcia mendax
Audet in historia.

Porrò autem hæc omnia priscæ investigandæ aut noscitandæ veritati, seu vitiis temporum, seu fraudibus hominum objecta claustra, ingenii vis humani, quæ ut sollertissima, sic à labore invicta fortè perruperat, ni graviores quædam & tetriores in orbem emissæ pestes, non populis urbibusque solùm, funestas clades, sed monumentis etiam reliquis librorum & bibliothecarum, ac omnibus sacrarum juxta ac profanarum rerum vestigiis excidium importassent. Ut enim exustiones, & frequentes nobilium urbium strages in præteritis relinquantur, quid furor ille Geticus, quid Hunnica barbaries, quid denique Wandalicum, Francicum, Normannicumque nomen huic orbi, imò Belgicæ nostræ vastitatis, cladium, oblivionis extremæ non intulit? quid à populatione & exitialibus incendiis reliquit intactum? nationum illuvie quadam, genere hominum & multitudine, lingua, moribus, institutis immanium; affectis jam ac penè cadentibus Romanis rebus, undarum se ritu superfundente. Cæterum hæc ipsa non longam orationem desiderant, quamobrem arbitremur ab externis sæpe causis ingenii nostri conatus infringi, & in oblivionis alta nocte, velut in alia ætate viventibus Lethæi amnis guttam quandam adspergi.

VI. Impedimenta intrinseca communia gentilib. & Christianis.

Quæ verò in potestate ipsi nos habemus, quæque ab ingeniis deprompta vel ex purissimis hausta fontibus domi nobis nascuntur, quid an illibata sinceraque, & sine fabularum ludibriis, porrò derivantur in posteros? Sanè, ut à cultioribus etiam populis exordiamur, Præclara quidem Cicero historiæ scribendæ non uno loco præcepta dedit, Græcorumque levitatem & mentiendi libidinem gravi oratione notavit. At eundem magistrum ut dicendi tamen quàm faciendi promptiorem intelligeres, vide quæ tandem L. Lucceio excolendæ historiæ, fideique servandæ documenta tradidit. Planè eum obtestatur; quin etiam atque etiam rogat; ut ornet acta consulatus sui; vehementius etiam quàm fortè sentiat: & in eo leges historiæ negligat; ac denique amori plusculum quàm veritati largiri ne vereatur. Et alio quidem loco, non it inficias, fas priscis fuisse Rhetoribus ementiri in historiis, ut aliquid dicere possent argutius. Inde, mortuorum laudationibus mendosiorem historiam factam Romanam: in externa verò, etiam apud Herodotum PATREM HISTORIÆ, & apud Theopompum fabulas legi innumerabiles. Quid verò rerum ille explicator gravissimus, & lacteo verborum flumine exuberans T. Livius? num ingeneratum hunc veteribus pseudologiæ, & vaniloquentiæ morbum ipse dissimulat? Certè graviter vitiatam memoriam funebribus laudibus incusat, falsisque imaginum titulis: queriturque familias ad se quasque famam rerum gestarum honorumque, fallente mendacio, trahere. Et verò, mendacii messem licuit tunc vel metere longè maximam, quando mentiri clarorum imagines, ut Plinius dixit, erat aliquis etiam virtutum amor. Quare nec immeritò sanè gratulatus sibi Flavius Vopiscus; qui in Livio nulla, Sallustio, Trogo, Tacitoque nec esse pauca negans, quorum fides vacillaret, hoc se fidentiùs ad Aureliani vitam aggredi exponendam profitetur, quod habiturum se videat mendaciorum comites, quos gravis & disertæ narrationis posteri mirentur autores. Ergo posthabito veritatis studio, nimis quàm latè omnia, vel gratia tum occupabat vel ambitio; vel certè invidia & obtrectatio, aliæque pestes historiæ, mortalium animos illapsæ, tanquam errorum pedicis quibusdam adstrictos illaqueabant. Neque, ut præclarè docet Theophilus Antiochenus, fallax horum narratio & lubrica esse non poterat, qui sponte præcipites longè ibant à religionis veræ, rectique & omnis honesti certissimâ normâ; neque non devius eorum cursus, qui in alto pelago, mersi tenebris & undis, navem haud flecterent ad hanc Christianæ disciplinæ Cynosuram.

Lib. 2. de Orat. Orat. pro L. Flacco.

Epist. fam. l. 5. ep. 12.

M. Tull. C. Brutus.

Lib. 2. de leg.

Decad. 1. lib. 8.

Lib. 35. c. 2.

In Aureliano.

Lib. 1. & 2. ad Autolycum. Philast. hæres. de divers. orbu.

VII. Christianorum historiæ vitiatæ.

Atque utinam istæ monumentorum veterum corruptrices labes hisce regionibus ac finibus sese continuissent; neque progressæ longiùs, in illorum etiam animos se insinuassent, quibus ab humanis studia, cogitationesque suas ad cælestia referentibus, haud difficile fuit, à pravitate longiùs sese abducere; atque ad supremam illam delapsamque de cœlo veritatis lucem, eventa, causas, & omnia judicia rerum exigere, divinæ legis obside seu vade Conscientia. Verùm cùm & ipsi vel humanæ consuetudinis velut æstu quodam absorpti, turpissimè lapsi multa peccarint, vel perniciosis hæresion ac pravorum dogmatum opinionibus imbuti, neque supremum illud lumen semper in oculis gestare, neque vultum altiùs attollere, & veritatis jura inviolata servare didicissent, non potuit non sæpe caligare ad hanc historiæ facem, ipsorum acies ingenii. Ac mihi jam nunc quidem undique mero meridie clariùs etiam lucere videtur, quibus intercludi Annalium memoria temporum & hominum casibus, queisque originum fontes rerum difficultatibus soleant obstrui.

VIII. Origines antiquarum urbium fabulosè passim traditæ.

Unde provisis tot obviis & pronis in medio errandi fallendique occasionibus, veniam his equidem deberi non existimo, qui speciosorum avidi, miscendo vera fabulosis, id contenderunt scilicet, uti primordia facerent urbium suarum augustiora. Quo in genere à Trevericis peccatum nec ne sit, adductis in disquisitionem strictim breviterque præjudicatarum aliquot rerum capitibus, excutere jam est animus. Quod quidem studio vetustius ævum priscosque mores arguendi adductos facere nos, nemo velim existimet: sed hanc unam rationem secutos, quam explicabo.

IX. Causa hujus libri conscripti prodita.

Cùm ad veteris urbis statum felicitatemque clariùs intuendum, nonnulla, quæ huc pertinerent, à continentibus scriptis, in quibus, ut res nostræ ferent, perpetua quædam erit historia, consilium fuisset seorsim pervestigare, atque ab Annalium corpore sejungere, quò densiùs nimirum illa hærerent, & conjunctiùs ordine, non citra exemplum rebar à me fieri; si hæc distinctè articulatimque litteris separatim mandarem, atque ita, quod ad delectationem cum ipsa varietate jucundum, tum in omnem partem utibile foret,

disceptationis methodo, & contentione quadam vicissitudinum, non res solùm eas, quas adspectu memoriaque comprehendimus, sed etiam absentes, & jam olim sepultas, & suâ quadam vitâ redonarem, & clariore luce perpoliens, à consuetudine communis sensus abducerem. Qua profectò in re, cùm neque placere studio sit hominibus, aut fastidiosis, qui vetera novè nollent, aut patriæ sic amore captis, ut popularia quàm vera mallent: æqui bonique facient, opino utrique, si in antiqua explicandâ memoriâ, vulgaribus omissis, veterum optimos quosque, ceu in exploratâ viâ duces, sequamur: neque committamus, ut veri periculo in nos recepto, temerè quidquam, & aniliter, effutiisse videamur.

CAPUT II.

De Trevericæ Historiæ Scriptoribus, præsertim improbæ notæ.

QUOD Plutarchus orbem terrarum in tabula spectandum offerentibus usitatum ait, ut ab extremis oris quibusque refugientes, ignota littora mariaque sequuti, subobscuris hæc adumbrent lineamentis; & ementita rerum specie, iis in locis aut vastas solitudines, aut interminatas aquas confusè describant, quorum locorum situs, aut inhabitabili, aut impervio solo saloque non sat ipsis sit exploratus; ipsum id iis contingere video, qui per remotas prodigiosæ antiquitatis ambages, immensis temporum memoriæque spatiis, ambitu circumducto, principia sua declineant, in eamque partem flectunt, ut vel eos animo suo judicioque sanè permultum obsequi, vel tanquam nugas agere in re seria, ac manifestam historiæ imponere plagam, appareat. Quorum sanè hominum sive inscita temeritas, sive ambitiosa inscitia, si longius habet progredi, non video sanè quò non possit accedere. Cùm enim, ut in ætatibus senectus, sic in historia præcipuam autoritatem sibi vindicet antiquitas; quomodo, qui frontem in ejusmodi semel perfricuerit, is porrò non benè & gnaviter sit impudens? Cùm tu, ut falsa omnia suspiceris, arguere tamen per nimiam vetustatem non queas, ab omni testimonio derelictus: nam, ut doctè Fabius, nulli testes produci queunt, qui non sint pueri, si contra veterrimos proferantur. Sed benè tamen habet, quod in omni ad fidem veritatis accommodata narratione, sua quædam insint γνωρίσματα, & notæ insignes, quibus ut expositi infantes ex alligatis olim crepundiis, jam adulti à parentibus agnosci, sic interpolata mendaci colore veritas, suo in fonte, ac lucis quibusdam vestigiis, facilè quidem solet deprehendi. Nam, ut actionum humanarum imitatrix, & anima quædam est historia: sic temporum locorumque notatio, ipsius est historiæ regula quædam & amussis. Rerum enim ista ratio esse traditur, ut & ætati temporum ordo, & locis regionum descriptio, & actio personis, eventaque consiliis planè respondeant, ut qui in hac similitudine dissidium faciat, is ceu fugitivus signa deseruisse, & ad vanitatis castra, sacramentum militiæ transtulisse censeatur. Hæc igitur conspirent omnia, & amicè inter se conjurent in iis oportet, qui pro testibus abstrusioris memoriæ se gerere cupiunt; amentque non falsis ornamentis, sed veris monumentis autoritatem commendari suam.

In Thesio.

I. Antiquitatum scriptores facilè possunt falli ac fallere.

Quintil. instit. lib. Hieron. advers. Lauf. & Ruffin.

Cicero 2. de oratore.

Jam etiam quibus autoribus potissimùm idoneis, res Trevirorum tulerint ætatem, aut qui vel unde majorum origines iverint propagatum, intentiùs age pervestigemus. Extitit ante hosce annos Juris quidam consultus hæreticus, quem dubio Reip. tempore, mutuis Archiepiscopum inter & civitatem recens obortis simultatibus, consiliarium, & caussæ suæ patronum ac interpretem, multitudo sibi adsciverat. Oppugnabatur eo tempore vario judiciorum ac legum apparatu, in controversiam quam pridem adducta civitatis Trevericæ possessio: in cujus arcem caussæ cum vitilitigator is invadit, partim odio iraque distractus, partim compendii victoriæque properus, de origine & statu civitatis Trevirorum ea commentari cœpit, quæ propugnationem juris continere videre voluit: sed percursis obiter, & velut aliud agendo lustratis veterum Annalium monumentis, inclusum illud odium, quod in Catholicam religionem gerebat, quodque fronte & vultu vix ægrè aliquamdiu sustinebat, omne repentè apparuit. Quare cùm jam conversis pæne rebus, & fluctuante caussa, fractam illam vim suam, in hujus urbis, populique defensionem contulisset, de Episcoporum quidem gestis rebus sanè scripsit ille multa, sed ad controversiam hanc forensem sic accommodata, non aliam ut habuisse scires ejus operæ metam, quàm popularis caussæ & impietatis victoriam.

II. Trev. scriptores prope nominatim editi.

De orig. & stat. Augustæ Trevir. Comment. olim suppressus.

Atque ita fumus, dum invidiosam an famosam lucubrationem, pretio & jure abolitam, piperi ac Vulcano jam pridem cessisse, cognovimus: ac meritò ne legi quidem unquam debuisse, prudentibus visum erat. At ubi nuper haud scio, cujus Æsculapii ope, seu studio priscæ factionis, seu Ecclesiæ Trevericæ multò quàm eminentissimæ invidia, contentiosi scriptoris placuit suscitare manes, noscitandæ indolis ac ingenii ipsius, ex opere damnato, pauca hic delibare, non tam egomet mihi imperavi, quàm, qui pro imperio id poterant, jubentibus parui.

III. Commentarii de origine & statu Trevericæ Augustæ Censura.

Anno itaque salutis M. D. LXXVI. Ratisbonæ frequenti procerum cœtu, Maximiliano Cæsari defensio causæ Trevericæ à populo exhibita. Syndicus commentarium texuit, & acta urbis Treviris edidit hoc animo, ut vel interpellata lis mitius iret, vel cognitores lenocinium speciosæ libertatis retinerent. Sed ubi nec ea res caussæ progressum moratur, & victoria se palam in parte Archiepiscopi ostendit: tum verò ad editionem Annalium, ceu ad sacram anchoram patronus confugit. Captus occultè in Agrippinensium urbe Typographus: & mox in Rudolphi Cæsaris nomine opus apparuit. Fecit ilico Jacobus Archiepiscopus, ut corvo malè parturienti ova tempori subduceret: & ne pro vipera basiliscum haberet, exemplaria omnia suppressit. Verùm, ut vitiosis in agris zizania plurimùm spontè nascuntur, ita nec opinato & in publicum noxio germine, sobolem hanc repullulascere contigit. In operis fronte præ-

IV. Syndicus Trev. Kyriander historiæ fallax scriptor.

Biponti editio renovata 1603.

Præfationis offensio.

loquium est, popularitatis sensu apprimè comptum instructumque: ubi, dum scriptor vela pandit favori, simul infestus in aliorum famam ac nomen incurrit. Etenim civitatis statum eum exponit, ceu nullum aut calamitatis, aut inopiæ, aut bellicæ fortunæ genus existeret, quod à duobus Archiepiscopis, Joanne & Jacobo, incolæ perpessi non essent.

V. Rebellionis publicæ patrocinium.

Hinc vario vultu se demutans, jam orbitatem & exilia deplorat senatorum, qui majestatis & hæresis rei, civitate turbata, solum verterant, *Quia*, inquit ipse, *vulgari mystarum instituto, tractandis sacris fuerant adversi:* jam etiam actorum, id est, Pontificum Trevirensium opes, factionem, vim sugillat, ceu litigantes relicti destitutique cives & malevolis dediti advocatis, ad fori scopulos diutius adhæserint: cùm ipse, eodem tempore, admotis clam facibus, & vehementiùs litem inflammarit, & statum populi cum optimorum civium ingratiis, tantùm non funditus proculcarit & everterit. Porrò deinceps in vitando non minus cautus, quàm in petendo vehemens, ut historicum scires, Advocatorum, qui contra starent, imperitiam castigat, veteris memoriæ multam in eis scientiam requirit.

VI. Juris antiqui oppugnatio.

Mox quæstiones agitare aggressus, ita disserit, ut exploratum velit: nec Regalium aliquot sæculis codicillos à summis Cæsaribus æquissimisque justè datos: nec Trevirim urbem ruinis obsitam à Ioanne Archiepiscopo, ejus nominis primo, additâ murorum coronâ, reparatam. Neque civitatis supremum jus olim à Carolo quarto rectè Cunoni Archiepiscopo, vereque adjudicatum. Quin Trevirim irretorto & illæso vigore, quo olim apud Romanos & Francos, sic adhuc liberam jure fastigioque suo niti, inter Imperii urbes. Qui secus aliùdve senserit, eum nec rationi, nec æquitati parere, & ire contra omnem memoriam vetustatis. Sed has scriptoris divinationes nihil pensi fuerit in medium revocare, postquam judicato nunc Cæsaris Rudolphi vivitur, & almæ paci, libentissimis utrimque animis concessum est. Illud, quis tacitum ferat, domesticos scriptores, ubi arridere putet, & servire caussæ, ilico ut doctissimos & religiosos homines attollere: ubi alia agunt, & lumen præferunt antiquæ sanctimoniæ, hic eosdem abjicere, & eorum monumenta, ceu à monachis otiosè conficta, explodere.

In præfat. & annal. p. 1. & p. 7.

VII. Calumniæ & Archiepiscopalis dignitatis extenuatio.

Laudes Antistitem quempiam, quod operis aliquid novi olim pro jure suo in urbe molitus sit: flagitat ipsius titulos, insignia, & præscripta nomina frontibus: cum alterum serius usurpatum viris ecclesiasticis, alterum, exemplo Lampadii & Traiani, nimis ambitiosè esse faciat herbas parietarias. Commemores ex hoc ordine, potentiæ civilis & opum non invalidos; audies, tot antea ignoratis, Brunonem Coloniensem magni Ottonis fratrem, primum Episcoporum hac regione terrarum publicam rem attigisse, cæteros ante, nec tributorum immunes *ad scholas, pauperum, & Ecclesiarum curam relegatos, & spiritualibus tantum tractandis*, ut vir politus & elegans loquitur, *addictos.* Commendes ad hæc, Ecclesiæ Trevirensis Primatum, à sede Romana Constantini ævo datum. Hic ille nihilo verecundius, ne ipsum quidem Romanum Pontificem, prius, quàm id Phocas Orientis Imperator ei daret, ullas in Ecclesia tulisse primas.

Aventinus citatus Annal. lib. 3. 4. idem pravè laudatus, p. 1. fol. 22. p. 8. contr. Clerum & Pontif. p. 3.

Part. 3. fol. 49. & p. 8. f. 72.

VIII. Dogmata prava & impietas.

Denique vniversam seriem primorum Episcoporum, & nascentis hujus Ecclesiæ dignitatem, oppressum atque offuscatum isse, plurifariam colligas. Nam quo ne primores antistitum à B. Petro Apostolo in Galliam, Trevirimque Roma missos, consentiat antiquitati, ambiguus agit, vixeritne unquam Romæ S. Petrus. Rursus, cùm insecutos Constantini ætatem præclaros fidei ac innocentiæ Præsules diffiteri nequit, inimico in Ecclesiam Romanam animo, haud paulo prædicat Pontificibus Romanis ipsis fortè hoc extitisse meliores. Qua etiam in re ab Ammiano Marcellino, Christianis scilicet amico scriptore, libenter sibi persuaderi patitur.

Part. 7. fol. 52.

Part. 8.

IX. Pontificũ, & vitæ Monasticæ sugillatio.

At, ubi tandem sub Francis, lætiore propagine, Monasteriorum & Ecclesiarum incrementa, autoritatis Pontificiæ vim, omnia sacrorum jura, luce clarius cernit in majus exsurgere, & hac velut publica scriptorum face, aciem mentis sibi præstingui, jam novi schematis artificio, alia hominum inertiæ, vacationem in monasteriis quæritantium, alia Pontificum avaritiæ & ambitioni, aliena jura, muniáque invadentium, imputat, pessimam magistram hæresim ante famam, publicámque fidem ponens. Expectes jam fortè, ut partem calumniæ, aut objectam erroris nebulam, in vestigio dissipem ac profligem. At longè hoc infra nostrum institutum, longè infra Catholici dogmatis amplitudinem, quæ à linguacibus hisce adlatrari & arrodi, sed lædi laniarique non potest. Quod itaque exercitati milites faciunt, ut quos ad pugnam validos habent lacertos, non committant, ut ante periculum ti, vel jaculi levitate, vel disci jactu evanescant, ita genus hoc velitationis in id tempus reservari par est, quo series Annalium suis ipsa freta lacertis, veritatis impetu vanitatem hanc per se frangat, aut certè comminuat.

Suis locis Annalium Kyriander refutabitur.

CAPUT III.

Qui Treviris fuerint hactenus Annales, quâ fide & ordine conscripti.

I. Gesta Trevirensium MS. qualia sint, quãdo, & unde collecta?

PORRO, ut cujusmodi sint ea, quæ Annalium nomine scripta, pervulgata jam cœpi dicere, clariùs etiam perspicias, exponam quibus publicè rerum gestarum, ac temporum monumentis hæc utatur provincia, non universè tantum, sed propriè: nihil enim effecero, si hanc rem tam concisè perstringam. Scio, lector incautus veterum peregrinarúmque rerum admiratione ad ipsum Annalium nomen, quàm benignè soleat dare dextram, premere pollicem, inflectere judicium, & pronus in assensum, autoritatis quadam tangi ducique reverentia. Verùm, ut nemini fidem accommodare suam protervum, sic omnibus omnia assentiri, cautio est. De Annalibus itaque Trevirorum, qui Gestorum inscriptione passim in vulgus noti, sic mea quidem sententia est; eos instar corporis, ex pluribus inter se cohærentibus membris, in unum coaluisse; seróque, & everso jam diu priscæ Reip. statu,

Gesta Trevirorum MS.

conflatos

conflatos ex Episcoporum actis, quæ sparsim hodiéque & à diversis conscripta leguntur. Quod usque adeò obscurum non est; quin alluceat mox universam compagem illam, suas rursum in partes membratim dissolventi; primámque narrationis fidem, à notha atque interpolata secernenti.

II. Majores veterum historiarum incuriosi fallere & falli persæpè solent.

Cùm autem superior ætas fastidiisse non raro visa historiæ externæ memoriam omnem; itáque domi hæsisse, ut nullam antiquitate duxisse sua potiorem crederes; iccirco factum putamus, ut civitatis ipsius incunabula legantur, multis ignotæ & obscuræ vetustatis fabulis, tanquam Gordio nexu quodam constricta; quæ nisi Tenedia arrepta securi vi perrumpas, aut interpretando mitiges, juvésque, litis ancipitis nusquam inveneris exitum. Traditis ergò, ab his veterum codicum Ecologariis, originum gentis & urbis, per ejusmodi documenta primordiis, media mox inciduntur universa; scilicet, ne nimis serò ad Julium Cæsarem perveniatur. Succedit Episcoporum quasi quædam lustratio, in qua, ceu ad nomen citati, & respondere tantummodo jussi, ilicet indicti & obscuri relegantur. Hinc jam ad Euripum illum rerum humanarum, & mirabiles Trevirorum majestati impendentis ruinæ vices, quasi suspensus & attonitus Gestorum scriptor, alto se tenet silentio; donec ex Hunnorum Francorumque reciprocis, ut ita loquar, urbis gubernaculis alternantium incursione, ac vastitate paululùm respirans, ingenti mox edito saltu, multa sæculorum spatia transilit. Atque ita librorum, qui scripti teruntur antiquissimi, à perdito Reip. statu ad Henricum usque Finstingium, cujus in annum Virginei partus M. CC. LVIII. Pontificatus incidit, excurrunt. reliqua series à diversis iterum ad hoc usque sæculum, jejunitate incredibili, & pertenui narratione, sæpiùs obhærente quoque filo, pertexta.

III. Gesta Trevirorum, quâ cautione mereantur autoritatem.

Et hæc certè literarum monumenta, nomen fidémque Annalium hactenus ita tueantur, ut, si quæ dubia, incerta, & inquinata sint, alia ad publicam scriptorum autoritatem & consensum revoces, alia circumcidas, & ad vivum reseces, eorum sanè permultum, ut in obscura notatione temporum, valere debeat auctoritas. De Annalibus hucusque; sed in Scriptorem nobis etiam labor fuit inquirere, eccui de plurimis palmam operis adscribere conveniat. Nam partium autores singularum sua quemque prodat ætas.

IV. *Compend. l. 1. Annal. Francorum in Chronico, & in Illustr. script. Catal.*

Golfcherus vel Golscerus Gesta Trevirorũ præcipuè scripsit.

Ac Joannes quidem Trithemius Moselsellanus, sagax in ejusmodi discutiendis, raræque diligentiæ scriptor, inter supplementa lib. secundi Annalium Francorum inediti Golfcherum numerat, Monasterii S. Matthiæ apud Treviros cœnobitam, cujus & operâ, & litteris usus sit; eumque Gesta Trevirorum concinnasse, bis memorat. Nam & viris illustribus adscribit, & humanæ divinæque litteraturæ peritiâ non incelebrem testatur; atque ad populum, probatâ facundiâ, verba fecisse: scripsisse inter alia quoque Gesta Trevirorum. Sanè ejus nos sermones de primis hujus Sedis Trevericæ tribus Episcopis, Euchario, Valerio, Materno membranis vidimus inscriptos. Is itaque commentus ejus libri magnam partem censeatur, de quo impigrè hucusque percontati sumus.

V. Annales Pontificii MS. sed jam nuper inserti Mag. Chro. Belgico à Cl. I. Pistorio edito.

Cunonis Archiepisc. Chronicon.

Frederici S. Paulini Præpositi libellus 23. capitum.

Medulla Gestorum Trev. lingua vernacula. Joannes Seekman.

Sunt præter hos libros in manibus Annales Pontificii; ex prioribus, ut apparet, ita contexti translatíque, ut bipartito divisis per columellas paginis, lævâ Trevirensium; dextrâ Romanorum Pontificum acta, brevius nescias an obscurius, exponant. Tacti quoque & inserti huic Annalium memoriæ Latini Græcíque Cæsares. Horum exemplaria nonnulla præ se ferunt Prologum Cunonis Archiepiscopi, cujus studio & autoritate gesta Trevirorum in epitomen ibi contracta, docetur. Scripsit etiam ante CC. annos Fridericus PAULINIANI collegii Præpositus, de sancti PAULINI inventione Libellum, minus quidem exactæ diligentiæ, at quo non pauca de Ecclesiæ & Civitatis origine, majores imitatus pertexuit. Postremò patrum memoriâ emissus in lucem vulgatúsque libellus, ab Joanne Enenio Trevirensi Suffraganeo, litteris nostris scriptus primùm, ac idem dein à Cœnobita S. Maximini propè verbis iisdem in Latinum ita conversus, ut ob inculti sermonis insolentiam fide propemodum ac auctoritate sua careat. Epitomen, sive Medullam gestorum Trevirensium, appellare placuit. Sed accidit omnibus his, quod pretiosis succis & potionibus solet: nam hæ, cùm variis artibus coctionibúsque, mutatis sæpè vasis eliquatæ, aliò atque aliò transfunduntur, vis illa nativa & incorrupta sensim infringatur, ac degeneret omnino tandem necesse est: sic à pluribus temerè nec consideratè repetita, variéque sermonibus aliis atque aliis jactata huc & illuc, dum parum providi pro melioribus deteriora subjiciunt posteri, novámque orationem tanquam purpuræ lacernam assuunt, paulatim prisca integritas illa nimirum deteritur, & amisso colore obsolescit.

VI. Non temere omnibus credendum.

Pondus & omne momentum historiæ altius repetitæ in testimoniorum dignitate; ejusque rei caussæ.

Quintil. l. 5. c. 5.

Cùm autem stultitiæ culpam non tam evitet is, qui quod stultè alteri venit in mentem, judicio suo comprobat; quàm proximè accedit ad munus sapientis, qui alterius benè inventis uti norit prudenter; quos non, obsecro, in fabulis Midos ii posteris objiciant, qui his tam cœnosis & lutulentis fontibus, hortos irrigant suos? Quæ sanè ratio animum perpulit inprimis meum, ut in excutiendis dijudicandisque veterum literis, nequaquam ducerẽ testibus his recentioribus, & nuper natis, sed antiquissimis illis potius, & veneranda canitie gravibus adhærendum: ut quorum scilicet ore cùm loquerer, in nutu ipso, atque ætate quædam resideret autoritas. Si enim pragmatici & juris interpretes, ubi de fide tabularum lis & controversia distrahit ancipites, non exemplis, quæ dicuntur, contenti, principem illam expressámque formam requirunt, uti in quos signatum sit, & quæ scripti sententia, & quemadmodum tempora congruant, intueantur, percipiantque ceu in rem adducti præsentem: nos maximarum rerum momenta, & ab ultima antiquitate, morum religionísque, quibuscum à parvis Ecclesia Trevirorum enutrita, ad hanc amplitudinem pervenit, adumbratam & descriptam effigiem unò in conspectu defixuri memoriæ, authentica, & veluti archetypa quædam, ubi id licet, non proferamus.

Porrò

VII. Ostensa cõmunis nobiscum omnium difficultas, ex inopia testium idoneorum.

Porrò tametsi magnis in tenebris, & quasi parietinis Historiæ Trevericæ, tanta sit rerum amissio, & desperatio redigendi dispersas, ut velut in obscuris locis, & confragosis sæpius insistendum hærendúmque; nonnunquam etiam ad laboris superandam molestiam, ambitum aliquem & flexum itineris capiendum mihi videam: existunt tamen quædam adhuc tanquam ex naufragio superstites tabulæ, quibus studiosè collectis si innitamur, cursum aliquem, si non optatissimum illum & rectum, tenere valeamus. Iam igitur, quod instat, Trevericæ gentis primordia verbatim etiam, ex receptis Annalium libris, proponamus.

CAPUT IV.

De Vrbis conditore.

Sempetbag ex Orosio l. 1. c. 4.

I. Cunabula gentis Trevericæ, à Trebeta Nini filio petita.

Ante urbem Romam conditam Anno M. CCC. Ninus Rex Assyriorum primus, ut Historici volunt, propagandæ dominationis libidine, arma foras extulit; cruentámque vitam quinquaginta annis per totam Asiam bellis egit: à meridie atque à rubro mari surgens, sub ultimo Septentrione Euxinum Pontum vastando perdomuit: Scythicámque barbariem adhuc tunc & imbellem & innocentem torpentémque excitavit; sævitiam, vires suas nosse, & non lacte iam pecudum, sed sanguine hominum vivere, ad postremum vincere, dum vincit, edocuit. Novissime Zoroastrem Bactrianorum Regem, eundémque magicæ, ut ferunt, artis repertorem, pugnâ oppressum interfecit. Post, ipse dum deficientem à se oppugnat urbem, sagittæ ictu interiit, uxore post se relictâ Semiramide, cum duobus liberis, Nino & Trebeta.

Hæc usque Orosius.

Trebetæ genus.

Atque Trebetam quidem sustulisse ex Chaldæa, regio sanguine muliere, quam ante Semiramin connubio sibi junxerat; Ninum autem ex Semiramide procreatum illi filium.

II. Trebeta cur profugus.

MS. gesta Trevir. & ex iis recentiores, ut Albert. Stadensis, Otto Frising. &c.

Hoc verò interfecto, exarsisse Semiramin mox prava libidine Trebetam incesto matrimonio sibi copulandi: Petisse novercam, uxorem ut se acciperet privignus; & amore juvenis iisse in abtuptum. Ubi honestatis & pudicitiæ reverentia obfirmatum vidit Trebetæ pectus, & juvenile decus nequidquam ab se tentari bláditiis, libidine in furorem odiumque versa, ad alia omnia descendisse: spargere venena, & aconita miscere: atque ubi maleficio dolóque nil proficeret, arma demum expertæ virtutis in privignum cæpisse expromere, quoad multiplici præliorum contentione fractum fessúmque, patria tandem regnique finibus expulisset. His ergo malis victum Trebetam, cùm exsul, & errans, sedem domiciliumque per ignota littora, & inhospita loca quærit, superatum demum magnitudine laborum, imperasse sibi quietem ultimam.

III. Trebetæ ad Mosellam adventus.

Quare ad captandum auspicatò figendis sedibus locum, rem sortibus permisisse; quibus ductis, & in rem aptè cadentibus, exsiluisse Europam. Emensum inde Mediterraneum pelagus, quod ab Africa dividit Europam, per invia, & deserta terrarum, tandem ad Mosellam errando pervenisse; cujus in littore cum eam alicubi vallem reperisset, quæ & ad speciem amœna, & aquarum rivis, & frondium vestitu silvosisque jugis, & intermeantis opportunitate fluminis satis amplum ad fruges in campum patesceret: captum amœnitate vallis, legisse sedem, condendæque urbi locum: addidisse civitatem, quam ex suo nomine Treberim appellarit.

IV. Treberis condita.

Hæc de Trevirorum initiis, ipso statim libri principio, Annales: quæ iterùm paulò post inculcata, ab diverso tamen, ut apparet, Scriptore, hoc evariant, quod paulò plus operæ, in urbis novæ jaciundis fundamentis positum à Trebeta, affirmet posterior: neque enim suorum Assyriorum modo viribus fretum atque lacertis, tam vastum aggressum opus; sed horum vel præcipua in spem moliendæ civitatis erectum ope, quos fama & magnitudine rerum gestarum, & clara tum stirpis, tum gentis Assyriæ gloria excitos, diversis è sedibus ad se pellexerant advenæ.

Urbi condendæ affuere diversi populi.

Temporum Agrippinensis Coloniæ monumenta quædam ante centum haud multò minus annos, quæ tum ætas fuit, cura nec inerti, sed damnata tamen, ob præjudicium partis, conscripta sunt: hæc, ubi de civitatis ipsius origine curiosa & multiplex est quæsitio, illam in partem eunt disceptationis, Trevirensium uti conjuncta suis, ex chronicis nescio quibus, trahant primordia, sed tam poëticis illa quidem exornata fabulis, ut magis haud sciam refellendis, an recitandis, ludatur opera.

V. Hero, vel Hiero Trebetæ filius.

Quare ut ab his ad nostros conversi, pertexamus reliqua: Trebetæ erepto ex humanis rebus, Heronem filium, aiunt, in principatu successisse atque hunc, patrio ritu, parentis funus rogo intulisse, & in Jurani montis vertice Trebetæ condidisse cineres.

Juranus mons.

Aris deinde honori ejus exstructis, memoriam defuncti divinitate consecrasse, & Nini avi instituto, qui, quod parenti Nemrodo, seu Belo Statuâ post mortem erectâ, eum inde mortalem ab omnibus, ceu numen cœleste quoddam, coli in terris voluit, princeps falsi cultus, & autor Idololatriæ numerari solet.

Ninus autor Idololatriæ.

Augustin. Tornell. Pererius.

Ut autem facinorum Trebetæ, meritorumque, quæ ab eodem in gentem hanc profecta Trevericam, perpetuam literis consignatam posteris memoriam relinqueret, tabulam illi marmoream faciundam locasse; cui persimile quiddam hisce versibus addunt inscripsisse.

Nini Semiramis, quæ tanto coniuge felix,
Plurima possedit, sed plura prioribus addit:
Nec contenta suis, nec totis finibus orbis,
Expulit à patrio privignum Trebeta regno;
Insignem profugus nostram qui condidit urbem:
Treberis, huic nomen dans, ob factoris honorem:
*Quæ caput Europæ cognoscitur * anteritate:*
Filius huius Hero patris hæc epigrammata pono:
Cuius ad inferias has cum Iove Mars tenet aras;
Sidere concordi pax est; non dissocianti.

* antiquitate. *Apud Bedam Tom. 1. ad Manfredi computum, Otto Frising. & Abbas Ursperg. & Albertus Stadensis Abbas.*

CAPUT V.

Quid hæc narratio habeat simile veri.

Exordio conjurat. Catilin.

I. Scriptorum opera cel-

QUOD de Atheniensibus tradit Sallustius Crispus, quia provenerint apud eos Scriptorum magna ingenia, iccircò per terrarum orbem ipsorum facta pro maximis celebrari;

ſante, multa paſſim omni ætate exciderunt, quæ lateant poſteros.

brari; id ita pertinere ad omnes omnium imperioſorum populorum origines, & illuſtrium regnorum initia cognoſcimus, ut perinde clara obſcuráve inter homines eorum extet memoria, quam ſcriptores ipſi teſteſque nacti ſunt, qui famam ipſorum ad poſteros literarum ingeniorumque monumentis propagarent. Unde qui hoc ad ſummam laudem præſidio caruerunt, eorum nemo mirari debet incunabula, vel hominum, qui cum ipſa gente coalverunt oblivione, vel poſterorum reticentia, inter tot injurias temporum, in ſilentio jacuiſſe diuturno.

II. Nini ac Smiramidis notum eſt imperium.

Hieronym. in c. 2. Oſeæ.

Et Nini quidem ac Semiramidis imperium literis atque ſermonibus multorum eſt decantatiſſimum, quando tam disertè B. Hieronymus, Ninum fuiſſe primum Aſſyriorum Regem atque Monarcham, narrare omnes, ait, tam Græcas quàm Latinas hiſtorias: nec interim in Trebetæ fama, niſi apud infimæ & ſeræ ſcriptores ætatis, par memoria viget. Neque illud mirum. Ut enim natio Aſſyriorum potentiæ atque armorum magnitudine ſpectata, & artibus imbuta regnandi, Judææ Græciæque populis ſcribendi materiam reliquit, ita Celtarum gentes, à manſuetioribus iis, cultisqûe regionibus longè disjunctæ, ac feritate ipſa metuendæ, ſeriùs tandem primò Græcis, inde Romanis & litteris & armis innotuére. Quanquam, ſi teſtium autoritate, & agmine topico citra rigidiorem illam criſin, pugnandum eſt, haud facile conſtet quomodo Treverici pares eſſe non poſſint; cum non minus ipſi ſcriptoribus, qui ante quingentos plus minus annos tolerarunt ætatem, quam de Babylonis rebus, aut Cteſiæ Cnidiæ Siculus; aut Trogo Pompeio Paulus Oroſius; aut impio denique Porphyrio Euſebius, fidem adjungere queat. Sanè Trebetam urbis eſſe conditorem haud recens eſt, aut nuper audita primùm opinio: quæ, niſi inveterata temporibus, & multis propagata ſæculis, ad Germaniæ ſcriptores perveniſſet, dubitari poterat, qui tanta fabulandi libido tenuiſſet viros alioquin ſimplices, & minimè malignos; ut qui bona fide nullo dolo malo, ſapienter, multis aliis de rebus ſcripſiſſent, his urbis Trevirorum liberet præcipuam quandam, propriamque conſectari gratiam, fabuloſis & anilibus illorum originem attollendo commentis: at quo fallendi pretio?

Lib. 2. cap. 1. Diod. Bornius. Oroſ. l. 1. c. 4. ex Iuſtino. Euſeb. in præf. ad chron. de Semiramide loquens citat Porphyrium, ſimiliter l. 10. c. 3. de præparat. Evang.

III. De Trebeta Trevirorũ conditore editi teſtes.

Ut ne igitur hos præteriiſſe, aut contempſiſſe videamur, quibus id olim per manus, vel ex amiſſis nunc veterum monumentis tradi potuit, age ſanè, quid eorum hac de re judicii ſuperſit, quando ſic lubet, & argumenti ratio poſtulat, exquiramus. Marianus Fuldenſis Cœnobii inquilinus, genere Scotus, qui ex Euſebio, aliiſque priſcis autoribus temporum rationes altiùs repetit, ad ſextum decimum annum Abrahami: *Hoc*, inquit, *anno Trebeta filius Nini à Semiramide expulſus de regno, Treverim urbem condidit in Gallia; ante Romam conditam annis M.CCL.* Perinde Sigebertus, cùm de Trevirorum excidio verba facit, urbem Treverim ait condidiſſe Treberum, filium Nini Aſſyriorum Regis, profugum à facie novercæ ſuæ Semiramidis; & à ſuo nomine Treberim appellaſſe. Quin & Otto Friſingenſis Epiſcopus eſt in hac teſtium claſ-

Marian. Scotus Chron. l. 1. ætate 3.

Sigebertus Gemblac. in anno Christi 413. cui Treber Nini F.

Otto Friſing. l. 1. c. 8.

ſe, qui famam Trevirenſium ea tum ætate magnificè, ut fit, de civitate ſua gloriantium excipiens, Trebetam ſcribit à Semiramide pulſum regno, poſt parentis mortem; & claſſe facta, ex Aſia in Europam profectum, id eſt, per mare in Rhenum, ac inde per Moſellam, in valle pulcherrima Galliæ conſediſſe, ibique florentiſſimam & conſertiſſimam opibus, ac totius tunc caput Galliæ urbem fundaſſe; cui indiderit poſtremò nomen ex ſuo, Treberis. Ab Ottonis narratione nequicquam diſſentit Abbas Urſpergenſis, ut in re famâ valde tum quidem, & Chronologorum conſpiratione quadam, contrita & pervagata. Ergo novercam Trebetæ memorans, *Hæc*, inquit ipſe, *privignum ſuum Trebetam regno expulit; qui per mare, & Rhenum, & Moſellam claſſe vectus, Treverim primus conſtruxit; & eam ex nomine ſuo, ut aiunt, Trevirenſem appellavit; unde etiam ad hæc tempora parvum repertum fuit ibi in lapide ſculptum hoc epitaphium: Nini Semiramis:* & quæ ex allatis ante verſibus jam ordine conſequuntur. Eadem cum Hiſtoria Scholaſtica memorat Albertus Abbas Stadenſis. Sed neque Godefridus Viterbienſis publicæ famæ ſe teſtem negavit; cujus hi vulgares ſunt & rythmici non ſanè boni verſus.

Abbas Urſperg. in Chron.

Godefrid. Viterb. Chron. part. 3. ſub finem.

Filius eſt Trebeta de Nini ſanguine regis,
Cedere quem regno, regina noverca coegit,
Ut Pater obiit, regna noverca regit;
Pulſus ab hinc Trebeta, ſubiit Germanica regna;
Fundat ibi Treberim, fluvio præſente Moſella:
Poſt eadem Treviris, Belgica Roma fuit.

Infinitum ſit, ſpiſſumque nimis, etiam poſt hos inferioris ætatis, qui eadem ſecuti, teſtimoniis uti; cùm & autoritate hi, quos jam laudavimus, præſtent iis, & inter ætatis ſuæ ſcriptores ſanè ducant familiam.

Æneas Silvius in Europ. Nauclerus, Crantzius, Waſſeburgius, &c.

IV. Trebetæ fuga, & errores topice defenduntur.

Atque ut in Nini geſtis rebus in præſentia quidem nil commoveatur; &, ut ex Oroſio tranſtulit ea geſtorum ſcriptor, ita nimirum intacta atque integra locum retineant ſuum; principio quidem Trebetam Nino, ex Chaldaica femina natum, credere, nil prohibere putes; vel etiam ut poſtulatum, Treviris, ſponte concedas. Trebetæ verò fugam & errores, ex Semiramis ingenio, libidine, atrocique dominatu, facilè exiſtimant ei poſſe perſuaderi, qui & ſimilia eveniſſe multa priſcis ætatibus, & prodita litteris, de flagitioſa regina, memoriter repetiverit. Et verò perinde, ut opinio eſt de cujuſque moribus, ita quid ab eo factum, & non factum ſit, aiunt exiſtimari. Memorat in bibliothecis Diodorus Siculus, Semiramin filiam Dercetonis Nymphæ, patre incerto natam, orbámque in poteſtatem veniſſe regii paſtoris; qui infantem eximia ſpecie, atque oris pulchritudine ſublatam eduxerit; quoad connubio maturis annis, & ætatis & formæ præſtantia, in maximum decus adoleſſet: inde armenta gregéſque percenſenti Memnoni Satrapæ denupſiſſe; tum mox in Nini Regis intimos amores penetraſſe, ac præcipuam ſibi gratiam, favorémque collegiſſe, dato conſilio, quo Bactreæ, quæ tum Zoroaſtre fuſo, Nini copiis obſidebantur, redigi capíque poſſent. Nam mulieris advenæ ductu, manuque, per ardua, & vacua cuſtodibus, nec non præcipitiis, ut rebantur Bactriani, tuta loca, Ninum in arcem ſigna ſuſtuliſſe;

Trebeta Nini filius eſſe potuit, & Trevirorum autor.

Oratio pro Cluentio.

Lib. 2. c. 2. & 3.

Semiramis genus.

Semiramidis dolus in capiendis Bactreis, an magia?

deſperan-

desperatísque rebus effusâ urbem fugâ deserentibus incolis, eam occupasse. Ita Nino Semiramin conjunctam admiratione formæ & muliebris ingenii: viro, cui nupta legitimè ante fuerat, oblisis faucibus, voluntaria morte raptæ conjugis desiderium, palam faciente.

V. Semiramis fortè maga. Semiramis & Ninus Abrahami ætate.

Nec sine artis magicæ præstigiis meruisse hoc bello feminam inter viros Semiramin, & clausas ignoratásque patefecisse vias, nos doceat Arnobius; qui inter Assyrios & Bactrianos, Nino quodam Zoroastréque ducibus, ait, non tantùm ferro dimicatum & viribus, verùm etiam magicis, & Chaldæorum reconditis disciplinis. Atque hæc omnia gesta ferunt Abrahami ætate; cujus natalis, gentium omnium illi destinato principatu, fide casta cœli terræque regnatorem colentium, auspicatissimus, in regni quadragesimum tertium annum Nini, ut gravissimi testantur scriptores, incidit. Neque uno certè confirmat loco Abrahamo coævam fuisse Semiramin, Eusebius. Etenim Nemrodo, qui idem & Belus autor Babylonici imperii successorem plerique dant Ninum. Nino autem duobus & quinquaginta in regno exactis annis, aut remoto de gubernaculis, quod Diodorus, aut suâ morte ictúve sagittæ exstincto, quod maluerunt alii, Semiramis est rerum potita, cujus imperium quanto non dedecore, verùm scelere, & immanitate conjunctum extiterit, nemo gravius explicavit & illuminatius Orosio. *Nam libidine ardens, sanguinem sitiens, inter incessabilia stupra, & homicidia, cum omnes quos regiè accersitos, meretriciè habitos, concubitu oblectasset, occideret, tandem filio flagitiosè concepto, impiè exposito, inceste cognito, privatam ignominiam publico scelere obtexit; præcepit enim, ut inter parentes ac filios, nulla delata reverentia naturæ, de conjugiis appetendis, ut cuique libitum esset, liberum fieret.* Addit Siculus; eo nimirum vagas secutam libidines, certis illigari conjugii legibus recusasse, ut ne imperitandi dominandique suavitatem, qua caperetur impotens & crudelis mulier, amitteret.

Hieronym. & Euseb. in Chron. & l. 10. de præparat. Evang. c. 3. August. l. 18. de Civit. c. 2. l. 16. & 17. Aug. Torniell. 2. mundi ætate. M. Anton. Muret. variar. lection. l. 6. c. 17. Oros. August. loco cit. Iustin. l. 1.

Lib. 1. c. 4.

Lib. 2. c. 5.

VI.

Insuper, quod ab Eusebio, & aliis, Babylonem urbem condidisse, vel instaurasse; & propter inundationes Euphratis etiam ab Herodoto χώματα ἀξιοθέητα; aggeres spectatu dignos, construxisse traditur, id Julius Africanus, de sepulchris amatorum interpretatus est, quos, ubi concubitus illorum satietas eam cœpisset, vivos ibi infoderit. Quæ itaque mulier perfregisset ac prostravisset omnia, cupiditate ac furore, humanæ naturæ vincula quæ sanguinis necessitudines ac jura proculcatum iisset; pudoris ac legum reverentiam penitus exuisset; hæc, ut turpibus privigni amoribus carere vellet? quin, ut illicita potius in desideratissimis, negataque, nimis quàm cupiunt mortales, eum ut deperierit, ut omnibus rebus pellexerit, effrenata persuadet & indomita mulieris libido. At verò, ubi sceleri moram afferri, impudentiam refutari suam, & vehementi illa amoris incitatione suppressa, spe maximi voti potiundi, se depelli sentiret, ecquo tandem animo eam fuisse? Noti scilicet mulierum mores; quos non Poëtarum ingenia modò percursos animo; sed & histrionum ludicra, ipsæque scenæ decantatos habent: quàm irritabiles ad accipiendam offensionem, tam implacabiles ac rigidæ ad deponendam. Contra, Trebetam, ut obstinatam pudicitiam denique victrix expugnasset noverca; non reformidaturum illam denique tam multorum redundantem sanguine dexteram, & magno nimium constitura decoris expugnati præmia?

Muliebris in amore & dominatu ardor Semiramide repræsentatus.

VII. Trebetam fugere, quàm ejusmodi subesse mulieri consultius.

Denique in ferocissimæ mulieris atroci dominatu, cujus non frangeret animum, tam acerba servitus; ut ultimas omnes obire terrarum partes, & quodvis adire discrimen non præoptaret, quàm iis imperiis interesse, ubi mulier ad gubernacula sederet: at quæ mulier? quæ potestate æquari secum neminem vellet, quæ per inaudita, ac nefanda flagitia, omnibus invisa, venenum privigno quæreret, populorum denique succum & sanguinem hauriret? Quæ quidem omnia, quando cum Trebetæ caussa esse quàm junctissima potuerunt; nihil tanti profectò esse dicent, cur hanc ejus tam longinquam peregrinationem, & in hoc solum adventum numeremus in fabulis.

VIII. Classium usus Nini ævo Trebeta servire potuit.

Neque verò id ævi homines in maritimis rebus inexercitatos, aut classium struendarum deducendarumque usu nullo præditos, ut superandis fluctibus, & tenendo cursui fuerint impares. Quid? An Samothracas, vel Phœnices exspectarent, fabricandarum navium magistros, an volitantem flamine Jasonis currum; aut Phryxi Hellæque, novercales insidias per mare fugientium, aurei velleris arietem? aut Neptunum, a quo maritimum regnum, sive Portunum, à quo portum acciperent, aut denique Danaum, à quo ex Ægypto in Græciam navigare discerent illi, qui in eluvione orbis terrarum, vitata tempestate, meminerant alterum illum generis humani parentem atque reparatorem Noë, in discreta telluris ac pelagi facie, solo terrarum fluctibus immerso, fœtâ mundi seminibus arcâ, impunè circumlatum? Favet illis, quod justi Noë liberos, nepotes, ac posteros, divisis inter se terris, & variè distributis, sine navibus ac gubernandi peritiâ, ad tam remotas sive obeuntis, sive orientis solis regiones, & insulas accessisse, credi non potest, ipsâ alioqui locorum naturâ stultis eorum conatibus adversante. Ut enim stagna prætereas, lacus, & rapida immensáque fluminum, quæ & pontes respuunt, natandi solertiam eludunt; quot illa regionibus crebra concisa æstuariis loca, quot interfusis Euripis insulas, quot maria Asiam, Europam, Africam, & Indias appetentia, nostris itineribus, ceu vallum quoddam hostile sempiternum objecit, quæ nisi jam olim audax, quod idcirco appellarunt Japeti genus perrupisset, & mirabili navium & classium usu perdomuisset, non erat undè tot eximiæ fœcunditatis sola terrarum adjungeret, & navigandi peritia, sibi commercio fructúque sociaret.

Diodor. l. 5. c. 15. Cic. de Natura Deor. l. 2. Tibull. Tyro inventionem dat. Plin. l. 7. c. 56. Catullus & ejus interpretes. Euseb. l. 1. de præpar. Evan. c. 7. Tertullian. de corona milit. Ioseph Acosta l. 1. de natura novi orbis c. 16. I. Pineda Salom. prævio l. 4. c. 15. D. August. de Civit. l. 16. c. 6.

IX. Sub Noa malè statuitur Trebeta fugisse.

Quod cùm etiam Trevirorum advocatus adverteret, fidei ac pudoris securus, profugum, affirmat, Trebetam Babyloniæ regis filium, vivo etiam tum Noa, communi generis autore, à Mano pio justóque rege, cujus pater Tuisco ipsi Noë ob virtutem & æquitatem præcipuè carus fuit, facilè receptum admissúmque cum sociis, circa fines Rheni, quem Treviri, Cæsare quoque teste, attingunt,

Kyriander 1. part. 1. commentarii fol. 16.

gunt,

Temeritas facti extra S. Scripturas.

gunt, ut credatur magna ratio, ut negetur nulla suadet. Et amplius; inficias ire haud quenquam patitur, superstite Noë, cunctarum artium propagatore, navigandi, architecturæ, marisque perquam gnaro, classibus deductas esse colonias. Quod autem ad Trebetæ consecrationem, vetus id Idololatriæ autoramentum divina nobis oracula prodiderunt, cùm species istas hominum collatas in Deos, aut veterum heroum consilio narrant; quò faciliùs animos imperitorum ad Deorum cultum converterent; aut superstitione, ut essent simulachra, quæ venerantes, geniis malis gratum facerent, & mortuos quasi vivos adire se crederent, quæ quidem portenta auxerunt deinde Poëtæ, pictores, opifices. *Et hæc*, ait Sapiens, *vita fuit humanæ deceptio; quoniam aut affectui, aut regibus deservientes homines, incommunicabile nomen lapidibus aut lignis imposuerunt.*

Idololatria.

Tc. lib. 2. de Nat. Deorum.

Sap. cap. 13. & 14.

CAPUT VI.

De Trebeta & urbis conditione, censura.

SPeciosè magis, quàm verè, nisi me multa fallunt, hæc eam in partem quidem adhuc disputata sunt, quam ut concessam & exploratam, lubentes, scio, sument, tollentque philopatrides, id est, patriæ nimio plus quàm studiosi. Qui tamen si pensi nihil habebunt aliud, quàm majorum origines, quâcunque illustrari, seu opinione, seu certâ viâ, retineant, sanè per me licebit non Trebetam modò urbis suæ Conditorem; sed & Catholdum suæ civitatis principem; qui Amphitheatri primus exstructor adulteram uxorem inde dans præcipitem, egregium popularibus suis munus edidit. Retineant & Arimaspem urbis Romæ præpotentem Senatorem, cui urbis suæ infeliciter gubernacula tradiderunt, ut Eptæ rei & profugi manu, quem capitis damnarat, interiret. Hæc enim libri Gestorum fronti apta emblemata nexaque pulchrè prætenduntur. Equidem, qui in veritatis si non possessione, at vestigiis semel jam pedem posui, ne patrocinium accommodasse foro videar, facere non possum, quin illam superiorem Orationem, quam pro urbis conditore pertexui, quasi Penelopes telam ilico nunc retexam; siquidem Marco Tullio autore, nihil esse tam incredibile constat, quod non dicendo fiat probabile. Atque ut ego judicare possum de narrationibus priscorum, nihil in historia fabulosius reputo, commentis iis originum, quas affectatione vetustatis, privatim urbibus suis affinxere posteri; nihil, si quod sentio enuntiare fas est, inutilius iis literis, queis propagantur ab illis, qui longissimè à conditorum memoria & temporibus abfuerunt. Etenim M. Porcium Catonem, M. Terentium Varronem, C. Verrium Flaccum, illustrandis gentium Italicarum & urbium initiis quæsiisse laudem, haud sum nescius; Eratosthenem, Strabonem, Dionysium Halicarnassensem, & ceteros in hoc genere, studio, & diligentia laudem quoque non

I. De Trebeta Catholdo, & Arimaspe fabulosa videtur narratio.

Paradoxum initio.

mediocrem adeptos; at intra modum tamen ætatis, scriptoribus aliis haud incognitæ; & sine perverso istoc, reconditas & involutas origines confingendi, inveniendique cacoëthe. Quare, qui veteribus historiæ monumentis destituti, & ignoratione temporum ac rerum occupati, hæc se scire profitentur, quæ nisi testibus aliis didicisse potuerunt, hos necesse est, quod etiam Philastrius observavit, vetustatem eorum mentiri, quorum origines nesciunt.

Philastrius heres. de orbis divisione.

Nimirum istud est, quod Critias apud Platonem Soloni accidisse commemorat: quem, cùm excolendi ingenii, usuque rerum firmandi Ægyptum lustrans, multa cum ejus regionis sacerdotibus de sapientiæ studio, de Athenarum incunabulis, & antiquitate, contulisset, audiisse tandem, perhibet, ab iis, pueros animis esse Græcos, nec ullam antiquitate canescentem tenere disciplinam; sed ne probè quidem scire, quid antequam nati, superioribus illis sæculis, vel apud ipsos, vel apud alios, rerum accidisset. Admirante verò Solone; & quorsum ista in gentem literis cultissimam dicerentur, mox etiam percontante; tum quempiam ex iis, ubi varia, quibus abolescere gestarum rerum memoria solet, prompsisset; dixisse, quæ ab Græcis aliisque gentibus literarum præsidio custodirentur, nuper admodum scribi memoriæque mandari cœpta; atque eadem ipsa, nihilominus esse perennibus aquarum eluvionibus obnoxia; quæ statis videlicet temporum spatiis recurrentes, evastarent, atque depopularentur ad extremum omnia. Ea re, cùm posteros & literis carere, & monumentis accideret; res majorum jacere in tenebris. Quamobrem fieri etiam, ut ex illa tandem ætate, ipsi velut repuerascerent, & præteritorum temporum omnium quadam imbuerentur oblivione. Vel ea, quæ modo narrasti, Solon, aiße Ægyptium; & de Phoroneo, Niobe, ac Phaëtonte, & nescio quibus aliis; (antea quædam ille narraverat) quàm à puerilibus fabulis parum discrepant? Hæc apud Platonem Critias, in simili, quale nos versamus, argumento; quæ quidem in Treviros quàm aptè conveniant, mox apparebit.

Plato in Timæo.

II. Originum obscuritas in florentiss. quoque populis.

Sanè peregrinari eorum scriptores in ἀδήλοις; ceu regionibus ignotis, unde meritò domum reducendi sint, docebit nos Latinorum doctissimus Varro, quem tria discrimina temporum statuisse ad plurimas in historia res discutiendas, observavit de die natali scribens Censorinus; primùm quidem ab hominum principio ad Cataclysmum, quem dicunt Ogygis; inde quod ad Olympiadem usque primam cucurrit; ac denique quod ab hac effluxit, ad suam ætatem. Intervallum temporis primum, propter ignorantiam appellasse ἄδηλον; seu obscurum; at quod inter Olympiadis ineuntis ambitum, & diluvium est interjectum, Mythicon; quia in eo multa fabulosa. Historicon autem illud postremum; quod res in eo gestæ veris historiis continerentur.

III.

Veteres tempora historiarum, ad fidei cautionem, distribuerunt, in Obscurum, Mythicon, Historicon,

Atqui verò Trevirorum origines in primum intervallum cadunt, absque ullo quidem adminiculo explorandæ tam profundæ vetustatis. Et quia diluvium illud, quod, Ogyge regnante, Græciam pervastavit, memorabilem temporum rationem in se continet, nempe erit ex Varrone, Julio Africano, aliisque

IV. Trevirorum tempora obscura, ante Olympiades.

Varro apud Aug. l. 18. de Civit.

Iulius apud Eusib. l. 10. c. 3. de præpar. Iustin. in Ser. exhort. Clemens de strom.

non vetustate magis quàm religione claris, huc inferendum, mille viginti annis istud Olympiadas antegressum; quarum initium ut autores variè distrahant, ad quinquagesimum regni Oziæ, vel Azariæ, aut primum Joathan, & Africano confert Eusebius; quo tempore Isaias, Jonas, & Amos divini vates claruerunt. Ogygis ergò Cataclysmum, quem Varro in tertio, de re rustica, disertè nominat, ad Patriarchæ Jacob ætatem derivari, promptum est; si ducentos annos & quadraginta regibus Judæ; & intervallo, quod Israelitici populi egressum, & templi structuram intercipit CCCCLXXX; servituti demum, ex Eusebii sententia, centum quadraginta quatuor; & Josephi vitæ centum decem, annumeremus. Ceterùm utcunque hic temporum calculus ponatur, quem diversimodè prisci recentesque jaciunt, ab Ogyge omnis antiquitatis memoriam, tanquam à fonte deducit, Aurelio Augustino teste, M. Terentius Varro; nam is Ogygis temporibus diluvium magnũ quidem id incidisse; non maximum illud tamen affirmat humano toti generi exitiale: quod fuisse gentilium litteris putat inexploratum. Ogygis autem temporibus æqualis Inachus Rex primus Argivorum; ejusque filius Phoroneus, quem in primo Stromateo, Clemens cum vetere poëta salutat:

Olympiadũ initium. *de quo adi Ioseph. Scalig. ad Eusib. & P. Iac. Gord. tom. 1. Chron. Aug. Torn. vet. Test. hist.*

Ogygis diluvium à Noëtico diversum contigit Anno mundi circiter 2207. æt. Jacob. 69. Gor. vel 88. *V. C.*

Contius ex Eusi. in chron. Pererius in Daniel. & l. 12. in Gen. disp. 14. Lib. 18. de Civit. c. 8. Pererius in Gen. cit. disp. 8. ad Aug.

Πατέρα θνητῶν ἀνθρώπων.

& primum hominem dictum fuisse testatur. Et hujus filiam Nioben, omnium primam* mulierem Nonnus celebravit,

Phoroneus primus homo. *Eusib. in chron. ex Clem.* * parentem mortalium. Niobe. *Lib. 32.*

Κούρην ἀρχεγόνοιο Φορωνέος.

Phoronei sobolem, qui autor humani generis.

V. Trevericis scriptoribus omnia ab hoc ævo detracta monimentorum præsidia.

Enim verò, magna esset habenda Censorino gratia, qui nobis hanc de prisca historia Varronis sententiam vindicasset, nisi nostris ea res, Christianis inquam, satis fuisset explicata. Quid enim aliud hisce verbis sibi voluit Eusebius? cùm ludos Olympicos in Elide celebrari cœptos, velut insignem characterem Chronologiæ prodens: *Ab hoc*, inquit, *tempore, Græca de temporibus historia vera creditur. Nam ante hoc, ut cuique visum est, diversas sententias protulerunt.* Quod idem ex Africano, & Halicarnasseo quoque doceri potest; qui commenta Græcorum omnia de diis, jam usque ab heroicis ducta temporibus, altiùs longiusque quàm ad Inachum, Phoroneum & Ogygem, qui Patriarchæ Jacob ætatem consecuti, propagari, negant. Quin verò, ne supra Moysis quidem ætatem, proferri docet Eusebius; cùm omnia, quæ apud Græcos mirabilia narrantur, post terrigenam Cecropem, qui uno eodémque tempore, quo Moses, vixit, accidisse memoret antiquitas. Post Cecropem námque Deucalionis inundatio; Phaëtontis ruina & incendium, Proserpinæ & Europæ raptus, Cereris mysteria & Latonæ partus; Cadmus ille literarum inventor, & Indorum victor Liber pater, Hercules monstrorum domitor, Æsculapius, Minos, Orpheus, Linus, & omnes ii denique floruerunt, quorum aut gestis rebus, aut fictis, sive cantandis, sive memoriæ prodendis, fanè nimiopere indulsit Græcorum levitas. Sed adhuc nihil actum à nobis aliud, quàm, ut ea tempora, liqueret, quibus urbis Trevericæ jacta fundamenta vulgus adscribit, fabularum inanium esse plena; & gentem ingeniis, ut quæ maximè, exultam, præter anilia quædam & vanis contaminata figmentis, adeò nihil ex iis tenebris eruisse, quod memoria ac fide dignum judicaret posteritas. Ferimur igitur ad rem propiùs.

Eusib. l. 10. de præp. Evãg. c. 3. & l. 19. c. 4. Dionys. Halicar. lib. de temporibus.

Lib. 10. c. 13.

VI. Iisdē etiam privata & domestica auxilia negata. Cum author historiæ sibi non cōstet.

Gestorum Trevericæ quisquis commenta contexuit, is quidem certum testatissimumque posteris fecit, in urbis & conditoris origine vestiganda, & exemplum defuisse & autorem. Exordio quippe gravi sublimique professus maxima quæque, & ipsa antiquitate verenda; simul Orosius, suppresso nomine, adductus Nini imperium exsequutus est, mox:

Desinit in piscem mulier formosa supernè;

Et: *velut ægri*

Somnia, Finguntur species, ut nec pes, nec caput uni Reddatur formæ.

Hor. de arte Poetica.

Quid enim? non delirare sentias, qui ex Orosio mille trecentis annis ante Romam conditam Trevirim à Trebeta fundatam, quod Ninus id ætatis obtinuerit, contendat; eum ipsum his, quæ exorsus erat, vix pertextis, statim ex hac summa deducere annos quinquaginta; & Trevericam omnium in Europa gentium testari antiquissimam, Gomero videlicet Japeti filio prognatam; & ex candore corporum invenisse nomen, bellè dicit & antiquè.

Quia primùm errore chronologico peccat.

VII. Deinde Trebeta ad Gomer conditorem transit.

Sed illud displicet, quod nullo fidei-commisso, origine inversa, mox aliò transeat, & veteribus, quas scripserat mutatis tabulis, Treviros è vestigio velut in patriciam & meliorem familiam, missa Nini prosapia, cooptat. argumento satis claro, temerè vaganti nil certi fuisse reliquum, ubi insisteret, nec ducem ex omni memoria, qui in ista nocte præiret. At nunquid, ais, igitur tot anteà prolati testes, nihil ad hanc rem subsidii conferunt? qui, ut autoritatem inventi suam in fidem non transferant, inventi famam reliquêre tamen posteris: quare, veniam quoque mereantur, qui in eorum manere sententia, olim sibi licuisse putent. Res utique digna, quam ut cœpimus, excutiamus. Et de Siculo quidem illo, Trogo Pompeio, Porphyrio, in quibus magnum ipsi præsidium ponant, non laboramus. Propudium námque illud feminæ Semiramin, ut quidam volunt, Ascalonitam, inter homines extitisse, & mulierum quotquot fuerunt, erunt, quotque terra usquàm sustulit, improbissimam, non valdè quidem repugnamus: tametsi Beroso apud Josephum non desit, in quo Græcorum culpet, circa Semiramidis historiam, mendacia. Illud porrò, quid ad caussam? neque enim, quæ de Trebetæ ortu & fuga dicta sunt, ex his rebus aptè nectuntur; quod, ut illa vera sint omnia, quibus de perinviti quidem, assentiamur, ob id tamen expertia falsi hæc esse, cogi efficique nequeat.

Testimonia authorum ac testium incerta.

Ioseph. lib. 1. advers. Appionem.

Jam ad inferiores etiam si descenderes, an Mariano Scoto, vel uni ex his cuilibet, satis putes esse virium, qui rem nobis tam antiquam conficiant?

VIII. *MS. in æde S. Barthol. Francofur. unde primum excusus Marianus.*

At ne Marianus quidem, testibus accenseri potest. Prototypon quippe, ex quo omnia ejus in publicum exemplaria manarunt; Trebetæ fugam, & in Gallias adventum, haud agnoscit.

agnoscit. Quod autem in marginem istic recentis scripturæ de conditu civitatis excurrit, furtivæ manus, meo quidem sensu, clarissimum est vestigium. Id quod, cùm in Francofurtensi scripto codice, studiosiùs olim observassem, ilicò depulsam illam sensi quamcunque testimonii religionem, quam libri malè sani hactenus objecerant. At enim, inquiunt, dissimulari à me versum illum vulgò notissimum, qui vel Mariano tacente, pro ipsis loquatur:

Mariani testimonium abjicitur.

Ante Romā Treviris stetit annis mille trecentis.

Sed ignorare ipsi unà mecum haud debent, trivialis usus eum esse versiculum, quem ne dissimulasse coarguar, etiam in laudem verto: Treviros quippe, ante exaudita in Galliis Romanorum arma, longè omnium apud Rheni limitem, constitit olim, fuisse celeberrimos.

Treviri cur habiti antiquissimi.

IX. Accidisse igitur potuit idem iis, quod Arcadibus; qui in negotiis capessendis, cùm parum ad neomenias aut plenilunia, & temporum notationem, more ceterorum attenderent, & à vicinis eam ob rem προσέληνοι, seu antelunes audirent, laudem ipsi non dubitarunt invidiâ probroque, ducere potiorem, & antiquiorem etiam sidere, gloriari, habere se gentem. Quod simplicis ambitionis genus in antiquitatis certamine, Helvetiorum gens & bellicosa, & persanè vetusta complexa videtur, in Soloduri, amœni ad Arolam amnem oppidi sui laudibus, cùm pro honorifico ducat, post Treveros unum id ferre secundas, vulgato disticho:

Arcadum vetustas. Aristoph. in avibus. Lucianus de astrologia.

Solodurum in Helvetiis antiquitate par Treviris existimatur.

In Celtis nihil est Soliduro antiquius, unis
Exceptis Treviris, quorum ego dicta soror.

X. Venio ad ceteros, qui ante annos quadringentos plus minus ætatem egerunt, quos tamen mutuam à Trevirensibus aut exorasse, aut sumpsisse testimonii fidem, vel propria ipsorum confessione, satis testatum putes. Quamquam, qui propiùs ab hac ætate nostra abfuerint, remotissimam memoriam, in his ingenii humani angustiis, in qua tam multa sæcula hominum tenentur, quemadmodum referre aut consequi tandem potuerint, prorsus non video. Cùm unis divinis exceptis literis, quæ tamen singulari consilio nutuque Dei conservantur, veterum monumentorum scriptorum nihil usquam, ab Abrahami ætate ad nos sincerum sanumque manasse, omnium summa sit consensio. Ecquid igitur ad urbis Trevirorum eruenda incunabula satis idoneos arbitremur, vel Ottonem, vel Sigebertum, vel Marianum, aut etiam Urspergensem Abbatem, aut Godefridum Viterbiensem, vel talium quemlibet unum? Otto certè Frisingensis Episcopus qui reliquis omnibus accuratiùs, de hac fabulosa, ut mihi quidem videtur, Trevirorum origine perscripsit libenter & sponte, non ut sua possidere, sed ut aliena hæc libare profitetur; atque Trevirenses, ita nempe ac dicturus sit, tradere confirmat.

Ceterorum etiā testium fides excussa fractáque.

XI. Inde ad memorandum urbis antiquæ quædam vestigia dilapsus, antequam pervagatos illos, & notissimos, de Trebeta, versus exprimit; *Extant*, inquit, *etiam ibi antiqua nobilitatis, ut ipsi aiunt, monumentorum insignia; è quibus nostris ibi temporibus repertum, & in lapide sculptum, infrà posuimus Epitaphium.* At verò scriptor Trevericus, fidémne adjungat Ottoni, an potius ab eo tota mente animoque diversus eat, difficile non est judicatu. *Hero, aut fortè Hiero*, inquit, *ut ad veterem quempiam tyrannum fabula alludat, patris sui Trebetæ merita tabulæ marmoreæ inscripsit, quam ad eius memoriam pariter, & futurorum notitiam, cum eo recondidit, ad instar huiuscemodi.* Sic ille. Epigramma semel jam recitatum à nobis est; cujus si venam sanguinémque diligentiùs etiam pertentes; neque succum habere, neque colorem, mox deprehendas. Ubi enim hæc illa, quæ commemorat, Trebetæ merita? An verò tam obesæ naris posterorum futurum putabimus quenquam, cui Latini sermonis usum cum imperio demum Latino, in Gallias serò demigrasse, non suboleret? Sed esto, ex illa veterum Latii Colonorum prole, non nemini posteris gratulari suis cupienti, ejusmodi aliquid de majoribus confingere in mentem venerit; ipsiusque memoriam Trebetæ ad posteritatis gratiam exquisitis hisce laudibus attollere; is tam imperitè, tamque insulsè numeros concinnarit, & versus tam inficetos malosque fecerit? At verba nimirum hæc (ad instar hujuscemodi) nihil video: si non ostendo prodere, & ipsum arguere manifestè autorem, cum tabulæ inscriptionem, literis puta, tot sæculorum ætatibus inductis, & exoletis, haud forsitan assequutus, vetera continuò permutavit novis tanquam testamenta codicillis; nec obscurè significari, eosdem versus nequaquam ab ipsis inscriptos Assyriis, sed à quopiam Poëta sui temporis an versificatore, ingeniosè excogitatos.

Lib. 1. c. 8. Epitaphium Trebetæ latio esse scriptum ser-

mone non potuit; cùm latina lingua ignoraretur.

XII. Porrò Urspergensis, & Viterbius, cùm in eadem hac fluctuant navi, neque usquam ab Gestorum Trevericorum versibus, non magis quàm à sacro, solemnique carmine discedant; credo molesti nobis non erunt, ubi nostram illam soluta compage illisam in scopulos, huc & illuc incertam jactari, neque ubi consistat, invenire locum, aspexerint. De Sigeberto quid memorem? cui ob ætatem ne de nomine quidem sat probè notus Trebeta?

Urspergensis & Viterbius pariter fluctuant.

Ut & Sigebertus.

XIII. Jam verò denique ut Trebetam ex Babylonia evolasse, & aliquò cupiisse pervenire, concedamus, ubi nec Pelopidarum, ut ita loquar, nomen, nec facta, audiret; sed & classe, maritimisque rebus tantum valuisse, ut ventorum se procellis & tempestatibus objiceret; quis tamen esse illo tam rudi sæculo tantus maritimarum rerum potuit usus; quæque ad tantam vim perferendam & contumeliam undarum, ullæ suppeterent tam magnæ vires, vagis præsertim & extorribus? Omitto hujus navigationis tot cœcas ambages, brevia, syrtes, & alia sexcenta, quæ incerta vitæ, & appellendi ad quas vellent, oras, spe, errantes, manerent quovis puncto temporis. Qui de priscorum artibus navigandi diligentiùs inquisierunt, nullam iis aliam nisi ex siderum observatione cursus certitudinem, ignoto præsertim pelago, fuisse contendunt. Quare nubilo conditis astris, cursu incerto plerunque errasse, nisi nota aliàs prope loca proretarum indicio, sese in conspectum darent. Usitatum proinde, gentium quoque cultioribus id

Navigandi peritia eo tempore rara. Ioseph. Acosta l. 1. de nat. novi orbis.

Levin. Lem. l b. 3. c. 4. Ioseph. Acosta lib. cit. c. 16. 18. 19. Lucret. l. 6. Plin. l. 7. c. 56. & alii.

navigandi fuisse genus, quo remigio fermè rem gerebant, & oras plerunque terrarum vicinas legebant, vastissimi maris fluctibus, nisi tempestatum vi aut naufragiis coacti, raro se committentes. Inde, ubi ars periculis & usu confirmata, animos addidit, longinquiora quidem petita littora, at naves Oceanum tamen, quam vastus est, nunquam permeasse. Ergo inter anfractus mediterranei maris, Persici & Arabici sinus, cohibitam artem. Usum quippe magnetis, ad Helicen & clarissimos Septentriones inclinantis, aut pyxidis nauticæ, seu acus maritimæ, quicquid de Versoria Plauti censeant nonnulli, saltem ante Salomonis ævum veteribus incompertum; quo dempto, peritissimorum sententia, tam fieri non posse, ut noris quò certo cursum dirigas, quàm ut oculis captus in monte procul posito quid jaceat, emineatque designes. Ac ut Homerus in Ulixis vago maris cursu, Lothophagos, Cyclopum insulam, Æoli ventos, Circeum littus, Scyllam & Charybdim freti Siculi famosa portenta canit, ob incertos navigandi casus, ita Virgilius profecto, in Æneæ præstantissimi manu consilioque duci, quantula maris mediterranei superanda navigatione, quot errores, etiam sub Palinuro haud imperito gubernatore, quot per undas & maria toto septennio adita commemorat pericula, etsi lenocinio quidem artis, at morum tamen & ætatis ejus haud obscuris involucris? Unde in Siculo litore fessas diutina jactatione Trojanorum matronas, Iris per Beroen sic alloquitur:

Septima post Trojæ excidium jam vertitur æstas,
Cum freta, cũ terras omnes, tot inhospita saxa,
Sideraq. emensæ ferimur: dum per mare magnum
Italiã sequimur fugientem, & volvimur undis.

Nec tuto satis sese præsidio communiunt, qui ex Noëtico cursu, quem numinis superni potius aura, quam ars humana rexit, peritiam colligunt navigandi; cum ipse gubernator cœcum intra alveum inclusus, nubibus desuper cum imbre ruentibus, vix ante telluris cœlique conspectum obtinuerit, quam ardor illius periculi deflagrasset. Unde probatissimorum quoque scriptorum ea sententia mansit, postquam carum id Deo caput in Armeniæ montibus, ipsa cum arca placide consedit a tumultu illo cœli ac telluris; tam parum primis hominibus inde ad rei maritimæ usum accidisse commodi, ut antiquissimas populorum migrationes, non mari & classe, sed terra pedibusque susceptas, iis planum & expeditum videatur. Scitum de aurea ætate illud Poetæ:

Nullaque mortales præter sua littora norant.

Et alius item eleganter

Quàm bene, Saturno vivebant rege, prius, quàm
Tellus in longas est patefacta vias.
Nondum cæruleas pinus contempserat undas;
Effusum ventis præbueratque sinum.
Nec vagus ignotis repetens compendia terris,
Presserat externa navita merce ratem.

Hinc adeò ridiculo commento extitere, qui generis nostri principi Adamo, cum multo maximi gigantis proceritatem affingerent, eum Paradiso extorrem, id maris spatium pedibus transmisisse fabulati sunt, quod inter Paradisum & hunc habitabilem orbem interfusum fuisse credebant, ut observavit ad Genesin Benedictus Pererius. Sed oblitus pænè eram liberalitatis, quâ jam ante cum iis, qui diversa sentirent, uti videbar; cum dabam in antiquissimis illis gentium migrationibus, nonnullam claruisse rei maritimæ scientiam.

XIV. Trebetæ peregrini & maris legibus adversi cursus.

At Trebetæ navigationem, & errores, si quis tamen attentiùs secum consideret, desipiat oportet, ni paululum ab assensu sese sustineat. Quæso te, Trebeta classene invectus Rheni fluminis ostia, adverso, atque obnitente amne, Treverim versus, tandem ex diutina illa nausea, & jactatione eluctatus est? Itane verò Euphratem transgressus, alicubi apud mediterranei maris oram profugus materia classi instruendæ parata, & fabrum navalium turba, & commeatu circumfluens necessario; sævo furentique pelago se credidit? Jam, vide etiam, quibus Aquilonibus raptus, aut qua ventorum contentione, hæc tam dissita & ignota percurrerit maria, ut vel ipsa itinerum immensitas, & insolentia cursus profectionem eam faciant incredibilem. Cretam, Siciliam, Sardiniamque & Baleares est prætervectus; audacter inde Gaditani freti angustias præcidit, ut tandem ex altera parte vastissimum rursus in æquor, quod Atlanticum prisci dixerunt, evaderet. Porrò hinc præter Hispaniam, Galliasque, Cantabricis & Britannicis fluctibus superatis, in Germaniæ Oceanum feliciter extendit cursum, atque ita adversis amnibus, Trevirim denique navibus pervenit. At, si sedes quærendi voluntas prudentem impulit; cur saluberrimo cœlo, & fructuum omnigenarum copia, & fertilitate nobiles, laudatasque provincias præteriit? cur maris oportunitates, & blandissimas regionum aliarum amœnitates neglexit? Sin vagus & errabundus fortunam, temeritatemque secutus est; quod pretium tanti cursus? aut quid eum coëgit per tot ærumnas & pericula longinquam rimari sortitionem unius provinciæ, non laudatissimæ?

XV. Navigationis indices incerti.

Etsi intelligi vix quoque potest, qui sine certo cursu ac ratione navigandi, ex mediterraneo in Oceanum pervenerit, tantoque regionum & littorum circuitu Mosellam denique sine naufragio tenuerit. *Scio*, ut canit Aratus, *Graiis Helicen dedisse cursum, maioribus astris Phœnicas Cynosuram rexisse, Artanum ventos quoque facere navigationis duces semper instabiles; alios volatus avium sequi, suadere. At, ubi nox astra condit, & Plaustri silent minuscula stellæ, flantque & reflant, & in orbem agunt te iidem venti, nec volucres tibi faustæ sunt, denique omnium per quas feraris ignarus viarum agis, quis eius cursus non auguretur*, ut Q. Curtius loquitur, *ancipitem & cæcam æstimationem?* Sed neque pedibus an navigio peregrinationem illam Trebeta confecerit, satis inter domesticos & exteros convenit; nostris internum superasse mare, cetera pedestri itinere adiisse loca; externis classe per Rhenum etiam advectum, memoriæ prodentibus.

XVI. Gestor. Trevir. inconstantia.

Atque haud scio, an opinationibus his tam ridiculis & popularibus excutiendis ulla debeatur opera; cùm in magna vetustatis obscuritate, & historiarum ignoratione, annales domestici persæpe vacillent; & ceu certum & exploratum habeant nihil, sic ambiguè lo-

quantur

Marginal notes: Tostat. l. 10. c. 14. a l Vitruvium. — Plautus in Mer. Sce. 5. Scriptorei a I. Pineda in Salom. prav. citat. l. 4. c. 15. n. 4. — 9. Odyssea & seq. — Æneidos lib. 5. — Genes. c. 8. Cap. 14. c. ... — Neque ex ... id ... argumentum petit ... — Tibull. eleg. 1. lib. 1. — Saturnus quibusdam ... Nimrod ... alii ... Belus, ... Latii regnavit ... Ludovicus ... Adam ... Mare transmiserit. — Lib. 4. in Genes. § 3. — I. Pineda Salomon prav. l. 4. c. 15. n. 5.

Conjectura, cur cum Nino & Semiramide origo Trevirorum permista. Belus Nemrod Nini pater. *Hieronym. Eusebius.* Bel, Baal, Beelzebub, Beelphegor, idola. *Lib. 3. c. 4.* Jovis Beli templum, sepulchrũ. *Lib. 1. & 3. contra Iulian.* Idololatria post diluvium. Belgæ à Bel & Belo. Fabularum proclive.

quantur, tanquam permanendum in una sententia, prorsus dissuadeant. Equidem, ut in his originum integumentis aliquid evolvam & explicem: probabile existimo, rerum Trevereniium scriptores, cùm gentis incunabula versarent, ante oculos habuisse Belum conditorem, qui priscis Nemrodus, & Nini pater fuisse traditur, Jovísque Beli divino, sed falso cultu celebratus. Ab hoc Idolis tritum apud Orientis populos Beli, ceu Dominatoris, nomen obvenit. Narratque Diodorus, Semiramin Nini filii uxorem Jovi Belo magnificum extruxisse fanum, & Mausoleum ejus ad stadii altitudinem ibi condidisse Strabo commeminit. Et qui post diluvium cum Cyrillo Idololatriam cœpisse volunt, ab hoc Belo Nini parente, superstitionis primordia deducunt. Treviris itaque hæc quæsita gratia, & originis commendatio videtur ceu Belgarum principibus, qui cum à Belo sanguinem traxisse visi, eadem opera, in Nini, Semiramis, & si placet, Trebetæ stirpem descenderunt. Nec mirum, scriptores hos, tanquam Phemii Citharœdi vestigiis insistentes, de Trebeta ejusmodi nonnulla commentos, qualia ipse apud Penelopes procos de Heroum erroribus ab Homero cecinisse fingitur, quos ab Ilio profectos improspera navigatio variis sparserat exiliis; non inquam mirum id vel inusitatum haberi debet; cum B. Hieronymus locuples nobis testis, ne hagiographa quidem ab hac potuisse licentia vindicari. Etenim suo tempore scribit, historiam Esther publicè lectam tractatamque tam laciniosis verborum finibus, ut ea addita fuerint, quæ ex tempore dici possent & audiri, sicut solet in Scholasticis exercitationibus, sumpto themate excogitari, quibus verbis uti potuerit, qui injuriam passus sit, vel qui injuriam fecerit.

Præfat. ad Esther. Esther edita fabulosa translatio.

XVII. Treviri à Dite prognati. *Ex lib. 6. Cæs. de bello Gallico. Cic. 3. de nat. Deorum.* De Dite hic universè, alioqui Ditis nomine Mercurium intelligunt, etiam eruditi. *de quo hic cap. 10.* *Lib. 2. de nat. Deorum. B. Aug. l. 7. de Civit. c. 16. & 2.* *Lib. 1. de falsa relig. c. 14. Lac. 3. de nat. Deorum. Lib. 4. de lingua Lat.*

Et vide jam etiam eodem verborum contextu in hisce scriptoribus manifesta immemoris ingenii signa; nam quasi Assyriorum jam tempora prætervolassent, aliquanto progressi spatio, Treberi, aiunt, sicut & omnes Galli, ab Dite patre se prognatos prædicabant; idque à Druidibus proditum dicebant. Ita fit nimirum, ut malè stabilita re, ceteræ continuò partes omnes, quæ sunt annexæ, vitium faciant. Cujusmodi igitur est, quod Ditem gentis suæ principem antiquitus celebrabant Treviri? An Ditem aliquem Mercurium antiquissimi Celtarum ab hominibus pervenisse putarunt ad Deos: nam hujus nominis facilè quinque genealogias temporibus Heroicis adscribunt. An potius verò Ditis nomine Terram accipiunt. Nempe, quia terrigenæ: siquidem terrena vis omnis, atque natura, ut tradidit Cicero, Diti patri dedicata fuit, qui Dis & apud Græcos Πλούτων; quia & recidant omnia in terras, & oriantur è terris. Sed & Hesiodo inter Cœli & Terræ filios Chronos, qui Latinis Saturnus, quia se saturat annis: vel quia longinquitas temporis quicquid gignit, ipsa consumit. Verùm Ope, & Saturno geminos esse natos, Plutonem & Glaucam, ex Ennii sacra historia de stirpe Jovis disserens præclarè docet Lactantius. Et facit illuc, ut mea quidem est sententia, Cotta quoque Tullianus: Ops enim, ut M. Terentius Varro disserit, Terra dicitur, quod hic omne opus; & hâc opus ad vivendum: & idcirco dici quoque Matrem, quòd nutriat. Hæc enim, ut ait ille, *terris genteis omneis peperit, & resumit omneis.* Neque de nihilo, ut Romani Vestam, quæ & Opis, sic olim Germani in commune Herthum, id est, Terram Matrem colebant; eamque intervenire rebus hominum, invehi populis, arbitrabantur. Siquidem locata in media mundi sede, & undique ipsa in sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus: distincta fluminum & marium, riparum, littorum amœnitatibus, sed opere hominum, tam nobilibus urbibus tectísque collucens, divinæ naturæ quasi speciem quandam imperitis adumbrare videbatur.

Tacitus de moribus German. Herthum Terra cur Dea? *Cic. l. 2. de nat. Deorum. Aug. de civit. l. 7. c. 23. 24.* *August. de Civit. l. 7. c. 23. & 24.*

XVIII. An ex terra Treviri geniti? *Sapient. 14. cap. Cic. l. 3. de natura Deorum.*

Si igitur Dite Patre natos ipsi volunt Treviros, idem quod è terra extitisse cum Anthæo; aut Terræ sanè nepotes dixerint; quæ profectò communis omnium mortalium origo est; aut, si, quæ verissima majorum nostrorum opinio de diis fuit, & homines eos jam morte deletos, & factis inclitos, quorum memoria honore Deorum immortalium virtutis augendæ gratia consecrata fuisse placet, Saturno erit Treverica soboles longè posterior; neque ad Nini stirpem illa poterit unquam aspirare: Saturno, inquam, illo, qui ut Cœlum patrem execuisse, sic à Jove pulsus in Latium venisse in fabulis traditur: ubi post eum filius regnavit Picus; inde nepos Faunus, quem B. Augustinus primum, ait, avo Saturno nefaria sacra instituisse, & Sentam Faunam sororem & conjugem unà consecrasse. Ceterum ab Ænea Anchisæ apud Lavinium, eversâ demum Troia, regnari cœptum: & centum ac quinquaginta annos jam ante Æneæ adventum in Latii regno simul exegerant aureorum sæculorum suppares Janus, Saturnus, Picus, Faunus, & Latinus. At verò ab ortu Moysis ad Ilii usque excidium, amplius longè tria fluxêre sæcula. Quare, cùm, ut ante demonstravimus, & Ninus ætate Mosen superet, & Mose sit recentior omnis Græcorum de diis conficta superstitio, sanè consequens est, ut Trevirorum Annales sive Ditis patris nomine Tellurem, sive instituto Celtarum, Hermen aut Mercurium accipiant, in urbis origine tradenda lubrici sint, illudque modò veterum fama sermónibusque persuadeant, Trevericam & gentem & urbem, ante Romanorum illata arma, dudum in Galliæ Germaniæque confinio, principum Regumque imperiis, & reipublicæ magnitudine & opibus, stetisse jam tum florentissimam; ejusque rei pertenuem memoriam, nec satis claram posteris, præsertim advenis, suppetiisse.

Saturni plures. *Virg. 8. Æneidos. Aug. de Civit. l. 18. c. 15. Livius l. 1. & Dionys. Halicarnass. l. 1. Rom. antiquit.* *Euseb. in Chron. ubi Cecrops Mosi æqualis, à quo usque ad Troiam captam 375. anni.* De Trevirorum conditore nostras Consule in fine Notas ad hoc caput.

CAPUT VII.

Celtarum & Galatarum nomine quæ olim nationes comprehensæ, & in iis extiterintne Treviri.

VEreor, ut præcipitem in locum deinceps se committat oratio, quæ res eas in unius conjectas capitis angustias tractandas suscipit,

quæ sermone quamlibet fuso copiosoque defensæ, difficillimos retinerent tamen explicatus. Neque interim hæc tam à nobis persuadendi spe, quam eximendi ex animis hominum absurdas & incommodas opiniones, quæsita disputatio. Faciliùs enim longè quidem hic est aliena improbare, quàm omnia, ut de ceterarum gentium, ita de Trevirorum origine certa facere. Et verò, ut magnorum fluminum, sic gentium ac validarum nationum, ortus propemodum ignoti atque lapsus. Danubio omnium Europæ fluviorum maximo, quid apud veteres fama literisque celebratius: quid Romanorum stationibus præsidiisque cultius? At Strabo tametsi fontes ejus Tiberio visos affirmet, senescente tamen imperio Romano, ac veteri titubante potentia, omnibus longè lateque perdomitis, Ausonius adhuc cecinit;

I. Investigationis hujus difficultas proponitur, à simili.

Strabo l. 7.

Auson. in Mosella edyllio.

Fontem Latiis ignotum annalibus Istri:

quo ad res, tot annorum occultata spatiis, Valentiniani & Gratiani armis victoriisque detecta, serò denique est ab eodem poëta prodita versibus. Quid admirabilius Nilo? quid pervagatius ejus auctu, & fertilitate, scriptorum monumentis? at ejus ortum frustra pervestigatum ab antiquis quis crederet, nisi hoc demum nostrum, peregrinarum rerum juxta cupidissimum, ac eruditum periculis sæculum, fontes ejus deprehendisset? *Quæ tibi*, inquiebat ille, *noscendi Nilum Romane cupido?* Atque hæc tamen ejusmodi erant, quæ oculorum consuetudine teneri, & usu rerum disci, cognoscique poterant. Quid autem facias illis, quorum ut perpetuis casibus rerumque conversionibus vis omnis consumpta vanescit; sic ad eorum memoriam retinendam vix ullum simulachrum, aut impressum hodie cernas vestigium? Quò mihi timidiùs ingrediendum ad hoc genus disputandi, in quo non Academicorum more brevibus illis & acutè conclusis, sed progressu lentiore, seu Thesei fili ductu, Labyrinthus quidam est superandus. Ut ergo possimus aliquando, qui, & ubi, extiterint antiqui illi priscique Treviri, vel per obscuram imaginem agnoscere, omniumque quæ dicturi sumus, ut hoc argumentum fert, explorata principia ponere; sumptionibus quibusdam ceu gradibus, institutus sermo firmandus.

Epigrāmate 9. Herodotus l. 2. Euterpe & 4. Malpomene. Plin. Solin. Lucan 10. Trifsal. hist. Ind. l. 1. Maffeius. Vicomercatus in meteor. Joseph. Acosta l. 1. de natura novi orbis. c. 9. & l. 2. c. 4.

Reperio apud gravissimos, & optimos quosque veteris excolendæ memoriæ magistros, quibus ad veram populorum originem perveniatur, tres ferè vias commonstrari atque rationes; quarum una quidem in idioma gentis, sive linguam, instituta, mores, & leges intendat; altera probati cujuspiam scriptoris perquirat testimonium: postrema denique omnibus nervis atque vestigiis, relicta à populis in prisca sua sede monumenta indaget; omnesque locorum situs, affectiones, atque naturas perquàm studiosè, & diligenter exploret. Nimirum enim, sic Plinius Celticos à Celtiberis ex Lusitania advenisse; sacris, lingua, oppidorum vocabulis, fieri manifestum putat; & Cæsar, Belgarum complures in Britanniam transisse; quod omnes fere iis nominibus civitatum appellarentur, quibus orti ex civitatibus eò pervenerant, appositè sanè confirmat. Ad extremum, in Corsica Ligures olim consedisse & Hispanos, ex similitudine ritus docet Seneca: *Eadem*, inquiens, *tegumenta capitum ipsis, idémque genus calceamenti, quod Cantabris, esse; & verba quadam.* Denique vicinum Britannis solum, coluisse Gallos; superstitionum persuasione, & sermone haud multum diverso Britannorum à Gallico, credibile fit Tacito.

II. Hypotheses quæstionis. I. Hypothesis certâ viâ ac ratione gentium origines vestigari.

Nat. hist. l. 3. c. 1.

Cæsar lib. 5. bel. Gall.

Senec. ad Helviam matrem de consolat.

Tacit. in vita Agricola.

Id porro fixum sedeat oportet, exploranti populorum ac gentium primordia; non istuc operæ suscipi scilicet, ut omnium origines gentium ad ἓν & unitatem revocet quandam, & velut ex peripheria, ac latitudine sua, retrahat populos, in unius stirpem gentis eos, ceu lineas cogens in centrum: id enim confundere esset, non explicare nationes. Quare nec de ultimis omninò ac remotissimis sedium incunabulis, sed citimis, & litera scriptoque testatis, in historia fit dijudicatio: alioqui bono veterique ritu, jurent sibi non liquere critici; cùm positis ubiubi sedibus, adhuc ultra quod sumatur invenias; prolapsus in unam originem, & tanquam humani generis fontem. Quibus ita positis, aliud quiddam assumendum est; fuisse tempus scilicet, cùm Celtarum, Gallorum, Germanorum, Galatarum vocibus subjecta notio esset eadem; populosque & immensas, ultra citraque Rhenum, introrsum extrorsumque, nationes, usu atque vi sua comprehenderet. Quod ita peranguste refertum in oratione, dilatandum est.

III. Originis investigandæ certi fines, ne in infinitũ lis exeat.

II. Hypothesis Celtas, Gallos, Germanos, Galatas, sub una cõfusos notione.

Principio quidem horum nominum veras reperire notationes, in tanta tradentium dissimilitudine, opus arduum illud equidem, & perdifficile statuo. Cùm enim hæ voces ab exterisne manarint, an ab ipsis, qui possederunt, profectæ populis sint, neque satis per se liqueat, neque ab archæologis adhuc ostensum sit; haud tritam ullam sanè viam, quà perveniatur ad ea, quæ inquirimus, aspicio. Nam quod aliis ipsi inter se populi, atque nationes appellitent sæpe nominibus, atque peregrini solent, quis tam alienus usui rerum communium est, qui nesciat? Gentium, quod Septentrionem antiquitus incolebat, vetustissimi Græcorum, aut Nomadas, aut Scythas, vel Celtoscythas appellitabant; quibus nominibus ipsas inter se gentes mutuo salutasse, quis affirmet? Græcorum nomine Graiæ nationes illæ potissimum gaudebant, quæ antiquam Hellada juxta fontes Acheloi, & Dodonæum oraculum, Thessaliæ regionibus incoluère: nec tamen universæ nationi aliud impertiebatur quondam à Romanis, quam vetus illud Græcorum; quod incolæ jam tum in Hellenas mutatum fuisse, malebant. Sic Italiæ populi à Græcis, Hesperii; & Africani, Lybies dicebantur: quod Itali tamen Afrique pariter, citra injuriam omnem recusarent. Hinc illa Latina Siren, Æneæ tempora retro spectans:

IV. Etyma gentium ab ipsis, an ab aliis manarint, incertum.

Strabo lib. 1. & 2.

Isac. antiq. l. 5. c. 9.

Nomades Scythæ, Celtoscythæ.

Graii.

Arist. 1. Meteor. c. 4. Strabo l. 7. c. 9.

Strabo, Mela, [illegible] &c.

Hesperii. Lybica.

Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt.
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ.
Oenotrii coluère viri, nunc fama, minores
Italiam dixisse.

Æneid. l. 3.

Et quis verò ab extremis hominum, & orbe toto divisis Japoniis, illud accipiat, *Cengecu*, quo illi Europæos scilicet nomine notant? Quis contra nobilissimæ Americæ cuidam

Cengecu

[illegible] & hist. l. 16.

Ioseph. Acosta P. l. 1. c. 13. Benedict. Ar. Monta. praf. in Phaleg.

provinciæ, orbe novo, *Peru* vocabulum indidit, quod hodieque ignorant indigenæ, nisi doceant Hispani inventores, aut his fortè vetustiores Hebræi, qui ex voce Hebræa *Paruaim*, Salomoni classe terras illas aditas fuisse, contendunt.

V. Franci celebres apud Abyssinos.

Sic item Æthiopes Abyssini, virtutis gloriæque veterum Francorum memores, Latium omne nomen vertere dicuntur in Francicum. Quid, quod plures, hac ætate nostra, existunt, quos cùm suæ pudet vel originis vel accessionis; posterorum rejectis, nominibus veterum gloriantur? Neque enim facilè tute impetres a bellicosis & cultissimis quibusdam populis, ut regionum omisso, Gothicum, Wandalicum, Suevicum, Longobardicum, aut gentile quodvis à majoribus arripiant. Atque ut externa mittamus, Francicum Gallicumque nomen, quicquid cis Rhenum proximè ripas accolit, prorsus jam, licet immeritò, aspernatur & repudiat.

VI. Celtæ an à Celete dicti. Bodin. meth. hist. c. 9. Eustath. ἵππῳ ἄζυγι. Suid. Κέλης ὁ μόνος ἵππος. Iudocus Willichius, aliiq. Germanici scriptores in Tacitum. An à Germ. Gelten. ob claritudinem. a Strabo, l. 4. b In Illyrica. An à Celto. c Ammianus lib. 15. An ab Aborig. Galatæ an à lacte sic appellati. d Hieron. in præfat. ad Galatas in Lactant.

Quæ si ita sunt, ut esse nemo ambigit, facile promptumque est intelligere, quàm conjecturis malè firmis insistant ii, qui, quod Aristophani & Homero κελητίζειν, & κελητιᾶν, equo sit desultorio vehi, iccirco Celtarum vacabulum à Celete, quod equum signat singularem, certò putant deduci; quia gens illa equitatu olim permultum valuerit. Multo minus assequi videntur, qui ad Germanicam vocem, *Gelten*, confugiunt, quam Narbonensem populum cæteris Gallis præstitisse, atque ante omne fuisse; nec non διὰ τὴν ἐπιφάνειαν nomen suum accommodasse reliquis [a] Strabo sensisse visus sit. Neque id, quod [b] Appianus Alexandrinus à Celto Polyphemi filio genti venisse nomen tradit, extra omnem est quæstionem. Similiter, quod [c] Ammianus Timagenem secutus, nomen idem, ad nescio quos rejicit Aborigines. Et sanè Galatarum eadem causa. Hos namque si à lacteo candore ita dictos pugnabis; sententiæ neque [d] Lactantius, nec Isidorus aberunt patroni. Sin à regis cujuspiam matre, qui meritorum præstantia id consecutus sit, maternum uti nomen posteritas adsciseeret; nunquid adstipulabitur Timagenes quispiam, vel Ammianus? Jam, si porro à Gallo Polyphemi Cyclopis filio, aut à Galata Hercule procreato derivare adlubescit, huc scilicet actutum unà tecum transferent calculum [e] Appianus & Diodorus Siculus. De Gallorum notione, quam cum Galatis eam confundant Siculus, & recentiores plerique: tradantque ex Gallatia literis aliquot interceptis, factum Gallia, idem quod de superioribus esto judicium. Enimverò, ex Ethicis Stephani claret, contra, Galatas à Gallis, una repudiata litera, profluxisse.

An à Gallata Regina. Locu citatu. An à Gallo vel Galata Herculis F. App. in Syriaca. Diod. Sic. l. 5. antiq. c. 9. An à Gallis populis. Stepha. ἐθνικῶν de urbibus.

VII. Germanorũ etymol. multiplex. Æneas Syl. Europ. Irenicus l. 2. c. 46. Et Althamer. ad Tac. Iust. Lip. ad Tacit. Goropius antiq. Antverp.

De Germanis autem quid dicam; cujus vocis interpretatio ut à fingentibus cera, sic in mille figuras formasque subinde commutata, huc atque illuc conjectura atque divinatione trahitur? aliis quòd minimè tectos alat, sed sinceros homines, quos Græce γνησίους; aliis a nationis fœcunditate, ceu germinans illa natio populorum quandam vim fundat & procreet; aliis denique contendentibus quasi immania portet, gerátve, nuncupatam. Quibus autem ad vernacula confugere potius visum, hi Germanos seu à Gerra, bellaces; seu prorsus viros, voce distorta; seu ab honorata militia: seu quòd inter se ut fratres planè sint; seu denique quod prædis assueti, vitam in armis omnem traducerent, ita confirmant appellatos. Fuerunt etiam quibus arcana sacræ linguæ rimari placuit; ac, præeunte Chaldæo interprete, ex his Ezech. Proph. verbis: *domus Thogorma latera Aquilonis*: è voce Thogorma abjecto Tau, & quarta vocali in secundam conversa, Germanos effecêre. Mirificam Hebrææ vocis antiquitatem *Thogorma*, quod LXX. interpretibus Θεργαμά, nomen est uni filiorum Gomeri, quem osseum vel robustum verbo reddunt, utque Tygranæos & Phryges inde multi derivant, ita Hebræorum schola Thogormæ feri bello populi posteros, Turcas accipit, & eodem gentis originem accersit. Verùm, si res vocum potest affinitate confici, multò sanè, meo judicio, solertius ab Indis usque ex Megasthene, Γερμάνας philosophorum genus, vel Carmania, gentis originem repetas. Tacitum & Strabonem in alium mihi locum reservo; quòd hisce conjecturis, an ineptiis, gentem scriptorum veterem & gravem non putem admiscendam.

Gerra seu Guerra, bellũ. --- Gar Mann. Geehrt-mann. --- Gar mein. Iunius in Batavia, & Suffridus Petri in Phrisia. Goropius in antiq. Antverp. Chald. interp. ad c. 27. c. 38. Interp. Heb. & Chald. nom. Adpar. Bibli. Bene. Ar. in Phal. Strabo 15. Plin. l. 7. c. 34. Ptolem. l. 6.

VIII. Etyma Gẽtilitia dubiam habent interpretationem.

Cæterum ex iis, quæ jam diximus, obscurum esse nemini potest, & è vocum cognatione, ac similitudine, levissimum sanè trahi argumentum, & nominum eorum, quæ allata sunt, notationem, iis circumdatam tenebris, ut quisquis eam eruere se posse confidit, efficiat nihil, nisi ut magno labore, fructu nullo, prudentiæ opinionem amittat, nemini interim sano, quod vult, persuadeat. Deinceps igitur id, quod instituimus, exædificemus.

IX. Celtæ suis finibus descripti.

Ac Celtas quidem, gentes eas omnes priscos appellasse, quæ Pyrenæis jugis, & Gratiis, Peninis, atque Cottiis alpibus inclusæ; adhæc cinctæ mediterraneo mari, Aquitanico, Britannico, & parte Germanici, Bohemiam versus, magnæque Germaniæ fines extremos, Danubium & Rhenum accoluêre, satis in veteri historia obvium est. [f] Porrò nomen Celtarum, quod uno verbo Galliam Germaniamque complectebatur, progressione quadam, & gradu volunt in Colonias venisse Galliarum; donatumque civitate tandem sic existimant, ut primò quidem Gallici maris sese litoribus tenuerit; inde verò ad alias paulatim parteis, prout quæque à Græcis sit cognosci cœpta, migrarit, donec universam denique Galliam latè trans alpes occuparet.

f Isaacus Casaubonus ad 4. Strabonis. Marc. Velserus lib. 1. Boicarum rerum. Celtarum vocabuli progressus.

X. Celtarum vox propriè in Germanos cadit.

Ejus quicquid sit, Germaniæ tamen constat populis hanc certè vocem tam fuisse peculiarem, ut velut palmaria præcipuaque, non ab ultimis modò Græciæ scriptoribus, sed omnium ætatum historicis, huic propriè nationi sit attributa. Neque adductum pænè alia ratione equidem crediderim Dionem Cassium, cur Germanos Celtarum nomine toties appellarit; id quod ab eruditis etiam observatum; si quidem; ut ipse ait, Τό γε πάνυ ἀρχαῖον Κελτοὶ ἑκάτεροι, οἱ ἐπ' ἀμφότερα τοῦ ποταμοῦ οἰκοῦντες, ὠνομάζοντο. Antiquitus populi, qui ex utraque parte Rheni habitabant, Celtæ uno nomine vocati. Idem verò, cùm medio Rheno Celtas à Gallis discludi memorat, num facit obscurum, quos Celtas ipse nuncupet? At in Belgis etiam nostris nihil de sententia

Annot. ad Dionem. Lib. 39.

mutans,

Suid. Histor. voce Ἀππιανὸς & Καλτοί.
Bodinus refellitur in metho. hist.

mutans, Celticos; ceu à Transrhenanis ortos, appellare perseverat: Clariùs etiam Suidas, Celtas interpretans, Germanos Rheni accolas. Quò minus causæ Bodino fuisse perspicitur, cur Herodoto & Aristoteli tam enixè vellet refragari; ceu, quia in monstrandis Danubii fontibus à via recta paululum modò declinarint, ob id scilicet tota mox iis veritatis possessione foret migrandum.

Celtæ ex Herodoti finitione.
Euterpe lib. 2. Melpomene lib. 4.

Est autem Herodoti locus de Istri fontibus in Euterpe. *Ister fluere incipiens à Celtis, atque urbe Pyrene (Celtæ autem sunt extra columnas Herculis Cynesiis finitimi, omnium in Europa ad Occasum habitantium extremi) mediam Europam scindit; totamque permensus, qua Istria populi Melesiorum Coloni sedes habent, Euxino ponto finitur.* Sic Herodotus; cujus, ut de oppido Pyrene, obscura sit, neque laudata satis opinio, sic in cæteris, ut ne sententiam ejus amplectamur, vix ulla distinet ratio. Nam, quod ad hujus ævi cosmographicam amussim haud exacta à priscis omnia, & velut in quadrum dimensa; id certè frigidiusculum est, ut propterea fidem antiquis neges, cùm hujus sæculi nostri in hoc genere multa inventa, exploratáque, meditationes veterum omnes ac studia superent, navigandi arte ac scientia; neque ob id tamen nihil ab iis dictum, absque injuria veritatis, cuiquam in mentem venire possit. At verò difficile tamen ad intelligendum meritò videatur, quemadmodùm Celtas, omnium, quotquot Europam Occasum versus incoluêre, Herodotus fuisse dixerit extremos, præsertim cùm Græciæ, comparati, potius Celtæ sint oppositi, ad Septentrionem. Sed facilis erit Herodoti interpretatio, si memineris, quod Danubius Græcis affluit ab Occidente, iccircò fluminis accolas Occidentem aspicere, putasse veteres. Id quod si quis assentiri mihi nolit, is æqui bonique studio, vel illud amplectatur, fecisse eos accolarum discrimen, per quos Danubius immenso, ut Plinius testatur, aquarum auctu prolabitur, ut sibi finitimos spectare dicerent Occasum, cùm supra hos crederent alios, æterno pressa gelu loca, Boream versus, incolere, famaque quàm oculis, Istri cursus, iis esset notior.

Celtæ quo respectu ad Occasum.

Sic Strabo lib. 7. & alii Cosmographi.

Lib. 4. c. 12. & seq.

Strabo l. 1.
Celtis totus olim Occidens assignatus.

Quanquam illud Strabonis ex Ephoro, majus quoddam robur habet; totum Occidentem unius sub vocabulo gentis, quod veteres nihil dum perfectè quidem exploratum, aut certum de remotis & ultimis haberent, à Celtis habitatum. Hinc omni habitabili terra quatuor in partes diducta, Ephorus tradidit: Τὸ πρὸς τὸν ἀπηλιώτην Ἰνδοὺς ἔχειν, πρὸς νότον δὲ Αἰθίοπας, πρὸς δύσιν δὲ Κελτούς, πρὸς βορρᾶν ἄνεμον Σκύθας. quod est: *Indos Subsolanum versus incolere; Austrum habitare Æthiopas; Occasum Celtas; in Boream autem expositos Scythas.* Cui adjecisse calculum deinde suum ipse Strabo videtur, cùm de Istro verba faciens, oriri in extremis eum, inquit, Germaniæ partibus ad Occasum pertinentibus; idque non procul à recessu intimo Adriatici sinus. Aristoteles autem, etsi in Pyrene & Tarteso fallant, quos ille complectitur, geographi; in Celtica tamen ortum habere Danubium, similiter prodidit. Ejus verba sunt: *Ex Pyrenæo autem, qui mons est in Celtica ad æquinoctialem Occasum, Danubius & Tartesus defluunt; quorum hic quidem ultra columnas, Danubius verò per totam Europam in Pontum Euxinum.* De Tarteso satis errorem Vicomercatus redarguit. Aristotelis autem opinionem de Pyrene monte, probasse visus Timagetus; quem ita sensisse Scholiastes Apollonii tradidit; Danubium, postquam exortus è Celticis montibus evehitur longiùs, regionum earum excipi lacu quodam, indeque egressum bifariam scindi; & partim in Pontum aquas evolvere, partim in mare Celticum, quod Adriaticum, quàm benè, ipsi viderint, interpretantur. Neque Pyrenæum montem in Germanicis Rhæticisve positum alpibus, præteriit Bassus poëta, qui Germanicum Cæsarem laudans, hoc epigramma scripsit:

Lib. 7. Cosm.

Pyrene & Pyrenæus in Germ. Alpib.

Lib. 1. meteor. ubi & alii rē, non suam sententiam, exponit.

Tartesus *Strabo l. 3.* est Bœtis Hispan.

Anthologia epigram l. 1. 28. in Germanicum.

Οὔρεα Πυρηναῖα, καὶ αἱ βαθύαγκοι ἄλπεις
αἳ ῥήνου προχοὰς ἔγγυς ἀποβλέπετε,
Μάρτυρες ἀκτίνων, Γερμανικὸς ἃς ἀνέτειλε
ἀστράπτων κελτοῖς πουλὺν ἐνυάλιον;

Dorsa Pyrenæi, depressæ vallibus alpes.
Quæ Rheni scatebras haud procul aspicitis.
Cernitis ut radios pugnans Germanicus effert,
Intorquens Celtis fulmina Marte potens?

Facit huc & Plinii locus in Traiani laudatione; quo Germaniam ipse cùm alia vastitate interjacentis soli; tum Pyrenæo, Alpibus, immensisque montibus dirimi, munirique docet. Verùm, cùm hominum hac ætate erudissimorum sententiâ, Celtarum nomine Germanicam præcipuè nationem comprehendi, testatum sit, non committam ut silvam hanc ad cædendum unus ego suscepisse videar. Sanè, quod de Alexandro magno traditur Q. Curtii supplementis; ad eum, Istro & prima Getarum urbe domitis, cùm à cæteris Danubii accolis, tum à Syrmo Triballorum Rege atque Germanis, jungendi fœderis & amicitiæ causa venisse legatos; id Strabo & Arrianus, Celtis ad Ionium sinum habitantibus, attribuunt; quos ipse Macedo percontatus sit in convivio; ecquid omnium maximè pertimescerent, dum expectaret virtutem, ac Macedonicas opes; responsum tulisse nec opinatum; ne cœlum in ipsos rueret. Præterea, quod publicum servum ad Marium Rom. Coss. bello confecto, missum interficiendum, Appianus Celtam; & Plinius secundus Gallum fuisse prodidit; hunc disertè Germanum, affirmat Velleius. Atque etiam Germanorum ex disciplina id manasse jam vulgo traditur, quod Rhenus judex vindexque cõjugii ἐλεγχίγαμος Græcis appellatus, quia conjugalis pudicitiæ fideique explorandæ, recens nata proles fluvio committebatur, agnoscenda tollendaque si innatasset clypeo; at abjicienda, si fluvium subiret. Et factum id tamen Græci Poetæ Celtis, utique Rheni accolis, attribuunt. Quàm igitur latè Celtarum & regio & natio patuerit olim; quodque trans Rhenum & cis ultraque Danubium amplissimis in locis sederit, ex iis quæ diximus, manifestum est.

I. Lipsius hic se frustra torquet.
B. Rhenan libr. Germ. rerum.
Glareanus ad 7. comment. Cæsaris.

Curt. lib. 2.
Arrianus histor. l. 1.

Item Strabo.

Plin. de viris illustr.

Julianus ad Maximum. Nonnus in Dionysiacis. Claudianus in Ruffin.

Epigr. Gra. Galen. comment. salub. Arist. polit.

XI.

Germani trans Rhenum colentes, & Celtæ dicti & Galli.

Quando verò huc sermo nos protraxit; docendum clariùs est, Germanis trans Rhenum incolentibus, Celticum aut Gallicum omnino convenisse nomen. Si enim hos audimus, qui Celtas in illas Sequanæ atque Garumnæ fluminum angustias compellunt, & Gallicum ultra Rhenum transisse nomen,

difficile

difficile creditu statuunt, ecquid tandem iis respondeamus, qui vocabulum petant à nobis commune nationibus trans Rhenum universis? Si Teutonas dabimus, aut Tuiscones, aut Cimbros; hæc gentis confestim, non verò nationis esse nomina, ex Cæsare Tacitoque facilè pervincent. Si Gallos sive Galatas, jam ab iisdem mox contra nos præsidium petent, qui linguâ, consuetudine & moribus, utramque gentem libris totis, permultum ostenderit discrepasse. Quid igitur? Negari certè non potest temporum causa, arbitrioque scriptorum, aut magistratuum qui imperant autoritate, multa persæpe, ut * Strabo quoque animadvertit in locorum gentiumque descriptionibus, alias aliter constitui, variàque, nec uniusmodi sectione distribui. Cùm itaque C. Julius Galliam partiens, non ultimam illam, sed ætati propiorem suæ, memoriam fortè respexerit; rectè atque consultò fecisse videatur, ut Celticam eam Galliæ portionem appellaret, quæ tum id nomen sibi vel præcipuè deposcebat. At Græci nihilominus scriptores Celticum interea nomen, universis Galliæ populis dedêre. Quò testatius esse debet, post Cæsaris etiam ætatem, Celtarum appellationem, quàm latissimè quoquoversus ad Germanias Galliasque pertinuisse. Quod nemini quoque mirum videbitur, qui ex Pausania didicerit, serò demum obtinuisse, ut qui suâ linguâ Celtæ dicerentur olim, hi post audirent, Latino scilicet sermone, Galli, aut Græco, Galatæ. Ejus in Atticis verba sunt. ὀψὲ δέ ποτε αὐτοὺς καλεῖσθαι Γαλάτας, ἐξενίκησε. Κελτοὶ γὰρ κατά τε σφᾶς τὸ ἀρχαῖον, καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ὠνομάζοντο. Serò demum obtinuisse, ut qui vocati Celtæ, dicerentur Galatæ. Nam & Celtas inter se antiquitus appellasse, & nominari item ab aliis. Sed Livii quoque perpetuam consuetudinem esse, Gallos ut exprimat nominetque, quos Celtas Polybius, usu satis comprobatum. Unde horum laudare judicium & * εὐστοχίαν soleo; qui eo primùm tempore auditum id nomen, convenienter sanè literis veterum, tradunt, quo scilicet & ipsa commota Gallorum arma; cùm Tarquinio superbo Rege, superatis alpibus in Italiam hæ gentes influxerunt: si quidem & illos Senonas à Celtis fuisse; hodieque Senonum urbem manere apud Icaunam flumen, quæ Sidonio Apollinari Senonia, adhuc in Galliis nobili Metropoli claret. Ex Celtis porrò suos Galatas, Græcos fecisse; & ab hoc denique Gallorum nomen formasse Romanos.

Tacit. Germ. Cæsar. lib. 6.

* ad calcem operis.

Celtica Cæsaris.

Plutar. Dio, &c.

* Conjectandi solertiam. Abraham. Ortel. in itiner. Belg. Polyb. lib. 2. Strabo lib. 4. Papir. Maß. notit. Episc. Gall. Senones.

XII. Galli & Germani promiscuè à Romanis appellati Galli. In comment. ad Cæsar.

Cæterum jam nunc sermonis, id quod superioribus est affine, expediamus, veteres Romanos, nempe Gallos omnes & Germanos, quos posterius nuncuparant, uno Gallorum vocabulo definivisse, quæ res, uti Glareanum docere memini, non diligenter satis animadversa, compluribus errandi materiam præbuit. Etenim cùm non paulò majore studio Transrhenani populi, novas toto orbe sedes quærerent; Rhenoque superato pervadere proximam Galliam, & in alienos transire fines, sanè quàm ipsis esset proclive; Gallis subalpinis ipsi permisti, plenis agminibus in Italiam se quàm tumultuosissimè infundebant; & Tuscis veteribus incolis, per arma pulsis, mox ad Padi fontes, & Adriam, sedes & domicilia promoverunt. Cui rei declarandæ, si Boiorum, * Gessatorum, Teutonum, Cimbrorum & aliorum complurium exempla nobis deessent, vel ista ad persuadendum satis esset ratio, quod priscis illis sæculis præter Gallicum omnibus commune Transalpinis nomen, vix ullum gentis cujusque prius cognitum populo Romano sit quàm ejus expertus esset arma. Qua de re neque celare nos Cicero voluit, quando Cesaris res gestas strictim percensens, cum acerrimis, ait, nationibus, & maximis Germanorum & Helvetiorum, præliis eum felicissimè decertasse; & quas regiones, quasque gentes, nullæ ipsis antea literæ, nulla vox, nulla fama, notas fecisset; has Romanum imperium, exercitumque Romanum, & populi Romani arma jam tum peragrasse. Verùm Galatarum sive Gallorum cum vocabulo, Germanicam implicatam fuisse nationem, porrò clariùs, si placet, explanemus. Anno V. C. DXXXI. M. Claudius Marcellus Coss. ad Clastidium sociorum latini nominis oppidum, cum Gallis Insubribus & Gessatis, qui auxilio ipsis venerant, prælio congressus, interfecto Viridumaro Gallorum duce, ut Europius & Liviana narrant epitome, opima spolia retulit: id cecinit longo post tempore Virgilius, etiam vaticinantis in morem:

Aspice ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnes.
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet, equos sternet, Pœnos, Gallùmque rebellem,
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.

Quin clariùs itidē Propertius Viridomari gentem expinxit, cùm Marcellū cantat victorem:

Claudius à Rheno trajectos arcuit hostes,
Belgica cum vasti parma relata ducis.
Virdomari genus hic Rheno tactabat ab ipso,
Nobilis è rectis fundere Gesa rotis.

Porrò, quos hic Gessatas, sive Gæsatos, Insubribus audis tulisse suppetias, Polybius, Gallos fuisse cis Rhenum habitantes describit; quòd mercede conducti, militiam externam obirent, ita nuncupatos. At verò Fastis Capitolinis, re postea meliùs explorata, pro Gessatarum, Germanorum nomen inferre placuit:

DE GALLEIS. INSUBRIBUS.
ET GERMAN.

Unde Gessatas, quos prisci Gallos appellarunt, eosdem Germanos fuisse, quis est qui non intelligat? Sed Polybius, ais mihi, vult Gessatas eos ad Rhodanum habitasse. Nihil veto. Quid enim? Ante Cæsaris in Galliam adventum ea multitudo Germanorum, quam Ariovistus rex ab Arvernis, Sequanisque mercede accersitus, trans Rhenum traduxerat, nunquid duos prænobiles Galliæ populos jam stipendiarios fecerat, tertiamque partem agri Sequani, qui optimus totius Galliæ, occuparat? Quantum igitur ab Rhodano tum abfuisse eos existimas, quem Sequanorum præterfluxisse fines, & hos ab Romana provincia discriminasse, in suis Cæsar reliquit commentariis? Clarissimus est in hac re demonstranda Diodorus Siculus; qui Rhenum, sua ætate, scribens à Divo Cæsare ponte instratum, καὶ περαιώσας, inquit, πεζῇ τὴν δύναμιν ἐχειρώσατο τοὺς πέραν κατοικοῦντας Γαλάτας, Deportatis

* Gessatorum.

In Orat. de provin. cons.

Polyb. Flor. Livius.

Lib. 6. Æn.

Propert. lib. 4. Epig. 11. ubi pro Belgica Ioseph. Scal. ausus subjicere Belligerans.

Cæsar. lib. 1.

Hunc locum lectione in diversum rapis, c. 22. Batavia.

Plin. lib. 3. c. 15. c. 17.

trans Rhenum pedestribus copiis, Galatas in ulteriore ripa confidentes, armis atque virtute perdomuit. Inde verò, idem se nobis ipse velut expoliens: ultra Massiliam, ait, qui loca interiora tuentur, quique ad Alpes & Pyrenæa juga vergunt, hos Celtarum appellatione impertiunt. Qui verò inde à Celtica in Boream, regiones incolunt, & ad Oceanum usque, Hercyniosque montes, Scytharum extremos quoque fines attingunt, Gallos eos nuncupant. οἱ δὲ Ρωμαῖοι πάλιν, πάντα τὰ ἔθνη συλλήβδην μιᾷ προσηγορίᾳ περιλαμβάνουσιν, ὀνομάζοντες Γαλάτας ἅπαντας. Romani autem totam hanc gentem unà communiter voce complexi, Galatas appellant universam. In eandem sententiam loquitur Pausanias in Atticis. Et Sextus Rufus etiam, cùm Gallis ultra Rhenum positis, testatur conflixisse Cæsarem. Unde Claudianus hos promiscuè cecinit:

Galli ultra Rhenum. *Lib. 2. in Ruffinum.* *Ad Fur. & Aurel. 11.*

Inde truces flavo comitantur vertice Galli,
Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit
Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

Immò Rhenum longè ante Catullus Gallicum appellarat:

Cæsaris visens monumenta magni,
Gallicum Rhenum, horribilésque & ultimósque Britannos.

Quoniam igitur Transrhenanis Celtarum & nomen & nationem antiquitus obtigisse, & Galatas quoque priscos Celtas fuisse satis ostendimus, intelligitur profectò populos ultra citraque Rhenum habitantes meritò Galatarum sive Gallorum retinuisse vocabulum, & Celtarum denique famam præcipuè sustentatam à Germanis.

CAPUT VIII.

Gallorum in Germaniam, & in Gallias Germanorum alternæ migrationes.

III. Hypothesis. Inter gentes cis trāsque Rhenum habitantes, vicissitudo quædam migrationum.

TREVIROS, etsi domicilio regionisque naturâ Gallos, pro Romani imperii consuetudine, censeres, Germanos tamen fuisse, ac trans Rhenum ortos, clariùs perspicies, si mutuum inter hasce gentes quendam memineris commeasse rerum orbem, & haud aliter in Germaniam Gallos consuesse Rhenum transire, soli occupandi gratia, quàm in Galliam Germanos. Quæ ubique consuetudo tam latè semper patuit, vix ut ullam, Seneca gravissimus autor sua ætate inveniri putarit terram, quam primi Coloni αὐτόχθονες majores dixêre, percolerent: ut meritò canat Poëta vetus:

Lucretius.

Sic rerum summa novatur
Semper, & inter se mortales mutua vivunt:
Augescunt aliæ gentes; aliæ minuuntur;
Inque brevi spatio mutantur sæcla animantum.
Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

Quia verò locus perjucundus est, & ad institutæ scriptionis argumentum cumprimis idoneus; haud ægrè à me patiar impetrari, ut velut in edita quadam specula, rerum humanarum scenam, & fabulam quandam usurpet oculis lector, & ceu theatri quodam ludo, memoriam & animum recreet. *A cœlestibus agedum te ad humana converte. Videbis gentes populósque mutasse sedem. Quid sibi volunt in mediis barbarorum regionibus Græcæ urbes? Quid inter Indos Persásque Macedonicus sermo? Scythia, & totus ille ferarum indomitarúmque gentium tractus, civitates Achaiæ Ponticis impositas litoribus ostentat. Non perpetua hyemis sævitia, non hominum ingenia ad similitudinem cæli sui horrentia, transferentibus domus suas obstiterunt. Atheniensis in Asia turba est. Miletus LXXV. urbium populum in diversa effudit. Totum Italiæ latus, quod infero mari alluitur, maior Græcia fuit. Tuscos Asia sibi vindicat. Tyrii Africam incolunt; Hispaniam Pœni. Græci se in Galliam immiserunt; in Græciam Galli. Pyrenæus Germanorum transitus non inhibuit: per invia, per incognita, versavit se humana levitas; liberos, conjugésque, & graves senio parentes traxerunt. Alii longo errore jactati, non judicio elegerunt locum; sed lassitudine proximum occupaverunt. Alii armis sibi ius in aliena terra fecerunt. Quasdam gentes, cùm ignota peterent, mare hausit. Quædam ibi consederunt, ubi illas rerum inopia deposuit. Nec omnibus eadem causa relinquendi, quærendíque patriam fuit. Alios excidia urbium suarum hostilibus armis elapsos, in aliena, spoliatos suis, expulerunt. Alios domestica seditio submovit: alios nimia superfluentis populi frequentia, ad exonerandas urbes emisit. Alios pestilentia, aut frequens terrarum hiatus, aut aliqua intoleranda infelicis soli vitia, ejecerunt. Quosdam fertilis oræ in maius laudatæ fama corrupit. Alios, alia causa excivit domibus suis. Illud itaque est manifestum, nihil eodem loco mansisse, quo genitum est. Assiduus humani generis discursus est. Quotidie aliquid in tam magno orbe mutatur. Nova urbium fundamenta iaciuntur. Nova gentium nomina extinctis prioribus, aut in accessionem validioris concursus, oriuntur.* Atque in hoc tanto, tamque reciproco gentium & populorum æstu, ut omnia nos alia veritatis indagandæ præsidia deficiant, in hac, inquam, tam multiplici ad aucupandam veterum sedium commutationem illecebra, Gallias Germaniasque nostras, velut in summa quadam & perpetua malacia quietem egisse, nihil movisse, neque solum subinde suum finitimis mutasse regionibus, inducent in animum, qui ita nimirum, ac si omnia immota jam usque ab origine sua eodem consisterent loco, his de rebus & loqui sueverunt, & sentire

Consolatio Senecæ ad Helviam matrem, c. 6.

Sed paulò etiam propius pedem conferamus; nam hæc scilicet historiæ veteris fundamenta esse nota, cunctis debent. Tacitus ergo, quæ ex commentariis Cæsaris acceperat, non reticens, validiores olim Gallorum res fuisse, autore Julio, tradit, eóque credibile esse, etiam Gallos in Germaniam transgressos. Quantulum enim amnem obstitisse, quò minus, ut quæque gens evaluerat, occuparet permutaretque sedes, promiscuas adhuc, & nulla regnorum potentia divisas? Quid autem Cæsar? num quidnam hujus rei habet ambiguum, aut revocat in incertum? Ac fuit antea tempus, ait ipse, cùm Germanos Galli virtute superarent, & ultro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem, agríque inopiam, trans Rhenum Colonias mitterent. Itaque ea, quæ fertilissima sunt Germaniæ loca, circum Hercyniam silvam, quam

Tacitus in Germ. sua.

Cæsar comment. lib. 6.

Erat-

* Hercyniam

Liv. decad. 1. lib. 5. Iustin. l. 24.

Eratostheni, & quibusdam Græcis, fama notam esse video, quam illi * Orcyniam appellant vulgo, Tectosages occuparunt, atque ibi consederunt; quæ gens ad hoc tempus iis sedibus se continet, summamque habet justitiæ & bellicæ laudis opinionem. Hanc Cæsaris sententiam vetustate robustam, Livii quoque fulcit autoritas; qui de transitu Gallorum in Italiam, veterum replicando memoriam scribens: *Romæ, Prisco regnante Tarquinio, Celtarum penes Bituriges summam fuisse tradit imperii; hos regem Celtico dedisse Ambigatum: hunc virtute fortunáque cum sua, tum publica permultum valuisse; quod imperio eius Gallia adeo frugum hominúmque fertilis esset, ut abundans multitudo vix regi videretur posse. Hic magno natu ipse iam, exonerare, prægravante turba, regnum cupiens, Bellovesum ac Sigovesum sororis filios, impigros iuvenes, missurum se esse, in quas Dii dedissent, auguriis sedes ostendit, quantum ipsi vellent numerum hominum excirent, ne qua gens arcere advenientes posset. Tum Sigoveso sortibus dati Hercynii saltus. Belloveso haud paulò lætiorem in Italiam viam Dii dabant.* Sic Livius. Ergo proclivem scilicet, & translatitium tunc utrimque, fieri amne pervio transitum, donec Galli denique seu pacis artibus mitescentes, seu quæsitis contenti sedibus, cis Rhenum se cohibuere. quo ex tempore homines ii, quibus trans flumen incolentibus serò demum Germanicum nomen obvenit, sedium causa Galliam vexare continuò cœperunt.

II. IV. Hypothesis qua Germanicæ vocis aperitur notio.

Id esse manifestius quoque poterit, si de Germanicæ vocis origine, & quos illa significatus apud scriptorum antiquissimos & omnium diligentissimos effecerit, ad rei necessitudinem explanemus. Extant præcipuè, duo veteres hujus vocis interpretes; iique tam opinionibus, atque sententiis inter se distracti, ut eos ad amicitiam concordiamque redigendi, vix nobis relictus ullus sit locus. Cæsarem quippe principem fuisse, qui vocabulum id usurparit, satis ostenditur, cùm, qui Germanorum, ut aliarum multarum gentium, supra ejus ætatem meminerit, quod equidem compererim, invenias neminem. Is porrò, & vocabuli & notionis illi subjectæ vim sic passim commentariis suis explicat, non ut ipsum aut Romanos, ortis trans Rhenum populis, & ea memoria in Galliam crebrò transeuntibus, scilicet primos nomen id imposuisse, sed ab ipsis tum primum cognitis accepisse gentibus, intelligas. Id quod in plerisque nationibus aliis, ad imperium Romanum successu temporum adjunctis, perspicuum est. Nec sanè multum interesse dixeris, quod voces ipso sono flexuque suo duriores ad molliciem quandam flectere mos fuerit Latinis; cùm earum in gente cujusque fontes & origines nihilo minus adhuc deprehendas. Quia tamen Germanici vocabuli vernaculus & gentilis usus, tot gentium exterarum in eas oras illuvie redundante, prorsus jam est abolitus; quique hoc nostro ævo ad scribendum animum appulêre, ceu omnia starent adhuc integra, sic ex hujus sermonis Theudisci consuetudine, se conficere putant omnia, haud paulò sanè fit difficilior hujus nominis enodatio. Tacitus certè diligens in hoc genere, cùm quæ licen-

Germanorum nomen inter Scriptores, à Cæsare primum usurpari cœptū.

Gerapius Althamer. Nauner. Willichius & cæteri in Tacitum commet.

Inquisitum in Taciti locum de

tia vetustatis nomina Transrhenanis nonnulli attribuerant, cœpisset explicare, Germaniæ vocabulum ait fuisse recens, & nuper additum, seu, quod alii malunt, auditum; quoniam, qui primi Rhenum transgressi, Gallos expulerint, nunc Tungros, * nunc Germanos esse vocatos; ita nationis nomen non gentis * evaluisse paulatim, ut omnes primum à victore ob metum, mox à seipsis invento nomine, * Germani vocarentur. Quorum verborum explanatione, mirum quàm se torqueant adhuc, & in omnem partem versent, hominum etiam eruditorum ingenia. Divæus antiquitatis Belgicæ laudatus investigator, id scilicet ex Taciti verbis colligendum putat, Tungris solis Germanorum propriam & peculiarem fuisse appellationem; ab his porrò tanquam Belgis formidabilem, eandē cæteros mutuasse Transrhenanos; atque ita factum, ut unius nationis Tungricæ nomine tota Transrhenana, Germanorum obtinuerit vocabulum. At, si Tungricæ gentis, tam validæ ac firmatæ bellis opes extitēre, quî fieri potuisse quæras, ut Cæsari eorum sedes & armis, & totis persequenti castris, neque cogniti, neque celebrati Tungri; cùm longè quidem inferiores, & virtute & opinione bellicâ, regionum illarum populos, expresserit? Neque tam illi quidquam studio cordique fuerit, quàm gentium incognitarum nosse regiones, explorare mores; perdiscere item, quæ & quantæ nationes incolerent, tum quem usum belli haberent, & quibus institutis maximè florerent. Quamobrem ut relinqueret in præteritis principem, & Belgarum victorem populum, fuisse commissurum?

Germanis obscurissimum.

Steph. Pig. in Hercule Prodi.

* tunc

* evaluisse.

* al. deest Tò Germani.

An in Tungros olim solos Germanorum nomen ceciderit?

Cæsar id de se variis locis commentar.

Ex comment. Cæsar. & Tac.

Hæc, atque id genus alia percontanti, quid mihi respondere promptum, exponam. Cæsarem non id laborasse, aut egisse videri, ut Germanicæ gentis originem altè, à fontibus usque & capite suo arcesseret, in quo Taciti nimirum partes industriæ spectantur; sed, quæ de moribus ejus ac institutis vel percontando à peritis acceperat, vel didicerat ipse consuetudine Germanorum, qui sparsi per Gallias tum degebant, hæc retulisse in commentarios. Tacitum verò, in hanc unam curam acriùs erectum, quando Vespasiani imperio Procurator Galliæ Belgicæ, rationibus & vectigalibus factitandis præfuit, otiumque majus ab armis extitit, potuisse diligentiùs hæc multo scilicet pervestigare, atque ex intima gentis retrò memoria, & ultima antiquitate, pleraque ad tempus haud pervagata sermonibus vulgi, demum eruere. Id quod ipsius non obscurè declarat oratio, Germaniæ vocabulum nuper additum, aut si mavis auditum, asserentis, tanquam remotissimam & ultimam gentis, cum hac inferiore populi Romani memoriâ, contendens, Germanicæ vocis originem, recentiorem esse diceret. Quod ita nisi accipimus, quî latuisse Tacitum, aut fefellisse potest, Cæsarem cum Germanis, non uno prælio decertasse, & hujus gentis tantam multitudinem, tam sæpe Rheno transito, venisse in Gallias; adeoque in ipsius imperatoris commentario fixam jam tum id nomen habuisse possessionem?

III. Cæsaris & Taciti diversa scribendi studia.

Quare, cùm Tungros Tacitus, primos omnium Rhenum superasse, nobis autor sit,

IV. Tungrorum olim nomen gē-

tis peculiare, Taciti ævo in Germanorum abierat, tanquam celebrius.

Diversum Hadrian., Ivan in Bat. CXX. Ioan. Gorop. Aptun. ant.

ulteriora, quàm quo Cæsaris litteræ pertingant, cum complexum, fateamur, necesse est. Ergo Cæsaris ætate, non vulgarium hominum sententia est, hos, qui gentili vocabulo communiter Tungrorum sortiti nomen antiquitus fuerant, veteri nomine tanquam gloria gestarum rerum atque magnitudine obruto, nationis commune quoddam sumpsisse symbolum, ac inter se Germanos appellitasse. Nationem quippe, Festo Pompeio genus hominum esse, qui non aliunde venerint, sed ibi nati sint; ita, ut non paulo se latiùs ejus porrigat significatio, quàm gentis; cùm plures etiam una natio sub se gentes contineat. Itaque Germanos, pronunciant, tanquam nationis tulisse vocabulum, cujus appellatio famaque prævaluerit, & Tungricæ gentis nomen ad tempus obscurârit. Atque haud scio certè, an ab horum Cæsar voluntate, vel à Taciti ipsius quoque sententia refugiat, cùm Eburones, Condrusos, Cæresos, Pœmanos, populos in veteribus Tungrorum agris considentes, uno nomine Germanos appellari testatur, quod Tacito perinde sit, atque Tungros dixisset. Tum rursus: *Segni*, inquit, *Condrusiq. de gente ac numero Germanorum, qui sunt inter Eburones ac Treviros*; ceu horum Germanorum, sive Transrhenanorum eos propagini ac numero excerperet, quos Rhenum traduxerat Ariovistus.

Libro 6.

V. Strabonis sententia de Germanorum appellatione discussa. *Geogr. l. 7.*

Sed tamen Straboni, haud indiligenti Cæsaris Augusti ætate Geographo, aliud visum; Germanis nimirum à populo Romano nomen inditum; qui, cùm eas gentes animorum feritate, moribus, & corporum proceritate, rutilante cæsarie, & cæteris vivendi legibus, Gallis persimiles esse vidisset, hoc illis nomen imposuerit, perinde ac fratres eos Germanosque Gallorum, diceret. Quod Strabonis etymon, cùm veri speciem, ut quàm maximè adumbret, obtinuisset forsan apud ipsum quoque Tacitum, nî trans alpes petitam Germanorum appellationem, is maluisset. Quare hanc, ut jactatam vulgo, suo tempore de Germanorum vocis interpretatione famam hominem Græcum rumore captum, literis consignasse, atque dein, ut ejus generis pleraque falsò jactata literis mandasse crediderim; ut hîc locum id habeat ipsius Geographi dictum, ἀρκεῖν περὶ τῶν τοιούτων τὸ εἰκός, id est, hujuscemodi de rebus ipsam satis esse conjecturam. Neque igitur vel eruditissimi viri, magnaque nobis olim voluntate juncti sententiam probare possumus, quâ pugnat, Tacitum id nimirum voluisse, ut, qui ipsius ætate Tungri sint appellati, hi ipsi quondam dicerentur Germani; ut, cùm à seipsis invento nomine Germanos mutuò inter se appellasse Cornelius narrat, ipse voce Germanorum (an satis consultò?) sepositâ, Tungros inter se salutasse, stabiliat. Cæterum id affirmandum prius erat, Tungrorum nomen ante Germanorum non fuisse; cùm enim hoc recens, & nuper auditum Tacitus asserat, illud antea in gente quapiam hæsisse, vult intelligi. Quod si quidem ita est, quid amabo, discriminandi causa, novo Tungrorum invento vocabulo opus fuit? Prætereo, quod Treviros hac ratione circa affectationem Tungricæ potiùs, quàm Germanicæ originis, ambitiosos esse decuit; cùm Taciti ævo, diffusam illam longè lateque gloriam, cur omnes Germaniæ cis Rhenum populi delibarent, nihil certè prohiberet. Verùm, ut id quod est, ingenuè profitear, inest in Taciti verbis quædam obscuritatis latebra, quæ donec integritati suæ restituantur, huc illucque eorum apud eruditos semper fluctuabit interpretatio.

Verba Strabonis l. 4. Iustus Lipsius ad German. Taciti.

Vide notas infra.

CAPUT IX.

Treverica gentis origo tangitur.

I. Trevirorum ultima origo ab Gomer, quæ tamen nimis antiqua & confusa.

Gen. c. 11. & B. Aug. in illum locum l. 16. de Civit. Dei c. 4.

Ioseph. in ant. B. Hieron. in Genes. Sever. Sulp. hist. Philast. hæres. de divisione orbis.

Genes. c. 10.

His ita positis, & ad id, quod efficiendum erat, undique assumptis, jam nunc tanquam operi fastigium imponamus. Quod itaque de Trevirorum, quin & Celtarum omnium ultimâ origine, & ab altissimo repetitum principio, maximè sit omnium veteri historiæ consentaneum, rectè domesticis Annalibus proditum videtur, filio Iapeti Gomero, Noë nepoti, Trevericæ gentis, ut & Celticæ reliquæ, primordia deberi. Quo igitur tempore insanæ substructionis machinatione accensa Dei ira, linguarum ac operarum omnium confusione, inflatos gigantum animos repressit, & Nemrothi Babylonicam turrim molientis stolidum consilium, novo ultionis genere cœleste numen discussit; inde diversis inter se terris, atque populis in remota dispersis, in Noë liberos, ut graves volunt autores, à quibus Philastrio teste, sine hæresis patrocinio non dissentias, ita distributus orbis, ut Sem intra Orientem sive Asiam; intra Occidentem verò sive Europam Japetus; at Cham mediis regionibus, Africæ puta, sese continuerint. Procreatum Japeto Gomerum dubitare nefas. Ex Gomero autem quanquam Ascenez, Riphath, & Thogorma, proles extitit: ei tamen Gomari seu Cimbri & Cimmerii, quin & Galatæ quoque nepotes accensentur; etsi in trium ejus liberorum posteritate persequenda, nullum, quod insistas, stabile vestigium. Askenezi quippe Aschanaxos, qui Rhegines, annè Rheni accolæ? a posteris appellati, originem debere, cum Josepho testatur B. Hieronymus. At vetus Judæorum Synagoga, hos ipsos Asiæ colonos & habitatores; recens, verò, Thargum Hierosolymitanum sequuta, Germanos, quos vocat Hebraicè *Askenasim*, est interpretata. Eusebio denique Geticam sobolem ad Aschenezem revocare placuit.

Cl. Marcus Velser. Boic. lib. 1. Ioseph. lib. 1. antiquit. c. 7. Hieron. in quæst. sive trad. Hebr. Benjamin Tudelensis Itiner. catena in Gen. Helias German. B. Arias. P. Pererius in Genesin. In exordio chron.

II. Scythæ progenitores Septentrionalium.

Arrianus in Alexandro. Strabo l. 7. Thom. Boz. Eug. l. 22. de signis Ecclesiæ, cap. 6. Genes. c. 12.

Quæ propagationis gentium series à nonnullis inventa.

Quæ nominum rerumque varietas, ut clariùs eluceat, fateamur oportet, his, ut non dissimilia, sic neque prorsus aliena vero, & scribere & sentire, qui plurimarum gentium, toto Septentrione sparsarum, incunabula referunt ad Cimbros, Scythas, Getasque mortalium vetustissimos; horumque nomine capiunt Orientis populos ultimos, Septentrionique viciniores. Nam primum, satis id esse manifestum è divinis literis, Japetigenas seu Japeti nepotes, à quibus Europæi prognati sunt, ex Oriente profectos in Occidentem, haud verò contra: quare, si Occidentales primigeniam originem suam rectè iis transcribunt, qui in Eoâ sedere, sanè par esse quoque, ut Boreales, qui similiter propagati ab iis, hos

veluti

veluti parentes agnoscant suos, qui ab Ortu profecti in Septentrionem, Orienti tamen mansere viciniores. Cùm itaque Cimbrorum & Scytharum genus ex iis, qui Septentrionem versus incoluêre, fuerit ortui semper propinquiùs, utique palmam illud vetustatis inter Boreales mereri; ac proinde Germanicam quoque gentem ejus esse sobolem. Sed etiam, qui gentium migrationes terrestri itinere confectas, planum & creditu dignum existimant, eâdem viâ deducunt; ex Armenia proficiscentibus primùm scilicet occurrente prisca Celtarum regione, Boreali plagæ finitimâ. Haud perperam quidem illi, si vel de sacris litteris, extra antiquissimum illum sobolis Noëticæ motum; vel de cognatione Scytharum & Cimbrorum ista, cum Germanis omnibus; vel de modo quoque propagationis, quem ipsi tradunt, perinde res liquêret. Quæratur enim ex ipsis, Suevi, gens olim Germanorum omnium longè maxima, ipsíne Scytharum soboles? Non ita Tacitus, non vetustiores, non ipsi denique Suevi, qui Semnonas Gallicumque sanguinem sui partem, quin & originem canebant; idque ipsum gentis utriusque ac morum similitudo confirmabat. Ergo, quid his jam commune, vel sedium origine, vel conditione natalium cum Scythis afferant? nisi hoc fortè velint, ut Celtarum genus universum, Scythicâ quadam propagine infustum & confusum, obruamus; atque ita Celtiberiâ amissâ & Celtogalatiâ, unam occupemus Celtoscythiam.

Bened. Ar. Mont. in Phaleg c. 7.

Bare Voss. tit. 1. Son.

Cæsar lib 6. Strabo 7.

Tacit. in lib. de mor. Ger. Jornandes, Scandinaviæ incolas fuisse vult *Ad. Polyb. l. 2. ubi Semnonum meminit, & Strabonem 7. ubi Suevorum describunt.*

III. Migrationes liberorum Noë ex oriente. *Ioseph. antiq. Iud. l. 1. c. 3. seu 5.* Arcæ seu Tebæ excensus.

Jam quod Noë posteros tradit Moses, ex Oriente movisse in campum Sennaar, id vim non habet aliam, quam post ἀποβατήριον, seu Tebæ exscensum, ex Armeniæ montibus, ubi arca reiederat, & primæ post diluvium captæ sedes, habitationis novæ causâ, demisisse in loca se planiora Assyriæ: atque consilium ibi explicuisse, operis istius moliendi famâ celeberrimi. Quia itaque magis exposita ad Orientem Armenia, quàm campi Babyloniæ Sennaar, iccirco illinc egressi movisse ex Oriente censentur, etsi fines Orientis non excesserant. Dispersi igitur hinc à Domino, an in Septentrionem? immo, ut divinæ literæ loquuntur, super faciem cunctarum regionum.

Dispersiones.

Genes. c. 10.

IV. Japetus Europam Occidentem, & Septentrionem sortitus creditur. *Genes. c. 9. vide ibi.*

Porrò Japeti fortè soboles, uni Occidenti institit: at minus id certum, quàm divisas ab ejus liberis insulas gentium in regionibus suis. Quare, non Europam modò, sed Africæ Asiæque partem sortitos fama est, Japeto ex Noë patris voto, non tertiam modò terrarum orbis partem, sed & ipsa tabernacula Sem amplectente, in quibus habitaturum Noë prædixerat. Unde, & in pereruditо Theophili Antiocheni ad Autolycum scripto, reperiebam, omissis Septentrionibus, ubi primos hominum motus & migrationes à diluvio persequitur, occupata fuisse loca Orienti, meridiei & Occidenti subjecta, postmodum inde progressos, paulatim pervasisse reliquas orbis partes. Itaque Philastrius, ex veterum sententia, non veretur in orbis sortitione Japeto attributa statuere, loca Bosphorici ponti, Thraciæ, Pannoniarum, Illyrici, Italiæ & Occidentis, atque ab eo Romanos, Latinos & Italos, genus deducere. At, si quis ita porrò per opinantium diversa, & conjecturis suis quidvis efficientium, ad veri conquisitionem posse pervenire se putet; quonam pacto dum nova quotidie commoventur, aut suffragantium multitudinem sustineat, aut exquirendi studium fessus non abjiciat?

Bened. Pere. in cap. 10. Lib. 2 Tom. 5. biblioth. Patr.

Hæres. de divis. orbis.

V. Origines populorum investigatu difficiles sunt.

Et verò gentium origines & commigrationes, difficultatibus iis sunt implicatæ, ut non sine magnâ ratione & doctissimi, & antiquissimi scriptores, eas inveniri posse, & velut à capite usque repeti, negarint. Hinc scitè Aristoteles, prius integras aboleri gentes atque interire, quàm rerum earum, quæ in perpetuâ mutatione atque vicissitudine sunt, ab usque principio ad finem memoriam conservari; ac maximos quidem existere & celerrimos ex bellis interitus, alios ex morbis, alios ex sterilitatibus, quorum validiores alii sint, alii quoque tardiores. Jam cùm incolarum partim etiam regiones deserant, partim in iisdem sedibus persistant, quòd terra multitudini tantæ nullo modo sit par alendæ, intervenire temporis intercapedinem quandam; quæ ipsa cùm spatia longinqua, ut hominum est memoria, contineat, fieri certè, ut ad ultimam illam ætatem recordatio nostra non perveniat. Quare ad cunabula Treverica redeuntes, ne nihil egisse videamur, si quærimus, quod in originibus antiquissimum est, nec uni proprium genti; statuamus aliquando, B. Hieronymo obsequendum & Josepho. Galatarum conditorem ille quidem Gomerum, &, quod eodem redit, Japetum & Ascenezem agnoscit: hic verò, ne latum quidem ab eo digitum; *quos nunc*, ait, *Græci Galatas vocitant, Gomeritas olim dictos, Gomer condidit.*

Lib. 1. metr.

Locis citatis. Ioseph. lib. 1. c. 6. vel 11.

VI. 1. ætas, qua Trevirorũ antiquitas in Galatis delituit.

At è Galatarum natione, ubiubi tandem illa sederit, & undecunque profecta venerit in Asiam, Treviros fuisse, postea constabit. Neque nobis adversari magnopere potest, quod Gomerum nonnulli potiùs indigenarum Asiæ parentem accipiant, cùm tam disertè scriptores, quos laudavi, Galatarum in ea loca migrationis haud ignari, Gomerum non Asiaticorum, ut ipsi volunt, sed Galatarum memorent progenitorem. Hæc itaque Treuirorum esto prima juventa, ac flos quidam ætatis.

VII. 2. ætas, qua inter Celtas Germanos claruit.

Consequitur ætas robustior; media quippe, ceu obducto memoriæ velo, latet; ista veteribus Colonis, aut oppressis aut obscuratis, aut clade deletis, jam inde efflorescere cæpit, ex quo Celtæ Transrhenani, qui Germanicum postea nomen tulêre, flumen superare & transire sueti, quod medium interfluens, utramque gentem mutuo limite coërcebat. Porrò etsi tempus, in quod commigratio isthæc incidit, è nullis possit neque domesticis, neque externis priscorum Annalium monumentis erui, multo tamen Cæsaris adventum & arma, vel autore Tacito, ætatis spatio præcessisse videtur. Nam ille *Treviri* inquit *& Nervii circa affectationem Germanicæ originis, ultro ambitiosi sunt; tanquam per hanc gloriam sanguinis à similitudine & inertiâ Gallorum separentur.* Et Cæsar de Belgarum intimis rebus, paulo diligentiùs Remorùm oratores Iccium & Antebrogium percontatus, sic reperiebat, plerosque Belgas esse ortos à Germanis, Rhenumque antiquitus traductos, propter loci ferti-

Tacit. de mor. German.

Cæsar l. 2.

Strabo l. 4.

litatem ibi consedisse Gallosque, qui ea loca incolerent, expulisse. Cæsaris autoritati libenter concedit Strabo, qui Gallorum mores vivendique disciplinam; cum sua jam ætate Romanis omnia legibus & armis cessissent, ex Germanorum confinium institutis ac moribus æstimanda, non alio inductus argumento putavit; quàm quod ingenio, jure, civilique disciplinâ Gallis persimiles; ad hæc propinquitatibus affinitatibusque cōjuncti inter sese essent, vicinum quippe coli ab iis agrum, quem Rhenus separet, paria maxima ex parte cuncta ferentem. Jam verò Vangionas, Tribocos, Nemetes, qui Cæsare belligerante citeriorem ripam incolebant, Tacitus haud dubiè vult Germanorum fuisse populos. Qui populi omnes etiam hac ætate, vel invitis sua incunabula ferunt accepta Treviris; & certè, vetusta quædam haud spernenda monumenta, Trevirorum eos quondam arguunt fuisse vectigales.

Lib. de German. morib. Tacit. l. 4. hist. Annal. Spiren. Argen. Mogun. Colon. & veteres inscript.

VIII.

Et Belgarum se genti miscuit.

At Treviri, postquam Germaniam Transrhenanam victis finitimis, locoque pulsis deseruēre, in nomen concessēre Belgarum; ægrè posituri gentis & sedium, quas reliquissent, memoriam & indolem; haud aliter quàm generosæ arbores ac plantaria, quæ licet nascendi vigorem traducta, rarò tamen naturæ vim amittunt insitam. Belgarum itaque veteres duplex fecēre genus; alterum, quod locis remotioribus à Rheno, esse putarunt indigenarum; alterum, in quibus Treviri, Nervii, Mediomatrici, quod transmisso Rheno, vicinum solum occupasse notant, originis Germanicæ: cui laudem in commune dant eximiam, nullis tamen perinde ac Nerviis & Treviris concessam. Quòd essent omnium Gallorum fortissimi; quòd subvenire Romano nomini, comprimere Germaniæ populos idonei ac validi; quòd robur denique Galliarum. Originem variè jactant scriptores; sed parum expediunt, qui supra Cæsaris ætatem inquirunt. Perinde gentis appellatio fluctuat: nam fabulas recoquunt jam dudum explosas, qui ex Annii Beroso, Belgium, nescio, quem Regem, statuunt conditorem gentis. Quibus nec dissimiles, qui dictum à Belo Chaldæorum vel Assyriorum Deo, aiunt, oppidum stetisse celeberrimum, quo loco Bavacum itineraria describunt. Hinc manasse Belgarum famam, nomen & sacra. Aliquid fortè dicunt, cùm Bavaci, seu Bagaci Nerviorum oppidi laudant antiquitatem: & Belum, Persis, Tyriis, Pœnis non ignotum, aut potius primum & communem gentium Deum reponunt inter Belgarum numina, sed absque testibus malè cum his junguntur cætera. Plus etiam quàm velim, Goropio Becano tribuunt, qui Belgis à *Belgen* aut *Balgen*, quorum illud irasci, hoc pugnare sit, etymon accersunt. Et Gesta quoque Trevirorum aliquid hic sibi licere voluerunt, cùm à rivo domestico nomen edunt Belgicæ populis: sed parum attenderunt, eum rivum in conspectu prope urbis, Mosellæ se miscentem dici Kilam, Gelbin ab Ausonio, quem inversione literarum, Belgin, perperam fecēre.

Belgicæ origines. *Cæsar & Tacit.*

Tac. annal. 1. hist. 4. lib. German. Justus Lipsius ad 1. annal.

Abraham. Ortel. itin. ex annal. patr.

Æthicus in Cosmogra. apud Hedaardum l. 1. c. 1. Anton. itin. Iacob. Marchantius in Flandr.

Gelbis is rivus. *Auson Mosell.*

IX.

Isidor. Orig. l. 14. c. 4. Hesych. lex. Βερσεῖα Ἰού ...

Isidorus & Hesychius civitatem exstruxere, à qua deducerent incolas. nam ille, Belgis, inquit, est civitas Galliæ, à qua Belgica provincia dicta est. Hic verò: Βελγαῖος ἀπὸ πόλεως Βέλγης, Belgicus ab urbe Belga. Vtrumque probabile est, iis Cæsaris locis inhæsisse, quibus sæpe & in Belgio se legiones collocasse, & hiemasse scribit; atque ita, pro oppido regionis nomen accepisse. Cui errori in posterum quidam ut mederentur, Belgium ex Cæsare universè ejiciendum putarunt. Sanè Cæsaris locus est ambiguus. nam, ubi hiberna in Remos, Nervios, ac Treviros ipse distribuit, qui haud dubiè Belgici generis, addit de se: Tres legiones in Belgio collocavit, his M. Crassum Quæstorem, & L. Munatium Plancum, & C. Trebonium præfecit. Annè ergo extra Belgium, quæ sub T. Labieno apud Remos & in confinio Trevirorum, & apud Nervios sub Q. Cicerone excubabant? Id sanè dici non potest: quare, qui scripturam retinent, civitatem accipiunt Bellovacorum, per cujus agros aut regiones, tres illæ legiones dispersæ. Belgium enim Cæsarem dixisse, pro Belgii certa regione ac parte. Id quod satis peritè, meo quidem animo concludunt: nam, ubi ex hibernis evocatus M. Crassus, ex Bellovacis accersitus est, & ab eo longiùs abfuisse cæteros quoque testatur Cæsar. Jam etiam, quàm illud alienum à Cæsaris rebus; quem sparsim metus tunc undique cingebat, unum oppidum tribus frenare legionibus; & vires, quibus dispersis erat opus, claudere in unum locum? Ut illud taceam, Cæsaris ætate tam florens oppidum sic in fumum abjisse ilicò, ut à nemine deinceps scriptore vel calamo notatum, aut radio signatum sit. Perspicitur itaque satis, qui origines Belgarum repetunt altiùs, à Cæsare habere parùm eos subsidii, & eorum quæ statuunt, vix ullam rationem inire posse.

An civitas aliqua, à qua Belgæ deducti.

Francisc. Orbem. ad Cæs. Bell. Gal. lib. 5.

Belgium apud Cæsarem quo sensu.

Pontus Heuterus in veteris ac novæ Belgii hist. c. 4. l. 1.

Tertia succedit ætas, succo ac vigore suo robusta, perfectaque; cùm ascriptis jam in Trevirorum Coloniam Romanis, Treviri Belgarum, imò Gallorum præstantissimi; cum Italicis in unum coaluere populum; ipsaque civitas Senatus & Curiæ propriis ornamentis, inde Palatio seu domicilio principum, Prætorio & Armamentario clarissima, confluentibus etiam huc ex orbis Romani Provinciis undique populis, in eam sese amplitudinem erexit, ut metropolis honore, ad splendidissimum Galliarum omnium, ac finitimarum regionum, bello paceque venerit principatum.

X.

3. ætas, qua in Romanorum sanguinem transiere Treviri. *Salvian. l. 6. de gub. Dei.*

Treviris urbs Gallorum opulentissima, summa, excellentissima. *Auson. in Urbium laudatione.* *Ammian. Mela, Zozimus lib. 3.* πόλις μεγίστη τῶν ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἐθνῶν. Omnium trans Alpes gentium maxima civitas.

Post autem, Romanâ labente fortunâ, ubi barbarorum feritati, atque irruptionibus patuerunt omnia, simul & Trevirorum res, velut in extrema jam positæ senecta, inclinare, suaque mole ad ruinam procumbere cæperunt: exhausta quippe teterrimis incendiis, & fœda cadaverum strage Coloniâ, eversaque funditus nobilitate, & plebe continenter letalibus & altis vulneribus miserè lacerata, denique Treverici soli bustum potius quàm civitatem, novus advena Francus insedit. Habitatorum igitur reliquiis, vel exitio sublatis, aut metu ad alia loca dilapsis, aut connubiis legibusque in externa transeuntibus adventitiæ gentes nullo certamine cuncta pervasere; & quod de Trevirorum provincia, Mosellæque tractu, ait B. Sidonius Arvernorum Episcopus, apud ipsum imperii limitem, qui Trevirorum finibus prætendebatur, demum jura Latina ceciderunt. Atque ex hac

XI.

4. ætas, in qua confusi cum exteris & advenis Francorum populis.

gente

Eutropius, Procopius, Agathias clarissime, ut suis locis.

gente Francorum, quæ origine quâdam Germanicâ, & trans Rhenum orta, Austrasiorum aliquando nomen gessit, castigato veteri luxu, feliciore quadam stirpe, ad omnem virtutis & Christianæ pietatis pulchritudinem crescere nova propago, & revirescere cœpit; cujus etiamnum reliquiæ nomenque perdurant.

XII. Franci-Gallorum infessores originis Germanicæ.

Adversf. l. 24. cap. 17.

At, quia de Francis ita pronunciamus, ut apud Germanos eorum potius incunabula, quàm alibi figamus; eam sententiam quo molliùs accipiant Francigenæ Galli, judicio viri leniemus elegantissimi, quo vix in hoc genere fieri quicquam vel existere potuit limatius. Adrianus is Turnebus est, qui litem hanc secundum Germanos datam videri, in adversariis disertè testatur; idque adeo Gallorum principibus placere, ut cùm Germanos sibi conciliare volunt, cognationem generis libenter ostentent ac renovent. Ipse dein rei indagandæ insistens, originemque respectans ulteriorem, tandem huc se ferri significat, ut velit advenas * Francos Germaniam occupasse, uti & alias multas nationes: & quod diutius ibi consederint, inveteraverintque, Germanos esse dictos. Videri itaque fuisse olim * Scandinaviæ populos, ut & Gotos, qui se Germaniæ & provinciis populi Romani superfudêre: huic sententiæ accedere historiarum monumenta, quibus proditum Francos initio infestum mare myoparonibus habuisse; Frisiorum & Batavorum litora occupasse: deinde in Germaniæ mediterranea, & interiora penetrasse; postremò in Galliam transiisse. Quod autem se stirpe Troianorum satos Francigenæ prædicant, id eos æmulatione Romanorum facere, quos cum eo stemmate ac nobilitate insolescere viderent, idem decus arrogare sibi voluisse, insitâ laudis appetentiâ. Sic fermè Turnebus: cui de primigenia sede, tanquam de re minus comperta sancienti, ut complures obrogent, quia tamen neque Bataviæ, neque Frisiæ αὐτόχθονας vel indigenas fuisse, claret ullis veterum monumentis, ipsosque diversos à Frisia ac Batavorum gente, iis tamen ex regionibus, vel si remotiora spectes, ex Pannonia & Thuringis finitima Saxonum & Alemanorum vicinitate traditur appetiisse primum Romanos? satis adhuc superest causæ, cur de Scandinavia hæsitans, fortiter de cæteris pronuntiet. Haud enim posse aliter, nostra suis locis de * Francorum initiis, progressu, narratio clariùs affirmabit.

* ex Scandia, in qua *Trithem. c. 11. Tab. 4. Pistorius vel Prdri.* Franci antiquitus Scandiæ incolæ *ut Turnebus:* certè de Saxonib. Longobardis, Burgundionibus, idem tradunt *Jornandes hist. Got. & Paul. diac. Procop. lib. 2. & 3. Venetio Tacit. lib. de mor. Germ.*

* *al.* Scandiæ quæ & Sconia & Scania, pars Balthiæ, in qua Suecia, Dania, Norvuegia. *Ads loc. Typotium volat. de regn. Suecia.*

Francorum sedes primigenia non satis comperta. *Fr. Hotom. Franco-Gall. & P. Nicolas Severis nota ad S. Kiliani vitam. Tanaq. diverf. Sulm. Apoll. Eutrop. Claud. Nota ad For.*

* *Hieron. in Hilar. & Gregor. Tur. & Aimo. in hist. Franc.*

CAPUT X.

De veteris populi lingua.

GEntem hucusque Trevirorum retrò, omnem literarum antiquitatem, & temporum varii discriminis intervalla, utinam haud temerè, pervagati, quæsivimus; jam populum quis describere placet, à priscæ gentis lingua rectè videar sumpturus initium: quod hujus opera atque beneficio homines, juris, legum & urbium societate devincti, ab immanis & ferini victus consuetudine, ad studium humanitatis, & reliquas patriæ ac civium inter se caritates, sint traducti. Nec ullum profectò tenacius existit, ad conglutinandos hominum animos, fidei ac justitiæ amore vinculum, quàm unius sermonis ac linguæ consociatio: meritò ut à vetere quopiam scriptum sit; *efficere loquendi varietatem, ut externus alieno non sit hominis vice.* Idque adeò monumentis certum divinis habemus; quippe vitiatâ linguâ nihil ad discutiendos impios, & contra divinam voluntatem obstinatissimis animis euntes, repertum à Deo validius. *Erat adhuc*, ut Moses loquitur, *terra labii unius, & sermonum eorundem*; idest, eadem eloquendi ratio ac sermonis usus; Hebræum fuisse, consentiunt majores; quem fabricator & opifex totius universi primo parenti tribuerat, quémque ab hujus ore sincerum & incorruptum hauserant posteri, adhuc in omnium hominum societate dominabatur, quando metu iterandi diluvii, ut Josephus; vel ut potiores cum Mose, libidine fastus; ad ædificandam celsissimam illam turrim, & cum nubibus ipsis venturam in certamen, aggressi gigantes & sacrilegi molitores, pro studio famæ, & impiæ quæsitæ celebritatis, mercedem, dissimilium confusionem linguarum adepti sunt; pœna in omnium ætatum & hominum genere, ad facinoris audacissimi memoriam duraturâ. Unde, nescio, an quidquam præclarius in hoc argumento dici ab Aurelio Augustino potuit. Quoniam *Dominio imperantis in lingua, ibi damnatam esse superbiam, ut non intelligeretur jubens homini, qui noluisset intelligere, ut obediret Deo jubenti.* Sic illam consiliorum voluntatumque conspirationem esse dissolutam, cùm quisque ab eo, quem non intelligebat, abscederet, nec se nisi ad eum, quocum loqui poterat, aggregaret. Atque hoc promptiùs etiam dispersos, Sulpitius consentit, cùm alter alterum velut alienigenam, facilè relinqueret. Addit & Philastrius, linguarum dono, quo singulari omnes beneficio pollebant, exutos; *habentes enim*; inquit, *gratiam angelicam, id est multarum linguarum scientiam, non agnoscebant autorem tantæ sapientiæ dominum*; quo modo labium unum & linguam, hoc stetisse charismate, interpretari ipse videtur: nisi fortè illam unius linguæ communionem, multarum linguarum parem faciat intelligentiæ; quo sensu, B. Gregorius diversarum gentium linguas in Apostolis unitas; at, qui contra Deum, turrim ædificare conati, his unjus linguæ communionem scribit ereptam. Aliàs gravior fortè nota, quam derivat in alios, ad ipsum censorem Philastrium redeat. Hinc igitur, è Babelis dissolutâ mole, populis tanquam à centro lineis, in colonias abeuntibus, ut domiciliis in posterum atque regionibus distingui, & quàm longissimis terrarum spatiis homines invicem sejungi cœpere; ita vocis sono, atque septuaginta duarum linguarum discrimine, in diversa distracti, terram sparsim habitantes incoluere.

I. Linguæ communis usus cõjungit homines.

Linguarum discrimen divellit, ut in Babylone visum.

Genes. c. 11. B. Hieron. ad 3. c. Sophon. Aug. civit. l. 6. c. 11. Bened. Pere. ad 11. Gen. 8. disput. Gorop. ridicule pugnat. Cimbricũ fuisse, seu Flãdricum idioma mũdi primum.

Babylonica confusio.

Lib. de Civit. 16. cap. 4.

1. par. hist. Eccl.

Philast. hæref. de variis linguis, & nomine linguæ.

Gregor. hom. 30. in Evang. Act. 2.

Philastrii sententiam vulgo explodi, Aug. Tor. 2. mund. ætat.

Gen. cap. 11. & Hier. in 26. Matth. Epiphan. initio panar. Aug. l. 16. de civit. c. 3. & 11.

Quæ sanè mortalium prima migratio, in ætatem Phaleg, filium Heber incidit; qui patris vaticinio Divisionis vocabulum gessit; itáque appellatum Moses disertè testatur: eo quod in diebus eius divisa sit terra. Porrò dies hos, qui cum B. Augustino, potius ad ortum ipsius, quàm cum Hebræis ad exitum vitæ revocant, ita statuunt, cum uno supra centesi-

II. Migratio prima sub Phaleg. Divisio terræ & linguarum. *Lib. 11. de Civit. c. 11.*

mum

Digitized by Google

Mundi anno 1787. *Iac. Gordon. Torniel.* divisionis tempus ponit an. post diluvium 275. qui ipsi vitæ Phaleg. an. 144. *Cor. Corn. in Pentat.* 170. post diluvium. Celtarum lingua quâ latè patuerit.

Strabo & omnes alii. Plutarchus in Mario.

mum anno post diluvium Phaleg natus sit, proximè abfuisse ab hac ætate Divisionem linguarum, nationumque dispersionem. Alii, qui vita Phaleg longiùs procedente hanc esse factam contendunt secessionem, proferunt ad LXX. ætatis eius, vel etiam ulterius. Et Celticæ quidem gentis soboles, quàm latè quaquaversum extulerit imperium, & in omnem sese partem dilatarit, cùm veterum alia præclara & illustria monumenta, tum complures in Europa atque Asia testantur ab ipsa nomen sortitæ nationes. Quis enim in veteri colligenda memoria tam ignarus & hospes, cujus non aures hisce crebrò personuêre vocibus, Celtiberia, Celtoscythia, Celtogalatia per quas omnes regiones, cum gente diffusa lingua, non angustiùs, quàm ipsi illi populi, regnavit. Quare cùm latissimè pertinens, à genuino fonte atque origine sua longiùs discedens, in aliam formam naturamque subinde concesserit, fit profectò, ut strictiùs capiendum sit idioma, de quo nobis in præsentia sermo.

III.

Treviros non locutos Francorum eâ linguâ quæ modò Gallis usitata.

Quærendum igitur, quâ linguâ Treviri antiquitus fabulati, postquam cis Rhenum in Gallia, inter Belgarum populos, civitate & principum imperiis floruerunt. Principio quidem Francicè, quod nostra vocitat ætas, Treviros non loquutos, vel inde clarum est, quòd à Romano sermone non toto genere illa remota, nil ferme videatur aliud, quâ corrupta quædam latinitas. Græcum autem usurpasse sermonem, negat D. Hieronymus. Et licet hac tempestate nostra repugnaces non paucos extitisse haud nesciam, qui Celticam, sive Gallorum priscam linguam magna sui parte Græcam fuisse, adductis in medium elenchis truncarum ac mutilarum vocum, evincere quàm pertinacissimè conati sunt, his ego tamen cur assentiri nequeam, si causas hic fuero memorare aggressus, vix instituti sermonis inveniam exitum. Voces enim in utrâque reperiri linguâ tam Germanicâ quàm Gallicâ, æquè à Latinis atque Græcis derivatas, an mutuò sumptas, aut cum rebus ipsis novè, uti solet, importatas, nullus ego diffitear: at ab veteri istac omni Gallorum natione, Græci sermonis integritatem usu receptam frustra mihi credi postulem, neque verò me autore ut quisquam id suaserit, requiram. At Cæsar, inquis, fusis atque profligatis Helvetiis, nunquid in castris eorum tabulas reperit, literis Græcis confectas? idemque disertis verbis, an non sacerdotes Galliæ Druides, in suis ferè rebus publicis, privatisque rationibus, Græcis literis uti solitos, prodidit?

Bruil. Perionius, Bodinus.

Neque Græcè loquutos; remotis etiam iis, quæ obstent.

Lib. 1.

IV.

Massilia à Phocæa Asiæ civitatis incolis potius, quâ à Phocidis in Hellade orta.

Strabo l. 4. Massilienses quemadmodum Græco sermone sint usi.

Jam verò Phocensium, vel, ut malunt alii, Phocæensium nepotes, atque posteros Massilienses, & Græcarum disciplinarum omnium, sermonisque perquàm studiosos fuisse, si non aliunde, at ex Strabone quis non intelligat? ut qui non horum modò studio, atque diligentiâ, Gallos omnes evasisse contendat φιλέλληνας, sed id Romanorum etiam persuasisse nobilissimis, ut disciplinæ causâ Atheniensem peregrinationem, Massiliensi postponerent. Sic, L. Antonium legimus, claritudine generis eximium adolescentem, ab Augusto Cæsare in civitatem Massiliensem sepositum, ubi, specie studiorum, nomen exsilii tegeret. Sic Cn. Julium Agricolam, sedem ac magistram legisse studiorum Massiliam, locum Græca comitate mistum, & provinciali parcimonia. At hic, quæ Glareani & optimatium quorundam sententia sit, non me fugit. Et literis Græcis, non autem linguâ Græcâ, tabulas eas Helveticorum confectas pronuntiant; quod tamen Aldus probasse videri noluit, cùm pro literis usitatâ Romanis phrasi, sermonem est interpretatus. Sed, ut ita sit; rem hîc in controversiam adducere, non est animus. Enim verò Massilienses à pueris expertes Atticæ Græcæque linguæ, non silet ipse Strabo, qui de sua ætate conjecturam faciens, antea quidem docet cum Græco sermone consuetudinem eis intercessisse, sed haustam ex disciplina & docendi præceptis: nam Augusti imperio, Graiis magistris mercede conductis, & doctrinarum & artium omnium excitato gymnasio, eos in lingua Græca effecisse progressus, ut & dicendi artes, & Philosophiæ studia diligenter excolerent, cæterique Gallorum etiam contractuum formulas Græca oratione vulgo perscriberent. Neque aliter ego Varronem interpreter, cùm trilingues ipse prædicat Massilienses, quod & Græcè loquerentur, & Latinè & Gallicè. Nimirum enim adhuc, pars ista, quàm nostra, superior sit, non disputo: quid enim Druidas arcanis sacris, ac disciplinæ suæ mysteriis, aliquem peregrini præsertim sermonis usum antiquitus adhibuisse, prohibet?

Tacit. Annal. lib. 4. & in Agricolæ vita.

Ald. Manutius ad Cæs. comment. Fr. Hotom. in Franco-gallia.

D. Hieronym. in comment. Epist. ad Galat. ex Varone.

Druides quomodo Græcis literis usi.

V.

Galli universi, & vulgò, an Græcè sonuerint.

Cæterum id sermonis genus an Galliis usurpatum universis, & in vulgus notum, tritumque ad congressiones, quotidianarumque rerum usum, id verò in percontando ponitur. Et initio magna quidem ipse Cæsar nos liberat molestia, cùm satis à Græci sermonis notitia, Gallorum vulgus eximit; quando hac ratione sibi cavisse Druides memorat, primum, quo ne disciplina ipsorum in vulgus emanaret; tum, qui ad ipsos discendi causa ventitarent, hoc fideliùs disciplinam memoriâ sepirent, quod in literis ignotis nullum cernerent retinendæ doctrinæ positum esse præsidium: cum ita ferè comparata sint hominum ingenia, ut literis confisi memoriam remittant, atque ab his, ubi usus est, adjumenta sperare soleant. Quanquam ego certè, qui Druidibus aptetur sermo Græcus, prorsus non video; cùm Divitiacum Æduum ex Druidum ordine principem, nisi per interpretem Cæsar, licet Græcè doctus, non intellexerit. Treviros autem nostros, Nervios, & ceteros ejus regionis populos, Græcè nesciisse, nihil perinde atque hoc factum Cæsaris comprobat, quod cùm Quinti Ciceronis & Labieni hiberna & obsiderentur à Treviris, & à Nerviis tentarentur omni oppugnationis genere, Cæsar ex equitibus Gallis, magnis præmiis persuaserit, qui ad Quintum, epistolam Græcis conscriptam literis deferret, quo ne interceptâ epistolâ, ab hostibus consilia sua cognoscerentur. Quare, ut reliquæ nationes omnem Græcæ linguæ gazam possederint, cùm tamen tres illas Gallias perspicuè Cæsar doceat, linguâ, institutis, legibus, inter se discrepasse, ecquis de Treviris relinquatur dubitandi locus?

Cic. lib. 1. de divin.

Cæsar. l. 5.

Cæs. l. ut supra.

Tertium

VI. Neque Germanicè locutos.

Tertium jam genus restare videtur, ut quoniam neque Francico, neque Græco sermone usos ostendimus, ad Germanicum demum confugiamus. Qua profectò in re delicias facere, ac mirificè sibi placere nostra pergit Germania. Sed dictaturam exercere inter Pyrrhonios, haud esse nostræ judico mediocritatis. Certè Wolffgangus Lazius, vir cæteroqui diligens in paucis, cùm de gentium migrationibus linguarumque discrimine tota implet volumina, Glareani vestigia sequutus, priscum idioma Gallorum id esse contendit, quo ad usque nostram ætatem utitur Rhenus, populique vicina utrinque loca accolentes. Verùm iis ipse copiolis pugnat, ut ejus prohibere vim, res nullius sit dimicationis. At fortiùs etiam more suo, Scaliger; Gallorum veterum idioma, sine dubio, Teutonicum fuit.

Lib. de migrat. gent.

Ioseph Scal. ad 4. Proper.

VII. Treviri origine Germani; sed lingua cultúque Galli olim.

Illud affirmo; Treviros ex quo relati à Cæsare inter Belgas, origine quidem Germanos, sed linguâ, cultuque Gallicam fuisse gentem, quare nec Teutonicum iis tunc proprium extitisse idioma, aut linguam, quam hodie usurpant Theudiscam. Etenim euntibus adhuc prosperè Romani imperii rebus, sic Germanicus sermo, qui Teutonici vocabulo jam nobis est notior, à veteri Gallico tantum discrepabat, ut Tacitus inde, argumento in hoc genere non invalido, gentium efficiat discrimen: nam, ubi Gothinorum & Osorum, qui terga Marcomanorum & Quadorum claudebant, tradit originem. Gothinos, inquit, Gallica; Osos Pannonica lingua coarguit, non esse Germanos. Quod si igitur Gallica lingua eo tempore tam peregrina fuit Germanis, ut si eo uterentur idiomate, censerentur non esse Germani; cur non perinde Galli eos esse negassent, qui uterentur sermone Germanico? Discrimen ergo non leve inter utrumque fuit idioma. Quin idem scriptor, si Trevirorum veram originem, tanquam linguæ vestigiis odorari potuisset, ad ipsorum ambitionem, ceu decus id ultro poscentium, certè confugiendi causa non erat, cùm de ceteris apertè, nec quidquam vacillans, haud dubiè Germanos esse pronunciat. Notum etiam illud ex Cæsare de Ariovisto Germanorum Rege, quod linguæ Gallicæ scientiam is ad Sequanos non attulerat, sed quod ea uti multa soleret, longinqua consuetudine.

Libro 1.

VIII. *Cæsar. l. 1.* *Strabo l. 4.*

Et verò, si quod Cæsar literis mandavit, tres Gallias linguis inter se discrepasse, sensum eum admittit, quem Strabo saltem in aliquibus moderatus est, nam de Aquitanis fortè major dubitandi ratio, nimirum τρεῖς extitisse μικρὸν παραλλάττουσας ταῖς γλώτταις, lingua parum differentes, videndum jam etiam illud, an insulæ Britanniæ, sive Aremoricis, ejus sermonis adhuc aliquid hæreat; quandoquidem, similes mores, commercia, necessitudines, eandem persæpè originem & linguam ostendere solent. At Druidas, palam est, plerumque ex Britannia disciplinæ suæ mysteria, ut Japones ex Sinis, petiisse. Divitiacum etiam Regem totius Galliæ potentissimum, cum magna parte Belgarum item Britanniæ imperium obtinuisse; denique & ipsis oppidis transmarinis, Belgarum indita vocabula. Quibus cùm addit Tacitus in Agricola, Britannorum & Gallorum sermonem haud multum fuisse dissimilem, nihil hujus sententiæ recusare possis. Cùm igitur trans mare apud Anglos, extra Saxonicum, adhuc peculiare vetus idioma alicubi in Vallia, apud Cambros & Cornibrienses vigeat, apud Aremoricos advenæ Britanni, diversam à Francis hodieque linguam usurpent, huc jam ire nonnullos haud pœniteat, ut veteris Gallorum Belgarúmque linguæ reliquias, credant in hisce gentibus adhuc custodiri. Et verò qui magnus sibi visus nostra ætate, in litteris & temporum demonstrationibus Aristarchus, ubi Scotobritannos, qui plagam Insulæ occidentalem incoluerint, eosdem asserit, quos Scotos, gentem Britannicam, S. Hieronymus appellavit, ex iis, ait, in Aremoricum Galliæ angulum, non parvam manum transmisisse; qui hodie in Gallis eadem lingua utantur, qua reliquiæ illorum Pictobritannorum, qui hactenus in Wallia, à cæteris Anglis seorsim idioma suum usurpant, retinentque diversum in majore Britannia. Nam quod Joannes Leslæus in rebus gestis Scotorum diligenter ex Beda observavit, ex quatuor linguis, quæ in Britanniis usurpatæ; Saxonum, Anglis & Scotis politioribus familiari; Hibernica Irlandis & Montanis Scotis usitata. Pictorum, quæ deleta gente, ut & Danica, ejectis ex Anglia Danis, periit, una antiquissima Britannorum, qua Cambri Cornubiorumque nonnulli sibi placent, apud veterum Britannorum reliquias in Vallia perennavit.

Britannica lingua, an eadem cum veteri Gallica & Belgica? *Cæsar. l. 6.* *Libro 2.* *Lib. 5.*

Tacitus in Agric. vit.

Apud Vallos in Anglia, & Britones in minore Britannia, una lingua & peculiaris à Gallica & Anglica. *B. Rhenan. Germ. rer. l. 2. Fr. Hotom. Franco-gallia. Ioseph. Scal. animad. ad Chron. Euseb. Scotobrit. & Pictobrit.*

Britanni Aremoricani, & eorum lingua.

Pictobritannorum lingua.

Britanniæ linguarum antiquissima in Catria aut Vallia. *Lib. 1.*

IX. Trevirorũ Priscam linguam exolevisse, & obscura ejusdem, alienis permista tamen, extare vestigia. *Lib. 1. de antiq. 1. Belg.*

Sed ut, quod res est, dicam, in tam altis tenebris aliquid hic nescire velle, hominis sit sobrii, ac judicii sui minimè prodigi. Quo mihi quidem verecundior semper Divæi visa est opinatio, qui in hac linguarũ permistione, primævi Belgarum idiomatis vestigia censet exstare admodum pauca: ac proinde difficilem hujus rei existere dijudicationem: nam quo, Cæsare Gallias debellante, utebantur, nonnullorum planè Germanicum, aliorum ex Gallico & Germanico fuisse conflatum; id quod ipse ex propriis maximè nominibus elucere putat, asperum aliquid & Transrhenanum sonantibus; ut in Treviris, Induciomarus & Cingentorix; in Rhemis Antebrogius, apud Eburones Ambiorix, quo veterum ducum magna quoque nomina, Brénum, Chrixum, Britomarum, Sinorigem, aliosque innumeros facilè referas.

X. Linguarum inconstantia & mobilitas, ob gẽtium transmigrationes.

Sed & vero proximum ait, pro eo, quod diversæ indies Germaniæ gentes in Belgicum invadebant, Belgarum linguam variare solitam; alia enim Tungros; alia Cimbrorum Teutonumque prolem, Advaticos; alia, qui Nerviis Trevirisque originem dedissent, esse loquutos. Adhæc in tanta Coloniarum populi Romani, legionum, & expeditionum frequentia, cùm lingua latina ad cœtus, commercia, familiaresque congressus, jam tum admitteretur: immo victorum jure & arbitrio, ambitione spargeretur, quin Gallorum vernacula insigniter fracta mutaverit, nihil est ambigui.

XI. Romani sermonis usus, quàm latè fusus.

Neque enim vicisse imperii magnitudine contentus Romanus, ni linguæ suæ quoque terminos quàm latissimè propagasset. Data est opera; ait B. Augustinus, ut civitas imperiosa

Aug. de Civit. lib. 19. c. 7. periosa non solum jugum, verum etiam linguam suam, domitis gentibus, per pacem sociatis, imponeret. Illud itaque magna cum perseverantia, *Valer. Max. l. 2. c. 2.* Valerio teste, custodiebat, ne Græcis ceterisque provincialibus, unquam, nisi latine responsa daret. Quin etiam, externi sermonis usu excusso, Græcos, quos plurimum intelligebat, per interpretem loqui cogebat, non Romæ tantùm, sed etiam in Græcia & Asia. Quo scilicet Latinæ vocis honos, ut aiebat ille, per omnes gentes venerabilior diffunderetur. Meminimus Ciceronem, *In act. 2. vel Accus. in Verrem.* cùm quæsitor in Verrem Siciliam insulam adiisset, à Metello Prætore graviter reprehensum, quòd Syracusis in Senatu Græco, verba fecisset; id est, apud Græcos Græcè locutus fuisset, ut quidam interpretantur. Hinc ea lingua, mirum quam altas, in vulgi consuetudine, radices egit; cum Belgicæ etiamnum, sicut & ceterarum Galliarum pars maxima, post illam barbarorum effusam in has provincias peregrinitatem, Romani sermonis vestigia tanto intervallo retineat; & nulla id re magis, quam literis ac scriptura prodat.

XII *Trevirorū quæ fuerit lingua.* Equidem, qui conjecturis haud usquequaque firmis unquam insistere, minimè velim, academiæ veteris instituto, esse melius judicatu, qua lingua Treviris usitatum sit, quam qui sit usa, animadverto. Faciam itaque, utinam lingum, & quoniam avidi homines ad has lubenter invitabunt antiquitatum epulas, ... veteri Quiritium more, ... nam also ...; sic eruditorum ... libentius ... lectore, quod S. Hieronymus ... *S. Hieronym. in 2. lib. commentar. ad Galatas.* nostris inserit, sereno claudam. Ipse namque commentationem suam in Epistolam ad Galatas literis persequens, ubi quædam ex instituto præfatus est, unum adhuc, ait, superesse, quod promissum in exordio, tandem aliquando persolvat: ecquid, Hieronyme *Trevirorū eadem lingua quæ Galatarum in Asia, de qua & S. Hieronym. testatur.* sancte Pater obsecro istud? Galatas, excepto sermone Græco, quo omnis oriens loquitur, propriam linguam eandem pænè habere, quàm Treviros; nec referre, si aliqua exinde corruperint, cum & Afri Phœniciam linguam, nonnulla ex parte, mutaverint, & ipsa latinitas, & regionibus quotidie mutetur, & tempore. Præclarum hoc, & plenum lucis argumentum; quo non temerè ullum illustrius de ullo hominum genere, vel antiquius extet in Transalpinis. Sed tamen hanc vernaculam Galatarum linguam, & affinem Trevericæ, *Non ea tamen Theodisca.* non dixero Germanicam extitisse, aut nostram Theudiscam, sero à Francis nimirum illatam; gnarus Galatarum parentes ex omni pœnè Galliarum regione, suis discriminata linguis, in Asiam profectos: atque haud paulò magis, quàm dialecto, pro terrarum spatiis, & gentium, inter se linguâ moribusque distinctarum, conditione, notis quamque suis evariasse. Cujus rei quod clarius optes indicium, quàm Cæsaris etiam ætate, in Ariovisto Rege proditum est?

XIII. Et Treviri, Orientalium Galatarum recordatione, altiores haud immerito sibi spiritus sumsere: ut qui suos majores nossent, tantis relictis in medio terrarum spatiis, incredibili bellicæ virtutis & armorum contentione, in Orientis ultimas regiones evasisse; res maximas ibi, & memorabiles gessisse; ac certum denique in minori Asia domicilium, inter Phrygas, Paphlagones, Cappadoces atque Bithynios, circumfrementibus nequidquam finitimis, collocasse. *Galatæ Treviris cognati.* Quare, ut Hebræis & Sareptanis Sarphatum, suum, Thubalis seu Tharsis, ut volunt, nepotem relinquamus, quem Gallorum gentem in Asiæ parte, Bithyniis vicina, condidisse tradunt, atque inde in Occidentem eosdem transtulisse Galliarum nomen, certe Gallorum nostratium, & Galatarum cognatæ stirpis, & gentilitatis jus tam perspicuum nunc esse cernimus, ut centumvirali judicio, sicut inter Claudios & Marcellos, contendere nihil hic necesse sit. Et Galatia veteribus altera ipsa Gallia fuit.

Quamquam & Cappadoces faciunt, equitesq; Bithyni, *Incerti.*
Altera quos nudo traducit Gallia talo.

Sed posterius de Galatarum in Asiam expeditione, in præsentia quidem fore confido neminem, qui in hac tanta memoriæ vetustate, temporumque caligine, multis denique, magnis, & prope singularibus Trevericarum rerum inclinationibus, veteris populi linguam, quam integram extare nusquam credimus, pertinaciore quodam à nobis studio, requirat; cum satis arbitramur factum instituto muneri, si in re, quæ doctrinæ præceptis, artisque certæ vestigiis deprehendi non potest, à temeritate saltem atque erroribus, probè cautum sit posteritati.

Et, quia hujus sermonis quotidiani, qui trans Rhenum natus, huc cum Francorum colonis quondam immigravit, recolere haud injucundum sit, quanta jam inde ab magni Caroli ætate facta sit inclinatio, documentum ejus, proferam clarissimum, ex Treverici templi primarii monumentis. Est autem lex illa ab Hluduico Augusto, & Hlothario F. Cæsare, Francis Austrasiis scripta, & sermone tum uti solito, ad verbum expressa. XIV.

Lex Hluduici Aug. & Hlotharii Cæsaris F. ex lib. IV. Franc. legum.

Lib. 4. Franc. Leg. c. 18. ex Ms. biblioth. primariæ Eccl.

That ein frevelihc man sit ergewalt have.
De homine libero, ut potestatem habeat,
so vuar sose er vuilit sachun sinu cegevene.
ubicunque voluerit, res suas dare.

S*Overse sachun sinu thuruhe salicheit selu si-*
Siquis res suas pro salute animæ suæ,
neru athe ce anderru crafilicheru stat athe gele-
vel aliquem venerabilem locum, vel pro-
genemo sinemo athe se vuemo andremo versellan
pinquo suo, vel cuilibet alteri tradere
vuilit inde cethemo cide innenevenium thera
voluerit; & eo tempore intra ipsum co-
selveru grafscefti vuisit in thera sachū thie gesat
mitatum fuerit, in quo res illæ positæ
sint; vuizzeta thia sala cegedune gevitze
sint: legitimam traditionem facere studeat
*That *auo themo seluemo cide that er thaz Sellan* ** aio.*
Quod si eodem tempore, quo illas tradere
vuilit uzzeneuvenaiun theru grafscefti vuisit
vult, extra eundem comitatum fuerit, id
that ist athe in here athe in palice athe in anaern
sive in exercitu, sive in palatio, sive in alio
sumeguvelicheru steat samantneme himo athe
quolibet loco; adhibeat sibi vel de suis pa-

vane sinĕgelandum athe vane andern thie theru
gensibus, vel de aliis, qui eadem lege vivant,
selvern vuizzidi * *leven theru er selvo levitt* (* levunt.)
qua ipse vivit, testes idoneos, vel si illos habere
urcundum retliche, Auur auor thie hauan nin
non potuerit, tunc de aliis, quales ibi me-
mach thane vane andern so vueliche thar bez-
liores inveniri possunt: & coram eis rerum
zera vindan mugen vuerthan. Inde vora hin
suarum traditionem faciat: & fidejusso-
sachunu sineru salunga. gedue inde burigun the-
res vestituræ donet, ei, qui illam tra-
ru geuveri geve himo ther thia sala infahit
ditionem accipit, vestituram faciat.
geuveri gedue, *Inde ather thiu sala so getan*
Et postquam hæc traditio ita facta fue-
vuirthit geaneruun * *in Selues neiema vonathen* (* Thesfelven.)
ris, hæres illius nullam de prædictis re-
vora gequetanen sachun mugi geduan irvangida
bus valeat facere repetitionem. Insuper
Thara vviri inde selvo thuruch sich burigun
& ipse per se fidejussionem faciat ejusdem
gedue theruselueru geuueri nio themo geaneruen
vestituræ, ne hæredi ulla occasio remaneat
thegein vrsach beliue thia sala * *cebekerine sun-* (* Colevan-delent.)
hanc traditionem immutandi; sed po-
der mera not * *analige thia thuruch cegefremine* (* analik.)
tius necessitas incumbat illam perficiendi.
Inde avo noch thanne sachun sinu bit geaneruun
Et, si nondum res suas cum cohæredibus
sinen gesunduruth * *nehauoda nesi himo that* (* nehabeda. * uuo)
suis divisas habeat, non ei hoc sit impe-
ceungeu vor * *Samithu sundergeaneruo siner auo* (* Samida.)
dimento, sed cohæres ejus si sponte noluerit,
er gerno neuuilit athe thuruchthengrauun, athe
aut pet Comitem, aut per Missum ejus
thuruch bodum sinin Bethungen vuerthe that
distringatur, ut divisionem faciat cum
thia sundrungabit * *themo due cethemo ther* (* himo.)
illo, ad quem defunctus hereditatem
geendido * *eruetha sina vuolda* * *vollocaman*
suam voluit pervenire; & si cuilibet
inde ano sumeuuelicheru samonungun thia
ecclesiæ eam tradere rogavit; cohæ-
sellan bat ganervo siner then * *vuizzut bit*
res ejus eam legem, cum illa Ec-
theru kirrichun * *vona themo voragesprochenemo*
clesia, de prædicta hereditate habeat,
erue have that bit andremo geaneruen sinemo
quam cum alio cohærede suo habe-
hauan solda Inde thaz behaldan vuerthe vmbe
re debebat. Et hoc observetur erga
then vader inde then sun inde then neuun vnce
patrem, & filium, & nepotem, usque
ceniarunt vuizzethallikhen * *ather thiu selue*
ad annos legitimos: postea ipsæ res
sachun ce theru muzzungu theru selueru sa-
ad immunitatem ipsius ecclesiæ re-
munungun * *ergeven.*
deant.

CAPUT XI.

De veteris populi religione.

Compulsis unum in locum atque congregatis, qui dispersi antea in agris, & in specubus abditi, ferarum ritu vivebant, mortalibus; jam omnium primum id munus erat conditorum, ut justitiam ac fidem colere novos cives, & parere legibus docerent, ac magistratibus. Porrò justitiæ prima, ac præcipua pars, cùm sit religio; nullaque gens, aut genus hominum unquam extiterit, tam ferum, immane, ac barbarum, quod non alicujus sive veri, sive ficti numinis religione teneretur, ut cujus insitam, aut potius ex natura ipsa haustam, arripimus omnes notitiam; haud longè abiero, si de priscæ civitatis moribus atque disciplina, quæ ex veteri memoria suppetunt, scripturus, ab religione primordia capiam. Ac nationem fuisse omnium Gallorum admodum deditam religionibus, traditum est à Cæsare; cujus rei, si in Treviris documenta perquirimus, haud sciam, an clariora ex omni ætate reperiamus iis, quæ in ipsis jam usque ab eo tempore exsplenduerunt, quo semel Evangelio recuperatæ salutis in orbem terrarum illato, ex cœcis illis opinionum tenebris, ad veri numinis cultum, religionemque sunt conversi; quippe profuso sanguine, tantum amorem erga pietatem, tantam reverentiam erga numen id, quod Euchario, Valerio, Maternoque prælucentibus, didicere, testati sunt, mortem ut in deliciis numerasse, & religioni omnia postposuisse humana, pro re sibi honorifica duxerint. Ea olim Trevirorum fuit, & in suscipiendis religionibus alacritas, & in retinendis constantia. Et verò insidet animis posterorum etiamnum, & in hac sera propagine pullulat, seseque vegetat, pietatis erga numen, & res cœlestes, quædam fœcunditas, quam, quod effluere non rarò, atque in superstitiones etiam abire cernimus, non tam simplicium & incauti vulgi ingenio, quàm cultorum inertiæ tribuas; & multiplicibus, quæ in naturam quamlibet rectè constitutam incurrunt vitiorum & errorum illecebris.

Porrò veteris ac portentosæ istius religionis, quam ante Christi liberatoris in terras adventum Treviris, cùm ceteris Galliis, communi studio coluit, antistites fuisse reperio Druidas; & quos Laërtius appellat Semnotheos, & Diodorus Siculus Saronides: præter hos, item Bardos & Eubages. Hujus autem ordinis, apud omnes Galliæ populos, præcipuo in honore, Druides. Prolixè id Cæsar in suis docuit commentariis; quippe quorum secta non honoribus modò, & omni immunitatum & exceptionum fulta commodis, quàm latissimè pateret; sed eas obtineret in cuncta Gallia opes atque dignitates, ut eorum scitis omnia publica, privataque sacra, gerundarum rerum quin etiam arbitria, plerunque subjacerent. Observes enim non ad illustres modò familias, quas meminit Ausonius, sua etiam ætate, Druidum stirpe satas, sed ad fœminas quoque hujus sectæ transiisse principatum. Nam, quæ apud Ælium Lampidrium Alexandro Severo tristem exitum; quæque apud Vopiscum Aureliano, Claudiæ vel Constantinianæ gentis lætum imperium; &, quæ Diocletiano demum ex Apri cæde, regnandi certum omen prædixit, mulieres Druidæ extitêre; hæcque postrema, apud Tungros, Trevirorum gentiles & commilitones, fatalem aprum cecinit. Viri itaque magorum, feminæ sagarum fermè ac fatidicarum ritu, momento quovis, in quascunque

Margin notes (left): Cic. lib. 1. de inventione. Vitruv. l. 2.

Margin notes (right): I. Omnes gentes religione aliquâ tenentur. — Trevirorũ religio. Lib. 6. Comm. — II. Druides religionis antistites. Semnothei. Saronides. Diod. Sicul. lib. 1. c. 1. Cæsar. lib. 6. Strabo. Plinius. Bardi & Eubages Druidum autoritas. — In professor. Burdegal. de Attio Patera. Druidæ fœminæ. — Flav. Vopisc. in Numeriano, ubi Petri Pithœi advers. Lib. 1. cap. 3. Gentilisque erratum.

cunque voluissent mendaciorum fraudes; ignarum vulgus impellebant.

III.

Druidum disciplina.

Ergò, cùm penes illos non respondendi juris duntaxat autoritas, sed procurandarum omnium regionum facultas esset; ipsi auguriis quoque, an maleficiis? sortibus atque prodigiis, præsidebant. Multa præterea, ut Cæsar loquitur, de animorum immortalitate, de sideribus atque eorum motu, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac potestate disputabant; & juventuti sese in disciplinam ipsis dedenti, præcipiebant. Quæ omnia, si à Græcis ingeniosis ejusmodi dogmatum, ac anilium superstitionum architectis, manasse in Galliam dixerimus, haud credo depugnabit perinde nobiscum, ac cum Gallis majoribus Cæsar qui disciplinam in Britannia repertam, atque inde translatam in Galliam, vulgò creditum affirmavit. Atque probabile mihi certè fit, qui de cæremoniis & sacris pleraque juventutem, civesque maximopere suos celabant, hoc cavisse non minore studio, ut ne ad Romanos Cæsaremque temerè quidquam illorum emanaret; præsertim cùm Gymnosophistarum more, obscurè eos, ac per sententias quasdam, * velut in ἀπορρήτοις philosophatos, ostendat Laërtius.

Unde in Gallias emanavit.

*i. tacendis. Lib. 1. c. 1.

IV. Druides Pythagoræ dogmatum non expertes.

Illud certè tanquam Græcæ vanitatis insigne huic fuit disciplinæ, ut Pythagoræ fermè somnia, de transmigratione animorum, suspiceret, coleretque, unde non verè minus, quàm eleganter Lucanus:

Libro 1.

Et vos barbaricos ritus, moremq́, sinistrum
Sacrorum Druidæ, positis repetistis ab armis.
Solis nosse Deos, & cæli numina vobis,
Aut solis nescire datum; nemora alta remotis
Incolitis lucis: vobis autoribus umbræ
Non tacitas Erebi sedes, Ditisq́, profundi
Pallida regna petunt; regit idem spiritus artus
Orbe alio; longæ, canitis si cognita, vitæ
Mors media est. certè populos quos despicit Arctos
Felices errore suo, quos ille timorum
Maximus haud urget leti metus; inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæq́, capaces
Mortis; & ignavum est rediture parcere vitæ.

Cic. in Tuscul. variis locis, & Diogen. Laert. in vita Pythagoræ.

Pythagoræ verò doctrinam, ex quo in illam Italiæ partem, quæ postea est magnæ Græciæ nomen sortita, ipse appulit, longè lateque fluxisse, atque in Romanam etiam Remp. permanasse, Cicero testis est. Idémque Pythagoreorum nomen in Italia, Siciliaque sic viguisse narrat, ut præ his nulli alii docti viderentur. Ipse verò Pythagoras, ut & Druides, impensè deditus in augurandi disciplina fuit; & maximum loci divinationibus tribuit; adeoque & ipse augur esse voluit. Quò minus relinquitur certè dubitationis, potuisse Gallorum pleraque decreta à Pythagoreis proficisci; id quod insinuavit etiam Valerius Maximus; cùm Gallorum eum morem memoriæ proditum asserit, ut pecunias darent mutuas; quæ apud inferos redderentur, quia persuasum haberent, nimirum animos hominum immortales esse; *Dicerem stultos*, inquit ille, *nisi idem braccati sensissent, quod palliatus Pythagoras credidit.* Clariùs Diodorus Siculus, & Ammianus; Druides certis astrictos loquuntur sodalitiorum legibus, ex præscripto & autoritate Pythagoræ, occultarum rerum commentationibus imbuisse animos; atque ad mortem fortiter constantérque perferendam, ob hujus decreta doctrinæ; Gallos fuisse promptissimos. Pythagoras autem, regnante Tarquinio Superbo in Italiam venit, ut in Tusculanis memorat Cicero; aut certè, quod parum discrepat, Servio Tullo, si Livium audire mavis. Quare, si hujus religionis decreta ipsi transcribenda veniant, expedita sit, quæ ducit ad disciplinæ Druidum vestigandam originem, via.

Pythagoreæ doctrina quàm latè vagata.

Lib. 2. c. 6.

Sic. libro 5. Marcell. l. 5.

Cic. Tusc. l. 1.

Livius decad. 1. lib. 1.

V. Druidum secta immanis.

Homines immolati.

Porrò in eo, ab innata omnibus naturæ quadam indulgentia, & conjunctione, inter homines hominum discivit Druidum secta; quod immani & detestabili genere sacrificiorum, non animantium cruore contenti aspersisse aras, humanis etiam hostiis dæmoni litabant; & capita nonnunquam immerentium, & innoxiorum, piaculum iræ dedebant, homines, ut Lactantius innuit, Heso, Theutatique, sanguine insaturabiliter sese explentibus, diis suis, immolantes. Quod & Lucan. sic inflavit:

Lib. 1. c. 21. divin. inst.

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Theutates, horrensq́, feris altaribus Hesus.

Theutates & Hesus qui Dii apud Gallos.

In quem locum vetus ad Lucanum commentarius; Theutates, Mercurius; sic dicitur, *quia Gallis hominibus cæsis placatur. Esus autem Mars dictus à Gallis; quod similiter hominum cruore placetur.* Mos hic tam dirus ac feralis, sæpe testatus apud priscos, Gallis Germanisque in usu promiscuo, & in serum quoque propagatus. Unde lucos avios, nemorumque secessus, quotquot in Treviris olim sacratiores extitère ritu gentico, hâc tam crudeli religione contaminatos, ausim profiteri. Nam passim in Galliis apud arbores, & præsertim quercuum robora, humanæ victimæ cadebant.

Comment. manuscr. ex biblioth. Trever. In Theutate consentit. Lovans 3. decad. l. 6. Marc. Velser. l. 3. Boicarum rerum.

hic barbara ritu
Sacra Deûm, structæ diris altaribus aræ,
Omnisq́, humanis lustrata cruoribus arbos.

Luc. in Obsid. Massil. & Claud. l. 2. de Stilichonis laud. Adi Iustum Lips. ad Taciti Germaniam. Orat. pro M. Fonteio. Eadem Ann. Seneca, apud August. l. 6. de civit. c. 10.

Unde Cicero, Gallorum nationi nihil sanctum aut religiosum videri docet; qui etiamsi, quando aliquo metu ducti, deos placandos esse arbitrantur, humanis hostiis eorum aras ac templa funestent; ut ne religionem quidem colere possint, nisi eam priùs scelere violaverint. Hîc ego, cum Lactantio non exclamem? O dementiam insanabilem; quis illis isti Dii amplius facere potuissent iratissimi, quàm fecere propitii? cùm suos cultores parricidiis inquinarent, orbitatibus mactarent, humanis sensibus spoliarent? quid potuit esse his hominibus sancti? aut quid in profanis locis facerent, qui inter aras Deorum, summa scelera committebant? Quo clarius est, quantum Christo liberatori autorique salutis nostræ debeamus perspicitur; qui ex teterrima illa scelerum & erroris colluvione extractos majores in lucem Evangelii, verámque Christianæ mansuetudinis possessionem misit.

VI. Druidum ritus in visco legêdo. Lib. 16. c. 44.

Jam neque prætereundus Druidum ritus, quem in colligendo visco percuriosè observatum iis, Plinius recensuit: nam visco & arbore, in quâ gigneretur, si modo fuisset robur, idem nil eos testatur habuisse sacratius. Ante omnia roborum ipsi eligebant lucos, nec ulla sacra sine eâ fronde conficiebant; ut inde appellati quoque videri possent Druidæ. Enimverò quid-

Δρῦς Græcis namque quercus.

quidquid adnascēretur illis, è cœlo missum putabant; signumque esse, electæ ab ipso Deo arboris: si verò, id quod ob raritatem materiæ non accidebat sæpe, in expetitam visci copiam incidissent, tum vero sexta luna, quæ principia mensium annorumque Druidibus faciebat, & sæculi post tricesimum annum, quia jam virium abundè haberet, magna religione ad hunc fere modum decerpebant. Primò quidem, ubi jam incœptabant opus, illud Ovidianum, quod hodieque in Galliarum parte manet:

Ad viscum Druida, Druidæ clamare solebant.

Sacrificiis hinc, epulisque ritè sub arbore præparatis, duos admovebant candidi coloris tauros, quorum cornua tum primùm vinciebantur. Sacerdos candida veste cultus, arborem scandebat. Falce aureâ viscum demetebat. Candido id excipiebatur sago. Tum deinde victimas immolabant precantes, ut suum donum Deus prosperum faceret his, quibus dedisset. Fœcunditatem existimabant, eo poto, dari animantibus, contraque venena omnia, esse remedio.

VII. Ovum anguinum. *Lib. 29. c. 3.*

Sed magicæ fraudi vicinius est, quod Druidis de anguino ovo, Plinius adscribit, alibi. Quippe ovum ex anguium complexu, ac venenosâ spumâ natum conglomeratumque, sibilis in sublime jactasse, sagoque intercepisse, narrat, ne tellurem attingeret. Id verò ovum; mali orbiculati magnitudine, se Druidis insigne vidisse: & ad victorias litium ac regum aditus, mirè laudatum. *Atque ut est*, inquit, *magorum sollertia occultandis fraudibus sagax, certâ luna, censuisse capiendum.* Quare Druidas in magorum classe reponere, cum Plinio non dubitamus.

Druidis insigne.

Druidæ magi, *ut & supra lib. 16. c. 44.*

VIII. Druidum Antistites præcipuâ nobilitate viri.

Denique Druidum munus penes præcipuam Gallorum fuisse nobilitatem, vel unius Divitiaci Ædui, viri apud suos opibus, autoritate atque potentia facilè principis, ostendatur exemplo. Hunc prodidit Cæsar, Sequanorum & Germanorum armis, oppressis Æduis, auxilii petendi caussa Romam quidem ad senatum, sed irritâ consilii spe, profectum. Quod verò Ciceronis domum hospitii causa iniisset, Quintus frater in divinationis controversiâ, Divitiaci perhonorificam mentionem intulit, cum rerum futurarum scientiam ac præsensionem, ne in barbaris quidem gentibus neglectam docet; *Siquidem in Gallia*, inquit, *Druides sunt, è quibus ipse Divitiacum Æduum hospitem tuum, laudatoremque cognovi; qui, & naturæ rationem, quam Physiologiam Græci appellant, notam esse sibi profitebatur, & partim auguriis, partim conjecturâ, quæ essent futura, dicebat.* Retulit nobis eum morem vaticinandi quoque Tacitus, de Trevericis, aut Rheno fortè propinquis loquens, qui cum Batavis fuere principes in armis. Nam cùm civili bello primum inter se commisissent Vitellius & Otho, mox Vespasianus cum Vitellio, rataeque Galliæ, locum apertum recuperandæ libertati, fidem erga Romanos exuerent; nihil æquè, quàm incendium Capitolii, ut finem imperii adesse crederent, impulerat. Captam olim à Gallis urbem, sed integrâ Jovis sede, mansisse imperium. Fatali nunc igne, signum cœlestis iræ datum; & possessionem rerum humanarum Transalpinis gentibus portendi, superstitione vanâ Druidæ canebant. At enim de Druidum disciplinâ prolixior, quàm institueramus, sermo fuit; quorum alioqui institutis cæremoniisque persequendis, obvii insudant scriptores Galli. De abolitâ itaque, & damnatâ peregrinitatis à Romano hac nefariâ sectâ, loco magis opportuno? Quæ verò in præsentia carptim ex multis delibavimus, huc pertinent nimirum, ut quibus sacrorum administris & antistitibus olim abundaverit hæc civitas, ex hac liqueat tam conscelerata & immani Galliarum omnium superstitione.

Lib. 6.

Lib. 1. de divinat.

Tac. l. 4. hist.

Adi Steph. Forcat., & Thom. Boz. de signis Ecclesiæ l. 22.

IX. Eubages Gallorum sacrifici.

Amm. Mar.

Aliud genus fuit Eubagum, quos appellat Marcellinus; sed horum nomen ut Druidum, haud perinde clarum. Eorum fuisse partes tradunt, in eam potissimùm philosophiæ partem operam navare atque studium, quæ naturæ obscuritates ac latebras excutit. Sunt, qui eosdem arbitrantur, qui Straboni dicti οὐάτεις, καὶ ἱεροποιοὶ, καὶ φυσιολόγοι Vates, & sacrifici, & disciplinæ naturalis exploratores; quo genere Semnotheos, & Saronides etiam volunt comprehendi. Addunt alii vitæ puritatem, atque integritatem morum, præcipuè consectatos quia scilicet id εὐαγὴς, quod casti purique notionem elicit, ita persuadeat.

Lib. 4. geogr. P. Pithæus adv. l. 1. c. 3.

Steph. Forc. lib. de Gall. imperio & Philosoph.

X. Bardi, Gallorum cantores.

Ceterùm his longè clarius nomen obtinuere Bardi, sic enim cantores, Festo Pompeio autore, Galli nuncupabant; quorum etiam fuisse dicam * Barditum, pro carminum sono, apud Tacitum in Germania, ni fallat antiqua manus. Eos fortia virorum illustrium facta, heroicis illigata numeris atque versibus, ad dulces Lyræ modos, canere solitos, Diodorus scriptum fecit, & Ammianus.

* Barditus. Baritus.

Lucia ut sup. & Posidonius apud Athen. lib. 6.

XI. Historia propagata cantu. *Cic. l. 4. Tusc. Iulin. Antioch. Amm. lib. 15. Val. Max. l. 2. c. 1. de instit. antiq. Tac. de mor. German.*

Fuit namque priscis ille mos usitatus, ut, cum litterarum apud eos usus exiguus, vel nullus etiam tum usus esset, cantu, voce, atque fidibus, annalium memoriam retinerent. Atque ad eum modum Germanos, cùm litterarum secreta ignorarent, antiquis carminibus usos esse, fuisseque hoc unum, apud eos, memoriæ & annalium genus disertè scribit Tacitus. Quem morem priscos non ignorasse Latii populos, adeoque latè patuisse, Cicero, cujus libenter usurpamus autoritatem in Bruto docuit; *cum, utinam*, inquit, *extarent illa carmina, quæ multis sæculis ante suam ætatem, in epulis esse cantitata à singulis convivis, de clarorum virorum laudibus, in originibus scriptum reliquit Cato.* Durasse autem apud Germanos, etiam serò, horum carminum usum, aliquam multis locis Venantius Fortunatus, tum in Lupi præstantissimi militiæ ducis præconio, non tacuit; ubi & Liedos, quomodo & solemus hodie, cantilenas eas nominavit, quibus laudes heroibus accinuntur.

Lib. 1. præfat. in Harpa. & l. 7. poëmat.

Nos tibi versiculos, dêt barbara carmina Liedos.

Et Paulus diaconus, Alboini, Longobardorum Regis ad Italicam irruptionem antesignani, nobilem contra Gepidas victoriam, fatetur, usque ad sua, id est, Caroli magni tempora, carminibus apud Saxones, Boiarios, ejusdémque linguæ gentes, cum virtutis laude propagatam. Sed & illustravit in hoc genere Bardos, Cordubensis gravissimus ille Pharsalici belli præco.

Hist. Longobard. lib. 1. c. 27. Egina. in vit. Caroli.

Vos quoq; qui fortes animas, belloq; peremptas,

Lucan. lib. 1.

Laudibus in longum vates demittitis ævum;
Plurima securi fudistis carmina Bardi.

Bardos autem, & Eubagas, ad religionis quoque procurationem adhibitos, propensa fides est; quod hos apparet, ad earum vim naturamque rerum, quæ in cœlo terraque fiunt, haud aliter incubuisse, quàm, ut aut in monstris, aut extis interpretandis, aut ventorum & imbrium signis notandis, & animadvertendis, velut augures quidam existerent, & sacri vates; illi verò poëticam istum vim suam, & varios canendi sonos, non in heroum modò decantandis laudibus, consumerent, verùm etiam cum Divum honore jungerent. Habemus ergo veterum descriptionem quandam sacerdotum; sed obscuram quidem illam, nec ipsis fortè lineamentis suis adumbratam.

XII. Trevirorũ Iurisdictio, & sacrorum diversitas, ac superstitio.

Plures autem per Galliam omnem delubrorum omnium, singulos singulorum fuisse sacerdotes, ac pro sacrorum discrepantia, alios atque alios invicem successisse administros, in tot superstitionum, sortium, vaticinationum, & expiationum frequentia, nihil mirum est. Neque dubitandum, quin hæc falsarum religionum pernicies, & dæmonum colendorum cæca furorisque plena vesania, cum illato Romanorum in urbem hanc imperio, mirificè creverit; & improbis studiis, malisque doctrinis, veterem urbis statum, pro eo, quod Trevirorum nomen magna apud eos erat gloria, peregrinis & novis religionibus auxerit. Quò vehementiùs etiam S. Euchario, principi tum natæ primùm, & apud Treviros annunciatæ Christianæ fidei, legimus adversatos Capitolii Pontifices; aditumque obstruere conatos Evangelio.

A S. Euchario expugnata.

XIII. Apollinis cultus memoria superest.

Cass. Brusch. in monast. S. Martini. Comment de Aug. Trevir. p. 5. Auson in profess. Burdegal. & Pithaeus advers. l. 1. c. 3. Ioseph. Scal. ad Chron. Eusebii. * Patera Euseb. Chron. Martin.

Sanè Apollini, in Gallia, Beleni nomine, eximius delatus honos; cujus apud Treviros, nec obscura superesse volunt vestigia, in monte occiduo, civitati è regione; unde olim, sollenne, certæ civium classi, rotam ardentem, seu quam aliam inflammatam molem devolvere, ob memoriam triumphati olim Dei, & afflicti simulachri ejusdem, déque summo præcipitati. Agnoscit Ausonius templa, æditous, & Pateras, id est sacerdotes Apollinis, à Delphis & Phœbo sua nomina sortitos, è quibus Burdegalensium Professorum reliquiæ * Paterius Delphidius, & Phœbitii, qui ad tempora Christiana pervenerunt. De Martis cultu apud Treviros, clariora fortè sint indicia. Montis jugum, ab ortu solis imminens urbi, hujus Dei tulit vocabulum; subjectusque campus quàm latè patet, diu illud retinuit; quin & adjuncta fano veteri porta, meliori titulo, sancto Simeoni post adscripta, habuit & antiquitus à Marte nomen, cui fortè fanum id dicatum fuit. Quæ satis coarguunt TREVERIS asperrimam licet Martis culturam, ut Jornandes loquitur, non displicuisse, cujus scilicet victimæ erant, cædes & funera infelicium hominum.

Iornand. de Gothis.

XIV. Mercurius Gallis honoratus. Cæsar. l. 6.

Jam verò, quod Cæsar cum Tacito meminit, Deum maximè Mercurium coluisse Gallos, & hujus plurima extitisse simulachra; ea de re Galbæ viatoris cujuspiam, ad Licinium Sophistam scribentis, insigne ad posteritatem, in Trevirorum annalibus, extat testimonium. Galbam quippe inter cetera rerum stupendarum, quas viderat Treviris, & audierat, sic introducunt loquentem: *Audi præterea quod mireris: Treviris est civitas Galliæ nobilis; ubi Senecio quidam, cujus hospitio usus sum per duodecim dies, in suburbio civitatis, ferream effigiem Mercurii volantis, magni ponderis, ostendit in aëre pendentem. Erat autem Magnes, ut hospes idem mihi ostendit, supra in fornice, itemque in pavimento, quorum naturalis vis è regione sibi ferrum adsciscebat; sicq; quasi dubitans remanebat ingens ferrum.*

Mercurii statua apud Treviros.

XV. Jupiter Trevericus.

Vidi etiam in eadem urbe, ingenti & pretioso marmore Iovem, scutellam auream duorum pedum latitudinis tenentem; ubi hoc inerat scriptum:

JOVI VINDICI TREBERORUM.
EX CENSU QUINQUE CIVITATUM RHENI PER TRIA DECENNIA DENEGATO, SED FULMINE ET COELESTI TERRORE EXTORTO, FACTUM ARTE MECHANICA.

Nam thus, quasi prunis impositum redolet, si immiseris; nec tamen deficit: quod ita probavi esse. Hactenus Galba; cujus liber excidit! etsi, quæ de magnificis Jovis Mercuriique statuis hic ipse commemorat, ad Romana sacra, & Coloniæ novæ instituta rejicere, non dubitem. Porrò Mercurialis illius simulacri vestigia, apud Mosellæ pontem monstrasse majores, persuasum posteris fuit, atque erutam inscriptionem:

Gesta Trev. ex quibus C. Brusch. in monast. S. Matthiæ.

Ferreus in vacuis pendens caducifer auris.

Lact. de fals. relig. Marc. Velf. l. 3. rerum Boic.

Sanè Mercurius amicum Gallis numen, quia gentis conditor habitus. Proditum enim ab eruditis, Theutatem qui Thyoth aut Thot Ægyptiis, sive Ditem, quo procreati Galli, eundem cum Mercurio fuisse; eámque vocem, referre eximiam virtutem, heroicis olim viris debitam, qui Celticâ linguâ, ut in Dieterico, Diethero, Dietmaro sonat, Ditis vocabulum assumebant. Supra omnem statuarum amplitudinem Mercurii Colossum celebrat, in naturali historia, Plinius, opus Zenodori nobilis, & nulli veterum postponendi artificis; quem decem annis elaboratum Neronis principatu, in civitate Galliæ Arvernis cives ponendum locarunt HS cccc immani pretio.

Mercurii Colossus l. 34. cap. 7.

XVI. Actione. 4. de signis. Idolorum & signorũ veneratio, in Provinc. Romanis.

De religione verò, signis Deorum à Provincialibus etiam adhibitis, multa Cicero commemorat Accusatione sua in Verrem; impenséque Romanum favisse, ut signorum apud socios; quosque vectigales aut stipendiarios fecerat, quamplurimum esset; quæ quidem non ornatus modò, vel religionis, sed jucunditatis quoque causa iis relinquebat, ut haberent hæc oblectamenta, & solatia servitutis: testaturque, mirum quendam dolorem accidisse iis, ex quorum urbibus hæc auferebantur. Meminit Segestanorum, à quibus cum Dianæ simulacrum tolleretur, summâ & antiquissimâ præditum religione, omnes convenisse matronas & virgines, & in magno majo-

Segestanorum Diana in Sicilia.

rum

rum natu luctu, unxisse unguentis, complesse coronis & floribus, thure odoribusque incensis, usque ad agri fines, prosecutas esse. Quæ quidem speciem habent inveteratæ superstitionis, per omnes latè tunc imperii Romani provincias, idolorum cultu, diffusæ. Plura fortè liceat de veteri Gallorum regione, sacrificiis ceteróque cultu promere, & in medium afferre, si quàm amplè locus hic patet, tam propriè Troviros, quos hîc polimus, exornaret. Quare, ut in satietate ingratum est naturam superfluis urgere, ita & hic morari diutius; neque fortè jucundum, aut operæ pretium.

CAPUT XII.

De Rep. Trevirorum, & civium nobilitate.

HActenus veterem Trevirorum memoriam adhuc ita explicare institui, ut Romanæ disciplinæ artiumque vel pacis vel belli, subinde redactis in Provinciam Belgis, introductarum, partem vix ullam attigerim. Hæc quippe, sive Trevericæ Reip. ornamenta, sive propagandæ memoriæ, densissimis alioquin circumfusæ tenebris, præcipua quædam adjumenta, aliis scilicet temporibus propriè reservantur, hîc in transcursu modo, quia sic ordo fert, delibanda.

I. De forma & statu Reip. Trevir? *Cic. lib. 3. de legib. Diog. Laert. in Tatinum, & Ciceronem lib. de Repub. apud B. August. de Civit. lib. 2. c. 21.* Politiæ partitio.

Ad Remp. ergo jam veniamus, ex qua hæc omnis procreata est de lingua & religione, disputatio. Cùm autem magistratibus, iisque, qui præsunt, omnis contineatur Resp. horum certè nisi constet descriptio, atque temperatio quædam, haud facilè poterit, quæ Trevericæ Reip. forma, quodve genus extiterit, intelligi. Enimverò in omni rectè instituta, atque bonis temperata legibus civitate, aut unus omnibus imperat, & regalis ille status est; aut paucis principibus viris Resp. committitur, fitque optimatium ex eo genus; aut denique rerum summa ad multitudinem recidit, cujus imperium atque administratio popularis est. Neque verò alia civitatis ulla jam superest descriptio, nisi quis concors, ex horum temperatione trium, extiterit & moderatus. Ceterum harum formarum, quæ maximè floruerit in Treverica, dijudicatu arbitror, cognituque perdifficile.

Arist. 1. Polit. Bellarmin. Controversf. Tom. 1. contro. 3. lib. 1. c. 2. Monarch.

II. Præstantia Regũ Galliarum.

Regum in omni Gallia summam antiquitus fuisse potestatem, ex Cæsare Livioque docere, res haud magni laboris fit: ita ut priscis temporibus, unius maxima & singularis, per omnes Galliæ partes, autoritas extiterit. Horum verò, ubi dein immoderatum in populos esse cœpit imperium; audaciáque elati & crudelitate, simul injusto dominatu, ac servitute cives pressère suos; quod jam imperiosiùs, quàm æquitas & ratio flagitabant, jus dicerent, ad tyrannidem conversi regale civitatis genus amisère.

III. Atque ut ex tyrannide, vel plurium vel unius, fere semper ordo generatur optimatium; sic usu venisse, nimirum opiner, in Galliis; uti simul ad tyrannidem res inclinare cœpit, mox inde ad paucorum civium principatum pervenerit; exemplo haud longè petito à vicina Massiliensium optima rep. cui, ut multis edisserit Strabo, quod à Phocensibus sive Phocœensibus esset, præclaris institutis atque legibus, fundata, sexcenti præerant optimates, quos ipsi vocabant τιμούχες, eorúmque numero, * Val. Maximo teste, senatus constabat totius autoritas. Ex his quindecim magistratus quotannis creabantur. quos inter Triumviri, ex horum ordine delecti, insigniori ad amplitudinem imperio atque potestate, reliquis præstabant. Vereor autem, ne tam facilè peritis hominibus hæc sine ratione persuadeantur, quàm à nonnullis speciosè atque magnificè proponuntur. Cæsaris quippe commentarios animo diligentiùs excutienti, atque perquirenti ea omnia, quæ ad inveniendam nonnullam Reip. veteris imaginem perducerent, rerum tanta dissimilitudo, atque varietas sese obtulit, ut regum, an optimatium, etiam, Cæsare armis omnia miscente, crebriora apud Gallos imperia extiterint, permagna teneret dubitatio.

Aristocratia Galliarum. *Lib. 4. Geograph.* * *Valer. lib. 2. c. 6.*

IV. Regum imperia quam crebra in Galliis. *Cæs. l. 1. & 2. Lib. 5. & 6.*

Etenim, ut regum imperia diutius etiam stetisse, planè pervideas; Catamandaledes regnum in Sequanis multos annos obtinuit. Apud Suessones Divitiacus Rex fuit, totius Galliæ potentissimus. Ambiorix & Cativulcus, diviso inter se Eburonum imperio, simul regnarunt; unde hic à Cæsare Rex dimidiæ partis Eburonum, appellatus. Quin & ipse Cæsar Comium quendam, Atrebatibus superatis, Regem ibi constituit. Quid alios memorem complures, qui per vim atque tyrannidem regna civitatum occuparunt? quid Teutomatum Nitiobrigum Regem? quid Galbam Suessonum? quid Vercingentorigem Arvernum? qui novo, difficillimo atque omnium acerrimo, adversus Cæsarem bello conflato, ab suis Rex salutatus est; cùm tamen Celtillus pater, affectati regni pœnam capite luisset?

Lib. 4. Lib. 1. & 7. Cæsar lib. 7.

V. Mixta politia Gallorum, Julii Cæsaris temporibus. *Strabo l. 4.*

Certè, qui Cæsaris ætate partim Regum, partim paucorum potentium pertulisse imperium Galliæ plebem, miserrimæ addictam servituti dixerit, hujus ego sententiæ non sanè multum refrager. Et posterius illud quidem valde confirmat Strabo, ἀριστοκρατικαὶ δ᾽ ἦσαν αἱ πλείους τῶν πολιτειῶν, Optimatium gravitate continebantur pleræque respublicæ quæ tamen unum quotannis magistratum creabant, cui reliqui parerent.

VI. Trevirorũ politia factiosa.

Equidem, cùm speciem Trevericæ reip. quandam mente atque cogitatione informo, Æduorum politiam, hominum pacis bellique studiis in Gallia præstantium, advoco. Ac utriusque certè civitatis, alterius cum altera, juris, legum, atque ceterarum rerum quædam societas ac affinitas agnoscitur, ex qua communionis ac similitudinis contentione, facilè perspicias, scitè Trevericum omnem statum, ad illud civitatis genus accommodari, quod in Æduorum republica, quam in Treverica, clariùs videlicet Cæsar, expressit. Quare sic mecum statuo, omnes Galliarum illas resp. quæ regibus exactis, paucorum in potestatem venère, factionibus propiores, quàm Aristocratiæ fuisse. Ubi enim plebs duram servitutem serviebat, prostratis afflictisque legibus, & omnis commodi honorísque spe depulsâ, hic esse quid aliud, quàm paucorum

Plebis conditio in veteri rep.

rum potuit, suis omnia commodis metientium, contra communem salutem utilitatemque conspiratio? Nam ubi in paucorum dominatu, justitiæ nervis incisis, interesse quippiam tantulum modo cœperit, ilicet aristocratiæ nomen occiderit; cujus est ea vis, ut simulatque communem societatem juris, legum, & publ. salutis vel abruperit, vel deseruerit, mox degeneret in factiones. Hæc autem à Cæsare tam diligenter omnia explicata habemus, ut ad ea, quæ jam à nobis commemorata sunt approbanda, luculentius, non videam, quid possit à quoquam requiri. Ipsum verò audire non pigeat.

Libro 6. Status rerumpubl. Galliæ Cæsaris ævo.

In Gallia non solum in omnibus civitatibus, aut pagis partibusq́, sed pæne etiam in singulis domibus factiones sunt: earumq́, factionum sunt principes, qui summam autoritatem, eorum judicio habere existimantur; quorum ad arbitrium judiciumq́, summa omnium rerum consiliorumq́, redeat; itaque omnes civitates in duas partes divisæ erant. Postea de plebe loquēs; *plebs,* inquit, *pæne servorū habetur loco, quæ per se nihil audet, & nulli adhibetur consilio: pleriq́, cùm aut ære alieno, aut magnitudine tributorum, aut injuria potentiorum premuntur, sese in servitutem dicant nobilibus; in hos eadem omnia sunt jura, quæ dominis in servos.*

VII. Optimatū imperitantium sævitia. *Cæsar l. 5.*

Extat apud eundem, crudelitatis in plebeios editæ, Vercingentorigis Arverni insigne, ad dominatus hujus prodendam impotentiam, exemplum. Is cùm in gravissimi, quod imminebat, belli apparatu, à nonnullarum civitatum populis rem administrari tardius, atque in armis capessendis, cunctantiùs eos agere intellexit, magnitudine supplicii cogendos ad imperium dubitantes instituit; nam majore commisso delicto, igni atque omnibus tormentis enecavit, leviore de causa, auribus desectis, aut singulis effossis oculis, domum remisit; ut essent reliquis documento, & magnitudine pœnæ terrerent. Neque diversum ab hoc instituto concilium Treverici Induciomari fuit; quod more Gallorum, in Treviris armatum ipse coëgerat. Id ad hunc peragi modum, Cæsar ait, consuetum; ut lege communi, omnes puberes armatos in unum cogerent, &, qui ex iis novissimus venisset, hunc in conspectu multitudinis, omnibus cruciatibus affectum, necarent.

Concilium armatum in Treviris, more Galliarum.

VIII. Druidum in subditos crudelitas.

Druidibus verò, quorum spectata erat in civitatibus religio, quid esse potuit in infimam plebem crudelius & immansuetius? cùm immani magnitudine simulacra vimine contexta, vivis complebant hominibus; quibus succensis, circumventi flamma cruciabiliter exanimarentur. Jam verò, cùm quorum vita extitisset consceleratior, horum maximè capita pœnis his atrocissimis devoverent, tum autem, cùm ejus generis copia defecisset, etiam ad innocentium supplicia descendebant. Atque hinc, quo numero locóve plebs infima per omnem Galliam extiterit, clarè perspicitur.

IX. Trevirorū reip. factionum calamitas monstrata. *Ex Cæs. l. 5.*

Sed ne Trevirorum quidem est, ut meliorem fuisse causam suspicemur. Etenim, ubi intestinâ, & odiis imbuta civilibus, principum animis insidebat discordia; & factiosis erant omnia distracta coitionibus; ubi denique inter principes civitatis non socerà genero tutus; hic quis ullum sanum cogitet Reip. mēbrum, aut ex insanis membris aptum, vel pulchrum extitisse corpus? Florebant principatus fastigio Cingentorix & Induciomarus; viri, in Rep. Trevirens. ambo, pacis bellique laudibus abundantes, & clientelis opibusque, de more gentis, supra communèm fortunam egregiè instructi: duxerat itidem Induciomari filiam Cingentorix: iidem simul ac in certamen honoris descenderunt, & de principatu, ut Cæsaris verbis loquar, inter se contendere cœperunt, quæ non inde consequuta seditio, & hujus Reipubl. perturbatio? At ejusmodi quoque magistratuum concertationes, cùm solennes jam hîc evaderent, ac propè quotidianæ, nullum dabant plebi obnoxiæ respirandi locum, Cingentorige tuente fidem erga populum Romanum, Induciomaro contra, res Romanas aversante, atque adeò ad excutiendum jugum, nova semper alia ex aliis serente bella. Solæ ergo factiones in hac Rep. dominabantur; tenuiores vero horum studiis obnoxii, militaria atque omnia servilia munia obire, parêre ad nutum, atque pro his denique meritis omnibus, inopiam & injurias pati didicerant.

X. Regnum in Treviris.

Dixeram, in Gallia partim quoque regum claruisse imperia; quæ prius, quàm optimatum jus in Rep. Trevirorum convaluit, hic etiam potuisse plurimum, haud vanis testibus approbabo. Nam, vel ipsi Induciomaro, & rem & nomen mansisse regni, in conspicuo est, & aperto. Quid enim principi alioquin uni, unde tam infinita in hanc Remp. potestas? non solum, uti factiones aleret, ingentes equitum peditumque copias conscriberet, sed, quod Cæsar ait, omnes, qui per ætatem in armis esse non possent, sedibus migrare juberet, & ceu pecora, in Arduennæ saltus compelleret. Quod jus non modò superbius optimatibus & populo, sed omni factione violentius & tyrannide, meritò videri potest. Haud frustra igitur L. Florus, quando de Induciomari nece agens, regem appellat: ipsóque à T. Labieno Cæsaris legato devicto, relatum, addit, regis interfecti, caput. Quod si jam etiam ostendo, in Treviris regale genus, iniquus sit, qui adhuc verba sibi dari putet. Ejus generis stirps sata Corn. Taciti ingenio, nullius alioquin cultu futura tam diuturna.

Induciomarus Trevirorum Rex.

Lib. 5. belli Gallici.

L. Florus l. 3. c. 10.

Tacitus l. 4. hist.

XI. Julius Classicus Trevir. regali sanguine.

Julium Classicum quippe, commemorat, prænobili, & fortissimæ, Trevirorum equitum alæ præfectum, domo fuisse regiâ, quem eundem Romani licet cognomenti insignibus, natione tamen Trevirum, extollit in ista militum voce. Hanc esse Classici, hanc Tutoris patriam. Ergo inter claros rebellium Galliæ civitatum Vitelliano civili bello duces: *Classicus,* inquit, *nobilitate opibusq́, anteibat alios. Regium illi genus, & pace belloq́, clara origo. Et, ut scires, vetustiora repetiisse forte, an ab* * *Induciomari sanguine? Ipse è Majoribus suis hostis populi Rom. quàm socius jactabat.* Denique, quid obstaret florere in illa civitate reges, cujus erant etiam reges Eburonum clientes?

Cæsar lib. 6. testatur ad Induciomari propinquos delatum imperium.

XII. Præfecti, seu Vergobreti magistratus annuus. * Werckobert.

Ut tamen ad nostram, si sic appellare licet, aristocratiam redeamus, in hac, summo magistratui, qui ex principibus in omni Gallia præesse solet quotannis unus, Vergobreti nomen ferebat, quem nonnulli ceu * Præfectum

operibus

H. Glarean. Fr. Hotom. ad Cæsarem.

operibus interpretantur, etymon secuti Germanicum. Creabatur autem is magistratus annuus; & vitæ necisque in suos potestatem habebat; quam alibi regiam Cæsar appellavit. Porrò hunc magistratum, quos gerere concessum, iis neque excedere ex illis, in quibus agerent finibus, donec essent cum imperio, permittebatur; * neque à pluribus verò, quàm ab uno iniri poterat. Præterea legibus Æduorum, duos ex una familia, vivo utroque, non solum magistratus creari, verùm etiam in senatu esse, nefas. Dissidentibus autem in eligendo Vergobreto inter se principibus, apparet jus constituendi Reip. principem, fuisse penes sacerdotes; unde Cæsar, Æduorum Rep. dissensionum procellis vehementer fluctuante, duobus de imperio civitatis inter se decertantibus, Cotum magistratum deponere coëgit, Convictolitanem qui per sacerdotes more civitatis, intermissis magistratibus esset creatus, potestatem obtinere jussit.

Cæs. l. 5. & 7. Flor. lib. 3 cap. 10
Induciomarus Trevir, etiam Rex vocatus.
** 1 Lib. ubi de Divitiaco & Lisco, perperam, mendosè legitur; cum ad Liscum referendum constet, scribendum magistratus erat, ut ex Nicasio Ellebodio annotavit Aldus P. F.*

XIII. Concilium commune Galliarum.

Hæc primùm apud singulas civitates; sed, quod mireris in illa factionum pestifera lue, inventum quoque publico bono temperamentum, in quo, ni Romanus externis obrepens imperiis, turbasset omnia, Galliarum libertas acquiescere poterat. Viguit enim in Galliis hoc institutum, & Romanis etiam temporibus obtinuit, ut quando usus aut resp. sic posceret, publicum gentis concilium agerent, quo in concilio, quæ ad summam reip. & salutem patriæ pertinerent, in medium consulerent. Hinc in Avarici obsidione Vercingetorix Arvernorum princeps, quorum in Galliis amplissimum erat imperium, cùm tristes dejectosque suos adspiceret; erexit hac oratione; qua dicebat, se unum concilium totius Galliæ effecturum, cujus consensui ne orbis quidem terrarum posset obsistere. Ejus generis erat, quod Galliæ Principes, superatis à Cæsare Helvetiis, indicere sibi licere volebant, ad amoliendum, quod à Germanis imminebat, servitutis jugum.

Cæsar lib. 7. belli Gall.

Lib. 1.

XIV. Treveri huic concilio innumerati. *Lib. 6.*

Porrò, huic ipsi concilio Treviros etiam annumeratos, primùm ex eo palam est, quòd, quo tempore Cæsar indixit, eorum absentia est pro manifesto defectionis indicio accepta. Inde, cùm Coloniâ jam deductâ, & constitutâ provinciâ, Treviri occasione civilium armorum tumultuarentur, tantum sibi Galliarum comitium permisit in hanc civitatem, ut redire juberet communi decreto ad obsequium. *Scribuntur*, inquit Tacitus, *ad Treveros epistolæ, nomine Galliarum, ut abstinerent armis, impetrabili veniâ & paratis deprecatoribus, si pœniterent. Restitit Tullius Valentinus, obstruxitq; civitatis suæ aures.* Sunt, qui ex Tacito numerum se collegisse putant earum civitatum, quæ hujus concilii olim decretis parebant: sed vereor, ut ipsi plus sibi fortè, quàm Tacito tribuant, cùm quatuor, aiunt, fuisse & sexaginta; non quòd has pluresve in Gallia civitates extitisse negemus, cùm Appianus in Celtico numerarit octingentas, sed, quòd alia Tacito mens, qui ad gentes potius respexisse videatur, quas cœptasse rebellionem, fama Romam distulerat. Res verò sic habet. Tiberii principatu Galliarum civitates, ob magnitudinem æris alieni, coortæ in seditionem. acerrimus erat inter Treviros belli exstimulator Julius Florus. Hæc, ubi Romam nunciata, cuncta, ut mos famæ, in majus credita; non Treveros modò & Æduos, sed quatuor & sexaginta Galliarum civitates, descivisse. Nec verbum addit ultra Tacitus; cujus eruditum interpretem hic sequi non pœnitet, præsertim, cum ex Verrio Flacco sciamus, non loca modo, civiumque jura, sed ejusdem generis imperiique multitudinem, civitatis quoque nomine contineri. Sed communes nunc Galliarum, ut & cæteras Reip. partes antea, perlustravimus; jam genus quoque civium, nî odiosa hæc diligentia sit, vel è longinquo per nebulam adspiciamus.

Tacitus histor. lib. 4.

Tacit. lib. 3. annal.

Civitatis notio.

Ad Gellium lib. 18 c. 7.

XV. Optimatum quanta vis & frequentia Treviris. *Cæsar lib. 5.*

Certè, quantum olim apud Treveros principum & optimatium, qui flos nobilitatis & honos extiterit, cùm ex aliis veterum Annalibus, tum ex Cæsaris Tacitique monumentis, præcipuè discis. Cæsar quippe, cum Britannicæ navigationis animo consilium agitaret, quo Treviros per absentiam pacatos haberet, Induciomarum cum filio, propinquisque ejus omnibus, nominatim evocavit; cumque ad se cum ducentis obsidibus, venire jussit. Nec quisquam cùm obsides audit, vilia cogitet plebis infimæ capita, & quarum facilis jactura, populi quisquilias; cùm satis ex ipsius Cæsaris commentario clarum sit, hoc eodem tempore, obsidum loco, principes ex omnibus civitatibus accersitos, & usque in Britanniam abductos; perpaucos verò, quorum in se fidem Cæsar perspexerat, in quibus etiam fuit Cingetorix Trevir, relictos in Galliis. Atque hinc illa justissima certè Dumnorigis* Ædui querela; non sine causa factum, ut Gallia omni nobilitate spoliaretur: id namque fuisse consilium Cæsaris, ut, quos in conspectu Galliæ interficere non posset, hos omnes in Britanniam traductos, necaret.

Induciomarus, cum ducentis præstanti genere, Treviris obsidibus, evocatus à Cæsare.

XVI. *Tacit. l. 5. hist.*

Illa verò Treverici Senatus, si adultiora non abnuis, quanta majestas, cùm Vespasiani imperio, quod tum à populo Romano civitas defecisset, Tutor Rhenani limitis præfectus, &, quem dixi, Julius Classicus, equitum alæ præpositus, ambo Treviri, ad universæ possessionem Galliæ, omni animi impetu ac spe incubuère? prælioque uno, prope in ipsius urbis portis, adverso facto, centum tredecim Treverorum senatores, ad nova excitanda Germanorum auxilia, transière Rhenum? Qui profectò numerus cùm Romani senatus amplitudine comparatus, haud multum ita togatis illis patribus, pro rata portione concedit; cùm quadringentos, aut paulò amplius, duntaxat convenisse perhibent, quando Romæ senatus affuit frequentissimus. Sed hæc ornamenta Coloniæ fuère, postquam ex amplissimo Decurionum ordine, qui princeps Coloniæ magistratus, misti Romano sanguine præstantes militiæ domique duces, & gravissimi provenère senatores.

Tutor.

Jul. Classicus.

Senatus Romani numero par prope Trevericus.

Cic. orat. post Reditum in senat. epist. 10. ad Attic. l. 1. Fenestel. l. 54. Paul. Manut. ad epist. famil. lib. 1. Cassiod. l. 4. admiran. c. 2. ampliat ad mille & ad sexcentos.

XVII. Romana stirps in Treviris. *Tacit. hist. l. 4.*

Nam, quod Agrippinenses Germanis, consanguineis suis, olim de Romanis respondebant, hic vel maximè locum invenit: *Deductis quondam, & jam per connubia sociatis, hæc patria est.* Unde, Augusto nuper defuncto, cùm Agrippina neptis, Germanici conjunx, ex legionum tumultu cum filio in tutum recipitur, nihil æquè flexit Romanum militem, quàm invidia in Treveros; quorum scilicet

Digitized by Google

fidei, imperatoria uxor, tot illustribus comitata feminis, crederetur. Et Germanicus, ceu beneficium invitus acciperet. *Neque enim Dii*, aiebat, *sinant, ut Belgarum, quanquam offerentium, decus istud & claritudo sit, subvenisse Romano nomini, compressisse Germaniæ populos.* Atque ista illustrium feminarum in Treviris commoratio, & Romanorum effusi in provinciales matronas amores, ad cæteras causas, haud levem afferunt suspicionem, ista quàm pridem in Treveris usurpata Tulliorum & Juliorum maximè prænomina, progeniem nobis aliquam monstrare Julii Cæsaris, & posteritatem cæteræ Romanæ nobilitatis, quæ hîc, cum ipso, in armis fuit. Certè de Julio Cæsare satis pervincit Suetonius, ne provincialibus quidem matrimoniis, & nominatim in Gallis abstinuisse. Et Julius Sabinus Lingon Trevirorum, in Vitelliana discordia conjuratus, quo ne vanum prænomen ferret, proaviam suam gloriabatur, D. Julio per Gallias bellanti, corpore atque adulterio placuisse.

Cap. 51. vitæ.

Tacit. hist. l. 4.

XVIII. Treviri jus Rom. civitatis obtinuerunt. *Tac. annal. l. 3. & Sueton. in August. c. 40.*

Accedebat, quod jam inde ab Augusti ætate Trævirorum etiam principibus jus Romanæ civitatis communicatum; quod pro magno celebravit Tacitus in Julio Floro Trevero, eiusque majoribus; quippe id rarum, nec nisi virtutis, addo, & affinitatis, aliarumque necessitudinum, extitisse pretium; quo quidem sensu illa Augusti parcissima liberalitas accipienda, cujus Suetonius meminit, cùm ad conservandum à peregrina colluvione populum, in donanda civitate restrictus, ac præparcus ille videri voluit. At verò hæc ipsa, quæ indicabam, nominum decora, Julius Florus, Julius Classicus, Julius Indus, Julius Tutor; ut Tullios, Valentinos, Alpinos prætercam; quid aliud sibi volunt, quàm hujus Coloniæ senatores, ducesque magnam partem Romanis stetisse familiis? Id quod aliunde forsan, omissâ quoque Julii Cæsaris illâ non ambiendâ stirpe, haud difficulter ostendero. Etenim Trevirorum civitas postquam Colonis ab Augusto deductis ornata fuit, cives accepit utique Romanos quàm plurimos. Atque hi, cum XXXV. tribuum aliquâ censerentur, in quas distributa Romana civitas; accidit non rarò, ut postquam omissis locorum, illustrium familiarum; quæ sese miscebant; nomina tribus assumerent, libenter quoque hanc originis claritudinem tribules usurparent. Augustum verò tribum obtinuisse Fabiam, & Scaptiam, meminit Suetonius; atque ex his alteram, in Augusti honorem, Juliam appellatam, observavit Dio. Cùm itaque probabiliter statuam, ab Augusto conditore transscriptas huc in Treviros familias quasdam illustriores, eâdem operâ effecero, cives hosce, Juliorum prænomen à tribu, cujus originem agnoscebant, etiam mutuatos. Et de his potissimum illud Cerealis legati dictum acceperim: *Ipsi plerunque legionibus nostris præsidetis, ipsi has aliasq́ provincias regitis.* qua quidem oratione conclusit, quicquid in clarorum civium ornamentis & imaginibus, desiderare posses.

Inscript. V. Onuph. Sigon. de antiq. jur. pop. Rom. c. 4.

Dio lib. 44.

CAPUT XIII.

De Treverorum laude bellica.

I. Treviri magnum facilè conscribebant militem.

REM militarem Treviri, perinsigni equitum virtute ac numero, præclarè olim sustentârunt. Cùm autem, pro magnitudine finium, ingentes equitatus peditatusque copias, ubi res posceret, celerrimè contrahebant; tum quod de nobilitate Gallica prodidit Cæsar, plurimos circa se Ambactos & clientes habebant, quod pro horum numero, quisque vel gratiâ, vel potentiâ vulgo amplissimus æstimaretur. Horum autem equitum idem, quod Soloduriorum erat institutũ: nempe, ut omnibus in vita commodis unà cum his fruerentur, quorum se amicitiæ dedidissent: si quid iis per vim accidisset, aut eundem casum unà ferrent, aut sibi mortem consciscerent. Quare testatur etiam Cæsar, nulla hominum memoria ex his repertum esse quenquam, qui eo interfecto, cujus se amicitiæ devovisset, mori recusaret.

Ambacti Soldurii. *Id de forte l. 7. de Litavico Æduo Cæsar. Cæsar l. 3. & Nicolaus Damascen. apud Athenæum. Adi & Turneb. adversar. lib. 30. c. 15.*

II. Equestri militia excellebant. *Lib. 5.*

Porrò, de equestris disciplinæ nota Trevirim commendans: *Hæc civitas*, inquit, *longè plurimum totius Galliæ equitatu valet, magnasq́ habet copias peditum*; aliubi itidem, Trevirorum equitum, inter Gallos, virtutis opinionem fuisse scribit singularem. Quin & Romanos eorundem virtutem, & in subeundo belli discrimine promptissimos animos laudasse, probasseque vehementiùs, expertos, multis magnisque prælis enituit. * Ex quo factum etiam, nihil potest ambigi, ut Trevirensi equitatu Romani libenter uterentur alario; ejusque nervis ac robore, uti quo fermè nihil apud Gallos extaret validius, sanè permultum confiderent. Nempè autem hic sciendum; fuisse in exercitu Romano duo genera equitum; legionarios & auxiliares; seu Romanos & Alarios. Alarii quidem sociales, & ex peregrinis plerumque ac belliciosis conflati gentibus, ab alâ nomen sortiti. Alæ quippe exercitus, Cincio teste, de re militari, equitum ordines dicti, quòd circum legiones dextrâ sinistrâque, tanquam alæ in avium corporibus locarentur: vel ut Vegetius, quod ad similitudinem alarum, ab utraque parte protegerent acies. Marcus Tullius disertè narrat, Marcum Fonteium, cùm Galliæ præesset, quæ ex magna gentium varietate constaret, his præter pecuniam & frumentum, magnos equitatus imperasse ad ea bella, quæ tum in toto orbe terrarum; in Thracia puta cum Dardanis, in Asia cum Mithridate, in Cilicia cum prædonibus, in Italia cum fugitivis, in Hispania cum Sertorio, à populo Romano, gerebantur. Bello quoque civili Cæsaris & Pompeii, quando in Thessalia, Philippicis campis, urbis, imperii, populique Quiritium vires commissæ sunt, Galli Germani, quidni & Treveri? cohortibus & equis, robur in acie hac suum miscuêre.

Lib. 1.

Cæsar l. 2. & Tac. variis locis. Lucan. in bello civil.

* Alarii equites Treviri Romanis grati.

Livius lib. 11. & 35. Tac. 3. annal. & 3. histor. Veges. l. 2. c. 1.

Apud Gell. lib. 16. c. 4.

Orat. pro M. Fonteio. Gallici equites & Treverici, auxiliares longinquæ militiæ Rom. adhibiti.

Cæsar lib. 3. bello civil. Florus l. 4. c. 2.

III. Alæ Trevirorum duæ clarissimæ.

Cæterùm haud ignobilis militiæ gloriâ claruit Ala Treverorum equitum, quæ in urbe Augusta, Tiberii quarto consulatu, degebat, summo Præfecto Julio Indo Trevero; ejusque præcipuum robur, in rebellione civium effloruit, quando pro Romanis contra Florum popula-

Tacit. annal. lib. 3.

popularem suum fortiter dimicans, & Trevirorum universam multitudinem sola disjecit, & ipsum Florum, ad mortem compulit. Cujus virtutis exemplo C. Silius legatus legionarios Romanos in hostem incitans, unam aiebat alam, Trevericum confecisse bellum. Sed aliquot post annis, altera fuit, experti item roboris & famæ majoris, Julio Classico præfecto. Hæc, Vitelliano bello in Italiam traducta à Fabio Valente, Vitellianarum partium legato, de quo Tacitus. *Quatuor eum turmas equitum, & universam Trevirorum alam, cum Julio Classico Præfecto, Vitellianis suppetias misisse; at partem in Colonia Forojuliensi retentam. Duodecim equitum turmas adversus hostem iisse.* Neque silet alam hanc eo prælio accisam, dum hosti sese incautiùs offert, & loco pulsa, tandem cedit Othonianis. Ad hæc, insignem Equitum Treverorum Alam, Felicem Fidelem; L. Tutore Præfecto perantiqui marmoris inscriptio, quæ in Collegio Societatis asservatur, memoriæ prodit. Litteræ prorsus Latinæ sunt & capitales.

(Tacit. hist. l. 2.)

D. M.

L. TVTOri ∴∴

ALAE.

EQ. TRE.

FF. P.P.P,

(Alæ Equitum Trevericorum.)

(Felices Fideles Præfecto, Pio, Parenti, aut simile.)

Porrò alas hasce Trevericas, etsi cultu disciplinaque Romanâ, numero longè tamen fuisse potiores, undique colligi potest. Nam, cùm Tacitus non uno loco fateatur, validissimum quemque suo tempore in Romanis exercitibus fuisse externum; essentque provinciæ, ut ex Cicerone ostendi, quibus militiam & viros, Romani tributi loco imperarent, certè faciebant ipsi, ut parum prisci moris vicem soliciti, alas equitum socialium, & cohortes gentium bellicosarum, eo numero legerent, describerentque, quot, quantoque bellum geri, ex usu videretur. Hinc itaque Tungrorum, Treverorum, Batavorum cohortes superadditæ legionibus, eo delectu ac numero, ut cum aliquando sejungerentur, fremerent legiones, orbari se fortissimorum virorum auxilio; nec abrumpi vellent, ut corpori suo validissimos artus. Sed ipsæ quoque Treverorum equitum turmæ, magnitudinem produnt alarum. quod ut pervideas, ex Livio Polybioque repetendum, olim equites modo trecenos in legionem scriptos. ita, ut cuique legioni obvenirent turmæ denæ; singulis turmis equites terdeni, denis equitibus præfecti decuriones, quorum tres in quaque turma. Quod igitur antiquitus, cohortes in legione; hoc erant in ala turmæ; & quod in cohortibus manipuli, id in turmis decuriæ. At, mutatâ veteri disciplinâ, vulgatus hic numeri modus haud perstitit. Nam Velleius, ubi Italicorum querelas exponit, Romanam civitatem petentium, sic eos loquentes facit: *Per omnes annos & omnia bella, duplici se numero militum equitumq́ue fungi.* Atque eodem spectasse, Claudius Civilis mihi videtur, Batavorum acerrimus propugnator; cùm Treviros ad avitam excitans libertatis possessionem. *Vos autem Treviri*, aiebat, *cæteræq́ue servientium animæ, quod pretium effusi toties sanguinis expectatis, nisi ingratam militiam, immortalia tributa?* Augebant itaque quantum poterant, copiarum numerum, ex eo præsertim genere, quod in armis nossent esse promptissimum, ut ex trecenis ad mille quoque numerus alæ pertingeret: unde & Trevirorum civitas, illustri monumento Varium Clementem olim Præsidem suum ALÆ MILLIARIÆ, id est, mille equitum Præfectum facit. Nec obscurè favet Tacitus, in Treverorum ala. Duodecim quippe turmas dixit profectas in hostem, reliquam partem retentam; at, si id pro prisca divisione scriptum ab illo, jam nulla Trevirorum alæ pars fuerit retenta: quin, & aliunde turmæ duæ accessissent. Validiores ergo, ut ferociâ militari, sic & equitum numero, Treverorum alæ.

(Alæ Treverice majores equitū numero.)

(Tacit. lib. 2.)

(Just. Lipf. l. 2. de milit. Rom. dial. 6. lib. Valerius l. 3. c. 5.)

(Varro de lingua lib. 4. Festus v. Turma.)

(Velle⁹ ... Paterc. lib. 2.)

(Tac. hist. l. 4.)

(V. inscript. Varius Clemens Trev. alæ præfectus.)

IV. Treverorũ legionariæ cohortes.

Militasse etiam Treviros pedites in cohortibus legionariis, etsi non crebra, tamen aliqua indicia supersunt. Bello námque Vitelliano, Fabius Valens cum Aquila XV. legionis, & aliquot evocatis, seu electis ex cohortibus, alisque exercitum quadraginta millium confecit, tam imbecilli tum legionum numero, ut ne geminæ quidem, quinque millia conficerent. Porrò is exercitus, ex inferiore Germania per Treveros in Italiam pro Vitellio traductus, immensum est, quantum auxiliorum, & roboris Belgici undique contraxerit. In quibus ego Treverorum cohortes audacter numero; siquidem Alpinus Montanus Trevir extitit inter cohortium Præfectos, qui devicto Vitellio remissi à Vespasiani ducibus in Gallias, ut eius causam apud populares rebelles agerent. Unde Tacitus: *Nuntios, famamq́ue in Galliam, Iulium Calenum tribunum; in Germaniam, Alpinum Montanum Præfectum cohortis, quod hic Trevir, Calenus Aeduus, uterque Vitelliani fuerant, ostentui misêre.* Rursum: *Et Præfectus cohortis è victis, Alpinus Montanus, fortunam partium, præsens fatebatur.* Cæterùm cohortes Trevirorum auxilio fuisse Quintæ decimæ legioni, & iis copiis interpretor, quibus Batavorum octo cohortes, apud Lingonas, aderant Quartædecimanis; grande momentum sociæ aut adversæ, ut historicus de Batavis loquitur. Hæc de Treverorum militia sigillatim.

(Tacit. hist. l. 2.)

(Tacit. Annal. lib. 1.)

(Tacit. l. 4. & 5. hist.)

(Tacit. hist. l. 4.)

(Tacit. hist. l. 1.)

V. Treveri in armis exercitati, & formidādi.

Quæ verò ipsorum universè exercitatio in armis, quis cultus habitusque, nusquam clariùs, quàm in Hirtii supplemento expressum invenias; ubi Trevirorum civitas, propter Germaniæ vicinitatem, quotidianis bellis, cultu dicitur & feritate non multum abfuisse à Germanis; neque Cæsaris imperata unquam, nisi exercitu coacta, fecisse. Probè norat ingenium hoc civium suorum, Julius Tutor; qui, cum exercitu victore tenerentur, non dubitavit concitare suos, & niti pro libertate. Neque enim, aiebat ipse, Treveros aut Lingonas benevolentiâ contineri, resumpturos arma, ubi metus abcederet. Iocosè itaque non minus, quàm verè, Cicero; C. Trebatium hominem in jure civili singularem, at auri, ac pecuniæ redigendæ haud paulò plus, quàm doctrinæ sitientem, ut Treveros vitaret,

(Tacit. hist. l. 4.)

admonuit. Is enim in Galliis cum Cæsare degens, homo parum militaris; cùm, ad quamvis etiam suspicionem periculi inaniter trepidaret, denique Britannicæ expeditionis solutum metu, jucundè rursum appellavit Cicero: *Treviros vites, censeo; audio capitales esse, mallem auro, argento & ære essent.*

VI. Treviri capitales ambiguo sensu.

Atque hunc Ciceronis jocum, quoniam perleganti eum epistola dedit explicatum Petrus Bembus, quid eam vetet, ad tollendos errores, huic capiti tanquam coronidem imponere; id quod itidem ab aliis ante me factum, haud ignoro.

Paulus Manut. in epist. famil. lib. 7. comment. ad epist. 13.

Petrus Bembus Bernardino Sandro S.

Quod hodie mane quærenti tibi à me de illis Ciceronis ad Trebatium verbis: Treviros vites, censeo; audio capitales esse: mallem auro, argento & ære essent: *respondi jocum esse & multiplicem, & festivum: qui quidem jocus in antiquis & nummis & scriptoribus, deprehenderetur: itaque, quoniam eramus in via, ut neq; libros, neq; nummos haberemus, rejeci te in alium diem; id, ne te diutius torqueat, est ejusmodi; ut joci causa, quod quidem Cicero ad illum scribens, more suo fere semper facit; & Treviri, & capitales in ambigui genere sint posita; nam cum videatur monere illum, ut vitet Treviros Galliæ populos, qui capitales bellicosiq; sint; ludit, cum in Treverorum, tum in capitalium verbo. erat enim Romæ magistratus, Triumviri capitales, qui etiam Treviri dicebantur. Sed, quoniam hoc ipsum Triumvirûm nomen, iterum in ambiguo poni poterat, cùm essent etiam apud Romanos Triumviri pecuniæ cudendæ: quos ita inscribebant, A. A. A. F. F. hoc est, auro, argento, ære, flando, feriundo: locatur iterum in hoc verbo, luditq; Cicero, ut mihi quidem videtur, bellissime, addens, Mallem Treviros istos esse pecuniosos, quàm bellicosos; ut, Cæsare eos vincente, tu ditesceres. itaque infert, mallem esse Treviros auro, argento, ære, quàm scilicet capitales.* Ita Bembus.

CAPUT XIV.

De antiqua Civitatis amplitudine, & ruinarum etiamnum superstitum vestigiis.

Cic. lib. 2. de legibus & 5. de finibus.

I. Locorum quanta vis ad commovendam rerum memoriam.

LOCIS, nescio quo tacito naturæ instinctu, ita movemur homines, ut cum multis aliis in rebus, naturam hic vel maximè dominari sentiamus. Cujus enim animus, modò ne prorsus sensum eum exuerit, soli natalis non aliqua mulcetur trahiturque dulcedine? Quis non memoria capitur eorum locorum, ubi, quos diligit aut admiratur, horum intelligit adesse vestigia: Athenas illas jam tum pristini coloris licet, & honoris, expertes, suspiciebat Atticus, non tam operibus earum magnificis, exquisitisque antiquorum artibus, quàm recordatione delectatus summorum virorum; cùm ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi disputare esset solitus, studiosiùs etiam exquireret. At, quanto honestiùs & liberaliùs, nos ad hæc noscitanda loca studium invitet, quæ loca non paulò majorem in se continent admonitionem Christianæ religionis, quàm ostentationem peregrinæ vetustatis; si quidem illa, aut Romani luxus, aut ambitionis instrumenta, vel vestigia, neque solidæ laudi, neque diuturno ævo nata, suorum hodieque damnant conditorum insaniam: hæc verò nostra, etsi lacera atque semiruta squalent, memoriamque refricant pristinarum subinde cladium, spirant tamen ipsa, veterem Trevirorum Augustam; ipsæque, quas premimus quotidie parietinæ, innocentissimo martyrum sanguine respersæ, à se collucent velut scintillis priscæ virtutis atque sanctimoniæ. Ut enim compluria veterum locorum, in quibus nil præter famam durat, præteream; ecquem non earum sedium contemplatio delectet; quas Hieronymus, Ambrosius, Martinus, & sol alter Orientis Ecclesiæ Athanasius, qui sapientiâ & religione viri? divinis quondam pedibus suis hospites obierunt; quasque tot indigenæ Episcopi, & cælestibus editis operibus admirandi, & sanguine in martyrio fuso incluti, & moribus innocentissimis prædicabiles, non totius modò corporis sui vestigiis consecrarunt, sed ea virtutum rerumque divinitus gestarum famâ complêrunt, ut, quot eorum honori exstructas videmus & erectas hodie Basilicas, totidem ad memoriam æternitatis aræ videantur collocatæ, virtutis illorum testes sempiternæ.

Loca Treverica ad injiciendam religionem efficacia.

Sed, quo, ne hic soli Treverici religionem occupemus, alibi nimirum exhibendam, veteris jam hinc urbis situm collocare aggredimur, cui rei, quo minus peccetur, metatores, Tacitum & Ausonium advocamus; qui in hac tanta confusione, finium regundorum arbitri, si non omnia præfinient exactè, ceu ad decempedam, terminales certè quasi lapides objicient, qui procurrentes passim liberiùs in vetus pomerium colles, revocent, limitemque signent aratri, quo veteris olim Coloniæ gleba proscissa.

II. Veteris urbis amplitudo monstrata.

Commiscentur supra Treverim hanc, quæ nunc incolitur, passuum ab urbe quatuor millia, Mosella & Saravus, Mosella perpetuo utrinque jugo montis aspêri & prærupti inclusus, & magna riparum amœnitate inumbratus, ubi Suram amnem in familiam adscivit, inde placidè manans ab Occidente, paululumque velut sinu quodam inflexus, recedentibus latè campis, puriore jam solo excipitur. Decurrit inde ab Africo, atque ad meridiem, regione loci celeberrimâ, Saram ab Austro recipit, tortuosis anfractibus segnem, & asperis saxetis in arcto vix eluctantem: mox advenis aquis auctus, & duplici fluxu, altero in Orientem, in Occidentem altero curvatus, duobus veluti cornibus, urbem amplectitur. At veterem Coloniam patenti quondam, ac feraci planitie, intermeabat, ∽ litteræ jacentis figurâ tantum utrinque complexus spatii, ut quod camporum velut in literæ cavo, hinc & inde per terna passuum millia porrigitur, id vel opera publica, vel privata civitatis monumenta, tunc occuparent.

III. Mosellæ & Saravi confluentes, à meridiè limes.

Ad S. literæ modum Mosella Treviros amplectitur.

Atque ita priscæ urbis ferè longitudo, ab Austro in Septentrionem senis, & quod excurrit,

IV. Treviris antiquæ longitudo.

currit, passuum millibus constitit; quam fere longè patet, soli, quod à montibus intermittitur, spatium, Porrò in umbilico literæ, ubi in convallis speciem velut contracto gremio, fusa camporum illa planities recedit, cor fuit & intima sedes antiquæ Coloniæ, ut quod ab Oriente in Occidentem, quæ veteris urbis latitudo, per duo fermè passuum millia plani spatii, ab imminentibus utrinque jugis, excipitur, in hoc viscera quasi dilatarint se, & ornamenta Trevericæ civitatis. Nihil ergo hæc Treveris, quæ jam colitur, ad illam; quippe hæc novitia, licet ambitu, ut hujus ævi captus, satis sit diffuso, habitatur raris tamen & angustis in locis; & possessione pulsa veteri, mœnia quoque sua ad securitatem cõtraxit, eo contenta, quod satis esset modicæ Reipub. loci.

Ejusdem latitudo.

V. Trevericæ civitatis dimensio comprobata.

Ut autem clarior hæc appareat dimensio, propter altissimam vetustatem, alioquin ad fidem difficilis; nempe limites pangendi, quos norunt rei agrariæ periti; idque ad veterum locorum, scriptorumque normam. A Mosellæ itaque & Saræ Confluentibus res ordienda; siquidem istuc versus Cardinem maximum, & antiqua pomeria protulimus.

Cardo Maximus, qui in Meridie à Septentrione.

VI. Saravi ostia.

Supra confluxum hunc, ostia Saræ describit Ausonius: non facta natura; sed opera elaborata, erectis in amne pilis, in quas vel anfractu solutus jam directior, vel imbrium auctu huc ibat inflatior, unde concitatum Mosella parvo intervallo deferebat. At verò pilarum, quas diximus, cùm nusquam ab amnicis nautis, aut piscatoribus deprehenditur vestigium: ea re creditum hactenus, proclivi sanè quàm assensu, pontem, quo jam altiore loco Sara jungitur, his ipsis pilis niti, atque existere à veterum mole ruderum. Pons autem hic ab adjacente pago Contzio nomen ferens, una modò turri sive specula insignis, rudi jam visitur opere; fatiscens, credo vetustate; non ultima tamen illa, quàm, ut remotiora in majus extollimus, nimis quam prædicatam ab exteris intelligo; cum arcubus, aiunt, spectabilem amplitudinis admirandæ, operisque firmitudini tam egregiè provisum, ut in eo veterum artificum magistras manus agnosceres: quorum oculatior quispiam ut specimen assequutus sit, ejus nihil equidem contemplando perspicere adhuc potui. Jam verò ostia hæc Saravi altiùs aliquanto fuisse posita, quàm, ubi uterque confunditur amnis, Consularis poëtæ testimonio, clarum est. Is namque barbum fluviatilem, sed advenam è Rheno piscem, relabi ad sua, & ex augustiis illis & sinuosis Saræ carceribus egredi gestientem, hoc modo describit:

Saravi pons.

Ortel. in Discr. Belg.

Barbus advena piscis.

Edyllio 2. Mosella.

Tuq. per obliqui fauces vexate Saravi,
Qua bis terna fremunt scopulosis ostia pilis,
Cùm defluxisti famæ majoris in amnem;
Liberior laxos exerces Barbe natatus.

Ergo qua pilæ per intervalla certa distinctæ, sena in amne efficiebant ostia, hic Sara receptus in Mosellam condebatur. Atque istic prope veteris sese attollebant mœnia Coloniæ, influente largiore jam alveo Mosella, duobus adscitis, Sara Suraque, præcipua amœnitate rivis. Etenim poëta, ubi Saram anfractuoso meatu, per silvosos opacosque colles pigriùs incendentem meminit, clarissimè tandem illum canit ostiis iis sex, quæ ostendimus, antequam Mosellæ nomen induat, exonerari:

Naviger undisona dudum me mole Saravus,
* *Tota veste vocat: longum qui distulit amnem,*
Fessa sub Augustis, ut volveret ostia muris.

* Tota veste malunt alii, ut ad Nilum alludat. Virg. Æneid. 8.

Quippe poterat leni pronòque alveo, nisi tot gyri montiumque flexus obstarent; at hanc qualemcunque tarditatis jacturam eo tolerat leviùs, quòd mox resarto damno, sub ipsis muris urbis nobilissimæ, nomen denique suum cum laciniosa illa & carbasina veste ponat. Atque hæc, si rectè assequor, Ausonii mens est. Enimvero Treverim petentibus, secundum Saræ ripam dextrorsum, pagus is est in conspectu, quem diximus: hic clementer assurgit tumulus, in quo clarissimas cernas veteris ædificii prænobilis ruinas; quas tamen haud modicè deformant, cum arcis juxta stantis informes parietes, tum incolarum, nullum antiquitati honorem debere scientium incuriosa talium tractatio. Stant opere magnifico in amnis aspectu, laterculo structæ porticus laceræ, quarum veteres Trevirorum colonos haud pæniteat. Hæ paribus intermissæ spatiis meridiem versus ita in se recurrunt, ut quæ opera deinde à lateribus excipiuntur, quod uno præsertim loco etiamnum apparet, quadrangulari forma, desinant in fornices. His ipsis verò in fornicibus, dispari magnitudine fenestræ, seu loculamenta quædam; usui olim locandis statuis.

Josiph. Scalig. Tortam vestem ad Carbasinũ fluviorum amictum refert ab Auson. lect. lib. 1.

Ruinæ propter Saræ pontem.

Harum autem porticus, longè, quàm hodie cernitur, laxioribus excurrisse spatiis, arguunt ejusdem operis vel pauci superstites arcus; qui ædis sacræ parietibus inserti, frontem templi ad Occidentem sustinent. Porrò huic operi à cavitate fornicum, & ipsa forma, posteros dedisse Conchæ nomen, ex Balderico antiquo scriptore, liquet. Unde tandem pago, & arci in his annis exstructæ Contzii deflexa vox, obvenit. Huc pertinuisse veteris urbis pomerium, magnus & incolarum omnium, & traditionis est consensus. Neque præterierim, incolas Trevirenses vindicatione finium, pontis Saravi, pagique juxta jacentis, & arcis jam dirutæ possessionem usurpantes, ante annos prope trecentos, Udalrici Manderscheidtii, qui pro Episcopo se gerebat, copiis armisque, ex illa dejectos. Hinc jam, quantum in adversa ripa camporum æquor aperitur, tantum ex hac, in qua nunc moramur, amittitur, collibus exigua planitie relicta, ripam subjectam prementibus.

VII. Concha Romani operis, à quo Contz arx & pagus.

Quare vacuum id ab ædificiis solum; donec patescere, ac laxari spatiis, iterum incipit, quà B. Medardi parœciæ, Divique Matthiæ insigni fama celebritatis monasterium, mille passuum & amplius, directo Trevirim versus, pandunt viam. His námque peramœni soli regionibus, etiam fastigiatæ clarissimorum urbis senatorum eminebant domus. Hic Albanæ prænobilis patricii viduæ sedes; hic prima fidei Christianæ nascentis incunabula: hic complures hodieque veteris memoriæ gazas, inexhausto sinu, terra fundit. Hic juxta, modici denique surgunt colles, jugo satis amplo, & capacibus piscinis, aquarumque derivationibus, ad voluptatem pariter & usum læti.

VIII. A D. Matthia ad urbem hodiernam usque illustria olim erant ædificia.

Albanæ domus.

IX.

Patet hinc in subjectos; quos interluit Mosella campos, & opaca montis oppositi

S. Crucis oratorium, ubi olim Castellum.

nemora, longè lateque prospectus: unáque modo augustissimæ religionis ædicula salutiferæ Crucis, istic loci præsertim spectabilis, ubi castellum ab eodem Crucis trophæo cognominatum, ante quingentos plus minus annos, Siconis stratagemate celeberrimum fama, stetit. Atque hos ipsos etiam colles mœnibus olim antiquæ civitatis inclusos, monebant fossionibus hac nostra memoria fortuitis retectæ grandes è latere substructiones, queis turris, in exteriorem partem projectæ, solidissima structura hærebant vestigia Sed longè certiùs vel Ausonii radius designabat:

Lata per extentum procurrunt mœnia collem.

Quod de collibus, quos descripsimus, intelligendum, ipsa loci positio pervincit, nusquam alibi, nisi, qua parte demonstratum est, ex convalle plana in altitudinem collis, sese attollens. Reliqua planitie, qua propiùs urbem collis intermittit, ipsius clivi radices appetit irrigua convallis; quæ Orientem versus introrsum sese reflectens, ad Olevianum vicum pertendit, aquæductu veteri, monumentis annalium juxta fabulosum ac insignem.

X. Olevianus aquæductus

Etenim à læva pagum Olevianum, unáque rivum Oleacium petentibus, editiore via ad radices vitiferi montis, subterraneæ sese offerunt concamerationes, & aquarum canales ex silice structi; quæ opera interrupta locis aliquot, & montis assidua cultura subsidentis aggere, oppressa jam & diruta, pertenue retinent pristini decoris vestigium. Quin & à posteris hæc instaurari cœpta, corruptis antiquis operibus, aliam induère faciem. quæ tamen perattento investigatori, facilè ad veteres aquæductus, ceu digitum intendant. Nescium harum rerum vulgus, ubi ruinosos sub terra fornices, damno ligonum aut vomerum persequitur, pudendum dictu, quid non per usus ignorantiam his ac similibus de rebus effutiat. Cuniculis actis nimirum per specus subterraneos Agrippinæ Colonos, & Treviros Christi fide jam imbutos, mutui commercii auxiliique studio, furtim invicem annonam supportasse, variosque commeatus.

Ævo Popponis Archiep.

XI. Aquæductuum immensa opera Eiffliam versus.

Atque ut in his fabularum quasi laternis, lumen etiam aliquod veteris historiæ, ceu per nebulam accendamus, ad aquæductuum immensos illos tractus, quos antiquitas molita, hæc omnia referre, nihil veremur. Quippe Agrippam Augusti generum, constat, colligendis perducendisque in Agrippinensium usum aquis, opera magna molitum. Lapis certè * Marcomagi repertus, eum, altero Consulatu, passuum * MXXXIX. supra Coloniam Claudiam Agrippinensem, è Treviris, ostendit, aquam corrivasse; quod tamen de Transmosellana regione, ubi & ejus operis squalentia sese membra passim exertant, capiamus oportet.

* Marcomagi.

* XXXIX. pass. Plura de his in nostris Notis ad hoc caput.

CAPUT XV.

De amphitheatro locisq; vicinis.

I.

Amphitheatrum Trevirense. *Petr. Fabor. Agonist. l. 1. c. 29. Semest. 1. c. 8.*

SEd jam ex Oleviana via, ad veteris Amphitheatri ruinas deflectimus, ferarum & gladiatorum spectaculis, & aliis id genus ludis infames. Pertinuit adeo id malum antiquitus latè: seseque cum Romana disciplina an licentia, per omnes ferme provincias diffudit. Res tamen jucunda prorsus jam spectatu est, collem editiori monti subtus ita se miscentem cernere, ut procul cum ejus radicibus, nullo intermisso spatio jungi, sponsione ni coëat, decertes. Eundem autem, ubi à Septentrione subjeceris oculis, oblongo circuitu tam pronè abscedere in hemicycli formam, ut declivi introrsum fastigio, prorsus Amphitheatrum efficiat. Arena igitur jam duntaxat, sive cavea interior, extat. etsi vastis altroversum sese offerentibus in aditu parietinis, lapide polito, cum statuarum loculis, aliisque turrium ruinis, ædificii tamen genus ex hisce vestigiis, relinquitur agnoscendum. Et opus subterraneum cryptoporticus instar, quod proclivi ductu à summo jugo ad imum devergit theatri circum, caveam id genus extitisse interpretor, qua feræ antiquitus includebantur, ut majore ad pugnam impetu emitterentur in arenam. Sed de Caii Cella, ut appellat hodiernum vulgus, aut, ut remotior ætas, Catholdi solio, dicendi forsan erit oportunior locus.

Cavea, seu Caycella.

De amphithearro figuram cum descriptione in Notis, ad hoc caput, vide.

Petr. Fab. Agonist. l. 2. c. 1. & l. 2. Semest. c. 7.

II. Basilica portæ veteris, quæ & Palatium Helenæ dicebatur, etsi de primario templo id potius accipias.

Exadversum his ruinis, inter ipsa urbis mœnia fanum sive Basilica, opere tollitur eximio & peramplo, quatuor projecturis sive brachiis semicircularibus; ex quibus duæ etiãnum superant; quarum altera, memoria nostra, sanctissimæ Trinitati sacra, intestinis in Archiepiscopum odiis civilique discordiâ, cessit propugnaculo; altera, portæ munitionem, quam vocant altam, antiquitus explevit. Ex reliquis, quæ eminent, parietum vestigiis, fornicatum apparet fuisse basilicæ pavimentum. Porrò structura admirabilis, sesquipedali latere coctili ad varietatem operis interstincta, & coriis æqua crassitudine per extantes in fronte lateres dispositis, duplici constat ordine fenestrarum; quarum inferior quidem ordo, qui fossarum extrinsecus summis marginibus occultatur, obstructus; superior autem, cœmentis parte quadam infartis, per intervalla patet, cùm ad objecti amphitheatri detegendas insidias, tum oppositi montis defendendam contumeliam. Hanc porrò vastissimæ fabricæ molem, ex Thoma Cantipratensi & actis B. Theodulphi observo, ante aliquot sæcula, pro Helenæ Augustæ Palatio habitam, & à civibus ipsis, quo ne ab hoste insideretur, eversam: Quanquam de cathedrali Ecclesia in loco nos propriè docebimus, eam ex D. Helenæ principali domicilio, interiore urbis situ, natam.

Thomas Cantiprat. l. 2. boni universal. c. 52. & MS. Dominicanorum.

III. Mons S. Martini dictus antiquis MS. libris, ab Ecclesia S. Martini olim ibi cõdita.

Inde surgit mons S. Martini, Martium dictitat vulgus, qui latus urbis Orientem versus, amplectens, alicubi ruderum & veterum fragminum acervis instratus, alicubi numismatum antiquorum locuples, occupatum se quondam prodit aut publicis tectis, aut domiciliis privatis.

CAPUT

CAPUT XVI.

De Abbatiis duabus versus Septentrionem locisq; propinquis.

I. S. Maximini monasterii veteres ac clarissimæ ruinæ, ex Palatio Constantiniano.

HInc ad Maximiniani eximiâ vetustate ac religione cœnobii situm introspiciendum, si in Septentrionem promoves gradum, teli jactu ab urbe, discedis. Si hic velles, priscæ Romanorum majestatis, humo retectâ, complura cerneres vestigia, quæ partim cladibus multiplicium bellorum hactenus afflicta jacuerunt, partim injuria temporum, altis demersa tenebris. Monasterii velut circino circumducti figura rotunda est; & ejus fossâ totus cingitur ambitus. Quæ pars cœnobii mœnibus his Trevericis objicitur, nudata muris, & ab ædificiis pura, trecentos quinquaginta sex, & amplius, colligit in circuitu passus; quæ fere dimensio circuli quadrantis est. Pars autem ab urbe aversa, domiciliis occupatur: atque ut extima murorum superficies arguit, veteres omnino substructiones occultat. Cæterùm, quà urbis mœnia prætendi monasterio diximus, prostrato non admodum veteri muro, his memoriæ nostræ bellis, qui civitati obstare videretur, totus usque ab eo tempore circuitus ille, quem antea sumus dimensi, solo tenus rasus & afflictus patuit. Interea Reinerus Biverius Abbas, ad templi partem eam explicandam perpoliendamque aggressus, quam Lutheriani belli incendiis afflictam inchoarant decessores, hic rudera purgari, comportarique materiam turri moliendæ jussit. Quare, commotis fossione fundamentis, dum altiùs abdita reteguntur omnia, ecce tibi, molis stupendæ, & velut à scopulis abscissa saxa, molaribus grandiora, sese ingerunt. Horum pleraque spectavimus, priusquam ab operis expolita, structuræ cederent, alia senum, octonumque pedum, tabularum instar, candido, sed nativo colore; alia quadrata, in cubi modum coalescentibus arte fragmentis. Extabant inter hæc, quæ literarum quosdam quasi sulcos modo præferebant, attritis & adesis mutuâ ruderum strage lateribus. Aliorum plana, commissuris, quæ obtutum quamlibet acrem etiam fallerent, aptissimè ad obtusos rectosque angulos coëuntibus, artus humanos pulposos, lacertososque, tanta cum symmetria exprimebant, vivere uti partes eas, & spirare diceres. Sed quid ego hic varias statuarum diverso habitu situque corporis, aliorum ad gladiatoria certamina lacertos attollentium, ictusque vitantium, aut dextras togis implicantium commemorem effigies? Quid fœminarum vultus fluxo passoque per tempora, reliqua parte in cirros implexo capillamento, membris ubique præclarè convenientibus? Jam verò scuta, pila, calathos, & fusos ex iis flores, venationes, stylobatas, scapos, columnarum spiras, & alia id genus antiquæ molis vestigia, si recensere pergam, magnopere mihi verendum sit, ne putiscat oratione nostra, quod antiquitatis admiratione placebat. Porro hæc ipsa quidem, eximia arte perfecta, comminuta tamen cladibus & vetustate, tot impensarum opera, quæ magnam partem Ephestio Mansfeldiano Lutzeburgensi cesserunt, facilè persuadent, non rudi illo Francorum & degenere, sed ad Romani nominis splendorem florentissimo sæculo exædificata.

II. Constantini Magni opera Treviris extructa.

Cœnobitæ profectò Constantinum Magnum, excipiente famam veteri memoria, loci perhibent conditorem, regiamque Basilicam sive templum, ut ipsorum loquuntur scripta, Agricii præsulis ope dedicasse, ac B. Joannis Evangelistæ nomini consecratum locasse. Enimverò, ut de monasterio in præsens sermonem omittamus, molis hujus & ædificii cujuscunque, vel dominum, vel autorem Constantinum fuisse, vehementer cum veteri historia congruit; suntque operis vestigia, & ipsius magnitudine, & Romano splendore dignissima. Liquet ex Panegyrico certè, Constantinum, sive privati in urbem clarissimam hanc studii, sive publicæ posteris prodendæ magnificentiæ, peramplis & nobilissimis Trevirim, cùm ad communem Coloniæ decorem, tum ad privatum incolarum usum, exornasse tectis atque ædificiis, fortuito an hostili malo, paulò ante afflictam.

III.

Unde, cùm urbis à se restitutæ Natalem, insigni Trevirorum gratulatione, idem hic, primis imperii sui annis, celebravit, magnis laudationibus ab oratore Belga, munificentia principis publicè deprædicata. *Video*, inquit, *hanc fortunatissimam civitatem, cujus natalis dies, tua pietate celebratur, ita cunctis mœnibus resurgentem; ut se quodammodo gaudeat olim corruisse, auctior tuis facta beneficiis; video circum maximum, æmulum credo Romani, video basilicas, & forum, opera regia, sedemq; Iustitiæ in tantam altitudinem suscitari, ut se sideribus & cœlo digna, & vicina promittant.* Numus etiam ex ruderibus illis effossus, Constantis effigie, ad me perlatus; cujus in altera parte Romana signa hastis imposita, cum hac inscriptione: GLORIA EXERCITUS. Altera verò Catholici Principis gerens imaginem, cujus epigraphe: FL. JUL. CONSTANS. PF. AUG. cum literis TR. P. Treviris percussam monetam indicantibus.

Circus Basilicæ.

Forum. Curia.

IV. Gemma, ut videtur, Constantiniana apud D. Maximini.

Nec taceo præcellentis notæ gemmam, hic alicubi, ut reor, è majorum thesauris effossam; quæ codicis Evangelici, ab Ada Caroli magni sorore D. Maximini donariis illati, splendidè frontem exornat. Magnitudine digitalis est, & ætherio colore: eique insculptæ icones quinque, quarum majuscula prima, augustali cultu Constantinum, extrema matronalis, Helenam refert. inter has tres medias, esse imagines interpretor, liberorum utriusque. Perhibent avorum memoriâ, in celeberrimo Maximiliani Cæsaris & Caroli Burgundiæ Ducis congressu, æstimatam aureorum aliquot millibus. Porrò imaginibus duæ aquilæ subsitant, pinnas extendentium similes, fusci coloris, gemmâ tamen cæruleum retinente.

V. Christianorum veterum sepulchra.

Est & aliud nuper oblatum mihi illic, salutis anno M. DC. VII. monumentorum genus, unde prorsus in eam mentem nunc venio, aream Maximinianam, quà, cum aditu ad D. Paulini ædem olim commissa fuit, transiisse in veterum Christianorum sepulturam: aut certè spatium id vel occupatum fuisse Basilicis, aut datum humandis defunctorum corporibus. Id utrobique tituli marmorei significant, qui tabulis quadris inscripti, usitatas exprimāt literas X. P. symbola Christianorum. Qua in re animadvertere est, pia majorum studia, qui sepeliendis defunctis grandia saxa delegerunt; quæ triangulari operimento, & excavato inferiore lapide, cujusmodi adhuc in Sarcophagis forma durat, capacissimo gremio, mortuos excipiebant. Et quo titulus etiam diutiùs perennaret, cura fuit, ut tabellam inscriptam plerunque vel inferioris saxi cavo, vel operculi sinu conderent, & cœmento firmarent. Cujus generis pulcherrimas Sarcophagis exemptas, ex marmore cubitales prope tabellas, à Paulo cœnobita conservatas, recens inspeximus DYNAMIOLÆ virgunculæ Christianæ, & EUSEBII, infantis nostræ religionis innocentissimi, cum symbolis Christi Domini, de quibus opportuniùs alio loco.

VI. Paulinianæ basilicæ antiquitates.

Succedat ergo dehinc Pauliniana Basilica, Martyrum elogiis & monimentis ad æternitatem insignita præclarissimis. Hæc sæpiùs eversa, & omnibus ornamentis suis ignium damno bellorumque spoliata, ipsis tamen ruinis in vicino circumquaque sparsis & aggestis, quàm ampla & augusta fuerit, memoriam commovet. Visuntur in ea opera marmorea haud pauca, nonnullæque inscriptiones perantiquæ. Anno M. D. octogesimo tertio via publica, quæ ducit in basilicam, ut coram tum aspeximus, circa Maium mensem, quales antea descripsi, plurimi saxei effossi tumuli sive sarcophagi, cum integumentis repandis, ac fastigiatis ad formam trigoni; pauculis impositis vel circumpositis, extra tymbos, ossibus capitibúsve. Horum imum cavumque ex latere coctili, seu marmore titulos servasse defunctorum tradiderim, quòd nonnulli cum impressis & igni duratis, non autem excisis insculptisque notis, Romanâ scripturâ legebantur: & quantum assequi licuit, plinthis duabus inscriptum, uni quidem, CONCORDIUS, alteri verò, EVENTALIUS.

VII. Capitolium Treverense an quod vulgo B.M. ad Martyres.

Ab æde D. Paulini, per interjacentes agros, & suburbanos hortos obliqua, si veterum credimus famæ, versus Capitolium via est; quod sexcentis circiter, ab hujus urbis ambitu passibus, eo loco situm fuisse placet, quo in loco Virgini Matri Martyribusque dicatum, in ripa fluminis cernitur monasterium: sed regionis situs, & loci humilitas abjudicant, certè nullis, præter columnarum pertenue, vestigiis impressi. Atque horum quidem adhuc monumentorum celebritas facit, ut quidquid Mosellæ ripa, & monte Orientali continetur; id omne ad veteris Coloniæ spectasse cultum habitationemque, nihil ambigamus.

VIII. Campus Martius in Coloniis.

Et temerè verò tot ætatum ego consensum hic abjecero, qui medio in spatio Campum Martium statuit, unà cum ipsa fortè Colonia natum. Nam cùm Romæ matris effigiem Coloniæ simularent, rectè eruditi, in civitatibus, in quas deductæ, theatra, basilicas, campum Martium, forum, & alia publica ædificia, quibus Urbis domina, præcelluit, agnovêre; & ex Varrone observarunt, Urbium nomen sortitas, quod item conditæ ut Roma. (Lib. 4. de ling. Lat.) Quo modo apud Virgilium heros ille, ad amissæ patriæ solatium: (Æneid. 5.)

Urbem designat aratro;
Sortiturq́ domos, hoc Ilium, & hæc loca Troiæ
Esse jubet.

Sed modum limitis omnem egredi, scio, videbimur, si jam hinc ultra ad duorum amplius passuum millia veteris Coloniæ sulcum prolatum ibimus, apud Erubrum descripto pomerio. Et aliter profectò à me, de amplissima, & principe Galliarum civitate, constitui nequit; præsertim, cùm viam eò muniunt, tot egestæ supellectilis antiquæ varia monumenta, tum ipsi ductus aquæ, hactenus, per vicina montium juga, mirifica operum molitione, in urbem infusæ. Quorum etiam opportunitates, ut videas, paulò iis diutiùs erit insistendum.

IX. Aquarum ducendarum ratio. (Vitruvius lib. 8. c. 7. Front. 1. & 2. l. de aquæductu.)

Tradunt, qui de rationibus aquas ducendi peritè scripserunt, aquarum derivationes fieri solitas, aut rivis, per canales structiles, aut fistulis plumbeis, aut ligneis denique fictilibúsve tubis. Perfici verò, partim opere subterraneo; partim, extante supra terram; quod opus vel tubulorum apta coagmentatione, vel substructionibus, vel arcuationibus, absolvebatur universum. (Formæ aquæductus.) Jam verò si structis canalibus aqua ducebatur, eos ductus Cassiodoro & Plinio testibus, quod subditis formis instruebantur, formas propriè nuncupabant; dabantque operam, ut id structuræ genus fieret quàm firmissimum; solumque rivi libramentum haberet, sic ut proferendo cursui inter sexagenos centenósve pedes, certâ mensurâ, canalem deprimerent ac reclinarent: &, quo ne sol aquam tangeret, nec ejus radiis intepesceret, tegumento canalis accurratè confornicabant opus. Hæc autem omnia in Trevericis aquæ ductibus tanto artificum studio observata, nos experientia docuit, ut ex ipsorum, quos antea nominavi, velut præscripto, cuncta molitos appareat. Liceatque mihi hîc usurpare, quod in Comitiva Formarum Cassiodorus dixit: *In hoc genere Romanis utrunque præcipuum fuisse; ut & fabrica esset mirabilis, & aquarum salubritas singularis.* Enimverò; licet ad caput aquæ Erubri amnis vestigando non pervenerimus, ruinosos & laceros tamen canales ingredi, & contemplari omnia, diligenter, licuit.

X. Canalis ab Erubro ductus.

Fornices itaque canali tanta altitudine erecti superincumbunt, duobus ut hominibus insistere, & sine impeditione unà inambulare, propemodum liceat. alveus pavimentatus & lævis instar marmoris, ubi per stagna & resides aquas vitiatus non est: similiter & parietes astructi utrinque emplectis, atque signinis operibus, testa convestiti, latere, vivaque calce permistis. Ubi verò jam canalis secundùm clivum, mediocri ab ripis Erubri intervallo flexvosus, & sensim depressus erravit, subit denique radices aversas ejus montis, cujus jugo prope perpetuo Colonia vetus ad Orientem cingebatur. Hic, cum propter

medium

medium montem aquæ cursus interpellatus hærebat, quo libraretur ad fastigium, instituto veteri, specum istic loci nos fuisse arbitramur, quo propter pedem montis hodie piscina cernitur. Inde namque per montis declive latus, Erubrum versus, quod etiam pago nomen, gemini canales eodem opere excipiunt, à rivo sat longo diverticulo; qui deinde magno spatio fluxuque circumducti, per fauces Erubri pagi, pertinuerunt ad mœnia; ubi exuberans unda, castellis recepta ad publicos usus, ab operum curatoribus in varias transmissa fuit urbis regiones. Nec alius opportunior occurrat usquam aquarum receptus, ut rectè pomærium hucusque producamus.

XI. Palatiolum oppidulum unde dictum?

Sed hactenus citerioris ripæ Cardinem maximum ostendi, à meridie in Septentrionem; ergo jam ulteriorem peto ripam, quo Cardinis parellelum, contrario quidem itinere, at pari tamen passu dimetiar. Occurrit hic primò Palatiolum, id oppidulo nomen, utique à Cæsarum palatio, quod stante Rep. ibi, virente juxta nemore, & affluente Gelbi piscoso rivo, in amœna planitie pulcherrimum stetit: urbi olim attributum, at à posteris certò numeratum in Trevirorum suburbanis. Palatia verò regibus digna domicilia, Eustathius; & Principium domos, ipsæ leges interpretantur. A Romanis in illustres propagata quoque Colonias, Claudianus abundè testatur; apud quem, ipsa Roma.

Palatia quæ antiquis. *Eust. in Dionys. Lib. 1. de palat. & dom. deman. In 6. Cons. Honorii.*

Cur mea, quæ cunctis tribuêre Palatia nomen,
Neglecto squalent senio?

Agnoscas igitur Treviris, velim, Principum Augustorum palatium; & fortè non unum. Porro hujus suburbicarii opera antiqua, Francorum ætate, clarissimo cessêre Virginum partheneni, cujus hodie Canonici successores monumenta quædam conservant.

XII. Ulterioris Coloniæ descripta spatia.

Ab hoc pariter oppido & Gelbi fluvio, qui adversus Erubro, paulo supra, apud vicum Erangium Mosellam implet, mons ad Occidentem sese attollit, primo quidem aditu, plurimâ castaneâ & quercu vestitus; inde verò saxis intumescens, paulatim in cautes abit, & asperas rupes. Huic subjectus ager, pingui primum glebâ fertilis, mox tamen, appetente crepidinem Mosellâ, vertit in prata virentia; &, ubi propiùs alluere montem incipit fluvius, demum angustiis his excluditur, exiguo modo calle relicto, ad currus & onera, viatoribus.

XIII.

Fauces inde subeunt juxta Palingenum, id prædio nomen est, montis saxosi atque præcipitis. quo ex loco, editiore jugo, assurgit in sublime mons, quem Apollineum alii à simulacro Apollinis ibi culto; at nos recentiore vocis origine, vocare Paulinum, à Paulo Eremita, postea Virdunensi Episcopo, mallemus. Is verò antiquæ Trevirorum Augustæ, qua cadentem aspiciebat solem, ceu naturale vallum ac munimentum objectus, quò longiùs à flumine se removebat, eò plus concedebat ad incolendum veteribus colonis spatii.

S. Pauli mons, qui & Apollinis.

XIV. Coloniæ transmosellanæ sedes.

Et verò camporum hic, ut dicebam, ingens æquor, ubi abcedente cum fluvio ripa, ulterior Colonia sedem accepit. Neque, quod in novalibus jam toties versis, nihil ex priscis illis urbis nobilissimæ monumentis, præter paucula metalli cujusque numismata, superesse videas, satis est argumenti, ut Treviros hisce tam laxis habitasse camporum spatiis, recuses. Cui quippe non noti illi Poëtæ versus?

Rutilii Itiner.

Agnosci nequeunt ævi monumenta prioris,
Grandia consumpsit mœnia tempus edax;
Sola manent interceptis vestigia muris,
Ruderibus latis tecta sepulta jacent.
Non indignemur mortalia corpora solvi;
Cernimus exemplis, mœnia posse mori.

Ast, quod admirationem afferat majorem, ubi summam olim urbs antiqua frequentiam obtinuit, istic, quæ rerum humanarum sunt vices, ne ruti cæsi quidem, ullum hodie deprehendi vestigium.

CAPUT XVII.

De Ponte & Montibus oppositis.

I. Pons Trevericus.

Pons est ad meridiem oppositus in extrema oppidi parte, amplis quinque substructus fornicibus, quorum fundamenta, effusis in alveum fluminis prægrandium saxorum acervis, priscæ molis amplitudinem attestantur. Colligit in longitudinem pedes circiter CC. Et exsurgunt moli adstructæ quadratæ in altum pilæ, quarum bases coërcendo flumini factæ triangulares. Pilis alii ferunt, crystallinos etiam globos incubuisse; ego positas fuisse in eorum quondam fastigiis statuas, veriùs æstimem. Hunc pontem Vespasiani imperio, posteaquam apud Rigodulum victor Petilius Cerealis, profligatis Trevirorum copiis, Coloniam ingressus est, subitâ manu occupavêre Batavi, Triviriqueque rebelles. Unde Cornelius Tacitus. *Perrupta legionum castra, fusi equites; medius Mosellæ pons, qui ulteriora Coloniæ annectit, ab hostibus insessus.* At hæc, quæ Tacitus indicat, Coloniæ ulteriora, vastatis omnibus & solo jam æquatis, ecquid aliud, Christe sancte, quàm inconstantis, & fugacis umbræ prætereuntis sæculi illustre sunt exemplum? scilicet, ubi Romani vatis illud oraculum quotidianus olim ludus extitit.

MS. gest. Trevir.

Figuram infra vide in Notis ad Cap. XX.

Olim in urbis medio fuit.

Georg. l. 2.

Cum finibus illis
Agricola incurvo terram molitus aratro,
Exesa inveniet scabra rubigine pila.
Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanes,
Grandiaq; effossis mirabitur ossa sepulchris.

II. Montes duo vicini Jura & Cebenna, per quos Treviri, in suæ urbis solo Galliam repræsentabant, nominum lusu quodam affinium.

Hinc jam ingens edito cacumine mons Apollinis, duobus in locis patefit, præruptis faucibus, quæ à celeberrimis Galliæ montium jugis invenêre vocabulum: nam, quæ pars urbi vicinior, Jura; quæ longiùs recedit, Cebenna vel Gebenna dicitur; cujusmodi montibus à reliqua Gallia discludi provinciam Narbonensem, autor est Plinius. Sunt verò duo his ipsis in faucibus positi pagi, quorum hodieque priscum nomen, in patrio sermone perdurat. Nec infrequens id uti apud alias gentes, sic & apud Treviros, ut qui alienis ex locis profecti peregrinam patriam incolerent, variis memoriæ simulachris, flagrantem natalis soli amorem consolarentur, aut renovarent. Nam & augur ille Priamides, ne perpetuùm Ilio suo careret, eius in Epiro imaginem condidit.

MS. annal. Trevir. Lib. 3. c. 4. T. Seven. & l. Vren. Virg. Æn. 3. de Heleno.

Parvam Troiam simulataq; magnis
Pergama & arentem Xanthi cognomine rivum,

III. Idē in aliis nominibus factum, ut est Lesura.

Cùm igitur in Treveros, postquā hic imperii collocata sedes, tum ex omni cetera gallia, tum ex Aquitania magna nobilitas conflueret, eos, fit verisimile, hæc inde secum desiderio patriæ transtulisse nomina, aut certè eorum æmulatione assumpsisse Treveros. Sic Lesuram Plinius celebrat. Nemausensem pagum, quo nomine stat hodie pagus in Treviris; piscosumque rivum juxta etiam agnovit Ausonius. Venantius etiam Fortunatus, Rhodanum parvulum extulit, in Mosellam præcipitantē infra Caradunum. Trichoriūm supra Bodabrigam ad Rhenum posuit Beda. At Tricorium, nullo pœnè vocis discrimine, similiter in Gallia Narbonensi, Plinius & Strabo meminerunt. Extant autem hujus rei plura hîc, quàm ut egeant exempli vel explicationis, documenta. Atque in præsentia quidem, longo regionum circuitu, per limitem ulterioris ripæ, ad confluentes Saræ Mosellæque reventum, ubi metæ extimi Coloniæ pomœrii antea nobis depactæ.

Lib. 4. de Nicetii Castello. Rhodanus. Trichoriū. Venet. Beda in Martyr.

Plin. l. 3. c. 4. Strabo. l. 4.

CAPUT XVIII.

De spectabili Secundinorum monumento.

Aquilæ pagus.

HInc jam, quà proxima via fert, in Aquilæ pagum; ubi cum montibus inflecti Mosella incipit, & allabi sensim versus Treviros, ad contemplandum Secundinorum Mausoleum accedimus. Sepulchrum id, seu tumulus honorarius est, in area quadrata, & acclivi, ut assolet, juxta publicam viam, Secundinorum honori & memoriæ, nec non eorum, quorum epigraphe servat titulos, exstructus. Opus antiquarum rerum curiosis, tantùm non inter septem miracula nnmerandum, si alicùbi in luce stetisset, atque oculis Italiæ. Sanè fuit non nemo, cui ne cis alpes quidem, in hoc genere, quidquam visum præclarius. Inculcatum olim hic auribus vulgi, monumentum esse Constantii atque Helenæ; dextras, fidei conjugalis ergò, noto veteribus symbolo, jungentium. Operis structura fermè pyramidalis est. Attollitur in altitudinem, Mercatoris dimensione, centum circiter pedibus; Orteliana verò triginta fermè minus. Basis quaternis constat angulis; quorum unumquodque latus duodecim colligit pedes.

I. Mausoleū Secundinorum, quòd falsò B. Helenæ & Cōstantio tributum.

Abrah. Ortel. Itiner. Belg.

Arnoldus Mercat. in privatis tabul. Cosmograph. Trevir. Ortel. in Itinerario Belg.

II. Figura operis.

Ergo moles quadrata in summum exsurgens cacumen, ita paulatim gracilescit, non, ut planè pyramidem, sed limbis exceptis, qui prominentiores sunt, & imposito vertici cono, ingentis pilæ formam exprimat. In summo cacumine insidet redimito circulis globo volucrum potens aquila, pectore, uti apparet quondam velato. Ad coni pedes, ubi tamen prisco corpori damnum vetustas intulit, declivi vertice in trigonis pueri ludentes: seu genii defunctorum: inde frons, quæ in Austrum obversa publicam respicit viam, quatuor tæniis sive fasciis cincta, discriminatur. Intra has, opere intestino elaborata in admiratione est cælatura.

Atque ut ab summis ad ima descendamus; in prima quidem Zona confusis imaginibus nihil discernitur; in secunda verò, adparatus prisco more discumbentium, & ministrantium: cubantibus, ut videtur, hinc viris; fæminis autem istinc assidentibus. Intra hanc, capaciore fronte, tres augustiore item forma habituque togato statuæ, velut porrectis utrinque dextris, in sponsionem matrimonii fidemque convenientium; media conciliatrice; sive Prælucis illa, sive Fidii, aut alterius cujuscumodi simulachri sit effigies; nam quadris nativi saxi, ex quibus tota surgit moles, rimis majorem in modum oportunis, & hiantibus vetustate commissuris, fugiunt non pauca; ut reliqua item monumenti latera omnes temporum & aëris injuriæ, sanè multum atterunt. Imminent trium harum imaginum verticibus, singularum tres itidem aliæ capitis & vultus duntaxat, in plano circulari.

III. Imagines versus Austrum sculptæ.

Jam sub pedibus eminentium imaginum, limbo dirimente, insculptum Epitaphium, notis ævo tamen exolescentibus: quod, ut annos ante hos non paucos partim ab Appiano & Ortelio fuit expressum, partim à nobis deinde lectum, ita suo loco reddemus. Inscriptionem, alia item excipiunt, antiquæ sculpturæ vestigia; ubi de pulpito recitari quidpiam, & auscultantium adstare turbam, sunt qui se vidisse autument. Sed in evanido jam, & magnam partem adeso lapide, difficilis est hæc, & obscura dijudicatio.

IV. Epitaphiū Petr. App. V. inscript.

Sane aversa parte Mausolei, persimile quiddam signiferi orbis aspicitur, ventis ex quatuor angulis humana facie plenis buccis, ut pingi fingique solent etiamnum, aspirantibus: & quæ medio in orbe bigæ, & promissâ comâ effigies, Phaëthontis forte fabulam, aut veriùs Noctis simulachrum repræsentant. Nam alioqui dextra sinistraque cernuntur plaustra, & quadrigæ cum suis oneribus, & alia curruum impedimenta, quæ tamen extrita jam, & obliterata fermè omnia, latent ignoratione. Nisi quod veteres quadrigis, & curribus, anni quatuor temporum celeres orbes, ipsamque summa velocitate decurri solitam vitam, expressisse constet; eaque Symbola reperiantur antiquis insculpa sepulchris, ut & Noctis, quæ feminæ alatæ forma quadrigis insidens, lucis vitæque finem aptè commonstrat.

V. Imagines versus occidentem.

Quadrigæ & Noctis effigies in sepulchris. Adi Cæs. Baron. Tom. 3. ad an. 317. & Constan. numism.

Fusiorem hujus pyramidis expositionem juxta literas in ea formatas in Notis ad finem invenies.

Subjicere hic visum Mausolei iconographiam.

MAVSOLEVM SECVNDINORVM
Suburbano olim loco r
milliarib9
Meridies.
Oriens.
A
B
C
D
E
H
I
K
L
M
Longitudo ex Parte orient. Pedum 72.
Latitudo à meridie et septent. Ped. 16.
Densitas ab oriente et occid. Ped. 13.

pag 42
HODIEDVM IN PAGO EIGEL
nunc duobus ab urbe
visendum.
Septentrio
Occidens

VI. Epigraphe suppleta.

Epigraphe ut à nobis suppleta; sic legi potest.

D M
T. SECVndino Securo, & Secundino AuentiNO, & fiLIs SECVNDINI SECVRI ET PVBLIÆ PAGATÆ CONIVGI SECVNDINI AVENTINI, ET L. SACCIO MODESTO, ET MODESTIO MACEDONI FILIO Eius. IVL. SECVNDINVS AVENTINVS ET SECVNDInus SeCVRVS, PARENTIBVS DEFVNCTIS ET sibi viui, hÆREdes posuERVNT.

VII. Aigle, vel Egle, pagus vulgo Eigel Aquilæ symbolum.

Aquilam vidisti in summo Mausolei fastigio. Ab hac, pago nomen, ubi cernitur, haud dubiè mansit: nam originatione Latiali, Aigle vulgo dicitur, quod Gallis est aquila. Et magnam addit avis illa monumento dignitatem, cujus symbolo nobilissimam illam Secundinorum gentem consecrationem; aut nominis immortalitatem quandam captasse, diceres. Adhibitam enim pyris aquilam, & Imperatorum justis, Herodianus in Severo prodidit; & vetera numismata argumento sunt, aquilarum dedicatione & evolatu creditum, extinctos ad immortalia provehi. Unde in M. Antonini nummis crebrò visitur aquila jam cum fulmine; modò Antonium ipsum intrà alas gestans, interdum lectulum eius in cœlum attollens, cum inscriptione CONSECRATIO. Et in numismate Pertinacis, magis ad usum hujus monumenti, aquila item pilæ insidet, cum titulo, CONSECRATIONIS, ceu supra cœli globum, Imperator is evectus viveret immortalis. Porrò

VIII. Secundinorum celebris memoria.

magnum in Treviris, & celebre nomen fuisse Secundinorum, testantur & hæc epigrammata. Infertus D. Maximini Cœnobii muris, cum hac inscriptione lapis.

Genio SECVNDINI TAVENACONDE.

Flavius.

FL. V...a T. TVATVS. FABivS ET SVI= SVIVS FEcerunt.

Sed & nitidum sub oppidi Lutzenburgici adspectu, in hortis Mansfeldianis, qui Trevirorum monumentis ornantur; Secundini legitur epigramma.

D M
SEXTINIO SECVNDINO CONIVGI DEFVNCTO ET SENERIANO ET SATVRO FILIS VIVIS PRINVLIA SATVRNA ET SIBI V.iva F.ecit.

Extat & ibidem inscriptum aliud.

SAPPVLONO GENERO. SECVNDINÆ.

CAPUT XIX.

De arcu Gratiani & Palatio DD. de Ponte.

Decumanus maximus Limes ab oriente in occidentem.

Reliquum erat evoluto Cardine, ut Decumanum Limitem, qui hunc ab Oriente in Occidentem intersecat, ostenderem; sed eius intra montes spatium, modò pressiùs, modò laxius, quia perstrinxi; tria, quæ in illo restant ædificia, seu magnitudine, seu operum firmitate, visenda, paucis exequar.

I.

Primùm viâ S. Barbaræ, ubi prædium Societatis Jesu, ante urbis mœnia parte Australi, spectatâ magnificentiâ sese offert, ut adhuc dijudicari potuit, arcus honorarius, quem erectum in triumphi Valentiniani Imperatoris, & Gratiani filii memoriam, de Germanis Augustæ Trevirorum acti, non levibus olim

Arcus triuphalis in Trevir. suburbano.

causis inducebar ad suspicandum. Molis structura quadrata est; surgitque parietibus immensis, usque cœcis, ita ut, quod non nemini placuit, neque palatii Constantiniani, neque cujusquam alterius ad habitandum apti domicilii, præstiterit usum. Nam opus Trebetæ cultu Assyrio, propè à mundi incunabulis exstructum, quis jam audit sine risu aut stomacho? quis coctili lapide à nescio quibus Regibus condita palatia, credit aliud, quàm mera figmenta, & mersa tenebris locorum cadavera? Sed insistimus nos operi, quantum majores inquilini rutis cæsis receptis,

B. Rhenanus lib. 3. rerum Germ. Casp. Brusc. illustrib. Germ. monaster.

concesserunt posteris inspici; non quantum jam ex ejus ossibus & laceris artubus audimus dirui ac discerpi, cùm in aream & agrum illum multiplex jus architectis & dominis, in tanta rerum vicissitudine; supra & infra terram, existere potuit. Attollitur ad Occidentem, fluvium versus, raræ & hisce locis insuetatæ magnitudinis arcus, è cocto latere evectus in sublime; adeò, ut operis ipsum propè fastigium contingat.

II. Forma operis ad dextram.

Patuit is, & utrinque pervius fuit olim; at rudi post cœmentorum genere oppletus, continuato ductu solidum efficit parietem. A dextra, insigni operis symmetria, fastigiatæ, & certis sejunctæ spatiis, stant duplici serie inter latericias columellas fenestræ; statuis aptæ recipiendis. Quæ verò columnis his imposita sunt capitella, opere Corinthio, cauliculis cum flexuris volutarum fucundùm calathi latera extuberantibus, è saxo constant naturali. Propter has, certis in angulis victoriolæ, cupidines, fauni & pueri aligeri. Fenestrarum, quæ arcui proximæ à summo usque fasciæ ternæ, latera fornicis utrinque ambiunt, itidem venustâ structurâ. His sunt subjectæ columnæ structiles, arcuatæ tantum ad dimidiam circinationem è vivis saxis, denè inter se commissis. Luxuriatur per scapos, cum pampino vitis: ipsos autem abacos, & columnarum zophoros, varia florum & fron-

dium mutuo implexu ornant encarpa, generis Corinthii.

III. Forma operis ad lævâ. Cæterùm, parte læva, quà in Mosellam vergit, ab omni prorsus ædificii cultu destituitur arcus: laceris his jam, & informibus etiam porticibus, qua publica via pertendit. At verò, quia Constantiniani arcus instar, qui visitur Romæ; aut Septimii Severi, portas habuit utrimque minores, adeoque, una licet infarta jam, ex arcuationis ipso vestigio facilè tamen proditur, quo mediis respondeant extrema, postulat profectò architectonica dimensio, & operis symmetria, uti, quantum ex veteri ædificio etiamnunc dextrâ superat, tantundem ab læva collapsum, interiisse credas. Porro licet trophæis, imaginibus, parergis, & cæteris omnibus triumphalibus ornamentis, quo modo nunc sunt, hæ parietinæ careant; frontem tamen & opere albario expolitam & gypso sive aliis fuisse marmoratis incrustatam, ex nonnullis adhuc cælaturæ vestigiis, quamvis attritis apparet.

IV. Versus Septentrioně. Cæterùm, quod hujus operis Septentrionem versus objicitur mœnibus urbis, id è vivo saxo, sed inæquali crassitie, pluribus locis jam mutilum, haud pauca relinquit vestigia, fornicem isthac ornatu longè augustiore, & etiam majore, corporis extitisse ac membrorum amplitudine. Extant adeo, atque in sublimi molis fastigio prominuli pendent, paulatim in fornices incurvati lateres; & subtus, area in quadrum strata ex ruinis. Quæ omnia sunt deformati operis indicia, & variis jam inde bellorum casibus prostrati; ex quo hæ ruinæ à factionibus nobilium hominum, qui nomen à Ponte gentilitium tulêre, ante annos ducentos & amplius insessæ, in varias modò propugnaculorum, modò sacrarum ædium formas, commutatæ, militibus sacris Teutonici ordinis tandem cessere. Jam verò, cùm ex ipsius descriptione molis, vix aliud quàm arcum fuisse triumphalem, eruditorum quoque judicio statuamus, rationes etiam promere juvat, cur Valentiniani & Gratiani honori, positum id opus, haud vanè credas.

Nobilitas à Ponte nomen gerés Arcum ceu arcem insedit.

V. Valentinianus & Gratianus Imperatores Treviris triumphât. *Abr. Ortel. Itiner Belg.* Triumphatum certè in hac urbe, devictis Alemannis à Valentiniano & Gratiano, cum veteri historia in Annalium corpore docebimus. Porrò hujus triumphi pompam, haud procul à flumine Mosella, per civium oculos omnium traductam, disertè canit Ausonius:

Nec præmia in undis
Sola, sed Augustæ veniens quod mœnibus urbis,
Spectavit junctos natique patrísque triumphos.
Hostibus exactis Niceri super & Lupodunum,
Et fontem Latiis ignotum Annalibus Istri.

VI. Denique ex hisce parietum ruderibus, & adjacentibus hortis, magna vis antiquorum eruitur nummismatum, quæ non temerè aliis, quàm horum Imperatorum imaginibus, atque titulis insigniuntur; alia namque signiferum præferunt cum Labaro X. P. Christi nomine Græcis notis insculpto, supplicis & debellati colla manu prementem, inscriptione: GLORIA ROMANORUM. alia jacentem ad pedes togati, Regem ostentant, cum alatæ victoriæ typis, hoc titulo: REPARATIO EXERCITUS. Minutioribus denique inscriptum:

D. N. VALENTINIANVS P. F. AVG. & D. N. GRATIANVS P. F. AVG.
Inde versa parte, aut SECVRITAS REIPVBLICÆ, aut CONCORDIA, cum victoriolis, porrecta manu coronam sustinentibus.

Tacit. hist. l. 4. Cùm verò, quod semel hic ex Tacito repetendum, Romani ædificiorum fundamentis injecerint, cujusque metalli, argenti, aurique stipes, quo conditorum memoria diutiùs perennaret; vel ex hisce nùmismatum missilibus, promptum sit fidem, aut certè verosimilem conjecturam facere, eam urbis regionem, ut in fluminis & pontis adspectu celeberrimam, olim fuisse Valentiniani ac Gratiani honori positis ædificiis, aut triumphalibus ornamentis frequentatam. Verùm, hæc ceu conjecturis & hominum opinationibus parum firmis obnoxia, ut libuerit quisquis accipiet; memor, quod cùm nihil manibus humanis laboratum non redigatur ad interitum, pronius hæc memoriæ subtrahantur, quæ obruta, diruta, tot sæculis, non una morte prostrata jacent. Et ne ultrà insistas: Magnorum imperiorum, regum, gentium sedes, ipsaque septem Orbis miracula, ubi fuerint terrarum, adhuc quæritur. Cæterùm hujus monumenti, jam prope diruti, hoc velut proponere lubet exemplum. quod, cùm hæc literis mandabamus, prima fronte versus meridiem, referebat.

NB. Piscinam Broweri tempore fuisse destructam, quam in vertice adjecimus, de qua vide in Notis.

PARS PALATII DOMINORVM DE PONTE QVOD EX ARCV TRIVMPHALI
Valentiniani et Gratiani Impp. excitatum fuisse creditur.

A. Antemurale cum porta. B. Murus palatij interioris primus
C. Murus palatij posterior. D. Piscina in supremo Palatij fornice.

Digitized by Google

VII. Substructionum opera an. 1611. & 1612. apud arcum reperta.

Ita facies erat hujus operis, me Treviris adhuc vivente. At intervallo annorum, cùm à Collegio Societatis hic fundus esset ære quæsitus; & fabricæ scholarum, quas Collegium bono publico suis tunc & liberalium hominum magnis exstruebat impensis, ex hisce ruinis materia compararetur, ut lapidum sanè vis ingens è fundi visceribus, indefesso labore, extracta; sic mirifica sub terris opera, quæ latebant, à nostris hominibus inventa. Atque eorum specimen, & conformationem, quam quidem ante arcuum molitionem istic, florente imperio, extitisse suspicor, testes oculati, fere istiusmodi mihi prodiderunt. Specus ingens observatus excurrere versus ortum sub arcuum duorum imo solo, opere testudineo ex lapidibus facto, pedum duodenûm latitudine, altitudine denûm haud amplius.

Specus.

VIII. Hypogæû.

Pavimentum.

Fornaculæ cum rudere & statumine.

Sed sub arcu majore, cujus proruta maxima pars, se primum obtulit hypogæum venustum, candido & subviridi marmore, vestitum undique. Hinc in areæ spatio, quod arcus occupant juxta, pavimentum crustis stratum marmoreis, cujus fornix ob mixtionem ruderis ex cœmento versicolore factus, crassitie circiter quinque pedum. Crebræ posthæc apparuêre fornaculæ, longa serie columellis insistentes lateritiis; quarum receptacula, vel officinæ, sua altitudine senos pedes non excederent. Supernè positi lateres grandiores, infernè marmorata; nisi quod furnis suggesta terra solidior. Cæterùm, quàm latè pertinebat fornacularum series, tam longè statumen pro fulcimento substratum infimo solo ex grandioribus saxis; atque his, ad sustinendum superius pavimentum, propria ruderatio incumbebat. De hujus autem tam variæ substructionis, & fornacum usu, an monetæ, vel auro argentoque fuerit conflandis, an aliam in curam artis occultæ cesserit, parum nos, ubi clariora indicia desunt, in præsentia cum expedimus, diligentiùs talium curioso lectori inquirendum putamus.

Substructionum usus incertus.

Vide Notas hac de re explicatiùs tractantes.

IX. Collegii Soc. Jesu Trev. substructiones.

Memini ante pluculum temporis in hypogæo Collegii Societatis, cùm triclinii substructiones panderentur, duplex pavimentum ex tessera, & sectili marmore retectum. Inde rudus multiplex effossum, marmoris, parergorum, & statuarum. Hinc carbones & ustos arborum truncos ex urbis conflagratione, denique in imo arenæ solo saxa ingentia, quæ ut ferreæ commissiones indicabant, soluta compage à corpore suo divulsa scilicet huc prociderant. Trunci ustulati & carbones spectatorem detinebant. Sed benè Damianus, Carbonem dixit, etsi infirmum, sub terra ætatê ferre longissimam. Et Vitruvius, in fundationibus ædificiorum, ubi solidum non invenitur, laudat, palis robusteis jam confixis, horum intervalla expleri carbonibus, quibus rarefactis, nativa vis insit ad durandum, & exsugendum humores.

Petr. Dam. Epist. 4. de omnipotentia Dei.

Carbones & ustulati trunci.

De architectura l. 3. c. 3. l. 5. c. 9.

CAPUT XX.

De antiqua turri & adjuncto Fano.

VIsitur ab hoc arcu, haud magno intervallo, quadrilatera & excelsa turris, cujus recenti structura pars magna quidem interpolata; at quà proclinant in meridiem fornices, templi quædam facies sese introrsus aperit; statuarum loculis in rotundum aptè dispositis, & laceris coëuntibus undique porticibus. Centifanum audent comminisci, hac regione loci stetisse, id est centum idolorum delubrum; & templum, quod juxta stat, quæ in Treviris omnium esse veterrimum. Parochia, fuit sancto Joanni sacra, jam suis prope sepulta ruinis; cujus septa propriis saxis sculpturam præferunt Herculis & Cupidinis. Tentavit molem vicinam Maximilianus Primus Imperator anno M. D. XII. quo Treviris conventum agebat, aliquot ferreis globis ingenti machina excussis, verùm excipiente vim latere, injuriæ non cessit.

C. Bruschi. in Monast. S. Matth.

I. Centifanum.

In Notis figuram cum expositione habes.

CAPUT XXI.

De porta Martis nunc templo S. Simeonis.

I. Moles seu templum B. Simeonis.

VEnio ad urbana opera; in quibus elegantiâ præstat & magnitudine molis, vulgi fabulis decantata B. Simeonis collegialis ædes, quæ à Septentrionibus ad publicam urbis portam sese offert; tenetque spectantium oculos admiratio fabricæ, quàm non abs re clarus memoriâ nostra Geopraphus, mole scripsit admirandam; & cui nec in tota hac Gallia putavit superesse parem. Quippe incredibili saxorum, coloris Leucophæi, magnitudine surgit in excelsum; junctis non cœmento, aut interlita calce, sed ferro compagibus, tanta firmitate, ut rupis in modum coalita adversus omnem impetum subsistat. Unde hic populus Trevericus pro suo, & hujus ævi captu, à Cacodæmone conditam exstructamque fabulatur. Forma est quadrangula, altera parte scilicet longiuscula, duabus utrinque turribus ad Romanum exemplar instructa, quatuor ab imo solo concamerationibus invicem sibi supra positis, & opere parietum circumquaque duplicato. Quà in publicum urbis obvertitur, terno conspicitur fenestrarum ordine inter columellas semirotundas: quâ verò respicit Aquilonem, partem explet mœnium, proportione ad decorem usque exactissima.

Abrah. Ortel. Itiner.

Figuram cum expositione in Notis habes.

II. Poppo Archiep. templo aptat.

At ubi portæ se præbet civitatis, à Poppone clarissimo Trevirorum Archiepiscopo, novis operibus exculta est, adjectis spectaculi causa circum ambitum odæi, podiis, & Mænianis, ut forma congrueret. Denique multo aggere comportato, & affuso ab urbis foro, insigni eminens altitudine, per clivum aditur gradibus lapideis, infra supraque clero & religione frequens.

III. S. Simeonis ædes probabiliter olim putatur fuisse capitolium.

Ceterùm, meo quidem sensu, nihil ullâ hujus urbis regione, ad capitolium inveniendum, statui potest illustrius vel accommodatius; ita tenet Arcem hæc fabrica, atque ex Vitruvii descriptione excelsiorem occupat aream, unde civitatis olim pars maxima conspici potuit: nam quæ in imperio Romano

Vitruv. l. 3. c. 2.

splendidæ

splendidæ civitates habuêre capitolia, eæ principem urbem imitatæ, loco fermè condiderunt illa editissimo; quo spectatior & augustior esset Deorum cultus, quorum in tutela quæque civitas. Et interior quoque species operis, nulla laxitate, fornicibus undique restricta, & impedita concamerationibus, nisi quà ad usum templi à posteris explicata cernitur, arguit, vix ulli usui locum cum extitisse, præterquam aris, simulachris, idolis; cujusmodi in Capitoliis erigi, colique, mos erat.

Arnob. l. 4. & Conc. Elib. can. 59. Vita S. Apollinaris, & Saturni Tolosani.

CAPUT XXII.

De Palatio urbis.

I. Electorum Palatium vetus opus includit.

POst hanc molem Palatium superest, sive domicilium Trevirensium Principum, & Archiepiscoporum, è cocto latere suffulto que calce. Vastus omnino, & ingens hujus ædificii complexus; quod structurâ quadratâ, sed non æquilaterâ, fenestris ad summum apicem immensis, assurgit. Ubi se facies aperit, & ingressus, procurvatur hemicycli formâ, quæ tecto jam inducto, vasti ad instar propugnaculi, ex reliquis partibus, procurrit. Sanè primum quadrati latus in fronte angustius, arcus immensi vestigia interiore parte retegit; quem ambiere duo minores utrinque: sed arcus jam hi rudiore cæmento obstructi omnes; cùm pervios olim extitisse appareat. Et structuræ latera utraque, ad Orientem & occasum, patent fenestris amplissimis. Illa quoque pars operis, quæ ad meridem in Principis hortum exit, arcuum simul ruinas, ostendit, insignis ex latere fabricæ notis haud obscuris: quæ spatia ab arcubus intermissa perizoniis, & limbis ex atriore saxo prænituisse, docent, nec artis priscæ caruisse elegantiâ.

II. Circum maximum olim fuisse credibile est.

Porrò, fenestrarum magnitudo, & murorum ipsæ coronæ, opus produnt antiquitus cælo patenti expositum, & non tam habitationi fuisse, quàm ludicris spectaculis, & certaminibus. Equidem de ipso ædificii genere nihil in præsens habeo suspicari, quàm quod vel circo, vel Hippodromo structuræ vetus forma congruat. * Ac de magnitudine quidem, & præcipuis urbis antiquæ monumentis, exposui audentiùs fortè, quàm velint, qui oppidi modò præsentis faciem cogitant, at indicia tamen ab hujus ævi usu remota, immodicè nusquam, ut opinor, supergressus, quo apud peritos plus ea ponderis inveniant.

* Ænypum Palatii hodierni, vide in Notis.

CAPUT XXIII.

De finibus Imperii veteris.

I. Territoriū priscæ civitatis, seu Coloniæ. *Sax. Inl. Franc. de Colon.*

QUIA sedem jam Treviris & Colonis antiquis dignam attribuimus, postulat susceptus ordo, ut territorium iis assignemus; siquidem, ut ante Romanas acceptas leges, certi fuêre civitati fines ac regiones, intra quas, jus dicendi potestatem exerceret, sic Colonia inde deducta, territorium ac modus etiam agrorum assignatus, in quibus agris jurisdictio coërcitioque Coloniæ, jure Italico, seu Romano persisteret. Ceterùm, quia in Treveris ob regionis asperitatem, nemorum & montium frequentiam, multa fuêre, ut cum Aggeno loquar, soluta loca, id est sterilia & saxosa, quæ limitum regulis includi nequivere, consequi profectò difficilè sit, quos præcisè limites vetus Colonia sit amplexa; cùm antiquis forsan finibus, vi & armis Majorum occupatis, Romani commodioris instituendæ diœcesis, quantum visum abraserint, aliamque territoriis faciem regionum indiderint. Nam apud Hyginum legimus, Augustum in Coloniarum deductione, ex alienis quoque sumpsisse territoriis, & assignasse veteranis. insuper sanxisse edictis, nihil ut aliud ad Coloniæ jurisdictionem pertineret, quàm quod veteranis datum, assignatumque esset. Et verò magnam apud devictas gentes passim à Romanis limitum mutationem inductam, ad fora, & conventus à legatis & provinciarum rectoribus oportuniùs agendos, in Metropoli nostra docebimus; quò facilius fortè nobis sit, de priscæ civitatis, quàm Coloniæ territorio, ex hisce, quas tenemus adhuc, conjecturis, affirmare.

L. Pupillus 239 de verb. sig. L. cetera, 41. §. Sed si quis. Strabo l. 4. de Nemauso.

II. Limitum mutatio facta per Romanos.

III. Arduennæ limitum regula.

Primùm igitur ex pomœrio in patentissimos Arduennæ saltus sit excursus; quippe, cùm ejus nemoris interiora medius quondam imperii Treverici limes intersecarit. Ita namque Cæsar Arduennam, testatur, ingenti magnitudine per medios fines Trevirorum, à flumine Rheno, ad initium olim pertinuisse Remorum. Alibi verò ab ejusdem fluvii ripis, finibusque Remorum, ad Nervios, silvam hanc totius Galliæ maximam extendit; millibusque amplius, ait, quingentis patêre in longitudinem. Ex qua quidem Arduennæ descriptione colligimus, intra Ubios & Confluentes, apud Rhenum ejus nemoris extitisse initium; atque ab ipsis mox ripis, quæ Bonna & Antonnaco inclytis oppidis Romanorum statione tenebantur, sparsisse ramos utrinque, dextrorsum scilicet in Tungros & Eburones, sinistrorsum autem in Treveros sive Ripanos, Condrusos, Segnos, quæ loca jam Eifflianis, Lutzelburgiis, & Namurcensium quoque ditioni cedunt. Neque hinc desiisse tamen, etsi paululum, medio Mosa flumine interruptum; sed porrexisse brachia in Occidentem, ad usque Nerviorum fines. Atque hæc dimēsio longitudinis, ab ortu & Rheno flumine.

Libro 3. belli Gallici.

Libro 4.

Arduennæ in partem omnem, perque medios Trev. fines excursus.

IV. Carbonaria silva pars Arduennæ; aliis in Hanoniâ quoque porrigitur.

Porrò à vicinis Leodici finibus, & Carbonaria silva, ubi degunt Eburonum posteri, plurima loca, rivosque ambiisse constat, & à Septemtrione tandem in Austrum flexisse, donec se Remorum agris insinuaret. Hodie cis Mosam nomen relinquit, sic interlucata passim, ut circa S. Huberti & Bullionensis provinciæ fines, pristini nemoris horrorem retineat: & quæ Arduennæ cognomento regio, licet pagis & oppidis jam frequens, saltibus tamen adhuc & dumetis passim itasqualet, & inhorrescit, ut culturam ægrè ferat. Agnoscitur itaque veteris saltus, hisce locis ingenium.

V. Limites Trevirensis territorii.

Quare, ut Arduennæ hæc vestigia ducunt, Decumanus maximus juridictionis Trevericæ ex Oriente in occasum, à Rheno initium

sumens

ſumens per Lutzeiburgios & Sabis accolas Namurcenſes ad Nervios ſeu Tornacenſes uſque pertingit: at cardo maximus in meridiem vel Africum ex ſeptemtrione ductus, ab Eburonibus pervenit in Remos & Lingonas; Mediomatricum agris in medio relictis. Atque hæc territorii & limitum deſcriptio, ne unius Cæſaris regi putetur arbitrio, à Strabone quoque vindicatur, cujus in IV. Geographiæ locus emendatior, pro Treverorum hac cum Nerviis viciniâ facit; * Τρηουίροις, δὲ συνεχεῖς Νερουιοι: Treveris proximi Nervii. In cardinis ductu, modoque paulò ſunt omnia, niſi fallor, clariora: nam Lingonas attigiſſe Treviros, relictis hinc Tribocis in Alſacio; inde in Lotharingia Leucis, perperam cum recentibus hiſce noſtris Lutzeleburgiis confundi ſolitis, primùm ipſa tam frequens armorum ſocietas, & mutua conſiliorum inter ipſos, & aliarum rerum commercia, ſuadent. Etenim civili bello, quod ſæpiùs meminiſſe cogor, adverſus Veſpaſiani legatos, Treveris impigrè affuere Lingones: & Romani apud Tacitum, ceu belli cauſæque conditione non diſcretos, haud ſemel utroſque compellant. Sed illud hìc præcipuum, quod in Trevirorum annalibus, ſcriptor quiſpiam antiquus teſtatur, ſua dum ætate, portæ cuidam Lingonum inſcriptum.

VI. Nervii Treviris finitimi.
* Τρεουίροις correxit Petr. Divæus, & Iuſtus Lipſ. Cauſab. pro inſuemo accepit Lingones item.
Lutzeleburgii, veteres Treviri, malè à Divæo Ponto Heutero cõfuſi cum Leucis.
Tacitus lib. 4. hiſtor.

HUC USQUE JURA TREBIRORUM.

Neque fidem ſuperat hæc juriſdictionis amplitudo; cùm Lingones ad Vogeſum pertinuiſſe, ex quo domeſtici fluvii Trevirorum, Moſella & Saravus oriuntur, etiam Lucanus meminit:

VII. Lingones propinqui.

*Caſtraq; quæ Vogeſi curvâ ſuper ardua rupem
Pugnaces pictis cohibebant Lingones armis.*

* Caſtraq. Vogeſ.

Porrò Vogeſus hinc, inter Tribocos & Leucos, effuſus, mira altitudine, & nemorum denſitate, montibus, hodieque ſe in Trevirorum extrema ſinuans, dilatat. Et eſt in Gallis Lingonum, qui vulgo Langres, clariſſimum nomen, ob Epiſcopi dignitatem, qui inter XII. Franciæ Pares, Ducis titulo cenſetur.

Pl. lib. 2. Merca. tab. Coſmogr.

De Remis autem, quorum metropolis Durocortorum ad Vidulam amnem, pervetuſtæ docent annalium litteræ, apud ipſos etiam celebrem quondam extitiſſe portam, quæ à Treviris nomen ferret. Quod adeo verum eſſe, pergratum fuit è D. Remigii teſtamento cognoſcere; quod olim ex Flodoardo Remenſis Eccleſiæ ſcriptore, Barnabas Briſſonius primus in lucem protulit; ubi B. Remigius ſanctorum Criſpini & Criſpiani ad PORTAM TREVERICAM, inter alia, commeminit. Et quia hanc Remorum cum Treviris arctiorem, non viciniæ modò, ſed juris & religionis conſuetudinem, ſæpiùs laudare cogar, non hic præteriri velim, quod eodem in Teſtamento, celeberrimus ille ſacerdos, Trevirorum Eccleſiam ſalutat Remenſis Eccleſiæ ſuæ ſororem, præferre non auſus, quæ dignatione quidem olim anteceſſerat. Atque iſta utriuſque diœceſis tanta cognatio, ut alia deſint omnia, viam tamen aliquam ad juriſdictionis antiquæ limitem pandunt. Suppetit interim ex Antonini, ſeu Athici, itineratio, manifeſta ratio.

VIII. Remi Treviris quoque vicini.
Flodoard. l. 1. c. 18. Barn. l. 7. formul.
Treverica & Rhemenſis Eccleſia ſorores.

Nam itinere in Treviros recta Durocortoro proficiſcentibus, ſecunda manſio fuit Epoiſſus, quem vicum Gregorius Turonum, appellavit Epoſium; hac ætate dicimus * Ivoiſum; quod alii vertunt in Ivodium. Ceterùm hoc oppidum, ut ſacra juriſdictione Treverici Præſulis etiamnum continetur, ita ante conſtitutam Lutzelburgiorum ditionem ab eodem, utrunque jus accepit. Sed quia iter hoc turbatius alioqui in publicis monumentis, ducatum nobis ad limitem præbet, operæ pretium ſit, explicatiùs hic proponere, detracto errore, quo, ſublatis manſionum, numeri legionum invaluêre; pro quibus, cùm alii Leucas ſufficerent, imperitiſſimè fecerunt, ut Treviros inter & Remos, modò Leucarum octo & nonaginta, modò centum amplius intervallum locârent. Id quod antè nos etiam, Hieronymus Surita, contra omnes editiones, diligenter advertit. Ergo Leucarum numero, qui irrepſit, expuncto, comparatiſque inter ſe lectionibus, & uſu, naturaque locorum in ſubſidium accerſitis, ſic breviuſculum hoc dirigo jam iter:

IX. Iter Remis Treviros.
* Ivodium.
Hieron. Surit. ad hin. Anton.

A Durocortoro id eſt Remorum urbe,
Treviros uſque, * Leugæ XCVIIII.
* Vungum. vic. Leg. XXII.
* Epoiſum. vic. / Ivodium. Leg. XXII.
Orolaunum. vic. / Aralunum. Leg. * XV.
* Andethannâ. vic. / Abſternacũ. Leg. XV.
Treviros. civit. Leg. XV.

* Sic Æthicus apud Flodoard. l. 1. c. 1. hiſt. Rhemenſ. alii leu. xcviii. vel cxcviii. appendunt.
* Yungum.
* Epoiſſum.
* XX.
* Andethannale & Epternacum.

Atque hac itineris dimenſione, claret, Vungo mox in Treviros veniri, quandoquidem omnia ſubjecta loca Treverorum hodieque diœceſi parent: tum aptè quoque, parte legionis Durocortoro tributa, limitem hunc in Rheni latera obverſum, duarum legionum robore communiri, in ſex ſtationes diſperſo; quo faciliùs, ad ſubita contrahi in unum poſſet. Utroſque hos amicos, vicinoſque Treviris populos, Lucanus quoque jungit.

Optimus excuſſo Leucus Remusq; lacerto.

Libro 1.

Porrò jam autem, quia ab Rheno flumine, cujus flexus eſt multiplex, capita limitum exorſi ſumus, quo mediis extrema reſpondeant, horum etiam latitudinem indagare, par eſt. Ut verò ripam fluminis citimam, in præſentia omittamus, quæ traductis Germanis, tandemque caſtellis hoſtico prætentis munita, Germaniæ nomen, in regione Galliæ ſumpſit, ſic metari non vereor. Treviros, ut olim ad extimam ripam ab uſque Ubiis & Confluentibus Moſellæ, ad Navam flumen protuliſſe fines; ſic occupaſſe quoque montium & nemorum, ſolique culti, quantum inter Moſellam & Navam à Lutera, Blieſſa, Saravo, ac minoribus etiam hiſce rivis alluitur. Et ne aberrare me nimium hic, tam vaſta regione, quiſpiam putet, Tacitum mihi ducem aſſumo; qui huc uſque fermè Treveros emittit, & fines ſuos propugnatum educit. In Moguntiaci obſidione, quam mixtus ex Cattis, Uſipiis, Mattiacis, exercitus Germanorum urgebat. *Treviri*, ait, *egregiâ erga populum Romanum fide, loricam vallumq; per fines ſuos ſtruxêre, magniſq; invicem cladibus, cum Germanis certarunt.*

X. Limitum Treveric. capita à Rheno.
Tac. 1. annal. & lib. de mor. Germ.

Hanc ego loricam haud procul Bingio Navaque flumine, quà denſiſſimæ frondibus ſilvæ, & dumetis viæ, abfuiſſe puto, tum

XI. Trevirorũ imperium Nava flum. finitur.

quod

quod proximè à Moguntiacensi undique patenti solo, tunc immineret discrimen, tum quòd Rhenus & Mosella, satis tergum & latera firmarent, lorica verò ex frondium nexu & ramis implicatis, munitione Gallicâ, frontem unà muniret, & irruptionem excluderet. Similiter Julius Tutor, pugnaturus adversus Romanos, Navæ fluminis oppositu, Trevirorum suorum copias, recenti Vangionum, Caracatium, Tribocorum lectu auctas, defendit, Bingium etiam progressus, ubi pontem Navæ fluminis abrupit. Nec ulla verò magnopere celebris gens, quæ ante Romanorum de Germanis victorias, qui sæpè alio atque alio traducti, hæc media loca sedibus aut armis, perinde ac Treviri, frequentârit. Hic enim summis montium jugis Trichoriam describimus regionem à fronte Rheno, lateribus Navâ Mosellaque clausam. Hic Poderæ montana, vulgo Pedernach apud Bodabrigam sese attollentia monstrant alii, quæ cùm alibi Navæ flumini immineant, tum ad Rheni ripam in septentrionem flecti, & sic demum versus Confluentes procurrere, cernimus. Quibus accedit, quod ad hanc usque diem, ex his pleraque loca Trevirensis Ecclesia vel feudis ambit, vel jure premit, vel sacra jurisdictione stringit: quanquam religione mutata, capitis & juris quoque magna sit facta imminutio.

Trichoria.

Poderæ mōs Pedernach. *H. Nuenar. de Gall. Belg.*

XII. Quomodo vicinæ circum urbes Treviris paruisse ferantur.

Quod verò jam passim, hominum opinione percrebuit, Treviris paruisse olim quinque Rheni urbes, frequentia & magnitudine facilè principes; Agrippinensem, Moguntiacum, Nemetes, Vangionas, & Argentoratum; ejus fidei, speciosæ licet, periculum, ut in me suscipiam, vix adducor in præsens. Enimverò quanquam Treviros, ex hisce conventibus, pactionum aut fœderum lege, non rarò contraxisse auxilia; & in crebris, & assiduis bellorum tumultibus, operâ vicinorum permultum usos, quisquis Julium Cæsarem & Cornelium Tacitum adierit, ignorare non possit; haud scio tamen, quàm aptè, tam amplam imperii vim in hanc urbem derivent; cùm harum alias, quo tempore Cæsar primò Galliam armis perdomuit, neque dum extitisse, atque aliquanto post etiam tempore, fundatas, Coloniæ Agrippinensis exemplo, manifestum sit; alias verò, suo quodam jure liberas degisse; atque quod ex Tacito discas, nulli, præterquam Romanis, obnoxias.

XIII. An Census Jovi pendendus, *de quo supra Cap. XI. n. XV.* signum fuerit subjectionis?

Nec quidquam huic causæ patrocinatur illa vetus, apud Treviros olim celebris, inscriptio, ex qua tamen hæc orta videtur ambitiosa fama, de *censu quinque civitatum Rheni, per tria decennia negato.* Nam & ille tam exquisitus honos Jovi impensus, & ipsum orationis genus, ab usu & disciplina Romana sunt. Et verò proximum, Romanos, qui in Galliarum agendo censu, uni omnium certè tum dominabantur, recusata, pertinaciùs fortasse tributa, tandemque inani Deorum objecto terrore, Jovi, qui vanissimâ tum superstitione coleretur à Treviris, retulisse in acceptis. Aut certè ut ara illa præcipuæ vanitatis Lugduni quondam, *gentium sexaginta titulis inscripta,* Augustoque Cæsari dicata, eximio quodam apud Galliæ populos in honore fuit; sic Treviros in absurdissimos dæmonum cultus impensè profusos, fieri potuit, hujus tam admirandæ statuæ religione, obstrictas tenuisse vicinorum mentes, atque suas hic insuper quæstui forsan habuisse, superstitiones.

Strabo lib. 4. Suet. in Augusto. Epitome Liviana Tacitus.

Consule Notas.

CAPUT XXIV.

De veteribus lapidum, & monumentorum inscriptionibus.

Corintho à L. Mummio, præstantissimis artificum disturbatis operibus, excisâ funditus atque deletâ, memorat Strabo, Colonos ab Julio Cæsare eò deductos, id habuisse studii, ut, quod de Capuanis etiam Suetonius narrat, dùm ruinas atque sepulchra solicitant alta humo defossa, testaceorum operum ærisque facti permultum effoderent, quorum admiratos artificium, cùm investigandi nullum laborem intermitterent, summâ id genus rerum copiâ potitos; magno divenditis Romam implesse Necrocorinthiis. Mihi verò etsi veniebat in mentem vereri, ne si Necrotreberica hæc pari studio effodere aggrederer, nihil agere censerer aliud, quàm veteris ac dilapsæ civitatis umbræ quædam resuscitare ludibria, abjicere tamen prorsus, aut insuper habere rem eam non potui, quam, ut nemo paululum humanior deberi sibi neget, ita, qui tot jam hinc mirificè illustratis scriptorum veterum monumentis, sapientumque curis huc etiam conversis, supervacaneam adhuc contendat & inutilem, ut levissimè dicam, prorsus sit inhumanus.

Strabo lib. 8. Geograph. Suet. in Iul. cap. 81.

I. Causa reddita hujus partis antiquitatum non neglectæ.

Et certè, si ante hos annos fuisset antiquitatis notitia paulò fœlicior; eaque lapidum sive mutorum sive literatorum extitisset, quæ hoc ævi est, apud eruditos plerosque admiratio, haud ulli, sat sciò, Galliæ civitatum, Treviri concessissent; ita plus ceteris hic omnibus Romanorum abundarunt artium inspectionibus, titulis, sepulchris, marmoribus. At verò, jam incolis honorem exiguum studiis hisce deferentibus; queis susque deque lapidum est jactura, omnia passim, aut quadratariorum, aut lapidicidarum juri subjacent; atque unà exceptâ aureâ argenteâque monetâ, nihil expers damni, nihil, nisi fortè intercessum, noxæ eximitur. Adde, quantum jam usque ab Caroli magni imperio, veterum columnarum, statuarum, tabularum, & marmoris elaborati exhaustum atque hinc ad alia condecoranda loca translatum? quantum plerisque itē in locis non ventorum ac tempestatum modò contumeliis, sed sexcentis quotidie, iisque sæpenumerò ferratis pedum vestigiis edomitum, ubi notis incisa priscis marmora pro pavimento substrata, quotidie calcantur? Denique, magna vis eorum est, ad hanc usque diem, quæ simul refossa tellus aperit, & avidè expetuntur à curiosis, & longiùs confestim exportantur, quàm ut vel à provincialibus agnosci queant. Tetigit hanc rem Poëta non pessimus, & si parum pius & pudicus, veteri Trevirorum illacrimans, conditioni.

II. Antiquitatum cura studiumque apud Treviros neglectum hactenus.

O quanta vestris mœnibus inclytis
Obliterata est gloria principum,
Viri Trevirenses; Mosellæ
Qui gelidum bibitis liquorem.

Conradus Celtes.

Romam videbar cernere corrutam
Prorsus ruinâ; dum feror impiger
Per porticus, portas & aulas:
Perq; Palatia prisca Regum,

Passim per agros, quæ modò concidunt,
Feruntq; celsis culminibus suis,
Tholisq; summis atriorum
Arbores frutices, & herbas.

Idola divûm vidimus inclyta,
Inscripta sacris sub titulis suis.
In plateis, heu, nullo honore,
Marmoreis recubare saxis

Sepulchrà; Græcis vidi epitaphiis
Inscripta busta; & stare sub hortulis,
Et mœnibus sacrata functis.

Avara quid non tempora devorant?
Tulere metas Herculis æneas.
Nos nostraq; involvunt ruinis,
Perpetuo rapiente cælo.

Ordinis methodus. Religiosa.

Cùm verò prisci illi Trevericæ civitatis incolæ, aut simulachris arisque locatis, religionem in Deos sint testati, aut statuis publicè positis, titulisque gloriæ munus benè de se meritis persolverint; aut denique ad leniendum mærorem, defunctos monumenti honore prosequi, numeraverint in solatiis, age per hæc tria genera, supellectilem hanc digeramus, pro magnitudine copiæ sane modicam, & fortè potiùs oblatam, quàm impenso studio quæsitam.

III. Caraduni celebritas, & antiquitates.

Caradunum ad primam Mosellæ sinistram, loco peramœno situm, duodequadraginta ferme distat à Colonia veteri passuum millia. Vicus Romanorum frequentia, stativisque, quod variis testatum antiquæ memoriæ vestigiis, neque incelebris, neque obscurus. In porticus ibi frontispicio, statua bipedali, Romanus adstat tunicatus, reflexo pileo, dextra sustinens maxillam, læva in gremio acquiescente. Est & Martis mons, cujus in fastigio veterum castrorum reliquiæ, ædificiorum ruinæ, & pavimenta, specus abditi, puteique monstrantur; sed soli jam quicquid est, ad ripam habitatur. Hic inter alia, quæ fortè ibi spectare contigit, elegantiâ literarum, vel præcipuè detinuit oculos, marmor in partes dissectum, cujus una quidem amissa altera D. Michaëlis in ædicula arcui inædificata, tam fœdo tamen hiantique vulnere, ut ni Mediomatrices medicinam aliquam facerent, pro deposito abjiceres.

Martis mōs. auff die Mart.

In honorem dom	VS DIVINÆ
DERC	OREDO
	VET†A AT†CINA
	MI FILIA
fanum ornauit	HIS PORTICIBVS
	TERENTIVS
	TVS

IV. Metensis fani inscritis. *Ortelii itiner.*

Inscriptio Metensis, quæ effossa, quadrilatera basi istic in lucem emersit, Caradonensi haud multum absimilis.

Iovi Opt. Max.

I. O. M.
IN HONOR.
DOMVS DIVI-
NÆ. VICVS HO-
NORIS PVBLICE
POSVER. HI QVI
INFRA SCRIPTI SVNT.
CVRA EORVM. T. IVL.
ADIVTORIS. M. PAVLLI
F. MARTIALIS. P. DONNA.
XI.

Jam Vettii quoque, atque Dercoredi nomina, in ejusdem latere basis expressa, ut non insolita scires Belgarum auribus.

P. ATTIVS
ANTIGVS
L. VETTIVS
*DORCORE-
DVS. M. VET-
TIVS. MER-
CATOR.

* Dercoredus.

V. *Scalig. lect. Auson. l. 2. cap. 7.* Palatii inscriptio sub titulo domus divinæ.

Quod verò domus divinæ vocabulo, Augustalem, & Imperatoriam intelligerent veteres, quam monumentis etiam positis adulabantur, inscriptio docet, urbe Lactoratensi Vasconiæ reperta.

PRO. SALVTE IMP.
MAR. ANT. GORDIA-
NI. PII. FELICIS. AVG.
ET SABINÆ. TRAN-
QVILLINÆ. AVGVST.
TOTIVSQVE DOMVS
DIVINÆ.

VI. Ripani vel Ripuarii. Ripanorum sedes.

Ripuariorum inter Francorum colonos, qui Meinfeldiæ arva posterius excoluêre, percelebre apud antiquitatis mediæ scriptores nomen; legesque hujus gentis extant propriæ, quam Caradunum inter & Antonacum, secundùm Rheni Mosellæque ripas habitasse; quasi certum habemus. Porrò illam ego gentem, non aliunde nomen, quàm à ripis fluviorum; quos diximus usurpasse, corrupto tamen ita vocabulo, ut quos Ripanos prisci, hos Ripuarios posteri appellarent, clarissimo veteris monumenti testimonio contenderim. Erutum id in ipso vico Caradunensi, ante annos hos non ita multos, ex parochiæ D. Virginis cœmiterio. Forma saxi quadrata, sarcophagi in morem excavati. Integumentum plumbeo sigillo munitum, simul ac amotum, cineres apparuêre in alveo sparsi; & in his

Ripanorum antiquitas, apud Caradunum.

annuli

annuli aurei reperti duo. Inde magna molitione, ad vicinas montium fauces sepositus, aquandis pecoribus, lapis, vice cotis interibi fuit agrestium turbæ, dum inveniret admiratorem. Frons uncialibus characterum notis insculpta.

VII. V. Viris. C. Claris. I. & Diis.

V C I GENIO
VICANO OMNI-
BVS OB MEMO-
RIAM RIPANO-
RVM MARIA-
NIVS RIPA-
NVS.*

Superstitiosus geniorum cultus. Adrian. Turneb. adverf. l. 13. cap. 12. Mart. de Roa bb. de sig nat. c. 9.

Cæterum projecta gentilium fuit veneratione geniorum superstitio, quos custodes ipsi, non hominibus solùm, sed urbibus etiam, aliisque locis distribuebant, & anguium, serpentiumque interdum figurâ, exprimebant. Vnde Symmachum, aliosque gentiles, insectans Prudentius, cecinit.

Quanquã cur geniũ Romę mihi fingitis unum?
Cum portis, domibus, thermis, stabulis soleatis
Assignare suos genios? perq; omnia membra
Vrbis, perq; iocos geniorum millia multa
Fingere?

VIII. Talliates. Abrah. Ortel. in Synon. Geog. Orig. Palatin. appendix, & tandem Stephan. Broel. in Epid. inter monumenta Agrippinensia asserv. * Bolledorff, aut Talendorff. quasi vicus Talliatium. * Orig. Palat. legitur XCCL. * Fortè, Positum locavit. al. P.

Intermortuam quoque Talliatium gentis memoriam, lapis est, qui in vitam revocat. Hujus indicium Abrahamo Ortelio debemus, qui posuit in Eiflia, sat probabili conjecturâ, gentem eam, quod arx vetus * Tallendorffia, juxta quam, lapis repertus, nominis eius retineat vestigia.

MARTI ET GENIO TALLIATIVM
CLAVDIVS VERINVS.
AD PERPETVAM TVTELAM
ÆDIS TALLIATIBVS DEDIT * XCL
QVAM ÆDEM L. MARCIVS.
SIMILIS DE SVO
POSIT ∴∴∴∴

IX.

Eadem religione loci, & supra monasterium Eifliæ oppidum à Prumiensibus conditum.

PRO... domus
IMP. DIVINÆ
ANCAM. MARTI
TALLIATIVM
CORNICEN. AN. XXXVI.
STIPEND. XVIII.
COLLEGÆ HEREDES
POSVERVNT..

X. VIviri Augustales. Adrian. Iun. in Batavia. Rerum Augusl. Vind. l. 5. & Aug. Vind. monu. Inscript. vet. Iust. Lips. pag. 361. in edit. Gr... Tacit. l. 3. an.

VIvirûm Augustalium illustrandæ memoriæ corruptissimum, quod epigramma nonpulli dederant, id Marcus Velserus Augustanæ Reip. clarissimus Senator, sumptum ex Peutingerorum ædibus, in luce posuit, & egregiè illustravit: ostenditque Augustalium officium, genus fuisse dignitatis in Colonia; plebe, prius, decurionum ordine posterius. Addideram, eum magistratum non extitisse absque Augustorum obsequio, & extra municipalem ordinem, domui Augustæ, divinæque mancipatum, cùm Augustales sodales; milites; præfectos, respexisse Imperatores, dubitare non solemus; nisi acquiescere maluissem bonis aliorum inventis, quàm sensui indulgere meo. Accipient itaque literæ capitales, in fronte concisæ, hanc interpretationem: In honorem domus divinæ, cui nimirum Augustales devoti. Porro non una causa, cur Treviris hoc monumentum invidere nemo debeat.

XI. * In honorem dedicatum: vel domui divinæ. * Civis Trevericus, vel Treverensis.

* IN H. DD. DEO. SILVANO.
TEMPL. CVM. SIGNO. VETVSTATE. CONLAPSVM.
SEXTVS. ATTONIVS. PRIVATVS.
* CIVES. TREVER. IIIIIVIR.
AVGVSTALIS. PECVNIA.
SVA ⸸ RESTITVIT.

XII. Altrier. Triervueyler. Niderburg.

Diana apud Epternacum.

Haud procul Epternaco seu Andethanna, quâ regione terrarum, pagi nonnulli antiquæ Treveris cognomento, variè detorto gaudent, cùm multiplex, his quoque temporibus nostris, prisci populi gaza explicatur; tum infra nemus, quod ab inferiore Burgo nomen gerit, via, quæ ducit in Bollendorffiam arcem, visitur in rupe solida, sculptum vario adparatu Dianæ monumentum, sed extritis vetustate propemodum lineamentis, inscriptione adjunctâ.

DEÆ DIANÆ.
Q. POSTHVMVS. POTENS.
V. S.

V. S. votum solvit.

Dianæ cultus in Arduenna.

Quæ quidem Epigraphe nos admonet, uti Galli Celtæque, rudiore cultu, lucos ac nemora quondam consecrarunt, ita ritu Latiales ingeniosiore superinducto, in Arduenna nostra, medias inter arbores, Dianæ statuas aras que dicasse, addito sacerdotio proprio, quo cultum idoli procurarent. Cujus superstitionis vestigium egregiè dedit è marmore expressum Julius Jacobinus, ad Baptistæ Fontei Cõmentarium, de prisca Cæsiorum gente.

D. M.
Q. CÆSIVS. Q. F. CLAVD.
ATILIANVS SACERDOS
DIANÆ * ARDVINNÆ
FECIT SIBI ET SVIS HERED.
IN. FR. P. XII. IN AGR. P. XV.
IIII. IDVS OCTOB.
IMP. CÆS. FL. DOMITIANO. VIII.
* ET C. VALERIO MESSALINO COS.

* Arduennæ. Formula hæc infra explicatur.

* Alii Octavũ Coss. Domit. comparant cum Flavio Sabino. Sed perturbatio hic in fastis observata à Iul. Scal. ad Euseb. Chron. in Domit. Honoraria. a Lu. Greg. Tur. Annal. eorum ad cit. annum. b Dianæ colossus Ivodii vel Epoisi subversus à S. Vulfilaico

* Cultus verò profani vestigia, etiam Francorum exoriente regno, in Treviris apud Epoisum, vetus Romanorum castellum, superfuêre; ubi Colosseum b Dianæ simulacrum Vulfilaicus Diaconus & Eremita Longobardus, sub annum Domini DLXXXIIX. subvertit. Beatus quoque Remaclus Leodiensium seu Tungrorum Antistes, Christi anno

a Arduennam à Dianæ & Idolorum cultu repurgat S. Remaclus. b Sur. tom. 5. Harig. tom. 1. Leod. Episc. in S. Remac. c. 15. Malmundarium.

circiter DCLII. in a Arduennam secedens, ut Sigeberti Regis auspiciis eam domiciliis sacris occuparet, quo loco Malmundarium monasterium condidit, cum narrant b veteres istic reperisse lapides, scilicet DIANÆ, & aliorum idolorum titulis nominibusque portentosis effigiatos; cumque nemus & obnoxios passim superstitioni fontes, ritu christiano signo Crucis expiasset, locum sanctiore cultu ab se donatum, quasi à malo mundatum, vocitasse Malmundarium.

XIX. T. Varius Clemens Trevirorũ præses. Appianus in script. Ortel. in theatr. M. Velser. monum. peregrin. Laz. l. 1. reip. Rom.

In honorariis, licet exoticum, antestat tamen omnibus, quod T. Vario Proconsuli ac præsidi suo, genere Pannonio, Trevirorum civitatem, Græcii, nunc Stiriæ civitate, magnificè locandum curasse, Appianum, Ortelium, & alios autores habeo.

T. VARIO. CLEMENTI
AB EPISTVLIS. AVGVSTOR.
PROC. PROVINCIAR. BELGICÆ.
ET VTRIVSQ. GERM. RÆTIÆ. MAVRET.
CÆSARIENS. LVSITANIÆ. CILICIÆ
PRÆF. EQVIT. ALÆ. BRITANNICÆ. MI-
LIAR. PRÆF. AVXILIORVM. IN. MAVRET.
TINGIT AN. EX HISPANIA MISSORVM
PRÆF. EQVIT. AL. II. PANNONIOR.
TRIB. LEG. XXX. VLP. PRÆF. COH. II.
GALLORVM MACEDONICÆ.
CIVITAS TREVERORVM
PRÆSIDI OPTIMO.

XX. Statuæ positæ Caroduni inscriptio.

Iterum verò Caraduni tertius jam, abdito in recessu, hic nobis monstratus lapis.

E. SAVRIVS SATVRNINVS
STATVAM TESTAMENTO PONI IVSSI
T. FLAVIVS MANDATVS SAVRI FI ////
VS ET SAVRIA AVIA I SORORE ////
FR. CARANTIVS Por //// TICVS ARCVM D. icarunt

XXI. Eques Treviris.

Translatũ Luzelburgum anno 1589. ad hortos Mãsfeldianos. Admiscuit Agrip. monum. V. C. Steph. Brol.

Anno Christi M D XX C IIII. hujus Treviris novæ suburbanis, è regione Leonini pontis via S. Matthiæ, saxum effossum longitudine quinque dodrantium, trium verò latitudine, sculptura equitis, caput nudi præcinctique baltheo, qui habenas item moderabatur equi, priores in pedes exultim ad vivum assurgentis. Epigraphe fabrilis injuriæ non expers.

[illegible] RIANVS * AMBA
ANNORVM XXX.
STIPENDIORVM.

* fortè Ambactus.

XXII. Sepulchralia.

Geminum huic equestre ornamentum, lapidi insculptum, qui forinsecus peristylo inseritur, quà ex D. Matthiæ æde in oratorium B. Materni ingressus est. Porrò quæ defunctorum memoriam testentur; ingens hîc fortè copia suppetat, nisi si hæc fragmenta semiruta minutim omnia persequi, cunctos rimando ditionis angulos, nimium quantum esset abundantis otio; & nostris rationibus, haud scio, an satis conveniens & opportunum.

Claudian;

Erret, & extremos alter scrutetur Iberos;
Plus habet hic vitæ; plus habet ille viæ.

Ad D. Maximini Augustæ Trevericæ. Memoria l. Enenius & l. Steckman.

Qui scilicet litteratorum omnes pluteos, Athenæi cuneos, & antiquariorum armaria excutere ac perlustrare, in ære suo ducat. Ad D. Maximini, dum ante proximum sæculum reparandæ Ecclesiæ fundamenta jaciuntur altiùs, inter urnas & veterum complura sepulchra, tum ibi reperta, præcipua venustate legebatur Epitaphium, quod retrusum intra cœmenta parietis, & malè exceptum ab ejus ætatis Scriptore, cùm multis annis oblituisset, evenit nuper, ut templi mutatâ fabricâ, vel sæculi intervallo in lucem emergeret, & sese adversa fronte lectori objiceret.

FL. GORDIO
RVFINO * Ꝺ LI. H.
HORTIS. RHAMÆ
MILIARIÆ IN
SYRIA GENITVS
IN ASIA TRAL-
LIS DEFVNCT
VS. AVG. TR. LV-
CIA AFRANIA
V.ALENTINA
CONIVGI KA
RISSIMO VIVA·
FECIT.

* Fortè Ex liberis hæredibus ortis. R. M. I. S. genitis I. A. T defunctis.

Inscriptio legitur nunc ad ingressum interioris alæ templi dextrorsum; & præter solœcismum, explicationem habet non facilem. Rhamis in Oriente stationem tribuit vetus Itinerarium Hierosolymitanum. Quanquam fortè rectiùs, Laodiceam Syriæ accipias; quæ, ut Hebræis, sic & vicinis populis dicta fuerit * Rhamata. Trallis autem hic, quod Trallibus usitatiùs: Asiæ namque urbs Tralles, inter Mæandrum & Caystrum fluvios, à Plinio & Ptolomæo, Cariæ; à Strabone, Ioniæ; à Stephano, Lydiæ annumerata.

* Stephan. De urbibus. Abrah. Ort. Synon. Adrian. Iun. nomencl.

XXIII. In S. Eucharii area facta.

Lapideus etiam ille tymbus, qui patrum memoriâ, anno MDXXII. ex antiquissimo B. Eucharii cœmeterio, ubi clarum omni genere monumentorum stat hodie D. Matthiæ monasterium, in lucem vindicatus, præteriri non debet.

QUI DOLET INTERITUM, MENTEM SOLETUR AMORE,
TOLLERE MORS VITAM POTUIT, POST FATA SUPERSTES
FAMA VIGET, PERIIT CORPUS, SED NOMEN IN ORE EST,
VIVIT, LAUDATUR, LEGITUR, CELEBRATUR, AMATUR,
NUNCIUS AUGUSTI, VELOX PEDE CURSOR UT AURA,
CUI LATIÆ GENTIS NOMEN, PATRIÆQUE, SABINUS.
O CRUDELE NEFAS, TULIT HIC SINE CRIMINE MORTEM.
DAMNATUS PERIIT, DECEPTUS FRAUDE LATRONUM.
NIL. SCELUS EGISTI, FAMA EST, QUÆ NESCIT OBIRE.
Posuit Furius.

Sabinus Cursor.

Sabinus hic cursor Augustalis, oppressus iniquo judicio, & invidiâ falsi criminis, Treviris periisse videtur. Cursorum verò apud Romanos Imperatores, non utile modò, sed & delitiosum fuisse munus, Spartianus in Ælio Vero prodidit.

Cursorum munus.

A Christianis temporibus elegans Cursoris dominici monumentum, lingua Latina jam tum apud Provinciales titubante, Treveris nuper effossum; quod extat marmoreo lapidi inscriptum in Collegio Societatis Jesv.

XXIV. In S. Maximini ruderibus.

HIC PAVSAT IN PACE INGENVA
CHRISTIANA FIDELIS VRSACIVS
CVRSOR DOMINICVS PIENTISSE
T. OCTAVM DECEMKALENDAS FE
BARPIAS. QVI VIXIT ANOS XXVIII.
TITVLVM POSVIT DVLCESI
ME SVE ☧ MATRVNÆ.
A Ω

10. Kalend. Febru.

Dulcissimæ S. Matronæ


IN CHRISTO


XXV.

Eodem in cœmeterio, aditu cryptæ B. Quirini facello vicinæ, ab alatis duobus pueris, hæc funebris sustinetur epigraphe.

INFANTI DVLCISSI
MO DEFVNCTO QVI.
VIXIT MENSES V.
DIES XX. PATER ET
MATER PIISS.imi FECER.

In D. Paulini verò peristyliis, persimili argumento, lapis spectatur

D. M.
AELIAE QVA
DRATILLAE
FILIAE INNO
CENTISSIMAE.
inscriptus.

XXVI. Sepulturæ veteris mos, & sepulcrorum, explicatus. *Dionys. Lambin. ad Sat. 8. Horatii l. 1. Iac. Nic. Loens. Miscel. Epiphill. l. 6. c. 4. I.C. de Relig. & sumptu fun.* * In fronte in agrum formula explicata.

Neque inelegans Epitaphium, quod notarum symbolis lectorem allicit, apud Nemesæ ripas superioribus annis inventum. Id; ut cujusmodi sit, rudes etiam percipiant, lucem hanc, docti patiantur, ut dici inferam. Veteribus de vita migraturis sollemne, mandata edere de sepultura, ac monumentum sibi fieri, præcipere hæredibus. Porrò, quia definitum loci spatium, non rarò è suis agris excipiebant, cujus usum & hæredi ademptum, & Reip. seu alicui corpori attributum, seu alia de causa, ab humano cultu vellent esse purum; id, eâ conceptâ verborum lege statuebant, ut hoc monumentum non sequi hæredes scriberent: quod in variis antiquorum sepulchris, quinque ferme literis expressum, animadvertas: H. M. H. N. S. quæ tantundem valent, ac si legeres: Hoc monumentum hæredes non sequetur. Quia verò monumenta sepulchrorum, teste Varrone, secundùm viam antiqui locabant, quo prætereuntes admonerent, & se fuisse, & illos esse mortales; cùm loquerentur, quot pedes * in fronte, & quot in agrum sepulchra darent, existimant nonnulli, per frontem eam agri partem intellexisse, quæ viam publicam spectabat; per agrum, diversam partem agri conjuncti. Nam quod longitudinem aliqui ex spatio in agrum porrecto, latitudinem ex fronte, aut contra accipi pugnant, id hoc loco discutere, nec opportunum, aut fortè supervacaneum sit. Istuc autem huic Epitaphio castigando satis, nosse formulam priscis usitatam.

IN. FR. P. X. IN. AGR. P. XX.

Matth. Rader. ad lib. 1. epig. 93

Etenim quæ pars sepulchri, ut dicebam, præter publicum iter, eam esse IN FRONTE, quæ per agri spatium postica, IN AGRUM, dictitabant. Cujus quidem formulæ observatio, supra in Cæsiorum monumento ad longum expressæ, aliquantum hîc ostendit literarum, aut vacillare, aut desiderari prorsus. Et multis post annis, ex quo literis hæc mandavimus, apud interpretem Martialis nostri ordinis, compluria monumenta publicè proposita vidimus, ex Via Nomentana; quibus ex amussim hæc pedum dimensio describitur; Fronte pedes XXVII. maximùm occupante, agro plurimùm XII. minimum IV. Sed jam scripturam antiquam inspiciamus.

*excidisse videtur Tò IN AGR.

T. ANN. TR. SEC. S. S. S.
P. C. IN FRON. P. X. .·.*.·. H. M.
HAER. N. S. I. S. CORN.
MAESTISS. E. CON. P. T.

XXVII. Lutzemburgensia de Treveris monumenta.

Singularium apicum, quæ nobis in præsens, aliis fortè melior occurret, hanc interim addere placet interpretationem. Titus Annius Tribunus Secundinorum, (quomodo sæpè Tacitus, Quintanos, Quartadecimanos appellat) suum sibi sepulchrum, ponendum curavit. In fronte pedes X. Hoc monumentum hæredes non sequetur, judicio senatus, vel jure sepulchrali. Cornelia, mœstissima ejus conjux, posuit titulum. Hinc jam, urbi Lutzemburgo subjectam amœnissimam vallem, ædificiis operis egregii, & Treverica præsertim antiquitate varia non minùs, quàm tectorum, hortorumque pulchritudine visendam, ingredimur; ubi Petrus Ernestus Comes Mansfeldius Provinciæ gubernator, post tot emeritæ militiæ palmas, operosæ senectæ suæ vires, & ingenii vivacis oblectamenta nobis olim commendabat; cùm præter alia egregiæ vetustatis monumenta, in benè capaci area, acervum quendam lapidum, sculpturis aliisque notis illustrium, per agros, vicosque conquisitum undique, monstrabat, Ephestio instruendo, vel

adornan-

adornandis hortis. Accipies, quos carptim ibi tunc delibavimus, aliquot inscriptionum flores nam statuas & varii generis cælaturas, è solo Treverico istuc advectas, rudis ego pictor, quî repræsentem? Blanditur in primis alloquii modo, & supremum illud Vale inter novissima verba, celebre, totidem pœne, quot Catullus, verbis, refert,

Servius. 2. & 3. Æneid. Andr. Tiraq. ad Alexand. genia. lib. 3. c. 7. Francis. Bencius orat. 25. Epigr. 102. ubi interpretes idem.

Accipe fraterno multum manantia fletu,
Atque in perpetuum frater; Ave, atque Vale.

AVE SEXTI
IVCVNDE.
VALE SEXTI
IVCVNDE.

Inde Atticinorum memoriæ conservandæ facit, quam & Carduni monstravimus:

D. M.
LALLIO ATTICINO DEFVNCTO
FRATRI PIENTISSIMO. ET POPÆ
MATRI. //// POPPIANVS MATRI.
ET FRATRI FECIT.

Ejusdem generis hæc duo sunt.

MATERNIVS MARI-
NVS SIBI ET CENSOR-
INIÆ FAVSTINÆ. CO-
NIVGI DEFVNCTÆ

D M
PENAVSIO LAGANE
////macc//// DONI////ex//// ASE MONIMEN
////tVM FILI FACIENDVM DE
SVO CVRAVERVNT.

Novimagi vico, apud Mosellam fluvium, Constantinianorum castrorum haud obscura vestigia sunt, operaque saxis insculpta, argumenti specie, magnifica; quæ in Burgi penetralibus latent, magnam partem cessere temporum injuriis. Intemerati nitoris erat, quod primo quidem adspectu in area istic sese offerebat.

XXVIII. Constantiniana Noviomogi.

D M
VARVSIO ATTONI
FILIO DEFVNCTO
ACCEPTIVS VARV
SIVS ET TOTIA LAL
LA PATRES ET SIBI
VIVI FECERVNT.

Nec

XXIX. Saræburgica. Nec Saræburgum hujus generis ornamentorum expers; nam, quo loco sacra stat ædes, vicino Curionis domicilio, prolatum anno Christi CIϽIϽXCII. ex rupe propinqua, notabili magnificentia Epitaphium. Opus utrinque divisum, pampineis in foliis & fructu sustinebatur a duobus fluente circum lumbos veste Atlantibus; haud integra tamen scriptura.

D · M ·
V. FRVCTVOSVS T
AVRELIVS FRVCTV
OSVS IVNIOR FILIVS
EORVM FACIVNDVM
CVRAVIT.

Huic autem gemina pars respondet, eadem inscriptione; quod argumento est, deesse parentis utriusque titulos, quibus filii locavère.

D. · M.
FRVCTVOSVS ET·AV
RELIVS FRVCTVOS
VS IVNIOR FILVS EO
RVM FACIVNDVM. C.

XXIX. Epternacẽsis urna. Neque urna silenda, quæ propter pagum & arcem Bollendorffiam, juris Epternacensis, Suræ fluminis interiore ripa, ut plurimum inflato rivo, sub aqua delitescebat. Hanc loci Antistes, anno gratiæ restitutæ MDLXXXIX. retectam, cum epigrapha, nobiscum perhumaniter communicavit, Tumuli verò formam eò libentiùs hic expressimus, quòd plerosque alios hac ætate Treviris urbs dederit, eâdem figurâ.

* TUTIVS.



Huc referto illustre conditorium; quod anno MDCXIII. apud Mosellam vico Guliza, S. Servatii patrocinio inclyto, in fundo Collegii Societatis Jesv Confluentini, dum cæmentum fabricæ quæritur, fortuitò effossum. Sarcophagus quinûm pedum longitudine, trinûm latitudine, operimento suo ex quadro lapide probè erat munitus: hoc amoto, in conspectu fuit urna, ollave vitrea, elegantis & antiqui operis, crystalli in modum lucens, mensuras Confluentinas facilè capiens octonas. Alveus urnæ liquorem adhuc tum suaveolentem, cineres, & ustulata ossa asservabat. In fundo porrò, inter ipsa busta, numi jacebant tres ærei; quorum duo in complexu mutuo vetustate coaluerant. Tertius grandiusculus, Antonini imagine insignis, cum inscriptione: CÆS. M. AVREL. ANTONINVS. In orbe adverso ad Deæ Salvtis effigiem: S. C. & ad pedes: COS. III. Epigraphe: SALVTI AVGVSTOR. TR. P. *XVII. Numorum alter, quantum eruere licuit, Lucio Annio Vero, quem M. Aurelius adoptavit, inscribebatur, pilfico signum Pacis præferens. Utriusque damus Iconismum: XXXI. Gulizanus sarcophagus illustre monumentum antiquitatis. * XIII.

Dignitas quoque rara quædam enitescit ex hoc monumento, quod in Confluentium mœnibus, qua parte Mosella præterfluit, juxta Collegium B. Florini exedræ modo sculptum visitur; scriptura tamen jam evanida, & imaginibus fermè confusis: præfixo Hypsæi nomine, Latinis litteris non incognito; cùm M. Tullius in oratione pro C. Flacco, meminit literarum Pompeii ad Hypsæum, & Hypsæi ad Pompeium; alterumque Hypsæum primo de Oratore Patronum celebrat, qui, M. Crasso Prætore, causas egit. Ejus Iconographia talis admodum. XXXII. Confluentina exedra.

Expositionem hujus figuræ in Notis ad hoc Caput habes.

Digitized by Google

Polichium, quo loco, vicum Ambitarinum stetisse, opinamur, frequens pagus in Ripuariis, sive Meinfeldiæ campis; haud longè distans oppido Monasterio; hic inter alia indicia vetustatis, obvius erat lapis B. Georgii campestri sacello. XXXIII. Ambitarinus.

CATTIO CARO.
ET IVISVAVSIÆ
VXORI ATOPARNO
ATAFAVIANÆ LILIVS.

Ex veterum Christianorum monumentis, apud Treviros in D. Paulini fundo, id cum primis venerabile spectabamus. XXXIV. Pauliniana quædam &

HIC* QVIESCET DAR-
DANIVS, QVI VIXIT
AN XXXV. APRONI-
VS FRATER TITVLVM
POSVIT IN PACE.

* pro quiescit.

Insculptum prisco more, ut in Magnentii, Constantiique nummis, duabus Græcis literis, χ, ρ, salutiferum Christi nomen; hinc α, & inde ω, posito ad latus, hac fermè characterum imagine.



Visitur & aliud apud Divi Maximini, pariete peristylii in marmore quadro, ceu plintide insculptum, duabus aviculis Christi nomen morsu appetentibus. XXXV. Maximiniana Epitaphia.

HIC IACET GALLA
QVE VIXIT AN. X. DIES XXX.
TITVLVM POSVERVNT
MARTYRIVS ET SIL-
VIA IN PACE.





Sed venerandæ, jucundæque pietatis specimen habent à Christianis, quæ, recenti memoria, solo D. Maximini, ad areæ primæ spatium, cum suis monumentis in lucem extracta, Paulo Treviro, ejusdem loci cœnobitæ vitam debent; cujus opera, studioque conservata, & anno MDCVII. huic lucubrationi, vel postliminio dicata, illata sunt. XXXVI.

SEDATVS· ET PAVLINA
PATRES DVLCISSIMÆ FILIÆ
*DVNAMIOLÆ TITVLVM POSV-
ERVNT QVÆ VIXIT
ANNOS TRES ET MENSES QVINQVE
ET DIES VIGINTI.

* DYNAMIOLÆ.

HIC IACET· EVSEBIVS
QVI VIXIT ANNVM
VNVM ET MENSES SEX
*MENVS DIES. V. TITVLVM
POSVIT DVLCISSIMO
FILIO SVO VITA ☧
MATER.

* pro MINVS.

XXXVII. Ejusdem generis recenti memoria ibidem eruta, in Collegio Societatis Jesu visuntur, cum manifestis Latinitatis corruptæ vestigiis.

SV ∴ ·NINVS HIC IACET QVI *V
ICSET *ANNVS III ET· ME
NSES II. TITVLVM POSVE
RVNT MOCDO ∴∴∴ IMA.
∴∴∴∴∴∴ ///// ☧ ∴∴∴∴∴

* VIXIT

* V. pro O

HIC QVIESCET ARCADIOLA
QVE VIXIT. *ANN. D.I. MEN. XXXIIII.
SVIVRSVIVS · ET
MAVRVS ET HETI[illegible]EA
TETVLVM POSVE-
RVNT IN PACE.

* Annum. diebus minus 34.

Visen-

Visendum & raritate sua novum Trevericæ matronæ, monumentum, in ejusdem Sanmaximiniani monasterii septis erutum anno salutis MDCVIII. in quo flagella duo crinium implexorum ex coma muliebri tot sæculorum ætatibus supererant. inscriptio verò. XXXVIII.

QVIESCET IN PACE YPSICHIVS. QVÆ
VIXIT IN SÆCVLO ANNOS XXVIII.
MENSES IIII. ARCHONTVS CONIVGI
CARISSIME TITVLVM POSVIT.




Aviculas Christi symbolo adpositas, columbas interpretor, quæ pudicitiæ & simplicitatis argumentum habent, pucrili ætati accommodatum. Cæterum in substructionibus novæ partis Basilicæ, quam opere magnifico, Reinerus Abbas ad summum perduxit, reperta quoque magnorum virorum sepulchra. unumqe de cæteris ERICI præstantis hominis, è gypso fusaque calce, elaboratum inspeximus; in cujus interiore sinu, Damasi Pontificis Epitaphium erat inscriptum, quod olim ex antiquis Trevirensis Ecclesiæ membranis descriptum, ut majoribus Treveris, sic item Ecclesiasticorum Annalium scriptori placuisse, videmus. Paulo cœnobita, ne periret, excipiente, paucis à Damasiano immutatis, sic legebatur:

XXXIX. Columbarum symbolum.

Nov. Vad. Ven. Fortun. Cæsar. Baron. annal. Tom. 8. inferius.

QVI GRADIENS PELAGI FLVCTVS COMPRESSIT AMAROS;
VIVERE QVI PRÆSTAT MORIENTIA SEMINA TERRÆ;
SOLVERE QVI POTVIT *LEGALIA VINCVLA MORTIS
POST TENEBRAS, FRATREM POST *TRISTIA LVMINA SOLIS
AD SVPEROS ITERVM *MAARTHÆ DONARE SORORI;
POST CINERES *ERICVM FACIET QVIA SVRGERE, CREDO.
CHRISTE REDEMPTOR PARCE FIDELI ERICO.
*QVI CORPORE MVLTAS POST SE RELIQVIT LACRIMAS.

*LAZARO SVA
*TERTIA.
*MARIÆ.
*DAMASVM.
*IN

Utique hujus Erici nomen Lupus iis in litteris conservavit, queis S. Maximini memoriam complexus est. Nam Ericum genere Alemannum, cùm à malo genio divexaretur, meminit à Pipino, Magni Caroli parente, oblatum Maximino clarissimo Confessori curandum; & ejusdem ope cœlesti, testatur, diræ tyrannidis nexu ad tumulum sacri Antistitis exsolutum; ut satis in medio caussæ sit, cur vel hujus beneficii respectu, tumulus ei apud D. Maximini contigerit.

Ericus Alemannus. *Surius Tom. 3. ad 29. Maii.*

Rursus in Basilica D. Paulini. XXXX.

HIC QVIESCIT VRSATIVS VSTLA-
RIVS QVI VIXIT AN. LXVII. CVI *ESV-
PERIVS VSILLIVS TITVLVM POSVIT.

*EXVPERIVS.



XLI. In perveteri cœmeterio S. Eucharii, nunc S. Matthiæ, hoc genus inſcriptionum magnam extitiſſe copiam didicimus; quarum hoc modo veſtigium ſtrictim adſpeximus.

DOXATES HIC SEPVLTVS·
IACET QVI VIXIT PLVS MINVS
ANNIS XXV. IN PACE.

XLII. *C. Baron. 3. Tom. annal. ad an. 312.* Atque ut noris hanc inſcribendi formam apud fideles orbe Chriſtiano fermè toto receptam, adjicimus his domeſticis illuſtrandis aliquot peregrina; primum, quod Romæ effoſſum; in cœmeterio Priſcillæ, via Salaria, cum ſigno.



MIRÆ INNOCENTIÆ AC SA
PIENTIÆ·PVERO MARCIANO. QVI
VIXIT ANN. IIII. ET MENSES IIII. DIES
II. QVIESCIT IN PACE. PRID. KAL. DEC.
ARBETIONE ET LOLLIANO COSS.
PARENTES FECER.

XLIII. Legitur & apud Onufrium in faſtis.

IVLII FELICIS VALENTINIANI
QVI VIXIT ANN. LXII. M. IIII.
D. XXV. DEPOS. IN PACE.

XLIV. *Ambr. Mora. lib. Hiſp. I Scal. de emen. temp. l. 5.* In vetuſtis etiam Hiſpaniæ cippis, Pacis memoria retinetur; ut qui in agro Hiſpalenſi

MACARIVS FAMVLVS DEI VIXIT ANN. LII.
RECESSIT IN PACE DIE X. KALEND. IAN.
ERA. DLVIII.

Ibidem.

PAVLA CLARISSIMA FEMINA
FAMVLA CHRISTI VIXIT ANN.
XXIV. MENSES DVOS. RECESSIT IN
PACE XVI. KALEND. FEB. ERA. DLXXXIII.

XLV. *Semigræca in S. Paulin.* *De I. Reuchline meminit I Scher. Medull. Trevir.* *Abr. Ortel. Iten. Belg.* *I. Scalig. l. 4. de emen. temp.* Semigræca inſcriptione, ſeu barbara, velut coronide claudam hoc Epitaphiorum agmen, quæ in Pauliniana Baſilica, apud Treviros, abſtruſo ſanè loco, deſpicatui jam erat, nî limatiſſimis ingeniis arridere cœpiſſet. Eam Græci & Hebræi ſermonis non nemo peritus, exordio ſæculi ſuperioris, attentaverat, ſed ſuperventu Græcorum, authoritas interpreti excuſſa, ita, ut ambiguæ clerici manerent ſententiæ. Oſtendit nudam epigraphen, antè hoſce annos publicè typis deſcriptam, Ortelius, nec tanti tamen iccirco viſa; ut appenderem; cùm præſertim nunquam dubitaſſem, quin ab imperito quopiam proſelyto, cujuſmodi miſera jam Græcia plures emittit, ad oſtentationem, vafrè, eſſet exſculpta. At, poſtquam ſpecioſiùs eadem ab exteris jam venditatur, ſine reprehenſione, & quo ne pluribus fucum faciat, præteriri non poteſt.

ΕΝΘΑ

ΕΝΘΑ ΚΕΠΕ ΕΥCΕΒΙΑ ΕΝ ΕΙΡ
ΙΝΙ ΟΥCΑΙΕΡΟΟΚΜΗΤΙΑ ΠΩΚ
ΩΜΗCΑΔΔΑΝΩΝ ΖΗCΑC
ΜΙΚΡΟΠΡΟCΕΤΩΝ ΙΕ ΥΙΠΑΤ
ΙΑ ΟΝ ΩΡΙΟΥΟ ΗΚΑΙ ΚΩCΤΙΟΝΙ
ΝΟΥΤΟ Α ΜΗΝΙΠΑΝΗΜΟΥ
ΙΒ ΗΜΕΡΑ ΚΙ Β ΕΝ ΕΙΡΙΝΗ

Legitur in choro Basilicæ, ubi tumulus marmoreus S. Paulino inscriptus, rudi insistens lapideæ basi, cui deformibus hisce literis Græcum est inscriptum. Suspicatus sum itaque interdum, ad Latinam epigraphen, impostores allusisse; quæ B. Paulini mortem & exilium refert, unde sententiam eliciebam hanc, parum ad barbaralexin attendens. XLVI.

Ενθάδε κεῖται εὐσεβὴς ἀνὴρ ἐν εἰρήνῃ. Ὅν Καισ. ἱεροκωμίτην ἀπῴκισε
εἰς τὰ Δαρδάνων. Ζῆσας μικρὸν πρὸς ἐτῶν ἐν παθείᾳ, ἐξόριστος ὑπό Καισ.
Κωνσαντίου τῷ Α. μηνὶ πανέμου, ιζ ἡμέρᾳ, κατέλιπε βίον ἐν εἰρήνῃ.

Hic religiosus vir quiescit in pace, quem sacrum incolam migrare
in Phrygiam jussit Imp. ubi in ærumnis aliquot annis vivens exul
factus à Constantio, primo * Iulii diem clausit in pace.

* XII. die Julii. Inscript. Aul.

Miremur hic ingenia hominum. quid non inveniunt? propiùs fateor, ad literarum sulcos accessit, immò penetravit is, qui ad emendationem temporum, novum etiam hinc Consulem fabricatus est, sed incude languidâ, cui Marcellinus, Prosper & Cassiodorus, cedere minimè debeant,

Ενθάδε κεῖται Εὐσεβία ἐν εἰρήνῃ, οὖσα ἱεροκωμίτης, ἀπὸ Κώμης Αδδάνων,
Ζήσασα μικρὸν πρὸς ἐτῶν ιε. ὑπατείᾳ ονωρίου τὸ Η. Καὶ Κωνσαντίνου
τὸ Α. μηνὶ Πανέμου ΙΒ. ἡμέραν κεῖται βεβαίως ἐν εἰρήνῃ.

Iacet hîc Eusebia in pace sepulta, Hierocomitis ex Addanorum vico,
quæ brevis ævi propè vixit ann. XV. Honorio VII. & Constantino
I. Coss. mense Iulio die XII. Quiescit firmiter in pace.

En tibi Constantinum cum Honorio, nullis veterum fastis agnitum; qui vindicandus inscriptione Basilicæ Paulinianæ. Quidni & Archierea nos aliquem eruimus, ex illo; quod longè ineptius subscritur, eodem ductu? XLVII.

Usurpavit authoritatem Scalig. l. Sirmonder, Notis ad Sidon. & Honorii Coss. VIII. co legam interpretatur Constantinū tyrannum Gall. a. CDIX.

ΕΝΘΑΔΕ ΚΙΤΕ ΕΝ ΗΡ
ΗΝΕ ΚΑCCΙΑΝΟC ΑΡΙ
ΒΕΔCΙΜΙΟΥ ΑΡΟ ΚΩΜ.
ΑΔ ΔΑΝΩΝ ΖΗCΑ
ΑCΝ * ΚΡΟΠ ΛΟΥCΕ ΤΙΗΚΒ.

Hîc jacet in pace Cassianus Archiereus Bedsimii ex Addanorum vico,
qui vivens LVIII. implevit annos. KB.

Unum occurrat, quo fides his Epitaphiis nonnulla conciliari possit, si olim reperta, sed à posteris malè excepta, ne periret exemplum, in rudem hunc lapidem immissa diceres: sed, ubi fides in ambiguo, conjecturam in medio relinquimus.

XLVIII. Manes & Pax tituli sepulchrales.

Cic. 2. de legib. Tibul. l. 2. ep. 4. Alexand. genial. dier. l. 5. c. 26. ubi Tiraq. Fr. Benedi. orat. 25. Proble. Rom. 14.

Addo in extrema calce, ut Diis Manibus notâ literarum D. M. tumulos gentiles dicarunt, ita Christiani majores nostri suis defunctis benè precati titulo Pacis. Stulta & infelix illa gentilium aberratio; cùm mortuorum animas haberent Divorum numero; & à suprema face, Poëtis fabulantibus credidere ripam infernæ sedis contingere petitam. Memorat Plutarchus, cremato corpore, cùm ossa legebantur, si quod primum perusti parentis os filius reperisset, illicò tanquam Deum jam factum consalutasse. Unde tunc defunctorum animæ Manes, & Dii Manes appellati, quos alibi ad parentationes & libationes elicere, alibi placare inferiis, & vario expiare ritu solent. Sic Tarsiam virginem in Apollonii Tyrii historia, observo, nutricis subiisse sepulchrum, & parentum istic invocasse Manes. Ritum tetigit Ovidius:

Narrat. Apoll. edit. Aug. 1595.

2. Fastor.

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaq; in exstructas munera ferre pyras.
Parva petūt Manes; pietas pro divite grata est:
Munera non avidos Styx habet ima Deos.

XLIX. Pacis symbolon.

At his longè diversa secuti Christiani, qui ut Germanæ fraternitatis, & Catholicæ communionis symbolon in vita colebant eximiè, sic idem, perfuncti hujus ærumnosæ vitæ molestiis, ceu pignus æternæ quietis & tranquillitatis beatæ gaudebant intulisse sepulchris. Erat ea, Pax Christi, quam sibi à Salvatore relictam, Discipulisque traditam colebant, ceu religionis & vitæ Christianæ tesseram. Hujus verò jus & arbitrium, ut in sola Ecclesia Catholica vigebat, sic amissum à lapsis, vel calcatum ab hæreticis, Episcopus Romanus præcipuè vindicabat: eademque Pax, reos, vel negata damnabat, vel data reconciliabat, ut non uno loco docet Tertullianus. Quare, ut ne ritum condendæ pacis, & in pace quiescendi obtinendique titulum, homines nostri nescirent, pauca de multis hæc delibasse quidem oportuit.

Paul. Nola. ep. 9. ad Sev.

Lib. de vela. Virg. de praescrip. de anima ad martyres c. 1. & Cyprian. l. 3. epist. 11. ser. de lapsis.

XLX. Theta sectile θ & Θ.

Neque scio, an silentio prætereundum, sepulchralibus monumentis & defunctorum memoriis Antistitum nostrorum, & cœnobitarum, sæpè sectilem Thetæ litteram adscribi, argumento vitæ ab eo relictæ, qui eam sibi notam vindicet. Est enim Θ capitalis in Thanatos, quemadmodum ex Isidoro primam in VIVUS litteram, superstitis notam, at Θ defuncti fuisse, Justus Lipsius docuit, & inscriptionum exemplis firmavit, queis eodem Epigrammate vivos à mortuis hæ notæ discriminant.

De recta pronuncia. Lat. ling. c. 14.

CAPUT XXV.

De Mosella flumine.

Gen. 1. Basil. hom. 4. hex.

TELLURIS abdita fermè rimati, deinceps aquarum opportunitates lustrabimus; quæ, postquàm divino imperio congregatæ globum hunc, quem insistimus, partim circumfundi, partim interfluere variis cœpere meandris, inditam sibi ab origine vim mirificè tuentur; cùm ex illo tempore, prono & ad ima lapsu fontes vehantur in fluvios, fluvii deriventur in maria; ipsa se, dicam verbis S. Ambrosii, aqua præcedat, urgeat, & sequatur, unus ut ductus sit, unum corpus. Moses porrò sapientissimus, idemque primus scriptorum, in conditione rerum, Spiritum Dei Sanctum inducit aquis incubantem, & ceu consovendo præparantem ad rerum procreationem liquores: quod sanè priscos, licet obscuro philosophandi genere, spectasse puteın, cùm elementum hoc naturæ principiis annumerant; omniaque ex aqua surrexisse, & Oceanum & Thetin Deorum omnium parentes, fabulati sunt. Certè sacerdotes Ægyptios ferunt, quòd omnes res liquoris potestate contineri, persuasum cuperent, cùm hydriam tegerent, quæ aquæ plena in templum, religione gentis inferebatur, procumbere supplices in terra solitos; & manibus ad cœlum sublatis, gratias inventionibus agere Numinis.

I. Aquæ elementum & mira vis.

B. Ambros. hexam.

Hieron. qq. in Gen. & Chrysost. hom. 3. in Gen.

Arist. in Physic. Sen. lib. nat. qq.

Vitruv. lib. 8. proœm. Iul. Fir. Mater. de myster. & error. profa. Reli. c. 2. T. 5. bibliotb. PP.

II. Aquarum & fluminum religio.

Cicer. lib. 3. de nat. Deor. Tacit. annal. lib. 1.

Quem profectò gentis ritum, ex vero forsitàn haustum, licet cætera superstitiosum, Romanorum tamen ac Persarum institutis prudens anteferas; ut, qui fluminum & aquarum conditorem aspernati, flumina, & aquas ipsas, animi perversa pravitate, pro Diis coluerunt, sacra & lucos & aras patriis amnibus dicarunt, & hostiis mactatis, desectoque crine, facinore detestabili, honoribus eos affecêre divinis. Quò Poëtam spectasse dixerim, cùm fluvium hunc nostrum Diæ vel Divæ titulo sustulit; quippè Nympharum in censu lustratur habitu carbasino, pronâ ad fundendum liquorem; & Rheno miscendum, urnâ; serto capitis ex racemo vitis & uvæ contexto; quo fructû ripæ, viciniquê colles ejus ubertim exornantur, ex quo tempore, ut conjiciunt, Probus Imperator Pannoniis, & Gallis vites permisit.

Mosellæ pictura.

Stephan. Broelman. in Epidigmate histo. Vbiorum.

III. Aquarum natura, vis usus, varietas.

Et verò, aquarum sive amœnitatem, sive usum, seu necessitatem earum denique reputes, incredibile memoratu, quanta cùm ad hominum, tum ceterorum animantium, stirpium, atque omnium denique quæ gignuntur è terra, salutem incolumitatemque conservandam, vis in iis insit. Vt enim mare taceam, & eius admirabiles, certis temporibus definitos accessus & recessus, tum quas omnes undique suppeditat ad vitam copias; quid vel in hac regione soli medioeris, aut ad artis divinæ sapientiam perspiciendam, vel ad cognoscendam naturam artefacti, accidat jucundius, quàm cernere pubentibus ac teneris in herbis, fontes alios emicare dulcissimi, alios acidissimi saporis, alibi rivos tenui scaturigine è montium altissimorum cavernis ceu fistulis ortos, ire per florida atque gemmea prata, & perennibus hisce liquoribus, terris dare fœcunditatem. Inter hæc verò Mosellam, ceu fontium horum & rivorum omnium dominam quandam, incedere per felicia Leucorum & Mediomatricum arva, collesque plurimâ vite longè lateque contextos interfluere medios, donec magnis comitata aquarum auxiliis, demum apud Confluentes, amissâ famâ, se condat in Rhenum? Hæc, uti credo, gratissima naturæ

spectacu-

spectacula sequuti Trevirorum majores, non injucundam, juxta fluvium hunc, domicilio sedem fixere, & eàdem capti post amœnitate Latii optimates, hujus scilicet agri mediocritatem, præ Italiæ suæ deliciis, haud aspernati sunt; Colonis suis atque adventitiis copiis, omnia postremò, ceu plantis quibusdam peregrinis, obserentes.

IV.

At diutiùs, fateor, me nobilis elementi ac valentissimi contemplatio, detinuit, dudum à Mosella jam exorsurum, nî res fluxa stylum unà lubricasset & animum. Binominem quidem hunc amnem, fatentur fermè, quotquot hac ætate nostra de regionibus earumque situ, limatiùs scripsere. Utriusque porrò nominis etymon, perinde veritatis ignoratione, manet in incerto: etsi ad linguarum veterrimam provoces *Moi*, à *Maia* Chaldæo, quod aquas interpretantur, seu *Mosa* Hebraicum, à *Masa*, quod liquefieri, non est, ut originatio prorsus displiceat. Mosellam certè, maribus an feminis adscriberent, juris fuit inter Grammaticos controversi; sexum huic flumini utrumque affinxere poëtæ. Quin etiam à Mosanè capitis diminutionem passus ita ceu Mosa parvus appelletur; an verò, quia Sella fluvio recepto, ut aquas deinceps, ita suum porrò nomen extendit, aliorum item, quibus ludicra isthæc arrident, nos esse facimus arbitrii.

Mosellæ binominis etymon.

Adi P. Serarii notat. ad vitam Romarici de Hebr. orig. ex Iosepho &c.

V.

Enimverò Mosellæ nomẽ præcipuam apud priscos tuetur dignitatem; claritatis suæ tenax usqueadeo, ut lucem vix ullam alteri fœneret. nam Obrinci, vel obrincæ, ut illud extulere, cum Græcis Latini, uni veterum Cl. Ptolomæo cognitum, qui ponit in Gallia Belgica, *κατὰ τὴν τοῦ ὀβρίγκου ποταμοῦ πρὸς δυσμὰς ἐκτροπήν.* Diverticulum Obrinci fluvii, quod ad occasum vergit; id aptè nec ne de Mosella dicatur, fortè diligentiùs etiam exquirendum. Gallia universa Cæsaris armis perdomita, Romani jam inde ab Augusti ævo præsidia, stationesque perpetuas apud Rhenum, habuêre, quà limes is imperio fixus: atque mox, portatis trans flumen copiis, Germaniæque populis cum plurimis in citeriorem Galliæ ripam translatis, castella condere cœperunt, & deducere Colonias. *Ipsam Rheni ripam*, inquit, Tacitus, *haud dubiè Germanorum populi colunt, Vangiones, Treboci, Nemetes. Vbii quidem; quamquam Romana Colonia esse meruerint, origine non erubescunt, transgressi olim, & experimento fidei super ipsam Rheni ripam collocati, ut arcerent, non ut custodirentur.* Atque inde, quod animo diligenter mandari velim, hæc extima Galliæ pars, Rheni ripam ab Oceano Britannico, ad Sequanos usque radens, Germania dicta fuit; cujus in confinio, cùm medii Treviri, discriminare sic limitem placuit, ut quod regionis supra Treviros, Germania superior vel prima; quod infra eosdem, secunda vel inferior esset. Testes hujus descriptionis, cum Plinius & Tacitus aliquammultis locis, tum, qui hanc artem propriè factitavit, Cl. Ptolomæus; is namque Germaniam utramque, quomodo factum à nobis, suas item in partes distribuens, *Regio*, inquit, *quæ circa Rhenum à mari usq; ad Obrincam fluvium pertinet, inferior Germania: quæ verò ab Obrinca tendit ad meridiem, Germania superior nuncupatur.* Hic verò, cùm exploratis diligenter omnibus locis; & adhibitâ veteris historiæ normâ, periti regionum facilè intelligant; Obrinci nomine necessario Mosellam capi, sunt nonnulla tamen, quæ fidem & assensionem in hac opinione distineant.

Obrincus an idẽ cum Mosella.

Lib. β Κελτογαλατίας.

VI.

Lib. de Mor. Germ.

Germania citerior, & magna trãs Rhenum Germania valde diversa.

Plin. natural. hist. lib. 19. cap. 5. & 8. Tac. l. 1. hist. & alibi. Ptolo. l. 2. c. 9. Itiner. Anton. Ammian. Marcell. l. 15.

Iun. in Batavia cap. 8. B. Rhenan. Merc. in Ptol. Ortel. Gaspar. Vopelius. Elias Vinetus.

VII.

An Obrincus supra Moguntiã?

Etenim, quod Moguntiacum inferioris Germaniæ civitatibus Ptolomæus annumerat, id verò, si rectâ positione nitatur, Obrincum ex ipsius sententia supra id oppidum collocari oportere, planè coarguit. Illud præterea, obscuram omnino rationem habet, quemadmodum ex omni antiquitate scriptorum, qui hanc vocem usurpet, prorsus reperiatur nemo; ne poëta quidem ille, qui omnia ingenii sui ornamenta, in hunc amnem illustrandum contulit. Sed quis ad hæc, divortium illud Ptolomæi, quod ipse Obrinco tribuit, ad occasum Galliæ, latitudinis dimensione graduum partiúmve quinquaginta, terrarum hic usquam inveniat? Quamobrem magis erit quoque dispiciendum, ne vocem à trivio temerè arripuisse videar. Ptolomæum profectò, etsi Geographiæ totius facilè principem, & in locorum intervallis à meridie & æquatore colligendis, reperio sanè non indiligentem, at in topothesiis, & singulorum locorum descriptionibus exprimendis, plusculum in eo studii, & accurationis, unà mecum, adhuc requirunt periti Geographi.

Auson. in Mosella.

VIII.

Ptolomæi Geogr. errores.

Mercat. Praef. ad Ptolom. tab. Abrah. Ortel. Index Ptolomaic. in theatro cap. 5. Velser in histor. August. Nota nostra ad Fortunatum.

Actum agam, si vel vicinæ Galliæ Germaniæque ἀχωρογραφησίας, & multiplices ejus errores hîc retegere ingrediar, quorum hujus ævi mensores oculatos ita pœnituit, ut levi manu correxisse eum non contenti, ausu quoque feliciore, ferrum adhibuerint, transpositis & in sedem receptis, quæ malè collocata, additis vel detractis, quæ in numeris perturbata. Et plurimus tamen relictus etiam curationi locus; ita scatent ulceribus illæ tabulæ, non magis ab ulla hominum unâ natione unquam sanandæ, quàm ambiendus ipse terrarum orbis. Manifestum ad hæc Ptolomæum, dimensionibus cœli inhærendo, caruisse fructu peregrinationis, & vetustis Græcorum permultum tribuisse tabulis; traxisse quoque non pauca ex longinquo rumore, eaque re, proclive, voces immutasse quidem alias, alias innovasse; plurimis, confusione Græcarum literarum, vitam ipsam eripuisse & significatum. Jam quot cum hominibus ipsis loco sedes mutatæ, quot de novo sedes conditæ? Neque postulat testimonium hæc sententiâ; cùm res ipsa loquitur. Moguntiacum oppidum Germaniæ contributum superiori, nemo veteris historiæ, Tacitique gnarus, dubitare potest: perstitisse item in eadem provincia, longo post tempore, fidem facit cum aliis Ammianus. Cùm itaque inter hos, medius ætate Ptolomæus, existimandum in urbibus loco movendis, si quid peccatum, id peccatum esse aut locorum imperitiâ, aut ab fallaci manu.

Ptolom. l. 2. c. 2. l. 2. c. 2. 4. 5. B. Rhenan. l. 1. & 3. lib. Germ.

Lib. 15. hist. Sext. Ruff. epitom. Mercat. in praefat.

IX.

Moguntiacensis Metropolis in Germania superiore.

Stat adhuc pro nobis provinciarum imperii descriptio, quæ jungi itinerario Antonini consuevit: ubi inter Germaniæ primæ quatuor celebres urbes, Metropolis civitas Maguntiacensis; stat itidem ratio. Etenim cùm Ptolomæo mens, fluvio discerni Germaniam inferam à supera, is utique fluvius agnoscendus, quo certus videlicet hic imperio limes,

atque meta depangi possit. At verò cùm totam hanc regionem obeunti, præter Mosellam, aut certè Navam, nusquam occurrant amnes, qui medias hasce provincias dirimant, alterutrum horum limitem statuamus, omninò consequens est. Porrò ex Ptolomæi sensu Nava, si quidem illi cognitus limes esse nequit, cùm provinciam ipse non dividat; Moguntiacum quippe in inferiorem Germaniam Ptolomæi veteres tabulæ compingunt; & Nava infra hanc urbem, passuum amplius sedecim millia, prope Bingium in Rhenum sese exonerat; quare Ptolomæum sequuti, Navam item infra limitem amandatum, Germaniæ secundæ fluminibus annumerabimus. Sed esto, Ptolomæo hoc erratum tam leve, inter alia innumera condonemus, & Moguntiacum, uti par, in Germaniam superam postliminii jure transferamus, ut Nava sic quoque surgat altiùs, obscurior nihilominus ejus fama manebit, & exilior & brevior alveus, quàm ut limitis officium sustineat, & ab inferiore Germania retractior, quàm, ut medium occupare queat. Id cùm animadversum à nostri sæculi Geographis, cuncti huc magno scilicet consensu iere, Mosellam uti limitis honore afficerent, & Obrinci nomine, cum Ptolomæo salutarent; sive id nomen ab accolis usurpatum Alexandrinus homo perperam exceperit, sive accolæ à Rheni vicinia, cui fluvius hic miscetur, huc ipsi detorserint. Nam, & apud Macrianum Heracleotam, qui græcè nuper Augustæ Vindelicorum editus, Ἀβξύγγα legitur item limes, τῆς ἄνω καὶ κάτω Γερμανίας, superæ & inferæ Germaniæ, quam & à magna Germania, quæ trans Rhenum est, perspicuè distinguit. Neque enim, quod Obrinci vox minus cognita Latinis, id prohibere certè debet, quo minus ad hunc fluvium transeat cùm tam multa, sequutis temporibus, in oppidorum, tam multa in fluminum appellatione, priscis ignota, nata receptaque sint. Ille verò Ptolomæi deflexus, si quidem fluminis est, ut etiam ὑδάτων ἐκτροπὰς agnoscit Aristophanes, de occasu, me fugit, quemadmodum excusari possit, cùm ipso doceamur rerum intuitu, Mosellam à meridie, notabili divortio, ab usque Treviris in Confluentes prolabi in orientem æstivum; nec ulla parte, directi cursus flectere in occasum.

X. *Scriptor. qui sup. cit.* Mosella limes Germaniæ utriusque, sub nomine Obrinci. Obrincus, quasi Oberrhin. *Lib. 2. Ἀθλ. περίπλους.*

Aristophan. in Ranis.

Nicol. Serar. Mogunt. rer. l. 1. c. 13. & apud Bibbaldum in descrip. German.

Verùm ego, quatenus in ejusmodi Ptolomæo deferendum, antea satis aperui: quo etiam nomine, retardari me sentio, cur viris eruditis assentiri nequeam, qui ex Ptolomæo, ceu benè staret, Obrincum eundem esse cum Mœno flumine contendunt. Qua de re, superioris sæculi exordio, crisin suam homo Germanus, harum rerum utcunque callens, exposuisse legitur; qui cùm eorum placita recenseret, qui Obrinci nomine, vel Mœnum aut certè Navam acciperent, procul dubio Mosellam per Obrincum significari pronunciavit, etsi in eius notando situ, deceptus esse Ptolomæus videretur. Enimverò, si Nava Obrincus esset, jam Ptolomæum Mosellam omninò præteriisse diceres, cùm longè minorem, & qui infra Magonciacum, non supra, exilis decurrit, extollat; insignem autem fluvium illum ne nominet quidem. Mœnum verò per Obrincum designari, planè ineptum videri posse; quia sic in descriptione superioris & inferioris Germaniæ, quam in citeriore ripa Geographi tunc exhibebant, ibidem Mœnum describi oportuisse, & quasi humeris ultra Rhenum transportari. Sic ille. Quod si etiam ex Francorum, aut his vicinorum regum, principumque pervetustis literis, multifariam à nobis excussis, judicium aliquod fieri placet, ita recturam limitum eos pagatim habuisse comperio, ut Obrinco, quomodo jam vocem eam interpretantur, nullus apud Mœnum locus relictus sit; id quod Carolomanni & Pipini fratrum illustri donatione, tum Caroli magni & Ludvici filii Præceptis, ut vocabant, & Traditionibus, quæ in inclyti Fuldensis monasterii monumentis extant, admonitus, ceu exploratum pono: ex quibus & hunc situm pagorum describo, quos Franci victores, à rivis plerumque nomine dato, Germaniæ Ripensi imposuerunt.

XI. Mœnus sub hoc nomine intelligi nequit.

Bibbald. Pirckeimer. descript. German.

MS. Fuld. l. Traditionum.

Wormacensis pagus: qui & Carolomanno Wormatzfeldia.

Ex MS. diplomatis diversis.

Moingouva à Mœno } rivis. Pagi obliqui.
Wetereiba à Wetera }

Rinensis seu Rhenensis pagus à Rheno.

Carolomanno * Rincegeugia.

Wbringouva, magno Carolo inchoatur ab Insula intra alveum Rheni infra Moguntiam.

Nachgouva, ad tractum Navæ flu.

Muselachgouva à Musella.

Loganahgouva à Logana, pagus.

* *al. Rincgouu.* Wbringouva refert Obrinci etymon. 1. quod in Rheno superius.

Et quia in Wbringouva Obrinci tam geminam imaginem Franci nobis relinquunt, proclive fit ab eorum idiomate profectum suspicari, ut cùm ultra flumen ipsi essent orti natique, Obrincum dicere cœperint, quicquid ipsis supra Rhenum jacere visum; atque ita solum limiti propinquum, & ipsa Mosella, quæ in Galliam eis dedit aditus, Obrinci nomen olim sortita, scilicet exteris Geographis, hoc indigitamento vocis innotuisse potuit. Atque de Obrinco satis: ad fluminis ipsius jam caput accedo.

Surgit Mosella in monte Vogeso, duobus fontibus, quà Rauracos, & partem Tribocorum, tum Sequanos à Leucis Vogesus discriminat; oriturque passuum millia ducenta duodecim, plus minus, continentis itineris, supra Treviros; ab meridie in ortum æstivum, & septemtrionem affluens. Primò quidem ab fonte potissimo, qui vallem Estrayam & Juræ convalles adlambit, digressus, ad S. Romarici montem, quod oppido & illustri nobilium virginum cœnobio nomen, tendit; atque inde, dextrâ, Volaco rivo admisso, crescere paulatim convenarum fontium auxilia incipiunt; sed nihil ad justi fluminis magnitudinem; cum Spinalum & Castellum oppidula jam prætervectus, usque adeò tenuis adhuc in suorum fontium aquis, ut quin ponticulo ex singulari trabe juncto illum superes, nihil admodum obstet.

XII. Mosellæ fontes.

Mercat. in Lotharing. tab. Bernard. Mollerus in Mosella descript. Scalig. in Auson. Le Vau'n de bu. Le Val' de lestreye. Remiremont. Voloia.

Properat ergò Bayonum versus; ac paulo supra Chalignyum, novis auxiliis ditior, ad ipsorum Leucorum principem urbem, Tullum adit. atque hinc rapidè dilapsus, ad cooptandum festinat in familiam suam Mourtam amnem, Nasio Nancejovè veteri oppido, &

XIII. Mosella Tullum adit.

Mortana vel Mour-

principum

ta & Mourta flu. Nancium Lotharingiæ principum sedes.

principum Lotharingicæ stirpis domicilio nobilemq. Atque ex hoc amne, qui longissimus ab Vogeso profluens, magnis rivorum incrementis, demum paulum supra arcem Condeium excipitur, tauriformem equidem Mosellam à poëta descriptum libentiùs dixero, quàm à fontibus illis capitalibus, quos tenuissimo nimirum, & ad sensum indiscreto prope filo deducit. Canit ergo:

Mosella tauriformis.

Corniger externas celebrande Mosella per oras,
Nec solis celebrande locis, ubi fonte supremo
Exeris auratum taurinæ frontis honorem.

Sin ad altiores fonteis Ausonii versus spectare malis, amasse sermonem eum facilè animadvertis, valde non Græcis modò, sed nostris quoque Poëtis familiarem; quo fluvios ipsi, quorum nonnulla esset fama, cornigeros, & tauricipites fingebant. Sic Padum Virgilius: *Gemina auratum taurino cornua vultu*, celebrat, & Horatio: *tauriformis volvitur Aufidus.* Euripides autem in Oreste, Oceanum ipsum finxit ταυρόκρανον. Cujus commenti causam afferunt, quòd persimilis taurorum, exundantium fluminum sit ferocitas. Igitur Mortana, seu Meurtà, ut ne longiùs abripiamur, Mosella jam inflatior, sic se comparare incipit, ut ad patiendum onera navium, tergo domari haud renuat. Quare medium in oppidum influit, quod non magna vetustate, at acerrimis sapientiæ & Minervæ certaminibus hodie calet, floretque, & à ponte, quo jungitur, & arce Mosonia, quæ è regione in montis olim vertice sita, aut rivo nomen invenisse volunt.

Fluvii cur ficti cornigeri.

Georg. 4.

Sex. Pompeius Steph. Tigrus de his plura in Hercul. Prodic.

XIV. Pons Mussonis vel Mussipontum. Ortelii itiner. Iacob. Aug. Thuan. M.S.L. Bernard. Mol. Alii appellēt & Pontamossōm, & Ponscamofontem.

Ad pontem Musonis an Moncionis equidem antiquis literis appellatum invenio, idemque novè Pontem Mussitanum, & vulgo Montis-pontem aut Mussipontum, audimus salutari. Inde Mosella peramœno flexu viridantium pratorum, & agri fertilis lætitiâ venustus abit; donec attollentibus se jugis & nemoribus, multos utrinque pagos, multas in edito positas arces post se relinquit. De hinc ex meridie in orientem æstivum ablatus, ubi & nemorosos laterum orbes destituit, paulatim ad Mediomatricum urbis conspectum sese submittens, declivia ac planiora sequitur, & vasto denique patentique campo, partim amplectitur, partim ipsam interluit urbem. Quippe ab occasu & septemtrione eam ambiens, quò largiùs irriget, gemino diffusus alveo, altero munimenta circumit, altero fluit intra muros. Et duplici ponte stratus, ut priore admittitur, ita secundo evolutus, ad socias undas relabitur.

Mosellæ bifidus alveus apud Metim.

XV. Saliæ seu Sellæ & Mosellæ confluentia.

Sed hic amnis amœnissimus occurrit Salia, Sellam vocat ætas nostra, cujus lusus ex celsissima, prænobilis D. Stephani Basilicæ, turri spectare olim juvabat. Oritur is in confinio Saravi, è Lindrio stagno, haud procul Vinstinga, ex oriente fugiens in occasum, atque inde ex meridie versus in septemtrionem, haud obscura Mediomatricum oppida, Dieuzam, Marsalum, Vicum, Memmenyum, præterfluit. At in hemisphærio civitatis, quà longissimè prospicitur ab occasu; variis adlabitur mæandris, nec coalescit ante quàm cordis speciem efficiat; quà absolutâ rursum coiens, appetit urbem non una via, verùm hac ab ortu alluens, istac ambiens à meridie, ubi jus civium variis officiis adeptus, in unum continenter alveum cum Mosella se colligit; id quod Venantius Fortunatus, eleganter hisce versibus exposuit:

Lib. 3. poëmat. Epigram. ad Vilicum Metens. episc. Musella ei pro Mosella, quæ pronūciatio vernacula. Mettis item ubique Venantius.

Hinc dextrâ de parte fluit quâ Salia fertur,
Flumine sed fluctus pauperiore trahit.
Hic, ubi perspicuis Musellam cursibus intrat,
Alterius vires implet, & ipse perit.
Hoc Mettis fundata loco, speciosa coruscans,
Piscibus obsessum gaudet utrunque latus.
Deliciosus ager ridet vernantibus arvis;
Hinc sata culta vides, cernis & inde rosas.
Prospicis umbroso vestitos palmite colles:
Certatur variâ fertilitate locus.

XVI.

Ergò Mosella majore jam aquarum pabulo lætus, & per agri fertilissimi plana diffusior, ubi juxta * Reiseburgum Ornum recepit, Theodonis villam versùs tenet impetum; quod oppidum Caroli magni commoratione, & regum conventibus, celebre, arx atque propugnaculum est hodie ditionis Lutzelburgicæ. Hinc in Orientem ferè spectans, eadem facie Regis Machram pervenit; & variis inde ambagibus, Circium oppidum: mox agros fructuosos, montesque vitiferos hinc & inde lætificans, non sine nemorum umbris, adit Comitis Machram; atque ita cursu in solstitialem orientem posthac abducto, surgentium jam inde montium crepidine magis incipit premi; & riparum mutata facie, quod hic oportunè Poëta protulit:

*Richemont. Ornus rivus, Fortunato cantatus. Theodonis villa. Regis Machra. kōnings Machren. Sirckium, vel Circium opp. Comitis Malachra Grave-machrn.

Inducunt aliam spectacula vitea pompam;
Sollicitantq. vagos Baccheïa munera visus;
Qua sublimis apex, longo super ardua tractu
Et rupes, & aprica jugi, flexusq., sinusq.,
Vitibus assurgunt, naturaliq. theatro.

Auson. eidyll. Mosell.

Ita provolutus ad vicum Aquæbillichum: mox auxiliarium rivorum majorem comitatum assumit.

Wasserbillich.

Namq. & Pronaea, Nemesaq. adjuta meatu
Sura, tuas properat non degener ire sub undas;
Sura interceptis tibi gratificata fluentis,
Nobilius permixta tuo sub nomine, quàm si
Ignoranda patri confunderet ostia ponto.

XVII. Sura, ejusque fontes.

Suræ verò nascentis conscia est Arduenna, oriturque Lutzelburgiorum in finibus, proximè Remos, eo nomine pagum: hinc à Cobrevilla versus Orientem, placidissimo murmure digressus, & nunc in asperis saxetis, nunc in compascuis lusitans, rivulorum accessu semper uberior, Alsitziam vel Alisontiam, quæ Lutzelburgicæ veteris civitatis imam vallem subluit, & Atartum rivos, juxta pontem Attilæ, quem vulgus appellat, uno confusos alveo dextra recipit; inde plurima distinctus locorum amœnitate proserpit, ut Uram, qui Viennam priscorum Comitum domicilium præterfluens, huc ab septemtrione excurrit, absorbeat. Absternacum post hæc, sive Andethannam, S. Willibrordi veterem religionis sedem, Sura Salmone pisce dives benignior adit; Lembosque ad usum

Alsitzia & Attartus rivi. Ettelbrucke

Ura rivus. Vienna, quæ vulgo Viande oppidum. Abiternacum seu Andethāna.

Pronæa rivus, à quo distortâ voce Prumia clarifs. monasterium. Nemesa rivus vulgò Nimf.

piscationis non respuens, mox Pronæam, cujus in ripa, præcipuâ flat claritate Sancti Salvatoris insignis Prumiensis Abbatia, ab ipso rivo sortita nomen; & Nemesam, quæ propè parallelo Pronæam comitatur, pariter in suam familiam adoptat. Hinc, ceu cursus instituti pœniteat, ex oriente in meridiem se reflectens, longa viarum ambage ad Aquasbillichi, ponte firmi & elegantis operis, interceptis, quos diximus rivis, Mosellæ gratificatur, ei lævâ parte se admiscens. Quinque circiter passuum millia deinde colligit Mosella, queis per umbrosos sese colles, aut vite nativa consitos agens, copias tandem in planum educit, tanquam id habuerit scilicet operis natura, ut aptam fundandæ Coloniæ sedem efficeret. Atque hic locus is ipse est,

XVIII. Mosellæ facies, quæ Treveris affluit.

Saravi vel Saræ cursus & origo monstrata. Unser Frawen zum See. Sarburgum oppid. Lotharing.

ubi nomen amittere suum Saravus incipit. Saravum mons inter Vogesi juga, in Alsatiæ atque Lotharingiæ confinio, superantissimus gremio suo fundit; monti nomen dedit lacus, & ædes Virgini matri juxta ad marginem lacus exstructa. Hoc ex loco decurrens, Lotharienfem agrum, multiplici flexu perrerrat; ac primùm ex oppidis Sarburgum adlabitur ditionis Lotharingicæ; ad Vinstingam inde, cognomine stirpe clarum antiquitus oppidum, se se commovens, Sarauverdam, Mœrsensium olim comitum domicilio titulóque nobilem, præterit: hinc cursus tenore nusquam mutato, salutatis aliquot oppidulis, ubi Bliessam sibi adjunxit, paulo supra S. Wédelini oppidum, apud arcem Lindanam fonte suo nascentem, trahit cum amissâ jam famâ, ad pontem Sarræ, Antonini itinerario, & Comitum Sarbruckiorum antiqua stirpe, non obscurum oppidum. Id postquam interfluxit, per opaca silvarum tacitus repit, Walderfingum versus, tectis haud inelegans oppidum, ibi dextra præterlapsus, hinc rupibus sanè quàm arduis, illinc non degeneri fertilitate campis excipitur. Atque hic etiam cæduæ surgunt, nullis securium damnis superabiles; æterna foco materia, gemino Trevirorum commodo; stercorationis, ubi succisa cremantur, novæque materiæ, ubi impares sationi priorem in faciem cæduæ revirescunt.

Vinstinga quod & Finistinga opp Saræverda oppid.

Bliessa oppidum & rivus.

Pons Sarræ, *at Caf. inscript.* & vernacul. *Sarbruc-ke. &* in itiner. mendosè Pons Sarnix. Walderfingum oppid.

XIX. Mediolacus.

Taven, Caffel, Scarburg Trevir.

Harum itaque frondibus, vestitis utrinque ripis, præter Mediolacum, celeberrimi nominis olim monasterium, Tabenam S. Maximini Coloniam fertur, ad Castellum & Sarræ castrum Treverici juris, frequentata Romanis stationibus olim loca; & tandem apud Contzium sive Concham, ut nuper ostendimus, ponte junctus in amnem se majorem exonerat. Faciem verò Mosellæ, quam septem millium hinc intervallo propè tenet, ostendimus: & si adhuc in memoria est, una exilem quidem illum, at compascuis vitiumque cultura, prædiis, aquæductuum vestigiis, & secessu, amœnissimum Erubrum. oritur in arido sive alto, * quod vocant, nemore, octo circiter millia passuum ab urbe Trevirorum. Infra hujus ostia Gelbis, adversâ sinistra ripa, per silvosa loca defluit, lintribus modò pervius. Effundit eum saltus Eifliæ, quem * faginum incolæ appellant, paulò supra Cronenburgiam arcem; cujus gens olim Prumiensis Abbatiæ præturam administravit, & mox stationem seu * vicum appetit, qui ab ipso rivo nomen desumit; hinc ceu orientem peteret, ambage se flectit in Austrum; * Geresteiniam arcem, edita in rupe, quæ Comitum ejusdem nominis gentilis est, lævâ præteriens, ut irruat in castrum Denspergium. Ubi deinde ad Kylburgum oppidum provexit undas, alveum suum velut ad circini ductum explicans, oppidum in colle situm ita circumplectitur, ut campum duntaxat acclivem unum dextrâ relinquat, qua cursum intermittit: inde viret lucis & arboretis undique, & simul per densi nemoris angustias elapsus, Erangium oppidulum superavit, dilatato jam alveo, rivus pontem sustinet, mox in nobiliorem familiam adoptandus.

Erubrus die Ruber * der hohe oder dürre Waldt Gelbis rivus vulgo die Kyl. Gelbis origo in Eiflia. * der Buchetwaldt.

* Stathyl

* Gerestenia arx. *al.* Gerardstein, *vel* Geroldstein.

Denspergiú Kylburgú.

Eringium oppidum.

XX. Gelbim post Erubrú rivum excipit.

Kyl. Sed. per e.

Quod verò Gelbi, magni Critici literam præfigere malint, quæ prima est in caput & corpus, quia hoc nostro sermone Kappa sonet, jocos ipsi dant, Treviris non plaudentibus, cùm ex literis G. & C. indole soni cognatis, in Kappa Germanicum æquè prompta fiat mutatio. Cæterùm Gelbim & Erubrum Ausonius hisce versibus memorat.

Te rapidus Gelbis, te marmore clarus Erubrus,
Festinat famulis quàprimùm adlambere limphis.
Nobilibus Gelbis celebratur piscibus. ille
Præcipiti torquens cerealia saxa rotatu,
Stridentesq; trahens per lævia marmora serras,
Audit perpetuos ripa ex utraque tumultus.

Erubrum Ausonius, quia per æqua & iniqua, torrentis instar præceps, crebras efficit voragines, molis aquariis ornat: quas molas veteris Coloniæ aquæductibus, mœnibusque vicinas, non frangendis tantùm minuendisque frumentis, sed marmori quoque secando fuisse, monstrat. Plinius etiam in Belgica provincia candidum lapidem ferrâ eadem qua lignum, faciliusque etiam secari, ad tegularum & imbricum vicem, non tacuit.

Natur. hist. lib. 36. c. 22.

Sed Mosellæ reliquum cursum prosequamur, cujus varia posthæc sese facies aperit, nam modò occurrentium montium asperis radicibus in angustum contractus, se frangit ad opposita collium latera, eoque pernicius devolvitur; modò latissimos inter campos errans, sese diffundit; ita, ut editis in jugis, pampineas inter umbras, amœnissimè videas palantem; talisque fermè aspectus, qua Rigodulum Valentini Treviri clade, Tacito celebratum, & ceteros Clussartum usque pagos præterfluit. Etsi verò tortuosis, & immensis nonnunquam vagus anfractibus, ortum solstitialem deserat; sic, ut montes etiam circumluens, velut in se recurrere, & ad eundem, ex quo jam exierat, locum reverti attentet; omnis is tamen amnis circuitus in angusto spatio latitudinis, aut versus ortum Brumalem, aut occasum æstivum, reciprocâ vice declinat.

XXI. Mosellæ amœnitas.

Rigodulú, vulgo Reoll, pagus.

Porrò montes, quos vel ambit vel obluit vite nobili, sed, ut his regionibus mos est, vestitos, sic natura disposuit; ut alii laxiore sinu teporem solis infusi velut gremio excipiant, alii retractiores, calentis sideris ceu repercussu modicè foveantur, alii aquilonem noxiosque vitibus ventos, aut altitudine ipsa inhibeant,

XXII. Vites & vinearum opera, præcipuæ fluminis dotes.

inhibeant, aut laterum oppositu frangant, conferentibus eam ad rem ipsis etiam plurimum anfractibus, per quos immissi solis radii, magno caloris temperamento, angulos atque recessus montium perspergunt. Jam verò sicubi colles hi, vel clementiùs sese submittunt, vel à flumine recedunt longiùs, ne vel hic naturæ, Deique parentis munificentiam desideres, adsunt prata vel pomariis, & felicium arborum plantariis jucundè consita, vel gratissimo pabulo amœnè virentia, vel arva denique segetibus læta. De insulis verò quid dicam; quas tum vicinior Lotharingiæ, tum à Treviris in Confluentes, crebrò hic amnis attollit, & magnitudine pro fluvii captu, spatiosas, & lætas, & ad pecorum pastum gramine, fœnoque peropportunas? Et, ut universè, quæque sæpius iterari nequeunt, semel omnia dicam, ripas, locorum ubicunque varietate insigni ornant, nunc continua, nunc modicè intermissa, frequentium rectà vicorum pagorumque, quæ celebritate sua & numero, ipsoque genere hominum, præstant multorum oppidorum faciem, seu ipso flumine, seu jugis & ripis utare.

XXIII. Salmona rivus, vulgo die Salm auff Hoö. Salm pagus.

Nec fastiditos Sulmonæ usurpo fluores;

Canit ille. Rivulus is est auxiliaris Mosellæ, cujus fontem septemdecim millium ab amnis majoris ripa intervallo, * nemus Romanum, sic enim appellare liceat, aperit. Sed & cognominis rivo pagus, alterum quasi fontem exhibet; atque ita placidus, nisi infletur ab imbribus, ex septemtrione in Austrum defluens, postquam Himmerodensis S. Bernardi instituti clari cœnobii pomœrium, & Broichensis antiqui dominatus sedem irrigavit, ac Salmærorræ & Eschiani territorii fines obivit, ad extremum ponte stratus, proximè Clussartum, volvitur in Mosellam, sinistrorsum prono flumine navigantibus. Hinc juga patentia, collesque non vini magis quàm frumenti feraces excipiunt; qui Trittenhemium & Nivomagum frequentes, ditesque pagos, sublimes despectant,

Hymmerod, ord. S. Bern. cœnob. Broich. Salmærora. Esch. Clussartum

Trittenhemiũ, Joan. abb. patria Nivomagum.

Nivomagum divi castra inclita Constantini.

Canit Ausonius; & quia vicinorum montium tot inter se velut serie cohærentia juga, & nemorum densitate inumbrata, emensis addit.

Purior hic campis aër, Phœbusq́; sereno
Lumine purpureum reserat jã lucidus Olympũ.
Nec jam consertis per mutua vincula ramis,
Quæritur exclusum viridi caligine cœlum:
Sed liquidũ jubar, & rutilã visentibus æthrã,
Libera perspicui non invidet aura diei.

XXIV. Rensoportus. Drahonus rivus. die Thro/ vel Trann Hundzrug. Edderwaldt

Secundùm Nivomagum & Rensoportum, non obscura latialibus monumentis loca, Mosellæ ripam legenti Drahonus occurrit, tenuis ille quidem, ut rectè dixit poëta, attamen piscosus rivus; is in duo velut expansus cornua, locis silvosis, de quibus ilico ante Ausonius, atque asperrimis, qua via fert ad Hunnorum juga, seu potiùs Hundersruchi pagum exoritur, passuum spatio circiter octo millium ab flumine: prius verò cornu, quod à meridie descendit, jam inde ab saltus ingressu, pagos benè multos, licet obscuros, sparsis utrinque ramis lancinat. At cornu posterius, quod ab Oriente manat, arce Baldenauwiâ, & Hunolsteiniâ nitet, præstantium nobilitate generis Advocatorum quondam altrice. Jam verò, quà coit utrunque cornu, mille paulò amplius passuum alveo, pago cognomine relicto, fertur in Mosellam.

Baldenavu & Hunolstein.

Advocati ab Hunolstein. Taren pagus.

XXV. Emmel, aut vicus Æmilius. Pisoportus, aut Pisonis portus. Munster, Monasteriũ *Minhaim, exigua Helcya, id est, Kleinham, respectu majoris helcyæ apud Mariæburgum: quæ vulgo Ham. Veldentiæ comitatus. Lesura rivus. *In Matholtz. Daun. Manderscheidt. Witlich, Maring.

Hic sese vicus attollit Æmilius, antiquitate multâ visendus, à quo fluvius auctior tot jam rivis ad Pisoportum accedens, & alia minoris famæ loca, Minhamium montem, ceu helcyam minorem dicas, ripâ sinistrâ flectere incipit. Mons autem is à * pago subjecto sic dictus, laudato cum primis vini genere, accolis haud ignotus. Simul inde flexu tortuoso in se relapsus est, ripa dexteriore incultior, frutetis inhorrescit; inde ad Veldentiæ fines evolutus, apertis & patentibus agris rursus exspatiatur. At diversæ parti sua manet interim felicitas; lætissimis, cis ultraque Lesuram, vite creberrima collibus. Lesura id Efliæ partibus territorio Daunensi, * silva Maria, tollit caput; & à Septentrione conversus in Ortum, antiquæ claræque nobilitatis domicilia, Daudam & Manderscеidtum prælabitur; inde multos, quos invehitur agros opimans, Witlichum oppidum, quod à Vitellio Vitelliacum optent nonnulli, partim ingreditur, partim alluit; atque hinc amplius quinque millium excursu, per aspera molliaque confecto, infra Maringium pagum, Mosellæ confunditur. Jam nunc ergo, ut cum Ausonio dicam:

Prætereo exilem Lesuram, tenuemq́; Drahonum.

XXVI. Cusa. Berncastellum.

Quibus Mosella stipatus, salutatâ Cusâ, priscè Cubesa, ad Beronis castellum pertendit; sic enim arcem illam, quæ prærupto atque edito jugo, jam oppido Berncastellano imminet, explosa ursæ fabula, literæ nuncupant antiquæ. Ab hoc oppido colles montesque vitiferi se tollunt, quibus in vinis regnum, & summa autoritas; florentque nominibus locorum, quibus quæque proveniunt, dubio principatus certamine, censuram in epulas Apiciis variam afferentibus, pro palati acumine, quibus id arbitrium super mensa defertur. Gracha hujus feracitatis genere pagus inclitus est; infra quem dubiæ navigationis scopuli, juxta insulam, ubi fluvius in rupes allisus, magno strepitu aquarum, undas agit. Cellariæ loco nomen dant. Multæ hinc amœnitatis ripas vicatim oberrat, atque ubi inde Celtangium & Rattichium juris Coloniensis, hinc Machram parthenone illustrem & Urtziacum lustravit, Wolffenum, olim ex canonicorum collegio monasterium, jam castrum in diffuso & leniter assurgente colle, dextrorsum aperit; atque hic sinuoso flexu monasterii collem circumfluens, à læva Croëviam ostendit, benè longum vicum, & nobili tribunali regnoque suo celebrem. Allabitur & Travanæbachium, jam inde à Dagoberti ævo, probatæ originis oppidum; quod sinu montis abditum, Travanam ponticulo junctam, Mosellæ donat; qui rivus ex adverso, numerat sui quoque nominis pagum. Atque oppidum mirè exornat arx, impositâ celsissimæ præruptæque petræ, in speciem bifrons; domiciliis & naturali munitione, sanè quàm venusta. Haud inde procul Starckenbergum subit arcem, gemino situ per montium edita sublicio ponte commissam; quæ ruinis

Vinorum præstantia.

Gracha.

Cellariæ vortices. die Kellerey.

Urtzich. Wolffen.

Crovia cum regno suo.

XXVII. Trarbach oppidum.

Travana rivi & pagi.

Arx Travenæ.

Starkenberg.

Enkirch.

damnisque suis Balduini egregii Pontificis casum, fortunamque tristis adhuc testatur. Eadem in ripa Enchiriacum visit, illustribus à FRANCORUM veterum Regum liberalitate fundis instructum; unde Ecclesiis læti vindemiæ fructus affluebant. Et certè vicus hic, in patenti & vitifero colle, sparsim habitatus, tum ubertate vinearum, tum ædiũ cultu, templisque non inamænus est.

XXVIII.

Cellarum oppidum.

Hammæ tractus .i. Helcyæ, cujus hic figuram fluvius assumit.

Hinc superatis Borgio, Rilio, Ponderico & Preitalio, clariore municipio, ubi Cellas oppidum, cujus ambitus circum undique vitium generositate stipatur, incipit adlambere, se velut in Spiram, adinstar Helcyæ, quæ circumdat equi colla, convolvens, ab hoc habitu regioni nomen relinquit. Atque hic illa Ausonii, vel in primis opportunè canantur.

Licet hic commercia linguæ
Jungere, & alterno sermonem texere pulsu.
Blanda salutiferas permiscent littora voces;
Et voces, & pæne manus resonantia utrinque
Verba refert; mediis concurrit fluctibus Echo.

Mariæ burgum.
Mons S. Petri Cellẽsis.
Keimeta.
Biscovosalvam .i. Episcopi Alsa, seu Albula rivus.

Hac ergo amœnitate lætus, mæandro ingenti facto, Mariæburgum, quaternis prope ripis, cingit; & illàc Monte S. Petri in Cellis, hac Keimetâ præteritis, Biscovesalvam, id vetus pago nomen, adiens, Albulam rivum, ibi juxta subsidio venientem, assumit. Is eàdem regione, quâ Lesura, surgit; ut ceu parallelo comitari illum videatur.

XXIX.
Ussa rivus.
Thermæ Bertrici.
Arras castrum.

Inter ejus & Ussæ corrivalis ornamenta numeres, Bertrici thermas, experti quondam adversus morbos varios remedii, sed in usu jam, nì repurgẽtur, elanguidas. Castrum item Arrasium, editi montis silvosi jugo, dynastarum antiquæ stirpis, sed intermortuæ, domicilium, quod è Merliorum gente, Zandtii nunc incolunt. Non procul autem ab Ostio suo Ussam sibi jungens, uberiore lympha, ponte jam à Lothario principe ornatus, Mosellam auget. Unde nec pigrior ille, Merlam inde; at læva S. Aldegundis vicum, Breimptam; dextra Nessiam, Stubam, seu S. Nicolai parthenona, ripis alternis ornans, eorum denique montium crepidinem stringit, de quibus eleganter, ut omnia vates:

Merla.
S. Aldegundis Nessia.
Breimpta.
Stuba.

Summis quippe jugis tendentis in ultima clivi,
Conseritur viridi fluvialis margo Lyæo.
Læta operum plebes, festinantesq; Coloni
Vertice nunc sũmo properãt; nũc dejuge dorso
Certantes stolidis clamoribus: inde viator
Riparum subjecta terens; hinc navita labens,
Probra canunt seris cultoribus. Adstrepit ollis
Et rupes, & silva tremẽs, & concavus amnis.

XXX.
Mosellæ aspectus & frequentia.

An repetam iterum hìc herbidas ripas, sola gignendis uvis uberrima, insulas arbore multà pulcherrimè consitas? Dicam verbo, accolas. cum alibi, tum hinc Cochimam usque, unius civitatis frequentibus vicis, sed sparsim habitatæ, cives videri; ita municipia, tergo montium fastigiis clausa, fronte, amni aperta, intermeantis placidè se Mosellæ ripis submittunt, densantque. Etenim oppidi modo descripseris, quæ dextrorsum occurrunt, Senheimium insularum maximâ spectatum, Meisenichium, Bilsteinium arce suâ fastigiatum, nec situ loci, nec genere structuræ spernendâ. Valvichium, cujus in propinquo monte viget Deiparæ Mariæ cultus. Protichium, magnitudine sua, & fertilitatis modo, non postremum. At ripæ sinistræ serie, ipsas Liberi patris delicias monstraveris; Elleriam, olim S. Hilarii matrice Ecclesia plurimis amnensium templis dominantem, Edigerum, Ellentium; quæque hinc, non pari nobilitate, Cochimam loca spectant. Et talis admodum Mosella, vicis, insulis, arcibus, pagisque magnâ frequentiâ celeber, Cochimam versus incedit. quo ex oppido, ripam sinistram obtinet vini copiâ multo quàm dextrâ, fertiliorem. Est in conspectu Cochimæ, Conda; veteribus Condeda, ubi illustris quondam memoria, nec prodigiorum expers, S. Severii presbyteri vixit.

Senheim.
Meisenich.
Bilstein.
Valuich, seu Valuey.
Protich.
Eller vel Ejre.
Ediger.
Ellentz.
Cochem oppidum cum arce.
Conda, vel Condeda, fortè Condita.

XXXI.
Clotten.
Pommeren

Sed nec auditu, cultuque, Clottena ac Pommerenum obscuri vici sunt, quos læva præteriens Mosella stringit; quæ, licet torrentibus hinc quàm rivis instructior, paulo tamen supra Caradunum ex intimis Hundesruchi montium faucibus, rivulos accipit Uloimam atque Diemam, apud Trivallem, seu Treissium pagum, alveo confuso ei se miscentes. At infra Caradunum, ripâ sinistrâ, se condit Alcia, vel Alizontia, ut malunt alii; quo nomine Alsiziam, qui Lutzelburgi mœnia sub[illegible] an verò Eltziam, ut hodie indigitant, rectiùs nuncupes, adhuc disquirimus. Alsitzia verò, præterquam quòd brevi fluxu, & pertenui in Suram occidat, ad Mosellam suo nomine non pervenit; & Ausonium certè, cùm semel Pronææ Nemesæque copiis adjutam Suram, pergere ad flumen clariùs describit, Alsitziam apparet præ duobus illis nullo duxisse numero; adeoque propter obscuritatem, ne nominasse quidem. Atqui, si Alsitzia tamen erat celebranda, nimirum istic, nec alio loco, id fieri oportuit, quia Suræ tantùm rivus is auxiliaris est. Jam denique Alizontiam, sub ipsius fermè desinentis Mosellæ gremio ab Ausonio nominatam, in Lutzelburgensem Alsitziam qui conferas? Versus ejus namque sunt:

Caradunũ.
Vloima, & Diema rivi.
Trivallis, seu Treiss.
Alizontia quis rivus, sit. Altia, Eltzia.

Nec minor hoc, tacitũ qui per sola pinguia labẽs,
Stringit frugiferas felix Alizontia ripas.

Componit Alizontiam cum Saravo; non utique fluenti magnitudine, qua Sarà sunt omnes haud dubie inferiores; sed claritate nominis; & quod caput est, eximiâ raraque soli ubertate; & verò hac regione scilicet agrorum, qua influit Eltzia, nihil feracius.

XXXII.
Alcia, Eltz.

Cæterùm inspectione veterum literarum comperiebam, media ætate rivum, ut & arcem, veteris ac prænobilis Eltziorum prosapiæ, quæ ripis assidet, Alciæ nomen obtinuisse; quod, ut alia, Ausonius more latino extendisse potuit; ut ex Sarra Saravum, Drono Drahonum fecisse constat; neque enim veteri sermone Gallico, sic, ut in ipsius poëmate, hæc gentilia nomina, & Trevirorum propria, resonasse, periti facilè omnes mihi assenserint. Quæ quidem ita sese habere, cùm non difficilis comprobatio sit, ævo posteriore tamen, maximè, quod Ottones

Imperatores



Digitized by Google

TABVLA
GEOGRAPHICA
ARCHI=DIŒCESIS
TREVIRENSIS
Antiquo-noua
1667
Milliaria Germ. commun.
MATTIACI
et
CATTI
HASSI
VSIPETES
TENCTERI
MARCHIII
MONTENSES
PALA
DVCATVS
BIPON
TINVS
NATVS
NASSOVICVS
COMITATVS
RHENI
ALEMANNI
ALSATIÆ
PARS
MERIDIONALIS
Colonia
Agrippina
ORIENS

30

Imperatores tulit, vallem Alzontiensem, quam Alitzia Lutzemburgi rivus irrigat, appellare mos fuit. Id quod pervicit reverendus D. Maximini antistes Reinerus, postquam eximio candore, veterum diplomatum exhibitis olim mihi tabulis Lutzilinburgum arcem docuit ibi, ad ripam Alitzontiæ descriptam: affectatione nominis, an certa ratione vetustatis, alieni, quàm nostri esse malumus judicii. Originem suam Alcia ferme ducit ab Ursfeldio pago, qui ditionis comitum Virnenburgensium est: ab occidente verò flectens in ortum, Montis regalis oppidum interfluit; atque hinc per fruticeta eluctatus, tandem ad fertiliora flectit, Pirmontium, quod antiquis Baramunda, gentilem dominatus sedem post se relinquens, donec nemoribus iterum umbrosior, ubi eminentia Eltziorum stirpis domicilia subluit, juxta Kernum pagum in Mosellam, ripâ sinistrâ delabitur.

Orffeldt.
Monreal, Mons regalis.
Pirmontiũ, priscè Baramunda.
Eltz, Alcia.
Kerna.

XXXIII. S. Nicetii castrum, quod hodie Bischoffstein. Beya. Rhodanus.

Mosella verò inde provehitur ad S. Nicetii castrum; Bischoffsteinium, seu Episcopi saxum, hæc ætas appellat. Nec procul abesse à montis crepidine moneo torrentem, quem poëtico lusu parvulum Rhodanum salutatum à Venantio Fortunato, olim observavimus. Arx quippe in humilioris jugi colle accumbens, ex faucibus celsiorum montium prominet, una modo nunc rotunda turri, sed duplici templo spectabilis: juxta, ubi se laxior sinus aperit, rivulus erumpit pertenuis, & simul in Mosellam effluit. Et de hac regione loci canit Poëta Nicetio gratulans:

Lib. 3. poëm. 10.

Cernit frugiferos congaudens incola sulcos,
Vota ferens segeti fertilitate gravi.
Agricolæ pascunt oculos de messe futura;
Ante metit visu, quàm ferat annus opem.
Ridet amœnus ager tectus viridātibus herbis.
Oblectant animos mollia prata vagos.

Nicetii porrò ætate, per novos Francorum Colonos, hæc deserta locorum exculta & addita Trevirorum Ecclesiæ; docet item Venantius de Nicetio scribens.

Blandifluas stupidis induxit collibus uvas;
Vinea culta viret, qua fuit ante frutex.
Insita pomorum passim plantaria surgunt,
Et pascunt vario floris odore locum.

Sternenburgum. Æra rivulus. Alkena. Coberinus vicus an Caverna? vulgo Coverna. Winnegen, an Wincum. Conda torrenti quàm rivo similior. Ads not. ad Artmatum. Confluētes.

Per hunc itaque locum Mosella se porrigens; ubi, Hattonis portu salutato, ad Sternenburgiam arcem processit, & dextrâ mox Ærã, à qua arx Ærenbergia, ut & antea Beyam, rivulos hausit; abripitur Alkenam usque, atque inde pagos utrinque non incelebres, ut Goberinum vel Cavernam S. Lubentii, atque Gulisam S. Servatii memoria ambiens, post Winnengenum recepta tandem Fortunati Contrua, torrente rivo, pomariis & pratorum virentium utrinque nitens decore, ad mœnia pervenit Confluentum, ubi pontis insigni ornamento spectatus, ut proprius de ipso vates cecinit,

Germanis sub portubus ostia solvit.

Quinquaginta duo circiter passuum millia, cursus directi, usque ab Treviris emensus.

CAPUT XXVI.

Provinciæ Trevirensis ad hujus nostri temporis usum adumbrata descriptio.

MOSELLAM, absque ulla, credo, itineris molestia Geographos imitati, spectandum obtulimus; deinceps verò debere lectori videmur, ut provinciæ Trevericæ, quo cultu hac nostra ætate visitur, situm conditionemque, sed strictim atque paucis aperiamus; tum, quod vel præcipuæ regionis dotes in uno flumine jam antea patuerunt; tum, quod hujus generis in ipsam quoque rerum explicationem, multiplex incidet sermo. Porrò solent Geographi, cùm ad varios artis usus, tum ad temperiem quoque noscendam regionum, ex cœli dimensione terris eam adhibere descriptionem, qua sine, nec siderum ortus, obitusque; neque defectionum motuumque notatio atque observatio perfecta, constare potest; quam metiendi rationem Ptolomæus secutus, adspiciens Remos, ἀρκτικώτεροι δὲ Τρηβιροὶ, inquit, ὧν πόλις Αὐγοῦστα Τρηβιρῶν: Treviri magis Septentrionales; quorum civitas

I. Trevirorũ regio juxta situm loci descripta.

AVGVSTA TREVIRORVM.

II. Trevirorũ regionis Cosmograp. longitudo.

Proniores ergo in Aquilonem Treviri, intervallum longitudinis à Meridiano communi, ad usque loci proprium, colligunt varium. Minima distantia septenum vicenũm partium, & quinquaginta quinque minutorum est; maxima duobus omnino gradibus, & aliquot huic particulis præcellit; quæ verò communis toti prope ditioni, ad aliquot uncias gradus habet duodetriginta; ita ut quadringentis viginti, & ampliùs milliaribus, mensura patria, qui hisce locis imminet meridianus, distet ab eo, qui secat insulas Fortunatas.

III. Latitudo Trevirorum.

Jam verò, quæ Geographis dimensio latitudinis, hac Treviri, ab Æquinoctiali linea recedunt in Arctum, ab undequinquagesimo gradu ad quinquagesimum; unde spatium quod Æquatorem inter & parallelum hujus regionis intercurrit remotissimum, ad milliaria Germanica amplius septingena pervenit & quinquaginta: vel, si parallelos gradibus æques, ut quo magis à Circulo maximo in arcticum polum abcedunt, hoc fiant certa proportione minores, subtiliore numeratione, distantia, & graduum hoc cum partibus intervallum, milliaria tantum octo colliget, & partes duodequadraginta. Sed quia verendum ut hæc accipiant, qui Mathematicum pulverem fastidiunt, ad illa venio, quæ sensibus propiora.

IV. Treviris nebulosum cœlum.

Qua finiens orbis cœlum quasi medium dividens, seu Horizon Trevericæ civitatis agrum subjicit aspectui, quod spatium octuagenis centenis stadiis describunt Astronomi, se crebrior attollit vaporum halitus; & nebulæ solo sparsim & flumini incumbentis tenacior est cum æstivo quoque sole conflictus; sive hoc ita fit, ob fluvii & rivorum illabentium udam aspergininem, seu ob montium & collium

collium qui plurimum hemisphærio huic imminent irriguam fœcunditatem. Observatum hoc nobis aliisque, quatuor milliarium ambitu, extra quem, ob tumescentis in orbem telluris altitudinem, horizontis evariatio, haud scio an purius alibi purgatiusque cœlum exhibeat. Itaque Treviris ut & Lugduni vitam foris agentibus, istuc joco gratulari liceat, quod Candidianus Apollinari Sidonio Gallo Romæ viventi, ipsum aliquando tandem ibi solem videre. Nam Lugdnni, ubi Sidonius vixerat & ortus erat, ob Araris & Rhodani montiumque concursum, Nebularum frequentiam incolis objectabant; & diem ille querebatur Lugdunensibus matutina caligine obstructum, vix meridiano fervore reserari.

Lib. 1. ep. 8.

V.
Trevericæ ditionis metæ & confines provinciæ.

Universè Treviri Lotharingiam attingunt à meridie; quaque in ortum brumalem spectant, montibus asperis, & saltuoso ferme continuo jugo cinguntur ea regione locorum, quam nonnulli, ceu ab Hunnis & Sarmatis olim infessam, Hunnorum præsidium cupiunt; alii ceu à canis tergo Cynonotorum dorsa; meliores ab advenarum Francorum posteris, Hundesruchi pagum, volunt appellari. Lutzelburgiorum fines amplectuntur ab Occasu; suique partem Eiffliam ad Septentrionem incolunt. Longissimus hinc excursus transRhenum, circa Loganam amnem, ubi ad Orientem objacet Hassiæ principatus. Regionis totius longitudo ab Sarburgensis Satrapiæ extremis finibus, ad ultimos usque Cambergensis, patet in centena circiter & 30. millia passuum. At latitudo minimè par, variam pro Mosellæ flexu, alienisque permistis huic imperio fundis, habet distantiam: qua tamen ab Saræburgi territorio in Eifliam rectà, ceu diametro, incurrit, spatio quàm latissimo colligit nonaginta millia passuum.

Hunnos à Romanis victos, & eò traductos Castelhun indicio.
Trithem. passim in ep.
Orig. Palat. c. 5.
De Sarmatis annal. l. 4. & Auson.
Hundesruchi pagus, aliis Dorsum canis.

VI.
Trevericæ provinciæ gubernatio.

Provincia universa, in Satrapias est distributa tres plus minus & triginta; quarum non singulis singulæ, sed ab uno plures nonnunquam pro majore aut minore populorum frequentia, aut conditione temporum, placitoque principum administrantur. Satrapæ verò ipsi, aut viri antiqua nobilitate conspicui, aut meritis, & obsequii experta fide, principibus homines sunt probati; quanquam Satrapias nutu Principis ferè nobilitas occupet, œconomia & cura Cellarum, quas vocant, ad plebeios relegata.

Toparchæ vel Satrapæ.

VII.
Satrapiarũ enumeratio

Sortiuntur autem, quas diximus, Satrapiæ sive Præfecturæ, vel ab arcibus, vel oppidis ipsis sua cognomenta; sitæque sunt admodum hoc ordine. Dextrâ defluentis Mosellæ S. Wandelini; inde apud Saram Saræburgensis; quam consequuntur mox Grimburgica, Hunolsteinia, Baldenavia, & intermissa parte quadam juris alieni, Baldeneci; hinc in citeriore fluminis Rheni ripa, numerantur Poppardiensis. & Wesaliensis; cui ex adversum sita est Wemichia. Jam verò, lævâ defluentis Mosellæ, ut superiora retexam, primum sese offert Billichi præfectura; cui Broichcensis est continens. Kilburgensis autem Schoneci, Schonenbergica, Prumensis, & Hilleshemia Eifliæ contributæ. At introrsus Manderscheidti, & ob amplitudinem geminata Daunæ Satrapiæ vergunt; quem-

Welsbillick.
Bruch.
Kilburg.
Schoneck.
Schonẽberg.
Prüme.
Hillesheim.
Manderſch.
Daun.

admodum & Ulmenæ, Montis regalis, partim Mosellæ, partim Rheni ripas appetunt. Sunt præter has Satrapiæ nonnullæ, quarum vel limites Mosellam attingunt; aut ripam utramque jurisdictione sua stringunt: in hoc genere ab Trevirorum suburbano primas fert Palatiolana; cui confinis Eschii dominatus. Subeunt hinc Witlichiana, Berncastelli, Hammia, Cochmensis, Monasterii Meinfeldiæ, Coberina, Meginensis, Confluentina: atque hæc cis Rhenum universæ. Trans Rhenum vero numero sunt pauciores. Atque ab ipsa mox ulteriore ripa incipit Ehrenbreisteinia: & paulò supra Antonnacense castellum, Hamersteinia. Inde Monthaborina, vel Molsbergia, Limburgensis, Hartesylsia, Vilmariensis, & Cambergensis, quæ extremos claudunt regionis limites.

Ulme.
Monreal.

VIII.
Administratio vetus Trever. provinciæ.

Porrò, quod cognoscere non injucundum sit, Francorum ævo, & Ottonibus rerum potientibus, ut inspectis ipsorum diplomatis sæpenumero patuit, provincia in Pagos tota fuit divisa: Pagos autem, quia Comites administrabant jure temporario, ipsi etiam Pagi nomen Comitatus obtinebant.

Comites prisci & Comitatus.

IX.
Pagi Trevirorum Ecclesiæ quõdam illustres.

Præcipui verò Pagi B. Petri Treverici patrimonio, & illustrium cœnobiorum opibus nobilitati, ab læva visebantur Mosellæ ripæ; & in Lutzelburgiorum quidem & Mediomatricum finibus celebres, Metingouwa, & apud Ornum Rizigouwa: in agro verò Lotharingiæ, & Lutzeburgiis confini, quem communem hodie nuncupant, Wabrensis, Gregorio Turonensi celebratus; cujus etiamnum vestigia apud Juveniacum extant. At Sara, Sarægouvam geminam habuit. Proximè Treviros secundùm ripam fluminis Moselgowa: qui & Mosellensis appellatus. Hinc per Orientem hibernum, Hundesruchi, & Nachgouve Pagi versus Navam fluvium. Pagi Bedensis siue Bedonici, in territorio veterum Trevirorum, inde colligas licet amplitudinem, quòd ejus termini rivis omnino tribus, Surâ, Gelbi, Lesuraque definiti; caput Bedense castrum, quod Biedtburgum interpretamur, haud procul à Nemesa. Jam verò Eiflia universa unius pagi nomine censa, consuetudine majorum; in pervetusto Thiedtfridi Abbatis S. Maximini diplomate, & villa Riferesceidtia, unde Salmensium Comitum & dynastarum quædam stirps, & Okisheimensis Ecclesia in pago Aifflensi, sic enim veteres locuti describuntur.

Metingouwa. Rizigouwa.
Gouwa. παρὰ τὸ γᾶν interpretãtur eruditi, terram vel agrum.
Wabracensis pagus.
Saregow.
Moselgow.
Hũdesruch.
Nachgowa.
Bedensis.
Bedonicus.
Eiflia à pago Aifflensi.
Riferſceidt.
Ocksheim.

X.
Ripuariorum pagus.

Præcipuam etiam celebritatem pagus habuit Ripanorum, seu Ripuariorum, Meginensis; quem & Mægnacensem dixére majores. Atque in hujus pagi tractu, Confluentes inter, & Antonnacense castellum, Palatini veteres, non Rhenani juris vel originis, sed quos Lothariorum à regno Lotharii vocabant, ditionem habuêre; quæ hodieque Palantiæ nomen retinet. Nihilque meo quidem sensu viderunt, qui ducem cæcum Kyriandrum sequuti, Palantiæ utriusque, majoris & minoris possessiones, à Palatinis Rheni Ecclesiæ Trevirensi donum accessisse, in vulgus temerè sparserunt, cùm novitios hosce Palatinos, Regum munera, Præsulum merita, olim vindicatione intercipere conatos,

Meginensis.
Meyen & Meyenfeldt.
Palantia in spec. Saxon.
Die Pelletz.
Orig. Palat.

ad

ad cessionem, & juris præsumpti condonationem descendisse, scriptum oportuit, ut Ludwici Palatini tabulis, quas de Munstermeinfeldio, & arce Turonia Balduino Archiepiscopo anno MCCCXIV. dedit, aliisque documentis, si res poscat, ostendere, in expedito sit & proclivi. Sed in viam redimus.

XI. Loganahgowa ut supr.

Loganæ pag Limburgensis Ecclesia.

Trans Rhenum numeratur etiam Loganæ pagus, ab ipso ferens rivo vocabulum; hinc & in Ecclesiæ Limburgensis antiquitatibus, sacratam illam sedem observavimus in pago Loganæ, monte Limburgi, Cuonrathi Comitis, mox Conradi primi Regis & Ducis auspiciis exstrui cœptam: atque ab hujus Ecclesiæ tutela Limburgensium dinastarum exstincta quampridem gens, duxit originem.

Einrichæ pagus. *Chron. Hess.* Einrichia terra, & Gerich. *Ad Ludovici C. ...stenstein ...*

Nec obscurus eadem regione terrarum fuit Einrichæ pagus, inspectionis Trevericæ, cujus hodieque vocabulum in Trevirorum, & Catzenelebogensium ditione manet.

XII. Trevericæ Ecclesiæ dominatus

In his itaque pagis, ut dicere exorsi eramus, cùm Archiepiscopi vectigalia & fundos amplissimos, & veteri more, vim hominum ac mancipiorum, vel suis adversus Imperatores, & Rempub. promeritis, vel præstantium pietate Regum munificentiâ, vel denique parsimoniâ, & diligenti rerum œconomia, peperissent; ipsi, cùm ad cupidorum injurias propulsandas, tum parta majorum vectigalia conservanda, retinendumque bonis artibus, quæsitum à majoribus imperium; & crebras tota ditione fundarunt arces; & tuta propugnatoribus receptacula condiderunt; quorum custodia tutelaque in fortium atque nobilium virorum fidem permissa; hos insuper beneficiorum & vectigalium quasi pignore, obstrictos fecêre sibi clientes.

Nobilitatis & stemmatum origines.

Quippe fidissimis quibusque, & pace belloque spectatis, agros & possessiones dividebant, eâ quidem lege fruendos, ut onerum immunes ac tributi, jus fundi cederent muneris autori; ut, ad quem sæpe, mascula stirpe nulla nascente, denique fundus ipse rediret. Eveniebat ergo non rarò, ut his opibus freti homines frugi, & rei gerendæ avidi, ab ejusmodi locis & titulum quærerent nobilitati, & continuâ rerum benè gestarum in posteris hærente memoriâ, felici propagine gloriam transfunderent eandem in nepotes.

XIII. Priscæ nobilitatis religio & pietas ut in annal. claret innumeris locis.

Jam hi verò, quæ pietas majorum eximia fuit, amplificatas à majoribus in immensum facultates, studio accensi divinarum rerum, & humanarum pertæsi, ceu memores, opes illæ, ex quo olim fonte profluxissent, non rarò, seque ipsi, & universas possessiones Christo consecrabant, B. Petro Apostolorum principe nuncupato, scriptòque bonorum suorum hærede.

XIV. Imperio Germaniæ inclinante, accessiones opum ad Principes revolutæ. *Ad Iohann Pfing. Episc. Numburg. de rep. Germ. sub Rudolpho I. & Carolo IV. S. M. Cosmograph. l. 3. c. 21.*

Quamobrem stabilitis ad hunc modum, & confirmatis, auctisque diœcesis opibus; accessit denique ex Imperii magis atque magis inclinantis egestate atque penuria, maximum rei amplificandæ momentum. Quippe, cùm Treverici Pontifices magno domi forisque profuso sumptu, moventibus bonis erogandis, & nervum suppeditarent Imperatoribus bello publicè gerendo, & impensas præberent Regibus, dignitatem eorum privatim fulciendo; ipsi Imperatores, cùm æri alieno solvendo non essent, rerum non moventium liberandæ fidei pignus opponebant: atque ita postremò, sortem novis subinde creditis mergentes, tantùm non suffocabant. Hinc auctum quoque principalis fastigii culmen.

Ministerialium veterum usus & stirpes.

Neque verò ante hanc Septemviralis conditionis speciem, sive publicè ad imperii salutem, seu privatim ad muneris tuendum splendorem, hic opes ac potentium obsequia desiderasses. Apparebant namque familiæ illustres Principi suo ad honorata ministeria; unde & Ministerialium nomen profluxit, Lutzelburgii Duces, Marschalli, seu rei equestri; Isenburgii dynastæ, aulæ Præfecti; Brandeburgii, qui Clervei domini, pro Architriclinis agniti. Dapiferatum gesserunt, Helffensteinii. Supremi Camerarii in gente Orleya; hæreditarii in Ascha vel Eschia vixerunt. Defensorum munus in Alckiorum stirpe viguit.

XV. Oppidorũ & conventuum origines.

Cæterùm arcibus ac munitionibus, quas ferè nobilitas insedit, uti diximus constitutis, municipes & agricolæ partim saluti atque otio consulentes suo; partim injuriam ac vim potentiorum, à quibus opprimerentur, declinantes, Archiepiscoporum se domiciliis atque castellis propiùs admovere, ac dein coalescere in cœtus atque conventus; ac jure tandem municipali, ac oppidorum donari privilegiis, cœpêre; quo nos instituto pleraque Trevericæ ditionis oppida, faventibus, quin & mœnia ipsis addentibus Archiepiscopis, ex convenarum & inquilinorum cœtu Phalburgerios appellarunt, orta constitutaque, certum & exploratum habemus.

Phalburger. ambigua vox in utrãque partem. Conf. Henric. & Sigismundi reg. & aurea bulla Caroli 4. c. 16. de Phalburgeriis.

Wilhelmus Kyriander commentar. Aug. Trev. parte 15. in Balduino & Cunone.

Atque has quidem opum ac patrimonii sacri æquissimas accessiones, ætate quasque suas in Annalium corpore illustrandas, extra ordinem hîc enucleatè ac distinctè proposuimus; ut nempe clariùs appareat, quo animo ad scribendum Augustæ Trevirorum commentarios, is accesserit, qui nimis quàm temerè ausus est Principatus Treverici, & supra Septemviralis potentiæ memoriam antiquissimæ retrò ditionis origines, velut ad quandam Syllani temporis referre messem; omniumque fas & nefas, avaritiæ, tyrannidi, & cupiditati majorum, etiam Pontificum hujus Ecclesiæ, quin & Imperatorum ceu improbis largitionibus adscribere. Sed Annalium series, & ipsa temporum ratio conditioque illum exiguo negotio post redarguet.

XVI. Trevirensis provinciæ dotes.

Salubri est ac temperato cœlo Trevirensis ager; maximamque sui partem, nec amœnitate caret, nec frugum copia necessariarum. Et si verò regio collina vel montuosa, abundet saltu plurimo atque aspretis, extant inter hæc tamen agri salubres, & fundi fertilitate sua pingues; qui planis campis, ut magnitudine fructuum cedant alicubi; messem tamen optimam & restibilem vel seriùs procoquunt, & justo fenore cultori reddunt.

Messis fœcunditas.

Ipsæ montibus atque collibus undique inclusæ valles, alendo pecori bonæ: ut ex Dicæarchi sententia, Pastionem hîc esse videas & agriculturam affines; & pastorum cum agricolarum vitâ, secundùm Varronem, instar tibiæ dextræ ac sinistræ, conspirasse.

Pastio & agricultura.

Nam frugi agricolarum ea passim industria; ut nullam agri partem, quæ modò spem proventus,

& operæ pretium aliquod polliceatur, aut ignavia squalere, aut silvescere patiantur incultu.

Pabuli copia ad alenda pecora.

Qua verò ob ingenium loci, ut regione Eifliæ, & Hundesruchi jugis finitimâ, ægrè tellurem perfringunt aratra, hîc avenæ proventus, & sanèquam lætæ pecorum pastiones; videasque passim errare ovium caprarumque greges, & boum armenta; quæ in seram usque brumam, pastus hisce montibus capessunt.

Suum pastus.

Sed & Suilli pecoris magnam vim glandariæ silvæ nutriunt atque faginæ; quo ex animante, sua quoque in exteros redundat utilitas:

Feræ & earum parata copia.

quin & feri sues, aprive & cervi nemoribus his pascuntur frequentes: horumque venatio, cùm in omnem partem expedita, tum capiendi facultas impertita quàm plurimis. Saltus autem atque dumeta lepores tanto numero pererrant, ut nullius feræ crebra perinde agricolis obvia sit præda.

Volucres.

Volatilium etiam, sive cicurum sive ferarum, sobolem non raram atque infœcundam ad aucupium, ac venatum, educunt solitudines, vepreta, saltus atque piscinæ. Nam rusticulæ & anaticulæ feræ, galli silvestres anserum magnitudine, perdices, turduli, palumbes, ardeæ, aliaque id genus altilium capiuntur. Vis alaudarum etiam, statis anni temporibus, incredibilis. Pavonum & Numidicarum Gallinarum facilis his quoque regionibus sagina; nec iners aut degener fœtura.

XVII. Deliciarum repressus usus.

Fortè jam hinc Attagenas Ionicis persimiles, Phœnicopteros ad patinas linguis eorum explendas, Porphyriones & Phasidis aves, à Treviris exspectent ii, quibus peregrini & ignoti ruris aucupia præ domesticis & contritis magis arrident. Verùm, ut istæ deliciæ Trevirorum mensis olim non abfuerint, minimè dubium est, quin his benigniùs natura consuluerit, quos dapibus paratis & facilioribus côtentos esse jussit, quàm quos ob escarum & voluptatis ingluviem, Solem neque orientem, neque occidentem videre permisit: ut meritò nostratium quorundam avenam, uti veteres Persarum nasturtium, mensis eorum prætulerîs, quibus lege Sibaritica de Coquorum præmiis, vel de palati ac macelli ambiguis pretiis disceptare, mos est.

XVIII. Obsonia. Luxus piscium. [illegible]

Ad obsonia venimus, ubi principatum habet piscis, qui ὄψον & ὀψάριον appellari priscè meruit. Et intelligitur, quid dediti luxui & ganeæ nepotes sibi voluerint, cùm scilicet in littoribus se cœnaturos profitebantur, quasi non unius amnis, sed externi multiplicis remotique littoris famem obsonaturi, ostreas à Lucrino lacu, à Benaco anguillas, Tarento pectines, Echinos à Miseno, Accipenseres Rhodo exspectabant.

Mosellæ pisces.

Quantò his feliciores accolæ Mosellæ, quorum in uno fluvio tot ludunt squamigeri gregis chori, quot isti gurgites vix ex orbis diversis in unum contrahant littoribus; & quibus domi nascuntur tot amnicæ stirpis alumnorum examina, ut vel ingenioso Poëtæ difficile fuerit, eorum nomina & species edere.

Edyllium Mosellæ Auson. enarratum à Paulo Douez, Soc. IESV.

In manibus est Mosellæ Edyllium nuper Mussiponti inter Epigrammata selecta à nostris hominibus, luculento quoque Commentario illustratum: atque in eo hujus fluminis piscium omnis natio ex bonis authoribus scitè pictéque describitur. Quanquam tantam eorum copiam & varietatem Mosellam potiùs in Ausonii Chartis & aliorum enarrationibus, quàm in suis mensis fortè admirari soleant: & ridere quoque eorum palatum, quibus post Tincas, Alburnos, Alausos,

Tanche. Blyen. Alsen. Aloses.

Lucius haud ullos mensarum lectus ad ausus
Fervet fumosis olido nidore popinis:

Lucius.

quasi verò sua decesserit autoritas Lucio, cujus vulnera tincarum astrictu & insperso muco ferunt coalescere, cujus astrictior caro sanè multùm vincit cæterorum mollitiem. Jam etiam ut parùm compertus

nullo spina nociturus acumine REDO,

Redo, an, Loche Bellonii?

sic vereor ut gustatum non oculos, solùm effugiat

celeri levis VMBRA natatu.

Umbra.

quod piscis genus mari & fluminibus nasci solitum, & lineis obliquis aurei coloris à dorso descendentibus inumbratum, se frustra inter Mosellæ pisces Bellonius quæsiisse fatetur.

Pisces nobiliores.

Pisce fluviatili cum alio tamen abundat regio, tum ad delicias mensarum, salaris, * truttæ, salmonum ingentium, qui amnem hunc ex Oceano ad fœturam subeunt; Percæ, cancrorum, lupii vel lucii, & mulli barbati, cùm ex ipso Mosella, tum & omnibus undique paulò majoribus rivis, magna suppetit copia.

* Truttæ nonnullis salares, qui in salmones transire creduntur.

Sed mustelæ sive murenæ, quæ vulgò lampreda; atque Farioni, quæ & patrio sermone Forella; vel præcipuis in epulis honos.

XIX. Mustela.

Mustelam coloribus planè poëticis in hunc modum depinxit Ausonius:

Quæq; per Illyricū: per stagna binominis Istri,
Spumarū indiciis caperis Mustella natantum,
In nostrum subvecta fretum, ne lata Mosellæ
Flumina tam celebri defraudarentur alumno.
Quis te naturæ pinxit color? atra supernè
Puncta notant tergum: quā lutea circuit iris.
Lubrica cæruleus perducit tergora fucus.
Corporis ad medium furtim pinguescis: at illinc
Vsque sub extremā squalet cutis arida caudam.

XX. Murena.

Murenæ genus Ausonium hic celebrare vides, quod ἐξορμεῖν & à natalibus aberrans à mari flumen hoc, ut & alia piscium genera, nonnunquam subeat.

Scaliger ad Mosellæ Edyll. Manu. ad ep. fam. Cic. l. 7. epist. 26.

Murænarum namque genera duo: alterum fluviatile, æquoreum alterum; marinam, Theophrastus, parvis, ait, esse branchiis; extraque minutis fucatam maculis; intra verò aristis obsitam, ore ut anguillæ in summo rostro, nec eam progressum facere natatu, sed serpere: quod genus in hoc fluvio rarissimum esse constat. Amnicum verò, quod & in fluminibus nascitur & degit, in vulgus piscatorum est notissimum: rectéque apud Athenæum Dorion, illud à marino separavit; quia spinam duntaxat unam habeat; quanquam & aliæ notæ, quibus internosci ab advena possint; nam & in atro tergo maculosæ; os infra rostrum; branchiæ septenis foraminibus inclusæ. Plinius quoque in Gallia Septentrionali murænis omnibus affirmat,

Lib. 9. c. 23.

dextra in maxilla septenas inesse maculas, quæ ad formam Septentrionis aureo colore fulgeant duntaxat viventibus, pariterque cum anima extinguantur. Sed id ipsum in nostris omnibus, an paulò secus sit, incompertum, Pinnis amnicas liquet non ab utroque latere, cæterorum more piscium, subremigare; sed in extre-

in extremo dorso his ipsis pinnis adjutas, per undas niti, ferrique corporis quodam impetu: itaque nec serpendo progredi, ut marinas; nec pinnarum un remigio, ut pisces cæteros.

XXI. Silurus aut Sturio.

Silurus autem, quem Ausonius præter morem innoxium & mansuetum laudavit, vix accolis Mosellæ notus. ait namque:

Hic tamen, hic nostræ mitis Balæna Mosellæ
Exitio procul est, magnoq; honor additus amni.

Negat Dalecam. Monstrum Plinio nominatum l. 9 c. 15. quem locum V. C. Iustus Lipsius correxit epist. quæst. ep. 13. Ioseph. Scal. ad Auson.

Aliud profectò ingenium Siluri, quem Plinius contra Dalecampium agnovit; nam illum grassari ubicunque, omne animal appetentem, & equos etiam natanteis sæpe demergere tradit, præcipuè verò in Mœno Germaniæ amne. Sed Ausonium non malè censent, qui Siluri nomine volunt Sturionem significasse, quem piscatores norunt, furtim, an errore, nonnunquam in Mosellam illabi. Et non ita multos effluxisse nos scimus annos, cùm in amne Sura, qui Salmonum captura nobilis, Sturio captus est latitudinis pedum binûm, septenûm verò longitudinis.

XXII. Symmachi censura de Ausonii Mosella.

Quanquam, permissâ Poëtis licentia Ausonium, in Mosellæ laudatione plusculum indulsisse ingenio, & huic amicitia pares, & ejus ætati suppares, non dissimulasse visi. Verba Symmachi sunt ad Ausonium:

Epist. 1.

Novi ego istum fluvium, cùm æternorum Principum jam pridem signa comitarer, parem multis, imparem maximis. Hunc tu mihi improvisò clarorum versuum dignitate, Ægyptio Nilo majorem, frigidiorem Scythico Tanai, clarioremq; hoc nostro populari Tiberi reddidisti. Nequaquam tibi crederem de Mosellæ ortu ac meatu magna narranti, ni certò scirem, quod nec in poëmate mentiaris.

Piscium copia & varietas.

Unde illa amnicorum piscium examina reperisti, quàm nominibus varia, tam coloribus: ut magnitudine distantia, sic sapore? quæ tu pigmentis istius carminis supra naturæ dona fucasti: Atqui in tuis mensis sæpe versatus, quum pleraque alia, quæ tunc in pretio erant, esui objecta mirarer, nunquam id genus piscium deprehendi. Quando isti pisces tibi nati sunt in libro, qui in ferculis non fuerunt? Hæc Symmachus.

Cyprini.

Præter fluviatiles hos, Cyprinos, quos carpiones appellat vulgus, nutrit ingenti numero, quæ tota passim ditione stagna visuntur capacissima.

XXIII. Lacus duo memorabiles. Primus apud Lacense Monasterium.

In his meminisse par est, duos amplitudine ac amœnitate inclitos lacus in editis sitos montium, nec Cosmographorum literis prætermissos. Alterum apud Ripanos, multis naturæ prodigiis insignem, qui Lacensi Monasterio nomen & famam dedit, paremque complexu Agrippinensium Coloniæ, ad annum MCXII. in corpore Annalium descripsimus.

Ulmelanus alter in Eiflia. Pisces fatales.

Alter apud Ulmelam priscorum Militum Sedem, Eifliæ tractu agnoscitur, Maris vocabulum sortitus: in hoc perhibent prægrandi corpore pisces repertos tricenûm & duodenûm pedum magnitudine, lupis non absimiles; quos fatales arcem gentilitiam incolentibus & mortis internuncios, ubi se in conspectum darent, extitisse narrant.

Lacus altitudo.

Altitudinem hujus lacus, qui immissa bolide explorarunt, eos post trecentarum ulnarum dimensionem, ferunt, gurgitem non assequutos.

Opportunitates variæ variorum locorum.

Jam denique nulla provinciæ pars est, cui non insignem aliquam opportunitatem ad incolarum victum, cultumque natura compararit.

XXIV. Vineæ. Pecuaria. Cæduæ.

Nam, ut de Mosellæ tractu sileam, sublimi vite jugata, partu & alimonio vini fructuoso, quæ ab eo paulùm modo recedunt loca, aut venatu, & re pecuaria, ad quam Varro Gallos dixit appositissimos, arborumque confectione, & omni materia sive culta, sive silvestri; aut solo, quod probè subactum, non sat modò ferat colonis, sed & impertiat largè vicinis; aut rivorum & fontium amœnitatibus æquè ac emolumentis, aut arborum felicium læto proventu, aut jucundissimis apum laboribus, expressisque cerâ favis, aut avenæ fœnique pabulo, commendata.

Acidulæ. Herbæ medicis expetitæ.

Quid de acidulis aquis fontibusque dicam, quorum ut numerus hic magnus, ita laudata ab medicis salubritas? Prætereo salutarium radicum & herbarum copiam, quam non ubilibet obviam, tam non facilè parabilem, hic vel nativo fatu blandientium, vel invitantium utilitate; quarum quid quæque polleat, quæ vis earum atque natura sit, quibusque nominibus eas discriminent, investigant medicorum pueri.

XXV. Metalli fodinæ.

Visuntur & argenti, æris, plumbi ferrique fodinæ locis aliquot, sed hæc soli felicitas ignara vel imbecilla metallicorum opera, periculo metuque sumptuum, & spe minimè corroborata, jam pridem elanguit.

Georg. Agric. l. 1. de re metallica in utramque partem.

Et verò, ante non explorato diligenter operæ fructu, inconsultus talium rerum ausus, locupletes persæpe familias & domus hausit & afflixit. Porro ferrariæ plumbeæque & trans Rhenum apud Vilmariam argenti secturæ, fatis adhuc ex voto & feliciter ierunt: Ex quo præsertim argenti venæ Lotharii Principis auspiciis diligentiùs elaboratæ; qui ob hoc reconditum divinæ beneficentiæ munus anno MDCXVI. Dalerorum monetam cum hac inscriptione procudit: DONVM DEI EX FODINIS VILMARIENSIBVS, Et ex ferro liquato ingens lebetum vis, impressæque typis laminæ, ad hibernos fovendos hypocaustis calores conflatæ, exportantur hinc in varias Germaniæ regiones.

XXVI. Metalla Treverica à Kyriandro malè oppugnata. Parte 15. in Canone.

Cæterùm hæc abdita naturæ opera autor Commentarii Augustæ Trevirorum, nescias, an huic Ecclesiæ inviderit, cùm inter alia capita Regalium, quæ Augustæ memoriæ Carolus IV. Cunoni Archiepiscopo concessit & addixit, quoddam de metallica re inciviliter exagitat, quo Cæsar nimirum Cunoni & successoribus jus, dominium, & receptionem omnium argentariarum, seu aliarum minerarum in ditione vel districtu Trevirensis Ecclesiæ, earum, quæque repertæ, quæque adhuc erui possint, attribuit stabilitque; non obstantibus quibuscunque privilegiis, statutis, legibus, usibus per quosvis superiores etiam Cæsares, concessis, factis, vel introductis.

Ecclesiæ Tr. jus in fodinas.

I. Cuiacius ad 11. l. Cod. tit. 7. de Metallariis & metallis.

Equidem in Justitiæ foro quid sapiat is, qui rerum Principi ac supremo fundi Domino præstituat liberalitatis & beneficii modum, eidemque jus de fodinis & terræ venis præfiniat, arbitrari rerum peritos, quàm hîc disceptare malim.

Minera in Regalibus. Conradus consensu juris interp. c. 1. v. Argentaria in usib. feud.

Neque enim, quia jus fodinarum à multis labefactatur, & in alienum solum extra limites cuniculi aguntur, aut etiam quibusdam in locis Principis

aut Regis beneficio, venæ inventoribus capita fodinarum assignantur, idcirco vetus erogatio infirmari, aut in controversiam adduci debet id, quod Imp. publicis tabulis sanxivit, & in quod amplissimè signavit; cùm omne præsertim metallum antiquitùs Cæsari vectigale exstiterit, jusque id ipsum non rarò, ad Principes cum Regalium beneficio sit translatum. Sed redeo.

Georg. Agric. l. 4. de re Metallica. l. C. de Metallariis. & apud l. Com. l. 5. de feud. Fridericus Imper. consuet.

XXVII Lapides, ac tegulæ.

Onychii quoque lapidis multiplex apparet species, quatuor millium circiter spatio ab sancti Wandelini oppido: Chalcedonium appellat vulgus: Extant & in Meinfeldiæ, ac veteribus Ripariorum arvis latomiæ frequentes, quibus ad varios usus lapides extrahuntur: laus summa datur molaribus apud Mendichium effossis; quos in longinqua similiter evehit spes & cupido quæstus. Pumicosus etiam hîc nascitur; cujus in igne perpetiendo mira durities: expetitus quòque statuariis & architectis, cui à jecore inditum est cognomentum. Adhæc effoditur item, qui humidis substructionibus, & quas aqua subluit, ita gaudet, ut magis iis obfirmetur, & indurescat, vulcanique pulvis ejus, quod de Puteolano Vitruvius prodidit, faciendis & fundandis in gurgite molibus. Prætermitto marmorum lapicidinas, calcem fossitiam, & toto penè Mosellæ tractu obviam vim illam imbricum & tegularum ex petra & fissili lapide, qui cùm ornandis ædificiis, tum protegendis repertus, non minorem affert passim structoribus utilitatem, quàm decorem structuris. Et de provinciæ dotibus plus forsitan satis; neque enim hæc minuta conquirere, & persequi singula fuit consilium; ac nonnulla fortè, ut in agro consito flores, sua quæque sponte internata, quæ prætereat alius, carpet domesticus.

Tegulæ ex petra.

FINIS PROPARASCEVES.

NOTÆ

NOTÆ ET ADDITAMENTA AD PROPARASCEVEN ET ANTIQUITATES TREVIRUM BROWERIANAS,

R. P. IACOBI MASENII E SOCIETATE IESU.

PRÆMONITIO.

QUAMVIS in hac Proparasceve sua Browerus, ut erudita, sic fecunda in plerisque dissertatione versetur; tamen occurrunt, in illa Antiquitatum caligine, & sublimi, quo delectatur, orationis genere, quæ nonnunquam luce indigeant. Præsertim ubi de illis veterum monumentis sermo, quæ nobis edax ac ruinosa vetustas, aut invidit integra; aut suis hinc inde latebris abdita, velut intermortua quædam corpora de sepulchris eruta, in lucem postliminiò refundit. Quorum, cùm figuras aliquot Calcographorum labore subjectas oculis, ne posteritatem fugiant, exhibeamus; operam dedi, ut, sive illæ à Browero, sive à me post illum observatæ fuerint, aliquam ab expositione, quantùm assequi licuit, claritatem nanciscerentur. ne Lector, tanquam ad mutam quandam scenam, absque interprete, spectator consisteret. Inveniet opinor, non incuriosus Antiquitatum vestigator, aut etiam novorum operum artifex, quæ non pigeat observasse. Licet Veterum rerum parùm cupidis his non suadeam immorandum: Cùm unde aliis voluptatem nasci sciam, inde fastidiosis antiquitatum ingeniis nausea soleat oboriri. Non idem omnibus desiderium. Solem pulcherrimum cœli [illegible], quamvis aquila, & pleræque terrestres creaturæ adament, noctuæ solent fastidire. Nunc ad certa quædam Antiquitatum capita Notas Additionesque quasdam, illustrandi gratiâ, subjiciam.

Antiquitates, ut delectent, intelligêdæ sunt.

AD CAP. VI. PROPARASCEVÈS NOTÆ ET ADDITAMENTUM.

De Auctore Trevirorum Trebeta, & historiæ nostræ fide.

I. Trebeta Nini filius communi veterum traditione autor Treberorum est.

COnstans illa fuit Majorum traditio, multorum quoque, ut Browerus non diffitetur, Historicorum tabulis signata, quæ Treberorum, seu Trevirorum, conditorem primum Trebetam Nini Assyriorum Regis filium esse statuit. Sed, quod perspicacem exercitatique judicii virum non fefellit, erroris suspicionibus obnoxia. Quocirca inter varia rationum libramenta, tanquam incerto fluctuans pondere, suum Lectori cuilibet arbitrium deferens, ipse denique à Trebetæ fautoribus abit, & ad Gomerum, ejusque filium Ascenez, Germanorum Galatarumque parentes, quorum ille ex Japeto Noë filio genitus, declinat.

Quæ sententia, cùm à nonnullis Trevirorum, atque ipso etiam Antistite illorum, id temporis supremo, Philippo Christophoro, parum benevola interpretatione excepta sit: ut si tot veterum scriptorum monumenta, quibus Trebetam sibi autorem, citra cujusquam refragationem vendicant, in ipso statim Annalium exordio Browerus convellat & aspernetur, adeoque inter primas historiæ sub typo retractæ causas, hanc in fronte Elector collocet: bona opinor Broweri veniâ suum Trevirenses sibi Trebetam conditorem poterunt vendicare; quando is, ceu quodlibeticum versatus argumentum, in una dissertationis parte pluribus eundem Historicorum testimoniis pro Treviris assertum ivit. Non invitus suum à Gomero autore translaturus judicium, si quorundam superfuisset censuræ, statuentium, non facilè à sententia multorum sæculorum traditione firmata discedendum. Nam hanc, tot præsertim scriptorum suffragatione nixam, sua possessione dejicere, nisi indubiæ veritatis assertor, nemo poterit. Quâ in disceptatione, cùm potissima historiæ Trevericæ pars, hactenus mundo ignorata, & nonnisi privatis tabulis archivisque condita, in discrimen aliquod fidei vocetur, si paucis hoc loco excurram, veniam spero à non ingrato Lectore merebor.

II. In re historica autoritati scriptorum, confirmata traditione multum tribuendum est.

Et primò quidem, non satis intelligo, quid obstet quo minùs sola traditione hæc origo ab antiquissimis temporibus, ad longam retrò posteritatem transmitti potuerit. Prisca ætas, ut majori hominum paucitate, sed diuturniore illorum vita celebratior; ita in librorum historiarumque scriptarum penuria firmiore memoria res gestas complectebatur, & audie-

batur in majorum suorum origine (quæ cupidissimè excipitur) avidiùs. Neque ulla de re differendi materia copiosior, aut à senibus magis frequentari solita: præsertim ubi se illa memorare intelligit, quæ nullis scriptorum monumentis sunt divulgata. Ut ejusmodi originem per mille ac plures annos sola commemoratione propagari facilè potuisse sentiam. Jam verò, quis ignorat veterum Gallorum Germanorumque usum, nondum hisce temporibus inter tot librorum copiam prorsus obliteratum, quo nobilitatem & facta Majorum suorum carminibus mandata, quotidianis in cantionibus, ne quis nesciret, usurpata, sine periculo oblivionis posteritati relinquebat. Cujus beneficio nisi literata hæc & Christiana ætas veterum odas, ob superstitionem admixtam eliminâsset, quin de primis Trevirorum autoribus, & plura, & certiora teneremus, nihil dubito.

Priscis carmina pro libris historicis serviabant.

III. Deinde quòd antiquissimis hic etiam à Christo temporibus, cum vera religione floruisse literas Ecclesiasticamque per has disciplinam ad gentes posterosque traductam constet, Trevirensem ego historiam in manuscriptis repertam, non ante pauca tantùm natam secula, sed priscis etiam proavorum temporibus censeo inserendam. Cujus antiquitati nequaquam deroget, quod in manuscriptis codicibus diu latuerit, priusquam in lucem produceretur. Id quidem cognovimus ante annos ampliùs trecentos à laudatissimo Trevirorum Archymista Balduino archivum Episcopale omni curâ excussum, & quidquid antiquarum literarum ad historiam Trevericam & jura possessionesque ac privilegia spectabat, id certo ordine modoque in suos digestum libros, hodieclum magno boni publici privatique emolumento, in manibus Electoris Capitulariumque versari. Et colligendis quidem in unum Volumen Regum, Cæsarum, ac Pontificum diplomatibus, totiusque historiæ epitome ex veterum scriptis conficiendâ adhibitum esse, ex Urbis senatoribus, virum doctrinâ ac pietate conspicuum, Ordolphum Scholerium, qui adultiori jam ætate, sepositis curis publicis, literis ac pietati extremos vitæ annos consecravit, ex vetusto Metropolitanæ Ecclesiæ codice in membranis exarato intelligimus, quando autographi Ordolphiani descriptor, qui anno MCCCLXII. in vigilia S. Andreæ absolvit, tale autori Ordolpho carmen pangit.

Trevirensis historia licet serò producta, prisca tamen autoritate fulcitur.

Balduini Archiep. jussu per doctum integerrimumque virum Ordolphum Scholerium ex archivis collecta.

Ordolphus tot as [illegible] consolidavit istas,
Quem Baptista pie, vivere fac requie.

Unde apparet Ordolphum, qui historiam diplomatumque veterum collectionem anno jubileo salutis nostræ MCCC. cum bulla indulgentiarum Bonifacii Pont. finierat, jam ante sub Balduino, aut Boëmundo Archiepiscopo, in festo S. Joannis Baptistæ defunctum esse, quàm membranis hisce prototypon mandaretur. Ordolphum verò probatissimæ vitæ senem (qui Parthenonis ad Pontem Leonis reparator insigni munificentiâ ac pietate fuisse memoratur) nil nisi ex archivo diœcesanis produxisse, ut Balduinus instituerat, nobis jure persuademus, adeoque defuisse hactenus Treviris autores, qui communicanda pluribus in libros transferrent, non verò authoritatem scriptorum manifestum est. His igitur de suâ origine differentibus nolle fidem adhibere, si absurdum nihil adynatonque proferatur, nimium severi in historia judicii esse interpretor.

IV. Aliud etiam est, quod me in hanc mentem impellit; cur omninò dissentire nequeam. Illa videlicet urbis & monumentorum antiquitas atque amplitudo, quâ ante Romanorum adventum cæteris per Galliam Belgiumque urbibus celebratior eminebat, ut Trebetam olim huc ex Oriente profugum, in hanc urbis regionem, illum, quem apud Assyrios viderat, ædificiorum splendorem usumque traduxisse sumimus. Nam & amplissimos Babylonis muros, & pensiles in aëre, immani opere, hortos, & pyramides, aliaque id generis monumenta Semiramidis novercæ ingenio ac molimine excitata ignorare non poterat. Quæ ubi æmulatione quadam exprimere novis in sedibus hospes cœpit, nihil mirum, si repentè abs se nomen, incultis hactenus Mosellanorum arvis, Trebeta reliquerit.

Trevirensis urbis vetustas primùm in Gallia adsensis culta ac celebrata fuit.

V. Nunc illa, quæ Broweri fidem gravant, obiter expendamus. origines populorum, affectatione admirationis & antiquitatis obscuras plerumque dubiasque, adeoque commentis veterum obnoxias existimat. Non diffiteor; sed cùm originem aliquam habere sit necesse, ut negare omnem insanum est, ità probabiliter assertam nolle admittere, erit inconsultum. An enim quia Babylonicæ turris, constructio & confusio, unde tot novarum origo gentium, admiranda & antiqua est, idcò erit neganda? Sed historiæ, ait, tam seris conscriptæ sæculis, quæ tutò poterit haberi fides? ut si omnia quæ serò in lucem producta sunt, serò etiam literis sint commendata. Multa in archivis hodiedum latent, multis retrò sæculis exarata, & vel serò, vel nunquam donanda luci publicæ; an iccirco falsa? Olim scriptores & typi defuêre, quibus nunc abundamus, & tamen recondi adhuc multa antiquitatis monumenta, tot libris hoc primum sæculo, iis per Galliam Germaniamque repleti, manifestè testantur. Ordolphum, cujus ante memini, Browero nunquam innotuisse, aut ab archivo Metropolitano traditum fuisse sentio; verùm aliorum, sive ex illo, sive aliunde depromptis usum narrationibus; cùm præter jam dicta variis manuscriptis historiam Trevericam Majores nostri complexi sint, & eandem quatuor diversis exemplaribus, duobus in membrana perquàm antiqua, totidemque in chartâ recentioribus possideam: ut neque ab uno, neque eodem tempore concepta esse liqueat, tantóque eorum fides possit esse securior, quantò magis diversis res una lineamentis est adumbrata. Quod in omni assertione tutissimum est, plurium nitimur testificatione.

Antiqua probabiliter stabilita rejicienda non sunt.

Quæ ex archivis antiquis producuntur, fidem merentur.

VI. Verùm ipsam secum historiam pugnare Browerus arguit, quam ego, dum altius expendo, nihil difforme loqui deprehendo. Orosius, inquit, memorat Trevirim mille trecentis ante Romam conditam annis, cui Marianus Scotus familiari Trevericis versu suffragatur:

Ante Romam Treviris stetit annis mille trecentis.

Nihil repugnans ab iis traditur, qui Trebetâ autore Treverim ferunt excitatam.

Cùm tamen Trevericus scriptor Nino, Trebetæ parenti, hos annos ante bellorum ipsius tribuat exordia, Trebetam post quinquaginta primùm annos Treberorum faciat conditorem. Sed quis non videat rotundum ab iis, præsertim in carmine usurpatum numerum esse, & hanc annorum cæsuram proprio, propiúsque rem Trevericam tangenti autori relictam? verùm & Hero, ait, Trebetæ parentis in hac gente regendâ successor, monumenti sepulchralis epigraphen Patri condidisse latinis versibus in historia memoratur, cum Latius id ævi sermo prorsus fuerit apud Treviros ignoratus qui Romanis solùm Dominis sub Cæsare sit introductus. Sic enim habet. *Hero patris sui merita tabulæ marmoreæ inscripsit, quam ad ejus memoriam pariter & futurorum notitiam, cum eo recondidit ad instar hujusmodi*

MS. hist. Trev. cap. 1.

Nini Semiramis, quæ tanto conjuge felix, &c. Verùm & ante Cæsarem Latiam apud Gallos linguam receptam fuisse pluribus infra argumentis de *Academicis literarum studiis*, videbimus; cùm hanc gentem sæpiùs in Italiam sese ex solo fecundissimo populorum exonerantem latere potuerit. & quamvis ignorata id ætatis fuisset; tamen cùm hujus scriptor historiæ non ipsius sepulchralis epigraphes idioma, sed solam reddere sententiam his verbis, *ad instar hujusmodi*, satis insinuet: nihil ex proprietate sermonis certum eruitur, quin potiùs similem inscriptionem, non eandem à se dari profitetur.

VII. At Browerus urget, quod eosdem, quos à Trebeta deducit Treviros mox à Gomero, Japeti filio rectiùs derivet; ut facilè appareat scriptorem delirare. Vehemens insimilatio; sed audiamus loquentem: *Anno*, inquit, *ante urbem Romam conditam MCCL. urbs Treviris in Europa ab autore Trebeta profugo condita est anno XII. ætatis Abrahæ Patriarchæ. Originem gens, quæ incoluit eam de Gomer filio Iaphet, filii Noë, duxit, & ex candore corporum nomen assumpsit. Gens & urbs antiquissima, antequam in Europa gentes aut urbes fuerunt; sed quæ sunt, vel ex illâ, vel post illam esse cœperunt.* Nihil hîc delirum, nihil Trebetianæ pugnans origini. Imò concors planè tam profana Assyriorum, quàm sacra Moysis historia est. Nam qui juxta Africanum & Eusebium est annus Nini Assyr. Regis 52. & ultimus, adeóque imperantis Semiramidis primus inchoatus, hic constanti Chronologorum calculo est Abrahæ nati decimus, Mundi 2048. quibus si biennium adjicias, quod profugo Trebetæ ad novæ urbis in Europa juxta Mosellam auspicia necessarium fuisse sentimus, annum mundi conficies 2050. qui est juxta probabilem calculum ante Christum 2003. ante Romam conditam 1250. Abrahæ duodecimus. Unde Chronologiæ hujus Trevericæ sat probata ratio declaratur, atque Orosii historia firmatur; quæ annis quinquaginta Monarchiam Assyriorum, Ninum, Trebetæ patrem, amplificasse tradit. Jam verò quod Trebetam conditæ urbis autorem nominat, repertámque ab ipso in Europa (adde & juxta Mosellam) gentem à Gomer oriundam, an hæc non possunt, ex aptissimo quidem nexu, sociari? Non contendimus, Trebetam ex Assyriâ, Semiramidis novercæ libidinem irasque declinantem, integro Assyriorum exercitu, ut Æneam postea in Italiam, sic in Gallias, expugnatis antè Europæis penetrâsse; sed in navi cum paucis profugum, ad Europam appulsum ac variis regionibus oberrantem, tandem conciliatis sibi Mosellanis, nondum eò loci frequentibus, istic consedisse profugum, vagúmque per agros, contraxisse, in urbem opportunam situ, commeatúque, populum; ac primùm magnificis in Europâ operibus civilem societatem excoluisse, quo potissimùm officii genere admirationem sibi famámque conciliârit, lubentésque sub communi legum disciplinâ collegerit accolas.

MS. hist. c. 2.

Treviris urbium in Europâ antiquissima est.

Euseb. in Chro. cap. 2.

Oros. l. 1. c. 4. Vide Brow. c. 4. Proparasc.

VIII. Mosellani à Gomero oriundi, à Trebeta primum ad civilem vitam exculti sunt.

Quod si igitur Browerus tantùm contendat, Mosellanos Gomero parente ortos, neque iccirco Trebetam excludat, jam consentimus. Nolumus Treviris tam gloriosum invidere sui nominis autorem, qui cùm esset regii sanguinis juvenis castitatis amore ductus, impuros novercæ Semiramidis amplexus, cum vitæ discrimine respuere maluerit, ignotásque profugus terras oberrare, quàm nefando scelere, licèt in regali auro ac purpura, contaminari. Quæ cùm Browerus prolixè satis disputet, ac præter illa, quæ nos dedimus pro Trebeta conditore argumenta, gemino hanc veritatem capite abundè stabiliat; ut multò in adstruendo, quàm destruendo fecundior feliciórque visus mihi sit, cupidum plurium de origine Trevirorum lectorem ad ipsius dissertationem remitto, & quod tot historicorum veterum juxta recentiúmque assertionibus receptum fuit, nobis inter postremos scribentibus immotum censeo relinquendum

AD CAPUT VIII.

NOTÆ ET ADDITAMENTUM.

De Gallorum in Orientales non minus terras, quàm Occidentales effusione, in quibus præcipui Treviri, à Germanis denique ingruentibus suis vicissim in sedibus occupati.

Quæ Browerus de alternante inter Gallos Germanosque fortunâ, quâ cis ultraque Rhenum prolatis armis, in mutuas sese infudêre sedes, bellandi & imperandi cupiditate incitati; hæc ultra hos etiam terrarum fines cum Gallis, seu (ut alii loquebantur) Galatis, Treviros provexit. Nam, ut teste Cæsare, *Gallorum fortissimi Belgæ*; ita judice Pomponio Mela, *clarissimi Belgarum Treviri*, habetque iccircò hos etiam Cæsar exercitatissimos, quòd *proximi Germanis sint, qui trans Rhenum incolunt, quibuscum continenter bellum gerunt.* Verùm ut primùm Galatis, seu Gallis, ita deinde Germanis annumerati sunt Treviri, Celtarum verò nomine Gallis Germanisque communi, accepti semper. Germanorum constanter nomen adhæsit, postquam hi ad inferiorem transfusi Galliam, hæc ipsa inter Rhenum & Oceanum loca insedissent.

I.

Cæsar. lib. 1. Mel. l. 3. c. 5.

Treviri Gallis primùm, atque in his, Belgis, deinde Germanis annumerati sunt.

sent. Cæterùm vix natio ante Christum, si Romanis suum decus relinquas, Gallis celebrior. Hi in oriente Græciam, Macedoniam, totamque Asiam; in occidente Italiam, Hispaniam, Britanniamque victricibus armis peragrarunt, & Germanos ultra Rhenum lacessere sunt ausi, dum irritatos, ut aiunt, crabrones proprium denique in caput verterunt, Cimbris, Sicambrisque ac denique Francis in suæ gentis ruinam ac servitutem provocatis.

Galli olim celeberrimi latè in Europa dominabantur.

II. Longum ea sit, per ingentem historiarum circuitum evolvere, quæ integris vix satis voluminibus complectamur. Antè Annibalem quinquies illi superatis Alpium jugis penetrarunt in Italiam, vixque in sua magnitudine assurgentem Romam, vastatis circum regionibus deseruêre, Capitolinâ solùm arce reliquâ, quam etiam victores, nisi anserum obstrepentium garritu proditi, tenuissent. Sub Dionysio verò Siculorum Tyranno evocati, *cùm in Italiam*, ait Justinus, *venissent, sedibus Thuscos expulerunt, & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, Vincentiam condiderunt.* De iisdem pergit alibi, ac bellicæ virtutis jungit encomia. *Gens*, inquit, *aspera, audax, bellicosa, quæ prima post Herculem, cui ea res virtutis admirationem & immortalitatis fidem dedit, alpium invicta juga, & frigore intractabilia loca transcendit. Ibi domitis Pannoniis per multos annos cum finitimis varia bella gesserunt. Hortante, dein successu, divisis agminibus, alii Græciam, alij Macedoniam, omnia ferro proterentes, petivêre. tantusq; terror Gallici nominis erat, ut etiam Reges non lacessiti, ultrò pacem ingenti pecunia mercarentur.* Et libro insequenti. *Gallorum ea tempestate tanta fecunditatis juventus fuit, ut Asiam omnem velut examine aliquo implerent. Denique neque Reges orientis, sine mercenario Gallorum exercitu ulla bella gesserint, neque pulsi regno ad alios, quàm Gallos confugerint. Tantus terror Gallici nominis, sive armorum invicta felicitas erat; ut aliter, neque majestatem suam tutam, neque amissam recuperare se posse, sine Gallica virtute, arbitrarentur. Itaque in auxilium à Bithynia Rege vocati regnum cum eo parta victoria diviserunt, eamq; regionem Gallo-græciam cognominarunt.* Solùm Duce Brenno post Delphicum Appollinis templum spoliatum infelici sorte jactati, cùm Tectosagi ex Gallis in patriam Tolosanam reversi immani peste conflictarentur, non antè liberandi, *quàm, Aruspicum responsis moniti, aurum argentum bello Sacrilegiisq; quæsitum, in Tolosensem lacum mergerent, quod omne, magno post tempore Capio Romanus Consul abstulit. Fuêre auri pondo CX. millia, argenti pondo quinquies decies centena millia, quod sacrilegium causa excidii Capioni exercituiq; ejus postea fuit.* Unde ad divites infelices proverbium dimanavit; aurum illos possidere Tolosanum.

Iustin. l. 20. in fine.

Italiam invaserunt.

Lib. eod. 24. post init.

In Asiam quoque se effuderunt.

Lib. 3. post init.

Clades Gallorum post Delphos sacrilegè vastatos.

Aurum Tolosanum infelix.

III. Altero deinde orientales Galli sive Galatæ, infortunio mactati, positis armis, sedibusque ad quietem delectis, pacem bello præhabuere. Sacra Machabæorum historia hanc illorum cladem memorando exponit certamine, quod Judas magis indicat, quàm describit; cùm adversus Nicanorem suos ad prælium animaret. Meminisse enim jubet *prælii, quod eis adversus Galatas fuit in Babylonia, ut omnes, ubi ad rem ventum est Macedonibus sociis hæsitantibus, ipsi sex millia soli peremerunt centum viginti millia, propter auxilium illis datum de cælo.* Verùm hæc illorum inauspicata cum Judæis & Romanis militia, felix novæ sub Christo militiæ auspicium Gallis, in Galatia à se dicta quiescentibus, fuisse haud immeritò videtur. Siquidem inter primos istic orientis populos, quos Christo sociavit Apostolus, Galatæ memorantur, hoc est Galli, iique potissimum Trevirenses, ut quos D. Hieronymus, utriusque gentis præsens explorator, suo etiamnum ævo, eâdem pene cum Treviris lingua usos affirmat. adeoque illa fuit populi Treverici felicitas, ut quà domi, quà foris, in oriente juxta atque occidente, illic quidem ab ipsismet Apostolis, hîc à submissis per eos discipulis primo ad fidem orthodoxam seculo traducti sint. Quam non injuriâ fortem suprà omnes mundi opes fortunasque collocabimus. Quanquam in hac nativa sede tantò fortunatiores Treviri habendi sint, quòd à tradita semel per Apostolicos legatos fide nunquam hactenus deflexerint.

2. Mach. c. 8. Galli à Judæis ingenti clade in Asia profligati.

Lib. 2 Comment. ad Gal. Sedes in Galatia bonis auspiciis ad fidem elegerunt.

IV. Negligendum verò non est, quod Galli olim Germanique sub uno Celtarum sint nomine accepti; donec hi illâ, quæ ad Rhenum est, Celticâ regione occupatâ, Gallos depulerunt, & Germaniæ hanc nuncupatione insignientes, Celticum nomen ad Galliam ulteriorem Sequanamque & Garumnam flumen amandarunt; tum enimverò, & Treviri Germanorum in censu haberi cœperunt. Dionem Cassium, Pliniumque hac de re audisse juverit. Sic ille: *Galatæ*, ait, *omnes Narbonenses, Lugdunenses, Aquitani, & Celtici, tàm ipsi, quàm ipsorum coloni: Celtarum enim quidam, quos modò Germanos appellamus, cum omnem, quæ ad Rhenum est, Celticam occupassent, ut Germania diceretur, effecerunt. Superior, quæ à Rheni fontibus incipit, inferior quæ ad oceanum usque Britannicum porrigitur.* Quàm latè verò in Galliam sese Germani infuderint, & quo inter eos loco fuerint Treviri, Plinius non incuriosus explorator meminit. *Litus*, ait, *oceani septentrionalis in læva, donec perveniamus Gades, totum hoc mare ad Scaldim usque fluvium Germanæ incolunt gentes.* & distinctiùs postea. *A Scaldi ad Sequanam*, inquit, *Belgica, ab eo ad Garumnam Celtica, eademq; Lugdunensis, Inde ad Pyrenæi montis excursum Aquitania, Armorica antè dicta. A Scaldi incolunt exterâ Toxandri pluribus nominibus, deinde Menapii, Morini, Oromansaci, juncti pago qui Gessoriacus vocatur, Britanni, Ambiani, Bellovaci, Hassi: introrsus Castologi, Atrebates, Nervii liberi, Veromandui, Suevoni, Suessiones liberi, Vlbanectes liberi, Tongri, Sunici, Friscabones, Betasii, Leuci liberi, Treviri liberi, (antea, quàm Galba imperaret) & Lingones federati, Mediomatrices, Sequani, Raurici, Helvetii, Colonia Equestris & Rauriaca. Rhenum autem accolentes Germaniæ gentium, in eadem provincia Nemetes, Tribocci, Vangiones. Hinc Vbii, Colonia Agrippinensis, Gugerni, Batavi, & quos in Insulis diximus Rheni.* Ubi pleraque antiquarum per Gallias gentium nomina colligis, simulque Treviros, nunc

Treviri denique Germanis accesserunt.

Dio Cass. l. 39.

nunc Gallis seu Galatis, nunc Celtis Germanisque vides accenseri, quos eosdem Pomponius Mela inter Belgas excellere statuit. *Aquitanorum*, inquit, *clarissimi sunt Ausci, Celtarum Ædui, Belgarum Treviri.* Quæ ad antiquæ hujus gentis gloriam, majori autoritate stabiliendam, commemorare est visum. Lib. 3. cap. 6.

AD CAPVT XIV.

NOTÆ ET ADDITAMENTUM.

De Aquæductibus, Fontibus, & Subterraneis meatibus.

I. Antiquæ passim urbis sub nova Treviri ejusque campis subterranea monumenta.

QUI Treverica hac tempestate urbis fundamenta altiùs scrutantur, perque vicinos latè campos terræ viscera fodiendo penitiùs subeunt, jure mirantur urbem penè alteram sub hac urbe campisque Trevirûm, veluti sepultam, delitescere. Cùm alia atque alia priscorum operum monumenta suffodientibus sese offerant. Aulas diversis locis integras, tessulatis magnâ arte & industria lapidibus stratas, reperias, de quarum usu aliùs nobis infrà occurret dicendi locus. Inveniuntur & subterranei meatus, vel ex lapide nativo, vel solidè prorsus excocto, quandoque & secto marmore non in pavimento minùs, quàm lateribus ac fornice coagmentati, qui etiamnum variis locis, contra multorum sæculorum injuriam durando supersunt. Ex quibus alii traducendis tantùm, ex remotissimis nonnunquam fontibus, aquarum rivulis deserviunt: alii recipiendis etiam hominibus, eisque, vel in persecutione occultandis, vel ad loca procul seposita transmittendis sunt idonei. Neque enim existimandum est, hoc loco Christianis inter tam diversas Tyrannorum persequutium insidias, aut etiam barbarorum incumbentium vim, tuta defuisse ad declinandas injurias perfugia. Nam, ut Romani vix aliter, continuatam ab Apostolis per aliquot sæcula ad posteros fidem, nisi in cryptis latibulisque subterraneis tutati sunt; ita & Treviros fecisse his indiciis credimus; ut qui admissam semel à discipulis Apostolicis religionem, perpetuâ ad Constantinum usque, successione prosecuti sunt. Non privato solùm cultu, verùm Episcoporum etiam inauguratione nunquam intermissâ.

Aquæductuum & cryptarum varii sub terra meatus extant.

II. Quare non solùm binis ternisve hominibus simul recipiendis meatus capaces, longéque sub terra protensos reperias; sed veluti cellas & conclavia quædam patentia, multis simul hominibus recipiendis idonea. Memorant certè in transpontano S. Pauli (olim Apollinis) monte, longo tractu, vias ac receptacula subterranea versus Eiffliam Arduennámque procurrere. Quæ belli ac persecutionis tempore effugium receptúmque afflictis præbuisse ex diversorum locorum non obscuris vestigiis constat. Ita quoque ingentibus ab urbe spatiis aquas ad eandem per subterraneos canales, rivulorum magnorum capaces, derivatas esse, testatur etiamnum in suis ruinis eminens aquæductus, qui ad pagum Olevianum tendentibus occurrit ad radices vitiferi montis, ubi per vallem sese ipsáque montis juga suis explicare faucibus, alibi integris, semidirutis alibi, fossorum labore compertum est, ipsáque capessendæ hic ad urbem viæ ratio evincit.

Illud magis etiam admirandum, ex aquis Riverinis infra Treviros in Erubrum sese infundentibus, gemino aquæductu exceptis, integræ facile diei itinere, si per montium vallium que flexus canales sequamur, aquas olim in palatium Trevericorum Principum esse derivatas. cujus hodiedum variis locis, hiantis jam obstructique passim, operis rudera visuntur. tam pretiosæ Romanis erant aquæ, procul è rivis aut fontibus petitæ, ut multis has opibus haberent potiores.

III. Fontes acidi & dulces varii. *Sylva Acad. cap. 30.*

Ceterùm per varias fontium, cùm acidorum, tum dulcium scaturigines, quorum sex supra triginta D. Jacobus Meelbaumius Electoris Treverici hac ætate Consiliarius in Treviratu censet, multùm præsidii atque oblectamenti, tam ad patriam universam, quàm ad populosissimam hanc quondam urbem derivatum fuisse, quis ibit inficias? Quatuor facile illorum modico ab urbe itinere inter silvarum circumjacentium umbracula è pratis scaturiunt, ad quotidianum avidè potum quæsita; quando & salubri frigore, nec ingrato acore, sitientium fauces proluunt; & sanitati non minùs, quàm necessitati consulere feruntur. His igitur aliisve aquis ad commodiorem usum traducendis mirum non est, si Romanorum industria desudârit; cùm nullæ ipsis opes, quàm in ejusmodi opera, quæ admirationem cum utilitate conjungerent, rectiùs impensæ viderentur, gentiúmque devictarum spolia sic in memoriam fructúmque posteritatis reconderent. quo potissimùm nomine æternis literarum monumentis celebrantur.

IV. Aquæductus Treverico-ubius biceps.

Nec obiter prætereundum, quod hoc loco Browerus (sat parcus admirandorum operum deprædicator, necubi in fide periclitetur) meminit repertum Marcomagi lapidem, ex cujus inscriptione constiterit, Agrippam Augustæ generum, altero suo consulatu, è Trevirensi agro, per millia passuum triginta novem, ad Coloniam Agrippinensem aquas corrivâsse. Quod tamen è transmosellanâ regione factum censet, docéntque reperta illius aquæductus etiamnum manifesta vestigia, & longi viarum militarium tractus, per agrum Trevericum ab extremis illius terminis, perque Juliacensem & Coloniensem regionem Agrippinam usque deducti, quos ultimos Gelenius in *suo Sacrario* per longum pagorum urbiúmque aliquot ordinem, ipse plerisque locis oculatus testis inspectórque, prosequitur ita, ut Coloniâ in pagum Efferen, hinc ad Montem S. Walburgis, Cardorffium seu Cari pagum monumentis Romanorum celebratum, ad terminos archidiœcesis Coloniensis & arcem Buschoven. Inde per silvam Paffenhart, ubi Aquæductus rusticorum sæpè latibulum est, intérque Monasterium Eiffliæ & Antweilerium huic proximè affunditur: donec altiùs occidentem versus per Eiffliam enixus Celteniacum, quod Keltenich à Celtis dicunt, vario se librat propter montes circuitu, ac denique celebre Religiosorum Monasterium Steinfeldiam, nec procul hinc Marcomagum

Coloniensis Aquæductus ab ipsa urbe ad caput, unde ducitur descriptio.

tangit, circa quæ rivus Orffa in Aquæductum lapsus infundit se refunditque. An fortè sufficiendis cùm deficerent, & regerendis cùm abundarent aquis, non definio. Certè non procul inde apud Orffæ fontes, juxta Caput gentile seu Heidenkopf, iste qui Agrippinam vergit Aquæductus, altérque haud multo post intervallo, infra Smitdheimium, qui Trevirorum, pari propemodum spatio locorum, regionem secat, ut Sedulus nostrarum antiquitatum vestigator P. Alexander Wilthem Societatis nostræ, non vana designatione observavit, atque in topographica charta, cum affini territorio rivísque ac fluminibus exhibuit: ita quidem, ut origo capútque novi Aquæductus juxta Smidtheimium ab ejusdem Orffæ fontibus oriatur, eductúsque Juncradium supra arcem Gerrensteníanam occiduo tramite per medium Kyllæ flumen transeat, séque, Budeshemio à læva relicto per Milonis-silvam Bitburgum versus, atque inde supra Trevericos Apollinis montes Wasserbillichium ad Mosellam usque transferat, per totidem penè ex Eifflia (quæ olim quoque Treverici juris fuit) passuum millia, quot alter, qui Coloniam se porrigit, Aquæductus complectitur, quem antea, novem & triginta passuum millibus procurrere, tradidi. Neque fallit Aquæductus toto hoc itineris designati tractu minimè anceps observatio. Cùm diversis locis supra communem viarum planiciem ita emineat, ut ex opposito latere commeantes occultet homines, & tesserulis supernè Romana arte stratis siccum curribus hominibúsque transitum longis spatiis præstet, æquè promptum hieme, quàm æstate commeantium iter, multisque te locis, per aulam tessulato artificio, ac marmoreo stratam lapide incedere arbitreris, eo solùm discrimine, quòd aliquo præter cælum, tecto destituatur. interior tamen canalis, licet solido constratus fornicatúsque lapide, nunc cocto, nunc sectili, vix tamen ultra tres pedes in latitudine, in altitudine quaternos quinósve complectitur, nisi cùm quibusdam intervallis admisit receptacula quædam aquarum majora, ubi copiosiores, velut ex itinere fessæ, respirent.

Treverieus unde suam ducat originem, quâque viâ incedat.

Multis locis egregiis adhuc operibus eminet.

V. Et hæc mihi sententia, quæ ex Eifflia ab Orffæ fontibus geminos Aquæductus, alterum Trevirim, alterum Agrippinam derivat, longè illâ, quæ à Treviris unum eundémque Aquæductum ad Ubiorum Coloniam destinat, apparet certior. Nam quis credat, per tot montes vallésque, contra cæterorum ex Eifflia in Mosellam defluentium cursum fluminum Romanos in altum, aut voluisse, aut potuisse moliri Canalem, per quem aquas derivarent? At è diverso ex illo Eifflia loco (quamvis per quædam præcipitia) rapi, suísque devolvi meatibus aquas potuisse, diversarum inde aquarum commeatus in Rhenum, aut Mosellam rivi demonstrant. Sed quo ille, qui Coloniam ingrediebatur, canalis effuderit aquas loco, Gelenius diligens scrutator explanavit

Causa utriusque Aquæductus ex Eifflia derivandi.

VI. Juverit ex eodem nonnulla hoc loco recitâsse. *Priusquam*, inquit, *vastam illam Basilicam egrediaris, lector, illud adhuc, & inter potissima velim observes; quod est ad latus meridionale inter duas columnas monumentum, non procul ab altaribus S. Mariæ Magdalenæ, & S. Nicolai, ejusq. statuâ muro affixa: in pavimento videbis ostiolum, oblique lapidibus occlusum, nec rectà in orientem versum, oblongum veluti sepulchrum, aut aditum ad subterraneam cellam. Id, quis crederet? dicunt esse aditus ad Canalem Romani aquæductus, qui meritò inter mundi mira, & miraculi instar habetur, si ejus conditionem rectè æstimamus. Tendit is ab hoc loco (ubi etiam, ante extructionem summæ ædis, visebatur castellum aquarum) quà clanculario subter, quà arcuato super terram, quasi fusili opère (iterum dico, quis non miretur?) usque ad, vel per altissimos Eifflia montes. Inde verò idem, vel similis labor Romanæ industriæ potentiæq. porrigitur ad Trevirensis urbis fines, paululum supra Treviros, ubi Wasserbillich cernitur, in Confluentibus Mosellæ & Suræ situm. Id docent, non solùm continua à Majoribus accepta narratio, fabellis tamen quibusdam à plebe inspersa; sed etiam evidentissima toto illo tractu, & propè continua vestigia, tum in ipsa Colonia subter domos urbanas, ad Ervariensem portam procurrentia, tum extra eam, illâ visenda serie, quâ mox recensebo.*

Gelenius lib. 3. Sacr. Syntag. 1. § 7.

VII. Hæc Gelenius, qui dum causas hujus tam procul à Trevericis agris deducendæ ad Ubios aquæ explorat, sibi aquam hærere profitetur; cùm Balneis, Fullonicæ, Cloacis, Naumachiæ, Circis, lacubus, & urbanis fossis, Rhenus urbem alluens sufficere potuerit. Hanc verò deinde ex Tacito (quæ Romanâ urbem causæ his impleverât aquęductibus) in similibus operibus promit. *Ne segnem*, inquit, *militem attinerent, ille* (Paulinus Pompeius Dux Neronianus) *inchoatum ante tres & sexaginta annos à Druso aggerem coërcendo Rheno absolvit: Vetus* (alter Ducum) *Mosellam atque Ararim, factâ inter utrumque fossâ connectere parabat: ut copiæ per mare dein Rhodano & Arare subvectæ per eam fossam, mox fluvio Mosella in Rhenum, exin oceanum decurrerent. Invidit operi Ælius Gracilis, Belgicæ legatus, deterrendo Veterem, ne legiones alienæ provinciæ inferret, studiaq. Galliarum affectaret, formidolosum id Imperatori dictitans.* Post hæc ex Stephano Broelmanno Gelenius subjicit, à M. Vipsanio Ubiopolis in citeriore ripa conditore, sub alteram Galliæ præfecturam canalem unà cum urbe cœptum esse, & Claudii Cæsaris ope absolutum, qui postea collapsus sub Caracallâ Imper. instauratus fuerit; à Francorum verò Rege Childerico, post Coloniam, Moguntiam, Trevirimque excisam, rursum dirutus.

VIII. Nec absimile vero est, Claudium hoc opus apud Ubios Trevirosque molitum esse; cum idem Romæ non minus stupendum, ut Lipsius in suis Admirandis observavit, opus aggressus est, qui sic Plinium loquentem introducit. *Vicit antecedentes aquarum ductus novissimum impendium operis, inchoati à Caio* (Caligula) *Cæsare, & peracti à Claudio: quippe à quadragesimo lapide, ad eam excelsitatem, ut in omnes urbis montes levarentur, influxêre Curtius atque Ceruleus fontes. Erogatum in id opus HS ter millies.* hoc est, septem nostri milliones & semis. Et *siquis*, ait idem Plinius, *diligentius æstimaverit aquarum abundantiam in publico, balneis, piscinis, domibus, euripis,*

Lipsius in Admirandis de Rom. Magn. lib. 3. cap. c. XI.

hortis,

hortis, suburbanis villis, spatioq; advenientium extructos arcus, montes perfossos, convalles aequatas, fatebitur, nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum. Quae Treviri jure quodam suo aptaveris, ubi diversi aquaeductus ad amphitheatrum, ad urbem, ad Palatium Imperatoris, ad Hadriani arcum, subtus ipsum etiam Mosellam, ut alibi constabit, solidissimis canalibus, qui duos homines transeuntes caperent trajecti sunt. Ex his intelliges Aquaeductum illum geminum, quem ex agris Eiffliacis hinc Treviros, inde Coloniam Ubiorum à Romanis deductum tantis locorum spatiis statuimus, & in tabula Geographica rudi opere designamus, nihil ab illius gentis usu alienum complecti: causas autem ducendorum ejusmodi canalium fuisse plures. Nam Romanis longâ experientiâ militandi doctis compertum erat, militem otio in luxuriam inertiamque solutum prorsus enervari, atque idcirco, diversorum operum fabris Magistrisque ad exercitum assumptis, distributo per legiones labore subsistentes legiones occupabant. Hinc locis hisce, quibus adversus Germanorum aliarumque gentium irruptiones ad Rheni aliorumque fluminum custodiam, frequentes semper alebant copias, tot veterum fundamenta ac rudera operum, à caeteris deinde gentibus neglectorum; quòd par conservationi emolumentum non responderet. Deinde provida Romanorum cura fuit, ut exercitus itinere expedito, praesertim hiemali saepe ac pluvio coelo, ex una in alteram regionem transferri possent. Unde ab iisdem summa industria militares per utramque Belgicam Galliamque viae complanatae stratae que, quarum cùm optimae illae sint, quae subtus cavae humores è terra assurgentes non excipiunt, pluviásque facilè transmittunt, geminum Romani ex his Aquaeductibus captabant emolumentum; alterum militaris viae; alterum aquarum, quas ex Aquaeductibus, variis locis in lateribus patentes praebentésque aditum, pro se & jumentis, puras sanásque haurirent. Ut ridiculi illi, in hac nostra historia, conjectores fuerint, qui vina his canalibus imposita Coloniam usque devecta existiment, quando Mosella Rhenúsque huic muneri sufficerent. nec ex aliis, quam Eiffliacis, ubi vina desunt, agris hos Aquaeductus derivatos esse, rationi non minùs quàm historiae congruat; cùm istic Marcomagi lapidem Agrippae autori inscriptum testetur Browerus repertum esse. Ruit igitur & illa Agrippinensium fabula, quâ memorant certatum inter Aquaeductus hujus artificem, & metropolitanae istic aedis structorem; fore, ut is citiùs è Treviris perductum Coloniae in ejusdem basilicae clivo fontem sisteret, quàm suo haec aedes opere absolveretur, idque cùm praestitum stuperet, dolerétque se victum industriâ Ecclesiae artifex, sese ex alto egisse praecipitem, opúsque cum vita abrupisse, cui perficiendo par nullum hodie reperiatur ingenium. Haec enim otiosorum hominum commenta esse facilè agnoscet, qui cùm Agrippae seu Romanorum certè Aquaeductu, aedis illius multò post excitatae tempora componet. intelligétque pari fabella Amphitheatri nostri Treverici & Aquaeductus Oleviani substructionem, ut postea tradam, ornatam esse.

Cur ejusmodi Aquaeductus sint excitati.

X. At subterranei illi meatus, hominúmque receptacula, quae in persecutione hostium ultro citróque commeantium usibus deservirent, haud minùs apud Treviros, quàm Romanos olim fabulosi censeri debent. Nam ut ante Romanorum illic latè imperantium tempora urbs quandoque & patria in factiones divisa, suis adhaerebat factionum principibus: ita plerique horum munitas arces turrésque insidebant, quarum etiamnum plures apud Treviros extrà intráque urbem extant, pleraeque quadrangulares; unóque patentes ostio, caeterùm fenestris tam exilibus, paucísque, ut per eas hominibus transitus non pateret, adeò firmis lateribus, ex imo ad summum ingenti altitudine, sine tecto sub fornice excelso assurgentes, ut igne nullo conflagrare, arietibus balistísque quassari dejicique non possent: nec hac quidem aetate pyria globorum machinarúmque bellicarum admotâ vi, disturbari queant, ut experimento non semel adhibito constat. Ex his porrò turribus, cùm fame aliísque incommodis premerentur, aut per subterraneos calles auxilia ab amicis accipiebant, aut etiam sese ad tutiora subducebant, obsidione & spe hostium frustratâ.

Munitae veterum turres & subterranei ab his transitus.

AD CAPUT XV.

ADDITAMENTUM.

De Amphiteatro Trevirensium, & quibusdam aliis monumentis antiquiquitatum huc spectantibus.

I. Amphitheatri quoque Treverici ad pedem Martii collis, ubi primùm versus meridiem assurgit, rudibus adhuc fundamentis superstitis reliquias visamus. Oculis locum, circique ad orientem & occidentem etiamnum molliter ad sedilia spectatoribus praebenda assurgentis colles in figurâ exhibeo. Verùm moneo tantisper illum, quem in arena exhibeo lapidem animo seponas, dum caetera quae circumstant, expendamus. Geminas ante omnia portas, quae aditum in arenam circumque praebent, vides. Semirutis illae tantùm fundamentis supersunt, & quadraginta circiter ab introitu primo ad exitum complectuntur passus. quo spatio & turres (quarum aliquas ante triginta annos adhuc integras vidi) captivis continendis idoneas, & diversa ad scalas gradúsque quibus sedilia amphitheatri spectatores adibant, ostia continebantur: nunc distractis, quantum licuit à Dominis fundi lapidibus, ad extrema rudera, ruditatémque cuncta redacta sunt, quod magis deplorant, qui suis adhuc locum muris hac aetate cinctum se memorant conspexisse, Quae A litera signatur porta meridiem spectat, ut opposita in B septentrionem. Media caveae area centum facilè passuum longitudine procurrit, latitudine exaequat sexaginta & passus aliquot, atque uterque clivus, quo cingitur ad orientem facilè passibus quadraginta, ad occidentem pluribus etiam leniter extollitur, aptumque sedibus collocandis tergum praebet,

Amphitheatri Trevirensis locus.

Rudera portarum & turrium reliqua.

Longitudo ac latitudo caveae.

bet, quod nunc partim graminibus, partim vinetis, ut figura docet, vestitur.

II. Ferarum receptaculum.

Ad occidentem collis vitifer in declivi versus urbem loco, cavea sese minor, litera F signata aperit, quæ suis quidem in aditu oppleta ruderibus, in recessu tamen sub monte muris fulta fornicibúsque procurrit latiùs, exitúmque ab opposita collis parte versus arenam ostendit, ut appareat in hanc caveam feras conclusas, laxatísque portis in Amphitheatri arenam, cum hominibus ad certamen emissas esse. Hæc paucis, quando cætera Amphitheatro propria hîc penè omnia obliterata videmus. Arenæ etiamnum & caveæ locus ovali satis figurâ eminet. portarum utrimque aditus suis muris distinctus, collésque hinc & inde in semicirculum curvati, sedibus & ambulationibus recipiendis idonei, manifestam Amphitheatri formam exhibent.

Colles, utrimque vitiferi, olim spectatorum sedes fulciebant.

Captivorum ferarúmque receptacula per totum penè circuitum, stantibus etiamnum sub monte fornicatis operibus ducta hodiedum supersunt. Verùm murus interior arenæ impendens cum ostiis, quibus feræ immittebantur, podióque sibi imposito, quo spectatores à ferarum insultibus defendebantur, retibúsque seu clathris ferreis ad feras arcendas obtentis, tum gradibus, aditibus, viis, cuneis, sedibus, præcinctionibus, porticibúsque sublata sunt, nullo vestigio remanente, ut de his, qualia omninò quotque numero fuerint, nîl possim statuere; sed ex Romanorum hæc amphitheatrorum descriptione petenda sint. ad quorum utique formam hîc, & primùm instituta, & à Constantino Mag. adhuc gentili fuerint reparata. Ut ille Belgarum panegyrista in oratione Treviris ad hunc Imper. in Urbis natali recitatâ non obscurè his verbis significat. *Video hanc fortunatissimam civitatem ità cunctis mœnibus resurgentem, ut se quodammodo olim gaudeat corruisse, auctior tuis facta beneficiis: video Circum maximum, æmulum credo Romano.*

In Orat. paneg. ad Constant. M.

III.

Eundem verò Constantinum captos illic hostium duces, cum militibus in spectaculum produxisse, vel ut cum feris, vel ut secum gladiatorio certamine dimicarent, ex eodem panegyrico manifestum est, *Quid, inquit, hoc triumpho pulchrius, quòd cædibus hostium utitur, etiam ad nostrum omnium voluptatem, & pompam Munerum de reliquiis barbaricæ cladis exaggerat? Tantam captivorum multitudinem bestiis objici, ut ingrati & perfidi non minùs doloris ex ludibrio sui, quàm ex ipsa morte patiantur?* Ejusmodi ludi, ad populi oblectationem præbiti, Munera dicebantur; cùm gratuita Imperatorum, aut Procerum liberalitate præberentur.

Vide Rosinum lib. 5. antiq. Rom. cap. 23. Et Iustum Lips. de amphith. c. 4. & seq.

Pompa verò erat ipsa ad circum, vel amphitheatrum (quæ hoc loco Orator confundere videtur, cùm alius pro Circo locus, quàm à nobis propositus, hîc Treviris non deprehendatur) deducta variorum ordinum processio, quæ suis insignibus, habitúque, atque officiis distinguebatur. & à Capitolio persorum ad Circum maximum duci solebat, in qua juventus patritia egregiè culta ducebat in equis agmen, quod deinde implebant quadrigarii, bigarii, singulariúmque equorum agitatores, post quos athletæ leviorum graviorumque certaminum verecundas partes subligaribus campestribus tecti, at nudi cætera.

Consueta spectaculorum pompa, quâ in arenâ prodibant.

Hos sequebantur chori saltantium diversi; & primò quidem virorum, dein juvenum, denique puerorum, qui militari ferè in habitu galeis cristísque insignes erant. Singulos præibant choros duo, alter choragus, tibicen alter, quorum ille saltum militarem prævio motu, hic cantu moderabatur. Quo saltu, quem Pyrricham vocârunt, & Palladis inventum post Titanas debellatos ferunt, plerumque in victoriis utebantur, & ductis in eâdem pompâ captivis, adversus bestias, vel seipsos pugnaturis, suis veluti armis insultabant. Hos Satyrici, qui priorum saltibus distorto motu illudebant, ponè sequebantur, in ipsis etiam funerum pompis, ad luctum risibus temperandum adhiberi soliti. Postremò, ut & suus Diis in hoc ludicro honos esset, post citharœdos tibicinésque, idola in ferculis deferebantur, illorum præcipuè Deorum, quorum honori pompa esset consecrata. ut simulacrum Martis, cui gladiatores; Dianæ, cui venatio & pugna ferarum; Jovis, cui pompa victoriosa, & curules ludi; Ditis, cui funebres sacri erant. His in media arena super aram constitutis, à Consulibus aut aliis proceribus Sacerdotibusque ante omnia immolabantur victimæ. Et hi Deorum omnes sanguine delectari credebantur, præcipuéque post Martem & Ditem Diana, quæ Taurica seu Schytica dicebatur, & Jupiter Latiaris.

IV. Lapis antiquus Deorum in arenâ propositorum, & pugnãtium simulacra exhibens.

Et huc facit lapis ille, in media amphitheatri arenâ a me cum suis figuris propositus, quem priscis insertum Metropolitanæ ædis mœnibus, quibus suæ olim immunitatis aream sepserat in D. Licentiati Jacobi Clotheni domo reperi, illísque, quæ vides, signis Deorum in arâ caveæ stantium, hominúmque hinc atque inde pugnantium lineamentis adumbratum, utique ad exemplum in amphitheatro spectatum efformatus. Unde & ego ad hanc arenam, velut locum sibi debitum transtuli. Et licet plerorumque vultus frontémque, si solam in medio heroidem demas, nobis vetustas abstulerit: tamen ex eis, quæ reliqua sunt, cæterorum nobis conjectura est desumenda. Siquidem in medio lapide à dexteris quidem Jovem, à sinistris Martem, cum hastâ propemodum obliteratâ, in medio Dianam cum venabulo ac reti, & illos quidem succincto, velut ad pugnam, habitu, spectari sentio.

V. Qui nudi, qui vestiti depugnaverint.

A læva dextráque diversorum gladiatorum effigies inferiori maximè parte conspiciuntur, & tales quidem, qui ab hoste capti nudatis pro ludibrio corporibus, ad certam ferè mortem in arenam producebantur: cùm aliàs in gladiatoribus pro victoriâ certantibus rarò nudi, sed tectis plerumque brevi tunicâ corporibus, subinde etiam in togis speciosè exornatis prodirent. quod à Munerum editore ejúsque liberalitate & arbitratu pendebat. Unde idem, qui supra, Orator de Constantinianis ex captivitate dimicatoribus ad ludibrium productis: *inde*, inquit, *est, quod cùm exitium differre liceat, perire festinent, seséq; lethalibus vulneribus & mortibus offerunt:* Nempe cùm se post ludibrium morti certæ destinatos viderent, noluerunt hanc spectatoribus

An. Car. XV.

toribus ex certamine longius ducto favere voluptatem; sed gladiis in mutua vulnera cædemque directis invisam sibi vitam abrupere. Hæc veterum ethnicorum barbaries pudoris miserationisque prorsus expers fuit. quam Seneca philosophus, licèt gentilis, fuit in epistolis detestatus est.

Epist. 7.

Quidquid, inquit, ante pugnatum est, misericordia fuit. Nunc omissis nugis mera homicidia sunt. nihil habent quo tegantur, ad ictum totis corporibus expositi. Nunquam frustra mittunt manum, non galeâ, non scuto repellitur ferrum. Manè leonibus & ursis homines, meridie spectatoribus suis objiciuntur. Interfectores interfecturis jubentur objici, & victorem in aliam detinent cædem. Exitus pugnantium mors est.

VI. Constantinus Magnus abolet gladiatores.

Eo igitur modo sub Constantino pugnaturos, non est mirum repentè in mutuam corruisse necem, ut properato exitu, & suam calamitatem, & spectantium oblectationem abrumperent. Unde verisimile mihi est, in proposito à nobis lapide, ejusmodi Constantiniani spectaculi imaginem exhiberi, quod cæterorum gladiatorum, qui non ut hostes, sed voluptatis causâ in arenam producebantur, plerique, aut tunicâ, aut certè subligaculo honestatis gratiâ cincti prodirent. Quanquam amarent nudis dimicantes spectare corporibus; ut, quo loco, quantámque plagam acciperent, darentque invicem, oculis distinctiùs subjiceretur.

Hi spectacula delet, quæ jam Christianus, lege latâ, sublatis.

Verùm crudelis hæc voluptas denique Constantino ad saniorem mentem religionemque converso, adeò displicuit, ut quam priùs avidè ad ejusmodi spectacula anhelabat, tam postea ferventer detestaretur. Unde hæc non solùm Treviris, sed ab universo Romano imperio anno salutis 325. lege latâ sustulit, ut suo loco cognoscemus.



VII. Inter pugnantes Retiarii erant.

At nonnulla in exhibito schemate difficultatem patiuntur. Cùm mutilum illud sit, & plerisque pugnantium, ob amissos & malè etiam inter se compositos lapides figurásque, sui desint antagonistæ, neque cujusque arma satis discernantur. Illorum qui à dextra pugnant, uterque suo destitutus adversario est: & alter quidem horum de Threcibus Retiarius esse videtur, qui collectum à tergo rete manu unâ vibrans, adversarii sui caput involvere conatur, ut tridentis furcæ ictu, quam lævâ manu Retiarii ferebant, captum transfigat. Par habitus armorum ultimi ad sinistrum pugnantis apparet esse. Verùm nudus ille, qui juxta se consistentem in armis vestitúque staturam petit, non usque adeò facilem nobis conjecturam relinquit. Seriòne hæc, an umbratilis tantùm pugna sit, non sit quoque statuere. Simulacrum, nisi fallor, Palladis est, cùm & longa vestis fœminam, & adjuncta eidem arma bellatricem designent, quin & Gorgonei capitis sit manifesta in clypeo vestigia

ſtigia, id multò magis evincant, ac γεγγερόρον, eſſe demonſtrent.

VIII. Gladiator adverſus Palladem decertans.

At quorſum hæc adverſus Palladem gladiatoris hujus inſtituta dimicatio? An fortè Chriſtianus homo ad hanc arenam laniénámque damnatus, primum in Deos profanos, velut hujus crudelitatis præſides, impetum vertit? Certè ſi hic inſultus hominis ſerius eſt: aliud ego pugnæ genus non cenſeo exhiberi: ſi verò umbratilis tantùm, ut in hiſce ſpectaculis præludere uſitatum fuit; poterat homo iſte ante Deam ſeſe exercendo, ludicrâ hac digladiatione ſeriam prævertere. Uti & rudibus ante batuebant, hoc eſt baculis depugnabant, vel in equis, aut eſſedis, totam faciem galeâ tecti, cœcorum more dimicabant, qui dicebantur Andabatæ: ut ad ſerias cruentáſque decertationes, jam calentibus vegetiſque membris tranſirent.* *In illo ipſo*, ait de Oratore Cicero, *gladiatorio vitæ certamine, quo ferro decernitur, tamen antè congreſſionem multa fiunt, quæ non ad vulnus, ſed ad ſpeciem valere videantur.* Et hæc de monumento illo lapideò ſuffecerint. Nunc ad ipſum amphitheatrum, ejúſque originem apud Treviros redeamus.

Umbratilis ſæpè veram pugnam præcedebat.

IX. Amphitheatrum Trevirenſe Caiicellam, & Catholdi ſolium adjunctum habuit, quæ illi nomina relicta ſunt.

Duplex ad hæc tempora uſque, ſive ex Annalibus, ſive etiam ex traditione Majorum, loco nomen manſit. Ab illa cavitate, quæ ad pedem exteriorem collis, ſeſe per aditum muris ſtructum aperit, atque ingreſſis demum ſpeciem cellæ objicit, Caii cella nuncupatur, noménque illud à Caio Julio Cæſare traxiſſe creditur, quem pro annonâ militari hanc primùm extruxiſſe autumant. Catholdi verò ſolium deinde dictum eſſe, quod hic princeps iniquo illic judicio cum famulo ſuo diſceptâſſe, causámque ſuo exitio luiſſe feratur. Sed ejus hoc generis judicium eſt, ut poſteritas antiquorum ſe fabulas recenſere arbitretur. Cùm tamen difficilis poſt tot ſæcula rerum priſcarum apud nos ſit dijudicatio, non omninò exiſtimavi hoc loco rem, ut in veteri Ordolphi M.S. narratur, prætereundum.

X. De amphitheatro & aquæductu perficiendo pro vita ac libertate inter Dominum ſervumque certatur.

Memorat ille de amphitheatro apud Treviros hoc in colle excitando, tum de aquâ ad amphitheatrum urbémque ex remoto Erubri rivo deducenda fuiſſe deliberatum, & utrumque opus Catholdo principi ſorte commiſſum. Qui cùm illius extruendi imaginem facilè animo concepiſſet, aquæductûs tamen perficiendi rationem aſſequi non poterat. Cúmque ſervorum nonnemo ejus ſe expeditum non minùs reperturum eventum promitteret, quàm Dominus amphitheatri habiturus eſſet, indignatus hac famuli arrogantiâ Catholdus, ejus ſe in arbitrio quoad vitam mortémque futurum addixit, ſi quod verbis profiteretur, opere eſſet executus. Servus verò, niſi id præſtitiſſet, pro Domino caput ſtygi devovit. Ità certatim ad operas opusque itum eſt, tantò quidem à ſervo fidentiùs, quòd amore Dominæ occulto frueretur, quo aut hero moras, per vafrum mulieris ingenium, aut emolumentum ſuo operi acceſſurum crederet; ut victor Dominâ ſuâ integrè potiretur. Nec fefellit eventus. Jam amphitheatri moles ſuis propè abſoluta ſurgebat partibus; cùm & ſervus canalem aquis ducendis idoneum expediverat. Verùm quòd aquæ in canalem infuſæ hærerent, ſervus deſperatione plenus, ſuam Dominæ infelicitatem queritur: cui dum Catholdus exultans jactaret hærentis aquæ cauſam ſibi conſtare: non deſtitit lenocinijs improba mulier, donec eliceret: ſervum tamen, nè fidem ipſa ſilentii violare videretur, noctu ſub lecti ſpondâ abditum tegit, quando maritum importunitate flagitandi, eò adduxit, ut fateretur ſola deeſſe aquæductui reſpiracula, ideoque concluſum aërem aquas influentes retardare. Vix dies veniens aderat, cùm ſubmotis obſtaculis viam rivo ſervus fecit. Quod ubi Catholdus intellexiſſet, ſeque ab infidâ conjuge, ut erat, proditum obſervâſſet, ulturus ignominiam, eductam ad ſuperiorem theatri ſpeculam mulierem ſecum in præceps egit, noménque loco à facinoris inſolentiâ reliquit. At rivus deductus ad amphitheatrum, cujus in vicina crepidine montis Martii etiamnum aquæductus ſub terra, hiante fornice, panditur, qui ad urbis deinde uſum derivatus annis ſuperioribus ſub Philippo Chriſtophoro Archiepiſcopo juxta urbis aditum apertus eſt, operiſque olim perfecti fidem fecit; quidquid demum certamini jam expoſito, parùm certò veroſimili, ſit tribuendum.

AD CAPUT XVIII.
NOTÆ ET ADDITAMENTUM.
De diverſis veterum ſepulchrorum in Archidiœceſi Treverica monumentis, cum figurarum expoſitione.

I. Pyramis ſepulturæ Secundinorum excitata hodiedū in pago Eigel ſpectatur.

ILLUSTRE Secundinorum monumentum, quod Parentum erexêre memoriæ filii, nobis accuratiùs hoc loco expendendum eſt: cùm Ortelius antiquitatum inveſtigator ſimile neget tota Europa cis Alpes reperiri. In ſuburbano hoc quondam Trevirorum agro haud procul à litore Moſellæ collocatum, vix quingentis ab urbe diſtabat paſſibus, quod contractis nunc mænibus, quatuor facilè paſſuum millibus diſſitum, Luxelburgenſis ditionis finibus includitur ſpirituali tantum jure Trevericis Archiepiſcopis ſubjectum.

Auſonius olim ſub Valentiniano Imp. Gratiani filii Treviris præceptor, eleganti Moſellam carmine deſcribens hanc ſtantem in litore pyramidis molem cum admiratione eſt proſecutus, quando ita cecinit.

Raræ elegantiæ opus.

Non hoc ſpernat opus Gortynius aliger, ædis
Conditor Euboicæ .....
Non Philo Cecropius, non qui laudatus ab hoſte
Clara Syracoſiis traxit certamina belli.
Conditor hic forſan fuerit Ptolomaidos aulæ
Dinochares. quadro cinis in faſtigia cono*
*Surgit, & ipſa ſuas cōſumit Pyramis umbras**

* tui mendoſè poſitum eſt. [illegible] ſol capiti imminet.

Ita enim Pyramis hæc aſſurgit, ut ſuperiori parte, velut collo, graciteſcens, in faſtigio receptum orbe cinerem Secundinorum ſuſtineat, cui Aquila paſſis alis inſiſtit. Non intellexerunt Auſonium, corruperunt etiam, mutatâ *cinis* voce, qui operis ſtructuram ignorarunt, quos vel ipſum carminis vitium erroris arguit.

Aquila in apice ſupra cineres conſiſtit.

Altitudi-

II. Altitudine, quâ supra terram acclivem, ideóque inæqualem, versus orientem in medio lateris eminet, duos & septuaginta pedes assequitur: ut Arnoldus Mercator, qui eam centum esse pedum meminit, aut errore lapsus sit, aut ab ipsis fundamentis dimensionem exorsus fuerit. Abrahamus vero Ortelius ipse præsens Mausolei arbiter, propiùs ejus magnitudinem sit assecutus. Latera inæqualia meridiem ac septentrionem versus sedecim pedum, orientem & occidentem spectantia pedum sunt tredecim. Ex quadratis eximiæ molis (ut veterum consuetudo ædificiorum habet) lapidibus, tota pyramidis structura in altum educitur, sensim, & per suas, ut distincta, sic decrescens partes. Limbis totum corpus pyramidis quatuor, supra inferiorem lapidum planitiem, & incisarum imaginum campum eminentibus, velut cinctu diverso discriminatur, suísque figurarum emblematibus, tanquam sub umbra quadam vetustatis extantibus, loquitur.

Altitudo ac latitudo operis.

Variis figuris incisi lapides.

III. His fastigium, trigonis quibusdam signorum in imo variatum, imponitur, tenuiorique ambitu, ceu tectum operis, squammis lapidum pro tegulis opertum, gracilescit, orbemque cum aquilâ fulcit incumbentem. Non tam mole ipsa, quæ in multis veterum monumentis spectatior est, quàm materia & forma operis, tot seculorum sub dio tempestatem perpessa, jamque paulatim ventis pluviáque diffluens, admirationem meretur. Magnum vulnus inflixêre nonnulli lapso jam sæculo, qui admotis machinis, & frustis hinc inde lapidum elisis, conati sunt per partes aliò monumentum transportare. Ex quibus Comes Mansfeldius Luxelburgicus Belgarum gubernator, suo, quem omni antiquitatum genere exornabat, horto pyramidem destinaverat, si vel solvi, vel transferri sine operis jactura potuisset. Sed, quod mireris, stat etiamnum, quamvis hàc illáque parte luxata pyramis, hortique Mansfeldiani præcipua opera deliciæque intercidêre.

Mansfeldius aliò eam transferre frustra conatus.

IV. Nunc paucis, quantum assequi præsens inspector potui, operis totius partes & emblemata describam. Ordior à fronte, quæ in austrum obversa viam publicam Mosellamque haud procul allabentem intuetur.

Descriptio pyramidis, ejusque emblematum.

Aquila, ut dixi, fastigium atque innixum illi globum insidet, magnum apud Romanos, ut infra disseram, generis, æstimationísque de Virtute Secundinorum argumentum. Ad fastigii, seu coni, pedem vir medius inter duos genios ipsi blandientes hærere videtur, (distinctam enim rerum personarúmque notitiam, & hic, & in plerisque cæteris vetustas ademit) ita & illa, quæ sub limbo pyramidem descendentibus occurrit, tabula speciem præ se fert ad aram sacrificantium. Tertia deinde sub altero limbo angustior, tabula, ut rectè Browerus, apparatum continet hinc atque inde mensæ, veteri more accumbentium, ministrantiúmque ex abacis: ad dexteram edulia; ad lævam pocula. Quarta verò, medio pyramidis corpore extat tabula amplissima, quæ sub tribus, velut in clypeo distinctis faciebus, quales in nummis solent esse Cæsarum, duas in forma habitúque augustiore, togis defluentibus nonnihil succinctas personas, virum fœminamque exhibet, quas intercedit medius quidam genius, qui utrarumque dexteram in fidem sponsionémque, quantum liquet, matrimonii exporrectam sociat conciliátque, sive Fidii ille sit, sive Prælucis. nam fatiscente simul obliteratóque saxo, facies lineamenta, cum genii insignibus, amisit. Post hæc epigraphe pedibus horum subjicitur, quam nonnullis literis syllabísque fugitivam à Browero rectè arbitror suppleri.

A — *Figuræ lateris Meridionalis.* — B — C — D — E — F

V. Latera tabulæ hinc atque inde columnæ, nudis ludentibúsque Amoribus cælatæ, stipant; ut facilè intelligas, cujus argumenti rem emblema proponat. Sub ultimo denique limbo in tabulâ quintâ, conopæum ac sedilia observare te, velut per umbram, existimes, ac sub illo decretum, aut leges aliquas ad confertim stantes sedentésve, à Dictatore quodam recitari. Hanc postremò tabulam basis excipit amplior, quæ nudo lapide humiliorem clivi locum obtinet, & transeuntium juxta viæ obversatur.

G

VI. Inde si ad dextram, orientem versus, per acclivem nonnihil collem enitaris, in supremo rursum cono, modicam triangulari specie tabulam deprehendes, in qua viri effigiem, humeris tenus eminentem, inter feras reperies, & à lævâ quidem animal, ab apri, aut canis specie non alienum, dexteram cum fragmento lapidis effigiem, aut hominum, Coni molem submoveri tentantium, aut certè temporis injuria dissipavit, nisi quod caput adhuc bestiæ, equíne, an bovis, incertum, observetur. Sub primo hujus frontis orientalis limbo mensæ, velut pro danda accipiendáque pecunia, assident Trapezitæ ac Danistæ. Sub limbo altero, angustiori rursum tabulâ, cibi ad mensam ab œconomo ministrisque apparari videntur, ægrè tamen oculo actiones ad geminum abacum & culinæ fuliginem distinguente. Sub limbo tertio in grandiori tabula, major tempestatis impetus pleraque detrivit, nisi quod lusitantes in columnis Amores, & quoddam velut Deæ simulacrum extat, ut sacrificantium Libitinæ Veneri speciem mihi divinanti suggerant. Quæ denique sub limbo quarto consequuntur nec imaginum quidem vestigia reliquerunt.

Figuræ lateris Orientalis. — H — I — K — L

VII. Ad septentrionem igitur, deflexo nonnihil per clivum, & vineta assurgentia gradu, transimus. Istic in trigono supra limbos, sese conspicuum Solis caput inter laxatos hinc atque inde ad egressum equos profert. In altera, sub primo limbo tabula medius inter binos gryphes, quos frenatos attinere creditur, homo, velut ad cursum, incitatus est. In tertia minore, equisonum alter domo egressus per collem eniti putatur; alter, juxta gradiens clitellarium ex colle domum reducere. In quarta decumana borealis oræ tabulâ Zodiacum cœlestem suis distinctum signis videas; quem venti quatuor, bini supra ex angulis orbis oppositis, totidemque infrà, alatis in fronte armati cornibus, cingunt, ut impetum juxta celeritatémque ventorum expressam, non imperitâ fictione, intelligas. medium circulum, Lunæ potiùs, quàm Solis equi, nisi occidui esse sentias, cum aurigæ Noctis obtinent; quod hæc tam nuptiali, quàm mortuali thoro amica, utriusque præ se

M — N — *Figuræ lateris Septentrionalis.* — O — P — Q — R

ferre

ferre ideam videatur, illam nudi in columnis Cupidines; hanc sibi deposcit significationem nocturna frigidáque borealis plaga, quam hac fronte respicit Mausoleum sepultorum. Unde & priscis usitatum, Noctem in alatæ mulieris rhedæque insidentis specie defunctorũ monumẽtis adhibere: & canit Poëta:

Virgil. *Olli dura quies oculos, & ferreus urget*
Somnus, in æternã clauditur lumina noctem.

VIII. Sub inferiori limbo, in quinta tabula, nonnemo contra belluam nudus pugnat, cujus tamen lineamenta bestiæ (quamvis à majoribus observatæ) ita hoc tempore detrita sunt, ut distinguere non liceat. S Media ante belluam persona cum terrore subterfugere; alia supplex cuipiam in excelsiori loco, vel Idolo, vel Principi accidere potest existimari. Certitudinem emblematis ætas invidit. Crediderim, spectaculo præbito, ludis funebribus mortuo parentatum.

T Demum pes hujus Mausolei, alibi à figuris incisis nudus, hic sub incumbente à clivo terra, uti & in occidentali plaga, sua ostendit navium, inter pisces & sirenes atque alia marina monstra oberrantium, signa. quæ quia utriusque partis similia sunt, eâdem utrumque emblema narratione perstringo.

IX. Figuræ lateris Occidentalis. Venio nunc ad ultimam solis occidui in pyramide nostra faciem, ejúsque tabulas à summo ad imum perlustrõ. In coni pyramidalis trigono satis apertè duellator clypeo gladióque V obarmatus, strato jam adversario, vibratóque ad confodiendum pugione, mortem intentat. Infra limbum primum bigæ à duobus aguntur insessoribus, cum quibusdam literis, X supra bigam impressis, quæ tales sunt visæ CLINI & Græcis lectum, seu reclinatorium significant, nisi malis numerales has CLIIII apud Latinos exhiberi, totque censeas utrumque conjugem annos vitæ (quos geminus aurigator in stadio currens decertánsque repræsentet) colligere. Nam bigas eo tantùm statuo consilio esse apparatas. In Y tertiâ, sub limbo altero, tabulâ, diversi mercatores famulique diversa, sive pro epulis, sive pro sacrificio coëmere ac ferre judicantur. In quarta principali tabula virilis & feminea Z statua inter ludentes per latera Cupidines, medio, cui nescio, Deorum, Mercurio an Apollini, sese sistunt, nisi fortè Pallas, ut nonnemo observavit, cum Æsculapio coram Jove de fatis utriusque Conjugis ac Secundinæ familiæ consultant. Vix solidæ conjecturæ locus ab edaci vetustate relictus est. In quinta tabula, sub limbo ultimo, citra controversiam trigæ, mercatoriâ oneratæ sarcinâ provehuntur, uti in pede Monumenti navicula cum onere & rectore inter Sirenes supernè & marina alia infernè monstra, conspicitur. Quæ navis ab illa, quam septentrionalis pars exprimit, hoc solo differt, quòd sine rectore ista circumferatur. Hæc sunt quæ in emblematibus Mausolei obtulerunt sese, vel oculis, vel probabili conjecturæ, ubi vetustate exesæ figuræ sunt, commemoranda, quorum vim significationemque explorare, brevi etiam dissertatione juverit, ne figurarum sterilis hæc sine intellectu enarratio, tanquam corpus sine anima mortuum, parùm legentem audientémve oblectet.

X. Quibus hæc Pyramis à diversis Autoribus tributa fuerit. Fuit, qui in hac pyramide natalitium C. Caligulæ Romani Imperatoris monumentum nobis proponi censeret, quem Plinius, *in Treviris vico Ambitarino supra Confluentes natum* patre Germanico memorat. Hunc locùm Joannes *Heraldus de Germaniæ Antiquitatibus* Saræ Mosellæque confluenti vicinum esse statuit, ideóque natale solum Caligulæ hac pyramide ad posteritatis memoriam illustratum, atque ex *Caligulæ* nomine Igel, sensit nuncupatum. Emblemata verò figurásque, tum Aquilæ imperialis, tum sacrificantium, & vota pro salute nuncupantium, aliáque id genus signa, *adulationis*, ait, *plena, & vestigia certissima ostendunt enascentis Caligulæ, quem fatorum favore in lucem editum, orbis partibus à sole illustratis, item & Romanis olim imperaturum, triumphis, moribus, & augustis legibus, Deorum hominumq́; reverentiam sibi comparaturum, Germanico studentium vota his indicare volebant.* At quamvis Heraldus, neque cœlo toto, neque regione etiam aberret, in vico Ambitarino supra Treviros quatuor passuum millibus collocando; tamen, ut nonnullos de loco nativitatis Caligulæ, in quibus Cn. Lentulus Suetoniúsque est, alia sentire dissimulem, Ambitarinus ille vicus S. Martino primùm, ac deinde B. Severo, post illatum hujus ab Egberto Archiep. Trev. corpus, sacer, opulentóque Canonicorum monasterio celebratus (quod hoc tempore Meinfeldiæ dicitur) longè infra Treviros, duorum prope dierum itinere. Supra Mosellæ Rhenique Confluentes, deprehenditur, si Pipini Regis, & Caroli Magni donationum tabulæ consulantur; ut viginti & ampliùs passuum millibus aberrare inprimis loco Heraldum constet. Jam verò in autoribus pyramidis designandis, non video quemadmodum à Secundinis inscriptis, ad Caligulam aut Germanicum, à defunctorum tumulo ad natale monumentum, transire possit. Aut ipsam nos fallere inscriptionẽ, aut Heraldum, qui hãc nunquam inspexerit, necesse est.

XI. Alii, apud *Bertelium Epternacensem Abbatem*, Constantii Chlori Imper. patris Magni Constantini cum Helenâ Matre nuptias hac pyramidum iconographiâ celebrari existimant. Equidem non diffiteor, junctas in fidem matrimonii dexteras, sacrificia, mensas dapsiles, ludos, aquilam & orbem, & quædam cætera, tum natale Trevirorum Helenæ à quibusdam attributum solum, Constantiique istic juncti thalamos, favere huic interpretationi: quin ex ipsa Secundinorum familia natam censeri posse existimarem. Quanquam virtutem natalibus illustriorem demonstrârit. Pugnat hæc nihilominus cum inscriptione clarissima expositio. Secundinis debetur, & quidem mortuis, non nubentibus. Quare posthabita disquisitione longiori ad hos judico esse transeundum.

Secundinis omnino tribuenda est. Argumenti summam paucis complectar, singulis deinde, ubi necesse fuerit, pressiùs inhæsurus. Secundinorum hoc esse monumentum omninò, siqua fides vetustatis, sentiendum est. Vita, mors, officia, perque diversos vitæ casus fortunæ experimenta emblematum figuris proposita, cum ipsâ inscriptione, illorum honori suffragantur.

AD CAP. XVIII.

XII. Expositio figurarum pyramidi incisarum.

Exordior ab Aquila Monumenti apici imposita. Hæc ex Augusta Cæsarum domo Secundinos esse, fortassè docet: cùm Aquila Augustalis familiæ, priscis Rom. temporibus, signum fuerit: neque ab aliis, nisi qui Imperatoris auspiciis res belli pacisque gererent, usurparetur. Unde vel augustalis generis, vel officii Secundinum fuisse, non ineptè colligas. Sed nec facilè in monumentis defunctorum Aquilam collocatam reperias, nisi per apotheosin primò inter Superos relati essent. ut iccircò Secundinum Divis assertum haud vanis omninò avibus liceat augurari: quòd, cùm ipsis Secundini cineribus, in ferreo orbe sub pedibus Aquilæ collectis, insideat, rogo etiam Principis ejusdem adhibita, juxta morem in Romanorum apotheosi receptum, jure possit existimari. Ita enim consuetudo ferebat; ut solemni funeris pompa inter Majorum imagines, rerúmque magnificè gestarum simulacra, stipantibus propinquis, Senatu comitante, totáque urbe in societatem exequiarum, aut spectaculum effusâ, cadaver defuncti extra urbem delatum, in pyrâ ad id constructâ, subjecto igne redigeretur in cineres, qui deinde collecti religiosè, magnificis in tumulis, asservarentur. Quorum merita, si tulissent, ut Divos inter censeri defunctus posset, Aquila in busti vertice collocata, & post incensam pyram vinculis laxata ferebatur in altum, ceu Principis funerandi animam cælo illatura. Id omen auguriúmque fuit, cælitibus jam asserti, atque ex eo tempore Divi titulum merebatur. Erat autem pyra non admodum figurâ suâ huic nostræ pyramidi (ob ignem sensim in conum ascendentem sic appellata) dissimilis. Siquidem, à structura lignorum quadrata, velut fundamento, inchoata, aliâ deinde atque aliâ lignorum strue quadri minoris incumbente, sensim in acumen vergebat, quod denique, cum insignibus & curru principis, insidens aquila concludebat. Ut mihi in Mausoleo hoc Secundinorum extremus rogi in funere exhibitus honor repræsentari non immeritò videatur. Emblematibus hujuscemodi (ut moris erat intextis auro stragulis figurisque exteriorem pyræ faciem exornare) circum pendentibus.

Herodot. lib 4. principio. Solinus de Antiq Rom. lib. 3. Dempst. c. 18.

Apotheosis Romanorum paucis descripta.

XIII.

Cœperat is honor ab Augusto, Julium Cæsarem primùm solenni apotheosi consecrante, quem & ipse à Tiberio deinde consecutus, propagarit ad posteros, primúmq; Imperatoribus, deinde & Augustis fæminis, ac demum viris principibus, rerum gestarum magnitudine illustribus, tributus est. Et Cicero jam sua ætate ad hunc post fata honorem aspirabat. *Sepulchri*, inquit ad Atticum, *similitudinem effugere, non tam propter pœnam legis, studeo, quam ut maximè assequar ἀποθέωσιν.* Et usitatus hic inter gentes honos, quamvis non iisdem cæremoniis, quibus Augustus instituit, jam olim viris heroibus præstari solebat. Ita Hercules, Castor & Pollux, Saturnus & Faunus, aliique inter Deos relati sunt, & Macrobius in somnio Scipionis, *ejus*, ait, *anima inter Deos relata, quòd nunquam deseruit virtutes.* Quare licet, non iisdem, quibus Imperatores solebant, ritibus exequiæ Secundini Patris celebratæ fuerint, tamen professio quædam est virtutis Secundinorum, & ἀποθεώσεως, Aquila supra cineres in vertice Mausolei collocata; tantò quidem certior illustriorque, quantò verius honor ille viris principibus, quibus denegari poterat, neque sine experimento conferebatur, quàm Imperatoribus, sua etiam scelera sub umbrâ dignitatis extollentibus, impendi consueverat.

Cic. ad Att. lib. 12. ep. 35.

Macr. l. 2. cap. 17.

Secundini inter Deos hâc figurâ relati videntur.

XIV.

Argutè non minùs, quàm verè Plinius in panegyrico. *Dicavit cælo Tiberius Augustum; sed ut majestatis numen induceret: Claudium Nero; sed ut irrideret.* Argutiùs etiam Juvenalis hanc Imperatorum perditorum Apotheosin ridens, Satyra 6. inquit, *descendere jussit in cælum*, videlicet inferorum, quò descenditur. Extra quod, per adulationem delati honoris periculum, Secundinus, opinor, stetit, quando non, ut Imperator, sed benè meritus de Rep. princeps, hoc, quod memoramus; decus est assecutus. De globo, quem ferreum concavúmque esse didicimus ad cineres complectendos, non est cur requiras ampliùs: quod verò mutilam sine capite Aquilam insidentem habeat, jaculatorum insolentiâ factum creditur, eliso per telum vertice. At quot capitibus hominum innititur quaternis, & hi subinde nudis genis, siquid extra ornatum significare arbitraris, Liberos ego, Nepotesque Secundinorum esse sentio, patriam deinde stirpem nomenque propagaturos, nisi malis humanum corpus ex quatuor elementis compositum, atque in eadem resolutum proponi.

XV. Secundini Aventini ætas actionésque in pueritia & adolescentia.

Verùm ad ipsas tabulas, figurasque lapidibus incisas descendo. Primæ quatuor in trigonis supra limbos eminētes tabulæ Secūdini Aventini ortum, puerilem ac juvenilem ejusdem ætatem complecti videntur, & sol quidem in septentrione exsurgens, natum illum non Romæ in Italiâ; sed Treviris, aut alibi in borealibus plagis mihi præfigurat. Ita lusitantes sub pædagogo, ut reor, pueri, ætatem hanc lusibus studiisque non sine Moderatore, utriusque Secundini peractam indicabant. Venationibus deinde robustiorem dedisse alterum operam, caput inter feras propositum signabit. Jam verò in ultima trigonali emblemate succumbens in duello hostis, non ambiguum fortitudinis in militia probatæ argumentum esse apparet. Et his quæ in fastigio locantur emblemata, absolvi, inter prima studiorum & militiæ rudimenta, facilè animadvertis.

O

A

H

V

XVI. Ejusdem ætas maturior cum suis actionibus expressa.

Ad alterum figurarum ordinem, qui sub limbis superioribus quaquaversum extat, progredior. Firmior hic ætas mihi, quâ, prætextâ jam posita, virilem Secundinus togam sumpserat, proponi videtur. Hanc cum sine Deorum invocatione & solenni ritu non sumerent, emblema illud sacrificantium huc referri posset; nisi sentire malumus Sacerdotio inter Romanos Secundinum fuisse inauguratum, ut insignis hæc erat dignitas; aut etiam sacris, quod viri Principes, ipsique adeò Cæsares sibi vendicabant, præfectum. In alterâ ejus limbi parte, inter Numularios, rationibus adesse, & præesse non inconvenienter idem, profano in munere, dicetur. Sed; quid boreali plaga inter apprehensos utrimque frenatosque gryphes nudus, nisi quòd rapaces ipse invasores, à quibus principio

B

I

P

Plinius l. 10. cap. 49. Iacobonus de Casserarum gente cap. 9. & 14.

ſpoliatus fuit, ſolertior fortiórque Secundinus ſubegerit ac domuerit? More inter priſca hieroglyphica uſurpato, ut ſepulchris adhiberentur defunctorum, ad illorum robur, celeritatem, vigilantiámque in vitâ deſignandam. Soli enim gryphes conſecrati ſunt, adeóque cum Apolline in Galieni Imper. Numis reperti, vigilem deſignant Principem.

Fulgent. l. 2. Myth. cap. 11. Dempſt. apud Solin. Antiq. lib. 5. ad c. 5.

Jam illæ in occidua plaga bigæ, quæ ut quadrigæ Soli, ita Lunæ poſt occiduum Solem cœlo præſidenti ſacræ erant, ludos nobis Circenſes ſuggerunt, quibus aliquando apud Treviros Prætoris titulo præfuiſſe Secundinum, quid vetet? niſi malis hos illi ludos, exequiaſque funebres, poſt vitam occidentem, à filiis inſtitutos, impenſis CLIIII. nummorum millibus.

X

XVII. Sequitur tertia ſub limbo altero emblematum, diſtributa per omnem cæli plagam, ſeries. In his priſco more diſcumbentes convivas mares feminâſque in meridionali tabula obſerves, in orientali ejuſdem convivii præparationem, in ſeptentrionali annonæ per acclivia decliviaque, in equis, aut aſinis vecturam; in occidentali ementium vendentiumque edulia commercium, ut mihi hoc loco annonæ præfecturam, ſub gentili aliquo Rom. Imperatore, ante Conſtantini Magni tempora, Secundinus ſuſtinuiſſe potiùs exiſtimetur, quàm vel nuptiales, vel funebres tantùm repræſentari epulas. Licet nihil vetet utriuſque ſimul cultum exponi. Nam & illa virtus emblematis eſt, plura ſimul eidem convenientia adumbrari figuris iiſdem: ut, qui uno verbo dicit, quod pluribus alii, is palmam in ſignificandi energia tenet. Non igitur pugnabo cum his, qui vel nuptiale, vel funebre convivium tam priſcis, quàm noſtris uſurpatum temporibus, hoc loco adornant. id ſolùm contendam, grandiùs aliquid diuturniúſque Secundini munus, in hoc annonæ tam vario apparatu, nobis ad memoriam poſteritatis à pyramidis emblematúmque conditoribus ſuggeri; quod ad annonæ præfectum ſentio ſpectare.

Honoratum Secundini officium.

Q Quid enim in jumentis oneratis, & ab arce ad arcem tranſeuntibus, vecturâ aliud, quàm annonæ deportationem? quid dantium accipientiúmque mutuò actiones, niſi diſtributionem ſignificant?

Y Quæ munera in Rom. Rep. annonariæ rei præfecto competebant. Demus igitur funebrê illam cænam, quam περίδειπνον Græci, Latini Silicernium vocitabant, in priori tabulâ exhiberi, nihil obſtabit, quin ſequentes officium Secundini publicum tabulæ exprimant.

XVIII. Venio nunc ad principales mediæ pyramidis tabulas. In his auſtrum verſus ſat ſpectabili etiamnum forma ſe offerunt Secundinus Aventinus & Publia ſtipulata invicem manu conjugalem ſocietatem Deo Fidio, ut interpretor, medio & conciliatore, promittentes.

E

Conjugum fides & amor uſque ad mortem ſtabilis.

Neque enim Prælucis apparet eſſe, aut Cupidinis, cùm fax deſit, ac nuditas; quarum iſta Præluci, hæc Cupidini ſolet eſſe familiaris. præterquam quod ludentibus per columnas juxta Amoribus, ſuum hic Cupido officium ſatis adumbràrit. Porrò fidem hanc ad mortem conjugum uſque deductam, citra repudium, tam pictura, quàm inſcriptio innuit, cùm eidem uni Secundinus in vita & tumulo ſocietur.

D Parmæ, quæ capitales ſolùm figuras, ſupra utrumque conjugem, proponunt, aut illorum Majores, aut Cæſares ſub quibus vixerunt, juxta quorundam ſententiam, proponunt. At ego malim tres alios in Epigraphe nominatos, quorum aliqua hîc imago extare credenda eſt, proponi, videlicet T. Secundinum Securum, in figurâ mediâ paulò eminentiore, alterúmque à dexteris L. Saccium Modeſtum, à ſiniſtris Modeſtium Macedonem ejus filium, ità omnium defunctorum expreſſâ per inſcriptionem ſuppoſitam nomina colliges.

XIX. Tranſeo ad orientale emblema, ſub eodem limbo reſpondens, & conjecturam facio (nihil enim aliud in fugientibus lineamentis licet) Libitinam iſtic Venerem colendam proponi, quæ & generationi præerat; & funeribus; ut intelligant omnes, hac quemque lege & naſci, & thalamo ſociari, ut aliquando moriatur, quod, ut Secundinis factum, ita & poſteris nepotibúſque futurum.

L

Vitæ mortalis inconſtans ſtatus & fortuna.

Hanc figuram in boreali orâ haud incongruè rota annua ſignorum cæleſtium ſubſequitur, ubi inter ventorum quadruplicem impetum, ſuis Luna bigis circumfertur, ut & rerum mortalium inconſtantiam, & eorum, quæ oriuntur, occaſum rurſus, mediâ in nocte mortis, indicet.

R

Claudit ultima in occidente, ex oppoſito cæterarum tabula, ubi coram Diis fata meritaque defunctorum expendi jure ſentias, Jove arbitro, Æſculapio, Mercurioque (quorum ſub tutelâ potiſſimùm in vita conjuges verſati ſunt) adſtipulantibus, ut præmia factis digna, Eliſiis in campis inter defunctos heroës, conſequantur.

Præmia benè factorum.

Z

XX. Jam ad illa, quæ ſub ultimo verſantur, limbo, tranſgredior. Secundini Aventini & Publiæ conjugum vitam actioneſque jam ſuprà expoſita cenſeo, & quæ reliqua ſunt Securo fratri ex Aventinis ſeniori, ejuſque filiis poſſe aptari. Novæ enim hîc ſeſe actiones à ſuperioribus diverſæ offerunt, & fata Aventini ac Publiæ intercedentia diſtinctionem exigunt: tum verò fundamentum ipſum Pyramidis cum limbo proximo, ille cujus prior ætas inter cognatos eſt, ſibi vendicare jure quodam dignitatis videtur.

Secundini Securi ætas actioneſque.

XXI. Sic igitur in probabili ſolùm commentatione ſtatuo, dum alius certiora protulerit, Securum, in tabula ad meridiem primâ, præfecturæ cujuſdam, ſive in aulâ, ſive in rep. Trevirenſi munus exercere, ac diverſorum locorum, quæ ipſius juriſdictioni ſubeſſent, legatis miniſtriſque leges præſcribere, ad quas deinde rationes officii præſtiti exacturus ſit. Hanc autem præfecturam fuiſſe Mercatorum in navales juxta curuleſque merces exercitam, paulò inferius clariùs eluceſcet.

Negotiationi præfectus.

Altera in oriente nuda tabula, ſi figuris ſuis tempeſtate jam obliteratis loqui poſſet, clariora nobis proponeret. In tertio ad ſeptentrionem emblemate, præter unum, in ternis quaterniſve corporibus, vix obſerves integrum; nuda omnia, ut in maris tempeſtate ad natandum parata apparent. eſt tamen, qui neſcio, an tridentem, an quod aliud inſtrumentum obtendat belluæ, ut reor, marinæ. Unde, ut in tempeſtate, alius ſupplex ad Deum manus tendit, alius horrore perculſus

Maris pericula adita.

conatur

conatur effugere, alius fluctibus, aut belluis obluctatur. Naufragiúmne aliquando in oceano boreali Securus, suo nomine magis quàm fortè securus, pertulerit, lectorum esto arbitrium. Ego tanquam in littore remota hîc tantùm intueor. Certior illa, versus occidentem, exarata in lapide tabula, quæ trigam præfert sarcinis mercatoriis oneratam, cui accedunt geminæ in pede Mausolei tabulæ, altera in septentrione, altera in occidente, fat claris figuris navium, merciumque in sarcinas collectarum signis conspicuæ. Et, nè dubites in oceano jactari, inter Sirenes Hippothalassos, aliaque maris portenta versantur, moderatore alibi latente, expressoque alibi. Hic jam ampliùs dubitari nequit, quin mercimoniorum, terrâ marique traductorum cura ad Secundinos spectaverit, tot nimirum signis inculcata. Hanc verò privatam fuisse, ut Freherus sibi imaginatur, non adducar ut credam, tot argumentis penè, quot, si non lapidibus, certè emblematibus contrà pugnantibus. Et hac ipsâ totâ pyramide, quæ ignobilem mercatorem, in Augusta (tot principum prope quot Senatorum) id temporis, urbe decere, cæterisque indulgentibus ornare non potuit. Inter ipsos aulæ, seu urbis eminere proceres debuit, cui honor ille à Romano-Trevericis est delatus. Non nisi nobilissimos, & lex, & ratio, & fortuna ad tantam, post fata exequiarum dignitatem, ac funebria monumenta admittebat.

XXII. An præfectus Veredariorum aut Annonæ potius, vel etiam Prætor Romanus fuerit Securus?

Video hîc ante me Treviris fuisse P. Bernardum Theloë virum antiquitatis studiosum peritumque is, in scholasticâ quadam disceptatione Mausolei hujus autores Secundinum censuit præfectum fuisse Veredariorum ac Cursorum, qui & fisco olim præfectus, & corrupto dein latinitatis sæculo Curiosus sit dictus, atque hac ætate Magister generalis postarum; quale inter primos Officiales Palatii Constantinopolitani Curopalates habet. At, quamvis non omninò hoc Præfecti munus, à figuris Mausolei abludat, propiùs tamen accessurus est, qui & hunc Secundinum Securum, cum Aventino, annonæ præfecerit. Si officium præfecti mercatorum, nostris, quàm priscis sæculis notiùs displiceat. Per me etiam licebit Prætorem, Româ, post Julium Cæsarem, in hanc missum provinciam, Secundinum facere, cui istam facilè negotiationis terrâ marique agitatæ curam, aptabit. Immortale penè monumentum hac in pyramide Secundini obtinuerunt, sola desiderantur muneris administrati insignia, magis ad significandum definita, quibus controversia omnis absolvi potuisset, ut Æneam mox videbimus Miseno tribuisse.

XXIII. Quædam figuræ Pyramidis variam interpretationē patiuntur.

Sunt & alia in his figuris, quæ diversam, ab ea quam dedi, expositionem pati queant, ut est illud duellantium in fastigio simulacrum, quo repræsentari gladiatores possunt, qui exhiberi in funeribus virorum fortium solebant, seque invicem conficere, quorum sanguine Manes placari, velut sacrificio inferis facto, credebantur. eratque inferias mittere pro mortuis. Quæ mihi significatio non displiceret, nisi alterum in figura jacentem ac supplicem, alterum solùm minantem, non infligentem ictum contuerer, cæteræque ab hac interpretatione figuræ dissentirent. Ita, quamvis suprà datæ interpretationi magis faveam, sacrificantium apparatus, cœna instructa, bigarum cursus, solis exequiis, tanquam res olim in funebribus solennitatibus usitatæ, adhiberi possunt. Quis enim, vel mediocriter antiquitatum peritus, hæc ignoret, cùm Æneas in funere Pallantis, & Achilles antè rogum Patrocli inferias cum ludis dederit? Alios etiam exequiarum ritus Virgilius illustri carmine in Miseni funere prosequitur, illo solùm admisso errore, quòd principi magis honor ille qui ab Æneâ Miseno per Maronem attributus est, quàm tubicini convenerit. Juverit audire carmen, ut hinc intelligas, quid Secundinis sit præstitum. Ita canit:

XXIV. Virg. lib. 6. Æneid.

Ritus veterum sepulturæ solenni adhibitus.

Principio pinguem tædis, & robore secto
Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressus
Constituūt, decorantq́, super fulgētibus armis.
Et mox —— *Subjectam more parentum*
Aversi tenuere facem, congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam collapsi cineres & flamma quievit,
Relliquias vino, & bibulam lavere favillam.
Ossaq́, lecta cado texit Chorineus aheno.
Idem ter socios purâ circumtulit undâ,
Spargens rore levi, dixitq́, novissima verba.
At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaq́, arma viro, rēmumq́, tubamq́,
Monte sub aerio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumq́, tenet per sæcula nomen.

XXV. Secundinis veriùs illa quam Miseno conveniunt.

Quæ ipse de Miseno finxit, ut funerandi apud Romanos usum exemplo proponeret, hæc olim Treviri in Secundinis veriori cultu spectârunt. Pyra his structa, & odoratis herbis arboribúsque ad fætorem amoliendum, vel impleta, vel cincta, extra portam, ad viam publicam, & pedem montis etiam, ut Principibus viris indultum, collocata, ab amicis deinde averso succensa vultu, collecti post flammam extinctam cineres, vinóque irrigati, in aheno vase sive orbe conclusi, unà cum ossium reliquiis fuère. Subinde postquam Sacerdos ad aram Deos veneratus fuit, olivæ ramo rorem in adstantes sparsit, ac novissimo verbo I.LICET conclusit. Postremò Secundinorum posteri sepulchrum pyramidale ingenti mole imposuerunt, adjectis muneris administrati, vitæque jam transactæ insignibus. Aquila etiam super cineris orbem urnámque collocata est, à qua nomen æternum loco mansit. Non igitur miraberis extra portam, & juxta, ac denique in pede acclivi montis Secundinorum hoc monumentum stare. Hæc omnia, ut Miseno non satis aptè à Marone tribuuntur, ideóque fabula esse deprehenditur: ita Secundinis aptissimè. Nam, ut Isidorus observat: *potentes aut sub montibus, aut in montibus sepeliebantur. Inde tractum, ut super cadavera aut pyramidēs fierent, aut ingentes columnæ collocarētur.* Quare & Lucanus canit: (Lib. 15. Etym. cap. 11.)

Et Regum cineres extructo monte quiescant. (Lib. 8.)

Vias quoque diligebant publicas, ut memoria eorum prætereuntes non fugeret. quare & in suis frequenter epigraphis viatorem, salutari consilio, injectâque mortalitatis recordatione, affantur. dum quisque aliquando se illos secuturum in morte cogitat, quos in vita hac fragili consectatur.

Plinius l. 10. cap. 49. Iacobonus de Castrorum genere cap. 9. & 14.

Fulgent. l. 2. Myth. cap. 11. Dempst. apud Solin. Antiq. lib. 5. ad c. 5.

ſpoliatus fuit, ſolertior fortiórque Secundinus ſubegerit ac domuerit? More inter priſca hieroglyphica uſurpato, ut ſepulchris adhiberentur defunctorum, ad illorum robur, celeritatem, vigilantiámque in vitâ deſignandam. Soli enim gryphes conſecrati ſunt, adeóque cum Apolline in Galieni Imper. Numis reperti, vigilem deſignant Principem. Jam illæ in occidua plaga bigæ, quæ ut quadrigæ Soli, ita Lunæ poſt occiduum Solem cœlo præſidenti ſacræ erant, ludos nobis Circenſes ſuggerunt, quibus aliquando apud Treviros Prætoris titulo præfuiſſe Secundinum, quid vetet? niſi malis hos illi ludos, exequiaſque funebres, poſt vitam occidentem, à filiis inſtitutos, impenſis C LIIII. nummorum millibus.

X

XVII.

Sequitur tertia ſub limbo altero emblematum, diſtributa per omnem cæli plagam, ſeries. In his priſco more diſcumbentes convivas mares feminaſque in meridionali tabula obſerves, in orientali ejuſdem convivii præparationem, in ſeptentrionali annonæ per acclivia decliviaque, in equis, aut aſinis vecturam; in occidentali ementium vendentiumque edulia commercium, ut mihi hoc loco annonæ præfecturam, ſub gentili aliquo Rom. Imperatore, ante Conſtantini Magni tempora, Secundinus ſuſtinuiſſe potiùs exiſtimetur, quàm vel nuptiales, vel funebres tantùm repræſentari epulas. Licet nihil vetet utriuſque ſimul cultum exponi. Nam & illa virtus emblematis eſt, plura ſimul eidem convenientia adumbrari figuris iiſdem: ut, qui uno verbo dicit., quod pluribus alii, is palmam in ſignificandi energia tenet. Non igitur pugnabo cum his, qui vel nuptiale, vel funebre convivium tam priſcis, quàm noſtris uſurpatum temporibus, hoc loco adornant. id ſolùm contendam, grandiùs aliquid diuturniúſque Secundini munus, in hoc annonæ tam vario apparatu, nobis ad memoriam poſteritatis à pyramidis emblematúmque conditoribus ſuggeri; quod ad annonæ præfectum ſentio ſpectare. Quid enim in jumentis oneratis, & ab arce ad arcem tranſeuntibus, vecturâ aliud, quàm annonæ deportationem? quid dantium accipientiúmque mutuò actiones, niſi diſtributionem ſignificant? Quæ munera in Rom. Rep. annonariæ rei præfecto competebant. Demus igitur funebrê illam cænam, quam περίδειπνον Græci, Latini Silicernium vocitabant, in priori tabulâ exhiberi, nihil obſtabit, quin ſequentes officium Secundini publicum tabulæ exprimant.

Honoratum Secundini officium.

Q

Y

XVIII.

E

Conjugum fides & amor uſque ad mortem ſtabilis.

Venio nunc ad principales mediæ pyramidis tabulas. In his auſtrum verſus ſat ſpectabili etiamnum forma ſe offerunt Secundinus Aventinus & Publia ſtipulata invicem manu conjugalem ſocietatem Deo Fidio, ut interpretor, medio & conciliatore, promittentes. Neque enim Prælucis apparet eſſe, aut Cupidinis, cùm fax deſit, ac nuditas; quarum iſta Præluci, hæc Cupidini ſolet eſſe familiaris. præterquam quod ludentibus per columnas juxta Amoribus, ſuum hic Cupido officium ſatis adumbrârit. Porrò fidem hanc ad mortem conjugum uſque deductam, citra repudium, tam pictura, quàm inſcriptio innuit, cùm eidem uni Secundinus in vita & tumulo ſocietur. Parmæ, quæ capitales ſolùm figuras, ſupra utrumque conjugem, proponunt, aut illorum Majores, aut Cæſares ſub quibus vixerunt, juxta quorundam ſententiam, proponunt. At ego malim tres alios in Epigraphe nominatos, quorum aliqua hic imago extare credenda eſt, proponi, videlicet T. Secundinum Securum, in figurâ mediâ paulò eminentiore, alterúmque à dexteris L. Saccium Modeſtum, à ſiniſtris Modeſtium Macedonem ejus filium, ità omnium defunctorum expreſſa per inſcriptionem ſuppoſitam nomina colliges.

D

XIX.

L

Vitæ mortalis inconſtans ſtatus & fortuna.

Tranſeo ad orientale emblema, ſub eodem limbo reſpondens, & conjecturam facio (nihil enim aliud in fugientibus lineamentis licet) Libitinam iſtic Venerem colendam proponi, quæ & generationi præerat; & funeribus; ut intelligant omnes, hac quemque lege & naſci, & thalamo ſociari, ut aliquando moriatur, quod, ut Secundinis factum, ita & poſteris nepotibúſque futurum. Hanc figuram in boreali orâ haud incongruè rota annua ſignorum cæleſtium ſubſequitur, ubi inter ventorum quadruplicem impetum, ſuis Luna bigis circumfertur, ut & rerum mortalium inconſtantiam, & eorum, quæ oriuntur, occaſum rurſus, mediâ in nocte mortis, indicet. Claudit ultima in occidente, ex oppoſito cæterarum tabula, ubi coram Diis fata meritaque defunctorum expendi jure ſentias, Jove arbitro, Æſculapio, Mercurioque (quorum ſub tutelâ potiſſimùm in vita conjuges verſati ſunt) adſtipulantibus, ut præmia factis digna, Eliſiis in campis inter defunctos heroës, conſequantur.

R

Præmia benè factorum.

Z

XX.

Secundini Securi ætas actionesque.

Jam ad illa, quæ ſub ultimo verſantur, limbo, tranſgredior. Secundini Aventini & Publiæ conjugum vitam actioneſque jam ſuprà expoſita cenſeo, & quæ reliqua ſunt Securo fratri ex Aventinis ſeniori, ejuſque filiis poſſe aptari. Novæ enim hîc ſeſe actiones à ſuperioribus diverſæ offerunt, & fata Aventini ac Publiæ intercedentia diſtinctionem exigunt: tum verò fundamentum ipſum Pyramidis cum limbo proximo, ille cujus prior ætas inter cognatos eſt, ſibi vendicare jure quodam dignitatis videtur.

XXI.

Negotiationi præfectus.

Maris pericula adita.

Sic igitur in probabili ſolùm commentatione ſtatuo, dum alius certiora protulerit, Securum, in tabula ad meridiem primâ, præfecturæ cujuſdam, ſive in aulâ, ſive in rep. Trevirenſi munus exercere, ac diverſorum locorum, quæ ipſius juriſdictioni ſubeſſent, legatis miniſtriſque leges præſcribere, ad quas deinde rationes officii præſtiti exacturus ſit. Hanc autem præfecturam fuiſſe Mercatorum in navales juxta curuleſque merces exercitam, paulò inferius clariùs eluceſcet. Altera in oriente nuda tabula, ſi figuris ſuis tempeſtate jam obliteratis loqui poſſet, clariora nobis proponeret. In tertio ad ſeptentrionem emblemate, præter unum, in ternis quaterniſve corporibus, vix obſerves integrum; nuda omnia, ut in maris tempeſtate ad natandum parata apparent. eſt tamen, qui neſcio, an tridentem, an quod aliud inſtrumentum obtendat belluæ, ut reor, marinæ. Unde, ut in tempeſtate, alius ſupplex ad Deum manus tendit, alius horrore perculſus

conatur

conatur effugere, alius fluctibus, aut belluis obluctatur. Naufragiúmne aliquando in oceano boreali Securus, suo nomine magis quàm fortè securus, pertulerit, lectorum esto arbitrium. Ego tanquam in littore remota hic tantùm intueor. Certior illa, versus occidentem, exarata in lapide tabula, quæ trigam præfert sarcinis mercatoriis oneratam, cui accedunt geminæ in pede Mausolei tabulæ, altera in septentrione, altera in occidente, sat claris figuris navium, merciumque in sarcinas collectarum signis conspicuæ. Et, nè dubites in oceano jactari, inter Sirenes Hippothalassos, aliaque maris portenta versantur, moderatore alibi latente, expressoque alibi. Hic jam ampliùs dubitari nequit, quin mercimoniorum, terrâ marique traductorum cura ad Secundinos spectaverit, tot nimirum signis inculcata. Hanc verò privatam fuisse, ut Freherus sibi imaginatur, non adducar ut credam, tot argumentis penè, quot, si non lapidibus, certè emblematibus contrà pugnantibus. Et hac ipsâ totâ pyramide, quæ ignobilem mercatorem, in Augusta (tot principum prope quot Senatorum) id temporis, urbe decere, cæterisque indulgentibus ornare non potuit. Inter ipsos aulæ, seu urbis eminere proceres debuit, cui honor ille à Romano-Trevericis est delatus. Non nisi nobilissimos, & lex, & ratio, & fortuna ad tantam, post fata exequiarum dignitatem, ac funebria monumenta admittebat.

XXII. An præfectus Veredariorum aut Annonæ potius, vel etiam Prætor Romanus fuerit Securus?

Video hîc ante me Treviris fuisse P. Bernardum Theloë virum antiquitatis studiosum peritumque is, in scholasticâ quadam disceptatione Mausolei hujus autores Secundinum censuit præfectum fuisse Veredariorum ac Cursorum, qui & fisco olim præfectus, & corrupto dein latinitatis sæculo Curiosus fit dictus, atque hac ætate Magister generalis postarum; quale inter primos Officiales Palatii Constantinopolitani Curopalates habet. At, quamvis non omninò hoc Præfecti munus, à figuris Mausolei abludat, propiùs tamen accessurus est, qui & hunc Secundinum Securum, cum Aventino, annonæ præfecerit. Si officium præfecti mercatorum, nostris, quàm priscis sæculis notiùs displiceat. Per me etiam licebit Prætorem, Româ, post Julium Cæsarem, in hanc missum provinciam, Secundinum facere, cui istam facilè negotiationis terrâ marique agitatæ curam, aptabit. Immortale penè monumentum hac in pyramide Secundini obtinuerunt, sola desiderantur muneris administrati insignia, magis ad significandum definita, quibus controversia omnis absolvi potuisset, ut Æneam mox videbimus Miseno tribuisse.

XXIII. Quædam figuræ Pyramidis variam interpretationē patiuntur.

Sunt & alia in his figuris, quæ diversam, ab ea quam dedi, expositionem pati queant, ut est illud duellantium in fastigio simulacrum, quo repræsentari gladiatores possunt, qui exhiberi in funeribus virorum fortium solebant, seque invicem conficere, quorum sanguine Manes placari, velut sacrificio inferis facto, credebantur. eratque inferias mittere pro mortuis. Quæ mihi significatio non displiceret, nisi alterum in figura jacentem ac supplicem, alterum solùm minantem, non infligentem ictum contuerer, cæteræque ab hac interpretatione figuræ dissentirent. Ita, quamvis suprà datæ interpretationi magis faveam, sacrificantium apparatus, cœna instructa, bigarum cursus, solis exequiis, tanquam res olim in funebribus solennitatibus usitatæ, adhiberi possunt. Quis enim, vel mediocriter antiquitatum peritus, hæc ignoret, cùm Æneas in funere Pallantis, & Achilles antè rogum Patrocli inferias cum ludis dederit? Alios etiam exequiarum ritus Virgilius, illustri carmine in Miseni funere prosequitur, illo solùm admisso errore, quòd principi magis honor ille qui ab Æneâ Miseno per Maronem attributus est, quàm tubicini convenerit. Juverit audire carmen, ut hinc intelligas, quid Secundinis sit præstitum. Ita canit:

XXIV. Virg. lib. 6. Æneid. Ritus veterum sepulturæ solenni adhibitus.

Principio pinguem tædis & robore secto
Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressus
Constituūt, decorantq. super fulgētibus armis.
Et mox ——— *Subjectam more parentum*
Aversi tenuere facem, congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam collapsi cineres & flamma quievit,
Relliquias vino, & bibulam lavere favillam.
Ossaq. lecta cado texit Chorineus aheno.
Idem ter socios purâ circumtulit undâ,
Spargens rore levi, dixitq. novissima verba.
At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaq. arma viro, rēmumq., tubamq.,
Monte sub aerio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumq. tenet per sæcula nomen.

XXV. Secundinis veriùs illa quam Miseno conveniunt.

Quæ ipse de Miseno finxit, ut funerandi apud Romanos usum exemplo proponeret, hæc olim Treviri in Secundinis veriori cultu spectârunt. Pyra his structa, & odoratis herbis arboribúsque ad fætorem amoliendum, vel impleta, vel cincta, extra portam, ad viam publicam, & pedem montis etiam, ut Principibus viris indultum, collocata, ab amicis deinde averso succensa vultu, collecti post flammam extinctam cineres, vinóqne irrigati, in aheno vase sive orbe conclusi, unà cum ossium reliquiis fuère. Subinde postquam Sacerdos ad aram Deos veneratus fuit, olivæ ramo rorem in adstantes sparsit, ac novissimo verbo I.LICET conclusit. Postremò Secundinorum posteri sepulchrum pyramidale ingenti mole imposuerunt, adjectis muneris administrati, vitæque jam transactæ insignibus. Aquila etiam super cineris orbem urnámque collocata est, à qua nomen æternum loco mansit. Non igitur miraberis extra portam, & juxta, ac denique in pede acclivi montis Secundinorum hoc monumentum stare. Hæc omnia, ut Miseno non satis aptè à Marone tribuuntur, ideóque fabula esse deprehenditur: ita Secundinis aptissimè. Nam, ut Isidorus observat: *potentes aut sub montibus, aut in montibus sepeliebantur. Inde tractum, ut super cadavera aut pyramides fierent, aut ingentes columnæ collocarētur.* Quare & Lucanus canit: (Lib. 15. Etymol. cap. 11.)

Et Regum cineres extructo monte quiescant. (Lib. 8.)

Vias quoque diligebant publicas, ut memoria eorum prætereuntes non fugeret. quare & in suis frequenter epigraphis viatorem, salutari consilio, injectaque mortalitatis recordatione, affantur. dum quisque aliquando se illos secuturum in morte cogitat, quos in vita hac fragili consectatur.

Plinius l. 10. cap. 49. Iacobonus de Caſernong gente cap. 9. & 14.

Fulgent. l. 2. Myth. cap. 11. Dempſt. apud Solin. Antiq. lib. 5. ad c. 5.

ſpoliatus fuit, ſolertior fortiórque Secundinus ſubegerit ac domuerit? More inter priſca hieroglyphica uſurpato, ut ſepulchris adhiberentur defunctorum, ad illorum robur, celeritatem, vigilantiámque in vitâ deſignandam. Soli enim gryphes conſecrati ſunt, adeóque cum Apolline in Galieni Imper. Numis reperti, vigilem deſignant Principem. Jam illæ in occidua plaga bigæ, quæ ut quadrigæ Soli, ita Lunæ poſt occiduum Solem X cœlo præſidenti ſacræ erant, ludos nobis Circenſes ſuggerunt, quibus aliquando apud Treviros Prætoris titulo præfuiſſe Secundinum, quid vetet? niſi malis hos illi ludos, exequiaſque funebres, poſt vitam occidentem, à filiis inſtitutos, impenſis CLIIII. nummorum millibus.

XVII. Sequitur tertia ſub limbo altero emblematum, diſtributa per omnem cæli plagam, ſeries. In his priſco more diſcumbentes convivas mares feminâſque in meridionali tabula obſerves, in orientali ejuſdem convivii præparationem, in ſeptentrionali annonæ per acclivia decliviaque, in equis, aut aſinis vecturam; in occidentali ementium vendentiumque edulia commercium, ut mihi hoc loco annonæ præfecturam, ſub gentili aliquo Rom. Imperatore, ante Conſtantini Magni tempora, Secundinus ſuſtinuiſſe potiùs exiſtimetur, quàm vel nuptiales, vel funebres tantùm repræſentari epulas. Licet nihil vetet utriuſque ſimul cultum exponi. Nam & illa virtus emblematis eſt, plura ſimul eidem convenientia adumbrari figuris iiſdem: ut, qui uno verbo dicit, quod pluribus alii, is palmam in ſignificandi energia tenet. Non igitur pugnabo cum his, qui vel nuptiale, vel funebre convivium tam priſcis, quàm noſtris uſurpatum temporibus, hoc loco adornant. id ſolùm contendam, grandiùs aliquid diuturniúſque Secundini munus, in hoc annonæ tam vario apparatu, nobis ad memoriam poſteritatis à pyramidis emblematúmque conditoribus ſuggeri; quod ad annonæ præfectum ſentio ſpectare. Quid enim in jumentis oneratis, & ab arce ad arcem tranſeuntibus, vecturâ aliud, quàm annonæ deportationem? quid dantium accipientiúmque mutuò actiones, niſi diſtributionem ſignificant? Quæ munera in Rom. Rep. annonariæ rei præfecto competebant. Demus igitur funebrē illam cænam, quam περίδειπνον Græci, Latini Silicernium vocitabant, in priori tabulâ exhiberi, nihil obſtabit, quin ſequentes officium Secundini publicum tabulæ exprimant.

Honoratum Secundini officium.

XVIII. Venio nunc ad principales mediæ pyramidis tabulas. In his auſtrum verſus ſat ſpectabili etiamnum forma ſe offerunt Secundinus Aventinus & Publia ſtipulata invicem manu conjugalem ſocietatem Deo Fidio, ut interpretor, medio & conciliatore, promittentes. Neque enim Prælucis apparet eſſe, aut Cupidinis, cùm fax deſit, ac nuditas; quarum iſta Præluci, hæc Cupidini ſolet eſſe familiaris. præterquam quod ludentibus per columnas juxta Amoribus, ſuum hic Cupido officium ſatis adumbrârit. Porrò fidem hanc ad mortem conjugum uſque deductam, citra repudium, tam pictura, quàm inſcriptio innuit, cùm eidem uni Secundinus in vita & tumulo ſocietur. Pannæ, quæ capitales ſolùm figuras, ſupra utrumque conjugem, proponunt, aut illorum Majores, aut Cæſares ſub quibus vixerunt, juxta quorundam ſententiam, proponunt. At ego malim tres alios in Epigraphe nominatos, quorum aliqua hîc imago extare credenda eſt, proponi, videlicet T. Secundinum Securum, in figurâ mediâ paulò eminentiore, alterúmque à dexteris L. Saccium Modeſtum, à ſiniſtris Modeſtium Macedonem ejus filium, ità omnium defunctorum expreſſa per inſcriptionem ſuppoſitam nomina colliges.

Conjugum fides & amor uſque ad mortem ſtabilis.

XIX. Tranſeo ad orientale emblema, ſub eodem limbo reſpondens, & conjecturam facio (nihil enim aliud in fugientibus lineamentis licet) Libitinam iſtic Venerem colendam proponi, quæ & generationi præerat; & funeribus; ut intelligant omnes, hac quemque lege & naſci, & thalamo ſociari, ut aliquando moriatur, quod, ut Secundinis factum, ita & poſteris nepotibúſque futurum. Hanc figuram in boreali orâ haud incongruè rota annua ſignorum cæleſtium ſubſequitur, ubi inter ventorum quadruplicem impetum, ſuis Luna bigis circumfertur, ut & rerum mortalium inconſtantiam, & eorum, quæ oriuntur, occaſum rurſus, mediâ in nocte mortis, indicet. Claudit ultima in occidente, ex oppoſito cæterarum tabula, ubi coram Diis fata meritaque defunctorum expendi jure ſentias, Jove arbitro, Æſculapio, Mercurioque (quorum ſub tutelâ potiſſimùm in vita conjuges verſati ſunt) adſtipulantibus, ut præmia factis digna, Eliſiis in campis inter defunctos heroës, conſequantur.

Vitæ mortalis inconſtans ſtatus & fortuna.

Præmia benè factorum.

XX. Jam ad illa, quæ ſub ultimo verſantur, limbo, tranſgredior. Secundini Aventini & Publiæ conjugum vitam actioneſque jam ſuprà expoſita cenſeo, & quæ reliqua ſunt Securo fratri ex Aventinis ſeniori, ejuſque filiis poſſe aptari. Novæ enim hîc ſeſe actiones à ſuperioribus diverſæ offerunt, & fata Aventini ac Publiæ intercedentia diſtinctionem exigunt: tum verò fundamentum ipſum Pyramidis cum limbo proximo, ille cujus prior ætas inter cognatos eſt, ſibi vendicare jure quodam dignitatis videtur.

Secundini Securi ætas actioneſque.

XXI. Sic igitur in probabili ſolùm commentatione ſtatuo, dum alius certiora protulerit, Securum, in tabula ad meridiem primâ, præfecturæ cujuſdam, ſive in aulâ, ſive in rep. Trevirenſi munus exercere, ac diverſorum locorum, quæ ipſius juriſdictioni ſubeſſent, legatis miniſtriſque leges præſcribere, ad quas deinde rationes officii præſtiti exacturus ſit. Hanc autem præfecturam fuiſſe Mercatorum in navales juxta curuleſque merces exercitam, paulò inferius clariùs eluceſcet. Altera in oriente nuda tabula, ſi figuris ſuis tempeſtate jam obliteratis loqui poſſet, clariora nobis proponeret. In tertio ad ſeptentrionem emblemate, præter unum, in ternis quaterniſve corporibus, vix obſerves integrum; nuda omnia, ut in maris tempeſtate ad natandum parata apparent. eſt tamen, qui neſcio, an tridentem, an quod aliud inſtrumentum obtendat belluæ, ut reor, marinæ. Unde, ut in tempeſtate, alius ſupplex ad Deum manus tendit, alius horrore perculſus

Negotiationi præfectus.

Maris pericula adita.

conatur

conatur effugere, alius fluctibus, aut belluis obluctatur. Naufragiúmne aliquando in oceano boreali Securus, suo nomine magis quàm fortè securus, pertulerit, lectorum esto arbitrium. Ego tanquam in littore remota hîc tantùm intueor. Certior illa, versus occidentem, exarata in lapide tabula, quæ trigam præfert sarcinis mercatoriis oneratam, cui accedunt geminæ in pede Mausolei tabulæ, altera in septentrione, altera in occidente, fat claris figuris navium, merciumque in sarcinas collectarum signis conspicuæ. Et, nè dubites in oceano jactari, inter Sirenes Hippothalassos, aliaque maris portenta versantur, moderatore alibi latente, expressoque alibi. Hic jam ampliùs dubitari nequit, quin mercimoniorum, terrâ marique traductorum cura ad Secundinos spectaverit, tot nimirum signis inculcata. Hanc verò privatam fuisse, ut Freherus sibi imaginatur, non adducar ut credam, tot argumentis penè, quot, si non lapidibus, certè emblematibus contrà pugnantibus. Et hac ipsâ totâ pyramide, quæ ignobilem mercatorem, in Augusta (tot principum prope quot Senatorum) id temporis, urbe decere, cæterisque indulgentibus ornare non potuit. Inter ipsos aulæ, seu urbis eminere proceres debuit, cui honor ille à Romano-Trevericis est delatus. Non nisi nobilissimos, & lex, & ratio, & fortuna ad tantam, post fata exequiarum dignitatem, ac funebria monumenta admittebat.

XXII. An præfectus Veredariorum aut Annonæ potius, vel etiam Prætor Romanus fuerit Securus?

Video hîc ante me Treviris fuisse P. Bernardum Theloë virum antiquitatis studiosum peritumque is, in scholasticâ quadam disceptatione Mausolei hujus autores Secundinum censuit præfectum fuisse Veredariorum ac Cursorum, qui & fisco olim præfectus, & corrupto dein latinitatis sæculo Curiosus sit dictus, atque hac ætate Magister generalis postarum; quale inter primos Officiales Palatii Constantinopolitani Curopalates habet. At, quamvis non omninò hoc Præfecti munus, à figuris Mausolei abludat, propiùs tamen accessurus est, qui & hunc Secundinum Securum, cum Aventino, annonæ præfecerit. Si officium præfecti mercatorum, nostris, quàm priscis sæculis notiùs displiceat. Per me etiam licebit Prætorem, Româ, post Julium Cæsarem, in hanc missum provinciam, Secundinum facere, cui istam facilè negotiationis terrâ marique agitatæ curam, aptabit. Immortale penè monumentum hac in pyramide Secundini obtinuerunt, sola desiderantur muneris administrati insignia, magis ad significandum definita, quibus controversia omnis absolvi potuisset, ut Æneam mox videbimus Miseno tribuisse.

XXIII. Quædam figuræ Pyramidis variam interpretationē patiuntur.

Sunt & alia in his figuris, quæ diversam, ab ea quam dedi, expositionem pati queant, ut est illud duellantium in fastigio simulacrum, quo repræsentari gladiatores possunt, qui exhiberi in funeribus virorum fortium solebant, seque invicem conficere, quorum sanguine Manes placari, velut sacrificio inferis facto, credebantur. eratque inferias mittere pro mortuis. Quæ mihi significatio non displiceret, nisi alterum in figura jacentem ac supplicem, alterum solùm minantem, non infligentem ictum contuerer, cæteræque ab hac interpretatione figuræ dissentirent. Ita, quamvis suprà datæ interpretationi magis faveam, sacrificantium apparatus, cœna instructa, bigarum cursus, solis exequiis, tanquam res olim in funebribus solennitatibus usitatæ, adhiberi possunt. Quis enim, vel mediocriter antiquitatum peritus, hæc ignoret, cùm Æneas in funere Pallantis, & Achilles antè rogum Patrocli inferias cum ludis dederit? Alios etiam exequiarum ritus Virgilius, illustri carmine in Miseni funere prosequitur, illo solùm admisso errore, quòd principi magis honor ille qui ab Æneâ Miseno per Maronem attributus est, quàm tubicini convenerit. Juverit audire carmen, ut hinc intelligas, quid Secundinis sit præstitum. Ita canit:

XXIV. Virg. lib. 6. Æneid. Ritus veterum sepulturæ solenni adhibitus.

Principio pinguem tædis, & robore secto
Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressus
Constituūt, decorantq. super fulgētibus armis.
Et mox —— *Subjectam more parentum*
Aversi tenuere facem, congesta cremantur
Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam collapsi cineres & flamma quievit,
Reliquias vino, & bibulam lavere favillam.
Ossaq. lecta cado texit Chorineus aheno.
Idem ter socios purâ circumtulit undâ,
Spargens rore levi, dixitq. novissima verba.
At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaq. arma viro, rēmumq., tubamq.,
Monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumq. tenet per sæcula nomen.

XXV. Secundinis veriùs illa quam Miseno conveniunt.

Quæ ipse de Miseno finxit, ut funerandi apud Romanos usum exemplo proponeret, hæc olim Treviri in Secundinis veriori cultu spectârunt. Pyra his structa, & odoratis herbis arboribúsque ad fætorem amoliendum, vel impleta, vel cincta, extra portam, ad viam publicam, & pedem montis etiam, ut Principibus viris indultum, collocata, ab amicis deinde averso succensa vultu, collecti post flammam extinctam cineres, vinóqne irrigati, in aheno vase sive orbe conclusi, unà cum ossium reliquiis fuère. Subinde postquam Sacerdos ad aram Deos veneratus fuit, olivæ ramo rorem in adstantes sparsit, ac novissimo verbo I.LICET conclusit. Postremò Secundinorum posteri sepulchrum pyramidale ingenti mole imposuerunt, adjectis muneris administrati, vitæque jam transactæ insignibus. Aquila etiam super cineris orbem urnámque collocata est, à qua nomen æternum loco mansit. Non igitur miraberis extra portam, & juxta, ac denique in pede acclivi montis Secundinorum hoc monumentum stare. Hæc omnia, ut Miseno non satis aptè à Marone tribuuntur, ideóque fabula esse deprehenditur: ita Secundinis aptissimè. Nam, ut Isidorus observat: *potentes aut sub montibus, aut in montibus sepeliebantur. Inde tractum, ut super cadavera aut pyramidēs fierent, aut ingentes columnæ collocarētur.* Quare & Lucanus canit:

Lib. 15. Etymol. cap. 11.

Et Regum cineres extructo monte quiescant.

Lib. 8.

Vias quoque diligebant publicas, ut memoria eorum prætereuntes non fugeret. quare & in suis frequenter epigraphis viatorem, salutari consilio, injectâque mortalitatis recordatione, affantur. dum quisque aliquando se illos secuturum in morte cogitat, quos in vita hac fragili consectatur.

XXVI. Sed historiæ propemodum limites prætervehor, dum in hoc monumento Eigeliano sensum prosequor antiquitatis. neglecturus magis, nisi alios hactenus in ejus expositione negligentiores fuisse animadvertissem, descripturus verò, ex usu probato antiquitatis etiam copiosiùs, si interpretis tantùm hoc loco munus sustinerem; quod cùm peritissimum priscorum seculorum virum P. Alexandrum Wilthemium meditari intelligam, manum non invitus submovebo. Aliud tamen, priusquam hoc loco abeam, honoratum tumuli genus, diversis antiquorum ritibus memorandum proponam.

XXVII. Sarcophagus in S. Maximino apud Treviros repertus. In S. Maximini Abbatiâ, quæ juxta Trevirorum muros est, ille, quem in figura proposito, Sarcophagus repertus est, anno 1656, cum sex aliis mole propemodum æqualibus, non tamen pari ornatu incisis, dum in Prælati horto, veterum eruderatione operum, Religiosi occuparentur. Et apparet, ante D. Helenæ tempora, loco illo à profanis adhuc Dominis ex Augustali familiâ possesso, sepulchris illic plurium caveam subterraneam destinatam fuisse. Gentilis enim homo iste fuit, cujus tumbæ epigramma ex more Ethnicorum inscribitur D. M. hoc est, Diis Manibus. qui Dii mortuorum brutâ superstitione habebantur: ut si idem non esset morientium, qui viventium Deus. Sed & Augustalis familiæ Maternum fuisse ex ipsa quoque inscriptione colligitur. Militiæ etiam (Emblemata militiæ præfectum, virúmque generosum ac pium designant.) præfecturam adiisse, scuta & arma lapidi inarata testantur, & victoriis nobilitatum, incumbentes hinc atque inde scutis coronæ, tum verò Leonina, medio in Sarcophago, facies generosum viri animum fortitudinémque. Ita quæ spectantur in fronte supra pedem ciconiæ, pietatem erga parentes exercitam adumbrare videntur. Hærebat suppedaneo innixus sarcophagus, & illo qui epigraphen præfert lapide claudebatur. Intra illum vix terræ modicum, in quod cineres aquâ vinóque perfusi defecerant, reperiebatur. Ita totus homo, vel terræ pauxillum, ac penè nihil est, vetustate omnia, præter immortalem animam, consumente. (Humanæ dignitatis vanitas.)

XXVIII. Juxta tamen, in tumbâ alterius lapideum vas, cineres atque ossa hominis, quamvis communitum claudebat, cujus icircò speciem

apponere

apponere placuit. Et hunc in pyra, Romanorum more, combustum intelligere licuit. Tertius sarcophagus hominem etiamnum integrè suis constantem ossibus possidebat, ut hunc post fata cedria aut balsamo, Ægyptiorum more, perfusum, & sine pyra plebeio tantum funere depositum, augurari liceat. In cæteris loculis edax vetustas totum hominem sustulerat, ut jam nec umbra quidem illius superesset, & jure cum Salomone ad hoc spectaculum exclamares: *Omnia vanitas.* Est & lampas, veterum monumentis sepulchralibus adhiberi solita, hoc loco reperta, cujus jam aliò translatæ figuram non vidi: lapidea tamen hæc fuisse memoratur, illâque, quâ hodiedum quædam visuntur formâ, quæ in manibus scarificatorum versantur, naviculæ in modum laborata, cujus prora acuto rostro eminet, pars ultima per ansam tenetur, supernè clausa est. Similem nuper in vitreo conspicatus sum, judicavíque ex illis non esse, quæ æternis succensæ ignibus veterum illustrasse sepulchra, ab authoribus fide dignis, traduntur.

Lampades veterum in sepulchris, & quædam semper ardentes.

XXIX. Aliam ego ex vitreo conflatam vase, urinariæ vix urnæ dissimilem, quæ rotundo ventre amphoras ternas quaternásve caperet, Cōfluentinâ olim in bibliothecâ asservatam vidi, quam senes quondam ex cella capulóque sepulchrali eductam, etiamnum colluxisse; sed læsam simul extinctámque, liquorem oleaceum per diffractum latus effudisse, asserebant. Hæc aperto, sed gracili collo, satis tamen ad ellychnium cum lamella, & subere (per quod oleo innataret) admittendum capaci, vitreo deinde, aut æreo operculo claudi poterat, & accensum prius ignem suo in concavo perpetuum fovere, si tamen ex eo lini genere, quod Asbestinum vocant, & Plinius tradit esse inconsumptibile, ellychinium formatum esset. Nam flamma fumúsque (quos tamen esse tenues necesse est) dum in cavo, satisque, ut dixi, amplo vitro altum sine exitu petunt, in guttas rursum oleaceas constricti ampullæ, quaquaversum adhærent, sensimque in ipsum, unde emerserunt, oleum, indefectibili alternatione, defluunt, quemadmodum in chymicis distillatoriisque officinis compertum est. Existimarémque, si lini nobis hoc tempore Asbestini copia usúsque fieret, illius nos experientiæ testimonia habere posse. Sunt tamen, qui aliâ has lampades arte ad ignem perpetuò fovendum instructas sentiant, ex liquefacto videlicet auro, atque in combustibilem liquorem dissoluto, qui conceptum semel ignem plurium sæculorum decursu sustineat. Qualem Eboraci in Anglia, ejus historiæ scriptor Cambdenus repertum asserit. Verba reddam. *Fide, inquit, digni nobis retulerunt, cùm Patrum memoria Monachorum ædes diruerentur, in cryptoporticu adiculæ, in qua Constantium* (Constantini Magni patrem) *situm fuisse opinio erat, lampadem ardentem repertam fuisse. Veteres enim auro, in pinguedinis liquorem arte soluto, diutissimè & per multa secula arsurum ignem in sepulchris fovisse scribit Lazius.* Verum hujus ego rei experientiam magis, quàm narrationem solam, ad fidem nobis faciendam, requiro. Illud quod de lampade conclusa tradidimus, ut plus rationis, ita & verisimilitudinis mihi obtinere visum est.

Plin. l. 19. c. 1.

Cambdenus de Brigantibus: & Lazius.

XXX. Porrò Cavea Maximiniana, quæ mortuorum urnas texerat, jam collapsa confusaque, priscorum magis cōsuetudinem, ex junctis per intervalla mortuorum urnis, in ritu sepeliendi arguebat, quam subjectam oculis repræsentabat. Neque enim ignoramus Romanorum exemplo sepulchra Treviris adornata fuisse. Marlianus verò Fabritiúsque nobis testes sunt; Romæ in campo Esquilino mortuorum cellas, nunc sub una, nunc sub gemina etiam testudine, suis parietibus explicatas fuisse, atque in his circumcirca ex ordine patuisse loculos, quorum singuli binas ternásve urnas caperent, & tabulâ clauderentur lapideâ defunctorum nominibus consignatâ, atque ipsis quandóque etiam imaginibus. Cujusmodi hodiedum sepeliendi ritum apud quosdam Belgarum religiosos in usu esse didici, nósque in Collegio Societatis Aquisgranensi imitati sumus, caveâ sub choro templi cum fornicibus ductâ, suóque ex lapidibus pavimento stratâ: quæ diversos per utrumque parietem loculos, singulis tantùm sarcophagis recipiendis idoneos aperit, distinctámque mortuorum quibusque sepulturæ sedem exhibet.

Caveæ sepulchales veterum hodiedum usurpatæ.

Georg. Fabric. in sua Roma, cap. 21.

AD CAPVT XIX.
NOTÆ ET ADDITAMENTUM.
De Palatio, substructionibus, & aulis veterum.

I. Rarum illud, quod ex arcu triumphali Valentiniani & Gratiani Imperatorum, (ut Browerus credit) superesse monumentum hác ætate vidimus, quodque nunc ad scholas Academicas, aulamque Electoris absolvendam transmigravit: Miraberis fortasse à piscatoribus supremum ejus verticem insideri; quos Ortelius in suo non expressit emblemate, Browerus nulla commemoratione tangit. Quid enim vivaria, & piscinæ in ædium apice? Unde aquæ, & ferè, ut necessarium ad alendos pisces; vel è terra recentes, vel certè limo & alimentis piscium fæcundæ? Res fateor, non rara tantùm, sed incredibilis mihi est visa: nisi, & hodiedum id generis piscinarum apud Hollandos aliosque septentrionales oculati testes memorarent superesse; & non contemnenda asserentium autoritate ad hujus rei memoriam Annalibus tradendam inducerer, aliorum magis fide subnixus, quàm propria; præsertim, cùm alterius, non minori admiratione digni, operis inventione rem fulciant. Ut enim vivis hæc in vertice ædificii piscina exundaret aquis: has memorant ex opposito trans Mosellam Apollinis monte, per exstructum subter ipsum flumen aquæductum in hujus arcus fastigium derivatas, atque his captos deliciis, qui deinde hoc loci vixere, Dominos de Ponte, molem structuramque operis in Palatii usum convertisse. Quocirca aliquantò mihi in hanc rem diligentiùs statui inquirendum, reperique non solùm fideles manuscriptorum tabulas, verùm etiam

Piscina in summo ædium vertice.

Aquæductus ex Apollinis monte Mosellam transiens.

etiam solertissimos hujus ac superioris ævi Antiquitatum vestigatores sua hoc ipsum suffragatione firmantes. Quorum alter Joannes Enenus S. Theologiæ Doctor, & Metropolitanæ ædis sub Richardo Archiepiscopo Ecclesiastes, ita *in Medulla Gestorum* Trevirensium disserit. *Iuxta S. Barbaræ Parthenonem vetus admirandumq; surgit opus, quadrato in altum lapide: quod mirificis intus structuris cultum, in supremo turris fornice, ut etiamnum liquet, conjunctis subtili arte è quadro saxis, piscinam sustinuit, nunc verò Wandalorum, ut intelligo, vi, atque invidiâ hinc inde perforatum est, qui cùm demoliri non possent, hoc tamen victoriæ dominatusq; sui argumentum posteris hoc loco voluère relictum.* Hæc ille, linguâ tamen vernaculâ. Cui accedit alter Browero coætaneus scriptor juridicæ apud Treviros facultatis Decanus, & ad S. Simeonem Canonicus D. Lindanus vir spectatæ eruditionis, & veterum historiarum apprimè gnarus, qui à principio ad hæc tempora Trevirorum monumenta luculento volumine prosecutus est, testaturque hujus se piscinæ & aquæductus non solùm accepisse testimonia Majorum, verùm manifesta illius coram deprehendisse vestigia. Et superest etiamnum senex ejûs ad S. Barbaram loci incola, qui se & à parentibus, tanquam rem exploratam, audisse, & stantem adhuc fornicis pisculenti annis puerilibus ludibundum perreptasse partem, affirmat. ut si hæc tot deprehensa testibus præteriissem, parùm diligentis Historici officio mihi functus viderer. Porrò Aquæductus ille subter Mosellam haud profundo istic alveo præterlabentem transiens, minùs habet admirationis, quàm ille, qui ex Eifflia aliquot dierum itinere inter valles montesque ipsa etiam secans flumina, ut supra vidimus, Wasserbillichium usque transfunditur, aut qui ex Erubro per duodena & ampliùs passuum millia Treverico sese palatio inferebat. ut Browerum his perspectis expensisque, piscinam hanc suffragatorem habiturum fuisse vix dubitem. Quanquam & pluviis solùm aquis, hoc loci frequentibus, congestaque ante terrâ, alimentisque nonnunquam à domesticis suppeditatis, pisces in sublimi hoc vivario ali potuisse sentiam. Nam si integras Semiramis Assyriorum Regina silvas, hortosque, utque & suis irriguos fontibus, per columnarum concava suppeditatis, in aëre pensiles librasse est tradita, cur de hoc nostro longè imparis moliminis opere fidem deponamus? Indulgeamus hanc industriam proavis, & quandoque etiam cum arte ingenium æmulemur. Pejus certè à quibusdam in sagina ventris & otio, quàm ejusmodi in labore vita tempusque consumitur.

Ioannes Enen in Medul. c. 2.

in M.S. histor. D. Lindanus

Ad Cap. 24.

II. Cæterùm, neque illud hoc loco prætereundum duxi, quòd, dum anno jam vertente spe thesauri latentis terra à quibusdam altiùs hoc palatium suffoditur, observatum est reconditæ antiquitatis opus, posteritatis memoriæ, fortè & utilitati non subtrahendum. Cui tantò plus fidei debeo, quod cùm hanc meditor, scriboque historiam, ipse præsens in veterum eruderatione monumentorum, & hîc, & locis intra extraque urbem pluribus, spectaverim: Aulas videlicet reperiri, nunc quidem subterraneas, sed olim in æqualis soli planicie, tessellato diversorum marmorum constratas opere. Quanquam tessellæ diversorum marmorum in plerisque aulis minores essent, quàm in proposita figura exhibentur. Harum pavimentum ex calce, lapidibus tritis & arenâ coagmentatum, pedis unius densatum crassitie, columellis innixum lateritiis, variis infernè meatibus patebat. Ex fuligine fumique vestigiis ab igne relictis fornaculas esse; caminósque agnosceres. Ex his alios quadrangulares, alios videres supernè acuminatos, pérque binos lateres ex columellis triangulari specie commissos: ita tamen, ut sive planè mutuò sibi incumbentes in extremo convenirent margine, ut erant tenues; sive obliquè tangerent, rimam aliquam commissuræ observares. Disceptatum à pluribus, quem in usum veteres pavimenta tanti pretii moliminisque suis in aulis adhibuerint. Nonnullis visum est, ad surgentes è terrâ humores faciliùs evitandos id factum: Quibusdam etiam liquatorias metallorum fornaces hinc effingere libuit.

Ego, quamvis primum commodum spectatum simul esse, non improbem: tamen non nisi ad brumale frigus arcendum hieme per subjectum his fornaculis ignem cuniculos illos subterraneos repertos auguror. Ita enim, per non magna lignorum dispendia, modicósque ignes longis sub terrâ ductibus circumerrantes ac denique hiatu suo exspirantes, ut in figura adjecta liquet, totâ aula sensim calefieri, at tantò deinde refrigerari tardiùs poterat, quantò densiori pavimento receptus calor, non nisi lento tepore intercidebat. Memorat & hujusmodi Hypogæa substructionesque aularum suo repertas tempore Browerus cum fornacibus, quarum ostia ad senos pedes usque excreverint (quanquam supra binos mihi spectata non assurgerent) describitque in Proparasceve fusiùs, quò avidum lectorem remitto. Meminit etiam carbones & adustos arborum truncos in his fornaculis compertos; & tamen usûs antiqui incertus hæsit. Quare meam tantò libentiùs dixi sententiam, communicandamque esse duxi; quòd etiamnum cum magno familiaris rei compendio, & longè suaviori frigoris calorisque temperamento, ejusmodi cuniculos per integras domos circumfusos duci posse existimem, quàm hoc tempore septentrionales populi hypocausta, non sine valetudinis incommodo, usurpant.

III. Fornaculæ sub aulis longo circuitu ductu ad frigus subjecto igne arcendum.

Apposui his fornaculis Calefactorem famulum illo in habitu, quo fornaci priscâ in formâ affixus, hoc eodem anno sub terrâ repertus est. Tegmen capitis velut diadema in fronte solâ, argento, ut reor, bullatum, quod supernè sacciperio in humerum dextrum defluente conclusum, speciem loculorum præfert, quos non facilè inscienti evacuaveris, præsertim si, ut opinor, humero fuerit thoracis annexum, ut nudato capite per humerum commodè sinistrum tegmen ante pectus reclinaretur: per dextrum verò, si quid in loculis esset, depromeretur. Collare sub mento bullatum humeros cingebat, ex quo, non, ut hodie, glandes linei, sed aperta dependebat nola, quæ suo, uti interpretor, motu

IV. Famuli veteris insolens habitus.

Capitis rarum tegmen.

Nola ex collo pendula.

eunte m

euntem per domum famulum distingueret; ut, vel silendo, Dominis sese suis manifestaret. Thorax latera angustus cingebat supra umbilicum latiori cingulo, sed bullato rursum accinctus incedebat, stricta subinde gerebat femoralia, qualia hodie in aulis regalium ephebonum videas, suis plicis coëuntia, & striis; verùm à summo ad imum descendentibus; variata, subtus etiam patentia tibialia stricta à calceis supra talos, non indecoro cinctu, assurgentibus excipiebantur; ut ornatûs totus principali ministro dignus videretur.

AVLÆ VETERIS ET MINISTRI ILLAM PER SVBTERRANEAS FORNACVLAS CALEFACIENTIS SPECIES.

V. Verùm ephebus ne ille Principum, aut Consularis fortè assecla, an potiùs officinæ cuipiam deputatus minister, jure in disceptationem veniat; nisi quis asserere malit figulorum, sine exemplo, commentum esse, hic enim quàm citissimè hunc nodum solverit. Equidem si antiquitatem exploremus, usumque nolularum suspensarum ex vestibus: illum tempestate hac nostra ad solos quidem demigrasse stultos non injuriâ admirabimur, si antiquitatis reverentiam, quam in iisdem usurpandis, adhibuit, expendamus. Nam & in priscæ legis sacerdotali amictu hoc cymbalorum gestamen solenne fuit: & in antiquâ Gwelphorum familia, Principibus ac Cæsaribus hinc ortis, promiscuo in sexu fuit usurpatum, origine, ut reor, sumptâ ab inusitato partu & facinore Irmentrudis, Alemanniæ Principis Isenbardi conjugis. Quæ, Caroli Magni temporibus duodecim mater prolium uno partu facta, maritique suspicionem quasi ex adulterio tot concepisset, verita, undecim ex his obstetrici, Schertio amni mergendas, tradidit; sed ab Isenbardo deprehensa mulier facinusque, cùm Gwelphos (sic voce patria canum appellant catulos) se ferre dixisset; proli servatæ hoc nomen hæsit, simulque catuli armis gentilitiis inserti fuere, nolulæ etiam catulis appendi solitæ, ad vestes posterorum adhibitæ: ne tanti cuiquam Gwelphorum beneficii memoria excideret. Quorum apud Bucelinum in historia Agilolphingia icones diversas reperies. Unde ad Bavariæ Saxoniæque Duces, ex Gwelphico sanguine oriundos, ipsumque Imperatorem Rom. Othonem IV. ac Fridericum, hic usus propagatus est. Ex quibus ille quidem ex lato collari argenteas per humeros pectusque nolulas, hic ex cingulo, per utrumque latus, diffundebat.

Nolularum in Gwelphica stirpe origo.

De hac histor. [illegible] Germ. part. 2.

VI Sed hanc minimè, vel fortunam, vel honorem nostro ephebo vendicem, quem ego quidem camino fornaculisque ideirco adhibui; quod argentariæ officinæ ministrum esse statuam, qui liquando fundendoque argento operam mercenariam dederit. Hanc enim consuetudinem, quâ talis officinæ ministri, tinnulo ære signati, annis aliquot circumeant, à priscis ad nos usque temporibus deductam cernimus. Ne cùm oculos Dominorum subterfugerunt, aures lateant, sed suo, quà commeant, incessu prodantur. Huc etiam humerales loculi, & infernè apertum perizoma

Nolulæ ministris argentariorum appendi solitæ.

arctusque

arctúsque thorax facere videntur. Quod nullos in recessu loculos, aut clausas laxasve ad recondendum opportunè vestes ejusmodi ministris ferre liceret; ac proinde opportunitas magna ad furtum eriperetur. Periculosa enim res aurum argentumque, in adolescentum præsertim manibus est; ut horum fides jure tali experimento fulciatur, ne furti occasio, & latendi spes præcipites abripiat.

Aliud tamen est, quòd, in fornace ab hoc ephebo succensa, lectorem observare cupiebam. Nimirum ignem fumumque per os fornacis unius conceptum, ita per concavum aulæ, columellis innixæ, pedem quaquaversum diffundi; ut postquam circumquaque divagatus exitum nullum reperit, ad vicinum ejusdem lateris os denique allapsus egressum moliatur, expugnato jam passim frigore suo probè officio defunctus. ut intelligas, parvo igne ingentia non minùs posse aularum spatia, quàm exigui conclavii pavimentum incalescere.

AD CAPUT XX.

NOTÆ ET ADDITAMENTUM.

De propugnaculis, Asylis, Fanisque domesticorum Deorum, ac Penatium. Tum de antiquissimo Ponte.

I. Turris bellica veterum propugnaculum cum Fano Deorum, quod Asyli loco.

PALATIO Dominorum de Ponte vicina etiamnum turris superest, ex qua arcum ad propinqua erectum opera, vestigia lunati operis testantur, ut qui Cæsarei hîc triumphi reliquias extare memorant, nihil abs re dicere videantur. Moles quadrilatera propemodum est, medio intrinsecus muro, in geminas divisa partes. Quarum dextra, quibusdam ad statuas recipiendas loculamentis, non quidem Centifani, ut Browerus conjectatur, præ se ferre speciem (ob sex tantùm septémve passuum angustias) sed fani potiùs domestici Penatium Deorum videtur: sinistra verò pars Asylum contra quemvis hostium impetum præbuisse, non immeritò existimatur. Siquidem muris fortissimis firmatur, vivo inferiùs, at supernè coctili tantùm lapide assurgentibus, crassitie quinque in imo pedes æquante. Solida potissimum coagmentatio, quâ diversi lapides firmissimo calcis glutino connati magis, quàm compacti videntur, robur antiquum tribuit, ut faciliùs lapidem ipsum, quàm cæmentum perrumpas. Tentavit molem hanc bellicarum machinarum impetu non solùm olim Maximilianus I. Imperator, verùm & hac ætate proximis annis cives, cùm huc se Galli insidiatores reciperent; sed tela globique ferrati, nullo murorum vulnere repercussi, docuêre, prisco aliquid sæculo architectonicam potuisse, quod hodie nesciat. Quale illud sit, conjectura multi sectantur, non assequuntur.

Robur propugnaculi inconvulsum.

II. Ars ædificandi pristino robore intercidit.

Notamus oculis minimè fallentibus, calcis olim intertrimentum, non tenuem solùm arenam, sed grossiorem etiam lapillorum congeriem, laterumque contusorum fuisse segmina, quæ nonnulli in conspersam vino acetóve calcem; alii existimant lacte perfuso coaluisse, lapidibusque in murum sociatis, nexu hærere firmissimo: Hoc certum, illud ambiguum. at quidquid demum sit, visci vim quandam habuisse necesse est, suoque primùm pretio neglectum, demum in oblivionem artificum venisse. Videas hodie vix unius sæculi muros, suâ exesos vetustate, penè defluere, calcisque interlitæ dissoluta ad motum lapidum frusta concidere, quodque solo aquarum hæsit glutino, aquis laxari, ubi quindecim sæculorum muri inconvulsè subsistunt. Quis igitur non videat, maximo non tantùm artis decore, verùm etiam damno mortalium hanc notitiam intercidisse? Non magno tamen, vel artificum molimine, vel impensarum operâ, ad hoc rursum artis secretum penetrare nos posse arbitrer, si videlicet varia liquorum affusione diversa calx, diversè maceretur, experimentoque discatur, quæ præ cæteris tenacissimè stringat. Quæ experientia ad lapidum etiam cocturam adhibenda, ut à novitiâ lapidum coctorum imbecillitate, ad priscorum robur duritiemque redeamus. Postliminiò reduci posset.

III. Quibus Fanum Diis consecratum.

Verùm, ne fabrilibus nimium immoremur, ad nostri asyli descriptionem revertimur. Fanum illi innexum, ut dixi, non nisi domesticis Penatibus, Jovique opitulatori ac Junoni sospitæ dedicatum reor, tum verò turrim universam, quæ triginta circiter in diametro, à meridie in septentrionem ducto, passuum est, munimentum adversus hostes belli pacisque tempore, ac velut tutum quoddam propugnaculum, fuisse sentio. Unde nullæ in eo fenestræ, per quas transitus homini pateat; luci tantùm, & supernè, cùm sine tecto sit, & per latera, quæ suis foraminibus scindantur, aditus sat tenuis relictus est. Unicus tantùm ingentis portæ versus occidentem accessus panditur, quem grandes, inque cuneum aptati lapides, nulloque cohærentes vinculo, fornicati tamen operis arcu, solidissimè muniunt, ut nullâ vi, nisi eversâ mole totâ, subrui possint. Subjeci illam oculis; ut his certiùs figuram caperes, artemque observares. Hac enim lege Proavi integros operum magnorum fornices, ut in D. Simeonis templo etiamnum conspicias, sine calce ferreisve vinculis, ex congestis tantùm hac formâ cuneatis lapidibus erexêre.

Fornices solidissimi ex vivo lapide sine calce compacti.

IV. Cominus eminùsque ex propugnaculo se defendebant.

In suprema fabricæ parte murus extremus, loricâ quaquaversum præmunitus, suos in alto propugnatores excipiebat, qui hinc facilè in hostium capita telorum lapidumque vim magnam devolverent. Quanquam & latera inferiùs, ubi remotior hostis, balistarum jactibus paterent, cùm ipsi intra muros nullum bellicarum machinarum formidarent impetum, altitudine contra transcendentium insidias, densitate murorum contra vim defensi, modò portæ solius custodia roburque sufficeret, adversusque ignes ferro hæc abundè munita esset. Nam aliàs nec flammis quidem expugnabile propugnaculum, quod lignis careret, visum est. Demum ubi vel fami ingruenti, vel obsidionis diuturnitati, aut hostium etiam subterraneis molitionibus cedendum esset, abstruso sub terras recessu, aliò sese, vel ad turrim haud procul dissitam, vel ad locorum abdita, periculis subducebant. Et verò ab hac turri, subter ipsa, quæ nunc sur-

Expugnari sine fame aut cuniculis subter fundamẽta ductis non poterant.

gant urbis mœnia, & repertos olim, & reperiri etiamnum locis certis ejuſmodi ultro citroque commeantium cuniculos didicimus.

V. Annus proximè ſuperior nobis ejus rei teſtis, quando in ſuffoſſione fundamentorum vicinæ turri, ſupra propoſitæ, Dominorum de Ponte, in meatum ſubterraneum, jam unâ parte caducum, foſſores inciderunt, in quo receptacula conclavium inſtar viginti facilè hominum capacia, ſolidis recta fornicibus, muris cincta, & quadris ſtrata lapidibus; vergebatque hic meatus ad hanc noſtram turrim vicinam, unde ad cæteras in urbe turres, quarum adhuc quatuor facilè ex antiquitate ſuperſunt, ejuſmodi ultro citroque diſcurrentium cuniculi tranſibant, qui per intervalla grandioribus receptaculis amplificati, ſub ipſis etiam terris ingentem hominum multitudinem tulisse, quos theſauris reponebant, ſervientibusque tum ad multorum quietem, tum ad exitialium obvio, per eoſdem cuniculos commeantibus. Ita Patres Capuccini, dum ante hos ſæculi domum ſuam hortumque ſtruxere altius, in ejuſmodi meatum, lato velut ſacello explicantem ſeſe inciderunt, quem ab urbis parte, ubi turris noſtra ſurgit, ad ſuam transfundi domum ſenſerunt.

Subterranei hypogæa, cuniculi et transitus, quæ nuper ibi reperti.

VI. Falluntur autem, qui ad ſolos aquæductus hos inventos eſſe canales arbitrantur. Nam, ut hi apud Treviros, uti audivimus, ſatis frequentes; ita tam altis paſſim ſuffoſſionibus terram, niſi colles ſecarent, minimè ſubibant, neque tam vaſtis crebriſque receptaculis pro aquarum libramento indigebant, neque tot turriſque ad turres ipſis viis digno fine deſtinabantur. Contra, divisum inter gentiles olim regnum, hoſtes Trevirorum plurimi, nunc Galli, nunc Germani; Nobilitas in factiones diviſa, barbarorum frequens irruptio, cauſæ urgentes ejuſmodi refugiorum erant. Ingenioſa neceſſitas multa priſcis temporibus Majores noſtros docuit, quæ Chriſtiana poſteritas mavult ignorare. Quanquam, niſi olim inter gentiles Chriſtiani parta didiciſſent, Romam modò ſubterraneam non poſſiderent, cui nos Romam alteram, Trevirim nempe ſubterraneam, poſſemus adjicere, ſi ex ſuis conſepultam, magnâ operum varietate, ruinis excitare, illam rurſus, atque in lucem revocare non pigeret.

Aquæductus à ſubterraneis hiſce refugiis diſtincti.

Olim hæc refugia uſitata.

VII. Nunc Moſellæ pontem, haud procul remotum, inviſamus; à quo prædictis turribus vicino Dominorum de Ponte nomen traditur fluxiſſe. Hic omnis retro antiquitatis memoriam ſuâ vincit origine, ante Cæſaris ac Romanorum tempora ſtetiſſe dudum cenſendus. Nam, ut his tranſeuntibus patuit, ita eorum nuſquam opera inſtratus Moſellæ, quemadmodum Rheno à Cæſare, legitur. Jure igitur in diſceptationem veniat; poſitne Trebetæ, primo urbis operumque id ætatis in architectonica admirandorum autori, moles illa tot ſæculis inter undas invicta tribui? Ego aliud non habeo, cur ambigam, niſi temporis injuriam. Quod tamen cum rupibus inter aquas ſurgentibus partiſſe hactenus noverim, fortè

Pons Moſellæ artificioſus ante Romanorum tempora extructus.

ratio ſuppetat, cur his etiam pilis arcubúſque fornicum, quibus pons nititur, vim ultimam abſtinuiſſe ſentiam. Dicam quale opus ſit, ut intelligas, an ſtare per tria quatuórve annorum millia inviolatum poſſit. Pilæ, ſeu columnæ Pontis, quem vides, novem ſunt, quæ octo arcuum ingentium curvaturis fornicibúſque totam operis molem ſuſtinent, atque utraſque Moſellæ ripas urbi jungunt. Cùm ſolum nunc latus Occidentale urbis flumen alluat, quod mediam olim, nondum in has contractam anguſtias, ſecabat. Pilarum longitudo, quæ flumen ſecat, quinquaginta pedum eſt; latitudo quatuor & viginti. Hæ, quod præcipuum operis robur eſt, grandibus è ſolida rupe ſectis lapidibus ferratis inter ſe anſis occulto nexu arctè coëuntibus, tantâ firmitate junguntur, ut faciliùs lapidem, licèt duriſſimum, quàm vinculum rumpas. Aquarum vix quicquam hactenus nocuit impetus, niſi cùm ſoluta poſt acriores hiemes glacie, magno in has columnas impetu acutis fragminibus illiduntur, atque ipſos cum ferro lapides perfringunt. Quod ut nonnunquam accidit, ita quarundam pilarum, non magna tamen vulnera curare neceſſum fuit, quamvis impari, ut hæc fert ætas, laboris artificio. Cùm ignorare videantur, quâ committi lapides inter ſe ingentes arte poſſint, ut citra ullum veſtigium adhibiti ferri plumbíve affuſi tenaciſſimè indivulsóque nexu ſocientur.

Deſcriptio Pontis.

Pilarum magnitudo & robur.

VIII. *Lapidum ingentium cômiſſura occulta, & artificioſa.*

Qua in re quid cognoverim, aperiam. Mos veterum erat machinis adhibitis levatoriis grandiorum lapidum, exciſa de rupe, quantâ poſſent mole, aptare ſaxa, eáque duritie nativâ ſolidiſſima, complanare tamen arte tantâ, ut in junctis vix ſæpè rimam obſervares. Quæ cùm ipſam murorum denſitatem æquarent, in fundamentis vinculo non indigebant, quo cohæreſcerent, ſuâ abundè mole in complexu firmato. At cùm vel ſublimia, vel extrema ædificiorum occuparent, hamato intus ferro munita, loco uno alteróve, tanquam clauſtris, mutuo ſeſe nexu ſtringebant; ut ſemel commiſſa, ſolvi deinde, niſi diffracta, nequirent. A clauſtrariis igitur ferrei ejuſmodi hami curandi (quorum diverſa, inter peritos, cognita ſpecies) qui ſuperficie illâ tenus, quâ ſe mutuò lapides tangent, inſerendi, plumbóque firmandi ſunt, ut denique in nexum alternum ſaxa copulentur. Quæ nunquam fallet copula, ſi ad regulas mathematicas tam ferrum, quàm lapides modicè ad excipienda clauſtra excavati, aptentur. Ita extrema pilarum ingentia ſaxa, partim mole ſua in ſubſtratis aliis, partim anſis ferreis firmiſſimè ſociantur. Hæ ſuper aquas mediocris alvei pilæ viginti facilè pedibus illâ, quam diximus, amplitudine eminent; ut plerumque extra aquas ſæpe accreſcentes, aliquâ tamen ſui parte ſuperſtent, ad vim fluminis, & glaciei infringendam. In his verò mediis à pede decimo tertio ad trigeſimum ſecundum uſque, ſuis pons aſſurgit arcubus, fornicibúſque per triginta in altum pedes, ſi loricas unà computes, in latum quatuor & viginti, niſi quod alicubi præſertim in fine ſtringatur arctiùs.

IX. *Columnæ idolorum.*

Columnæ geminæ hinc atque hinc à meridie in pila ſurgebant tertia, quæ Deos fluminum tutoréſque urbis fulciebant. Quarum tres etiamnum ſubſiſtunt, ſed Deaſtri vel ſublati, vel ſub arcuum pilarúmque receſſum ſunt abditi. Turris etiam quæ Ponti imminet, ſuo olim faſtigio elatior, nocturno tempore, ceu Pharos quæpiam, lumen, diurno excubias etiam ſuſtinebat. Menſura arcuum inæqualis ſexageſimum in pleriſque, ſi primum ultimúmque demas, pedem ſuperat, adeóque longitudo pontis tota ſexcentorum decem pedum eſt.

Pharos in Ponte.

X. *Pons Contionaci alter.*

Non diſſimilis huic pons Saravum Moſellæ influentem ſternit, mole tamen impar, quamvis artificio parùm diverſus. Hujus ſupra Romanorum quoque apud Treviros ætatem, exordia porrigi ſentiunt, atque olim Contionacum, tanquam ſuburbium tranſituris negotiatoribus pervium feciſſe. Longus nimium ſim, ſi quæ illic in urbis meridie, quæque inferiùs Palatioli in ſuburbio ſeptentrionali, ſex ſeptémve paſſuum millibus diſſito, antiquitatis monumenta ſpectantur, hæc univerſa figuris ſcriptíſque tentem proſequi. Una cum ſuburbanis locis ſuis, Trevirorum urbs integro queat volumini ſufficere, niſi leve æſtimaremus laudis pretium; ſolâ antiquitate admirandam videri.

Tam Contionaci, quàm Palatioli diverſa antiquitatis monumenta extant.

AD CAPVT XXI.

NOTÆ ET ADDITAMENTUM.

De Portis urbis Treverica, ex quibus nigra hodiedum ſupereſt in Templum converſa.

I.

AD reliquas urbis inſigniores ſtructuras cognoſcendas operæ pretium erit aliquam portarum ejus præcipuarum accipere notitiam. Quatuor illæ nobiliores fuêre. Una verſus ſeptentrionem *nigra* & Martis *porta* appellata eſt, per quam ad bellum profecturi egrediebantur, & ſiquidem infelicibus auſpiciis bellatum eſſet, mœſti ac velut atrati revertebantur. altera *porta Alba* Orientem verſus, amœnis educta & ornata turribus, poſt res feliciter militiæ geſtas ovantes triumphanteſque excipiebat, urbe tota variis lætitiæ ſignis, plauſúque populi ad occurſum properante, unde ad Capitolium, ad referendas Diis gratias, Romanorum more incedebant, quod in editiori ſitum fuiſſe clivo, quem nunc occupare S. Crucis oratorium videmus, haud immeritò exiſtimamus; quamvis Browerus ad Martyres, oppoſito urbis, ſed humili nimis loco, & nigræ portæ vicino, fluctuanti tamen opinatione, collocet. Tertia *porta*, quæ meridiem ſpectabat, vel à die, vel urbis umbilico *media* dicta eſt, quæ & rerum venalium à foro propinquo, & olerum à vicinis hortis, & funerum efferendorum à ſepulchrali campo uſibus deſerviebat. Complexa ſuos intra muros nobiliſſimæ viduæ S. Albanæ domum, & cryptam Eccleſiamque S. Eucharii, nunc glorioſis S. Apoſtoli Matthiæ cineribus, ſub cænobitis Benedictinis, dedicatam. Quarta occidentem verſus ad Moſellæ allabentis litus excitata porta erat, quæ illuſtri ſpecie artis, & magnificentia operis, cæteras longè ſuperabat; ut ab ipſâ ſtructuræ elegantiâ; *porta inclyta* diceretur. Hæc porta aureis ſiderum figuris exornata, & nocturno ſuccenſa ac latè

Portæ urbis veteris Nigra & Alba earumque uſus, in victis ac victoribus diſtinguendis.

Pharos Treverica.

corruſcans



Digitized by Google

T NIGRA ROMANORVM
'anonicale S. Simeonis
formata
C
D
E
F

coruscans lumine, navigantibus phari loco proposita, ipsum quoque urbis portum gratâ luce collustrabat. Verùm, quæ est temporis edacissimi invidia, quâ lapides atque æra ipsa consumuntur, nulla harum portarum præter nigram Martis superest, ut hæc sola nobis cum fortuna deteriore, bellisque nunquam intercidentibus, relicta ad luctum & pœnitentiam videatur.

II.

Porta in templum transformata.

Ex hac solâ, maximè operum antiquorum, integrâ, æstimare licet illorum temporum in extollendis ædificiis solertiam, in disponendis ingenium, & ad omnem firmitudinem elegantiamque exornandis peritiam. Quare visum est, hanc in iconographia præsenti descriptioni adjicere, ut non tam auribus, quàm oculis ejus dignitatem arbitrêre. Quanquam, ut ad templi figuram usúmque aptaretur; quibusdam, uti mox dicetur, fuerit partibus immutanda. Moles grandiorum passim lapidum, quos seni ac deni quandoque viri loco vix dimoveant, acervatione constructa est, juncturáque in muris sine calce ac cæmento firmissima, occultis tantùm plumbi ferrique vinculis devincta, quæ ut hodiernum artificum ingenium attémque vincit, illa vulgi persuasione ad hæc usque tempora propagavit fabulam, à Diabolo architecto hanc fabricam excitatam fuisse, tanquam idolorum futurum receptaculum, aut palæstram decertantium, unde sibi haud leve emolumentum accessurum vidisset. Verùm ubi deinde, mutatis temporibus ingeniisque hominúm, animadvertisset in templum Deo sacrum vertendum esse, depositâ personâ adfuisse denuò, & mensæ lapideæ altaris, quod D. Joanni Baptistæ erigebatur, infixisse, ad evertendum, ungues, quorum vestigia hodiedum in lapide, velut ad lapsum inclinato, spectentur. Et favent hæc quidem fabellæ signa, sed perquam debili ad persuadendum argumento. Cæterùm opus ex tantæ molis ponderisque lapidibus, tantâ operis soliditate, atque elegantiâ, & varietate surgit ad artis architectonicæ regulas; ut omnibus horum operum Magistris stuporem incutiat, murorúmque robur omnem facilè machinarum bellicarum vim eludat. Sunt qui Centifanum, seu delubrum centum Diis fabricatum, à multitudine fenestrarum, quarum singulis Deorum unus accesserit custos, fuisse primis temporibus arbitrentur: Sunt, qui clivum, cui insidet, quique sensim triumphalibus quadrigis adiri posset, tum etiam ob majestatem operis, Capitolium Trevirense Romano æmulum extitisse judicent; sed conjecturæ sunt, quæ certam non possunt fidem mereri.

Operis ratio & firmitas.

Variæ de ejus autore & fine operis opiniones.

III. Operis admirandi structura per suas expolita partes.

Media hujus molis pars suo facilè ornatu cultúque operis exteriori statim fronte spectantibus vetustatem prodit, vastis quaquà versum lapidibus concinno ordine coëuntibus surgentibúsque, qui in muris fenestrarúmque limbis arcubus & columellis decenti conformique difformitate eminent, & vel rudiores nostræ ætatis artifices imperitiæ arguunt, vel autores inconsultæ dominos operum tenacitatis: dum hi non audent, illi non possunt ad paria aspirare, ædificántque levi manu, brevi rursum in ruinas, stantibus etiamnum veterum monumentis, abitura. Illud sanè admiratione dignum, quod prisci operis turris,

P

Q

R

assurgendo non gracilescat, ut hac ætate usitatum est, sed limbis prominentibus incumbens dilatetur, nihilque ex illa mole ad durationem, quâ tot sæculis perstat, soliditatis amittat: novis interea operibus ævo ac pondere fatiscentibus. Certè hoc opus nostrum, tam priscis, quàm novis structuris conspicuum, argumentum posteris esse poterit, quantum hæc ætas in architectonicâ à veteri discrepet. Nova atque accessoria suo se vultu habitúque opera manifestant, minuti lapides, planique ac minùs solidi parietes; fenestrarúm arcus largiores, sed inculti; columnæ ac limbi proscripti, satis indicant superiorem turrim navímque totam templi, posterioris sæculi operâ, minùs laboriosâ, accessisse. ut & ædiculas in templi capite, & sacellum in latere, & geminum in fine versus portam urbis chorum; suis tamen non invenustè porticibus inter columellas coronatum. Adjecit illa pontificatu suo laudatissimus Trevirorum Archiepiscopus Poppo, postquam in eâ sede S. Simeon Eremicola, aliquot inclusus annis, magnâ morum sanctitate, & miraculorum gloriâ vitam anno Christi M. XXXIV. concluserat. Ejus in latere septentrionali versus novum chorum angustum tuguriolum, abditúmque velut sub graduum recessu cubile, quod erectum vix capit hominem, etiamnum visitur. Hic à peregrinatione Jerosolymitana, quam cum Poppone obierat, per septennium inclusus, pane & aquâ victitans, nomen suum mortuus, sepultúsque juxta superiorem templi naviculæ ingressum, reliquit. postquam Archiepiscopus locum ex sancti viri habitatione ac morte consecratum, veneratus, erectâ in honorem D. Michaelis ac Beatissimæ Virginis Mariæ basilicâ, Collegióq; Canonicorum ibidem instituto, nobilitâsset.

A

B

M

N

D

Poppo Archiepiscopus in basilicæ formã transtulit, cum D. Simeon inhabitâsset.

T

Q

IV. Longitudo ac latitudo operis.

Fabrica hæc, quâ ab ortu in occasum vergit, procurrit longiùs, & centum ac triginta trium pedum esse censetur, à septentrione in meridiem non nisi quadraginta sex pedes assequitur. Clauditur utraque tam orientalis, quàm occidentalis facies turribus validissimis. Illud, quod interjacet spatium fornicibus ductis conjungunt, sub quibus olim portarum arcus patentes liberum dabant commeantibus aditum; ut etiamnum supernè ad septentrionem eminentes arcus demonstrant, qui aggestâ nunc terrâ clausi propemodum sepeliuntur. Ad meridiem præter congestum terræ clivum, hac ætate per gradus latè explicatos, sensim in ipsum fornicem primùm, qui inferioris est templi pavimentum, enitimur, quod per ipsas quoque turres fornicibus stratas extenditur. Quæ tutum inferiori sui parte recessum, vel ad vina, vel ad arma etiam, pyriúmque pulverem recondendum præbent. Unde Philippus Christophorus, proximus ante hunc Elector, translatis aliò Canonicis, locum hunc in militare rursum munimentum transferre statuit. Sed improvisa captivitas hęc illius consilia intercepit. Structura olim sine tecto pluviæ solíque patebat, porticibus tamē elegātissimis quaquàversum per utráque turrim mediúmque circumdata, per quas sese ad facilem defensionem circūferre liceret. Illæ ad septentrionem pedes quatuor, ad meridiem septenos complexæ sunt, & ad dexteram lævámq; largis fenestris, quas æqualia mediarū columnarum

I

K

Archiepiscopus Trevir. Philippus Christophorus dum profanare rursum cogitat, capitur.

Elegantis operæ porticus.

ſpatia interſecant, decenti ſymmetria exornantur. ut ex Browero, & adjecto ſchemate diſtinctiùs licebit arbitrari.

V. Non ſuit porta olim, quæ extremam urbem clauderet.

Verùm hanc ſtructuram olim (ut nunc facit) borealis urbis fines murosque non clausisse, argumento ſunt, plures extra illam hodiedum ſitæ Eccleſiæ, domusque ſuburbanæ, ingénsque qui ad Palatiolum uſque campus interjacet, quondam habitatus, quæ inter urbis antiquæ pomœria à ſcriptoribus collocantur. Illuſtrioran ceteris eſt Abbatiale D. Maximini Archiepiſcopi olim Trevirenſis, Monaſterium, quod hoc tempore ad Sclopeti grandioris ictum à mœnibus urbis diſſitum, Martisque clivo adſitum, egregiam inter ſe urbémque ac collem, planiciem complectitur, Campo olim Martio ad militaria exercitamenta deſtinatam. Hoc ex Conſtantiniano palatio olim ad Eccleſiam cultumque Dei tranſlatum, Benedictinis denique religioſis ceſſit, uti & locus ad Moſellæ ripam oppoſitus trecentorum circiter paſſuum intervallo, nunc S. Matthiæ ad Martyres nuncupatus, tertiúsque totidem paſſibus ad meridiem in ripa diſſitus, ad S. Martinum dictus, qui urbis mœnibus imponitur. Quibus ſi mille paſſibus in meridionali urbis plaga ſejunctam D. Matthiæ Abbatiam junxeris, nunc à muris longiùs ſubmotam, quaterna ejuſdem ordinis Monaſteria, unà olim in urbe numerabis. Tanta id ætatis fuit Trevirorum in unum ſacrum ordinem liberalitas, quæ ad ſolum Benedicti nomen profundi videbatur. At D. Maximini Aſceterium à ſiniſtro ad ſeptentrionem latere illuſtri quoque D. Paulini collegiatâ baſilicâ clauditur, cujus originem deſcriptionémque ſuis Browerus locis dabit, ut actum hîc agere minimè libeat.

Monaſteria Benedictinorum una in urbe quatuor olim, nunc extra illam

Digitized by Google

AD CAPVT XXII.

ANNOTATIO ET ADDITAMENTUM, *De Palatio Electoris Trevirorum.*

I. Palatii Electoralis structura, à Lothario cœpta, à Car. Caspare absoluta.

PALATIUM Electorale quod proposito in schemate contemplaris, quædam retinet prisci operis Occidentali in fronte lineamenta. Quanquam ea pars ingentibus olim fenestris patula, sed hac tempestate cæmentis occlusa aliam præ se ferat structuræ imaginem, postquam hujus sæculi principio Lotharius, celebratæ memoriæ Archiepiscopus, dignum Principibus viris palatium istic moliri cœpit. Enimverò relictis parietinis muri veteris, insigni soliditate adversus demolientium nisum firmati, ne operam sumptúsque perderet, quantum licuit, inutilem cetera molem, quæ circi vel Palatii pars olim fuisse visa est in usum suum convertit, majori turre cum occiduo latere ad Palatii commoditatem verso. Adjecit Septentrionale latus cum Orientali dimidiato: donec mors opus vitámque optimi Principis abrumperet. Successit deinde in Archiepiscopatu & Palatio continuando Philippus Christophorus à Soteren, non imparis animi ad implendam amplissimorum ædificiorum magnificentiam Princeps, qui & alam orientalem explevit, & meridionalem addidit, vix dispari, nisi in paucis artificio; ita tamen, ut suis pars quæque familiæ insignibus discernatur. Atrium idem, orientali quidem fronte clausit, cæteris reliquit imperfectúm, temporum, ne absolveret, iniquitate abstractus. Ultimam denique manum imposuit modernus Archidiœcesis nostræ supremus Antistes Carolus Casparus à Petra, Lothario, ut sanguine, ita moderatione imperandi affinis. Hic & porticum areæ inferiorem, & turrim suis fundamentis inchoatam absolvit, ejusque partem infimam electorali archivo, supremam Cancellariæ, ut vocant, aulicæ aptavit, interiusque spatium latæ patentis areæ hippodromo destinavit. Hortum postremò, æstivâlemque in horto domum eleganti opere artificioque adjecit. ut non immeritò inter nobilissima Europæorum principum palatia, censeri possit. Quod in parva hac tabella oculis, quàm auribus, longâ descriptarum partium serie subjicere malui.

II. Illud non omisero. Portam illam, quam vides urbis simul pomeria, Electorisque hortum extremâ sui parte tangere, rudera etiamnum antiquissimi templi includere, quod Romano excitatum opere supra Browerus descripsit. Hominibúsne, an Diis olim consecratus locus fuerit, ægrè dispicias. Ego Deorum plurium cultui basilicam destinatam fuisse sentio, adeoque Centisanum, quod in turri ad Mosellam Barbarina Browerus collocat, hac potiùs in quadriformi mole, latè, ut reliquiæ testantur, in ambitum excurrente, statuendum esse decerno. Nam quadruplici veluti choro, in conchæ figuram circumducto, ad omnem se mundi plagam fronte ductâ porrigebat. ut illa forma Deorum quemlibet Romani sese venerari, hac æde suâ, profiterentur. quâ & celeberrimum illud Romanorum in urbe Pantheon, quod hodie Deiparæ consecratum, Maria rotunda dicitur, illustre etiamnum conspicitur: Diis olim universis dicatum; sed nunc rectiùs inscriptum Matri ac Virgini, quæ in Deo ac homine universam rerum naturam complexa videtur. At Treviri aliquantò etiam ad religionis feliciter mutatæ speciem convenientiùs, suum hoc Pantheon, unâ fronte templi subductâ, tribusque persistentibus, Sanctissimæ Triadi, Uni Trinoque Deo, omnem piè sacrarunt; quod in Numinis potestatem venerantur. Donec ab extremæ urbis mœnibus, quibus antiqua hæc moles incumbebat, hunc Sanctissimæ Trinitatis cultum, ad aliam, in umbilico urbis basilicam, quæ nunc est Patrum Societatis JESU, transferre placuit, & propugnaculi in usum plerosque veteris ædificii muros fundamentaque convertere.

Brow. cap. 14. Vetus Deorum templum Pantheon sive Cētisanum, pòst S. Trinitati dicatum, nunc in suis reliquiis Propugnaculo aptatum.

AD CAPVT XXIII.

NOTÆ ET ADDITAMENTUM. *De Vrbis & Archidiœcesis Treverica veteri amplitudine.*

I. Treviris Augusta Romanorum in Galliis imperantium aliquamdiu sedes, à Petro etiam Apostolo ad propagandam in Septentrione fidem delecta est.

TREVIRIS Romanorum, ut meminimus, Imperatorum Occidentalis in Gallia sedes, Roma altera, & Augusta Trevirorum urbs est nuncupata: Cùm post occupatam à C. Julio Cæsare Galliam, ampliorem illâ celebriorémque, non possiderent, neque alia his locis ad imperii contra Germanos defensionem sese offerret opportunior. Quin & celeberrimæ eâ tempestate urbis nobilitas Apostolorum Principem movisse existimanda est; ut ad Christianæ religionis propagationem huc potissimùm tres suorum discipulorum Eucharium, Valerium, Maternumque destinaret, qui hinc in septentrionem occidentemque se transfunderent. Uti Euchario Treviris subsistente, Divus Maternus ad Coloniam Agrippinensem ac Tungros, hanc Belgarum, illam Germanorum nobilissimam cis Rhenum sedem, fidei orthodoxæ regnum transtulit. Trevirorum enim id temporis dominatio, à Lingonibus Nerviisque ac Rhemensibus per Eburonum Tungrorumque fines longè in Belgium atque inde per Mosam ad Clivios usque Rhenúmque se porrigebat (uti ex Browero aliisque à me infra memorandis constabit) ut sede Religionis apud hanc gentem fixa, spes illius latiùs propagandæ haud modica affulserit. Et verò evenit deinde, fide ad Ubios Tongrósque ac vicinas gentes propagatâ, ut iidem, qui Trivirensium, hi & Ubiorum, Tongrorumque censerentur Episcopi; appareátque quàm latè id ætatis spiritualis etiam Trevirorum potestas fuerit explicata.

Hinc sub Ubii & Tungri habuere Episcopos.

Jam si priscam novámque Trevirorum Metropolim spectemus. Antiquæ caput urbis à *Saravi* Mosellæque confluentibus aquis repetendum erit, juxta Ausoniū, quatuor propemodū supra urbem modernam passuum millibus. ubi junctum cum Mosella Saravum intra sua recepit mœnia, per mediū urbis sinum, amisso sub Mosellæ fluctibus nomine, devolvendum.

Auson. in Mosell.

II. Latitudo urbis nunc

Hinc urbs septentrionem versus diversâ admodum latitudinis mensurâ, nunc inter angusta

arctata inter vicinos montes: nunc etiam per duo passuum millia fuit explicata: montibus fere ubique pro muris circumvallantibus.

angusta montium valliúmque, non arctata tantùm, verùm & firmata (quando rupes pro muris altissimas possidet) constringitur: nunc rursum, velut cedentibus ad pomœria urbis amplificanda montibus, in planitiem tantâ latitudine funditur, ut latera, ad duorum passuum millia explicet, & præcelsis ferè montium inclusa munimentis, naturâ loci ad sui defensionem fruatur. Quorum vertices ac latera alibi præcipitia, alibi sensim acclivia, nisi lapidibus sterilescant, aut vites, aut arbores vestiunt. Humiliora verò collium loca, ut ex Ausonio colliges, ducta circùm mœnia conclusêre. Arte illic suppeditante, quod natura non dederat. Ad Palatiolum amœna rursum urbs campi planitie, & rivulorum in Mosellam illapsu recreatur; ut quemadmodum caput urbis *Saravi*, nec procul inde *Suræ* fluentis, per æqua & prærupta haud magno intervallo illabentibus, irrigatur; sic & vestigia illius, hinc *Gelbis*, atque inde *Erubris*, laudati ab Ausonio amnes, jucundè abluant. Hæc veteris imago urbis, quam si cum præsenti magnis spatiis arctatæ compares, illud Virgilianum paucis mutatis jure repetas *Et Troës fuimus*. Nam post tot barbararum gentium irruptiones, & urbis funditus eversæ excidia, ad illam denique, quam tabulæ Geographicæ subjecimus speciem redacta; domos omnes cis Mosellam, olim urbem mediam interfluentem, contraxit, atque à priscis terminis ad has murorum collecta angustias, non paucas extra mœnium septa basilicas ac monasteria, quæ vides, per cāpos suburbanos sparsa, reliquit. Sed de his supra Browerum consule.

III. Jam si veteris, quo latè Treviri subjectis urbibus populisque dominabantur, imperii terminos scrutemur, plerosque à Browero designatos, magis in proposita exhibere tabula, quàm repetitâ oratione lubuit prosequi. Illam ut supra dedimus operâ P. Werneri Lotley Matheseos in Gymnasio tricoronato Ubiorum professoris, cùm priscis ferè tum novitiis exaratam locorum appellationibus, ad faciliorem historiæ captum pertinere censui. quamvis non una omnium in metandis cis Rhenum Germanorum populis opinio. Quòd in tam inconstanti gentium ultro citroque cōmeantium, atque, eadem in sede etiam, nunc arctiùs, nunc diffusiùs habitātium, difficile sit, sua quamque statiōne circumscribere. quando aliæ loca, aliæ nomina quoque cum cælo permutarunt, ut linguarum indolisque metamorphoses prætercam. Ita qui nunc Franci, Germani olim, linguâ ab his modo ingenioque non parùm dissident, postquam in Gallorum Romanorumque possessiones atque imperia transmigrarunt. Porrò, quòd Treviri ab ipsis Ubiorum agris, quà septentrionem spectant, austrum versus ad Lingones Rhemósque usque, quidquid Rhenum Mosámque ac Mosellam interjacet moderati fuerint, alterius eruditi scriptoris testimonio firmare maluero, quàm meo judicio definire. Sic ille in sua inferiore Germania M. S. differit, desumpto ex Cæsare potissimùm argumento. *Treviri, inter Germanicæ originis populos, quondam in Galliam progressos, Belgarum omnium, ante Romanorum adventum potentissimi, non modò ad Mosellam & Rhenum amplum & florens habuerunt imperium; sed & secus inferiorem ripam longè infra Andernacum, imò infra Coloniam Asciburgium usque, contra quam definit Cluverius, dominati sunt. Id inprimis colligitur ex Cæsare, qui libro 6. pontem se dicit extruxisse in Treviris, contra Suevos & Sicambros in oppositam Ubiorum regionem. Utrumque autem Cæsaris pontem longe infra Andernacum Rheno impositum fuisse, & primum quidem Bonnæ, alterum juxta Coloniam constat. Præterea idem Cæsar libro 4. dicit Eburones & Condrusos fuisse Trevirorum clientes: non dubium, quin olim, aut ab iis victi, aut contra hostes defensi cesserint victoribus propugnatoribusq; suis ripam fluminis, ipsi mediterraneis ac Mosa suo contenti. Hoc minimum hinc, ut certum concluditur, ripam in Menapios usque Treviris clientelarem ac vectigalem fuisse, adeóque juris Treverici. Eodem Cæsare teste libro 5. silva Arduenna, per medios fines Trevirorum à flumine Rheno usque ad initium Rhemorum pertinuit, adeoq; eorundem Trevirorum regionem secuit, ut & trans illam versus septentrionem rerum potirentur. Ergo & infra vastum illud nemus, quod Bonnæ ac Coloniæ ad occasum objacet, Villa nuncupatum, Arduennæ veteris reliquiæ.* Hæc aliaque in hanc sententiam ille. qui tamen nequid Coloniæ hac oratione deroget, negat in Urbem Agrippinam, translatis cis Rhenum Ubiis, per Romanos excitatam, quicquam Treviris juris relictum, Romā in suos Colonos jus sibi supremum vendicante. Quod equidem concesserim, si præter antiquum Trevirorum dominatum, ea quoque tempora exceperis, quibus Imperatores aut Prætores Romanorum è sede Treverica Galliæ Germaniæque vicinæ dominati sunt

Treviri olim per utrumque Belgium, & Germ. inferiorem dominati sunt.

In histor. infer. Germ. M.S.

IV. Neque negligendum nobis hoc loco videtur, quod Gelenius in Sacrario suo Agrippinensi testatur: Burungum seu Buruncum, locum inter Ubios Novesiúmque esse, nunc Woringen dictum, qui alæ legionis quintæ Romanorum stativis celebratur, ubi Cippus hac ætate repertus sit Trevirensi olim civi inscriptus, argumento posteris, Trevirorum huc se quondam fines porrexisse. Neque enim credibile virum nobilem suæ si non immorantem, certè propinquum patriæ, in alieno potiùs agro, quàm proprio monumentum sepulchrale ab agnatis habuisse. Dignum porrò illud est, quod in Trevericis antiquitatibus memoriam reperiat. Tribus assurgens Cippus areis, seu tabulis lapideis, discriminatur: in quarum suprema exhibetur feminudus adolescens innixus sinistro brachio velut in stragula ac pulvinari, accumbens mensæ tripodi, in qua duo vasa cum cibis ac scyphis. Ad pedes puer adstat manibus decussatim compositis. Media tabula hanc complectitur epigraphen

Gelenius in Sacrar. p. 198.

Monumentum Trevericum infra Ubios.

ALBANIO VITALI
EQ. ALÆ INDIANÆ
TURBARBI CIVI
TREVERO AN. XXX. S
. . . . ✝. P. X.
H. EX. T. E. C.

In infima tabula equus generosus stragula & phaleris ornatus, ex cujus ephippio scutum oblongum dependet, famulo fasces ferente, loroque equum à tergo regente. Quæ figura ostendit Albanium equestris apud Treviros fuisse

fuisse nobilitatis virum, quique Magistratum in suos vivus gesserit, in ætate tamen florente defunctum sub annum trigesimum, epulisque, ut fingebant, Deorum adhibitum; sed cum luctu filii patris immaturum fatum cum dolore prosequentis. Hoc enim potissimùm tabulæ supra infráque epigraphen adhibitæ apparet esse argumentum. An huic aliqua cum Albana vidua Christianam fidem in primis Eucharii sectatoribus amplexa, cognatio intercesserit, suspicari magis licet, quàm in historia asserere.

Certè Treviros latè olim ultra citraque Rhenum dominatos esse, Lindanus[a] in sua historia Trevirensi multis authoribus tuetur. In hanc enim sententiam Franciscum Irenicum[b], Henricum Mutium[c], Ægidium Corrozæum[d], Dionysium Stratorem, aliósque producit. atque ex Eisengrinii Spirensi chronico, hos versus antiquo peristromati summæ ædis inscriptos recitat:

a In histor. Trev. MS.
b In Exegesi Germ. l. 12.
c Lib. 2. de Germania.
d In Annal. Franc.

Treviris urbs multis bello quod culta triumphis,
Cum populis fortes sibi quinque subegerat urbes,
A quibus immensum consuevit tollere censum,
Quo locupletari capit simul & dominari.

Hæ sunt urbes illæ paulò superiùs à Browero nominatæ, ut Colonia Agrippinatum (quæ illâ, quâ diximus, moderatione subesse potuit) urbs Nemetum seu Spirensium, Vangionum seu Wormatiensium, Argentoratum sive Argentina. Quantum verò his universè autoribus tribuendum sit, prudens lector judicabit. Mihi, ut in hisce antiquitatum tenebris antiquitatum multa obscura sunt; ita sufficiet alieno rem, utcũque excussam, judicio exposuisse.

IN CAPUT XXIV. Num. XXXII.

Expositio Monumenti sepulchralis à Browero *supra propositi.*

Non existimavi Tabulæ hujus sepulchralis emblema sine expositione aliqua prætereundum; ne mutis tantùm imaginibus expleamus historiam.

Cernis in superioris tabulæ parte exedram, cui tres personæ grandiores, velut ad capessendam quietem insident; oblongo omnes atque ad talos defluente, qui Romanorum erat civium, habitu: Dexteram maritus obtinet, sponsalémque, duobus in librum digitis porrectis, fidem jurat. lævam conjux tenet, mediusque utrosque Hymenæus intersidens conjungit. matrimoniali, ut apparet, fide, à thalamo ad tumulum usque traductâ. Qui ad pedes utriusque conjugis sub epigraphe repræsentantur, quinque ex liberis, & plerique mares, videntur: illo se consecuti ordine, quem digiti in consequentes intenti monstrant; ut si dicerent:

Nascimur, ac tandem fato denascimur uno.
Qui legis, hoc positos ordine, disce sequi.

Digitus enim ultimi in suum spectatorem quoque directus, tacitè monet: *Tu sequeris.* Quo præcipua Ethnicorum Philosophia proponitur, quam dicebant esse *meditationem mortis*, seu considerationem finis nostri, ad quem vita hominis sapienter est dirigenda.

CAPUT XXVII.

ad Proparasceven additum.

De Academicis literarum studiis, ac diversarum scientiarum disciplinis jam olim apud Treviros repertis.

I. Quæ de literarum studiis, linguarum diversarum apud Treviros antiquiores usu, diversoque scientiarum ac disciplinarũ genere Browerus in hoc Antiquitatum prævio Apparatu neglexit, hæc mihi paucis loco præsenti commemoranda duxi, cùm fusiori illa tractatione nuperis annis prosecutus sit, vir omni scientiarum studio apprimè excultus Jacobus Meelbaumius, in sylva sua Academica: ubi in ceteris tradit: non Græcæ tantũmodo linguæ usum, verùm & Latinæ, multò ante tempora Romanorum Galliis dominantium, in hasce regiones introductum esse: tum quòd Galli priscis temporibus, victricibus latè armis, per Græciam Latiumque effusi, non paucas illorum regiones insederint, commerciúmque linguæ, unà cum spoliis gentium, secum traduxerint, ut supra cap. & ejusque additamento, tradidimus.

Latinæ Græcæque linguæ usus apud Treviros olim receptus.

Et Meelbaumius quidem versus illos cap. 4. recitatos de Trebeta, Nino patre genito atque à Semiramide Noverca profugo, Treviris Conditore, diu ante Romanos in Galliam receptos, Latio sermone exaratos arbitratur. Neque ab hac sententia alienum est, quod Titus Livius tribus ante Cæsarem sæculis factum asserit, cùm Gallum eximia corporis magnitudine in Romanum pontem processisse, atque his vocibus adversarios provocasse memorat: *Quem nunc*, inquit, *Roma fortissimum virum habet, procedat agedum ad pugnam. Vt noster duorum eventus ostendat, utra gens bello sit melior.* Cui suffragatur, quod cum Induciomaro Trevirorum Principe usu deinde venisse Cæsar tradit. Huic enim filiisque ac propinquis Cæsar, nisi Latino sermone, locutus non creditur. *Induciomarum*, inquit, *ad se cum CC. obsidibus venire jussit. His adductis, & filio propinquisq. ejus omnibus, quos nominatim evocaverat: consolatus Induciomarum, hortatusq. est, ut in officio permaneret. Nihilo tamen secius Principibus Trevirorum ad se convocatis, eos sigillatim Cingentorigi commendavit.* Quos nominatim evocat, & sigillatim convenit, utique sine interprete compellavit: & quâ linguâ, nisi Romana? Jam verò & Græcam istic floruisse, præsertim apud Druidas ex Cæsare novimus. neque nos latet, quod Varro Massilienses Latini juxta Græcique sermonis peritos faciat.

Lib. 7. cap. 9.

Comment. lib. 5.

II. Porrò omne disciplinarum studiorúmque jam olim genus floruisse in Gallia, & apud Treviros facilè deprehendet, quisquis veterum scriptorum monumenta volverit. Cæsar duo maximè hominum genera celebrat: alterum Druidum, alterum Equitum: illosque disciplinis variis, tam ad religionem, quàm politiam spectantibus præficit, à belli tantùm muneribus vacuos. Quocirca hi illam, quæ in gentilium scholis audiebatur, Theologiam, hi Jurisprudentiæ placita, Philosophiæ arcana, Mathematicorum scita, ac regulas, tantâ aucto-

Druidæ olim apud Gallos Trevirósque omne disciplinarum genus tradidére.

ritate & scientiarum opinione, non inter privatos tantùm Academiarum parietes, sed publicis etiam ad populum exedris tradebant: ut nefas vix expiabile haberetur eorum decretis obluctari. Cæsarem loquentem audiamus: *Lib. 6. Comment.* *Illi*, inquit, *rebus divinis intersunt, sacrificia publica, & privata curant, religiones interpretantur.* En Sacerdotum Doctorúmque sacrorum penes Druidas officium. Pergit. *De omnibus ferè controversiisq; publicis privatisq; constituunt. & si quod admissum est facinus, si cædes facta, si de hæreditate, aut finibus controversia est, iidem decernunt præmia, pœnasq; constituunt. Si quis aut privatus, aut publicus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt. Hæc pœna apud eos gravissima.* En juris tradendi dicundique apud eosdem supremam potestatem. quam magis deinde explicat. *Hi*, inquit, *certo anni tempore in finibus Carnutum, quæ regio totius Galliæ media habetur, considunt in loco consecrato. Huc omnes undique, qui controversias habent, conveniunt, eorumq; judiciis decretisq; parent. Disciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam translata esse existimatur. Et nunc qui diligentius illam recognoscere volunt, plerumque illo discendi causâ proficiscuntur.*

Theologiæ veteris studia, & Jurisprudentiæ.

III. Philosophiæ verò apud eosdem studia viguisse Divitiacus Æduorum Princeps & Druidum antistes, apud Ciceronem, testis nobis futurus est. Is enim cùm adversus Sequanos Germanosque Romam auxilia petitum venisset, atque in Ciceronis ædibus divertisset, studiorum utique communione fretus: Quintus frater ejusdem, *in libris divinationum* ad M. Tullium, sic de eo loquitur: *In Gallia Druides sunt, è quibus ipse Divitiacum Æduum hospitem tuum laudatoremq; cognovi, qui & naturæ rationem, quam Physiologiam Græci appellant, notam sibi profitebatur, & partim auguriis, partim conjectura, quæ essent futura, dicebat.*

IV. Frequentes verò ad has disciplinas capessendas magnóque studio, in præcipuis Galliæ urbibus, id temporis confluxisse, Cæsar abundè testatur. *Multi*, inquit, *in disciplinam conveniunt, & à propinquis parentibusq; mittuntur. Magnum ibi numerum versuum ediscere dicuntur. Itaq; nonnulli annos viginti in disciplina permanent. Neque fas existimant ea literis mandare; cùm in reliquis ferè rebus publicis privatisq; rationibus, Græcis literis utantur. Id mihi duabus de causis instituisse videntur. quòd neque in vulgus disciplinam efferri volunt, neque eos qui discunt, literis confisos, minus memoriæ studere. Quod ferè plerisque accidit, ut præsidio literarum, diligentiam in perdiscendo, ac memoriam remittant. Imprimis hoc volunt persuadere, non interire animas, sed ab aliis post mortem transire ad alios. Atque hoc maximè ad virtutem excitari existimant, metu mortis neglecto. Multa præterea de sideribus, atque eorum motibus, de mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de Deorum immortalium vi ac potestate disputant, ac juventuti tradunt.*

Docendi discēdique tempus, modusque.

Lib. 3. Annal. Tacitus quoque de bello acturus, quod cum Julio Floro Trevirorum Principe Julius Sacrovir Æduorum sub Tiberio moverat: *Apud Æduos*, ait, *Augustodunum caput gentis armatis cohortibus Sacrovir occupaverat, nobilissimam Galliarũ sobolem, liberalibus studiis ibi operatam, ut eo pignore parentes propinquosq; eorum adjungeret, simul arma occultè fabricata juventuti dispertit. Quadraginta millia fuêre, quintâ sui parte legionariis armis, cæteri cum venabulis & cultris.* Si tantus Augustoduni studiosorum numerus; an Treviris eum senties defuisse? Et si hic disciplinarum vigor apud barbaram etiamnum gentem, qualem apud excultam Romanis moribus literisque extitisse dicemus. quãdo usque adeò liberalium in Gallia artium studium invaluit, ut Romano sermone non modò senes juvenésque, sed puellæ etiam uterentur, *Martiale*, qui sub Domitiano scripsit, *teste*:

Artes & disciplinæ sub Romanis promotæ.

Lib. 7. Epig. 71.

Fertur habere meos, si vera est fama, libellos
Inter delicias pulchra Vienna suas.
Me legit omnis ibi senior, juvenisq;, puerq;,
Et coram tetrico casta puella viro.

Et Ausonius sub Gratiano de Virgine ad Rhenum nata Romani sermonis peritâ, ait:

Linguæ Latinæ studium inter fœminas.

Ambiguã modò lingua facit, modò forma puellã,
Hæc Rheno genitam prædicat, hæc Latio.

Unde Latius id temporis sermo vulgatus admodum in Gallia fuisse intelligitur, cùm ad sequioris etiam sexus usum translatus sit.

V. Summâ verò eloquentiam Romanam æstimatione floruisse ex Diocletiani & Maximiniani Imperatorum vita apud Sigonium intelliges, ubi Constantius Chlorus Eumenium Rhetorem ad professionem oratoriæ facultatis in Galliam advocat; atque ita concludit literas: *Salarium te in sexcentis millibus nummûm* (hoc est; sex millibus coronatorum, ut vult Budæus de asse lib. 2.) *ex reipub. viribus consequi volumus; ut intelligas, meritis tuis etiam nostram favere clementiam. Vale Eumeni charissime nobis.* Nec talem unum aliquem in totâ Galliâ reperiri erat, sed in præcipuis quibusque urbibus, etiam plures. Statuerat enim jam diu ante Antoninus Pius, in *l. si duas 6. § 2. ff. de excusatione*, tam de aliis sententiis & artibus, quàm de Rhetoribus, hoc modo: *Minores quidem civitates possunt quinque Medicos immunes habere, & tres Sophistas, & Grammaticos totidem: majores autem civitates septem qui curent, quatuor qui doceant, utramque doctrinam: maximæ autem civitates* (in quibus Treviris, *maxima*, ut Zosimus loquitur, *trans Alpes*) *decem Medicos & Rhetores quinque, & Grammaticos totidem.* Ut proinde hæc studia, jam olim sub Romanis, Treviris floruisse, dubitare cum ratione non liceat. Quid? quod Lactantius Firmianus Crispi Cæsaris ex Constantino nati Præceptor Treviris, cum non solùm bonis artibus, sed & moribus aulâ dignis (ut alibi Browerus disertiùs tradit) informaverit; Ausonioque ibidem Gratianus & Valentinianus hujus nominis Cæsaris Filii Magistro usi sunt, qui fasces scholares denique, Gratiani favore, cum consularibus permutavit, Galliarum insuper præfecturâ donatus. Idem verò Gratianus cum Valente & Valentiniano, quando Professoribus harum artium disciplinarumque per Galliam constituit proventus annuos, Treviros cæteris Galliarum urbibus præfert. *Optimi*, inquit, *cuiq; erudiendæ præsint juventuti, Rhetores loquimur, & Grammaticos Atticæ Romanæq; doctrinæ. quorum Oratoribus viginti quatuor annonarum* (harum singulæ dimensum annui victus continebant)

Eloquentiæ studium æstimatum.

Sigon. de imper. Occid. lib. 1. ad annum 298.

Medici Sophistæ & Grammatici privilegiati.

Lib. 5. πόλις μεγίστη ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἔστιν.

Lactantius & Ausonius Treviris docuêre.

VI. Treverici Doctores cæteris prælati.

Lib. 13. Cod. Theod. tit. 3. l. 11. de Medicis & Profess. Edit. Iac. Cujacii.

Salarium ingens Doctorum.

bant) *è fiſco emolumenta donentur. Grammaticis Latino vel Græco, duodecim annonarum deductior paulò numerus, ex more, præſtetur. ut ſingulis urbibus, quæ metropoles nuncupantur, nobilium profeſſorum electio celebretur. Trevirorum verò clariſſimæ civitati uberiùs aliquid putavimus deferendum. Rhetori ut triginta, item viginti Grammatico Latino, Græco etiam, ſiquis dignus reperiri potuerit, duodecim præbeantur annonæ.* Unde manifeſtum eſt Treviros Galliæ totius urbibus in Academiæ dignitate, & profeſſorum ac diſciplinarum artiumque flore prælatos eſſe.

Porrò qui ſingulas per artes diſciplinasque liberales Trevirorum ire volet, conſulat Meelbaumium latiùs in ſilvâ illâ ſuâ exſpatiantem. nobis iſta, quæ Auſonius in elogio Moſellæ, & Browerus in diſcurſu hiſtoriarum promunt, universè ſufficient. Ita enim purpuratus ille Vates canit.

Salve magne Parens, frugũq; virûmq; Moſella.
Te clari proceres, te bello exercita pubes,
Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.
Quin etiam mores, & lætum fronte ſeverâ
Ingenium natura tuis conceſſit alumnis.
Nec ſola antiquos oſtentat Roma Catones,
Aut unus tantùm, juſti ſpectâtor & æqui,
Pollet Ariſtides, veteres qui illuſtrat Athenas.

Poſtquam deinde ſubjeciſſet, in aliud ſe tempus, magis à curis vacuum, locupletiùs Trevirorum Belgarumque mores deſcribendos rejicere. Addit:

Quis mihi tũc nõ dictus erit? Memorabo quietos
Agricolas, legumq; catos, fanaiq; potentes
Præſidium ſublime reis. Quos curia ſummos
Municipum vidit proceres, propriumq; Senatũ
Quos prætextati celebris facundia ludi
Contulit ad veteris præconia Quintiliani.

SCHEMA VOLUMINUM IN BIBLIOTHECAM ORDINE OLIM DIGESTORUM, Noviomagi in loco Castrorum Constantini M. hodiedum in lapide reperto excisum.

VII. Bibliothecæ veterum, & voluminũ cujuſmodi fuerint.

Reperi, quod huc facit, bibliothecæ veteris, apud Treviros uſurpatæ ſchema exciſum in lapide Novimagenſi, cujus etypon penicillo & ſcalpro elaboratum huc tranſtuli, ut oculis priſcorum voluminum formam conditionemque uſurpares, cùm magis hæc animum feriant, quæ ſuis expreſſa lineamentis ſpectantur, quàm quæ ſola auditione accepimus. An publicæ hæc Academicæque bibliothecæ, an privatæ tantùm, rationes juſtitiæ, dati acceptique complectentis, ſpecies ſit, in aula fortaſſis Conſtantini Imp. ſpectata, nolo definire. Mihi ſatis eſt, priſcorum Lectori voluminum, & in ordinem bibliothecæ digeſtorum ideam propoſuiſſe. Neque enim alia olim conſcribendorum librorum ratio. In uno, vel folio, vel cortice, vel corio, aut membranâ explicatâ, ſeries rerum ſcribendarum exarabatur, quæ à fine ad caput uſque in orbem convoluta, à legente ſenſim erat aperienda. donec tandem membranæ, ac poſtremò chartæ etiam modernæ repertus uſus, ſcriptisque primùm libris, ac denique typis, typographicáque arte excuſis uti cœpimus. Plinium de uſu priſcorum voluminum paucis audiamus. *In palmarum foliis primò*, inquit, *ſcriptitatum: deinde quarundam arborum libris, poſtea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta, aut ceris. Pugillarium enim uſum fuiſſe etiam ante Troiana tempora,*

Plin. l. 13. hiſt. nat. c. 11.

Quæ materia & forma voluminũ.

invenimus apud Homerum. Mox æmulatione circa bibliothecas Regum Ptolomæi & Eumenis, supprimente charta, Ptolomæo, Varro membranas Pergami tradidit repertas. Postea promiscuè patuit usus rei, quâ constat immortalitas hominum. Libros appellat cortices arborum, papyri imprimis, celebratæ apud Ægyptios arbusculæ. Hi literis exarati convolutique à volvendo suum voluminibus nomen reliquêre, uti & librorum papyrique vocabula, hodiernis chartis scriptisque mansêre, à veterum usurpatione traducta; mutatis quidem rebus, sed nominibus invariatis. Animadvertes, opinor, ex præsenti etiam schemate, quemadmodum claudi signarique volumina priscorum solerent: cùm alia triangulari signo conclusa; alia sine omni obsignatione aperta conspicias. Notabis quoque sua fuisse singulis loculamenta, quo recondi possent: cùm assidentem juxta bibliothecæ Præpositum, aut libellorum Magistrum apprehensum manu volumen suô locello recondere videas.

VIII. Ex his aliisque cùm monumentis, tum supra memoratis testimoniis minimè obscurum est, pleraque liberalium artium ac scientiarum studia, apud Treviros olim, & antè, & sub Romanorum illic florente imperio egregiè culta fuisse. Verùm excisa deinde Augusta Trevirorum urbe, quam ævo suo quadruplici eversione prostratam Salvianus memorat, Alemannis, Vandalis, Hunnisque latè omnia populantibus, multum à pristinâ urbis studiorúmque gloriâ deflexit, & quamvis sub Francis denique imperantibus decus splendoremque suum, velut post morbum diuturnum reflorescens corpus, recipere visa sit; tamen à Nortmannis rursum sub Carolo Crasso Imp. ferro flammâque deformata est, donec receptis sensim viribus opibúsque, quantùm de pristino decore ac magnitudine urbis amisit, tantùm sub Ottone III. Imperante & Gregorio V. Apostolicæ Sedi præsidente dignitatis recepit. Cùm utrimque summâ authoritate constitutum est, ut Electoralis Imperii Rom. Sedes esset, Archicancellarii titulo per Galliam & regnum Arelatense adjecto, quâ hodiedum potestate, in Imperio & honore per Galliam fruitur, tribus etiam Episcoporum infulis Metensium, Tullensium, & Virdunensium, summæ hujus Archiepiscopi authoritati obnoxiis. Quocircà antè hoc tempus, jam sub Ottone I. non ingloriam Trevirorum sedem, neque à bonarum artium studiis sub Archiepiscopis suis alienam fuisse oportuit, quando ab eodem Imperatore laboratum est, ut neglectæ per imperium Academiæ, & liberalium artium scientiarúmque cultura, bellorum injuriis obtrita, ex squalore suo ad vigorem antiquum excitaretur. Quanquam docendi id temporis onus in religiosorum humeros ferè reclinatum asserant, in quibus Benedictinos Monachos, & Canonicos Augustinianos præcipuos fuisse constat. qui, ut Sigonius ait, *cæteris antecedere eloquentiæ laude, ac varia literarum doctrina putabantur*: ideóque ad sacra hæc asceteria, tanquam religionis quædam ac disciplinarum Gymnasia frequens juventus confluxit.

Lib. 6. de Gubern. Dei.

Academiæ Trevericæ gloria, multum bellis oppressa.

Sub Ottonibus Imp. cum urbe refloruit.

Sigon. in Ottone I.

IX. Verùm tamen Academiæ Trevirensis curam Collegio Canonicorum ad S. Germanum fuisse multo tempore creditam, fat exploratis testimoniis habetur. quandoquidem Marchionis Badeni, Ecclesiæ Trevirensis Archiepiscopi, literæ ab anno 1499. tenentur, quibus cujuscunque ordinis Religiosis Ecclesiasticisque, sub horum Canonicorum disciplina eruditis, & matriculæ, ut vocant, Universitatis adscriptis, post examina, & experimenta doctrinæ publica, magisterii non tantum honos, verùm & docendi facultas indulgetur. donec postremò languentibus rursum studiis, atque hæresi in urbes docentiúmque exedras irrumpente, Joannes à Petra Sedis Trevericæ Pontifex circa annum Christi 1559. Societatis Jesu Patribus in hanc urbem advocatis, *summo*, ut Meelbaumius ait, *fidei Catholicæ & literarum bono*, humaniores illis literas, Philosophicamque ac Theologicam Cathedram in Universitate commisit. ex quo tempore nihil illi ad ejusmodi studiorum cultum, frequentiamque, quam hodiedum florentem observamus, defuisse compertum est. Fruitúrque priscis Imperatorum Pontificúmque indultis, quæ illustribus per Europam Academiis, cum libertatis juriúmque suorum prærogativa conceduntur. Hæc cùm usu magis, quàm publica diplomatum Apostolicorum testificatione possiderent, Jacobus de Sirck Summus Trevirorum Antistes anno salutis 1454. consultum Universitati Pontificis authoritate cupiebat; ideóque à Nicolao V. literis Apostolicis, generale apud Treviros studium esse ac fore pronunciatur, non privilegiis tantùm Coloniensis Universitatis eidem delatis, verùm beneficiis etiam diversarum Ecclesiarum subsidii gratiâ attributis, ut suo aliquando loco expliciatiùs declarabimus.

Canonici ad S. Germanum Academiæ Trevericæ præfecti.

Syl. cap. 20. Denique ad Patres Societatis Jesu scholæ translatæ sunt.

Universitatis privilegiis à Nicolao V. Pont. firmatis gaudent.

FINIS.

R.P. CHRI-

R. P.

CHRISTOPHORI BROWERI SOCIETATIS JESU, ANNALIVM TREVIRENSIVM.

LIBER I.

GALLIÆ, quæ trans Alpes est, partium trium una Belgica: quam Rhenus flumen alluens, ab Ortu & Septentrione dividit, à magna Germania. Geltas, quos Caius Julius dixit restricto nomine, Ligeri & citeriore Garumnâ fluviis nobiles relinquit, spatio ac cœlo inter Occasum Solis & Meridiem. At Oceanum inspicit ad Occasum æstivum.

I. Belgicæ situs.

Tacit. lib. de German. Strabo lib. 4. Plin. lib. 4. cap. 17.

Atque hæc ferè antiquitus metati loca populi, qui intra Mosæ, Sequanæ, Matronæ, Mosellæ, Scaldis, & Rheni fluminum alveos & ostia in varias sedes, domiciliáque tributi, sive trans Rhenum orti, sive cis flumen educti, præcipuum in Galliis & apud exteros, virtutis ac bellici roboris obtinuere decus.

II. Trevirorũ antiquitas.

Cæsar lib. 1. Tac. lib. de German.

Sed inter ipsos præcelluêre Belgas, circa affectationem Germanicæ originis, ambitiosi, Nervii ac Treviri. Certè Treviros in Belgis, eâ fortitudine prædicant, atque animorum ferociâ, ut his amarent notis à similitudine, & cæterorum Gallorum inertiâ separari; promúntque causas, tum quod ab externis alieni commerciis, voluptatibus omnibus iis, & illecebris carerent, quibus idoneum militiæ robur enervari, & bellicosi spiritus infringi solent; tum quòd ob Germaniæ vicinitatem, quâ cum assidua, continentiáque bella ipsis intercedebant, probandæ virtutis atque industriæ seges, nusquam deesset. Quin & parentes ac gentiles imitati suos, quàm regionis ipso solo, tam patriis institutis, acriùs animabantur Treviri. Et, quia veteris famæ vestigia quoque in hac sterilitate nobis urgenda, non istuc velim ostentationi dari, si ad Galatarum gloriam fortunámque Treviros admisceam.

NB. ab anno ante Christũ 2003. quando Treviris excitata creditur, nihil de hac, inter Galatas Gallosve comprehensa, usque ad Romam à Gallis oppugnatam certũ est.

III. Treviri Galatarum ac Gallogræcorum posteri. Treviri an Cimmeriis cognati. *Lib. 1 & 11.* Trerones ac Treres antiqui Cimbri Treviris non dissimiles.

Equidem longiùs fateor, retrò processerim, si Cimmerios etiam suis è tenebris ad Treviros ornandos accersiero: quippè quos gentium veterrimos eosdémque, cum Cimbris Strabo non uno loco meminit in suo populo, numerasse Trerones ac Treres, cùm vocis affinitate, tum peregrinationis exitu, Treviris haud dissimiles, utpotè quos Thracibus, ait, longinqua peregrinatione se miscuisse: quin & Phrygiæ ac Paphlagoniæ & Ponti regioni dextorium supervenisse. Ac ne iter hoc in Celtica, vel Germanica gente videatur incredibile, ex Posidonio narrat alibi, Hercynios saltus appetisse, & sedium causa cum Boiis, aliisque Celtis multiplex certamen habuisse; ut, quàm facilis aditus in Illyricum Boiis, Trocmis, Tectosagibus, aliisque, qui ex Hercynia in Asiam migrarunt, aperitur, tam expeditum Treribus extitisse ac Treronibus, ostendi possit.

Strabo lib. 7. Boii, Trocmi, Tectosages, vel *ut in Auson.* Teutosagæ Galatarum majores.

IV.

Sed, hæc tam vetera & obsoleta literarum monumenta, quæ dudum pro inanibus exploduntur, haud ingerimus; & Aborigines hos Cimmeria caligine mersos & sepultos fortè frustrà resuscitemus. Itaque Galatarum ver illud sacrum laudamus, cujus germen ab usque Hercynio nemore, ut volunt, in Asiæ meditullium se profudisse, creditur. Etenim ex Trevirorum majoribus ortos, qui Tectosagibus, Trocmis, & Tolistobogiis socia jungentes arma, seu inopiâ agri, seu prædæ spe, per infestissimas & remotas profecti gentes, Brenno duce, penetrarunt in Asiam, tum ex linguæ vestigiis, tum insitis, suâ dum ætate Trevericæ genti spiritibus, sapienter collegit beatus Hieronymus. Nam, qui Gallo-græciam condiderint populi, hos ex ferocioribus Gallorum, sive Celtarum nationibus, ait, extitisse; neque ingenii acumine adæquasse cæteros, qui Græcis & Phocicis vel Phocæensium adeo natalibus gloriabantur; qua de causa excusatiùs, à Gentium Doctore stolidos etiam audiisse atque vecordes. Porro Galatarum imperii ortus & incrementa, Tito Livio, nemo, quod sciam, accuratiùs est persecutus; ut ipsius non fide modò, sed & sententiis, ubi res postulabit, nitendum sit.

Joan. Gorop. Becan. in Vertumno. Ver sacrum de quo P. Sith. 3. adv. subs l. 1. c. 6. I. Scaliger. ad Chron. Eusebii. Marc. Velser. rerum Boicarum lib. 1. Livius Dec. 4. lib. 8. Strabo l. 4. Justinus l. 24. Suidas. Pausanias in Phocicis. Com. ad ep. ad Gal.

B. Paul. ad Gal. c. 3.

Justin. l. 24. Liv. dec. 1. lib. 5.

V. Galatarum varia expeditio.

Galatarum complures ex diversis ultimæ Galliæ regionibus, redundante plus nimio multitudine, partim per inexuperabiles ad eum diem & clausas gentibus exteris Alpium angustias, in Italiam effusi; partim Illyricos rimati sinus, per cædes multiplices, & hominum strages in Pannoniam influentes, certatim ad sedes quærendum novas, incredibili quondam studio exarsere.

Galatæ Pãnoniam adeunt.

VI. Macedoniam & Græciam pervadunt.

Horum, quibus perdomandæ Græciæ cura insederat, subjunctâ sub potestatem Pannoniâ, divisis inter se agminibus, alii Macedoniam, alii Græciam, infestis itineribus, adiere. Hominum ad trecenta millia fuisse, prodidit ex Trogo Pompeio Justinus. Qui in Græcia rem gesserunt, horum Livius prosequitur successus: Brenni quippe ductu, primum pervenisse in Dardanos: ibi ortâ seditione, & viribus in diversa distractis factam secessionem.

Digitized by Google

VII. * Lomnoriũ. Thraciam & Propontidos oram debellant.

* Leonorium autem & Lutarium, cum viginti millibus in Thraciam, defectione à Brenno facta, irrupisse; pugnandoque tantum profecisse, ut oram Propontidis sibi vectigalem fecerint, regionis ejus urbibus omnibus sub imperium redactis; id quod Polybius post Delphicam Brenni cladem accidisse, & Commontorii Gallorum Regis auspiciis ductuque gestum, prodidit.

VIII. Polyb. l. 4. In Asiam perveniũt.

Inde in Asiam transeundi cupido incessit: atque cum Nicomedi Bithyniæ Regi felicem juxta ac fidelem adversus Zybeam in bello operam navassent, pari felicitate in Asiam digressi; tantum terroris cis Taurum incolentibus attulêre, ut quas adissent, quasque non adissent, pariter ultimis propinquæ nationes, advenarum haud gravatè imperium acciperent. Quare secundum numerum gentium ex Gallia profectarum, Asiam ipsos in tres distributam partes, sic divisisse perhibent; ut cuique sua populorum portio vectigalis obveniret; Trocmis Hellesponti ora data; * Tolistobogii, Æolida atque Ioniam; Tectoságes verò mediterranea Asiæ sortiti loca.

Asiam inter se partiuntur.

* Boios intelligi ducit M. Velf. rerum Boic. l. 2.

IX.

Qua de trium gentium migratione Strabo disertè, etsi exploratum sibi negat, quibus è locis Galliarum profectæ in Asiam pervenerint, cùm Tolistobogiorum ac Trocmorum citra ultráve Alpes, vel in Alpibus ipsis ætate sua sedium vestigia non extiterint, ipsos tamen è Celtico migrasse cognationem satis arguere, quam inter se & cum Tectosagibus Tolistobogii ac Trocmi habuerint: tres Principes scilicet populi, sub quibus & minores latuère. In eam verò molem, succrescente paulatim sobole, Galaticæ gentis imperium sese erexit, uti fixis jam collocatisque certis circa Halyn flumen, sedibus, non Asiam tributis modò fatigârint universam, sed & Syriæ quoque Reges ad postremum dare compulerint stipendia. Ab hac vero Livii fide propè abest Justinus, hactenus fortè discretus, quod tenuius Galatarum origines, Delphicam & Macedonicam expeditiones accuratiùs attigit.

Tectosages, Trocmi, & Tolistobogi cognati.

Strabo l. 4.

Strabo l. 12.

Livius & Justinus conciliantur.

X. Ptolomæus rex à Bolgio Gallo cæditur.

Cæteris itaque jam Regibus ultrò pacem à Galatis ingenti pecunia mercantibus Ptolomæus cognomento Ceraunus aut Fulmineus Macedonum Rex, unus objicere se magno contemptu Gallorum copiis ausus, prælio cum Bolgio aut Belgio Duce Galatarum conserto, vivus in potestatem venit; præcisúmque cervicibus caput & fixum lancea, terrorem suis, ludibrium hostibus attulit. Interfectum hunc Ptolomæum, Olympiade centesima vigesima quarta, comperta ex Polybio fides; cujus temporis rationem Eusebius item rectè comprobasse visus, Olympiadis, quam diximus, anno tertio, mortalitatem explesse subscribens: ut annis ante ortum Christi ducentis septuaginta, quodque excurrit hanc in Græciam à Gallis celeberrimam susceptam expeditionem, non ambiguâ certè veterum memoriâ, septum sit.

Polyb. l. 2. hist.

Euseb. in Chron.

ANTE CHRIST. 270.

XI. Brenni in Græciam irruptio. Iustin. lib. 24. Pausan. in Phocicis. Polyb. l. 4. &c.

Haud paulò infelicior inde Brenni in Macedoniam celebratur irruptio. Is lætus in primis sociorum successu, & prædæ pariter illectus dulcedine contracto pedestrium equestriumque copiarum, quantum potuit, cùm plenus ferociæ, Macedoniæ læta arva hostiliter vexando populandoque percurrit, obvium instructo cum exercitu Sosthenem Ptolomæi successorem habuit; ubi Gallus prævalidus incumbens in Macedonum phalangem, eam frangit funditùsque dissipatam. Inde fano Delphico sacrilegus vexato, cùm Thessalori & Emani sociorum consilia non audit, unáque iras Græcorum advertit, Phocenses, accersitis in auxilium Ætolis, Gallorum memorabilem edidere stragem: cùm ingenti rupis concussu, cujus in edito templum stabat, tum imbre & creberrimá effusá cœlo grandine, fulminibus intermicantibus præcipiti, per aspera & derupta saxa, casu, improvidi sternerentur pariter, ruerèntque.

Liv. ubi supra & Iust. 4. l. 10 Suidas in voce Galatæ.

XII.

Acceptâ verò hâc tantâ clade, tametsi occidione occisam, cum Pausania Justinus Galatarum gentem videri velit, alibi tamen ipse, Gallos prodidit bello adversus Delphos infeliciter gesto, in quo majorem vim Numinis ipsi, quam hostium sensissent, amisso Brenno duce, partim in Asiam, partim in Thraciam extorres confugisse; inde per eadem vestigia, quà venerant, repetiisse pristinas sedes, ex iis Tectosagos certè, malo demum coactos, & pestifera cœlitùs importata lue, & objecta religione, aurum argentumque bello quæsitum, in Tolosensem tandem lacum demersisse. Alii verò, quos inter Strabo, Pausanias, & Polybius, partem Gallorum, qui sub Brenno meruerant, ingentibus iis apud Delphos periculis perfunctos, evasisse, partem in Asiam trajecisse; atque Ancyra Phrygum oppido occupato supra Sangarium & Halyn amnes, posuisse sedem; & inde, Gallogræcos appellatos, longè quidem rectiùs pugnant. Atque hæc Olympiade gesta supra centesimam vigesima quinta. Ac B. Hieronymus profectò adhuc sua ætate, Ancyram Galatiæ Metropolim agnoscit; & Lactantius disertè, Gallos cum Græcis se quondam miscuisse; unde id solum quod occuparint Gallogræciam, post Galatiam nominatum testatur. Et quid Caius Julius Solinus vult aliud? cùm Galatiam ait, primis sæculis priscas Gallorum gentes insedisse, Tolistobogios, Voturos, & Ambianos, quæ tum vocabula, cùm ævum tolerabat ipse, permanebant; quamvis Galatia unde dicta esset, suo sonaret nomine. Id quod Theodoritus, Cyriæ civitatis Episcopus, ceu manifestum approbans de Gallis quidem Europam ad Occidentem habitantibus famâ se accepisse; at, qui in Asia propter Euxinum ab illis orti sedeant, hos vero se nosse, quoque memorat.

De Tolosana hoc auro verior sententia. Posidonii apud Strab. l. 4. Geograph.

Galatæ ex Gallis, Belgis & Rheno proximis oriundi.

Ancyra Galatia.

Lib. 2. Com. ad Galat.

Gallogræci. Lact. l. 3. ad Probum qui non extat.

Galatia.

ANTE CHRIST. 259.

XIII. Gallorum nostratium imperium in Græcia confirmatum. Lib. 25.

Porrò Olympiade cétesimâ undetrigesimâ, ante Christi ortum, annis ducentis admodum & undesexaginta, postquam clade ab Antigono Gonata Macedonum Rege accepta, Galatæ se collegerunt, exinde quietos per pacis & otii securitatem in immensos coaluisse populos apparet. Tantæ, namque Justinus autor est, ea tempestate fœcunditatis eorum fuisse juventutem, ut Asiam omnem populorum tanquam examine quodam implêrint, neque Reges Orientis, sine mercenario Gallorum exercitu, ulla gessisse bella; neque pulsos regno apud alios, quàm apud Gallos jactatæ fortunæ suæ quæsivisse perfugium. *Tantus*, addit ipse, *terror Gallici nominis, sive armorum invicta felicitas erat, ut aliter neque majestatem*

Liv. dec. 4. l. 8 Appian. in Syriaca.

tem fugam tutam, neque amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur. Cæterum magni Antiochi [illegible], cum [illegible] in Olympi montis [illegible] Galatæ [illegible] clade à Cn. Manlio Vulsone Consule accisi sint; haud fracti tamen usque adeo, ut veteri potentia exuti, quin ea magna Græciæ populorum frequentia, nominis celebritatem, famamque originis [illegible]. Et leges à victore non durissimas [illegible] impositas; memoratque Florus in perpetuum modo pacem hoc bello deditos; sacra verò Machabæorum historia, sub tributum [illegible], qui, hac Galatica victoria permoti quoque, ut cum Romanis amicitiam ac fœdus inirent. Galatæ igitur in seram ætatem feliciter succrescentes, & Christianam [illegible] ab Apostolo Paulo [illegible], Treviris, lingua moribusque, cognationem denique [illegible], approbarunt. [illegible], ut scribit Sextus Rufus, ad Valentinianum Augustum scripsit. *Galatas Manlius proconsul perdomuit [illegible]* Postea Galatas Deiotarus [illegible] Rex [illegible], Romanis permittentibus, tenuit. Ad extremum, sub Octaviano Augusto Galatia in formam provinciæ redacta. Eam primus Lollius administravit. [illegible] Trevirorum gentem, [illegible] in Asiam, clarissima quæque Strabonis, Plinii, & Solini Geographica monumenta persuadent: Tectosagibus [illegible] aliis ex gentibus [illegible], [illegible] populis, [illegible] Tolistobogis [illegible], [illegible] jam tum in hisce Galliis, [illegible], memoria aboleverit, Tectosagum [illegible], tunc ultra Pyrenæa juga, florente. Cæterum Tectosages, aut Teutobogi, [illegible] intervallo [illegible] fuit, non veteres tum [illegible], agnoscere trans Rhenum [illegible], propinque Germanica. Nam [illegible] poeta [illegible], sic loquitur [illegible]:

*Quà * Pyrenaicis vicibus dirimuntur Iberi,*
[illegible]
*Interius, premunt Aquitanicus * [illegible]*
*[illegible] primævo nomine * [illegible]*
Tolosam [illegible] fuit.

At Belgica clarius [illegible] Galliis, [illegible] & insequenti tempori [illegible], [illegible] nomina, Ambiani [illegible], quos [illegible] Gallogræci [illegible] in Belgica Cæsare numeratos, [illegible]. Jam & propinquarum quoque sedium situs aliquid juvat, Galatia [illegible] Phrygiæ tenuit, [illegible] Gordium. Quam partem cum insedere Gallorum Tolistobogii, Voturi, & Ambiani, qui Mæoniæ & Paphlagoniæ regionem, Trocmi dicti. Prætendebatur Cappadociæ à Septemtrione & [illegible], cujus uberrimam partem occupavere Tectosages ac Teutobodiaci. Et gentes quidem hæ: populi verò ac Tetrarchiæ omnes, numero centum nonaginta quinque, Oppida, Tectosagum Ancyra: Trocmorum Tavium, Tolistobogiorum * Pessinus. [illegible] sedes Galatarum regionemque ex sui temporis usu Plinius distribuit, Strabone citra similitatem, opinor, sentiente paulo secius. Hæc igitur de Galatarum ac Trevirorum ultima memoria, libero quidem, at in rem tamen certum. Atque, ut Tullius Galliæ nationibus religionis laudem adimit, quia Galatæ majores eam in Asia vastarint; ita rerum bene gestarum memoriam Belgicis quoque populis juste reddo, quam progenitores in [illegible] conciliarunt. *Hi sunt nationes, aiebat [illegible], quæ quondam [illegible] ab suis sedibus, Delphos usque ad Apollinem Pythium, atque ad oraculum [illegible], ac [illegible] profectæ sunt. Ab iisdem gentibus Jupiter & Capitolium obsessum est.*

XV. Belgæ in Galatia. Tolistobogi videntur ex Belgis orti.

Antequam inde Christi adventum præcessit, centesimo fere ac vigesimo tertio Roma [illegible] primum [illegible] Alpes [illegible] in Gallias arma; eaque quinquennali Allobrogum bello, [illegible] Salluviis, [illegible] Massilienses, Romanis [illegible] fœdere, [illegible], permultiplices vario eventu clades excepta. Unde Florus. *Prima trans Alpes arma nostra sensere Salyi, cum de incursionibus eorum fidissima atque amicissima civitas Massilia quereretur.* [illegible] autem [illegible] pars virium, Salluviis, Allobroges, [illegible], & bello longe optima ejus regionis, demum accessisti; ab his universum bellum [illegible] nomen traxit. Adortus prælio Salyes ante [illegible] M. Fulvius Flaccus; cui [illegible] C. Sextius Proconsul successor [illegible], hic magis [illegible] imperii Allobrogicum bellum [illegible], acrius sumpsit, & Salyorum pene devicta [illegible] nomenque [illegible] attolleret, Coloniam veteranorum Galliæ partem eam, ubi hiberna fixerat, frequentavit. De [illegible] Liviana. *C. Sextius Proconsul, victa Salyorum gente, Coloniam Aquas Sextias condidit, ob aquarum copiam, [illegible] à nomine suo ita appellatas.* Hinc, biennio circumacto, [illegible] Cn. Domitius Ahenobarbus Consul, [illegible] eandem proferendi imperii & gloriæ [illegible] amplexus, Allobroges, Arvernosque [illegible] elephantorum magnitudine perterritos, juxta Vindalium Oppidum, acie fudit; atque conjectos in fugam trepidos, magnis detrimentis affecit. Arvernis inferendi belli causa Ahenobarbo, quod Æduorum jam tum populi Romani sociorum [illegible] ab Arvernis [illegible], [illegible]. Nil Romanos dominandi libidine, nihil gloria prius ducebat ac potius, [illegible] & ex aliorum discordiis, novarum [illegible] bellorum seminaria, [illegible] causas. [illegible] inter Romanos [illegible]. *Maneat quæso, inquit, [illegible] gentibus; si non amor nostri, at certe [illegible], quando urgentibus imperii fatis, nihil jam præstare fortuna majus potest, quam hostium discordiam.* Galliarum status hoc maxime tempore erat hujusmodi. Factionum studiis, & ambitione principum, omnes non [illegible] modo Reip. partes, sed privatæ inter se domus familiæque [illegible] distractæ simultatibus, pertinaciter dissidebant; [illegible] Galliæ corpus tum [illegible] sese diffuderat, ut duabus semper [illegible] potentia primas, pro-

XVI. ANTE CHRIST. 123. U. C. 628. [illegible] prima arma in Gallias illata. Allobrogum bellum. Salluvii & Salyes.

XVII. ANTE CHRIST. 122. U. C. 629. Aquæ-Sextiæ prima Gallicarum Colonia.

Arverni attriti à Romanis.

XVIII. Gallicarum [illegible] Ahenobarbo [illegible].

magnitudine imperii decertantibus, jam his, jam illis divisæ inter se studiis Civitates, adessent, atque ab his vicissim, sicubi contra potentiores auxilii egerent ipsæ, opem & præsidium expectarent. Hinc itaque Cæsar memoriâ superiora replicans; Arvernos & Æduos, ait, de potentatu Galliæ inter se multos annos contendisse; tandemque Arvernos viribus impares, Sequanósque, accersisse conductos mercede Germanos: atque ita horum sibi adjunctis armis, ad primas Galliæ affectasse gradum. Cæterùm hoc certaminum furore per omnes Galliarum vagante populos, cùm in utralibet factione satis probabile sit, hæsisse Treviros; tum illos cum Æduis fecisse, ut opiner, his inducor potissimum argumentis. Primum, quod invalescente Cæsare, & totâ propemodum armis pertentatâ Galliâ, Surus nobilissimus Æduorum nusquam tutiùs, quàm apud Treviros, salutis, capitisque defendendi domicilium invenerit. Quippè, civitate tum fui Romani populi amicitiam affectante, unus arma non posuerat, Trevirúmque societate firmus, apud eos diu perstitit incolumis. At temerè cum Arvernis Treviros ego junxerim, cùm magnis itinerum spatiis exclusos, haud facilè ullus mutui usus commercii contraxerit. Præterea adversis horum subindè casibus admoniti, haud facilè commiserint, ut fluctuanti & malè firmo Arvernorum dominatui sua crederent. Anno quippe supra centesimum undevigesimo, priusquam homo factus Dei Filius; Q. Fabius Maximus Allobrogici belli provinciam excipiens, perdomitæ gentis, devictæque laudem integram, prælio cum Bituito Arvernorum rege, Rutenis atque Allobrogibus, apud flumen Isaram acerrimo congressus, memorabili partâ victoriâ, ad se transtulit. Eo bello exhaustæ mirabiliter Arvernorum vires, cæsis à Romano centum viginti millibus, & ipso triumphato Rege. Sunt qui hoc confecto bello, Narbonensem Galliam jus adiisse Romanæ provinciæ, atque in posterum jurisdicundi ex Urbe prætorem accepisse, non absque ratione statuunt. Suffragari iis Critognatus Arvernus apud Cæsarem videtur; cùm respicere suos jubet finitimam Galliam, quæ in provinciam redacta, jure & legibus commutatis, securibus subjectâ, perpetuâ prematur servitute. Nec obscuri Poëtæ versus sunt Narbonem celebrantis.

Tu Gallia prima togati
Nominis attollis Latio Proconsule fasces.

Enim verò ante Christum natum anno centesimo circiter decimo sexto, L. Portio Catone, & Q. Martio Rege Coss. L. Licinius Crassus, primus fertur Narbonem Coloniam deduxisse, quam propugnaculum, & populi Romani speculam agnovit Cicero. Atque hæc in Gallis Romani imperii jacta tum primùm fundamenta.

Hinc vacuæ ab gravioris belli metu, curaque Galliæ; donec ab ultimo Oceano effusa Cimbrica Cimmeriáve natio, in Belgicam hanc etiam redundavit. Sexcentesimum & quadragesimum annum, si Tacitum audimus, urbs Roma agebat; cùm primùm Cimbrorum tumultus exarsere, C. Cæcilio Metello, ac Cn. Papirio Carbone Coss. qui ante Virginis partum, centesimus erat undecimus. Ferunt ab extremis Germaniæ profugos quæsitum iisse novas sedes. Veteribus autem, teste Plutarcho, quòd nationes hæ Romanis incognitæ, & è longinquis profectæ regionibus, unde, quævè essent, haud satis liqueret; ipsi, ex vastitate membrorum & truci vultus & oculorum aspectu, Germanos, horum è numero sunt interpretati, qui ad Borealem videlicet Oceanum Cimbricam Chersonesum incoluêre; quòd in Germanico sermone eadem Cimbrorum voci, quæ & prædonum, esset notio subjecta. Hæc itaque tam ferox & immanis advenarum colluvies, ubi viam in has sedes patefacere sibi, & eas infestare bello parat, fortiorem experta hujus gentis virtutem, quam ut Septemtrionalibus armis cederet, in præsentia quidem intra Belgicæ fines ingredi prohibita. Impedimentis itaque citra flumen Rhenum apud Ambivaritos intra Mosam & Scaldim flumen eo ipso circiter loco, quo nunc Andoverpia, depositis, & custodiæ ex suis, ac præsidio hominum sex millibus unà relictis, infesta præter Belgium primò sese in Illyricum concitavit; ubi ad * Noreiam oppidum, collatis cum Cn. Carbone signis, fusum & acie victum insuper copiis omnibus exuit. Inde gloria Cimbrorum ingens, magnis etiam per Galliam Hispaniamque datis cladium & irruptionum detrimentis, quorum atrocitas ex Critognati oratione apud Cæsarem loquentis perspicitur. *Quid ergò*, ait ipse, *mei consilii est? facere quod nostri majores nequaquam pari bello Cimbrorum, Teutonumq. fecerunt; qui in oppida compulsi, ac simili inopiâ subacti, eorum corporibus, qui ætate inutiles ad bellum videbantur, vitam toleraverunt; neque se hostibus tradiderunt; cujus rei exemplum si non haberemus, tamen libertatis causa instituti, & posteris tradi, pulcherrimum judicarem: nam quid huic bello simile fuit? depopulatâ Galliâ, magnaq. illatâ calamitate, Cimbri finibus nostris aliquando excesserunt, atque alias terras petierunt, jura, leges, agros, libertatem nobis reliquerunt.* Id nempe ipsum erat, in quo Belgæ scilicet triumphabant, & laudis domesticæ præconio, exultantes hoc longè ante Gallos cæteros se esse jactitabant, quod gravissimo & repentino ab ferocissimis nationibus illato bello, omni Galliâ vexatâ, Teutones Cimbrosque intra fines suos ingredi, soli Gallorum ipsi vetuissent. Neque suberat inane argumentum magno decore quæsitæ laudi, quando Cimbri subinde Romanos exercitus adorti, M. Junio Silano, Scauroque victis, interfecto Cassio Longino, Q. Cæpione, & M. quoque Manilio memorabili clade, quæ Alliensem propemodum æquaret, sub jugum missis, quinque simul consulares exercitus populi Romani confecêre; quorum Manlii & Cæpionis tam fœda, & ignominiæ plena clades extitit, ut victi prælio, castrisque binis exuti, octoginta millia Romanorum, sociûmque Latini nominis, amiserint; lixarum autem & calonum quadraginta millia. M. Aurelius Consularis acie captus, & mox interfectus. Q. Cæpio Proconsul ob rem perditè gestam domi oppressus, per summam deinde vinculorum acerbitatem, & corporis cruciatus, in scalas abjectus Gemonias. Neque

hujus

Margin notes (left): Libro 1. — XIX. Trevirorũ cum Æduis societas. Hirtius lib. 8. — ANTE CHRIST. 119. U.C. 632. Epit. Liv. 61. Strabo l. 4. Plin. lib. 7. Appian. de Orosius. — XX. Arvernorum adversi casus. — Provincia Narbonens. — Libro 7. — Auson. in claris Urb. — ANTE CHRIST. 116. U.C. 635. Ita contra Sigonium Venetum ad Auson. prom. Col. Narbon. Martius Ora. pro Font. Item Velleius, Eusib. in Chro. — XXI. Cimbrica vastitas infusa Galliis. Tac. de mor. Germ. Cæsar. l. 2. & 7. Eutropius, Plutarchus in Mario. Florus, Velleius, Strabo, Orosius.

Margin notes (right): ANTE CHRIST. 111. U.C. 640. — Id Posidon. apud Strabonem. l. 7. — XXII. Belgarum una virtus Cimbrorũ populatione superior. — Cimbrorũ successus & errores. — Cæsar. lib. 2. Consule orig. Antv. Cor. Scrib. c. 3. de Aduaticis & Ambivar. ex Cimbrorum reliquiis. * De Noreia Adi cap. 5. M. Velf. rer. Boic. lib. 1. — Libro 7. — Cæsar. lib. 2. — XXIII. Cimbrorũ victoria. — ANTE CHRIST. 107. U.C. 644. — Tac. lib. de Ger. mor. — Livii Epit. 67. Oros. Velleius l. 2. — Valer. Max. lib. 6. c. 9.

ANTE CHRIST. 100. U. C. 651. Cimbri Teutones à Mario deleti.

hujus cladis ignominia priùs deleri, aut abstergi luctus ex memoria potuit; quam anno circiter centesimo ante Christi natalem, C. Marius ad Teutonum reprimendos impetus, in Galliam profectus; qui, cum ad Isaram, & Rhodanum amnes positis castris, lacessente nequicquam hoste, munitionibus se cautiùs, quam summæ rei dimicatione tuetur, duobus inde præliis, circa Aquas-Sextias acerrimis cum hoste confligens, omne Teutonum nomen internecioni dedit: cæsaque ex hostium numero ducenta hominum millia; capta nonaginta traducta.

T. Liv. lib. Epit. 68.

ANTE CHRIST. 99 U. C. 652.

XXIV.

Insequenti autem anno, ad pristinæ cladis omnem prorsus obruendam memoriam, validis duobus adunatis Catuli, & C. Marii exercitibus, Cimbri in Alpium faucibus deprehensi, cùm edi certum pugnæ diem postulassent, dato proximo, patenti, & ad explicandas acies idoneo campo, ad Athesin Veronæ fluvium, infestis signis concursum est: Romanus & ventorum & nebulæ beneficio latens, primo incursu Cimbros oppressit. Plurimo tum ibi fuso sanguine, ceciderunt ex Cimbris centum quadraginta millia; ingens hominum vis captiva facta. Atque is exitus Cimbrici belli, cujus ut omnis tempestas atque procella in extimam Galliam delata, sævit; ità incredibili Belgarum virtute à finibus his depulsa, & denique Romanorum armis discussa funditus est.

Ab hoc usque bello ad C. Cæsaris adventum, res nulla pœnè sese offert memorabilis, quæ magnoperè ad Belgas pertineat, nisi Allobrogum motus in parte Catilinæ conjurationis hærentium, à C. Pontinio Prætore, aliquot captis & expugnatis oppidis, momento repressos cognoscere, pretium operæ ducceres, & Catilinariæ conjurationis indicium in omnes Galliæ partes delatum studio Ciceronis. Qui cùm omnia indicum dicta, interrogata, responsa perscribi, & in tabulas jussisset referri; has tabulas in omnes provincias pervulgari, & passim sic dividi voluit, ut locus in orbe terrarum esset nullus, quò in loco populi Romani nomen esset, quin eodem perscriptum hoc indicium, perveniret.

Catilinariæ conjurationis indiciū quàm late per Imp R. dispersum. Orat. pro L. Sylla.

XXV. Galliæ quæstui Romanis, & ab iis oppressæ. Orat. pro M. Fonteio Galliæ Prætore.

Cæterùm quàm Romano Galliæ deinceps quæstui esse cœperint, M. Fonteii acta, qui ulteriori Galliæ triennium præfuit, quomodolibet a Cicerone defensa, perspicuè docent, cum jam tum referta esset Gallia negotiatorum, plena civium Romanorum, & in Provincia nemo Gallorum; sine cive Romano, quidquam negotii gereret; nummus in Gallia nullus sine civium Romanorum tabulis commoveretur. Jam genera hominum, audi si placet, quàm Cicero bellè expingat. *Qui scilicet bella cum populo Romano acerba ac diuturna gesserunt: partim modò ab Imperatoribus Romanis subacti, modò bello domiti, modò triumphis ac monumentis notati, modò ab senatu agris urbibusq; multati sunt.* Adde, iisdem, quo in servitute ad parendum viliores haberet, à M. Fonteio, quod Cicero gloriatur, frumentum, pecuniam, magnos equitatus, in extera quoque bella, imperatos; ac insuper novis vini portoriis, & frugum vectigalibus eosdem afflictos; quo etiam nomine Fonteius repetundarum postulatus est.

XXVI. Treviri à statu post Cimbricæ gentis populationes. Tacit. in Hist. Cæsar. l. 1. & 6. in Gallic.

Tempore igitur omni illo, quod inter Gallorum servitutem, & Cimbrici belli tempestatem interfluxit, & Æduos de imperii summa cum Sequanis, & Arvernis dimicasse; & Treviros cum Germanis jam olim Rhenum transgressis, continentia gessisse bella, variis ex Cæsaris sparsim locis, eruitur. Galliæ principatum penes Æduos fuisse, loco memoravimus. Arverni, qui supra Volcas in Celtica sedes habebant, ab Aquitanis Garumnâ flumine, à Belgis divisi Sequana, cùm se superioribus præliis, ut dixeram triumphis, atque monumentis notatos, & ab senatu multatos agris, urbibusque intelligerent; ad hæc Romanum libertati suæ gravem in finitima Provincia paulatim inveterascere, conjuratione cum Sequanis inita, Æduos odio Romanæ societatis & principatus invidia, aggredi primum statuunt, & experiri pristinum armorum decus. Sed, cum mutuis inter se præliis æquo penè belli utrinque successu decertant; annuaque ex anno trahunt perniciosò certamine, inferiores tandem Arverni Sequanique, ultro coguntur cedere valentioribus Æduis. Inter hæc Sequani se minimè deteruerunt; de quibus ita Cæsar, *Cùm per se*, inquit, *minus valerent, quod summa autoritas antiquitùs in Æduis magnæq; eorum erant clientelæ; Germanos atque Ariovistum sibi adjunxere, eosque ad se magnis jacturis pollicitationibusq; perduxere.* Hinc Ariovisti suppetiis, prælia cum Æduorum civitate a Sequanis facta secunda complura meminit; quorum tamen fama literis majorum incomperta mansit.

Arvernorū & Sequanorum cum Æduis principatu Galliarum populi certamina.

Cæsar. lib. 6.

XXVII. Ædui Galliæ principes Sequanis victi principatū dimittunt.

Ceterùm Æduos, satis constat, cum vim Germanorum, & incumbentis exercitus molem minimè sustinerent, tandem cessisse veteris potentiæ titulis: *quiq; & sua virtute, & populi Romani hospitio atq; amicitia*, (verba Divitiaci sunt,) *plurimum ante in Gallia potuissent, hi non solum principatum dimittere Sequanis, sed Germanis etiam obsides dare, eorumque ditionem ac imperium subire, coacti.* Huic autem certamini Treviros interfuisse, argumento sit; quod apud Cæsarem Ariovistus, omnes Galliæ civitates ad se oppugnandum venisse, ac contra se castra habuisse jactitet: & Divitiacus, affuisse præliis his Æduorum clientes, non taceat; prætereaque creditu facile, in Æduorum fide atque amicitia fuisse Treviros. Mutatâ proinde, ut Cæsar dixit, Æduorum fortunâ; ac omni nobilitate eorum propemodum interfectâ, tantum potentia Sequani in posterum reliquos anteibant, ut Principatum Galliæ totius adepti, magnam partem Clientium ab Æduis ad se traducerent; obsidesque ab his principum filios acciperent, & publicè jurare cogerent, nihil se contra Sequanos consilii inituros. Neque Ariovistus interea rem suam negligere: traductis enim paulatim compluribus Germanorum copiis, ubi adversus Sequanos & finitimos Galliæ populos, satis se munitum, imperiique securum advertit; id astu tandem perfecit, uti mox pejus victoribus Sequanis, quàm Æduis victis accideret. Nam, in Patronorum ditione positis sedibus tertiam partem agri Sequani totius Galliæ fertilissimi occupavit; ac dein Harudum collectâ manu, jam longè tum superbiùs, de altera parte tertia, Sequanos item decedere

Libro 1.

Treviros ad Sequanos posthæc inclinasse.

Lib. 6. & 1.

XXVIII. Ariovisti in Gallicanos insolentia.

Cæsar lib. 1.

dere jussit. Nec mihi dubium, quin inter hæc, Treviris cum Ariovisto cæterisque Germanis, magna & crebra extiterint certamina; siquidem ab illa Regis externi in Galliam migratione, tanta vis advenarum in intima quoque regionis incubuit, ut de aliis petendis sedibus à Germanorum sævitia ac tyrannide remotis, Galliarum principes consilia susciperent. Atque hujus generis equidem interpretor, illa *quotidiana apud Cæsarem Trevirorum bella cum Germanis*, nempè ad arcendum eos à proximis Rheno ripis, ne & imminentem in fines possessionesque suas advenarum pestem & illuviem, more cæterorum & ipsi reciperent, eorúmque tandem servitio subjacerent.

XXIX. Germani Gallicum agrum vehementiùs appetunt.

Adepti per id quoque tempus novos Treviri clientes. Consederant tunc Rhenum inter & Mosam fluvium Eburones, sub Cativulci atque Ambiorigis imperiis vicini Condrusi erant, quorum regio à Mosa in Lutzenburgenses, versus Meridiem pertinebat, Hoio etiamnum ac Dionanto oppidis, cognita. Horum fines attingebant Advatici, Cimbrorum reliquiæ; qui inter Nervios, Menapios, Eburones ac Treviros sedes habebant eo loci, quo Brachbantum, & Sonia Silva, pars item Hannoniæ, Hasbaniæque, & provinciæ Namurcensium visuntur ad utramque Sabis fluminis ripam. Hi, post avitam majorum suorum cladem, multos annos à circumjectis populis exagitati, postquam aliàs bellum inferendo, aliàs illatum defendendo certum agri modum adepti sunt, hoc minimè contenti, ut, quibus inter ancipitia vivere bellorum cupido suadebat, Eburones Condrusosque sibi vicinos adoriuntur; quos virtute armorum superiores, cùm crebris irruptionibus frangunt & edomant, denique ad deditionem compulsis in singulos annos stipendii nomen imponunt. Porrò, huic injuriæ victi Eburones haud pares, ope à Treviris auxilioque postulato, in eorum denique fidem concessére ac clientelam. Atque exinde Germanica gens ea, quæ inter Rhenum Mosámque sedes habuit, in Trevirorum tutela patrocinioque latuit.

Eburones. Condrusi. Advaticorum sedes. Sabin interpretantur Sambrê. *Cæsar. l. 2.*

XXX. Eburones & Condrusi à Cimbris infestati in Trevirorũ fidem se recipiunt.

Consulatum inierant Romæ M. Messala, Marcusque Piso, anno qui Christi ortum antegressus undesexagesimo; cùm Helvetios commigrandi patrio solo, ad laxiora figendis sedibus loca, libido incessit; quæ subindè res transalpinis nationibus supremum libertatis & prisci status interitum, exitiúmque peperit. Erat apud eos Orgetorix, opibus atque autoritate spectatus; qui pellectis in belli societatem ex prima nobilitate, hinc Dumnorige ex Æduis; inde Castico ex Sequanorum regia stirpe, ciendi belli primas, & expeditionis novæ decus maturat occupare. At, cùm rem mole suâ vastam, parùm providis consultis aggreditur, ceu reus affectatæ tyrannidis, & melioris consilii desertor, optimatium conspiratione periit. Orgetorige defuncto, eadem migrandi curâ in Helvetiorum gente vixit; quare, ut ad iter omnia ipsis sint expedita, biennium præfiniunt apparatui, atque in tertium annum migrationem lege decernunt.

ANTE CHRIST. 59. U. C. 692.

Helvetiorũ motûs perdomandæ Galliæ Romanis occasio. Orgetorix motus instigator perit.

Interea cùm evulgatis Helvetiorum consiliis; rumor famaque belli Romæ jam increbescit, quo primum tempore Clodii causa, de Provinciis Prætorum, & de legationibus agi potuit, senatus censuit; uti quicunque Galliam Provinciam obtineret, quod commodo reipublicæ facere posset, Æduos, cæterosque Amicos populi Romani defenderet. Sed suberant aliæ haud dubiè causæ, seu Italiæ, ac stabilitæ semel in Gallia Provinciæ ab incursu ferocium gentium conservandæ, seu proferendi, arreptâ undique occasione, imperii. Ædui igitur jam tum principatu dejecti; Sequani victores ab Ariovisto oppressi & Germanis. Imminebant super hæc infesti, & quacunque proruerent metuendi Helvetii, quibus ex vulneribus illa tandem extitit cicatrix, ut, qui populo florere consentientes pacis artibus poterant, dum externæ virtuti sese per discordiam & seditionem applicant, opportuna cuncta facerent insidiantibus.

XXXI. Romani bellum adversus Helvetios decernunt.

Epist. ad Att. l. 1. Cæs. l. 1.

Galliis imminent.

Etenim anno postero, Q. Metello, & L. Afranio Coss. tantus Romæ terror ac trepidatio omnium occupavit animos, ut, ceu tumultu Gallico solet, arma omnibus, qui per ætatem possent, indicerent. Quin vacatione sublatâ, quo ne bellum domi haberent, non ipsam dubitarent arripere Galliam. Cujus rei testis hic nobis locuples Marcus Tullius; qui, ut metum hunc, & senatus consilia non dissimulat, ita strictim bella quoque memorat indicta aliis, quæque proximè Germanorum motus consecuta sunt. *In Republica*, inquit, *nunc quidem maximè Gallici belli versatur metus: Nam Ædui Fratres nostri pugnant; Sequani malè pugnarunt; & Helvetii sine dubio sunt in armis, excursionesq́; in Provinciam faciunt. Senatus decrevit, ut Consules duas Gallias sortirentur, delectus haberetur, vacationes ne valerent, legati cum autoritate mitterentur, qui adirent Galliæ civitates, darentq́; operam, ne hæ cum Helvetiis se jungerent. Legati sunt Q. Metellus Creticus, L. Flaccus, Lentulus Clodiani filius.* Atque de Æduis & Sequanis, quæ hic Cicero meminit, ad bella pertinent à Galliæ populis post hæc, ad communem pestem arcendam Germanorum universè suscepta.

ANTE CHRIST. 58. U. C. 693.

Lib. 6. & 2.

Ad Attic. l. 1. epist. 17. Metello Cos.

Romæ inter hæc, Pompeio, Cæsare, & Crasso, mutuæ tuendæ autoritatis, atque opprimendæ senatus & optimatium causæ, societatem inter se coëuntibus, ubi equites dividi à senatu, plebs largitionibus agrariis distrahi cœpit, illicò magnus & firmus ille Romani imperii contextus, tribus maximè ordinibus seu vinclis illigatus, vacillare discordiâ ac disjungi secessione visus, cùm paulatim temperamento libertatis amisso, devolvitur in unius dominationem; quam inter alios cupidiùs C. Julius Cæsar amplexus est; qui proximis inde comitiis cum M. Calpurnio Bibulo magistratum iniit.

XXXII. Origo causæque Romanæ libertatis amissæ.

In Galliis interim Ariovistus, ubi semel Gallorum copias prælio vicisset, Æduos & Sequanos, uti instituerat, porrò diris exercere imperiis, & quibus poterat malis premere pergebat. Supremi atque, omnium atrocissimi apud Amagetobriam initi prælii casum, repetit apud Cæsarem Divitiacus Æduorum princeps; qui, cùm Romam auxilia contra Germanos postulatum etiam isset, Romani certè fraterni nominis obliti, quod, ceu blandimentum vel illecebram servitutis apud Æduos crebris usque adeò, & honorificis jactarat Senatus-cõsultis, eum ipsum Ariovistum

ANTE CHRIST. 57. U. C. 694.

XXXIII. Romam Ariovistum Germanorum Regẽ amicum parant salutantque. *Cæsar. lib. 1.*

placandi

placandi simulque demerendi gratia, amplissimo verborum honore, Regem atque Amicum suum salutant, magnis insuper missis muneribus, fictam an veram adversus eundem cuicuimodi voluntatem testificati. Quæ omnia autore, & impulsore Cæsare geri videbantur, cùm alioquin neque aditum ad Romanos, neque causam postulandi justam haberet Ariovistus; sed imperium Galliæ animo jam tum ac spe agitanti Cæsari, scilicet hæc omnia præmunienda erant. Et candidè de se fatetur Cæsar, cùm Ariovisti arrogantiam accusat; quoniam tanto suo, populique Romani beneficio affectus, cùm in consulatu suo Rex atque Amicus à senatu appellatus esset, hanc sibi populoque Romano gratiam referret, ut in colloquium venire invitatus gravaretur.

Ante Christ. 56. U. C. 695.

XXXIV. Iulius Cæsar Gallici gerendi belli provinciâ vidè rapit struendæ potentiæ. Sueton. in Cæsar. vita.

Cæterùm L. Pisone, & A. Gabinio Coss. anno circiter antè partum Virginis quinquagesimo sexto, cùm jam Romæ nihil in Republica jure, nihil more ageretur, Narbonensem Galliam Cæsar, & Illyricum, contra legem Semproniam, quæ annuam modò provinciam sanciebat, in quinquennium lege Vatiniâ Tribunitiâ obtinuit. Quibus imperiis auctus suasmet ipse spes anteibat gaudio; adeoque se non sustinebat, quin odii concepti, atque acerbitatis scintillam jaceret; jam se, quod concepisset, invitis omnibus atque gementibus adeptum, jam omnium etiam capitibus ex eo se insultaturum.

XXXV. Ejusdem in Gallia perpetuis armis distinenda solertia.

Inde verò non Gallorum magis merito, culpáque, quàm ambitiosâ belli gerendi aviditate, ubi, semel utrinque irritari arma sunt cœpta, blandiente post victoriâ, ac rerum successu, Cæsar, cùm ab Helvetiis incepisset, ab his paulatim ad Belgas & Aquitanos, Britannos, reliquosque Celtas arma transtulit. Hinc, quod Tranquillus liberè scripsit, semper alia super alia conjurationis aut defectionis aut hostibus præbiti, aut Romanis negati auxilii crimina inflammatæ gloriæ cupidini prætexens, Galliam comatam omnem perpetuo novem annorum imperio in potestatem ditionemque populi Romani redegit. Tempus jam advenerat, quo tempore è finibus exire suis, Helvetiis constitutum erat. Cæsar itaque certior factus, Helvetios die condicto ad ripam Rhodani omnes cum copiis auxiliaribus, & magnâ finitimorum hominum multitudine consedisse, iterque per Provinciam cœpisse jam ingredi; in speciem tuendæ Provinciæ maturat ab urbe proficisci. Enimverò consulatus alioquin malè gesti criminibus arreptus, cognitionem senatui detulerat; quo non recipiente, ac triduo per irritas altercationes absumpto, denique reipublicæ causam, quo excusatiùs abesit, visum obtendere.

Cæsar. lib. 1.

XXXVI. Cæsaris in Helvetios expeditio. Sueton. Cæsar lib. 1.

Maximis igitur, quibus potest itineribus Româ Genevam proficiscitur; atque ibi cùm ponte rescisso, fugæ spem hostibus præcludit, conversi ad Sequanos Helvetii, Dumnorige Heduo deprecatore, transitum impetrant, dumque Cæsar iterum in Italiam abit, legiones accersitum, ipsi, copiis interea per Sequanos traductis, in Æduorum & Santonum fines perveniunt. Quo nuntio accepto, Cæsar hostem ad Ararim fluvium trajectu impeditum assecutus, quartam ibi copiarum partem sub ripam fluminis occidione occidit. Indè in Æduos aciem flectentibus à tergo semper insistens, commeatu atque pabulationibus simul eos prohibens, tandem in ipso itinere, ancipiti atque acerrimo prælio fudit, fugavitque.

XXXVII. Helvetiis victis Galliæ certatim Cæsarem ambiunt.

Hoc prælio per Galliam nunciato, totius ferè Galliæ legati, principes civitatum ad Cæsarem gratulatum profecti; qui, ut Helvetiorum posito metu se lætari, sic Ariovisti nimium quàm asperis imperiis angi adhuc nunciabant. Concilio itaque totius Galliæ in diem certam ab Æduis indicto, cujus non ingloria pars Treviri, postquam de Galliarum recuperanda libertate, & Germanorum exuendo imperio in communi, quæ apta tempori negotioque constituta, ad Cæsarem adeuntes agere, cum eo de salute sua, ac precibus infimis eum orare atque obtestari cœperunt; ut autoritate suâ, atque exercitus vel recenti victoriâ, vel nomine populi Romani Germanos, ne in citeriora pertenderent, trans Rhenum cohibere; Galliámque omnem ab Ariovisti injuria vellet defendere. Cæsar, ut, cui cùm spe Galliæ totius subigendæ studium jam acre pugnandi incesserat, Ariovistum, quanquam se Consule amicum à senatu appellatum, & validâ Germanorum stipatum manu, variis primò nequicquam colloquiis sollicitare, mox totis trepidantibus castris, lacessere quoque & irritare est ausus; quoad religionibus tandem impeditum congressúmque fortiùs, quàm maturiùs, acie fudit ac perdomuit.

Cæsaris cũ Ariovisto conflictus.

XXXVIII. Sennones Suevicæ gentis Treviris infesti.

Dum autem hoc bellum Cæsar administrat, interea Sennones famâ adventûs ejus exciti, ad ulteriores Rheni ripas agmen rapuerant. Gens illa Suevorum erat longè maxima ac bellicosissima Germanorum omnium, & Tacito autore, Suevorum se vetustissimam jactabat nobilissimámque; centum pagis habitabat, tantâ hominum frequentiâ, ut ex iis quotannis singula millia armatorum bellandi causâ in aciem, si usus esset, educerent. Hi Nasuæ & Cimberii fratrum ductu, finibus suis egressi, positis castris è regione Trevirorum ad Rheni ripam consederant, ac magnoperè cum veteribus copiis Ariovisti sese jungere cupiebant. Treviri conscii visum quid adesset, cum tanta multitudine rati non confligendum sine Romanorum auxilio: Legatos ad Cæsarem mittunt questum, adesse Suevorum centum pagos, qui Rhenum per vim transire conentur; tantam se multitudinem haud facilè à finibus suis prohibituros, nî ipsius opibus atque auxiliis sustententur. His itaque rebus Cæsar vehementer commotus, etsi vim illam nationum prohibere volenti, esset (dum tamen Ariovistus incolumis) nihil à tergo sibi tutum; nihil non ad victoriam relinqui in Galliis asperum, facilè providebat. Simul itaque Ariovisti vim fregit, illa quoque Suevorum robora, fluxa & inania fuêre. Nam, ut de prælii eventu Suevi trans Rhenum facti certiores, spe detrita jam, quam cupiditas excitarat, rediêre ad sua, non impunè tamen irritatis Treviris; cùm Rheni accolæ perterritos insecuti, magnum illorum numerum impeditos sub onere conciderunt. Porrò Nasuam & Cimberium Suevorum Duces, sunt,

Franc. Hotoman. ad 1. lib. Cæsar.

qui Nassoviæ, & Zimmerensis familiæ gentisve principes, affinitate vocum ludicrà blandiente, sed imperitè fingunt. Prætereieram id commentum meritò insuper habendum, nî animadvertissem publicè ad Cæsaris commentarium à Gallo Jurisconsulto superstitiosè pro comperto traditum. At verò Trevirorum hæc sub ipsum mox Romani exercitus in Gallias adventum honorifica missa ad Cæsarem legatio, pro testimonio nobis erit multorum, quæ superiore narratione decurrimus.

XXXIX. Trevirorũ cum Romanis sociatio.

Nempè, & Treviros in parte fuisse civilium Galliæ bellorum, & pro communi salute rem impigrè gessisse contra Germanos. Ad hæc usum iis aliquem amicitiæ extitisse cum Cæsare ac Romanis, adeóque fœderis sanctiorem fortè societatem, ut non de nihilo auxilia jam tum tam maturè flagitarent. Quo verò primùm tempore hæc sive amicitiæ, sive fœderis jura coalescere cœperint, quando in alto veteris memoriæ silentio nihil ea de re certi proditur, conjicere liceat ortum habuisse à bellicæ gloriæ fama, & studio præsertim rei equestris, quâ valde tum floruit natio Trevirorum. Etsi per Æduos quoque Treviros haud temerè statuas Cæsari propriè conciliatos, ante quàm interiora Galliæ penetraret; nam adjunctos olim res ea testatur, quòd Concilio totius Galliæ de Ariovisti tyrannide indicto, principes civitatum omnes in fidem populi Romani tutelámque recepti. Inde mox, ut finitimis Treviris Lingones ac Leuci frumentum commeatusque hâc primâ Germanici belli expeditione Romano præbuêre; sic Treviros verisimile suppeditasse viros, arma, & equos. Ac Cæsar quidem adjutum se equitatu Gallico contra Ariovistum, & hujus gentis habuisse auxilia, disertè prodit; nec abfuisse ab hoc bello clarissimæ in prælio virtutis, & primæ notæ Treviros equites, ut sentiam prona fides.

Leuci & Lingones.

XL. Cæsar quâ Treviros primum adierit, castráque & præsidia locarit.

Porrò Cæsaris in Treviros primus adventus, per Lingonas Leucósque, si veteris lapidis inscriptioni credimus, ad Sarræ flumen fuit; ubi locum ille naturæ muneribus egregiè firmum cepit, militum præsidiis & perpetuæ stationi, ad continendos in officio finitimos. Locus autem is, non ubi arx modò Saræburgi sede nobilis, sed paulò super hanc arcem meritò monstretur, si fides ullis antiquæ memoriæ reliquiis, quatuor circiter millium intervallo; nempè, ubi castelli appellatione, hodiéque pagus incolitur.

XLI. Castellum ad Saram Romanæ stationis, vulgo Castel. ejusque Topothesia.

Exurgit in altum mons arduus, receditque per hemicyclum theatralem in speciem undique rupibus inviis, & variè elaboratis argumento Romanæ vetustatis, tanta altitudine, despici, ut sine vertigine, profundam in convallem vix possit. Terret & amnis adspectus, summo silentio crepidinem in circuitu sedato fluxu adlambentis, tum asperrima ex intervallo in præruptis cautibus vepreta. Unâ duntaxat parte regionis, terreno ac placidè acclivo subitur colle, qui proscissus nûmismatum æris signati argentique specimen fundit interdum, in quibus & Antonini Imperatoris, & Crispi Constantini prolis imagines olim contemplari licuit, Castello in posterius etiam Reipublicæ florentis ævum perdurante. Denique lapis istic alibi effossus, quem sæculo isto, quo scribimus incunte, Dardanus hic quidam Parmensis primus monstravit, sic habebat:

Ex MS. scedis.

CÆS. ROM. EXER. IMP. P.P.
S. C. A. V. TREVER. INGRES-
SVM. H. CASTRA SARRÆ
FLV. PRO MIL. ÇVSTODIA
BIENNIO. POTITVS EST.

Forte ante urbis Trev.

XLII. Cæsar Galliarum habenas passim sibi deposcit.

Cæsar. lib. 6.

At Cæsar, una æstate duobus gravissimis bellis primo adventu ex animi sententia perfunctus, qui in interiorem Galliam hinc penetrandi locus sese aperuit, hàc illicò incedens, successûs partim fiduciâ, partim adjutus Gallorum studiis, palam pro domino se gerere cœpit. Quare de publicis privatisque ipsorum negotiis decernere controversias, litesque constituere: denique pacis concordiæque legibus Galliam & potentium animos, arctiùs sibi devincire. Inde ad ancipitem illam ac periculosam tot annorum principum Galliæ civitatum inter se de potentatu Galliarum dimicationem, ante omnia sese applicans, eam ceu pestem publicæ tranquillitatis atque otii, inprimis discussit. Ariovisto namque profligato, atque ejus omni deleto exercitu, Sequani, Arvernique jussi reddere obsides Æduis, veteres clientelas, quas ad se per potentiam traduxerant, restituere, Principatum denique cedere Remis. Cæsar etiam Æduos, cum suo sibi beneficio obnoxios habere; ut quàm maximè cuperet, novas iis clientelas, quod facilè poterat, comparare, ac dignitatem eorum quibus potuit rebus, amplificare.

XLIII. Remi principes Galliæ.

Trevirorũ cum iis fœdus.

Remi verò hoc tempore Galliæ primas, ut rebus omnibus orbem inesse quendam disceres, Cæsaris præcipuo favore atque beneficio sunt adepti; quorum fines, cùm ad Treviros pertinerent, amicitiam cum iis Treviri fœdusque, quomodò cum reliquis item Belgiæ populis, habebant. Utriusque documentum & Remorum Principatus in longum post tempus propagati, & Trevirorum cum iis amicitiæ Tacitus edidit hîc minimè prætereundum. Nam, cùm à Romanis pòst Treviri deficerent, ac Lingones, & Galliæ complures urbes nutarent, *Resipuisse*, inquit, *paulatim civitates, fasq; & fœdera respexisse, Principibus Remis, qui per Gallias tunc edixêre, ut missis legatis in commune consultarent, libertas an pax placeret.* Post hæc verò Galliarum civitates, ait, in Remos convenêre. Trevirorum legatio illic operiebatur. Belgicæ status is erat hoc tempore; summam rerum omnium, ut una teneret nobilitas, cætera quidem plebs infimis addicta ministeriis, in servitute ac potentiorum famulatu miserrimè vitam exigeret. Nobiles quippè, ac reipublicæ Principes circumfusi Ambactis ac Soliduriis (adjutorum illa manus) curare rem militarem, pericula propulsare, patriæ, consilio reque præsto esse; atque horum, ut quisque potentiâ, atque opibvs anteiret ceteros, ita facillimè vel regnum suæ civitatis, vel principatum occupare. Ex horum corpore annuus creabatur magistratus; penes quem Patriæ legibus, rerum domi militiæque gerundarum, tum necis ac vitæ quo-

Tac. 4. hist.

Belgicarum urbium cõditio & instituta.

qu-

que summum arbitrium. Exacta propemodum æstate exercitu in hiberna deducto, Cæsar in Galliam ulteriorem ad jus dicendum profectus est.

Cæsar. l. 1. §. 6.

XLIV. Provinciarum jurisdictio.

Cicero variis in ep. & Plin. Secun. l. 10.

Hibernis quippè mensibus mos Romanis agitare conventus, publicas controversias cognoscere, & querelis Provincialium audiendis, partim domi, partim in basilicis atque tribunali, operam dare. Quibus negotiis dum in Italia Cæsar & Illyrico distinetur, crebris nuntiis ac rumoribus ad se perlatis, fit certior, Belgas propè universos cōflata gravi adversus Romanos conjuratione, subito coortos in arma. Et motibus his causæ neque leves, neque injustæ, suberant; quòd Cæsarem sensim in propinquo dominationis molem adstruere cernerent, & infringendæ libertatis exercitum Romanum qui in eorum finibus conspectus necdum esset, crederent quoque tandem in se ducendum. Deindè quemadmodum otium salutemque suam Romanis armis concuti, & interpellari Belgæ nolebant, ita Cæsaris blanditiis, aut obtrusi amicitiæ nominis memoriâ nihil permoti, quin hiberna, quæ absente imperatore videbant tanquam retia finibus suis circumdata, armis oppugnanda; & Romanos pariter à suis finibus arcendos de communi nationis universæ consilio sententia que statuerent. Jam à nobilitate verò plebis, & multitudinis animis, quò promptiùs arma caperent, facilè injectæ faces, ut, quæ specie libertatis vindicandæ vulgò Principatus, & civitatum imperia per summam ambitionem tenebat.

Belgæ in arma consurgunt pro libertate adversus Cæsarem.

Cæsar. lib. 2. Dion. 39.

XLV. Cæsar in Belgas arma parat.

Cæsar itaque comperta periculi magnitudine, suis minimè deesse laborantibus, rem expedire frumentariam, supplementis instaurare copias, temporis oportuna captare.

ANTE CHRIST. 55. U. C. 696.

XLVI. Remi Treviri que se Romanis jungunt.

Inierant consulatum jam tum Publius LENTULUS, & Quintus METELLUS, cùm Cæsar quod maturum rebus gerendis ei tempus visum, adultâ necdum æstate ad exercitum ex citeriore Gallia advolat, ac celeriùs omnium opinione pervenit in Belgas; ubi, ad eum Remi legatos mittunt, qui dicerent, se suaque omnia in fidem atque potestatem populi Romani permittere, neque cum reliquis Belgis consensisse, neque contra populum Romanum omnino conjurasse; paratosque esse & obsides dare, & imperata facere, & oppidis eum recipere, & frumento ceterisque rebus juvare. Cæsar clementiæ famâ delectatus, ubi, ex legatorum relatione de Belgicæ statu cognovit, liberaliter iis pollicitus, hortatusque ut in ea sententia permanerent, inviolatos domum remittit; mandataque dat, cunctum ad se senatum principumque liberos, obsides adducant; quæ omnia ab his diligenter ad diem facta sunt. Equitatum etiam ad Cæsarem auxilii causâ TREVIRI miserunt. Interea ceteri Belgæ, manus cogere, exercitum in unum locum conducere. GALBÆ Suessionum potentissimo regi summa imperii & administratio belli traditur; omnes alacres & accensis ad pugnam animis in Cæsaris exercitum eunt; duces suas quisque distributè copias in pugnam educunt; BELLOVAGUS, NERVIUS, ATREBAS, aliique complures generatim, quorum summam ad ducenta septuaginta duo millia armatorum selectissima arbitrabatur. Hisce rebus permotus Cæsar ex Sennonibus, qui Belgis finitimi, celeriter movet ad Axonam, qui fluvius in extremis Remorum finibus, vado superabilis; hic Belgarum adventum sustinere, consilium fuit.

Cæsar lib. 2. Oros. lib. 6. c. 7.

XLVII. Bibracte à Belgis oppugnatur.

Belgæ inter hæc armorum procaces, oppidum Remorum Bibracte ex itinere aggressi, eo ardore animorum oppugnant, ægre ùt illo die defendi posset, ni missæ oportuno à Cæsare subsidio copiæ, studium oppidanis propugnandi vehementiùs auxissent. Posteaquàm igitur hosti nullam potiundi oppidi spem reliquam fecere; is mox conversus ad prædam; & vicinos Remorum agros longè latéque depopulatus, rectâ deinde ad castra Cæsaris iit. CÆSAR, ut appropinquare hostem ex fumo atque ignibus; eisdémque vestigiis magnam eorum esse multitudinem comperit, castris tenêre sese, ac supersêdere prælio; ne temerè cum hoste feroci manus conserens, universas vires discrimini simul offerret, simul in ultimum rem belli casum daret.

Cæsar lib. 2. Dion. 39.

XLVIII. Cæsar ex magno metu animo collecto Belgas adoritur.

Quàm plurimis igitur equestribus præliis secundis utrinque factis, hostiúmque virtute tentatâ, ubi demum crescere fiduciam morâ, adeóque in contemptum Belgis jam se venisse videt cunctando, pro pristina belli laude ac superiore consuetudine aliquid audendum ratus, ad extremam se dimicationem comparat; & legionibus pro castris in aciem distributis, mediâ palude, quâ transeundi fiat initium, explorat. At occurrendo obversandóque, res ad equestre denuò certamen istic redit; parium utrinque metu virium. Attenuato subindè in Axonæ transitu Belgarum robore, & urgente simul defecti commeatus inopiâ, patrio, quàm alieno solo, hostem operiuntibus, gerere bellum magis è re visum, & usu præsenti. Ea re constituta, ubi magno cum strepitu ac tumultu egredi castris Gallum, & intemperie noctis, nullo certo ordine, neque imperio, quod cuique obvium viæ, ritu palantium capessere, CÆSAR intelligit, protinus omnem è castris equitatum emittit; cui tres deinde legiones sequi jussas adjicit; quæ novissimum agmen proficiscentium adortæ, magnum eorum numerum ceciderunt. Hoc repentino casu territi priores, dum, ut in subitis atque inopinatis assolet, ordine turbato cuncti tumultuantur, ac terrore in proximos quosque manante, cedunt ultimis, effuso per agros cursu præcipites feruntur, eòque graviùs extremi sensêre damnum.

XLIX. Eburones & Condrusi hoc prælio gravia passi.

Non expertes hujus cladis Condrusi, & EBURONES, TREVIRORUM socii atque clientes; qui cum POEMANIS & CERESIS finitimis ad hoc bellum profecti, armatorum ad quadraginta millia eduxerant. Secundum id prælium, Suessionibus Cæsar in deditionem acceptis, exercitum in BELLOVACOS ducit; qui ultrò deditionem offerentes, precibus DIVITIACI ÆDUI, cujus apud Cæsarem flagrans, magnaque tum erat autoritas, sexcentis obsidibus datis, in fidem recepti, atque conservati sunt. Hos statim, segnes ad irritanda ROMANORUM arma, secuti sunt AMBIANI.

L. Nervii cedentibus

At NERVII; quorum obvictus cultusque asperitatem ingens in armis ferocia, omnes

aliis uni omnium ex Belgis bellum extendunt.

conditiones pacis obnixè repudiare, nullum subterfugere belli casum. Ad hæc reliquis Belgis ignominiam malè gestæ rei, ceu probrum ingerere, &, quod proditâ libertate seque, rémque communem obstinatis animis perditum issent, coarguere. Horum ergo ferociam, & præfractos in re militari spiritus, Cæsar ut edomaret, tridui itinere, per eorum fines emenso, trans Sabin flumen, castra posuisse comperit, adventumque ibi Romanorum unà cum Atrebatibus, & Veromanduis finitimis suis, avido ad pugnam animo, præstolari: his etiam Advaticos Cimbrorum ac Teutonum sobolem venire subsidio, atque adeò copias illorum jam esse in itinere. Quo, consilio Cæsar explorato, centuriones atque equitatum, in quo & Trevirorum alæ, præcedere jubet, qui locum castris idoneum capiant, & quibus se regionibus hostis teneat, certò cognoscant; ipse verò perfugarum fraudibus indicio detectis expeditas dein legiones sub signis ducens, sequitur omnibus copiis. At Nervii cùm distractis & accisis sociorum deditione viribus, ad pugnam apertam minimè se sentiunt pares; planis relictis, atque patentibus locis, in aspera atque impedita se recipiunt. Erant autem illa silvestria, & crebris arborum enatis implexisque commissâ fronde ramis, ita densa, ut non facilè introrsus perspici posset; quibus rebus fiebat, ut & insidiis essent locandis apta; & periculum vitantibus, facilis ibidem fugæ receptus.

Dio. lib. 39. Cæsar l. 2.

LI. Nerviorum cum Cæsare prœlium.

Intra eas silvas abditi, paucis aperto loco stationibus equitum in speciem relictis, latitabant; donec equitatum Cæsaris adventantem conspicati, hinc signo dato, in equitum turmas, nil tale opinanteis, tantâ pernicitate decurrunt, ruuntque, ut duobus simul in locis Romano pugnandum esset; neque ad galeas induendas, scutisque tegumenta detrahenda, spatium daretur. Etenim primâ impressione Nervii perfringere munitiones, & impetu propè vesano, quod obvium & validum usque Romanæ virtutis, perrumpere; atque in flumen, quod suberat, ex loco superiore compellere, dúmque ancipiti atque diuturno prælio se invicem lacessunt, circumgrediuntur, occursant; tandem connixi omnes, confertissimo agmine, pars aperto latere legiones circumvenire, pars castra petere, atque deripere. Miscetur fugientium bellantiúmque clamor, & cuncta pariter Romanis adversa. Quibus difficultatibus Treviri permoti equites, cùm inclinatione facta rem in summum adductam discrimen cernunt, maturè sibi consulendum rati, desperatâ Romanorum salute, celeriter se domum recipiunt. Romanos acie victos, & castris insuper exutos, impedimentísque eorum hostes potitos, civitati suæ renunciant. At Cæsari, ne tanto quidem in discrimine deerat animus aut consilium, quam ob rem disjectis fulciendis ordinibus, subsidiísque locandis, intentus, ad dextrum cornu, quà potest celeritate advolat; ac scuto ibi à novissimis uni militum detracto, in primam aciem procedit. Atque hic tum redintegratis animis Romanus omnium immemor difficultatum audacior vadit in hostem. Quod, ubi Labienus, qui Nerviorum jam castra occupaverat, ex loco superiore conspicatus est, legionem, quia tuto ipse loco se tenebat, laborantibus mittit: cujus adventu tantus militibus accessit pugnandi ardor, ut qui vulneribus languidi ac propè confecti, vix jam spiritum trahebant, scutis innixi, prælium redintegrarent. Dimicatum igitur à viris fortibus, tam pertinaci vulnerum ac cædium strage, ut maximis utrinque detrimentis acceptis, propè ad internecionem fortissimam Nerviorum gentem hac acie redegerit Cæsar.

LII. Cæsaris victoriæ utiles Galliæ debellãdæ.

His rebus à Cæsare cum Belgarum acerrima prælio gente, feliciter sanè gestis, gloriæ ac virtutis in bello singularem apud omnes opinionem est adeptus; & Senatus etiam Romæ tam prosperè præter expectationem decedentibus rebus, acerbitate jam omni remissa, pro magnitudine victoriæ quindecim dierum supplicationem Cæsari decrevit, quod nemini ante id tempus contigerat. Id verò religionis genus, prisco Romanorum instituto ejusmodi erat; ut posteaquam Præsides Provinciarum hostium justo numero cæso, à militibus Imperatores appellati, laureatas ad senatum literas de victoria misissent, senatus Deûm templa, atque atria pandi, mittere preces, & gratias Imperatoris nomine, populum agere juberet; ac denique statum supplicandi tempus ritúmque præfiniret. Id, quod M. Tullius, in re præsenti sermonem interponens, *C. Cæsari*, inquit, *supplicationes decrevistis numero, ut nemini ullo ex bello; honore, ut omninò nemini.* Atque Nervicum bellum, cui Trevericus eques spectator potiùs, quàm bellator interfuit, hunc certè quidem habuit exitum. His ita patratis, cùm omnibus de causis Cæsar pacatam Galliam habiturum se confideret, ferocissima Belgarum gente devicta, & pulsis ex Sequanorum agro Germanis, adhæc in Alpibus, Sedunis ac Veragris, Galbæ diligentia ac fortitudine superatis, in Illyricum proficiscitur, quod obscurum ad id sanè tempus, nec ullâ re valdè memorabili gestâ insigne, nomine suo cum primis cupiebat illustrari.

Orat. de Provinc. Coss.

Supplicatio apud Rom.

Or. in Pisonem & Antonium.

In Orat. de Prov. Cons.

ANTE CHRIST. 54. U. C. 697.

Interea, Cn. Lentulo, & L. Philippo Coss. ineuntibus subitum in Gallia bellum est coortum. Publius enim Crassus Cæsaris legatus, cùm anno superiore complures maritimas Galliæ civitates ad Oceanum Britannicum, aut armis aut deditione sub Imperium Romanum coëgisset, illas in fide per hiemem continere non potuit; nam servitutem & externa imperia pertæsæ, cùm fortunas effundi suas, amitti libertatem, carissima sibi pignora obsidum insuper abstrahi nomine, rapi per castra Romana, vehementer dolerent, arrepta, quæ prima se dedit, & Romanam societatem exuendi, & consurgendi in arma rebellandique facultate, ad asperrima & extrema quæque pro libertate subeunda, se suósque obfirmarunt. Omni igitur orâ maritimâ celeriter ad hanc sententiam perductâ, Cæsar, cùm primùm per anni tempus licuit, ad exercitum contendit, injuriam violatæ societatis atque amicitiæ persecuturus armis.

LIII. Novi Gallorum Venetorum motus.

Cæsar. l. 3. & 4. Plutarch. in vita Cæsar. Dion. l. 39.

LIV.

At verò cùm intelligeret hominum ita comparata ingenia, ut libertatis, quâ dulciùs in vita nihil est, ægrè cupidinem ex animo deponant;

ponant; ſervitutem gravatè ſubeant; priuſquam horum exemplo, plures ſe civitates erigerent, manus omnium diſtinendæ cauſa, ſeorſim ſingulas per legatos prœliis laceſſendas, & intra fines quaſque ſuos, circumferendo bello, cohibendas cenſuit. Itaque TITUM LABIENUM ante omnia in Treviros cum equitatu mittit: hi enim in Condruſis, Eburonibus, Cereſis, Pœmanis, reliquisque finitimis populis, qui nomine tum Germanico cenſebantur, magnam ſemper fiduciæ præſidiique ſpem collocatam habebant; præterque pedeſtribus ipſi, equeſtribúſque copiis, eo tempore prævalidi, difficulter, niſi exercitu coacti imperata faciebant. LABIENO igitur mandat Cæſar, ut nutanteis ac dubios in fide Belgas confirmet, finitimas inde gentes adeat, omnes in officio contineat. Legatorum ergo ait moderatione, aut præſentis imperii vi metúque, Belgicam Cæſar habuit pacatam.

Treviri Romanorum præſidiis frænantur, ne quid moveant.

LV.

Labienus Trevirim ingreditur. Cæſaris bellum cum Gallis Venetis.

Neque magnus hic ambigendi locus, quin oppreſſa Legati metu TREVIRORUM Civitas, tum primùm intra mœnia ducem conſpexerit Romanum, T. LABIENUM, futurum aliquando Trevericæ reipublicæ domitorem. Cæterùm quieſcentibus jam Belgis, & in poteſtate Cæſaris, ſine motu armorum ullo permanentibus, ſecurior hinc Cæſar, in unius Venetici belli cogitationem curas laxat.

LVI.

Cæſar ſe dat potentiæ conſtabiliendæ.

Quo feliciter, mari, geſto, ſtabiliendæ poſt hæc potentiæ, & confirmando ſimul Galliarum imperio, acriùs inſiſtens, poſtulat in ſupplementum exercitus, & acceſſionem virium Romæ à ſenatu, ut numerus legatorum augeatur, exercituíque jam toties victori præmia dentur ac ſtipendia. De utroque, Craſſo, Pompeioque & Cicerone cum primis annitentibus, in magnis anguſtiis ærarii, & Cæſaris dignitatem oppugnantium non invalidâ factione, Marcus ipſe Tullius docet impetratum. *Actum*, inquit, *eſt de decem legatis, quos alii omninò non dabant; alii exempla quærebant; alii tempus differebant; alii, ſine ullis verborum ornamentis dabant; in ea quoque re ſic ſum locutus, ut omnes intelligerent, me id quod reipublicæ cauſa ſentirem, facere uberiùs, propter ipſius Cæſaris dignitatem.* At quod reipublicæ cauſa vanè jactitat, iſtud eſt verò longè ſecus. Ut enim Cicero comperit optimates, qui Cæſari erant infenſiſſimi, adjunxiſſe ſibi Clodium, quòd is jam tum acrem ſe adverſarium Cæſari ferre cœpiſſet, optimatium desertâ causâ, à Republica ſeſe removit: atque ita magnus ille libertatis Romanæ Præco, & nationis optimatium defenſor, omnibus quæ potuit in Cæſarem congerendis ornamentis, nihil aliud ipſi, quàm ad tyrannidem viam muniit. Cæſar autem his ornatus imperiis, cùm altiora jam in dies complecteretur animo, nec niſi devictâ debellatâque Galliâ, ſibi redeundum in urbem certum eſſet, haud exiguum ſtudium amicorum eam in rem contulit, ut præterita lege Sempronia, in alterum quinquennium prorogatum haberet imperium.

Orat. pro Balbo de provinciis Conſ.

Ciceronis vanitas in Cæſaris cauſa.

Cicer. Epiſt. variis.

Orat. pro P. Sextio.

Plutarchus. Dion Sueton. Valer. Maximus, & alii.

LVII.

Orat. de Provin. Conſul.

Senatus Romani

Variis de ſucceſſione iſthac decertatum in ſenatu ſententiis. Nam, qui Cæſarem peſſimè omnium oderant, id tendebant una voce, ut aut de Gallia utraque, quam mox eum decriperent, vel certè ulteriore detracta, pennas ambitionis ei & nervos inciderent. Porrò ſententiis his; cùm à Cæſaris amicis acerrimè reſiſtitur, factum eſt, ut hoc annô, Provinciæ conſulares, in quibus erat Gallia, omnino nullæ decernerentur. At, cùm more inſtitutoque Reip. Romanæ, vel anno poſtero, lege adhuc ſuam obtinente vim; rurſus agendum eſſet de Provinciarum annua adminiſtratione, per Trebonium Tribunum-plebis, nova de prorogando imperio lata lex, quæ Pompeio & Craſſo ex interregno conſulatum gerentibus, facilè quo ne Cæſari ſuccederetur obtinuit.

diſcordiæ ſuper Provinciarum ſortitione

ANTE CHRIST. 53 U. C. 698.

LVIII.

Galliæ ſtatus.

Galliæ verò res, quo loco tum temporis extiterint, Cicero diſertâ, loculentaque, quam de Provinciis Conſularibus habuit, oratione expoſuit. *Bellum geſtum cum Venetiis maximum; domitæ à Cæſare per legatos validæ armis viriſq; nationes; ſed nondum legibus, nondum jure certo, nondum ſatis firma pace, devinctæ.* Bellum itaque affectum potius Romani, quàm confectum habebant; ita, ut ſi idem contexeret extrema, qui inchoaſſet, ſpes magna foret rei benè & ex animi ſententia, pro ipſorum imperio gerendæ: ſin demoveretur verò, ſubeſſet periculum, ut, ne inſtauratas maximi belli reliquias tam facilè quiſquam alius profligaret aut compeſceret.

LIX.

Cæſar. l. 1. & 2.

Exercitus Romanus, quo Cæſar uſus in domanda Gallia.

Obtinuerat adhuc Galliam Cæſar octo legionibus; in quas ſingulas, ſi miſſa varietate, ſena millia peditum, trecenoſque numeremus equites, exſurget ſumma ad quinquaginta millia quater centum. Aucto verò deinde legatorum numero, & cum his creviſſe unà legionum robora, neceſſe eſt; cùm ſingulis legionibus ſinguli legati, inſtituto vetere, præeſſent. Enimverò id teſtatum non uno loco nobis à Cæſare, decem in poſterum, bellum Gallicum adminiſtratum legionibus; cùm ſingulas in hiberna diſtribuens, earum ſigillatim numerum percenſet; & ad octo priores, nuper duas conſtabat adjectas, unam quæ in Italia trans Padum ſcripta, alteram verò ex Gallica natione, novo & ad eam diem inuſitato Romanis exemplo. Unde Tranquillus de C. Julio, ut ſolet liberè & apertè. *Prorogati in quinquennium ſibi imperii fiduciâ ad legiones, quas à Republica acceperat, alias publico, alias privato ſumptu addidit; unam etiam ex tranſalpinis conſcriptam vocabulo quoque Gallico: Alauda enim appellabatur: Galeritam Plinius interpretatus eſt; quam diſciplina cultuq; Romano inſtitutam & ornatam, poſtea victo Pompeio, univerſam civitate donavit.*

Lib. 7. Cæſar. & Hirtii, &c.

Lib. 5.

In Cæſ. c. 24.

Legio Gallicana.

Alauda.

Lib. 11. c. 37. hiſtor. natur.

LX.

Cæſaris in bello gerendo injuſtitia.

Exercitu itaque ſexaginta trium millium, præter magnam vim ſociorum Gallicani nominis, & fœderatarum urbium, conducto Cæſar, nullâ deinde belli occaſione, ne injuſti quidem ac periculoſi abſtinuit, tam fœderatis quàm infeſtis ac feris gentibus ultrò laceſſitis; adeò, ut Senatus quoſdam Legatos ad explorandum ſtatum Galliarum decreverit; cenſuerint etiam nonnulli dedendum hoſtibus.

LXI.

Reip. Trever. ſtatus.

Sed repreſſit invidiam, atque eam aſperitatem emolliit, conſtans ac perpetuus quidam tenor felicitatis; & rariùs item offendens victoriæ curſus. Sic erant vires & arma Romana. At Treviri vivebant certè legibus adhuc domeſticis; neque enim Romanas ante

accepisse constat, quàm conjecti in provinciam ad Præsidis arbitrium nutúmque, cuncta administrarunt. Porrò, cùm neque bello victi inferiores, neque pares armis, æquo fœdere in pacem atque amicitiam populi Romani venerint, longè melior quidem eorum fuit conditio, quàm, quibus aut patriæ libertatis ademptione, aut ipsâ denique patria multatis à Romanis pro arbitratu dictæ sunt leges; deterior autem, quàm, qui ex commodo, & juris antiqui formula, jam inde à principio obtenta societate, Fratres & Consanguinei appellati sunt a Senatu. Trevirorum nihilominus cum Romanis inita societas, ut incertis rebus erat fluxa, ut in priscæ libertatis desiderio, vix ulla. Quæ enim circa se gererentur diligentiùs cum animo reputantibus, non poterat esse obscurum, quid omnibus hisce bellis atque concursationibus sibi vellent Romani; qui & victos, & imperiis novis quotidie pressos, seque in servitutem mitti, & urbes servas habere atque vectigales, quàm liberas, & suis vivere legibus mallent. Ad hæc inquieti & ad occasionem quamcunque mobiles Treviri, per tumultum ac intestinam seditionem res ipsi suas exasperabant; cùm pars, quæ domestico certamine infirmior, aut Germanicæ factioni studebat, aut popularium iras accendebat. Quamobrem, ut Legati sæpe per hosce fines ultro citróque commearent, & severiùs externam fidem præsentis metu exercitus astringerent, effrenata tamen & præceps Induciomarianæ factionis audacia, exiguum otio atque quieti locum relinquebat.

LXII. Cæsaris trans Rhenum in Tencteros atque Usipetes expeditio.

Peractis hibernis Cæsar, pluribus de causis expeditionem in Tencteros atque Usipetes Germanos, necnon validissimam Suevorum gentem, molitur; primùm, quòd Gallicis urbibus crebrò, rebellionem facientibus, hi sollicitati Rhenum transire, & propter affinitatem, quâ plerique Belgiæ populis obnoxii, miscebantur, contra Romanos auxilia ferre consuessent; deinde, quòd Ubios Suevi, cùm finibus expellere nequivissent, sibi vectigales & tributarios facere, non dubitassent. Jam verò onerabat ea quoque causa Tencteros atque Usipetes, quòd Menapios, quos Cæsar difficili bello nuper aggressus, tempestatibus impeditus non expugnasset, per fraudem circumventos, atque injuriis egregiè insuper vexatos, demum oppressisset.

Cæsar. lib. 4.

LXIII. Tencteri & Usipetes à Treviris in Galliam invitantur.

Porrò Tencteri, cùm plures annos Suevorum vim intutâ viciniâ sustinuissent, ad extremum potentiâ validiorum avitis sedibus emoti, multisque locis Germaniæ triennium vagati, ad Rhenum pervenerant; & in obvios Menapiorum agros, uti diximus, invaserant. Quâ famâ finitimæ civitates Ubiorum, Trevirum, cæterorumque permoti, legatos ad Germanos mittunt postulatum ab Rheno uti discederent, & ad se iter è vestigio maturarent: neque verò idoneam domiciliis locandis sedem, nec agros tolerandæ vitæ, nec provocando bello materiem, demum nihil eorum omninò defuturum, quæ ab socia cognatáque gente ducerent expectanda. Hæc eo nimirum consilio instituebantur à Belgis, ut auxiliis instructi Germanorum subitis paratisque, legiones, quarum præsidio Cæsar illos absens quoque frenabat, faciliùs opprimerent; jugumque Romanæ dominationis, cujus impatientissimæ Belgarum cervices, vi denique perrumperent & dejicerent.

Dion. 39.

LXIV. Belgarum animi in fide Romana fluctuat.

Cæsar, uti qui apud Belgas impolitis adhuc & acerbis rebus Romanæ societatis fidem nosset parùm haberi sanctam, suspicatus jam ante, quod evenisse mox comperit, maturiùs quàm consueverat, ad exercitum profectus est; certiorque factus, defectionem socias urbes, & res novas moliri; nihil illis committendum ratus deinceps, principibus eorum ad se evocatis & simulatione motuum sumptâ, animos eorum primùm blanditiis permulcet atque confirmat; dein equitatum ad bellum, quod cum Germanis gerere constituerat, imperat. Re frumentaria confecta, equitibúsque delectis, iter in Trevirorum fines comparat. Tencteri enim ac Usipetes Transrhenani quondam proxima Trevirorum legatione, liberaliter habiti, ac præ[...] simul illecti spe, jam latiùs per extrema Galliarum vagari, adeoque in Eburonum ac Condrusorum agros, non invitis Treviris sese insinuare.

LXV. Tencteri & Usipetes domiciliû in Gallia figunt.

Cæterùm veriti potentiam Cæsaris, quem appropinquare cum exercitu, & paucorum dierum iter abesse intellexerant, legationem decernunt; quâ studium Romanis & amicitiam pariter suam offerunt, agrosque sibi in Gallia & domicilia commorandi causa postulant attribui; hæc si abnuat, patiatur iis saltem, quæ armis peperissent, ut concessis, illacessitos frui; de cætero, si ad preces, & oblatam ultrò gratiam voluntatem obfirmaret, & æquissimis postulatis clauderet aures, tum verò bellum, an quietem, utrum ex duobus præoptarent mox experturum. Hac legatione perfuncti, cùm æqua iniquis miscentes, eorum, quæ postulassent à Cæsare, omninò nihil impetrassent; bonæ spei inanes, & omnium incerti, ad suos revertuntur.

LXVI. Cæsaris cum Tencteris adversum & mox secundum prælium.

Præmiserat equitatum Cæsar, cui in mandatis dederat, ne quà se moveret, neu hostem prælio lacesseret, ac, si quæ belli moles ingrueret, sustineret, quoad ipse cum exercitus universa manu, propiùs adesset. At hostium tam infensum in Romanos erat odium, ut interpositis nequidquam paucorum dierum induciis, raperent etiam occasiones, & rerum eventa, priusquam maturuissent, antecaperent alacritate. Et fortè Romanum adequitare procul ipsi conspexerant, cùm impetu se proruentes, numero duntaxat octingenti, ausi equitum agmen lacessere quinque millium; equósque quàm concitatissimos in medium agere confertámque hostium multitudinem. Eam itaque procellam equestrem tam improvisam non sustinens Romanus, quatuor & septuaginta ex suis amissis, ilicò terga dare, & in fugam passim effundi. Hac simul injuriâ simul ignominiâ graviter ad ultionis libidinem inflammatus Cæsar, omnes Germanorum legatos, principes, majoresque natu induciarum gratiâ ad se missos, retinet; & consilio, cum Quæstore & Legatis communicato, Germanos furto insidiarum incautos, nec tale quid opinanteis aggressus, quadringenta triginta millia, non procul à Confluente Mosæ & Rheni profligat, castris exuit, & in Rhenum denique præcipites actos, fluctibus,

Cæsar. lib. 4. Dion. 39. Oros. l. 6.

fluctibus, & lassitudine, mori compellit. Secundum hanc editam stragem Cæsar, ponte Rhenum jungens, exercitum in Germaniam transportavit, totique nationi terrorem adventu suo ingentem injecit. Hinc rescisso ac dissoluto ponte, in insulam Britanniam, quod omnibus ferè Gallicis bellis hostibus inde subministrata auxilia, trajiciendi cura subiit.

LXVII. Menapii Romanis armis appetuntur. Eorum situs.

Et ne Galliæ res interea loci, neglectæ jacerent, reliquum exercitum Q. Titurio Sabino, & L. Arunculeio Cottæ legatis in Menapios, aliosque, qui imperata facere detrectassent, intactos etiam tum populos, ducendum dedit. Erant verò Menapiorum tunc fines latissimi, & Treviros, quà in Eifliæ regionem spectant, attingebant: neque longè ab Oceano magno locorum flexu ad utramque Rheni ripam, agros vicosque colebant. Quare fiebat, ut magnus cum his, & propter vicinitatem, & rerum efferendarum importandarumque facultatem, Treviris commercii usus intercederet; tum etiam auxiliares copias, si quid opus facto, iis ex locis accerserent.

LXVIII. Ex Menapiis re infecta reditur.

Legati igitur, quibus id negotii datum, in Menapios impigrè duxêre; at iisdem, quibus ante locorum difficultatibus exclusi, quòd se suaque omnia Menapii in densissimas silvas ac paludes contulissent, cùm nihil ibi bello promoveri, nec eventus ad spem respondere sentiunt, omnibus eorum agris vastatis, perustis segetibus atque protritis, ædificiis demum vicisque incensis, inde ad Cæsarem ex insula Britannia tum reversum, transeunt, damno dato, quàm victoria clariores. Cæsar verò legionum omnium hibernis in Belgica locatis, Galliam inde Cisalpinam juris dicundi causâ, petit.

Cæsar. lib. 5. Plutarch. in Cæs. & Dion.

ANTE CHRIST. 52. U. C. 699. *Cic. ad Attic. lib. 4. Ep. 16. sub finem, & 17.*

Consules jam tum Romæ creati, L. Domitius, & Appius Claudius, cùm hyeme Cæsar transactâ, vere novo redit ad exercitum; ingentique Britanniæ potiundæ exæstuat cupidine, ita ut in hanc præcipuè curam, & animo simul iret & omni adparatu. Retardebat ejus consilia Trevirorum defectio. Hi námque, cùm Legatos ex Menapiis, nulla re memorabili gesta ad Cæsarem rediisse, Cæsarem Britannicam navigationem in pectore volventem, aliò sciunt versas habere curas, nullam fecêre moram rebellandi. Quare spe libertatis integræ, Induciomaro autore, publicos cogere conventus, Cæsaris imperium propalam recusare; quin etiam rumor nec vanus increbuerat, Germanos trans Rhenum incolentes, iterum ab his contra Romanos sollicitari.

LXIX. Trevirorũ defectio cõsilia Cæsaris de Britannia distinet.

LXX. *Cæsar. lib. 5.* Trevir. hujus tempo poris quæ conditio.

Erant ea tempestate, magnæ Trevirorum opes, & supra magnitudinem virium, cupido gloriæ civitatem incesserat; unde in superbiam dominationémque proni Optimatum animi. Induciomarus & Cingentorix magnæ nobilitatis nomina, & amplis opibus innutriti, summam in urbe potestatem, ingenti certamine, ac civium pernicie ambiebant: uterque manu promptus & quietis impatiens; etsi hic ad otium propensior, pacem cum Romanis quàm bellum optabat.

LXXI. Induciomari bellicus adparatus contra Cæsarem.

Induciomarus, ut qui gratiâ & largitione apud Treviros prolixè poterat, cupidus Principatus, & iis amicus maximè, qui bellum malebant; novis rebus studere, & omnes equitum peditúmque copias, ad suam potentiam dominatúmque traducere. Delectu igitur habito, iis, qui per ætatem in armis esse non poterant, in silvam Arduennam, cujus ingentem esse magnitudinem ostendimus, abstrusis, bellum parare. Cæsar interim omnium consiliorum gnarus, cum legionibus expeditis quatuor & equitibus octingentis Trevirorum finibus appropinquabat.

LXXII. Cingetorix Trevirorũ princeps Cæsari se dedit.

Et, ut verbis commentarii loquamur, Cingentorix simul atque de Cæsaris legionúmque adventu, cognitum est, obviam Cæsari progressus, prior ad eum venit: se suosque omneis in officio futuros, neque ab amicitia populi Romani defecturos, confirmat; quæque in Treviris gerantur, ostendit. Hunc deindè secuti sunt nonnulli Principes ex hac civitate, qui familiaritate Cingentorigis adducti, & adventu Romani exercitus perterriti, ad Cæsarem iverunt; & de suis privatim rebus ab eo petere cœperunt, quoniam civitati consulere non possent. At veritus ne ab omnibus desereretur Induciomarus, legatos item ad Cæsarem mittit; sese idcircò à suis discedere, atque ad eum venire noluisse, quò facilius civitatem in officio contineret, ne omnis nobilitatis discessu, plebs propter imprudentiam laberetur. Itaque civitatem in sua potestate esse, seque, si Cæsar permitteret, ad eum in castra venturum, & suas civitatisque fortunas ejus fidei permissurum. Cæsar, etsi intelligebat, qua de causa ea dicerentur, quæque eum res ab instituto consilio deterreret, tamen, ne æstatem in Treviris consumere cogeretur, omnibus rebus ad Britannicum bellum comparatis, Induciomarum ad se cum ducentis obsidibus venire jussit. His adductis, & in iis filio, propinquisque ejus omnibus, quos nominatim evocaverat, consolatus Induciomarum, hortatúsque est, uti in officio permaneret. Nihilo tamen secius, principibus Trevirorum ad se convocatis, eos sigillatim Cingentorigi conciliavit. Quod, cùm meritò ejus à se fieri intelligebat, tum magni interesse arbitrabatur, ejus autoritatem inter suos quàm plurimum valere, cujus tam egregiam in se voluntatem perspexisset. Id factum graviter tulit Induciomarus, suam gratiam inter suos minui; &, qui jam ante inimico in Romanos animo fuisset, multò graviùs hoc dolore exarsit.

LXXIII. Cæsaris in Britanniam navigatio. Iccius portus.

Jis rebus constitutis, Cæsar ad portum Iccium, qui Ambianis & Atrebatibus vicinus, à continenti Britanniæ triginta millibus passuum tantum aberat, profectus, inde sub serum diei solvit, & Africo spirante, ad insulam magno cum militum labore accessit, meridiano fere tempore. Cæterùm, cùm per suam absentiam, nihil pro sano Galliæ optimates facturos existimaret, vereretúrque, ne cùm ipse discessisset, novi motus repentè ab tergo exsurgerent, Principes ex omnibus civitatibus, secum ferè captivos abduxit, & Labienum in continente cum tribus legionibus & equitum millibus duobus Galliæ ipsi reliquit custodem.

LXXIV. Cæsaris in Britannia successus.

Postea verò, cùm aliquot prœliis ancipiti Marte defunctus, non paucis captis oppidis, vectigalem insulam populo Romano fecisset, sub æquinoctium autumnale classe revectus,

de col-

de collocandis ob frumenti inopiam hibernis, nova consilia agitavit. Aliis itaque aliò concedere jussis, unam legionem in Rhemis, quæ T. Labieno parebat, confinio Trevirorum hiemare; aliam, quam proximè trans Padum conscripserat, & cohortes quinque in Eburones Trevirorum clientes, proficisci voluit. Huic Q. Titurium Sabinum & L. Arunculeium Cottam legatos præesse jussit. Ipse verò quoad legiones idoneas hibernis cepisse stationes, & communiisse castra cognovisset, in Gallia morari. Interea omnes Legati & Quæstores, quibus legiones tradiderat, ubi adversus urgentes casus, sat se firmatos judicant, certiorem faciunt Cæsarem, in hiberna perventum; & ex disciplina rituque, castra probè munita.

LXXV. Eburonum adversus Romanos novi motus.

Diebus circiter quindecim, quibus in hiberna ventum, initium repentini tumultus ac defectionis ortum est ab Ambiorige & Cativulco Eburonum regulis. Hi, cùm ad fines regni sui Sabino Cottæque præsto de more fuissent, frumentúmque in hiberna, legatorum jussu comportassent, imbecillitatem militum Romanorum, proditâ infrequentiâ conspicati, callidè augurantur, si oppugnatio fiat, neque ad defensionem suffecturum robur, neque distractis jam per hiberna & in diversa loca distributis legionibus, profecto in Italiam Cæsare, ullum fore facilè laborantibus auxilium.

Dio. 4. Cæsar. 5. Plutarch.

LXXVI. Induciomarus consilia sua cum Eburonibus sociat.

Induciomarus etiam, cùm jam ante Cæsari Romanoque nomini esset infensus, quæ prima belli gerendi ratio, quæque opportunitas se dedit, cum Ambiorige & Cativulco, ut opprimerentur utrobique legiones, conspirat; quidque capiendum pro causa consilii sit, & quid ab ipsis fieri velit, per nuncios edocet.

LXXVII. Castra Romanorum in Eburonibus oppugnata.

Ambiorix, ut cui nulla opus nova in tali re deliberatione, ex ante præparato, cum equitatu, magnaque pedestrium copiarum manu, ad castra oppugnanda confestim advolat: ubi rejectus à vallo virtute militum, frustra adhibitam à se vim perspicit, ad fallacias & dolum intendit animum. Sabinum ac Cottam amici ac benevoli in Romanos animi specie commonefacit, suæ ac militum saluti in tempore consulant; Gallorum unam omnium communem esse pro libertate conjurationem, omnibus hibernis Cæsaris oppugnandis, hunc esse dictum diem; accitos stipendio in auxilium Germanos, hos jam, superato Rheno, affore biduò; ipsorum esse consilium, velíntne, decernant, priùs ad Labienum & Q. Ciceronem, quorum castra quinquaginta millia passuum absint, in pacata deducere suos; illud se polliceri vel juratum, tutum ipsos iter per fines suos habituros. Secundùm hæc dicta, Ambiorix Romanos nihil hæsitans brevi relictis hibernis sequuturos, ad loca insidiis præoccupanda sub noctem proficiscitur.

LXXVIII. Romanorū de castris relinquendis deliberatio.

Interea in Romanorum hibernis convocato concilio, variè à legatis de relinquendis castris certatum est. Sabinus multiplices in animis militum ciere discriminis imminentis terrores; subesse Rhenum; magno esse Germanis dolori Ariovisti mortem, & superiores invidiæ plenas victorias; ardere Galliam tot contumeliis acceptis sub populi Romani imperium redactam, superiore gloria rei militaris propè extinctâ: quare, omni jam Gallia cum Germania adversus Romanum nomen conspirante, unam esse in celeritate positam salutem. Contra ea, Cotta, cujus orationem complures tribuni militum & primorum ordinum centuriones approbabant; nihil temerè agendum; neque ex hibernis, injussu Cæsaris discedendum: quantasvis magnas etiam copias Germanorum sustineri posse, munitis hibernis; re frumentaria non premi; nec procul, si quis durior casus, è proximis hibernis subsidia; postremo, quid esse levius aut turpius, quàm, autore hoste, de summis rebus capere consilium? Hæc Cotta pro re prudenter: sed ut in præfractis solet, superat sententia Sabini: pronunciatur, prima luce, hiberna linquenda. Ambiorix, ubi ex nocturno fremitu vigiliisque, de profectione Romanorum sensit, bipartito in Arduennæ saltu, opportunè positis insidiis, à millibus passuum circiter undecim, Legatorum adventum expectat. Hi postquam inconditum, & tantum aptum viæ, ceu per pacata ducunt agmen, simul ac in convallem ab hoste undique insessam sese demisère, locorum iniquitate, & erumpentium in apertum, qui à fronte, ab latere, à tergo insidiabantur, repentino metu oppressi, dum neque quem locum capiant, aut quem admodum obversantem oculis hostem rejiciant, cogitando aut quærendo exequuutur, velut indagine clausi, eminus lacessiti telis, promptissimus quisque sternitur; omnesque ad unum pæne circumventi, interficiuntur. Titurius, tot repentè pressus malis, dum Ambiorigi supplex deditionem offert, à barbaro violatus, item occiditur: Cotta fortiter ad extremum usque spiritum dimicans, cum maxima militum parte, prælio cadit: cætera pars repetitis castris, ignominiam acceptæ cladis non tolerans, mutuis sese gladiorum ictibus transfigit.

LXXIX. Arunculeiorum monumentum apud Magontiacum.

In Cotta, memoriam Arunculeiorum olim eruisse, apud Moguntiacum insigni saxo recordor, Castello, quod oppido quondam pons junxit, oratorio, cui Clusæ nomen. Lapidis inscriptio, fugientibus licet ævo litteris.

D. M.
A. L. ARVNCVLEIO ////////
TRIBVNO. EQVITI RO
MANO HERENNIVS VT ////* TQ
//// NVS MIL. LEG. XXII. //////////
//

* Forti Tribunus militum legionis XXII.

Hac tam insigni & memorabili illata Romanis clade, ultra modum læti Eburones Trevirique. Ambiorix autem, nullo ad quietem intermisso spatio Advaticis & Nerviis in novam spem continuò erectis, cum his ad Q. Ciceronem, qui in Nerviorum finibus hiemabat, oppugnandum sine cunctatione proficiscitur. Et eodem quoque tempore Induciomarus cum omnibus quas firmissimas habere sibi visus, copiis, ad T. Labienum castris exuendum, iter facit.

LXXX. Castra Q. Ciceronis oppugnantur ab Ambiorige.

Cæterùm Ambiorix improvisus assultans, interea Q. Ciceronis hiberna invadit; castraque omni telorum & oppugnationis apparatu ab hoste divexata, ægrè à Romanis defendebantur,

Cæsaris suppetus servatur.

bantur; cùm superveniente Cæsare hostes ingenti strage pariter & ignominia in fugam dati, & magno numero deleti sunt. Huic prælio T. Labienum adesse Cæsar magnoperè cupierat; quare missis ad eum literis, monuerat, si id Reipublicæ commodo posset, cum legione ad fines Nerviorum veniret.

LXXXI. Labienus à Treviris distinetur.

At Labienus, interitu Sabini, & cæde cohortium cognita, cùm omnes ad eum Trevirorum copiæ venissent; veritus, si ex hibernis fugæ similem profectionem fecisset, ut hostium impetum sustinere non posset, literas Cæsari remittit, quanto cum periculo legionem ex hibernis educturus esset; rem gestam in Eburonibus perscribit, docet omnes peditatus equitatusque copias Trevirorum, tria millia passuum longè ab suis castris consedisse. Quod consilium ejus Cæsar approbavit. Interim incredibili celeritate de victoria Cæsaris per Rhemos Labienus fit certior, qui ante noctem ad portas castrorum sublato clamore, victoriæ significationem dederant ac gratulationis. Hac famâ ad Treviros perlatâ, Induciomarus, qui postero die castra Labieni oppugnare decreverat, noctu profugit; copiasque omnes in Treviros reducit. Tantam verò Galliæ populis voluntatum commutationem attulit cæsæ legionis incommodum, ut omnes fermè civitates de bello ac resumenda libertate consultare, nuncios legationesque in omnes partes dimittere, unde motus initium sumerent, explorare cœperint. Soli Ædui, Rhemique non concussi, in fide atque amicitia populi Romani steterunt.

LXXXII. Trevericũ bellum cum Labieno Cæsaris legato.

Treviri vero atque Induciomarus, ut deinceps Cæsar loquitur, *hiemis nullum tempus intermiserunt, quin trans Rhenum legatos mitterent, civitates solicitarent, pecunias pollicerentur: magna parte exercitus Romanorum interfecta, multò minorem superesse dicerent partem: neque tamen ulli civitati Germanorum persuaderi potuit, ut Rhenum transirent, cùm se bis repertos dicerent. Ariovisti bello & Tencterorum transitu, non esse fortunam amplius tentaturos. Hac spe lapsus Induciomarus, nihilominus copias cogere, exercere, à finitimis equos parare, exsules, damnatosq; tota Gallia, magnis præmiis ad se allicere cœpit: ac tantam sibi jam iis rebus in Gallia autoritatem comparaverat, ut undique ad eum legationes concurrerent, gratiam atque amicitiam publicè, privatimq; peterent. Ubi intellexit ultrò ad se veniri: altera ex parte Senones Carnutesq; conscientia facinoris rebellionis instigari: altera Nervios Aduaticosq; bellum Romanis parare, neque sibi voluntariorum copias defore, si ex finibus suis progredi cœpisset, armatum concilium indicit.*

Induciomari adparatus.

LXXXIII. Armatum Concilium ab Induciomaro in Treviris habetur.

Hic mos Gallorum initium erat belli, quo lege communi omnes puberes armati convenire cogebantur: & qui ex his novissimus venisset, in conspectu multitudinis omnibus cruciatibus affectus necabatur.

Germani armati ad Concilia, negotia, convivia procedebãt.

Ac Treviros certè, & à Germanis ortos Belgas gentilitium hoc à majoribus traxisse credas, ut in consilium armati venirent. Nam, ut Tacitus de moribus Germaniæ literis prodidit; procedebant illi non ad Concilia modò, sed ad alia quoque negotia, nec minùs sæpe ad convivia armati, & in sententiis honoratissimum assensus genus erat, armis laudare.

LXXXIV. Arduennæ Conventus & Curia.

Quia verò Arduennæ lucos & nemora, singulari superstitione Diis variis ac Dianæ præsertim consecrata habuêre Treviri, ob illius secreti reverentiam, plerunque in hujus nemoris secessu conventus egisse videntur. Quorum conventuum privilegia & jura ad posteros etiam pervenisse, haud malè conjeceris.

LXXXV. Salmanus Pagus & Comitatus.

Celebris in mediæ ætatis historia est Pagus Salmensis, avitæ stirpis illustrium longa serie Comitum hodiéque clarus, qui in Arduennæ gremio arce & municipio Salmæ sese attollens, Tungris XII. Leodio distat VIII. milliaribus, & Glæna piscoso rivo irrigatur. Ei vicus annexus Amburletum, ubi in Ecclesiæ turri saxo literis Romanis incisum:

CVRIA ARDVENNÆ.

Haud obscuro vestigio loci, in quo olim Conventus celebrati, & magnis de rebus dictæ latæque sententiæ. Porrò Induciomarus in hoc Concilio Cingentorigem, alterius Principem factionis, generum suum hostem judicandum curavit, bonaque ejus in publicum addixit. His rebus confectis, in Concilio pronunciat, accersitum se à Senonibus & Carnutibus, aliisque compluribus Galliæ civitatibus. Huc iter facturum, per fines Remorum, eorúmque agros populaturum; ac priùs, quàm id faciat, castra Labieni oppugnaturum: quæque fieri velit, præcipit. Labienus cùm & loci natura, & manu munitissimis castris sese contineret, de suo ac legionis periculo, nihil timebat: sed, ne quam occasionem rei benè gerendæ dimitteret, cogitabat. Itaque à Cingentorige, atque ejus propinquis, oratione Induciomari cognita, quam in Concilio habuerat; nuncios mittit ad finitimas civitates, equitesque undique convocat. His certam diem conveniendi dicit. Interim propè quotidie cum omni equitatu Induciomarus sub castris ejus vagabatur, aliàs ut situm castrorum cognosceret, aliàs colloquendi aut territandi causâ: equites plerumque omnes tela intra vallum conjiciebant. Labienus suos intra munitiones continebat, timorisque opinionem, quibuscunque poterat rebus, augebat. Cùm majore in dies contemptione Induciomarus ad castra accederet, nocte una intromissis equitibus omnium finitimarum civitatum, quos accersendos curaverat, tantâ diligentiâ omnes suos custodiis intra castra continuit, ut nulla ratione ea res enunciari, aut ad Treviros perferri posset. Interim ex consuetudine quotidiana Induciomarus ad castra accedit, atque ibi magnam partem diei consumit: equites tela conjiciunt, & magna contumelia verborum Romanos ad pugnam evocant, nullo ab illis dato responso: ubi visum est sub vesperum dispersi ac dissipati, discedunt. Subito Labienus, duabus portis omnem equitatum emittit; præcipit atque interdicit, perterritis hostibus, atque in fugam conjectis, quod fore, sicut accidit, videbat, omnes unum peterent Induciomarum, neu quis quemque prius vulneraret, quàm illum interfectum viderit, quod morâ reliquorum illum spatium nactum effugere nolebat: magna proponit iis, qui occiderint præmia; submittit cohortes equitibus subsidio.

LXXXVI. Induciomari Trevir. principis interitus.

Comprobat hominis consilium fortuna, & cùm unum omnes peterent, in ipso fluminis vado deprehensus Induciomarus, abscissis cervicibus, interficitur, capútque ejus refertur in castra: redeuntes equites, quos possunt, consectantur atque occidunt. Hàc re cognita omnes Eburonum & Nerviorum, quæ convenerant copiæ, discedunt. Porrò fluvium, cujus in vado cæsus Induciomarus Sabin interpretantur, qui per Hannoniæ & Arduennæ fines apud Namurcum celebre oppidũ defluit in Mosam, Sambræ vocabulo in vulgus notior. Eventum autem totius prælii strictim L. Florus, sic attigit: *Nemo tantùm feroces dixerit Gallos; fraudibus agunt. Induciomarus Treviros; Ambiorix convocavit Eburones; utrique, absente Cæsare, conjuratione facta, invenère Legatos. Sed ille fortiter à T. Labieno submotus est, relatumq́; Regis caput. Hic, insidiis in valle dispositis, dolo perculit. Itaque & castra direpta sunt, & aurum ablatum. Cottam cum Titurio Sabino Legato ibi amisimus.*

Sabis rivus.

Induciomarus à L. Floro dictus Rex, ut alibi ostendimus.

Cæsar. lib. 6. ANTE CHRIST. 51. U. C. 700.

Cæsar in magnorum Galliæ motuum exspectatione totam hiemem ipse ad exercitum sibi manendum constituit, interregnum obtinente Senatu, ex quo septimo demum mense, Cn. Domitius & M. Messala Coss. facti sunt. Itaque ad Pompeium, qui Proconsul ad urbem Reipublicæ causâ manebat, literas ipse mittit, quibus cum per amicitiam, quæ integra illi adhuc, filiæ matrimonio constabat, obsecrat, legiones quas ex Italia Consulis sacramento rogavisset, sibi in auxilium ac supplementum mitteret: magni quippè interesse, hostes & intelligere & experiri quid ad belli molem sustinendam populus Romanus facultatis habeat. Adhæc, majorem se Galliæ motum in dies exspectare; cui ne ad occurrendum quidem, nedum ad comprimendum pares, tot superioribus bellis accisæ copiæ; rem omnem excludere cunctationem; morâ longiori interpositâ, Romanam fortunam in magnum adduci discrimen. Pompeius, re intellecta, Cæsaris apud se petitionem tanti esse ostendit, ut ante exactam hiemem, tres in Galliam legiones advenirent; quæ quidem ad bellum conficiendum, maximè fuerunt opportunæ. Neque verò aliter interim res cecidit, quàm fore Cæsar erat suspicatus.

LXXXVII. Pompeii beneficio Cæs. copias suas auget.

LXXXVIII. Treviri ob mortem Induciomari arma sumunt.

Treviri enim mortem Induciomari Regis sui seu Principis, velut communem civitatis suæ casum miserati, cùm ulciscendæ necis ejus uruntur dolore, audaciùs de bello consilia iniêre. Priùs igitur ad Induciomari propinquos, ut mortuo gratiam hanc deferre videantur imperium transferunt. Illi finitimos Germanos omnibus pollicitationibus ac præmiis sollicitatos invitant: cumque à proximis impetrare non possent; ulteriores tentant; inventis nonnullis civitatibus, jurejurando inter se confirmant, obsidibusque de stipendiis ac mercede cavent. Ambiorigem deletæ legionis recenti adhuc victoria inflatum, societate ac fœdere sibi adjungunt. Quibus rebus cognitis Cæsar, cum undique bellum instare, neque Treviros modò, sed Nervios, Advaticos & Menapios esse in armis; præterea Carnutes, Senonesque cœptasse rebellionem, intelligeret, maturè omnibus consiliis eorum antevertendum existimavit; quo nec opinantes singulos suis in finibus opprimeret.

LXXXIX. Nervii à Cæsare vastantur.

Primùm itaque, hieme nondum confecta, vastando, prædandoque in Nerviorum fines invadit: inde magno pecoris ac hominum numero abacto, & gente, datis obsidibus in ditionem recepta, exercitum in hiberna reducit. Ergo reliquum quod erat hiemis transacto, Concilium totius Galliæ in diem certam, primo verè, convocat; ad id Concilium cùm Galli cæteri, præter Senones, Carnutes Trevirósque venissent omnes, initium belli ac defectionis id esse ratus Cæsar, Concilii repentè locum mutat. Senones, priusquam quod vellent effici posset, improviso Romanorum adventu oppressi, cùm nihil explicarent in angusto, missis necessariò deprecandi causa ad Cæsarem Legatis, rebellionis veniam per Æduos impetrant. Carnutes etiam mutatæ fidei pœnitentiâ, Remorúmque patrocinio in amicitiam ac fidem repositi.

Concilium cogit Gallorum.

XC. Cæsar persequendis Eburonici belli reliq. & Menapiorum agro vexando Trevir opes atterit.

Hàc parte Galliæ pacatâ, & à Trevirorum societate diremptâ, totus & mente & animo in bellum Trevirorum & Ambiorigis, deinde Cæsar insistit. *Sed; quia pro explorato habebat, Ambiorigem prælio non esse concertaturum, reliqua ejus consilia animo circumspiciebat. Erant Menapii propinqui Eburonum finibus, ab Occidente perpetuis paludibus, silvisq́; muniti, qui uni ex Gallia de pace ad Cæsarem Legatos, ut suprà demonstratum est, nunquam miserant: cum iis esse hospitium Ambiorigi sciebat. Item per Treviros venisse Germanos in amicitiam cognoverat, quos stipendio conductos ad id bellum, Ambiorix accersierat.* Itaque, cùm partim Trevirorum copiis subnixus, partim loci ingenio fretus, quem aditu ob paludum & saltuum frequentiam difficillimo Menapii incolebant, alacriùs bellum susciperet, utrinque illi detrahenda auxilia Cæsar putabat. Priusquàm illud aggreditur, totius exercitus impedimenta ad Labienum in Treviros mittit; duásque legiones ad eum proficisci jubet. Ipse deindè tripartito copiis distributis, in Menapios exercitum ducit; ac celeriter pontibus effectis, paludes superat; & magna cæde facta, vicis ædificiisque incensis, multos mortales cum pecore atque alia præda captos abducit, Menapiósque ad deditionem compellit.

XCI. Treviri Labienum oppugnatum veniunt.

Dum hæc in Menapiis geruntur, Treviri, ut pergit ipse narrare Cæsar, *magnis coactis peditatus equitatúsq; copiis, Labienum cum una legione, quæ in eorum finibus hiemaverat, adoriri parant. Iam ab eo non longius bidui viâ aberant, cùm duas venisse legiones, jussu Cæsaris, cognoscunt, positis castris ab eis millibus passuum quindecim, auxilia Germanorum exspectare constituunt. Labienus, Trevirorum cognito consilio, sperans temeritate eorum fore aliquam dimicandi facultatem, quinque cohortium præsidio impedimentis relicto, cum viginti quinque cohortibus, magnóq; equitatu contra hostem proficiscitur, & mille passuum intermisso spatio, castra communit.* Erat inter Labienum atque Treviros difficili transitu flumen, id Mosam fuisse facilem habet conjecturam, quòd antea Labienum, Mosam inter Sabinque hiberna habuisse constet, Trevirique regionis umbilicum egressi, ad fines provinciæ jam pervenissent, ita ut ab Labieni castris non

Hubert. Thom. Ort. in ab. Belg. Ioan. Gorop. sic Labieni castra designant.

bidui

bidui plus itinere abessent. Hunc igitur fluvium neque Labienus transire habebat in animo, neque hostes ob magnitudinem, & anni tempus, transituros existimabat. Augebatur auxiliorum quotidie spes; loquitur in Concilio palam, quoniam Germani appropinquare dicuntur, sese, suas, exercitúsque fortunas in dubium non devocaturum, & postero die prima luce castra motúrum. Celeriter hæc ad Treviros deferuntur, ut à magno Gallorum equitatus numero, qui in castris Romanorum versabantur, nonnullos Gallicis rebus favere, naturâ cogebat. Labienus noctu tribunis militum, primisque ordinibus convocatis, quid sui consilii sit, proponit; & quo faciliùs hostibus timoris det suspicionem, majore strepitu, quàm populi Romani ferebat consuetudo, castra moveri jubet. His rebus fugæ similem profectionem efficit. Hæc quoque per exploratores ante lucem, in tanta propinquitate castrorum, ad Treviros deferuntur.

XCII. Treviri cũ Romanis prælio congrediuntur.

Vix agmen novissimum extra munitiones processerat, quum Treviri cohortati inter se, ne speratam prædam ex manibus dimitterent; longum esse perterritis Romanis Germanorum auxilia expectare: neque suam pati dignitatem, ut tantis copiis tam exiguam manum, præsertim fugientem ac impeditam, adoriri non audeant: flumen transire, & iniquo loco prælium committere, non dubitant. Quæ sic fore suspicatus Labienus, ut omnes citra flumen eliceret, eadem usus simulatione itineris, placidè progrediebatur. Tum præmissis paulùm impedimentis, atque in tumulo collocatis Habetis, inquit, milites, quam petistis facultatem, hostem impedito atque iniquo loco tenetis: præstate eandem nobis ducibus virtutem, quam sæpenumero Imperatori præstitistis: eum adesse, & hæc coram cernere existimate. Simul signa ad hostem converti, aciemque dirigi jubet; & paucis turmis, præsidio ad impedimenta dimissis, reliquos equites ad latera disponit. Celeriter Romani clamore sublato, pila in Treviros jaciunt.

XCIII. Prælio Trevirorum adverso Labienus urbem caput gentis occupat.

Hi, ubi præter spem quos fugere credebant, infestis signis ad se ire viderunt, impetum modò ferre non potuerunt; ac primo concursu in fugam conjecti, proximas silvas petiverunt; quos Labienus equitatu consectatus, magno numero interfecto, compluribus captis, paucis post diebus civitatem Trevirim recipit. Nam Germani, qui auxilio veniebant, perceptâ Trevirorum fugâ, sese domum contulerunt. Cum iis propinqui Induciomari, qui defectioni autores fuerát, comitati eos ex civitate excessere. Cingentorigi, qui ab initio in populi Romani amicitia permanserat, principatus atque imperium est traditum. Treviri verò tantisper Romanorum pati imperium potuerunt, donec in finibus, ac eorum prope cervicibus legiones excubarent. His verò deductis, continuò redire ad ingenium, & Germanis finitimisque, aut larga pollicitatione, aut donis ad defectionem impulsis, novam experiri interea fortunam, ceu solenne suum tenebant.

XCIV. Cæsar Rhenum identidem transit.

At Cæsar, quò promptiùs haberet ad obsequium urbem libertate flagrantem, bello Menapiorum confecto, in Treviros ipse proficiscitur; apud quos aliquantisper moratus, Rhenum iterum transeundi, ac pontis fabricandi consilia suscipit. Et Ambiorigem, qui receptum ad transrhenanos habebat, ulcisci, atque in primis subjugatum domitumque cupiebat. Paucis diebus opere perfecto, reliquas copias equitatumque paulò infra Confluentes traducit; firmumque in Treviris præsidium ad pontem relinquit, ne quid ab iis subiti motus exoriatur. At exercitu transportato, cùm nanciscendi Ambiorigis maxima objici sibi videt impedimenta, in Germanos primò ducit, quòd Treviris suppetias adversus Romanos nuper tulissent. Sed & inde quoque maturè reflexit metu Suevorum, nihilque admodum pro veteri bello parta gloria gessit. Desperata itaque ultione Ambiorigis, universam in Eburones, Cottæ Sabinique mortis conscios, qui Ambiorigis imperio parebant, ultionis iram effundit. Nunciis igitur ad finitimas civitates dimissis, omnes evocat spe prædæ ad diripiendos Eburones. Neque segnes ad prædam, spoliaque oblata Germani; quin ilicò æqui iniqui nullo discrimine ejusdem sanguinis populum, crudeliter raptant vastantque. Atque ad hunc modum Cæsar exercitus sui nullo incommodo, Eburonum gentem alieno scelere impigrè quidem ultus est.

XCV. Cæsar Romano tumultu evocatur.

In foribus jam hiems erat; cùm de motibus urbanis ob Clodii cædem, ambitionemque multorum exortis fit certior, quare citiùs in hiberna milite deducto, cùm in Galliam citeriorem proficisci maturat, duas hoc anno legiones ad fines Trevirorum apud Lingonas reliquit, quibus T. Labienum legatum præposuit. Romæ quidem tunc boni mores retrò lapsi, & ambitione, ceu gangræna nobilitatis ac optimatium depascente corpus, distracti factione ac cædibus inter se cives.

Cæsar. lib. 7. Plutarch. Dion. Oros. Rom. Reip. status sub Cæsare.

ANTE CHRIST. 50. U. C. 701.

XCVI. Galliæ rebelli, Treviri quiescunt.

Cujus rei famâ, anno, qui Christum nascentem præcessit, quinquagesimo, per Galliam universam longè latèque dissipata, Galli, ut qui ne moderata quidem exterorum imperia ferrent, coitione facta, incredibili nationum omnium consensu, bellum de novo comparant. Ab hac se conjuratione uni omnium sejunxerant Treviri, Lingones & Remi Trevirorum amici. Cæsar verò his rebus in Italiam perlatis, summo cùm labore ad exercitum ægrè pervenit; difficilique bello, cum rebellibus suscepto, plurimis oppidis expugnatis, & ad deditionem compulsis; tandem in Celtis apud Alexiam Mandubiorum, nunc Burgundiæ vicum, universas Galliæ copias in unum collectas, maximo & atrocissimo prælio adortus, fudit, vicit, profligavit; oppido Alexia insuper cum ipso Vercingentorige belli totius Principe vivo potitus. Treviros verò, nullius alioqui temerè prodigos novandarum rerum occasionis, sejunxisse, ab hoc motu apparet tum locorum intervalla; tum crebras Germanorum per id tempus factas in eorum agros incursiones. Hi quippe finibus suis egressi, cùm Eburones diripi, nunciis famâque comperissent, Rheno transmisso, non contenti præda quam inde abduxerant, cito agmine ac infenso Q. Ciceronis castra oppugnare ausi, novem licet oppositis legionibus maximoque equitatu, ut in pace, secura.

Alexia in Burgundia. *Adi Ortelii Geogra. Syn.* Cæs. integra victoria de Gallis apud Alexiam.

Germanorum in Galliam subitus & audax procursus.

XCVII. Vatucæ Q. Ciceronis castra à Germanis vexantur.

Simul igitur perventum ad Vatucam, qui locus erat castrorum mediis ferè Eburonum finibus, undique vallum propugnatore nudatum adorti, cædunt pariter resistentes, fundúntque. Et castris ægrè à Romano defensis, subito inde procursu, quinque cohortes in proximas segetes, à Q. Cicerone frumentatum emissas, ex inopinato nacti, incautas atque palantes magnam earum partem obtrivêre. Horum ut injurias Cæsar persequeretur, trans Rhenum profectus, nihil præter incendia, ac depopulationes, agris eorum incommodi dedit; ut irritasse magis hostem, quàm ultus fuisse videretur.

XCVIII. Sicambri & Germani Treviris infesti.

Qua re elati Sicambri, cæterique Germani, cùm pro consuetudine & finitimos infestarent, ac vehementer etiam Treviros premerent, iis belle bello, & quo ipsi in arcto constituti, neutris auxilia mitterent, ex usu fuit. His verò, tam crebris cum Germanorum natione præliorum contentionibus, id adsequebantur scilicet Treviri, ut promptissimi in armis, & in omni militaris disciplinæ parte Germanis essent ipsis penè gemini.

Treviri crescunt militari studio lacessentibus Germanis.

ANTE CHRIST. 49. U. C. 702.

Annus insequens, qui M. Marcellum, & Ser. Sulpitium habuit Coss. pacata & variis præliis condocefacta Gallia tranquillior extitit; Nam Bellovacis, qui animos ad libertatem erexerant, devictis atque superatis, Cæsar, etsi nullum in præsens superesse bellum intelligeret, nonnullos tamen esse videbat, qui relictis urbibus demigrarent, atque ad præsens imperium vitandum, solitudines appeterent; quare quàm latissimè potest, per Galliam copiis distributis, & in diversissimas partes legatis abire jussis, ipse ad vastandos depopulandósque fines Ambiorigis, iterum militem educit. Interea Treviros defectionem rursum moliri, atque accitis Germanis, ut qui nullis adversus Romanos auxilia denegare soleant, parare bellum, intelligit. Titum igitur Labienum cum duabus legionibus in Treviros mittit; qui mox cum eorum equitatu congressus, ubi prœlium secundum fecit, compluribus interfectis, Principes eorum vivos redigit in potestatem; atque in iis Surum Æduum; qui & virtutis & generis summam nobilitatem habebat; solusque ex Æduis ad id tempus permanserat in armis; ex quo nec omninò vanè, conjecimus antea, veterem Æduorum cum Treveris societatem olim fœdere bellóque coalitam. His rebus ita gestis, Cæsar dimissis in hiberna legatis, Narbonem iter habuit; & quatuor legiones in Belgio suspectæ fidei regione, collocavit. Deinde provinciæ conventibus celeriter procursatis, hiemandi causâ mox in hæc loca revertitur.

XCIX. Gallia perdomita.

Hirtius lib. 8.

Treviri rursum à Labieno victi, eorumque Principes captivi facti.

Surus Æduus Trevirorum amicus.

ANTE CHRIST. 48. U. C. 703.

C. Cæsaris artes in retinenda Gallia.

Interea L. Paulo & C. Marcello Coss. dum tempus in otio ducit, in magno simul habet negotio ut in amicitia civitates retineat; nulli spem aut occasionem præbeat armorum: quippe, qui consenescente jam imperio, id unum spectaret faceretque, ut sub discessu suo, Galliam quietam relinqueret & pacatam; ne cùm exercitus jam deportandus esset, aliquid incideret, quod tot annorum fructu spoliatum pleno jam gradu ad summi imperii honores & triumphos festinantem retraheret, aut novam belli gerendi necessitatem imponeret: itaque civitates honorificè appellando, principes maximis præmiis afficiendo, nulla onera nova imponendo, fessam tot adversis præliis Galliam, & succo propè suo jam exsanguem, in pace atque otio continere, res majoris fuit sollertiæ, quàm certaminis.

CI. Cæsar in Italiam redit.

His ita præter morem æstivo tempore, quod bellica cæteroqui munia postulabat, à Cæsare in Gallia administratis, ipse dein pergit in Italiam, tum ut M. Antonium Quæstorem suum apud colonias ac municipia Italiæ, quæ & in magistratibus creandis sua Romæ ferebant suffragia, in sacerdotii petitione promoveât, tùm præcipuè, ut consulatus honorem, quem absens petere constituerat, quòd tempus imperii jam exisset, iisdem commendet. At exiguo tempore in Gallia togata moratus, cùm celeriter omnes Romanorum colonias municipiaque concursasset, in Belgium ad extremum eâdem æstate rediit, & copiis ad fines Trevirorum omnibus convocatis, eò ipse profectus exercitum lustravit.

ANTE CHRIST. 47. U. C. 704.

Deinde L. Lentulo, & C. Claudio Marcello Consulatum gerentibus ad curam belli civilis, cujus jam tum ingens incendium eruperat, Galliâ utcunque pacatâ, sese transtulit. De hinc verò, id quod præcipuam observationem habet, Belgica cùm tributa populo Romano pendere, tum magistratibus Roma quotannis cum securibus, virgis & imperio venientibus, obtemperare cœpit, veteribus ademptis paulatim, aut immutatis sensim legibus; quibus rebus omnibus perfecta Provinciæ, quam, ut Festo placuisse video, ita vocârint Romani, quòd eam proviciissent, forma ratioque constabat. Et cecinit eleganter veterum quispiam:

CII. Belgica fit Romanorũ provincia.

Sera, sed Ausoniis veniet Provincia virgis.

Proper. lib. 4. eleg. 4.

Rem clariùs exequitur Suetonius. Neque non interest illum de hac regnorum Galliæ periodo loquentem audire: *Novem ipsis annis quibus in imperio fuit, omnem Galliam Cæsar, quæ à saltu Pyrenæo, Alpibusq. & monte Gebenna, fluminibus Rheno & Rhodano continetur, patetq. circuitu ad bis & tricies centum millia passuum, præter socias ac benè meritas civitates, in Provinciæ formam redegit; eiq. in singulos annos * stipendii nomen imposuit.* Quod postremum Eutropius excipiens: *Galliæ*, inquit, *tributi nomine annuum imperavit sestertium quadringenties*; cujus nimirum pretii summam, una margaritarum & unionum luxu æquavit in imperiò Romano muliercula, Lollia Paulina, Caii Caligulæ principis matrona. Hanc verò pecuniam, si ad nostram monetam exigas, aureorum collegeris plus minùs decies centena millia.

Cap. 25. in Cæsar.

** P. Pithæus advers. subs. l. 2. c. 7 corrigit, & supplet ex Eutr. Eiq. in sing. an. H. S. XL. stip. nomine impos. Eutrop. l. 6.*

Galliarum tributum.

Plin. l. 4. c. 35. Budæus & Vranus rationibus.

CIII. Galliæ trãsalpinæ divisio.

Gallia itaque transalpina in duas posthac discessit provincias; quarum antiquior illa, quæ interno mari alluitur, & ab Italia, amne Varo discreta, à nostra verò, Jura Gebennáque montibus, à vestimenti genere quodam, olim Brachata; ac Narbonensis deindè fuit dicta; hæc autem à C. Cæsare sub jus ditionemque populi subjuncta Romani, Comatæ ex eo nomen gessit, quòd promiscuè in ea mulieres juxta virique capillati, & intonsi incederent, universa gente submittente crinem. Vectigalium utriusque Provinciæ non par conditio: Narbonensis námque commeatus, & frugum ubertate præstans, agrarium

Plin. l. 3. c. 4. Pomp. Mela. l. 2. c. 3.

Plin. l. 4. c. 37. & lib. 4. c. 17. & Dio. l. 46. sub fin. diserte Cicero orat. pro Fonteio.

Comata Gallia stipendiaria.

quotannis vectigal pendebat; Comata verò stipendiaria, præter socialia auxilia, impensasque extra ordinem, eam, quam diximus summam argenti pernumerabat; quo studio, quâ alacritate, veterum quispiam haud siluit. *C. Cæsaris ductu, auspiciisq; infracta Gallia, penè idem*, ait, *quod totus terrarum orbis ignavum conferunt stipendium*. Sed neque Provinciæ populorum urbes, in parem servitutis sortem juxta omnes assertæ; justúmque id temperamentum fuit à Romanis, ut aliter socias ac benè meritas; aliter infidas & rebellione notas, pro cujusque merito, aut civiliùs & liberaliùs; aut inclementiùs & duriùs, etiam haberent.

Velleius.

CIV. Trevirorū libertas quæ quantave fuerit.

Porrò Treviros jam inde à principio, quemadmodum de populo Romano non ita meritos dixerim, ut à foro & Præsidum conventibus exceptionem habuerint; ita postquam fidem, operamque in bellis suam egregiè Senatui, populoque Romano probarunt, exinde liberos, & multorum onerum immunes, pristino tamen jure cum alio meliore quidem illo mutato, suo senatu & foro suisque vixisse legibus, sat habemus exploratum. Atque hujus rei testem tamen, si postulabor, haud longè quidem abiero: *Leuci liberi, Treviri liberi antea, & Lingones fœderati, Remi fœderati*, ait Plinius. Hos autem ab illis discriminant periti veteris historiæ: fœderatos quippe dictos, qui aliquid ex fœdere debuerunt; liberos, qui omnino nihil; quos duorum quoque generum fuisse Strabo memorat; partim enim ab initio per amicitiā Romanis adjunctos, partim ab ipsis honoris gratiâ libertate donatos.

Plin. ep. l. 10 Variæ libertatis exempla in Apamæis, Amisenis, Bythinis. *Strabo, fine libr. XVII. Tacit. lib. 3. histor. lib. 4. c. 17. Sigon. de antiquo jure provinc. l. 1. c. 4. Helias Venet. ad Auson. in expos. Burdegala.*

CV. Treviri non excepti à tributis pēsitandis.

Neque Treviros idcirco tamen vectigalium degisse prorsus immunes extra fœdera, putemus; si quidem post id tempus, ex quo Civitas hæc novis & adventitiis civibus occupata, jure Colonico administrari cœpit, & impensas belli tolerare, & dare militem coacta, si juberetur. Nam alioquin fides appellet Petilium Cerealem legatum, qui apud Treviros victos, ipse victor concionabundus (verba hæc sæpiùs repetere cogimur) *Nos*, inquit, *quanquam toties lacessiti, jure victoriæ id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neq; quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt. Cætera in communi sita sunt. Ipsi plerunque legionibus nostris præsidetis. Ipsi has aliasq; provincias regitis. Nihil separatum clausúmve.*

Tacit. lib. 4. histor.

CVI. Cæsar ipse Præses primus Galliæ Comatæ.

C. Trebonius II.

Comatam Cæsar Galliam primus omnium administravit ipse; sub belli civilis verò nascentis initia, C. Trebonium Legatum ad Belgicæ tutelam quatuor legiōnum præsidio cinctum, cum imperio reliquit. Atque Cæsaris hucusque non tantùm fide, sed sermone plurimum usi, quà recti quà circumflexi cursus impetu, quicquid in commentariis illustre ad Trevirorum famam, apum more delibavimus, stylo minus fortè placido, præ illius, aut æquabili; quia sæpiusculè abrumpendus, dum incederet benè; & intervallo reparandus, cùm excideret narrationis ordo.

Dion. Cæsar. Plutarch. Cicero ad Atticum.

CVII. Belli civilis initia inter Cæsarem & Pompeium.

Porrò Cæsar, ut primæ dominandi spes in arduo, biennio inter hæc pro consulatu cum adversariis acerrimè depugnans, omnium pæne bonorum sententiis, adhuc semper discesserat inferior, cùm his tandem diebus, postquam legis jam dies exiisset, & exercitum imperiumque nihilominus retinere velle pergeret, gravissimo acerbissimoque S. C. primùm oppugnatus est: quo si perstaret in proposito, contra Rempubl. fecisse pronuntiavit Senatus. Verùm ille summæ potestatis delectatus imperio, ne denunciante quidem Senatu extrema, deterreri potuit, quo minus contra Pompeium ad arma civilia tandem & manifestum patriæ bellum inferendum descenderet. Et ambitionis causâ in communi sita erat, *cùm*, ut ille loquitur, *non ferret*

Cæsárve priorem
Pompejúsve parem.

Lucan.

Unam duntaxat Cæsar legionem tertiam decimam initio tumultûs è Galliis evocaverat; cujus præsidio confisus, Ariminum versus contulerat iter; huc cùm pervenisset, reliquas legiones, quas partim in Belgico, partim apud Æduos, & alios Galliæ populos, in hibernis reliquerat, se subsequi jussit; atque ita tum exarmatâ legionibus provinciâ, omnes in Italiam, quæ trans Alpes militarant, copiæ deportatæ.

Hirtius lib. 4. de bello Alexandrino. Lib. 1. de bello civili.

CVIII. Gallia legionum præsidiis nudatur.

Trevir. incerta erga populum Romanum fides.

Treviros post hæc, etsi fidem officiúmque coluisse cum cæteris Comatæ Galliæ populis, absente exercitu, sedet sententia, hactenus tamen permansisse in obsequio & potestate populi Romani persuadet vetus rebellandi consuetudo, ut si dignitas istud ipsorum Reipublicæ & finitimarum nationum exempla postularent. Alioquin Lucanum, ubi gentes allevatas præsidiis à Cæsare in Italiam undique ex Gallia evocatis longo pertexit ordine, de Treviris tanquam amoto procul hoste plaudentibus, ita nominatim & vanè quidem cecinisse, uti approbes?

Tu quoque lætatus converti prælia Trevir.

Lib. 1.

L. Domitius Ahenobarbus III. Præses.

Sunt hoc rerum statu, Senatus Consulto, injussu populi, Provinciæ privatis hominibus, Cæsare, Philippo, Marcelloque præteritis; decretæ: duæ Consulares; reliquæ Prætoriæ. L. Domitius Ahenobarbus Cæsari successor nominatus est; qui utramque simul provinciam, Narbonensem & Comatam inde obtinuit. Nam, cùm is præsidio Corfinium, oppidum id erat in Pelignis, Senatus autoritate teneret, destitutus à Pompeio, Cæsari se dedere coactus; à quo, raro clementiæ documento, servatus & dimissus in Siciliam Sardiniamque profectus est; ibi navibus actuariis septem ad occupandam Massiliam conquisitis, præmisit. Legatos Massilienses domum, nobiles adolescentes, qui suos Pompeii nomine commonefacerent, uti Populi Romani fidem sanctam ratamque ducerent; néve nova Cæsaris officia veterum suorum beneficiorum in eos memoriam expellerent. Quibus mandatis acceptis, Massilienses portas Cæsari clauserunt; usi simulatione, ut neque Cæsarem neque Pompeium, pari utrinque meritorum gratiâ, si hostilia molirentur, urbe aut portibus se recepturos, pronunciarent. Domitio interim, ubi Massiliam navibus is jam adpulsus, nihil cunctati provinciam deferunt, summamque belli administrandi eidem permittūt. At Massilienses vanâ fiduciâ virium, & si copiis aliàs armisque tuti navali prælio iterum sæpiusque à Bruto devicti, & in urbem compulsi; maximis inde & admirandis etiam

Massiliæ motus.

Cæsar. lib. 1. belli civilis. Appian. Diod. Plut.

operibus obsessi, ultrò tandem, auxiliis desperatis omnibus, deditionem fecère Cæsari.

CIX. Cæsaris dictatura.

Appian. Dion. Plut. An. U. C. 706 fast. Capitol.

Interea Cæsar absens à populo, M. Æmilio Lepido suffragante, dictaturam sibi decerni passus est; quem magistratum postea tamen, victo Pompeio, pace foris parta, domi turbanda, rapuisse potiùs, quàm iniisse legitimè, populo metu deferente, autores habeo. Rarum igitur, nec usurpatum felici Republica legibus exemplum, in uno homine, eodemque dictaturæ insignia conspicere perpetua, consularibus etiam nonnunquam intermissis, quæ non nisi paucorum dierum, aut mensium, quà privatim iræ sedandæ, quà publicè tuendi imperii, majorum libertas tolerabat. Porrò, Cæsar acie Pharsalica æmulo Pompeio victo, & in Ægyptiorum solitudine amisso exercitu, fœdè trucidato, oppressa & capta tyrannidis usurpatione, Romana Republica, Galliam Comatam D. Bruto, & post Brutum, L. Munatio Planco concessit, qui Provinciam hanc totam pæne quinquennium obtinuère.

D. Brut. IV. L. Planc. V. Præsides. *Cic. lib. 2. de divinat.*

ANTE CHR. 41. U. C. 709. 710.

CX. Galliarum politia post obitum Cæs.

Cæsar hinc in curia Pompeiana, ante ipsius Pompeii simulachrum, centurionibus suis inspectantibus, ab iis quos omnibus rebus ornàrat, interfectus, mox etiam Hirtio & Pansa Consulibus cæsis, Triumviri dati Reipublicæ constituendæ M. Æmilius Lepidus, M. Antonius, & Octavius, qui primum Consulatum tunc suum exorsus, & eodem anno Imperator salutatus, Romanæ Monarchiæ dedit initium. Porrò IIIviri cùm honores ad libidinem pariter caperent, darentque, novo exemplo Provincias inter se, nullo interposito S. C. partiti per Legatos eas à se lectos administrarunt. Cæterum L. Munatium Plancum, & M. Lepidum, dum Proconsules Galliam Transalpinam uterque tenuerunt, res utique memoriâ dignas egisse, concessi declarant triumphales honores, quos inde reduces, solenni Reipublicæ instituto, sunt adepti. Et verò Proconsules eosdem liquet, Antoniano bello suspectos Senatui, manere jussos in Gallia, & ad Confluentes Rhodani Ararisque, condita urbe Lugduno, eò deducere Colonos, quos tumultu Vienna exegerant Allobroges, ut horum obtentu operum, procul interim cum copiis abstinerentur Italia, ne cum Antonio vires aut consilium, magno Reipublicæ malo conjungerent. At M. Antonius hinc fraude sortitus Galliam Comatam, & post Brutum & Cassium in Macedonia, anno qui Christi natalibus præluxit quadragesimo profligatos, etiam Narbonensem: utramque per Fusium, Calenum & P. Ventidium rexit.

Dion. 46. & 48. & Sueton. Cicer. in Philip. epist. famil. Appian. & alii.

Dion. ut supra. Velleius Pater.

Lugdunum conditum & facta Colonia Rom.

M. Anton. VI. Præses. *Velleius. Dion. l. 48.*

ANTE CHR. 40. U. C. 711.

CXI. Fusius Calenus, vel P. Ventidius VII. Præs. *Dion. & Appian. Plutarch. Dion. l. 48.*

Octavius Galliam eripere Antonio studet.

Posteaquam verò Octavius M. Antonii societatem semper dubiam & incertam, hac etiam partitione Provinciarum, malè fultam, tandem propter Fulviæ uxoris Antonii incredibilem, & supra muliebre ingenium ambitionem, abrupisset, in Galliam profectus, eripere Antonio Provincias, ac vi occupare tentavit. Enimverò, primùm per alios negotium aggressus, nequidquam laborem sumsit; Calenio egregiè se cum aliis, qui rebus Antonii enixè favebant, defendente. At, ubi postea loci, de morte Calenii Octavio nunciatum est, vacuam & orbam Legato Provinciam sine sanguine extorsit, Fusiique exercitum nullo labore ad se transtulit.

ANTE CHR. 38. U. C. 713.

CXII. Octavius VIII. Galliæ Comatæ Præses. *Dion. lib. 48.*

Fulvia verò, cùm eodem anno, C. Asinio, & Cn. Domitio Coss. vita concessisset, iterum positis armis, Octavius, & Antonius, uterque in gratiam redierunt; & Octavio quidem Gallia, cum ceteris Provinciis, adscripta: Antonio regiones trans Ionium mare, haud scio, an dejectis sortibus obvenêre.

ANTE CHR. 35. U. C. 715. & 716.

Galliarum fœdàdis motibus M. Agrippa assumitur, & in Belgicam mittitur.

IX. Agrippæ Præses. ejus res gestæ.

Strabo & Suet. Oros. & Dion. Appian. l. 5.

Annus dein virgineo partui proximus successit trigesimus quintus, cùm ad Galliæ Romani imperii insuetæ, nuper apud Rhenum exortos, præsenti majestate pacandos tumultus, ab Cæsare Octavio, M. Vipsanius Agrippa Conf. missus cum exercitu in Belgicam. Defectionis initium à Treviris & finitimis Germanis ortum, vel ipsum id documento, quod M. Agrippa fabricato ponte, secundus à Cæsare transiti Rheni decus sibi sumpsit.

Nam Germanos, quibus Ubios infestare, & excitis à Treviris, vel prædæ cujusque modi objectâ spe, promptum accurrere repressit. Aquitanis etiam ad otii tranquillitatisque partes adductis, pacatâ denique Provinciâ, triumphi honorem & insignia meruit; quem ipse, raro tamen moderati animi exemplo, asperis Cæsaris Octaviani temporibus, infeliciter cum Sexto Pompeio Magni F. rem mari gerentis, Reipublicæ condonavit.

CXIII. Agrippensis oppidum Ubiis exstructum. *Stephanus Broelman in Epidig.*

Nec desunt viri eruditi, qui Ubios hoc tempore traductos in ripam citeriorem, & auspiciis Augustæis ductûque Vipsanii, oppidum eis, istic loci exstructum tradunt, ubi C. Cæsar Julius Castrorum ac limitis relicto vestigio, olim mirifico pontis opere Rhenum fluvium junxerat.

ANTE CHR. 32. U. C. 719. *Dion. l. 49.*

CXIV. Octavii expeditio in Britannos & Gallos.

Dion. l. 51.

M. Antonio post hæc, & L. Scribonio Libone, magistratû ineuntibus, Octavius Pannoniâ domitâ, & coërcitis Dacorum incursionibus, in Britanniam, Cæsarem æmulatus, expeditionem intendit; ejusque rei cura provectus, usque in Galliam, processit. Hic Pannonum perlato seditionis ad se nuncio, quorum adhuc recenti imperio cruda servitus, signa cogitur retrò convertere, omissaque Britannia Illyrici, id est Dalmaticis & Pannonicis invigilare motibus.

ANTE CHR. 29. U. C. 722. al. 723. Actiaca victoria. *Dion. l. 49. App. Vell. 2.*

Octavius ad Monarchiam ascendit.

Augusto inde tertium Coss. cum M. Messala collega, anno ante Christi liberatoris adventum undetrigesimo, postquam M. Lepidus Triumvir, qui ad Sex. Pompeium se tandem applicàrat, victus ab Octavio, & desertus à suis, Triumviratu jam nuper sese abdicasset, ad plenum atque integrum capessendum orbis terrarum imperium, unius consortis restabant Antonii spiritus frangendi.

CXV. *Dion. l. 49.* Octavii cū Antonio bellum Actiacum. *Dion. lib. 50. Florus lib. 4. Plutarchus in Antonio.*

Inimicitiæ jam graves inter utrumque exarserant, quarum, operis non est instituti, caussas memorare. Ex his bellum ingens, cui magnis adparatuum impensis, quæsitæ terra marique copiæ; accersitâque ab Octavio ex omni Gallia sociorum atque provincialium valida auxilia. Ergo, cùm tandem ad Actium Epiri promontorium, Cæsari atque Antonio navali prælio rei summam committere placuit, Antonio cum Cleopatra celeriter ex alto refugiente, expugnatâ devictâque Ægyptiâ classis, & Cæsar Actiacam clarissimæ apud veteres memoriæ victoriam IIII. Non. Sept. reportavit.

Dio. ut supra. Sueton. in Augusto.

Quæ

CXVI. Cæsar Octavianus rerum summam obtinet solus. *Car. Sigon. ad fast. Iust. Lipsi ad Tacit. M. Voss. 2. 10. Aug. I. Sigh. Scal. 5 de emend. temp.*

Quæ in omne post ævum hoc apud posteros memorabilior, quod ex eo die Cæsar Octavianus solus imperium orbis terrarum est amplexus; veterumque compluribus solenne, hinc annorum Imperii, velut à capite & fonte rationes derivare; cùm alii interim à primo, alii à sexto consulatu Augusti principatum ordiantur.

ANTE CHR. 28. AUGUSTUS IMPERATOR. U. C. 723. aut 724. *Dion lib. 51.* Taruanna Morinorũ. X. C. Carinas, Præses Belgarum.

Secundùm hanc verò pugnam, insequenti anno, Cæsar, Antonio sponte sua, jam vita functo, Alexandriam adortus, urbem & reginam, sed lethali veneno similiter occupatam, suam in potestatem redegit. Interea C. Carinas Belgicæ Præses in Morinis, quorum Teruanna princeps civitas bellum gessit, quia malè pacati imperium detrectarant. Morinis autem, cæterisque, qui commovere se ausi, à Carinate cum clade repressis, ipse in fines Ubiorum Trevirorúmque dein concessit: illic Suevos, Rhenum aliquoties interea transgredi, & populari extrema Belgarum aggressos, ultra fluvium submovit: quamobrem anno postero triumphalia ornamenta adeptus, insignem spectatissimúmque, cum Augusto, bello Actiaco, Alexandrinóque confecto, triumphum duxit. Hujus autem Belgarum victoriæ ne multùm hæsites, quod quantumque fuerit momentum, victorem cernis propinquum sedere,

ANTE CHRIST 27. U. C 724.

Spoliis onerato Cæsaris axi.

Dion. lib. 51. Janus clausus pace universa tenente, de qua prima clausione consule *Iust. Lips. lib. Elect. c. 10.* Treviri malè quieti orbe reliquo ab Aug. Cæs. pacato. XI. Nonius Gallus, præses qui Treviros pacavit.

Atqui verò, eo ipso tempore, quo ceu terra marique pace partâ, Janum Quirinum Augustus claudendum mandârat, Treviris, universo imperio Romano pace atque otii perfruente bonis, nec diu quies placere potuit, nec præsenti statu diutiùs sunt gavisi, quàm novæ spei flatus istuc ab Rheno aspiravit. Adjunctis itaque sibi Germanorum copiis, Romanam irritare pacem, &, publicam nil veriti orbis interpellare quietem. Sed valuerunt ad mitiganda Trevirorum ingenia, Nonii Galli Legati arma, quibus in præsens tamen magis sopita, quàm extincta Trevericæ gentis ira. Atque ea, quæ diximus, ne sine teste mihi credantur, Dio Cassius, quod in veteri & implicata memoriâ fas, audiendus est. *Ex omnibus honoribus Augusto decretis, nullus æquè magnam ei voluptatem attulit; atque quod Iani portas claudi aspexit. Erant quidem tum quoque in armis Treviri, Germanis sibi in auxilium sociatis, & Cantabri, Vaccæi, Asturesq́; verùm hos Statilius Taurus; illos Nonius Gallus pacavit. Extabántque apud istos populos quidam tumultus; sed, quia nullus inde gravior casus accidit, neque Romanis bellum esse suscipiendum eo tempore visum est; adjuvante eorum consilium mitissimo, & in omnia pacis studia prono Augusti ingenio;*

Sueton. cap. 21. Augustus mansuetus.

quem absuisse tantùm ab omni cupiditate quoquo modo, imperium vel bellicam gloriam augendi memorat etiam Tranquillus, ut nec ulli genti, sine justis & necessariis causis bellum intulerit; principesq́; nationum exterarum in æde Martis ultoris, jurare coëgerit, mansuros in fide ac pace, quam peterent; à quibusdam verò, novum etiam genus obsidum, fœminas exigere tentasse; quod negligere marium pignora sensisset; & tamen potestatem semper omnibus fecisse, quoties vellent, obsides recipiendi. Neque aut crebriùs aut perfidiosiùs rebellantes, graviore unquam afecisse pœna, quàm ut captivos sub lege venumdaret, ne in vicina regione servirent, neve intra tricessimum annum liberarentur. Hæc adposite; nec aliena à re nostra Suetonius.

ANTE CHR. 25. U. C. 726. al. 727. *Aur. lib. 1. Tac. Dion lib. Sueton. in Aug. c.*

CXVII. Augustus monarchiā stabilit.

Augusto sextum, deindè Cassiodoro, Dioni vero septimum cum M. Vipsanio Agrippa gerente consulatum, Monarchiæ apud Romanos in perpetuum stabiliendæ præclara jacta fundamenta. Augustus consilio cum senatu, populóque de Republica reddenda, & ponendo simul imperio, communicato, ubi etiam atque etiam reputat in ordinem se redactum, haud expertum odiorum & periculi acturum; rerúmque summam plurium arbitrio temerè committi, seu Mæcenatis hac in re sententiam sequutus, seu dominationis ultrò dulcedine captus, in retinendo non modo principatu perseveravit, verùm ad imperium etiam lege firmandum, cogitationem convertit. Senatu igitur abolitione veterum injuriarum & blanda in speciem communis imperii societate, populo muneribus, ludis, & agraria largitione in sui studium pellecto, denique ordinum omnium cblandito favore, effecit, ut precibus ad capessendum imperium ultrò invitarent. Et quia temporum Epochas illustriores haud negligimus, Censorinum hic indicem dare, cautio est. *Ex ante diem decimum sextum Kalen. Februarii, Imperator Cæsar Divi filius, sententia L. Munaci Planci à senatu cæterisq́; civibus Augustus appellatus est, se septimum, & M. Vipsanio Agrippa tertium Coss.*

Sueton. c. 28. Strabo l. 17. Genera.

CXVIII. Reipublicæ Romanæ temperatio ab Augusto inducta.

Factus itaque compos voti, mox ad hanc Reipublicæ partem sese contulit, ut ordinum æquabili temperamento ceu colore tinctam, & à discordia salvam ac sospitem sua in sede sisteret; &, quo ne affectatæ Monarchiæ suspicionem ullam in hominum animis ipse relinqueret, potestatem arbitriumque Provinciarum, quas Senatus Populusque detulerat, in decennium tantùm suscipere pronuntiavit, addens, si citiùs Rempublicam constituisset informassetque, citiùs etiam, posito imperio, ad inferiora & æqua rediturum. Præterea omni modo annisus, ne quem novi status facilè pœniteret, aliis onus minuens, uni sibi rerum & negotiorum ubique gerundorum, curas imponi passus est: autor illius imperii formæ, quam æmulati post Adrianus & Constantinus, novis institutis auxerunt, & variis magistratuum legúmque subsidiis, tanquam habenis moderati sunt.

CXIX. Galliarum Provinciæ penes Augustum.

Provinciarum imperia Augustus cum Senatu Populóque divisit; & quæ quidem, clauso ferro pacatæ, minimique negotii, ipsis tradidit; quæ verò ambigua fide vel affines barbaris, vel cultu ipso & genere hominum efferatæ, has nimirum sibi delegit; in quibus & Galliæ fuerunt omnes; earumque Coloniæ. Provinciis autem hunc in modum distributis, multa simul de illarum administratione, Rectoribus atque præsidibus gubernandi præcepta sancivit; quorum nonnulla, ut reor, exequendo distinctiùs atque clariùs, hujus quam illustrare cupimus, Trevericæ civitatis status adumbrabitur.

Divisio provinciæ Belgicæ ab Augusto Imper. *Strabo l. 4.*

Galliam Comatam plures in partes ab eo divisam locupletes imprimis autores, Strabo, Dioque; Celticam quippe has duas, Narbonensem & Lugdunensem simul

continere

continere voluit; ut Provinciæ cum Aquitanica & Belgica in universum fierent quatuor. Accessit his in Gallica ripa, cis Rhenum flumen ad Orientem & Meridiem duplex Germania, quam ultra fluvium orti, vicis, castellis & oppidis ab Rhætorum finibus ad Oceanum usque Germani frequentes jam tum habitabant. Porrò hæc ipsa Provincia, quam Celticam etiam Dio nuncupavit, cùm præter Belgicam Trevirúmque fines, ab Alpibus ad Oceanum vergeret, in magnam porrecta longitudinem Sequanorum olim tenebat, ac Trevirorum agros. Verùm supervenientibus novis quotidie Germanorum coloniis, conservandi imperii, ac defendendi limitis causâ, spatium tam vastum distrahendum, atque regionatim in tres describendum Provincias, censuit Augustus. Ac totum quidem ab summis Alpibus cis Rhenum tractum usque ad Oceanum, Germaniam vocavit; superiorem quidem illam, quam Rheni fontibus propiorem apud Bingium oppidum Nava flumen terminabat. Inferiorem verò, quæ inde ad Oceanum septentrionalem pertinet: habuitque Tongrorum gentem & nobilem Coloniam, quam ab Augusto legimus OCTAVIAM quoque dictam. In utraque provincia multiplex sanè Treviris negotium, utpote, qui Rheni tutandæ ripæ plurimùm præessent.

Dion. lib. 53. Tacit. variis in Annal. libris. 3. & 4. notitia eandem interpretatur.

CXX. Trevirorū agerum parte Germaniæ assignatus. Germaniæ cisrhenanæ quæ Gallica regione colebatur partitio. Germania superior cis Rhenum. Germania inferior.

Ms. apud S[...]. Octavia Tungrorum

Porrò in Belgicam conjecit, qui prope accolebant Mosam Mosellamque fluvios, ad meridiem, versus Britannicum mare; ab reliquis Gallis Sequanâ atque Matronâ discreti; quorum postea nomen, partitâ Provinciâ, item in diversa abiit.

CXXI. Belgicæ limites hoc ævo.

Quos autem Provinciis his Rectores ac Præsides Augustus dedit, horum non modo multiplici dignatione majestatem, sed honorificis etiam appellationibus cumulatum honorem præstitit: nam Legatos ac Proprætores dici non recusavit, qui quoquo modo, quà Quæsturæ, quà Præturæ muneribus defuncti, Consulum Proconsulumque munia, partesque in provinciis obirent. Eos quinque lictores cum fascibus, reliquum item comitatum, & forense ministerium, sed hactenus usurpare passus est, ut in Provincia id genus fastigii submitterent, cavitque ne Proconsulum ritu cum lictorum & apparitorum agmine subditis nempe terribiles incederent. Prorogavit adhæc eorum imperium, ut quibus Provincias remotiores ipse mandâsset, præterita lege Curiata plusquam annuum haberent. Cùm autem Proconsules togati & pacis habitu, moribus antiquis provincias adirent, ipse Legatos suos militari ornatu paludamentum induit, gladio accinxit; eoque ipso jus in milites animadvertendi concessit, quod ex veteri disciplina, penes unum erat exercitus Imperatorem. Procuratores quoque in laboris subsidium addidit, ex equitum & libertorum ordine, ad census & vectigalium rationes. Omnibus his de publico stipendium dari voluit, id, quod maximo provincialium urbium onere factum, dubitari non potest. Plura sanxit in communi de provinciis omnibus, de delectu militari, de moderatione tributorum, de successione Præsidum, quæ spatiis his exclusi, uberiùs aliis enarranda relinquimus.

Præsides & Rectores provinciarum quales ab Augusto.

Dio ut supra Sueton. c. 47. Tac. 1. annal. Strabo lib. 17. [...] de [...] & fascibus, diversis temporibus sunt.

CXXII. Leges Rectoribus provinciarum datæ. *Dion. lib. 53. Livius ep. 134.*

Rebus itaque urbanis & provincialibus ad hunc modum constitutis, Augustus Româ cum exercitu profectus in Galliam; ut in Britanniam inde copias transportaret. At occurrentibus ex Britannia de pace legatis, & omni sublatâ belli materiâ, ad Galliæ tranquillandæ studium, & legibus temperandæ melioribus, curas vertit. Sedes conventibus peragendis deligitur Narbo.

ANTE CHR. 24. U. C. 727. Augustus in Gallia degens mores legesque gentis temperat.

Erant Galliarum res ejusmodi, ut fastidio præsentis imperii fluctuantes, ægrè consisterent, & incerta identidem fide, segnique obsequio vacillarent. Ad erigendos itaque & vinciendos arctiùs Gallorum animos, nihil fuit antiquius, quàm mores eorum è Romana disciplina fingere: assuefacere feros bellis, per delinimenta voluptatum, ludis, novis religionibus, elegantia togæ, balnearum, conviviorum; denique à bellandi studio flectere ad otium & quietem.

CXXIII. Galliarum conditio durante civili bello.

Narrat Liviana epitome, Augustum primum omnium Romanorum, à tribus Galliis egisse censum: quo sensu, ut interpretantur, non id actum scilicet, quod Romæ in lustris assolet, uti bonorum æstimationem jurati cives ad magistratus deferrent: verùm, ut impositum, non incertorum modò fortunas, sed in singula quoque capita tributum atque vectigal, pro ratione census quisque, exsolverent.

CXXIV. Galliarum cēsum agit Augustus. *Epit. Liv. lib. CXXXIII.*

I. Lips. ad 1. annal. Tac.

Porrò, invisum sibi nomen avaritiâ fecisse Romanos, lacrymis, questu, ipsa denique recusatione imperii sæpenumero in omni fere ætate, testati sunt Provinciales. Trium verò Galliarum extant numismata * quæ referunt; in quibus Galeata una, cæteræ comam, sed variante crine, ostentant.

CXXV. Romanorū avaritia.

* Galliarum trium imagines.

His actis in Gallia rebus, Augustus abiit in Hispaniam; atque Tarracone degens, M. Silano collega adoptato, novum ipso Consulatum iniit. At M. Vinicius, qui legionibus in Belgio adversus Germanorum sollennes irruptiones, & limitis injurias excubantibus cum imperio præerat, inter hæc Germanos prælio non incruento fortiter ultus est. Nam Rhenum transgressos incautius negotiatores Romanos, cùm hi crudeliter vexassent, multosque eorum cæde confecissent, ducto trans Rhenum exercitu, tantum hostium numerum cecidit, clarissimum ut ex eo triumphum Senatus Augusto decreverit: verùm ipse in modestiam compositus, honorem hunc duntaxat recepit, ut ob Salassos gentem alpinam præcipuè devictam fornix trophæum ferens, in Alpibus sibi poneretur: utque Kalend. anni auspicibus Imperatoris assumpto nomine, coronâ ac triumphali veste prodiret. Atque ita Gallia intra quietem recepta, Janus, qui reseratus

ANTE CHR. 23. usque ad 17. U. C. 728. *Sueton. Dio. lib. 53.*

CXXVI. M. Vinicius XII. Præses Belgarum.

ob hosce

ob hosce motus fuerat, iterum clausus. Ut enim in transcursu, id quoque vel ex Plinio, Plutarcho, Livioque delibetur, Janus hic bifrons ab omnium, quos Roma habuit superstitiosissimo Rege Numa dicatus, pacis bellique argumento colebatur digitis ita figuratis, ut trecentorum sexaginta quinque dierum notæ per significationem, anni temporis, & ævi Deum indicarent.

C. Sentius & P. Lucretius deinde intervallo creati Consules, cùm iret ante Christi natalem decimus septimus annus. Rexerat jam tum annum ferè Galliam Comatam Tiberius Nero, ut Suetonius prodit, barbarorum incursionibus, & Principum discordia malè pacatam. Atque ipsum id esse, quod de M. Vipsanii Agrippæ in Galliam adventu Dion literis consignavit, haud levis sollicitat suspicio. Hic quippe gener Augusti & imperii propè Collega, omni bellica laude, & usu diuturnæ militiæ Dux exercitatus, Augusto visus idoneus, qui inexpertum, & casibus se liberiùs offerentem juvenis Tiberii animum, consilii juxta vigore atque armorum viribus attemperaret, regeretque. Quare & abstractum ab urbis Romæ gubernaculis ad Rhenum usque misit; ejusque spectata virtute, cùm Germanos intra fines cohibuit, tum Gallorum perniciosa dissidia momento sustulit; siquidem tranquillatis omnibus atque compositis, Agrippam eodem anno transîsse, apud Dionem lego, in Hispaniam. Duo exstant hujus monumenta in Galliis, haud prætereunda silentio; quorum utrumque, quòd Trevirorum interfuerit olim, libentiùs feci, ut recordatione usurparem. Gentem namquè Ubiorum, quæ ad id tempus trans Rhenum è regione Treverici limitis considebat, & Germanicis armis exercitata, clarum militiæ nomen obtinebat, postquam fidam ac utilem limiti censuit, cis flumen juxta Treviros ea regione collocavit, quæ hodieque ab Agrippinæ sortita nomen, in vicinia Trevirorum superest. Hinc Ubios quoque, loquitur Tacitus, etsi libentiùs Agrippinenses conditoris suæ nomine vocarentur, origine tamen Germanica non erubuisse, & quidem transgressos olim, & experimento fidei, super ipsam Rheni ripam collocatos, ut arcerent, non ut custodirentur. Itaque Agrippina, non quidem, ut interpretor ego, Coloniam eo tempore, sed novam potiùs cis Rhenum patriam seu Ubiopolin condidit ab Agrippina Germanici filia Neronis matre, tandem Coloniæ honoribus afficiendam. Nec quicquam in veteri memoria clariùs, quàm Agrippinam id amori dedisse natalis soli, & famæ potentiæ, ut in oppidum Ubiorum veteranos deduceret. Alterum majoribus operæ impensis, magno utriusque Reipublicæ commodo Lugduni fecit Agrippa: nam ex eo loco Gallias partitus vias, propter commeantem ultrò citròque Romanorum militum, publicanorum & provincialium turbam, in omnes Romani imperii partes, continuo atque directo tramite aperuit iter, viis aliis in Aquitaniam & provinciam Narbonensem, aliis ad Rhenum, Oceanum, Bellovacos & Ambianos quacunque munitis ac deductis. Atque hæc illa itinera arte insigni facta, quorum plurima passim in utraque Belgica Germaniaque vestigia cernimus. Hæc Romani deinde militari via & gradu contrivere, nunc regiam, nunc militarem, nunc stratam appellitantes. Ex his item viis, non rectis quidem iis, sed ad fluminum, limitum & aliarum utilitatum rationem, flexu non raro circumductis, nata, quæ in manibus sunt Itineraria, Stadiasmi, & locorum intervalla, quæ comperto veteris historiæ fructu, in Germania nostra, B. Hieronymo teste, * Rastis, id est mansionibus; in Hispania Galliaque, Leucis; in Syria, Schœnis; in Perside parasangis; in Græcia, stadiis; in Italia milliaribus, cippis, lapidibus, ceu mensuris distinguere, mos fuit.

Inde huic Galliæ impositus M. Lollius Legatus, homo pecuniæ, quàm rectè faciundi cupidior. Sub quo Sicambri, Usipetes & Tencteri, Romanos iterum suis in finibus nacti, insito veteri in Romanum nomen odio, sublatos in crucem laqueo suspenderunt; &, superato protinus Rheno, cum equitatu se effudere in Galliam, obvia cuncta perpopulantes. Horum ut audaciam Legatus comprimeret, imminentium nescius, expeditas educit equitum alas, quo prædam anteverterent; & hostem flumen transire prohiberent. At Germani præcepto legati consilio, ut usu manuque fallerent, occupant, equitatum hostilem nec opinantem ex insidiis adorti. Ubi ergo circumventum à Germano se videt Romanus, agmine repentè converso, refugere cœpit ad castra; ac sic hærens tergo Germanus, cum aviditate potiundi, concito provehitur impetu, ad ipsum Lollium usque defertur imprudentem, quo mox insigni cum ignominia loco pulso, capta quintæ legionis aquila. Non præterit hæc res diligentissimum scriptorem Tranquillum, qui Lollianam cladem numerat in iis, quæ perpetuum felicitatis Augusti tenorem interpellarint, plus tamen hanc infamiæ, quàm detrimenti attulisse.

Augustus, qui cum imperio tum ad urbem manebat, hujus ad se perlato cladis nuntio, mox in Gallias ipse proficisci instituit, idque eò maturiùs, quò jam diu secedere, vetus & penitus infixum erat. Paratis itaque ad bellum gerendum copiis, L. Domitii & P. Scipionis consulatu, cum exercitu venit in Galliam. Germani, ubi respirasse tandem intervallo Romanos, adeóque Augustum ipsum cum delecto militum robore audiunt venire contra se infestum, celeriter in sua dilapsi, datis obsidibus, pacem precibus venalem, amore quæsitis, an metu periculi, retulerant.

Augustus igitur ad pulcherrima pacis opera, & respondendi juris studium conversus, in reliquis Gallorum rebus constituendis; & hunc & proximè sequentem annum, qui Drusum Libonem, & L. Calpurnium Coss. habuit, consumpsit. Præcipuè verò censibus agendis deducendísque Coloniis intentum, non Galliam modò, sed & Hispaniam per id tempus novâ frequentasse mittendâ sobole, Dionem habeo testem. Quia verò Trevirorum urbem, Augusta Colonia civium Romanorum eò deducta, viris & armis, fuisse constat sub Neronis ævum florentissimam, & de qua populares Latini, tunc invidiosè quoque jactarent, stare in confinio Germaniæ inte-

Plutarch. in Numa. Prosp. Fest. Leym. Torrentius ad Suet. c. 22. in Aug. & Lipsius in Ezek. citat.

Janus clausus

Flor. l. 4. c. 12. Cor. Annal. l. 3. c. 34.

Julia cultura

ANTE CHR. 17. U.C. 734. Dion lib. 54.

CXXVII. Tiberius Nero XIII. Præfect. Suet. in Tiber. c. 9.

M. Agrippa ibidem XIIII. Dion lib. 54. Tac. l. 1. annal.

Agrippæ opera, Ubii in Gallicam ripam traducti.

Tac. lib. de mor. Germ. ubi potius ... Tacit. lib. 12. annal.

CXXVIII. Agrippense oppidum ab Agrippa. Colonia ab Agrippina deducta.

Viæ publicæ & militares.

Ammian. ... Gale l. 3. ...

Hier. ... ad ... Saranis ad ...

* al. Rastis ... Viarum mensuris.

ANTE CHRIST. 16. & 15. U.C. 735. 736.

CXXIX. M. Lollius XV. Præfect. Dion. lib. 54. Vell. Pat.

Lolliana clades.

Suetonius in August. c. 23.

CXXX.

ANTE CHR. 14. U.C. 737. Augustus iterum in Galliam venit.

Suet. Dio.

CXXXI.

ANTE CHRIST. 13. & 12. U.C. 738. 739. Augusti occupationes in Gallia.

Treviris Colonia facta Romanorum. Tac. l. 4. hist.

gram sedem, spoliis exercituum, & ducum cædibus ovantem, eo fit, ut ad superiora cogitationem referens, apud me plane statuam, hoc ipso tempore Treviris conditam fuisse Coloniam. Trevirim verò adiisse Augustum, clarissimam Belgicæ civitatem, suaserit fortè Suetonius, nullam testatus, Provinciam, exceptâ duntaxat Africâ & Sardiniâ, quam Augustus ipse non adiisset. Porrò, tametsi lege, quam ipse mihi in hoc opere imposui, cautio sit, ullis ne conjecturis, utpotè fallacibus & insidiosis, temerè unquam assentiar: nihilominùs in alto veterum monumentorum profundóque somno, cùm evigilatas nos par sit habere cogitationes, medicisque, & scientiam ad opinionem aucupantibus in re capitali, conjectationis etiam usus non rarò permittatur, ecquid desertam narrationem his adminiculis fulcire prohibet? cùm id præsertim eâ fit moderatione, ut si pondus asserta fides adepta non videatur, nihil recusemus, quin quidlibet de re, quod velit, quisque sentiat.

Suet. c. 47.

M. Ter. Var. l. 4. ling. Tac.

CXXXII. Trevirorũ præstata jam tum resp.

Certè Treviros in posterum innoxia quiete perfruentes, alacri promptoque Romanos sibi demerendi studio ab Augusto civitatem impetrasse, vix ambigo. Fidei constanter in totâ Comata Gallia Romanis deinceps servatæ testimonium equidem non postulem illustriùs, quàm ab ipso Imperatore Claudio, cujus Lugduni in tabulas æneas incisa ac defossa, hoc sæculo nostro in lucem emersit oratio: quâ Galliæ Primores fœdera, & civitatem Romanam tum pridem, ut Tacitus commeminit, adsecutos, provehere ultra studuit ipse, ad insignia patrum & decora magistratuum unà cum Romanis capessenda: qua de re in Senatu sic pro iis locutus dicitur. *Districtè jam Comatæ Galliæ causa agenda est; in qua si quis hoc intuetur, quod bello per decem annos exercuerunt Divum Iulium; idem opponat centum annorum immobilem fidem, obsequiumq; multis trepidis rebus nostris plusquam expertum. Illi patri meo Druso Germaniam subigendi, tutam quiete sua, securamq; à tergo præstiterunt; & quidem cùm fortè à censu, novo tum opere & inadsueto Galliis, ad bellum avocatus esset.* Hæc ibi in secunda pagina.

Tac. an. l. 11. M. Velf. l. 4. Aug. rerum.

Paradinus c. 16. de antiquo statu Burgund. & Veteramus testatur Anno 1529. erutas. Adi & Lips. commentar. ad Tacitum.

CXXXIII. Sueton. in August.

Romanæ civitatis jus, hoc ævo vile.

Lib. 4. Geograph.

At civitatis donatæ beneficium, etsi parcè olim ab Augusto concessum, usque eò tamen in Veteranorum gratiam, & Coloniarum evilluit, ut barbaras pænè atque præ Treviris ingloriás gentes, in civium jus etiam translatas prodatur ab hujus ævi scriptoribus. Neque enim aut Cavarum aut Salyum eos pœnituit; cùm Strabo factum id mitigans, omnes ita sanè appellari indidem habitantes affirmat; & ex quo tempore magnam partem in Romanæ disciplinæ formam transierint, linguâ moribusque, ac jure Quiritum: inde barbaros nimirum esse desiisse. Accedit, quod postquam Italia tota civitatis jus obtinuit, Coloniæ splendidissimæ quæque, cujusmodi Augustus deduxit, juris fuisse censeantur Italici; nam cùm milites sub signis merentes jure Italico cives essent Romani, quomodo jam emeriti conditione vixissent deteriore? Hinc adeò Suetonius alibi locuples testis*, Augustum Colonias jure ac dignatione urbi quodam modo adæquasse, excogitato genere suffragiorum, quæ

Iurisconsulti. dig. 50. titul. 15. Cap. 46.

de magistratibus urbicis Decuriones Colonici in sua quisque Colonia ferrent, & sub diem comitiorum Romam obsignata mitterent. Sed etiam imperante Tiberio, quod idem sæpiùs memorare cogimur, de Julio Floro Treviro, magna nobilitate Principe, satis liquet, Romanam eum civitatem habuisse, idque non suo quidem merito, at majorum, ut Tacitus ait, bonis factis; cùm jus optimum civitatis adipisci, & ad Romæ capiendos admitti magistratus, id rarum verò, nec nisi virtuti pretium esset. Firmiùs etiam, quod subjicimus de equitum Ala (quæ Tiberii item ætate, quo jure atque exemplo?) Treviris conscripta; neque, ut solent Provinciales, verùm militiâ disciplinâque Romanâ. Favet ipsum præterea Augustæ cognomentum, quo vetus Colonia insignita fuit; etsi eodem titulo plures, non eadem de causa vocitatas olim, haud agam nescius. Ab Augusto verò Coloniam, præterquam Italico jure deductam, negant antiquitatis peritissimi. At ne levioribus hisce diutiùs distraham, extat ad Treviros oratio Petilii Cerialis, cui refragari sanus nemo potest. Alloquitur victos legatus Romanus victor. *Pacem & urbem, quam victi victoresq; eodem jure obtinemus, amate, colite.*

Tac. annal. lib. 3.

M. Velferus etc. l.

Tac. hist. l. 4.

CXXXIV. Trevir. Colonia an milit. & cujus ipsa generis extiterit?

Cæterùm Treviri Coloniam habuerint civium Romanorum; an qui confectis essent stipendiis, Italicorum militum; an verò etiam permistum ex utroque genus; dubito, quid aut proponam, aut sentiam; etsi postremum libentiùs amplectar. Militaribus Coloniis urbem occupatam, perpetua quædam loquitur superiorum temporum consuetudo; quam ita retulit Hygenus. *Multis legionibus contigit bellum feliciter transigere, & ad laboriosam agriculturæ requiem, primo tirocinii gradu pervenire; nam cum signis, & aquila & ordinibus, ac tribunis deducebantur; modus agri, pro portione officii dabatur. Ferunt quidam, indictum postea modum belli, & expletâ centesimâ hostium congressione, ad colendum reductos terrarum agros. D. Iulius vir acerrimus, & multarum gentium domitor, tam frequentibus bellis militem exercuit, ut dum victorias numerat congressione, multitudinis oblivisceretur; nam milites ultra stipendia emerita detinuit recusantes; deinde veteranos dimisit, mox eosdem ipsos, veniam cum * milite rogantes, recepit; & post aliquot bella facta, in pace dimisit. Aeque D. Augustus in assignata orbi terrarum pace; exercitus, qui sub Antonio, aut Lepido militaverant, pariter & suarum legionum milites Colonos fecit, alios in Italia; alios in Provinciis quibusdam; deletis hostium civitatibus, novas urbes constituit, quosdam in veteribus oppidis deduxit, & Colonos nominavit.*

* militia

Constat, ex his, uti reor, quid in Coloniis deducendis potissimum sit sequutus Augustus. De Treviris sustinet assensum tamen vetus Epigramma nummi Vespasiani:

CXXXV. Trevir. cur dicta Patricia Colon. Plin. lib. 3. c. 1.

COL.onia AVG.usta PAT.ricia TREVEROR.um.

Cordubam, Coloniam Patriciam, Plinium appellasse, præsens nobis memoria. Patricia autem Colonia Trevirorum dicta, utrumne, quòd qui in urbem hanc novi venêre Coloni,

Sueton. in August. cap. 46. Plin. in Panegyr.

ceteris

cæteris genere, virtute, & copiis antecellerent: eaque suffragia haberent, quæ ex Coloniis Romam obsignata perferri de magistratibus urbicis creandis sanciverat Augustus: an potiùs, qui decuriones sive curatores, & novi ex disciplina Romana missi magistratus, hi scilicet præ cæteris uni gentem haberent; cùm in alto veteris memoriæ silentio disquirimus; animum diversa agitantem, Justi Lipsii politum ingenium denique ad ista traxit. *An non ideo Patricia, quia jus iis Senatus, & venire poterant in Patres? transisse Rhenum centum & tredecim Trevirorum Senatores Tacitus commemorat: atqui in aliis Coloniis curiales tantùm, nec isto nomine insignes. An ideò etiam Patricia, quia Patrum decreto deducta? Senatu enim jus in aliquas Colonias fuisse, quisquis adierit Dionem, ultra non ambigat.* Sed antestat priùs illud; & habuisse jus aliquod splendorémque Patrum. Quod idem olim approbasse me Lectori non iniquo, confisus sum, quando Colonos è tribu Julia non ignobiles huc transcriptos ex Juliorum prænominis compluribus; qui Treviris, inter cives suos clarissimi extiterunt, conjecturam feci. Incitat huc idem, quem antea dixi, Cerialis, qui minimè blandiens: penes Treviros, ait, aurum, & opes, præcipuas esse bellorum caussas, externam virtutem & industriam, ac fortè castrorum peculia notans; cùm absque commerciis & rei vitæ pecorumque cultu, huic natali Trevirorum solo, Pluto non valdè sit amicus. Quo ne igitur diutiùs Annalium ordinem moremur, ad Augustum jam revertimur.

Præfecerat is Galliis non ita pridem Licinium Gallum, Julii Cæsaris Libertum; hic pro Libertorum rapaci ingenio, cùm animum gereret auri fame inexplebilem, eò processit tandem vecordiæ, ut, quia Romanorum crescente in dies avaritiâ, singuli, jam tum mensibus pendere tributum in Gallia mos esset, juxta Verris astrologiam non tam cœli rationem, quàm cælati argenti duceret, & binos anno cuique menses ad auctionem vectigalium superadderet; atque ita exquisitissimis tributis Provinciam Gryphus ille pervastabat. Hanc injuriam ultimæ servituti proximam, Galli Augusto questum eunt, hominisque violentiam, & sordes graviter accusant.

At ille Licinii fraudem in molliùs accipiens, usus simulatione cognitionis ancipitia justitiæ posthabuit, & de industria facti contumeliam occultavit. Licinius etiam ad tutiora flectens, domum suam supellectile multa auri argentique refertam, ad Augustum perducit; & cùm exposita concinnè monstrat omnia, ea profitetur ad minuendum vires Gallis detraxisse, ipsique Augusto, non sibi eos thesauros seposuisse. Verùm hæc Præfectorum avaritia, paribus juncta contumeliis, tum damno sæpè fuit aliis clarissimis urbibus, tum graves olim in Treviris, id genus vexationum impatientissimis, excivit motus.

Per idem tempus Tiberius Claudius Nero, Drususque Claudius, ambo Augusti ex Livia Drusilla privigni circum Provincias exercitusque dimissi, nec non dignitatibus supra ætatem maximis in eosdem congestis, res in Germania gessêre memorabiles: Augusto plurimum Lugduni commorante, unde Germanici belli eventum eminus, ceu ex edita quadam specula prospectabat. *Quippe*, ut Velleius, cujus nunc quidem quàm meam orationem malo: *uterque, divisis partibus Rhætos Vindelicosque aggressi, multis urbium & castellorum oppugnationibus, necnon directa quoque acie feliciter functi, gentes locis tutissimas, aditu difficillimas, numero frequentes, feritate truces, majore periculo quàm damno Romani exercitus, plurimo cum earum sanguine perdomuerunt.*

Tiberio Nerone & Quintilio Varo subindè Coss. rebus Gallicis, Germanicisque pacatis, ac ingenti pecuniâ ex Gallorum vectigalibus redactâ, Druso privigno in Germania apud exercitus relicto, Augustus Romam reversus est. Ejus absentiam Germani suam rati occasionem, simúlque Gallorum adjuti mobilitate, qui Rheno proximi Romanorum jugo assuefacere se non possent, Consulatu M. Valerii Messalæ, & P. Quirini, anno Christi prævio natalibus decimo, bellum Druso movere cœperunt. At Drusus motus eos omnes sapientia consilióque suo, vix resurgentes composuit, Galliæ fermè totius primoribus, in speciem Augustalia festa celebrandi, Lugdunum ad aram Cæsaris evocatis.

Ara isthæc sinistra gentis superstitione, dum insanam ambitionem Augusti adulatur, apud Confluentem Araris & Rhodani dedicata; magnoque Provincialium totius Galliæ studio frequentata fuit; Sacerdote, quod Livius scriptum fecit, creato C. Julio Vercondari, Dubio Æduo. Augustus etenim, velut humanæ sortis jam oblitus, nec contentus mortali fastigio, Deorum potentiam usque adeò concupiscit, vitius, ut non in urbe dominâ solùm, sed etiam in provinciis; haberi colique se pro Deo passus sit; templis & effigie numinum honore divino, geniòque suo quæsitis. Hinc, quod usque adeò in Alexandro orbis domitore, scriptorum veteres exagitarunt, poëtas Latinos palàm profiteri & usurpare, non puduit.

Arma Deus Cæsar, dites meditatur ad Indos.

Et Venusinus, cùm vulgò jam in compitis, genius Augusti adoraretur:

Præsenti tibi maturos largimur honores;
Iurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Manavit ea sacrorum pestis latiùs, per omnes fermè diffusa Provincias; cùm sistendis oppidatim aris, cerneres passim Augustum etiam mortalem, radiato capite fulgentem, & media inter Deos sede, auro conspicuum, aut ebore, sacerdotum accurato cultu & grandioribus placari victimis, pudendo juxta cordatis hominibus, ac detestabili piis ritu.

Hujus generis fama celebrem illam Trevirisque vicinam Ubiorum aram interpretantur; quæ ab Augusto venerationem adepta, Sacerdotes item teterrimo adulationis genere, huic novo Deo facientes, habuit ex Primoribus gentis Augustales. Quo Christo beatæ vitæ parenti nimirum majores habendæ sunt gratiæ; cujus salutari ad homines adventu, cœca tenebrarum illa discussa nox, & deploratis nova lux atque cœlestis ministrata rebus. At Drusus, ut dicere eramus exorsi, per solennes hosce ludos & ceremonias, occupatis pro-

Marginal notes (left): In l. Lips. [illegible] — In l. 5. histor. — Dion l. 54. [illegible] 739 — Tacit. l. 4. hist. Treveri divites. — Dion lib. 54. Licinius XVI. Præf. — CXXXVI. Malignitas Romanorum imperii in exigendis vectigalibus. Cic. in Verr. — CXXXVII. Licinius Augustum & jus ipsum eludit. — CXXXVIII. Drusus & Tiberius XVII. Galliæ præfecti.

Marginal notes (right): Augustus Lugduni sæpè commoratus. [illegible] — ANTE CHR. 11. U. C. 740. — CXXXIX. Augusto Romam reverso Germani [illegible] tumultuantur. — ANTE CHR. 10. U. C. 741. Dion l. 54. Livius Epit. — CXL. Ara Lugdunensis ab omni Gallia frequentata. Epitom. Liv. Strabo l. 4. — Tac. l. 1. annal. — Augustus Deus. — Propert. l. 3. — Lib. 2. epist. ad August. — Suetonius in August. c. 59. Plin. Paneg. Lucan. — CXLI. Ara Ubiorum. I. Lips. ad Tacit. interp. ad l. 3. Propert. — Drusi res gestæ trans Rhenum.

cerum Gallorum animis, inde per Treviro-rum fines ad Rhenum contendit; Germanorum irruptione prohibiturus; quos identidem transgredi conantes, intra ripam coërcuit; quin & ingenti & præcipiti juventæ quodam calore, intimam ferocium nationum molem ciere, & in Usipetum regionem, secundùm insulam Batavorum, atque in fines Sicambrorum per minimè trita, atque usitata Romanis itinera, ducere ausus est.

Dion. Tacit. Sicambros & Batavos adit.

CXLII Neque his prosperè gestis acquiescentem subactis Frisiis, quo cingi, claudique terrarum orbem fama erat, Oceani extrema pertentandi littora, cupido stimulabat. At dum Chaucos, classe paludem invectus, magno suorum discrimine lacessit, victoriam habendam cum modo jam edoctus, dilato potius hoste, quàm victo, Romam iter convertit.

Frisios & Chaucos tentat.

ANTE CHR. 9. U.C. 742.

Atque ibi Q. Ælio Tuberone, & Fabio Maximo ineuntibus, Prætorios honores adeptus est. Nec mora; cùm ad intermissi, non depositi belli Germanici consilia, appetente jam vere, rursus se comparat. In Germaniam simul atque perventum, loca ad id tempus incognita, multo perfuso sanguine peragrata; & quàm plurimis mortalibus in potestatem ditionémque populi Romani redactis, ad amnem usque Visurgim Variana clade nobilè, delatus, hosticum omne percursat: in eas quandóque ignoti soli prolapsus angustias, unde non sine desperatione præsentique legionum discrimine evaderet. Anno proximo, Druso cum Cattis, qui Sicambrorum opibus suas firmârant, bella gerente, Augustus iterum cum Tiberio rediit in Gallias.

CXLIII. Drusus ad Visurgim venit, qui & Wesera. *Strabo l. 7.*

ANTE CHRIST. 8. & 7. U.C. 743 & 744 *Dion. ... I. Florus l. 4. c. 12.*

CXLIIII. Atque interea Drusus Consulari honore insignitus, ad urbem tantisper mansit, dum Imperator reflecteret iter: ubi is affuit, ab urbe Drusus excurrit in Galliam, accelerante supremo vitæ fato. Bellum, quod anno superiore cum Cattis inchoaverat, confectum in primis optabat. Ergo, Cattorum ipse fines ingressus, crebris & difficilibus prœliis gentem immanem perculit; indè in Suevorum ditionem illatus, atque hinc in Cheruscos; superato Visurgi, demum constitit ad Albim fluvium, qui Germaniam magnam bipartito complexus, Boiemiorum & Saxonum agros perlabitur. Huc, cùm populando, incolumi exercitu pervenisset, hostem pavore fugáque consternatum per intimas solitudines non prius destitit insequi, quàm species barbaræ mulieris humana amplior, seu genius illa malus, seu inane spectrum extitit, victorem tendere ultra, sermone Latino prohibuit. Inde morbo correptus, à Sala fluvio retendit ad Rhenum; cujus priusquam ripas attigisset, in æstivis castris, suorum magno mœrore lethum oppetiit; neque desunt, quibus equo super eum collapso, exstinctum, magis ex fide placuit. Addit certè Suetonius, si ad imperium aliquando pervenisset, abolito dominatu, Romanis fuisse libertatem redditurum; scilicet ob id suspectum Augusto, revocatumque ex Provincia; & quia cunctaretur, interceptum veneno.

Cattis, Suevis & intima terra Germania percursatis ad Albim fluvium evadit. *Sueton. in Claudio c. 1. Dion. 55. lib.*

Strabo l. 7.

Drusi mors. *Epit. Liv. Velleius Paterc.*

CXLV Tiberius frater, nuntio valetudinis Drusi ab Augusto, qui propè aberat, accepto, celeriter ab urbe continuum iter fecit, & spirantem excipiens etiamnum Drusum, mœsto vultu prosecutus est abeuntem. Mortui verò corpus pedibus, raro pietatis exemplo, toto itinere prægrediens, Romam deportandum curavit; idque celebri funeris pompa; singularum urbium Principibus incredibili studio, tum adparatè funus suscipientibus; tum urbibus quibusque suis inferentibus. Sed neque in Drusi honoranda memoria Treviro-rum studia, rear equidem, desiderata. Justa autem illius funebria, quæ fortissimo juveni in Belgica, & utraque Germania persoluti, non in illo solitario quasi transcursu honorum substiterunt; sed propagata in longum ævum, permistaque sacrilegis & nefandis superstitionibus occupavêre Provincialium animos. Exercitus enim memoriæ defuncti statuere tumulum honorarium, circa quem deinceps quotannis miles decurrit, Galliarumque civitates publicè supplicarunt. Et ne hæreres, consuetudinem eam posteriùs etiam obtinuisse, fecit Cornelius Tacitus. Filium namque Germanicum perhibet, restituisse aram Druso parenti; positam olim, eversamque furore Germanorum; honoribusque patris principem ipsum cum legionibus decurrisse.

Tiberius Drusi defuncti funus in Gallia curat.

Sueton. in Claudio. Treviri expeditionum Drusi funerisque participes.

Sueton. in Claud. c. 1.

Lib. 1.

CXLVI. Ara itaque stabat ad litandum supplicandumque. Decursione vero militari Æneæ proli non recens, aut nuper tum, sed olim apud Ilion usurpato ritu, defuncti augebatur honos. Etsi vero Germanicus Rhenum inter & Lupiam amnes suprema parenti hæc iterârit pius officia, Treviros tamen cum reliquis Galliarum urbibus & Mogûtiacum iisse supplicatum, & obiisse spectasseve decursiones anniversarias, contra quàm creditum aliis, persuasum mihi certè. Neque enim, quia Germanicus trans Rhenum Lupiam versus, parenti ritè fecit, iccircò satis causæ suppetit, ut Cenotaphium tumulumque cujusmodi non uno loco monumenta ei extructa, ex Moguntiaci suburbano retractum, in alieno solo depangamus. At trans Rhenum, infestis etiam ibi circum barbaris, & regione agri objectis legionum præsidiis, ferò admodum pacati, quis aut tutus, aut metu vacuus, ad sacrificandum locus? Maneat ergò, quod in temporum libro interpres Eusebii B. Hieronymus & Eutropius, quomodo nunc quidem legitur, consentiunt, Drusi monumentum celebre extitisse apud Moguntiacum; tametsi mendum in Eusebii Chronico notatur, cùm Claudius patruus Drusi ibi dicitur, qui erat filius. Nec Druso Germanici filio conditorium hoc attribuisse velis: quem oppressum afflictumque Tiberii criminationibus, & à senatu hostem judicatum, credibile non est id genus monumenti, nulla domi militiæque gratiâ, meruisse.

Ara Drusiana, & ad illam ludi & supplicationes Galliarum. *Homer. in funere Patrocli, & Virg. in Pallantis.*

Drusi monumentum Moguntiacense; ejusque locus & usus assertus præter opinionem I. Lipsii ad Tacitum. *Dion. lib. 55.*

... Scaliger.

CXLVII. Et verò stat hodieque vicino urbi colle, cui nomen olim Drusi locus, moles illa saxea, proximè D. Jacobi cœnobium, Moguntiæ novæ ad Austrum obversa; surgitque ex prægrandi quadrilatera basi, structura solida, glandis in morem; cujus ut formam sic nomen & vulgo retinet, cum fama Drusianæ memoriæ. Quo jucundius aliquando fuit Rheni ripam illic obeunti proximo urbi municipio offerri saxum vetus, sculptura hominis an Dei, capite tecto velut exuviis cornutæ pecudis, circumamicta & in lævum humerum rejecta toga, ha-

Eichelstein, alii, Aiquilstein, ab aquila. de quo copiose N. Serar. *Mogunt. lib. 1. cap. 13.*

stam

stam dextrâ; scutum sinistrâ tenentis, cum epigrapha per quadrum eunte, sursum deorsumque.

IN MEMORIAM DRVSI GERMANICI.

Pellium & exuviarum usus in heroibus.

Neque lapidis ruditas seu ad vetustioris exemplum sculpti, seu à posteris locati, Drusi memoriam obliterat, cùm nostratibus Germanis invicem malum precantibus, hodieque Drusi nomen frequens in ore. Et exuviarum gestamen, ac frons cornuta, remotiorem utique sapiunt antiquitatem: nam & Jovis & Alexandri magni, Regumque Macedoniæ, notum est, imagines sculpi solitas effigie cornuta, & Leonini capitis spoliis, à quibus imitatione virtutis, & divinitatis affectatione sumpsêre Romani.

CXLVIII. ANTE CHR. 6. U. C. 745. Tiberius bella gerit in Germania. Velleius, Dio 55. Sueton.

Administratio Galliarum & Rheni, ad Tiberium deinde rejecta: cùm enim Augustus, C. Marcio & C. Asinio consulatum suscipientibus imperium in alterum decennium accepisset, ad Germanicam edomandam ferociam, exercitus novo delectu supplevit; copiisque Tiberio traditis, ipse plurimum in Provincia restitit. Tiberius verò transgressus omnes pœnè Germaniæ partes, victor peragravit, cautiùs verò quàm fortiùs pugnans, incolumem inde militem reduxit, populis compluribus, atque nationibus ad stipendii nomen & obsequium Romanum coactis. Præterea, ut Trevirorum solitudines, ripaque citerior frequentarentur, impensè curavit idem, nonaginta millia dedititiorum in Galliam traducens, juxta Rheni ripam sedibus assignatis. Quas ob res alterum adeptus consulatum, novo quodam honoris genere, curru ovans, quod primùm nisi pedibus, deinde fieri equo assolet, urbem invectus, augustam sui speciem oculis Romanæ civitatis exhibuit.

Trevericus ager Colono advena impletus.

Tiberius ovat.

ANTE CHR. 5 U.C. 746. CXLVIIII.

Cæterùm, Quæ hinc annorum series ad Christi usque adventum decurrit, literis omninò caret, annalibus priscorum ita vitiatis, ut ne Romanæ quidem res habeant, unde magnoperè possint illustrari, nedum unius anguli Provinciæ, tanta veteris memoriæ copia suppetat, quæ domesticam bellicamque disciplinam ad amussim, nusquam interruptâ lineâ, persequatur.

CL. Pax orbis. Hieron. in c. 2. [illegible] Gazensis.

ANNUS CHR. 1. U. C. 751. CHRISTUS nascitur. B. August. l. 13. de Trinit. c. 7. [illegible] l. 3. orthodoxæ fidei, cap. 3.

Porrò pacis almæ benigno respectu, & Dei immortalis præcipuo munere, cùm totus penè terrarum orbis victoriis perpacatus, ad salutis & tranquillitatis studium convertitur, CHRISTUS unigenitus DEI Filius in hanc mortalitatem immortalis ipse se dimittere, nostrumque genus miseratus, cœlo juxta terráque plaudentibus, homo nasci hominis causâ, puerperâ Virgine, dignatus est. Quod tam inenarrabile & augustum Verbi incarnati miraculum, spectavit orbis terrarum, quando per provincias totius imperii, censum Augustus jussit describi, Cyrenioque Ægypti ac Syriæ Præside, Christus suum inter homines nomen professus, ad eorum etiam voluit numerum aggregari, quorum salutis ab iniquo possessore Satana asserendæ, Deus cæli terræque regnator, factus fuerat homo. Quod nos immortale beneficium, mortalibus exhibitum, hoc anno Augusti imperii, ab inito primo consulatu, qui velut aditum ad reliquos honores patefecit, quadragesimo secundo, Urbis conditæ LI. vel LII. supra DCC. Augusto XIII. & M. Plautio Silvano, aut etiam Lentulo, & Messalino Coss. communem & usurpatam sequuti temporum descriptionem, tradiderimus; haud ignari alioquin ab aliis, non magno tamen discrimine, pugnari in diversum.

Augustus orbem Romanum censet.

Chronologiæ ratio in anno Christi gloter monstrata.

CLI. Anni U. C. quomodo in Chronologia variet. Paulus Petav. de [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] de Olymp. & fastis.

Quod verò ab urbis Romæ conditu annum producere placuit geminum, id autoritas jubet hoc in genere diversa sentientium; cùm alii Natalem Urbis à Palilibus, aut XI. Kalend. Maii, more prisco; alii juxta reparationem anni Juliani, numerent à Kalendis Januarii. Nam cùm Augustus primum Consulatum suum inierit X. Octob. vel XIX. Sextilis, Hirtio & Pansa utroque Consule, extinctis, qui hinc putant ad ortum Christi, annum U. C. à Palilibus reperiunt DCCLI. At verò, qui aliâ viâ, scilicet ab emendato anno, & Kalendis Janu. annos Urbis decurrunt, his ab U. C. idem annus sese offert & Incarnationis & Natalis Christi, puta DCCLII. Etenim Julianæ correctionis annus, qui U. C. DCCIX. initium habuit à Kalend. Janu. anni Urbis à Palilibus DCCVIII. qui præcessit Christi D. N. natalem XLV. annis, unâ minus hebdomade. Diem autem Christo natalem, Latina Ecclesia magno consensu, celebrat ad XXV. Decemb. Unde duplex par Consulum digeri solet à nonnullis; siquidem juxta seriem anni Juliani, publicis in actis deinceps usurpatam, consulatu exierunt, qui Christo nascente magistratum gerebant; à Kalendis verò Januarii, quando Augustus cum Silvano consulatum inchoavit, Christi novus & integer annus volvi cœpit. Provinciæ Belgicæ summum ab armis otium hac ætate præstabat, delinita potiùs, quàm debellata, quiescens in propinquo Germania.

Annus U.C. à Palilibus. Annus U.C. Julianus. Dies Christo natalis VIII. Kal. Januar. Iacob. Gordon. Tom. I. Chronolog. sub finem Cons. Rom. Catalog.

Belgicæ tranquillitas.

CLII. Sueton. in Augusto. Tac. de Tiberio 2. annal. Oros. l. 7. c. 32. Isidor. Orig. lib. 4. Burgundionum origo.

Deportaverat Tiberius annis hisce præteritis, in vicinum Treviris agrum ex Suevica atque Sicambrica gente hominum immensam eam multitudinem, unde Burgundionum sobolem, tanquam ex equi Troiani alvo fusam Orosius atque Isidorus literis suis prodidêre. Burgundiones enim, quondam ferunt à Romanis, subacta interiore Germania, per castrorum limites dispersos, à Tiberio Cæsare in magnam dein coaluisse gentem; atque ita nomen ex locis ipsum desumpsisse, quia crebra per limites habitacula constituta, Burgos, ipsi vulgò vocarent. Hos postea rebelles, plusquam octoginta millia armatorum ripam insedisse Rheni fluminis, & nomen obtinuisse gentis. Porrò, Ammianus etiam horum meminit, posteros consanguineos, qui, senescente demum imperio Romanis infesti esse cœperant, jam inde à priscis temporibus pro sobole se gessisse Romana. Hac itaque ceu turbulentorum exhaustâ & deductâ fece, levata nonnihil, uti dixeramus, Germaniâ, haud paulò mitior evaserat.

CLIII. L. Florus l. 4. c. 12. Rheni munimenta per Drusum excitata.

Drusus verò, qui eximiâ fortitudinis laude Germaniam armis pœnè totam obierat, Rhenum tunc temporis imperii limitem, firmis & ad arcendas irruptiones idoneis non modò stationibus munierat, verùm & interiora per Mosam, Albim, Visurgim habitata à barbaris

flumina

flumina, quinquaginta ampliùs erectis quoquoversum castellis, multiplici custodia militum adversus ferocium incursus, tuta securaque, at non in longum, præstiterat.

CLIV Bonna & Gelduba.

Bonna ab eodem ac Gelduba, haud obscuræ famæ castella Rheno imposita, eademque ad superandum flumen pontibus juncta & navalibus instructa; nam Rhenum etiam classe pertentatum à Romanis, sat multis præliorum documentis exploratum. His autem artibus atque operibus id consequi videbatur fortissimus juvenis, ut Germania ferociam paulatim ponens, & Belgicam relinqueret à latere pacatam, & solum cælúmque mitius præberet Romano. Tiberius quippe successor, deficiente materia belli, præter concursatam sine clade regionem, nihil admodum literis memoriáque dignum gesserat, egregium alioquin habiturus Velleiū laudis suæ Præconem.

ANNUS CHRIS. 2.

CLV. M. Vicinius 18. Galliæ Belgicæ Germanicæque præfectus.

Interea C. Cæsar, L. Frater, & L. Æmilius Paulus, anno Christi secundo creati consules; cum M. Vicinio Rhenum tutante, multorum pax annorum turbata; & Germanica gens, quæ victa, non edomita fuerat, bellum ingens magno redintegrare conatu cœpit. Ejus belli factum initium triennio ante, quàm Augusto Tiberius adoptaretur, disertè scribit Velleius; gestum autem hoc ferme successu; ut aliis, advenientibus hostium copiis vim Vinicius opponeret; aliàs impar ingruentium moli, fortiter eorum insultus & impetum sustineret, eóque nomine decreta ei cum speciosissima inscriptione operum ornamenta triumphalia.

CLVI. Tiberius ab Augusto attollitur.

ANNUS CHR. 3.

ANNUS CHR. 4. 5.

Tiberius autem inde ex secessu Rhodi P. Vicinio, & Alpheno Coss. reversus Romam, Caio & Lucio Cæsaribus, quos Augustus ab Agrippa patre domi emptos, in Cæsarum familiam induxerat, extinctis, anno interfluente, cum jam Sex. Ælius & L. Sentius iniissent, ab Augusto per adoptionem in spē Reipublicæ universæ capessendæ, adscitus est; ut ipse tamen Germanicum ex fratre nepotem firmioris obsequii autoramento prius adoptaret. Inter hæc servitutis intolerans, ab imposito nuper jugo resiliit Germania; neque inquietum, & durum in armis genus fœderibus ac legibus se Romanis patiebatur assuefieri.

Suet. Vell. Dion. l. 55.

Germaniæ tumultus à Tiberio sedatus.

ANNUS CHR. 6.

CLVII. Sentius Saturnius 19. Bel. præf.

Missus itaque anno sequenti, cum Sentio Saturnino consulari Legato ad pacandam eam oram, ipse Tiberius; atque per Treviros, per legionum stativa Rhenique castella, digressus incredibili veteranorum militum studio, notum jam decem fausti s acclamationibus salutantium, exceptus est. Inde in umbilicum Germaniæ ductus exercitus, percursati, lustratique magis, quàm subacti barbarorum fines, Velleio impensiùs assentandi libidine, res exornante Tiberii; *Intrata protinus*, ait, *Germania; subacti Caninefates, Bructeri, Angrivarii, recepti Cherusci gentes, & amnis mox nostra clade nobilis transitus Visurgis, penetrata ulteriora; cùm omnem partem asperrimi & periculosissimi belli Cæsar ipse sibi vindicaret, & in iis, quæ minoris essent discriminis, Sentium Saturninum præficeret. Iam verò, insequenti æstate perlustrata armis tota Germania est. Victæ gentes pæne nominibus incognitæ. Receptæ Cauchorum nationes, omnis eorum juventus, infinita numero, immensa corporibus, situ locorum tutissima, traditis armis, unà cum ducibus suis, septa fulgenti armatoq; militum nostrorum agmine, ante Imperatoris procubuit tribunal, fracti Langobardi, gens etiam Germana feritate ferocior. Denique quod nunquam antea spe conceptum, nedum opere tentatum erat, ad quadringentesimum milliarium à Rheno usq; ad flumen Albim, qui Senonum Hermundurumq; fines præterfluit, Romanus cum signis perductus exercitus. Et eodem mira felicitate, & cura ducis, temporum quoque observantia, classis quæ Oceani circumnavigaverat sinus, ab inaudito atque incognito ante mari, flumine Albi subvecta, plurimarum gentium victoria cum abundantissima rerum omnium copia, exercitui Cæsarique se junxit.* Hæc Velleius.

Vellei Pater historici ingenium. Tiberii acta à Velleio exposita.

ANNUS CHR. 7.

Longobardi Germanica gens.

Dion. l. 55.

CLVIII. Vellei tumorem castigat Dio.

At Dio in eundem annum, M. Æmilio scilicet; & L. Aruntio magistratu fungentibus, quàm procul à Vellei calamistris? In Germaniam arma movisse, cum alios, tum ipsum, ait, Tiberium, eumque primo quidem ad Visurgim, deinde ad Albim expeditione facta, profectum; nihil tamen magnopere dignum memoriâ utrobique gestum. Quo magis etiam placuit hæc summa Taciti moderatio de Germanorum moribus ita scribentis: *Nec impunè C. Marius in Italia, D. Iulius in Gallia, Drusus ac Nero & Germanicus in suis eos sedibus perculerunt. Mox ingentes C. Cæsaris minæ in ludibrium versæ; inde otium, donec occasione discordiæ nostræ, & civilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias affectavere. Ac rursus pulsi inde, proximis temporibus, triumphati magis, quàm victi sunt.* Atque hæc nobis aurea virga semper in manu sit oportet, si extra veritatis metam quàm longissimè ferri nolimus. Nec cunctati tamen ambo, seu Augustus seu Tiberius, quin ex fumosis hisce actis, sibi nomen Imperatorium uterque arrogarent, honorésque triumphales C. Sentio deferrent; quòd vano objecto metu armorum, circumacto per fines exercitu, perculsi Germaniæ populi, à Romano bis pacem ultrò petissent. Quæ tamen persistentibus in pertinacia, obtrusa sit verius, an concessa dubites; cum res Dalmaticæ ac Pannonicæ majore bellorum æstu concitatæ, scilicet aliò Tiberium vocarent. Quod verò revocatum deinde ab Illyriis persæpè Tiberium Augusti literis, ceu bellum id habere quàm gerere mallet, Suetonius Dióque tradunt, id ita quidem habet certè. Cùm anno etiam insequenti, Quinto Cæcilio Metello, & A. Licinio Coss. Germanicum Drusi filium, juvenem corporis animique dotibus, quantæ nemini cuiquam id ætatis contigissent, eximium recentibus ac firmis instructum copiis, Tiberio in Germaniam submisit. Atque is, Illyrico pacato, frequens postea apud Treviros, magnitudine rerum gestarum, patris propè gloriam superavit: sanè dilectione, atque amore singulari, cùm apud omnes Provinciales, tum suos præsertim, haud omnium cuiquam ipse concessit.

CLIX. Pannoniæ bellum. Velleius Pater. Suet. in Tib. cap. 16.

ANNUS CHR. 8. Dion. lib. 55. Germanicus Drusi filius. Sueton. in Caligula c. 3. Is frequens in Treviris.

ANNUS CHR. 9.

ANNUS CHR. 10.

Cæterùm, annum inde proximum adhuc Pannonico tenente bello sequens, qui Sulpitium Camerinum & Poppeium Sabinum Coss. habuit, & à Deiparæ beato partu decimus illuxit, Variana clade & novo populorum cis

Quintilii Vari clades.

Velleius, Dio. Suet. in Tiber. Tacit. Florus.

Rhenum accolentium motu, fuit insignis. Quintilius Varus post administratam insigni avaritiæ ac sordium infamiâ Syriam, Germaniæ impositus inferiori; & custos tutórque Rhenani limitis constitutus.

CLX. Vari stupor ex immodica fiducia.

Is, ceu tranquillis in pace rebus, cùm procax otii, & potestatis intemperantior jam ageret, huc denique descendit fiduciâ pacis, ut, barbarico solo, abruptas inter paludes, & nemoribus implicatas, fluminibus exclusus maximis, conventus ageret, citaret reos, cæteraque, ceu in foro jurisdicundi munia, frequentissimo lictorum, causidicorúmque ministerio, obiret.

CLXI. Cherusci & Bructeri Varum circumveniunt.

At Germani, quos inter Cherusca gens eminebat, occasionum haud rudes, dum conjuratio maturescit, ulterioresque socias bello vires adjungunt, interea suspicere quasi Romani tribunalis æquitatem, & segne ducis otium, per fictas litium series, extendere.

Arminius Dux.

Cùm repente adunato jam robore, Cherusci, Bructerique, Arminio duce promptissimo, Romanis media pace incautis, & nihil tale metuentibus, undique circumfusi, munimenta invadunt, sternunt legiones, & pecorum instar trucidant.

Vari interitus.

Prior ferrum occupavit Quintilius Varus, & humeris avulsum caput, ludibrio hosti fuit: legiones deletæ tres; totidémque alæ, & sex cohortes; signa & aquilas duas retulit hostis, tertiam absorpsit eruentata palus.

Tacit. lib. 1. & ad eum loc. Lipsius. Teutobergensis silva & Winfeld monumenta Romanæ cladis.

Conservari hodiéque volunt cladis memoriam, ubi saltus Teutobergensis, & hujus victoriæ cognomine insignis Westphaliæ campus monstratur, non procul Horna oppidulo supra Lupiæ & Amisiæ fontes. Atque ad hunc modum Germaniâ turpiùs amissâ, quàm à Druso gloriosè quæsitâ. At Treviri Gallique cæteri cis Rhenum sedentes, his utique Germanicis semper impliciti bellis, ubi tam illustris famam facti rumor ad aures eorum pertulit, avidi recuperandæ libertatis, res Romanorum infaustas & asperas, jam in bonum suum vertere, & novis capessendis consiliis parabant obsequii vim labefacere;

CLXII. L. Asprenas Belgas continet in officio. Trepidatio Rom. accepta ab Arminio clade.

sed oppressit immatura consilia celeritate non expectati adventus L. Asprenas legatus; qui pavore fugáque tantùm non alienatus, reliquum nomen infelicis exercitus trahens, dualus è Germania deductis legionibus, in tutiora receptum quærebat. Ad inferiora itaque hiberna secundùm Rheni flumen descendens, vacillantium cis Rhenum animos, exercitus præsentis metu confirmavit, atque ut in officio manerent autoritate effecit.

ANNUS CHR. 11. *Sueton. in August. c. 23.* Mæror publicus ob cæsas legiones, & Augusti dolor impotens.

Interea cladis literæ atque nuntii crebri primùm ad Tiberium, inde ad Augustum Romam etiam undique incedunt, extemploque concessum in omnem speciem luctus. Mœstior civitate Augustus ipse squalens atque lymphatus caput foribus illidere, legiones amissas frustra reposcere. Verùm hæc animorum concitatio fracta, cognito, tantùm victis superfuisse roboris, quo citerior Germania saltem in præsens custodiri poterat, prohiberique, ne per Rhenum inflatis victoria barbaris, iter in Galliam pateret.

CLXIII.

Auctis itaque novo delectu copiis, & ex omnium ordinum generumque militibus subitaria in supplementum comparata manu, M. Æmilio Lepido, & Statilio Tauro Coss.

ANNUS CHR. 12. Tiberii & Germanici nova in Germanos expeditio.

Dio 55. Suet. Velleius.

Tiberius diviso cum Germanico nepote exercitu, Rhenum transiit: verùm ita cautè, ut velut recentibus adhuc pavoris & deformis fugæ cladisque vestigiis, multa præter consuetudinem, de ratione belli gerendi discepraret, neque procul interim à Rheni ripis abscederet. Quare, disertis etiam verbis, conseruisse cum hoste manus, aut gentem ullam redegisse in potestatem, Dio pernegat: cladis memoriâ; atque alieno periculo doctum, ne quid fortiter, & pro consuetudine Romani nominis auderet. Juxta Rhenum itaque ad autumnum usque commorantes ambo, ludis in honorem natalium Augusti agitandis, & equestri certamine per centuriones edendo, fefellêre tempus: quamquam disposuisse item exercitus, muniisse præsidia, cætera vanus, confirmet Velleius.

Ambitarinus Trevirorũ vicus. In eo stativa Legionis 1. & Leg. 20. Agrippina Germanici conjunx in Treviris agit.

Neque id memorasse non interest nostrâ, vicum in Treviris Ambitarinum, quem in Ambiativum & Ambiaticum distorquent alii, legionum primæ, atque vicesimæ hibernis, æstivisque castris hîc à Germanico locatis, jam inde celebrari plurimum famâ cœpisse; majorémque consecutum ex Agrippina Germanici conjuge, quæ prægnans iis in castris relicta, marito & C. Fonteio Capitone Coss. Caiũ Caligulam orbis Romani futurum quandoque Principem, pridie Kalend. Septembris in lucem edidit.

ANNUS CHR. 13. C. Cæsar Caligula natus in Trevirorũ finibus. *Glareanus ad Suet. & Iust. Lips. ad Tac. hec exquisite. Suet. in Calig. cap. 8.*

Qua in re Plinium, Tacitum, omnésque cæteros, quibus pugnare visum cum Suetonio, sequimur autores. Certè aras ibi suo tempore ostensas inscriptasque:

OB AGRIPPINÆ PUERPERIUM

contendit Plinius; ad quem nihil illa Suetonii: Agrippinam bis in ea regione apud Treviros, filias enixam; falsum proinde Plinium, cùm *Puerperii* vox nullum includat discrimen sexus: quasi tam hebetis ingenii explorator fuerit ille totius naturæ diligentissimus, ut quod ex *ara inscriptione* efficere voluit, id unâ *Puerperii* voce duxerit conficiendum, & non universa potius sententia epigrammatis.

Calligulam in Treviris natum Plinius major & Tacitus consentiunt. Tacito suppetiisse copiam actorum publ. multis è locis claret, & calce l. 15 ann. disertè.

Quod verò ad acta, nos remittere Tranquillo placuit; quæ Antii natum loquantur; reclamat haud expers item publicæ fidei Tacitus: *In castris genitus, in contubernio legionum educatus*: reclamat item vulgus, cujus consentiens tum vox, vel Plinio teste:

In castris genitus, patriis nutritus in armis,
Iam designati Principis omen erat.

Neque ipsa Veritas hos unquam compellet versiculos, quod eorum autor incelebris, & incompertus; etenim in proverbiis, aut populi sermonibus, in quibus veritatis vocem persæpè loquentem audimus, quotusquisque rimatur, aut consequitur dicti fontem? quin omnium etiam minimè, id quod pugnat tamen Suetonius, ad partum hunc opus; opinor, quidquam præsentia patris; qui tum ad urbem manens gerebat magistratum; quemadmodum, ne id quidem in Treviris natum redarguit, quod propè bimulus in castra perductus, cùm levatam partu Agrippinam, ad maritum deinde regressam, nihil obstet; iterúmque potuit cum infante rediisse in Germaniam: siquidem, qui res Augusti memoriæ mandarunt; defunctum magistratu Germanicum in Galliam remissum, consentiunt, jam

ANNUS CHR. 14.

CLXIV. Ambitarini situs investigatus.

nato

Ambitarini vocem probè restitutam à Lævino Torrentio firmat M S. Suetonius egregius Trevir. Ecclesiæ. *Sueton. in Caligula c. 8.*

nato Caio. Aperiam deinceps, quid sentiam de vico Ambitarino, cujus ut nomen variè jactatum à multis diversisque scriptoribus, ita sedem situmque prætermissum, minimè mirum est. Ambitarinus ergo vicus à Plinio secundo describitur supra Confluentes in Treviris; nec quicquam præterea relictum ab eodem, ad disquisitionem præsidii. Enimverò Pipini, Magnique Caroli donationum tabulis quiddam proditum memoriâ, quod ad loci positum, indicio non utique spernendo, velut digitum intendit. Ambitarinus quippe vicus, eo tempore B. Martini Ecclesiâ, illic fuisse dicitur illustratus, & situs in pago Magniacensi.

CLXV. Ecclesia B. Martini in Ambitarino. Magniacensis Meginēsis pagus. Monasteriū Meinfeldię.

Meylendt, Meynfeldt prem. de castro S. Nicetii. Adi Venantii Fort. notas.

Hanc porrò Ecclesiam esse constat eam, quæ veteri basilica S. Martini, & post S. Severi titulo, opulentoque clericorum monasterio floruit. Atque eadem cum oppido superstes in Meginensi campo feracissimo, nomen id ipsum, ad hanc usque nostram ætatem tuetur; patrióque vocabulo Meinfeldiæ monasterium dicitur; ubi quoque, vicinis locis frequens Romanæ vetustatis, suppetit argumentum. In Nicetii memoria observavimus à Venantio Fortunato hic alibi Mediolanum poni, allusione fortè vocis Germanicæ, quæ tunc apud Francos obtinuit.

CLXVI. Pagus quis dictus usu veterum.

Pagum autem hic, necesse, capias usu prisco, tractum regionis, quæ licet pagatim incoleretur, inessent vici tamen, & oppida nonnunquam; quomodo Cæsar, cùm scribit oppida fuisse Helvetiorum duodecim, & pagos ad quadringentos, eorum nihilo seciùs agrum in quatuor tribuit pagos, tanquam præfecturas.

Meginensis toparchia.

Quare Treverici agri regionem eam, quæ Meginensis toparchiæ finibus, & Neta fluvio clauditur, à Rhenóque duobus non ampliùs passuum millibus abest, quantum scilicet mutato limite, Agrippinensis diœcesis circum Antonnacum abrasit, equidem Ambitarinum vicum habuisse, tradiderim.

Antonnacū quod & Andrenacum.

CLXVII. *Regin. chron. in An. 877.*

Mari Scot. sub ann. 875.

Ambitarinus & Meginensis pagus fuit Ripuariorum.

Jam verò, quo minùs relictum esset loci erroribus, pagi situm Regino, quem idoneum sui temporis omnes probant autorem, propè absuisse ab Andrenaco castello, testatur disertè; additque Marianus Scotus eidem pago Ripuariæ hæsisse nomen. quo Ripanos, nimirum veteres illos Rheni Mosellæque accolas non opportuniore magis loco potuisse describi, crederes, agri in trigoni speciem inter duo flumina interjacentis; cujus in basi, Magniacum oppidulum sedeat, quod à veteris pagi frequentia nomen retinet; angulus autem extremus is fit, qui juxta Confluentes in Orientem obvertitur.

Magniacū seu Meginense oppidulum vulgo Meyen.

Atque in hunc modum, si quis interpretandum suscipiat Plinium, qui supra Confluentes Ambitarinum describit, haud usquam, meo quidem ductu aberrabit; si quidem viâ directâ nec latum unguem deerrans è Confluentibus per * Ripaniacum, Oichtingenum, Wellingenúmque, feret in ipsum oppidulum Meginense. Ad Rheni verò fluminis ripam nusquam vel nomine tenus Ambitarini vestigium; at neque præter Bonnam, & Antonnacense castellum, inter Agrippinam & Confluentes, qui quidem flumini immineret, proditus item ab antiquis ullus, castris aut stationibus locus. Quare est, ut ad Meginensem tractum recurramus; atque intra limitem, haud magno tamen à ripa intervallo, ea legionum hiberna collocemus, quarum in gremio nutritus atque educatus Caligula.

* Ripaniacū, Rubenach vulgo.

ANNUS CHR. 15.

CLXVIII. Legionum Romanarū ab Augusti morte gravis seditio apud Rhenum.

Germanicus exacto consulatu jam Româ reverterat in castra, sicut ante ostendimus; cùm duobus Sextis Pompeio, & Apuleio Coss. tristis in Germaniam nuncius de excessu Augusti perfertur. Sublati ejus nuncii famâ mirificè legionariorum animi; omniáque ex illa die fluere in deteriùs, ac ad turbas spectare & seditiones cœpere; quæ mala pectoribus inclusa, ac ad eum diem malè pressa, nacto tandem aliunde quod conciperent alimento, ingenti flammâ apud Rhenum exarsère. In Treviris vicinisque Galliis ea tum erat rerum facies, ut cuncta quidem domi Belgæ haberent pacata, Germani tamen, qui trans Rhenum considebant, Varianâ cæde praeferoces, bella fovere pergerent. Romani interim in Legato suo passi sæva, abolendæ magis infamiæ, quàm proferendo trans Rhenum imperio studebant. Quare citra flumen eorum vires & arma potissimùm valebant, stativis fluvio perpetuis ceu limiti prætentis.

Belgicæ status.

Tacit. lib. 1. & Dion. 55.

Tac. l. 4. annal.

CLXIX. Exercitus Germanici robur octo legionum.

Itaque præcipuum Latii robur, per Belgicam secundùm Rheni ripam, commune in Germanos Gallósque subsidium, octo legiones, ita distributæ; ut quatuor Germaniam superiorem, quibus C. Silius Legatus præerat; totidem inferiorem, quas A. Cecina curabat, attinerent. Harum juventus variis & perhonorificis superba titulis cognominibúsque, vel operâ forti in præliis, vel ambitione militari quæsitis, præcipuo sese studio efferebat. Per Tribocos, Nemetes, Vangionas, ac Moguntiacum, qua Rhenus hosticum obtuebatur, dispersæ suis quæque præsidiis. Legio II. Augusta. Legio XII. Gemina, Pia, Fidelis. Legio XIIII. Gemina, Martia, Victrix. Legio XVI. cujus cognomentum excidit: quæ verò Trevirorum fines, Bonnam, Agrippinam, Novesium, Vetera, Geldubam, aliasque inferiores munitiones insidebant, Legio I. Adjutrix. Legio una & vicesima. Legio V. Macedonica. Legio vicesima, Valeria, Victrix; quarum singulæ peditum sena, aut quina millia, trecenosque equites, si non essent accisæ, multo verò minus, interdum sub signis ostentabant.

Legionum per Germaniæ utriusque stativa partitio. *Tac. Dion. Onuph.*

Livius, Polybius.

CLXX. *Leg. XII.*

Q. Briganticus. Jul. Brigāticus.

Legionariorum genus diversum.

Tac. l. 1. Turneb. in adv.

Dion. l. 55.

Tacit. lib. 2.

In Treviris, Collegio Societatis perveteris saxi inscriptione, LEG. XII. cum notis P. M. V X. P. memoriam observavi, cum Q. BRIGANTICI titulo, qui fortè affinis Julio Brigantico Alæ Singularium Equitum Præfecto, quem sorore Claudii Civilis Batavi genitum, celebrat Tacitus. Porrò in his Legionibus complures stipendia faciebant ex iis, quos vi malóque ad militiæ sacramentum adactos, à Variana cæde Augustus ab urbe miserat. Quin exautorati quoque seorsim habebantur sub vexillo; qui militarium operum omnium immunes, honesta scilicet expectabant emeritæ militiæ præmia, in casus nimirum extremos sepositi, paratique, si pugnandum in hostem esset. Accedebant immensa sociorum auxilia, lectissimæ ex Treviris, finitimisque Belgis equitum alæ. Germanicus

CLXXI manicus paulo ante in Gallias ad conventus agendos, cogendaque vectigalia profectus erat; ejus absentia Germaniæ inferioris Emitanci de obitu Augusti, ac novo Tiberii principatu facti certiores, mox rabie ac confundendi omnia licentia, seditionibus castra complere, Tiberium principem abnuere, poscere Germanicum; quin pars eorum missionem flagitare, pars etiam stipendiorum vilitatem, & centurionum sævitiam accusare, multa demum, quæ animo continere nequeunt, voti erat effundere questibus. Neque intra verborum injurias turbulentorum seditio stetit; sed erevit ad cædes centurionum, & militarium magistratuum atrocia funera.

CLXXII. Germanicus horum omnium ignarus, Gallias interim sollicitudinis non expers consistebat; cujus cum erga Tiberium non optimam comperit esse voluntatem, nutantes confirmare, ac omni ope pro patrui imperio niti. Belgarum quoque civitates adire, illasque cũ cæteris non invitas in verba Tiberii adigere.

CLXXIII. At quæ in Treviris hinc à turbulento milite gesta, Tacitus exequitur, scriptor horum temporum bonus atque laudatus: *Audito igitur legionum tumultu, Germanicus raptim profectus obvias extra castra habuit, dejectis in terram oculis velut pœnitentiâ. Postquam vallum iniit dissoni questus audiri cœpere: & quidam prehensa manu ejus per speciem osculandi inseruerunt digitos, ut vacua dentibus ora contingeret, alii curvata senio membra ostendebant. Adsistentem concionem, quia permixta videbatur, discedere in manipulos jubet, sic melius audituros responsum: vexilla præferri, ut id saltem discerneret cohortes, tardè obtemperavêre. Tunc à veneratione Augusti orsus, flexit ad victorias triumphosq; Tiberii, præcipuis laudibus celebrans, quæ apud Germanias illis cum legionibus pulcherrima fecisset. Italiæ inde consensum, Galliarum fidem extollit, nil usquam turbidum aut discors; silentio hæc vel murmure modico audita sunt. Ut seditionem attigit, ubi modestia militaris; ubi veteris disciplinæ decus; quonam Tribunos, quo Centuriones exegissent, rogitans; nudant universi corpora, cicatrices ex vulneribus, verberum notas, exprobrant: mox indiscretis vocibus, pretia vacationum, angustias stipendii, duritiam operum, ac propriis nominibus incusant vallum, fossas, pabuli, materiæ, lignorum adgestus, & si qua alia ex necessitate, aut adversus otium castrorum quærantur. Atrocissimus veteranorum clamor oriebatur, qui tricena, aut supra stipendia numerantes, mederetur fessis, neu mortem in iisdem laboribus, sed finem tam exercitæ militiæ, neque inopem requiem, orabant.*

CLXXIV. *Fuêre etiam, qui legatam à Divo Augusto pecuniam reposcerent, faustis in Germanicum ominibus: & si vellet imperium, promptos ostentavêre. Tum verò quasi scelere contaminaretur, præceps tribunali desiluit; opposuerunt abeunti arma, minitantes ni regrederetur. At ille moriturum potius, quàm fidem exueret clamitans, ferrum à latere diripuit, elatumq; deferebat in pectus, ni proximi prehensam dexteram vi attinuissent. Extrema & conglobata inter se pars concionis, ac vix credibile dictu, quidam singuli propius accedentes, feriret, hortabantur: & miles nomine Calusidius, strictum obtulit gladium, addito, acutiorem esse. Sævum id, malique moris, etiam furentibus visum, ac spatium fuit, quo Cæsar ab amicis in tabernaculum raperetur consultatum ibi de remedio: Etenim nunciabatur parari legatos, qui superiorem exercitum ad causam eandem traherent, destinatum excidio Ubiorum oppidum, imbutasq; prædâ manus in direptionem Galliarum erupturas. Augebat metum gnarus Romanæ seditionis, etsi omitteretur ripa, invasurus hostis. At si auxilia, & socii adversum abscedentes legiones armarentur, civile bellum suscipi, periculosa severitas, flagitiosa largitio, seu nihil militi, seu omnia concederentur in ancipiti Republica. Igitur volutatis inter se rationibus, placitum, ut epistolæ nomine Principis scriberentur, missionem dari vicena stipendia meritis, exauctorari qui sena dena fecissent, ac retineri sub vexillo, ceterorum immunes, nisi propulsandi hostis, legata, quæ petiverant, exsolvi duplicariq;. Sensit miles in tempus conficta, statimq; flagitavit. missio per tribunos maturatur, largitio differebatur in hiberna *cujusque. non abscessere quintani, unaetvicesimaniq;, donec iisdem in æstivis contracta ex viatico amicorum ipsiusq; Cæsaris pecunia, persolveretur.* *al. cujusque.

CLXXV. *Primam ac vicesimam legiones Cæcina legatus in civitatem Ubiorum reduxit, turpi agmine, cùm fisci de Imperatore rapti inter signa, interq; aquilas veherentur. Germanicus superiorem ad exercitum profectus, secundam & tertiam decimam, & sextam decimam legiones, nihil cunctatus, sacramento adigit. Quartadecimani paulùm dubitaverant, pecunia & missio quamvis non flagitantibus oblata est.*

At in Chaucis, cœptavêre seditionem præsidium agitantes vexillarii discordium legionum, & præsenti duorum militum supplicio paulum repressi sunt. Iusserat id Mennius castrorum Præfectus, bono magis exemplo, quàm concesso jure. deinde intumescente motu, profugus repertusq;, postquam intuta latebra, præsidium ab audacia mutuatur. Non Præfectum ab iis, sed Germanicum ducem, sed Tiberium Imperatorem violari: simul exterritis, qui obstiterant, raptum vexillum ad ripam vertit, & si quis agmine decessisset, pro desertore fore clamitans, reduxit in hiberna turbidos, & nihil ausos.

CLXXVI. *Interea legati ab senatu egressi, jam apud aram Ubiorum Germanicum adeunt. Duæ ibi legiones prima atque vicesima, veteraniq; nuper missi sub vexillo hiemabant. Pavidos & conscientiâ vecordes intrat metus, venisse patrum jussu qui irrita facerent, quæ per seditionem expresserant, utq; mos vulgo quamvis falsis verum subdere, Munatium Plancum consulatu functum, Principem legationis, autorem senatusconsulti incusant: & nocte concubia, vexillum in domo Germanici situm flagitare occipiunt; concursuq; ad januam facto, moliuntur fores: extractum cubili Cæsarem, tradere vexillum, intento mortis metu subigunt. mox vagi per vias, obvios habuêre Legatos, auditâ consternatione ad Germanicum tendentes: ingerunt contumelias, cædem parant, Planco maximè, quem dignitas fugâ impediverat, neque aliud periclitanti subsidium, quàm castra primæ legionis, illic signa & aquilam amplexus, religione sese tutabatur; ac ni aquilifer Calpurnius vim extremam arcuisset, rarum etiam inter hostes Legatus populi Romani Romanis in castris, sanguine suo altaria Deûm commaculavisset. Luce demum postquam dux & miles &*

Digitized by Google

facta noscebantur, ingressus castra Germanicus, perduci ad se Plancum imperat, recipitq́; in tribunal. Tum fatalem increpans rabiem, neque militum, sed Deûm irâ resurgere, cur venerint legati, aperit; jus legationis, atque ipsius Planci gravem & immeritum casum simul quantùm dedecoris adierit legio, facunde miseratur: attonitâq́; magis quàm quietâ concione, legatos præsidio auxiliarium equitum dimittit. Eo in metu arguere Germanicum omnes, quòd non ad superiorem exercitum pergeret, ubi obsequia & contra rebelles auxilium. Satis superq́; missione & pecuniâ, & mollibus consultis peccatum: vel si vilis ipsi salus, cur filium parvulum, cur gravidam conjugem inter furentes, & omnis humani juris violatores haberet? illos saltem avo & Republicæ redderet.

CLXXVII. Agrippina uxor Germanici in Treviros vadit.

Diu cunctatus, aspernantem uxorem, cùm se Divo Augusto ortam, neque degenerem ad pericula testaretur, postremò uterum ejus, & communem filium multo cum fletu complexus, ut abiret, perpulit. Incedebat muliebre & miserabile agmen, profuga ducis uxor, parvulum sinu filium gerens, lamentantes circum amicorum conjuges, quæ simul trahebantur: nec minùs tristes, qui manebant. Non florentis Cæsaris, neque suis in castris, sed velut in urbe victa facies, gemitusq́; ac planctus etiam militum aures, oraq́; advertere. Progrediuntur contubernii, quis ille flebilis sonus? quod tam triste? fœminas illustres, non centurionem ad tutelam, non militem, nihil imperatoriæ uxoris, aut comitatus soliti, pergere ad Treviros & externæ fidei. Pudor inde & miseratio, & patris Agrippæ, Augusti avi memoria, socer Drusus, ipsa insigni fœcunditate, præclara pudicitiâ.

CLXXVIII Caligula in castris genitus.

Iam infans in castris genitus, in contubernio legionum eductus, quem militari vocabulo Caligulam appellabant, quia plerumque ad concilianda vulgi studia, eo tegmine pedum induebatur. Sed nihil æquè flexit, quàm invidia in Treviros: orant, obsistunt, rediret, maneret: pars Agrippinæ occursantes, plurimi ad Germanicum regressi; isq́;, ut erat recens dolore & irâ apud circumfusos ita cœpit.

Germanici ad seditiosum militem oratio.

Non mihi uxor aut filius, patre & Republ. cariores sunt: sed illum quidem sua majestas, imperium Romanum cæteri exercitus defendent, conjugem & liberos meos, quos pro gloria vestra libens ad exitium offerrem, nunc procul à furentibus submoveo: ut quidquid istuc sceleris imminet, meo tantum sanguine pietur: neve occisus Augusti pronepos, interfecta Tiberii nurus, nocentiores vos faciat. Quid enim per hos dies mansum intemeratúmve vobis? quod nomen huic cœtui dabo? militésne appellem, qui filium Imperatoris vestri, vallo & armis circumsedistis? an cives, quibus tam projecta senatus authoritas? hostium quoque jus, & sacra legationis, & fas gentium rupistis. Divus Iulius seditionem exercitus verbo uno compescuit, Quirites vocando, qui sacramentum ejus detrectabant. Divus Augustus, vultu & aspectu Actiacas legiones exterruit, nos ut nondum eosdem, ita ex illis ortos, si Hispania Syriæve miles aspernaretur, tamen mirum & indignum erat: Primáne & Vicesima legiones, illa signis à Tiberio acceptis, tu tot præliorum socia, tot præmiis aucta, egregiam duci vestro gratiam refertis? hanc ego nuncium Patri, læta omnia aliis è provinciis audienti, feram: ipsius tyrones, ipsius veteranos, non missione, non pecuniâ satiatos? hîc tantùm interfici centuriones, ejici tribunos, includi legatos: infecta sanguine castra, flumina? meq́; precariam animam inter infensos trahere: cur enim primo concionis die, ferrum illud, quod pectori meo infigere parabam, detraxistis? O improvidi amici! melius & amantiùs ille, qui gladium offerebat. cecidissem certè, nondum tot flagitiorum exercitui meo conscius, legissetis ducem, qui meam quidem mortem impunitam sineret, Vari tamen & trium legionum ulcisceretur. Neque enim, dii sinant, ut Belgarum, quanquam offerentium, decus istud, & claritudo sit, subvenisse Romano nomini, compressisse Germaniæ populos. Tua, Dive Auguste, cælo recepta mens, tua, pater Druse, imago, tui memoria, iisdem istis cum militibus, quos jam pudor & gloria intrat, eluant hanc maculam, irasq́; civiles in exitium hostibus vertant. Vos quoque quorum alia nunc ora, alia pectora contueor, si legatos senatui, obsequium imperatori, si mihi conjugem & filium redditis, discedite à contactu, ac dividite turbidos. id stabile ad pœnitentiam, id fides vinculum erit. Supplices ad hæc, & vera exprobrari fatentes, orabant, puniret noxios, ignosceret lapsis, & duceret in hostem: revocaretur conjux, rediret legionum alumnus, neve obses Gallis traderetur. Reditum Agrippinæ excusavit ob imminentem partum, & hiemem, venturum filium, cætera ipsi exsequerentur.

CLXXIX. Belgas Trevirosque vicinos arma Germanico studiaque sua obtulisse apparet.

CLXXX. Legionum seditio multorum suppliciis expiatur.

*Discurrunt mutati; & seditiosissimum quemque vinctos trahunt ad Legatum legionis primæ C. Cetronium: qui judicium & pœnas de singulis in hunc modum exercuit. Stabant pro concione legiones, destrictis gladiis: reus in suggestu per tribunum ostendebatur: si nocentem acclamaverant, præceps datus trucidabatur, & gaudebat cædibus miles, tanquam semet absolveret. nec Cæsar arcebat, quando nullo ipsius jussu, penes eosdem sævitia facti & invidia erat. Secuti exemplum veterani, haud multò post in Rhætiam mittuntur, specie defendendæ Provinciæ ob imminenteis Suevos; cæterùm, ut avellerentur castris, trucibus adhuc, non minùs asperitate remedii, quàm sceleris memoriâ. Centurionatum inde * egit, citatus ab Imperatore, nomen, ordinem, patriam, numerum stipendiorum, quæ strenuè in præliis fecisset, & cui erant donaria militaria edebat. si tribuni, si legio industriam innocentiamq́; approbaverant, retinebat ordines: ubi avaritiam, aut crudelitatem consensu objectavissent, solvebatur militia.*

Veterani in Rhætiam amandati.

* legit.

CLXXXI. Vetera castra pago Breytheim supra oppidum Sanctorum. Strob. Pegh. in Herc. Prodro.

Hinc itum ad Vetera castra, quæ paulo supra Trajanæ Coloniæ sedem, quæ nunc à Sanctis nomen gerit. Hic mutuo cruore, ac cædibus miles ad perniciem suam insaniens, concordiam & pacem furore reddidit; quâ constitutâ, religionis eximendæ, trans Rhenum in hostem illico ductus. Brevi apparuit incertam victoriæ possessionem infestissimo bello mutatam. Et Germanico animus memor acceptæ nuper ignominiæ stimulator aderat: quamobrem intimos Germaniæ calles aperiendo, & naturâ situs difficiles aditu saltus, ad vicos adiit * Marsorum, quos Cauchis & Frisiis proximos ponit Plinius; hostem verò repentinâ partim incursione, cum ingenti hominum ac pecorum strage; nec opinantem cecidit; partim justâ congressum fudit acie.

Germanici expeditio in Germanos

* Plin. l. 4. Natur. Marsati.

ANNUS CHR. 16.

Anno propiore, qui Coss. habuit Drusum Cæsarem, & C. Norbanum, infesta iterum circum-

CLXXXII. Catti armis vexati. Mattium oppidum in Cattis. Bructeri quoque bellu sensere.

circumlata adeoque improvisa circa Cattorum agros populatio, excisa Mattio principe gentis urbe. Ductum præterea Romanum agmen ad ultimos Bructerorum, quantúmque Amisiam & Lupiam prænobiles Westphaliæ regionis amnes inter vastatum. Haud procul inde Teutoburgiensi saltu insepultæ vagæque cæsi exercitus reliquiæ, & albentia ossa collecta, conditáque; nec non gratissimo munere in defunctos, cespitibus erectus ibi tumulus. Nec longum; mox ultrix ira vertit in Arminium Varianæ cædis conscium, autorem belli atque perfectorem; sed irrita, locorum iniquitate; Romanis ancipiti, dubióque eventu, plurima circum mortis specie, è Cheruscorum paludibus; cæcaque voragine subsidentis infirmi soli, vix eluctantibus. Dum hæc in Cheruscis populis ad Albim extimis geruntur, interea longè latéque fama increbuerat, exercitum ab hoste circumventum teneri, auxiliorum spe undique intercisa, & infesto Germanorum agmine peti Gallias. Etenim Cæcinnæ legati copiæ prælio cum Arminio facto secundo quidem, at non incruento, laceræ, nudæ undique tentabant exitum; neque antiquior ulla cura, quàm ut in tutiora enisi, notum reviserent limitem. Hærebat per eos dies cum pignoribus suis adhuc Treviris, Agrippina. Pons autem, quem Germanicus utriusque committendæ ripæ apud Treviros fabricandum jusserat, explicato jam tum opere, viam commeantibus dabat. Quippe Strabonis hæc maximè tempora literis suis illustrantis, verba sunt: *apud Treviros pontem effectum ab iis, qui Germanicum illa ætate bellum administrabant.* Ergo, sicut dixi, cùm oppressi in Germania exercitus terror pavorque Galliam vicinam concussisset, fuere in Treviris, qui pontem præproperè rescindendum suaderent, ne dissipatis ac territis instans hostis, unà cum Romanis transito limite, in Belgicam irrumperet; ausique flagitium id erant, ni Agrippina solvi prohibuisset. Quare femina ingens animi, munia Ducis per eos dies induit, militibúsque ut quis inops, aut saucius, vestem & fomenta delargita est. Tradit C. Plinius Germanicorum bellorum scriptor, stetisse apud principium pontis laudes & grates reversis legionibus habentem. Id Tiberii animum altius penetravit; non enim simplices eas curas, nec adversus externos militem quæri: nihil relictum Imperatoribus, ubi femina manipulos intervisat, signa adeat, largitionem tentet, tanquam parùm ambitiosè filium ducis, regali habitu circumferat, Cæsarémque Caligulam appellari velit: potiorem jam apud exercitus Agrippinam, quàm legatos, quàm duces, compressam à muliere seditionem, cui nomen Principis obsistere non quiverit.

Varianæ cladis reliquiæ.

Cherusci populi quo situ.

Romani confirmantur in Treviris ab Agrippina Germanici conjuge.

Pons Rheno impositus apud Trevir.

Strabo Cosmograph. l. 4.

CLXXXIII Pontis rescindendi consilium Agrippina discutit.

Tac. l. 1. annal.

CLXXXIV. Germanicus redit ad Ubiorum civitatem.

Germanicus eodem anno, explorato Germanici maris litore, non modicis acceptis ex naufragio incommodis, ad Rhenum reversus est. Cumque in reditu ad Ubiorum civitatem divertisset, ultrò citróque legationes ad eum convenère, supplementa in exercitum, & cætera id genus obsequia, promptè ac liberaliter jussu injussúque deferentes. Decreta quoque A. Cæcinnæ, L. Apronio, C. Silio triumphalia insignia, ob res cum Germanico fortiter ac prosperè gestas.

Annus, qui consecutus est, in maximis Orientis, rebellante Partho, motibus fuit: veritus proinde Germanicus, ne bellorum istorum occasione, rigidis adhuc ad patiendum imperium Germaniæ cervicibus abstractus, è medio velut honoris spatio raperetur; novo in bellum Germanicum impetu prosilit. Ipse, quo ne distrahatur, P. Vitellium & Cantium ad census interea Galliarum dimittit; hinc per Drusianas fossas, quæ tribus circiter passuum millibus supra Arenacum Geldriæ ex Rheno perductæ, fluxu contrario propè Drusoburgum deferuntur in Isalam, navibus subit Oceanum. Prætervectus Frisiam, totam Germaniæ oram, maritimum quoque terrorem admovens, crebris à tergo irruptionibus ambire, & infestam habere, eodémque impetu Cattos, Cheruscos, aliásque feras & indomitas gentes, ad Albim usque progressus lacessere, & imperiis juxta præliisque fatigare. Cæterùm Tiberio hæc omnia ingrata perinde, atque invisa accidere; ut cui nihil æquè suspectum, ac Germanici esset felicitas. Quamobrem callidè fecit, ut frequentibus illum nunciis, ab affecto veriùs quam parato jam bello abduceret; fictisque legionibus direptum, dolo simul & casibus objectaret. Germanicus, etsi intelligebat præclarè, quò Tiberii cogitationes atque consilia nempè spectarent, ne jussa tamen videretur diri & violenti Principis detrectasse, rebus omnibus ad iter comparatis, hieme præcipiti Treviris ac Rheno relictis, Romam profectus est. Ubi faustis populi acclamationibus ac omnium ordinum gratulatione exceptus, triumphum de Germanis egit: statimque Tiberii fraude ad res inspiciendas Orientis, expulsus est. Quia verò omnibus suis expeditionibus & Trevirum auxiliaribus alis, cohortibusque, & potentium civium opportunis ad cuncta belli subsidiis usus est, hæc de multis pauca miscuisse nostris rebus, queri mecum nemo debet.

ANNUS CHR. 17. Tacit. ann. l. 2.

CLXXXV. Germanici nova expeditio in ultimam Germaniam.

Fossæ Drusianæ navigatæ à Germanico, & earum situs. Arenacum Drusoburgum, hodie Duisburg.

Tacit. an. l. 2.

Invidia Tiberii Germanicus abstractus à bello.

Germanicus Tiberii jussu Belgicam Germaniamque deserit.

C. Silio deinde post abitum Germanici, exercitus limitaneus creditur. Drusus autem, Tiberii filius, ut cui Germanici militiæ navitas hactenus desudasset, ipsi dein Germanico, summa cum potestate subrogatus. Is in Illyricum principio missus, inde Germanorum inter se dissidentium tumultu mox excitus, pacem apud eos, interposita autoritate sua, constituit. Annus à Christo nascente vigesimus luctum ingentem mœrorémque Belgicis attulit, Germanicisque exercitibus, nunciatâ Germanici morte; quam ille in Syria Antiochiæ M. Junio ac L. Norbano Coss. annum agens quartum & trigesimum, non sine suspicione veneni oppetierat.

CLXXXVI C. Silius pro Germanico exercitui Belg. & Ger. Præfectus.

ANNUS CHR. 18. Drusus Tiberii filius Germanico suffectus.

ANNUS CHR. 20. Tacit. lib. 2. Suet. in Tib. cap. 39. & 52. & in Calig. cap. 1. Germanici mors luctuosa.

ANNUS CHR. 21.

Ejus indoluisse funeri constat exteras nationes; tanta illi comitas in socios, tanta mansuetudo in hostes, visu & auditu juxta venerabili. Nec reticent laudati scriptores, arcus excitatos memoriæ defuncti, apud ripam Rheni fluminis; quo autem ereptus est vitâ die, lapidata templa, subversas Deûm aras, lares à quibusdam familiares in publicum abjectos, partus conjugum expositos. Quin & barbaros, quibus intestinum, quibúsque adversus Romanos bellum, velut in domestico, communique mœrore, consensisse ad inducias. Regulos etiam quosdam barbam posuisse, &

CLXXXVII. Germanico defuncto Arcus erecti apud Rhenum.

uxorum capita rasisse ad indicium maximi luctus. Et tam acre desiderium virtutis in omnium generum animis valescere potuit, radice nec firmâ, nec ubique verâ, subnixæ.

Triumphus Germanici ob signa Vari recepta, vel Marsis … victos.

Ejus in Treviris veteres numi effodiuntur, triumphales; & nescio an ejus indices victoriæ ac triumphi, quem II. Annalium Tacitus ingenti præconio extulit, cùm, C. Cœlio, L. Pomponio Coss. triumphasse scribit de Cheruscis, Chattisque, & Angrivariis. Et quoad literarum ductus inversâ parte numismatis legebam: SIGNIS VICTIS. quod, si mendo caret, interpretationem accipit ex Tacito, qui ob RECEPTA SIGNA CUM VARO AMISSA, ductu Germanici, auspiciis Tiberii, ibidem scribit arcum propter ædem Saturni, dicatum.

CLXXXVIII.

ANNUS CHR. 22. Treveri & Ædui ad bellum cõsurgunt.

Tacit. l. 3. an.

Deinceps tranquillitas apud limitem, vicinosque Treviros; donec Tiberio quartum, Drusoque iterum Coss. perpetuâ septennii ferè pace, Trevirûm Æduorumque motus, velut sereno cœlo subiti quidam turbines, intercurrere; quorum cùm caussas atque eventus diligenter juxta atque eleganter edisserat Tacitus, nihil habeo caussæ, cur ipsius aureis, mea scilicet plumbea post'u'em anteponi. Eodem igitur anno, quem expressimus, à salute nimirum exorta vicesimo secundo, Galliarum civitates ob magnitudinem æris alieni rebellionem cœptavêre: cujus exstimulator acerrimus inter Treviros Julius Florus, apud Æduos Julius Sacrovir. Nobilitas ambobus, & majorum bona facta, eoque Romana civitas olim data, cùm id rarum, nec nisi virtuti pretium esset. Ii secretis colloquiis ferocissimo quoque adsumpto, aut quibus ob egestatem, ac metum ex flagitiis, maxima peccandi necessitudo, componunt, Florus Belgas, Sacrovir propiores Gallos concire. Igitur per conciliabula, & cœtus, seditiosa disserebant, de continuatione tributorum, gravitate fœnoris, sævitiâ ac superbiâ Præsidentium: & discordare militem, audito Germanici exitio: egregium resumendæ libertati tempus, si ipsi florentes, quàm inops Italia, quàm imbellis urbana plebs, nihil validum in exercitibus, nisi quod externum, cogitarent. Haud fermè ulla civitas intacta, seminibus ejus motus fuit. Sed erupêre primi Andegavi ac Turonii. quorum Andegavos Acilius Aviola Legatus, excitâ cohorte, quæ Lugduni præsidium agitabat, coërcuit. Turonii legionario milite, quem Visellius Varro inferioris Germaniæ Legatus miserat, oppressi, eodem Aviola duce, & quibusdam Galliarum primoribus: qui tulêre auxilium, quò dissimularent defectionem, magisque in tempore efferrent. Spectatus & Sacrovir intecto capite pugnam pro Romanis ciens, ostentandæ, ut ferebat, virtutis; sed captivi, ne incesseretur telis, agnoscendum se præbuisse, arguebant. Consultus super eo Tiberius, aspernatus est indicium, aluitque dubitatione bellum. Interim Florus insistere destinatis, pellicere alam equitum, quæ conscripta Treviris militia disciplinâque Romana habebatur, ut cæsis negotiatoribus Romanis, bellum inciperet; paucisque equitum corruptis, plures in officio mansêre. Aliud vulgus obæratorum, aut clientium arma cepit: petebantque saltus, quibus nomen Arduenna, cùm legiones utroque ab exercitu, quas Visellius & C. Silius adversis itineribus, objecerant, arcuerunt; præmissusque cum delecta manu Julius Indus ortus è civitate Treverica, discors Floro, & ob id navandæ operæ avidior, inconditam multitudinem adhuc disjecit. Florus incertis latebris victores frustratus, postremo visis militibus, qui effugia insederant, sua manu cecidit. Isque Treverici tumultus finis. Porrò conatibus Trevirûm, non magis Romanis quàm Trevericis armis oppressis, haud paulò plus Ædui exhibuêre negotii, quorum civitas amplior, & à quibus longius remotus legionum terror. Neque præteriero hic, etsi olim à me laudatam, singularem alæ Trevirorum equitum fortitudinem. quæ ad vastandos Sequanorum fines, cum reliquis copiis à C. Silio Legato educta, & carpere prima viarum jussa, cùm obvios paratosque ad pugnam habuisset Sequanos, paucis adjuvantibus turmis, una ante alias fortissimè dimicans, disjecit hostem, & coëgit vertere terga. Cujus quidem commemoratione virtutis, mox Silius adversus Æduos in acie concionabundus, ita suorum animos accendit, ut adnitentibus item Treviris, prælio ingenti fuso Sacroviro & ad mortem adacto, minimè dubiam victoriam reportarit, triumphalia mox ornamenta à Tiberio ob rem benè gestam consecutus. Tetigit hoc bellum assentatione erga Tiberium imbutus plusquam servili Velleius: *Quantæ*, inquit, *molis bellum, principe Galliarum ciente Sacroviro, Floroq; Iulio, mirâ celeritate ac virtute compressit: ut ante populus Romanus vicisse se quàm bellare cognosceret; nunciosq; periculi, victoriæ præcederet nuncius?*

Julius Florus dux Trevericus.

Treviri & Ædui ob quas causas Romanorum jugum conati excutere.

Andegavi & Turonii, principes seditionem arripiunt, & mox coercentur. Visellius Varro inferioris Germaniæ Legatus.

CLXXXIX.

Ala equitũ Trev. Rom. disciplina. Negotiatores Romani Treviris vivunt.

Julius Indus dux Trevericus.

Jul. Florus Trevir. sibi necem conscivit.

Alæ Trevericæ fortitudo contra Sequanos pugnantis.

Tacit. lib. 4.

Vellei fœda adulatio.

ANNUS CHR. 25. usque ad 29 Tac. l. 4. an.

CLXXXX. C. Silius Legatus, Tiberii violentia oppressus.

Biennium hinc effluxerat, cùm Tiberius, quæ extrema erat, & atrox hominis sævitia, mercedem C. Silio Legato ingentis hic exercitus septem per annos moderatori, crudelem sanè, se ínec iniquam merenti persolvit. Premebat Legatum cum amicitia Germanici, cujus famâ gloriâque surgente mirificè Tiberius semper se oblectarat, tum intemperantia quoque jactantis immodicè suum militem in officio mansisse, turbantibus aliis atque seditione castra complentibus; neque mansurum Tiberio imperium, si iis quoque legionibus, per eadem gradi vestigia contigisset. Ipse igitur Silius, odio Sejani, qui homo Romanæ Reipubl. natus erat exitio, Varrone consule, crimen inferente, reus majestatis ac repetundarum peractus, certus damnationis ac pœnæ, mortem in se festinavit manibus ultro sibi allatis. Inde L. Apronius, qui Africam nuper obtinuerat, inferioris Germaniæ Proprætor designatus. Hic Frisiis, ob tributa duriter impera-

L. Apronius Germaniæ inferioris Legatus.

ANNUS CHR. 29. ad 33.

ta, & maligne exacta rebellantibus bellum fecit, Julio Silano, & Silio Nerva Coss. & exercitum hinc accersitum, cum equitum auxiliarium, peditúmque delecta manu, trans Rhenum deportavit, duxítque in Frisios. Horum æstuaria, & cæca vada aggeribus & pontibus injectis, cùm ipse trajicit, magnis acceptis detrimentis, abcedere retro cum ignominiâ & clade suorum, denique coactus est; dissimulante interim Tiberio damna, ne cui bellum permitteret; quanquam multi tribunorum, præfectorúmque & insignes centuriones cecidissent.

L. Apronii in Frisios infelix expeditio.

CLXXXXI

Annus labebatur imperii Tiberiani duodevigesimus, cùm Cn. Domitio Ahenobarbo & * Vitellio Nepote Coss. CHRISTUS JESUS annos jam natus triginta tres, ipsósque tres menses, neque enim à communi atque recepta temporum traditione visum est in præsentia desciscere: Salus atque Liberator humani generis, æterni Sacerdotis functurus munere, Isaaci prototypon secutus, Signum illud suum triumphale, in editum Calvariæ montem extulit: atque atrociter ibi suffixus, victima pariter atque Sacerdos, pro salute humani generis medius latronum in Cruce pependit: sacrosancto suo sanguine, obstructa patefaciens mortalibus ad eam diem æternitatis atria.

* Furio Camillo vel Camillo Scriboniano

ANNUS CHR. 33.

CHRISTI D. N. Passio

Neque posthac Tiberio diuturna vita fuit; qui Cn. Proculo & Pontio Nigrino gerentibus Consulatum, quinto circiter post Christi passionem anno, deseruit humana, successorem nactus C. Caligulam; Germanici filium, ut in quo indolis paternæ prorsus nihil; animi labe, ferociâ scelerum, & stolidâ vecordiâ juxta despiciendum. Damnatâ matre, fratribus in exilium abjectis, cùm Tiberium tumpiter adulatus, nullam indicem tristitiæ atque caritatis vocem unquam misisset, Passieni oratoris opportuno sermone vapulavit: *Caligulâ neque meliorem unquam servum, neque deteriorem dominum fuisse.* Tiberius verò extremis imperii annis, Reipubl. quidem curam usque adeò abjecisse proditur, ut non Provinciarum Præsides ullos mutârit; Armeniam à Parthis occupari, Mœsiam à Dacis Sarmatisque, Gallias nostras à Germanis vastari neglexerit; pari juxta aspernatione communis salutis, atque privato nominis sui dedecore. Galliarum item Principes nonnullos ab eo constat, adjectis eorum in publicum bonis, vehementer afflictos, tam levi atque inepto calumniarum genere, ut quod partem rei familiaris haberent in pecunia, id scilicet exitio quibusdam fuerit. Sed, ut in illa vitiorum tam uberi segete, quiddam felicis etiam internatum herbæ agnosceres; de Christo in Deorum reponendo numero retulisse ad Senatum, cum prærogativa suffragii, testis est Tertullianus; Senatum, quia non sponte sua probasset id ante, ejus respuisse vocem: Cæsarem autem usque eo mansisse in sententia, ut comminatus etiam periculum sit accusatoribus Christianorum; in quibus Seianum fuisse docet Orosius; qui Christianæ religioni tanquam peregrinæ obstinatissimè contradicens, hujus peræquè delicti atque aliorum gravissimorum in Rempubl. scelerum, feras quidem, at dignas meritásque pœnas Tiberii jussu tan-

ANNUS CHR. 38. Tac. l. 6. annal.

CLXXXXII. Proculo Coss. subsistitur Cn. Acerronius. Tiberius excedit. C. CÆSAR CALIGULA IMP. regit an. 3. m. 10. d. 8.

C. Caligulæ ingenium. Tac. an. l. 6.

Suet. 41. in Tib. Tiberii desinés principatus iners & cruentus.

Galliæ à Germanis vastatæ sub Tiberio.

Galliæ Proceres ab eodem afflicti.

CLXXXXIII.

CHRISTI consecrationem flagitat Tiberius. Tert. in apologet.

Sejanus Christianorum hostis. l. 7. c. 4.

dem expendit. Neque non Tiberium eâ re de Gallis benè meruisse putes, quod primus ille Druidum nefandam profligare superstitionem, & Galliarum exterminare finibus ad suas item pertinere curas arbitratus sit. Plinii id cùm primis testimonio elucet perdiserto: *Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso Coss. Senatusconsultum factum, ne homo immolaretur; palámque in tempus illud, sacra prodigiosa celebrata. Et magicam vanitatem Gallias utique possedisse, & quidem ad suam usque memoriam. Námque Tiberii Cæsaris principatum sustulisse tandem Druidas eorum, & hoc genus vatum, medicorúmque.* At verò, neque sic omnes eliæ perniciosi mali stirpes, quin successoribus funditus abolendæ pesti remediorum pars nonnulla relicta sit. C. Cæsar inter hæc molis tam immensæ non capax, moderationis, clementiæ, atque bonarum artium omne magisterium exuere; dein velut immanis & indomita quædam fera, soluta vinculis, per omnia crudelitatis & avaritiæ exempla teter & immitis agere.

Tiberius Druidum religionem dissipat

Lib. 30. c. 1.

Homines immolari à Romanis vetitum.

Caligulæ imperium cujusmodi extiterit.

Anno igitur tertio principatûs, adesis jam & haustis Italiæ opibus cum luxu ac sumptuum magnitudine prodigorum nemini concedit, nullis jam ærariis & vectigalibus idoneis ad profundam illam & insanam margaritarum mensarúmque voraginem explendam, ad Gallias verbo constituendas, re compilandas vertit animum. Et, quò in speciem fallat, expeditionem Germanicam sumit obtentui. Raptim igitur habito delectu, copias equitatûs & peditatûs in Galliam deportat: nec sine mimorum, saltatorúmque, ornatu instructuque. Ubi ad Rhenum perventum, ecce tibi novus Hercules, aut Alexander, innatâ stoliditate, Oceanum oppugnari jubet, & mox Côchylia legi à victoribus, spolia enim hæc Oceani, Capitolio Palatioque deberi.

ANNUS CHR. 40. Tacit. hist. muttilus & defectus.

CLXXXXIV. Caligula rapinarum causâ venit in Gallias.

ANNUS CHR. 41. Suet. cap. 46. Dion. 59.

Caligula stolido incepto Oceanū oppugnat. Tac. de Germ.

Atque hæ nimirum illæ Caii brutæ minæ, quas Tacitus, aiebat, in ludibrium versas. Jam verò, hujus portenti vide maleficia in Galliarum Provincias. Lentulum Getulicum virum cùm aliis rebus spectatum, tum administratâ per decennium Germaniâ, quòd militum voluntates bonis artibus sibi conciliasset, occidi imperavit. Aleatoriam subinde in Galliis factitans, cùm intelligit deesse, quam conferret in medium pecuniam, jubet exhiberi Gallicorum censuum indices; atque hic bellus aleator, locupletissimis, quos visum & luberet, ad necem destinatis, mox percussores mittit: inde reversus ad aleam, ipse ad collusores scurrili sale: Paucos ipsos ludere denarios; at se jam nunc ad sexies millies confecisse sestertiûm; ceu coëgisse momento diceret aureorum centies quinquagies centena millia. Aut certè immane, quàm pollens opibus Gallia; aut verò immensum, quod exorbuit sanguinis, vecors & insatiabilis illa Romani orbis hirudo. Neque hic sævitiæ aut ferocitatis in Gallorum proceres modus.

CLXXXXV. Dion. 59. Sueton.

Lentulus Getulicus Germaniæ Legatus à Caligula perditur.

Caligula perditus aleator.

In proceres Galliæ grassatur cædibus, rapinis.

Cùm enim, hoste nullo viso, nedum subjugato cæsóque paratur triumphus, sentitque deesse adparatum: mox Galliarum procerissimum quemque, & eâ pompâ dignissimum; nonnullos etiam ex Principibus ad triumphi ornamenta seponit. Et quo promptiùs oculos, & judicia civium fallat, non tantùm rutilare

CLXXXXVI. Suet. in Caligula.

Anticos sociosq; Gallos, quin & cives triumphat.

tilare & submittere comam, sed & sermonem Germanicum addiscere, & nomina barbarica ferre cogit. Illud fortè ad Treviros etiam pertinet. Priusquam è Belgica decederet, incessit libido puerilibus ad memoriam revocatis odiis, ulciscendi se; trucidandique legiones, quæ post excessum Augusti in Treviris quondam turbas dedissent, patremque Germanicum, & se infantem impunè tunc quidem obsedissent, & matrem insuper huc extrusissent. Vix ab hoc consilio revocari potuit; cùm etiam præcipiti amentiâ, decumare militem velle, perseveravit. Vocatis itaque ad concionem inermibus, ubi equitatum paulatim circumfundi; & a tergo manum attolli sentiunt, serò demum, quid secum ageretur animadverso, ad resumenda, si qua vis fieret, arma, mox consurgunt.

Consilium capit trucidandarum legionum.

CLXXXVII.

Trepidus Romam repetit.

Caligulæ interitus.

Atque Caligula patefactum cernens nefarium consilium, turpissimâ fugâ concionem deserens, inde, Gallis relictis, in urbem abiit. Nec inviso capiti cœlo, terræque, longior vita, Numine providente, contigit, cujus ille divinos honores per summum scelus & amentiam temerârat. Cecidit ergo suorum gladiis; & Præfectorum prætorii conspiratione, crudelem in modum necatus est, cùm annis tantùm vixisset undetriginta, triennium verò, mensesque decem & octo dies, imperâsset.

ANNUS. CHR. 42. Claudius Imp. regn. an. 3. m. 8. d. 20.

CLXXXVIII. Claudius Imperator ingenio vecordi.

Post hunc Claudius Drusi filius, imperium cœpit; natus Lugduni in Gallia. Is legatione pro senatu quondam in Germania perfunctus, parum abfuit, quin Caii sævitiâ periret; profuit amentia simulata, & par vecordia; cujus in omni vita documenta non rara Princeps ille dedit. Adeo dissimilis tum erat sibi Roma, ut qua ex urbe tanquam sapientiæ sede populi atque Provinciæ terrarum petere jura, responsaquo solerét, in hac fatuitas atque stultitia sedem id temporis sibi collocasse viderentur. Sed nimirum alius, Christo duce, huic nocti parabatur Phœbus; cujus nempè radiis atque splendore illustratæ, quotquot ab Oriente ad Occidentem colerent gentes, in admirabilem brevi quandam emergerent divinæ sapientiæ & religionis veræ lucem. Per id tempus exercitus Germaniæ administrabant Sulpitius Galba, & P. Gabinius; Galliam verò Laco procurabat; quem postea consulari dignitate Cæsar honestavit.

Laco Gall. Præfectus.

ANNUS CHR. 48. Dion. Tacit. Annal. l. 11.

CLXXXIX. Domitius Corbulo Belg. Præf. Tacitus l. 16. cap. 1. Chauci navibus Galliã infestant.

Annus à Deiparæ partu octavus aderat supra quadragesimum, cùm Domitius Corbulo res in Provincia Belgica memorandas gessit. Chauci gens transrhenana, quam infelicissimam in Septentrionali Oceani sabuletis describit Plinius, duce Gannasco, Germaniam inferiorem, rebus a bello tranquillis, incursare, sensimque progressi longiùs classe Gallicam oram prædabundi circumvecti, propiùs terrorem inferre. Corbulo, Provinciam ingressus ut vim hanc arceat, triremibus, aliisque navigiorum minorum adparatu, Rhenum secundo flumine descendit; ac classe ad eum locum, ubi hostem restitisse cognoverat, profectus; simul in eorum se conspectum dedit, acre commissum est certamen: quo superiores Romani lintribus barbarorũ depressis, ipsum coëgere Gannascum inclinata re, desilire in scapham, ac fluminis alveo simul excedere. Hinc ad grandiora converso Duci, Claudii mox superveniunt literæ, quibus præsidia legionum cis Rhenum deportari cum imperio jubebat. Ad quæ nihil aliud Corbulo, quàm beatos quondam extitisse Duces Romanos: atque cum eo in veteres militem stationes reduxit, evolutis magnarum cogitationum consiliis. Anno proximo, quo A. Vitellius, & L. Vipsanius cœpere magistratum, Romæ senatus habitus de supplendo Senatorum numero. Itaque Galliæ Comatæ Principes, cùm honorem illum certatim ambirent, variis sententiis, ut quisque in nationem animo ac voluntate propendebat, coram Claudio disceptatum est. Sitiens Latini nominis apprimè fuit hac tempestate Galliarum natio, ut cujus optimates fœdera & civitatem Romanam jam pridem consecuti, seu tantis in communi imperio partis ornamentis, minimè contenti; jus capessendi in urbe regnatrice magistratus avidè prensabant. Et voti sanè compotes inter Primores facti Æduorum spectatissimi quique. Dabatur id fœderi antiquo; & quia ab hominum memoria soli Gallorum, ut ait Tacitus, fraternitatis nomen cum populo Romano usurpassent.

CC.

Superantur a Domitio Corbulone.

ANNUS CHR. 49.

Tacit. an. l. 11.

Galliæ proceres allecti in senatum Romanum, & consortes facti magistratuum.

Ædui inter primos hoc impetrant.

FINIS LIBRI PRIMI.

R. P. CHRI-

R. P.

CHRISTOPHORI BROWERI
SOCIETATIS JESU,
ANNALIUM TREVIRENSIUM
LIBER II.

DUm ad hunc modum Romani imperio suo longè latèque propagando, fortiter æquè atque ambitiosè consultum eunt; nullúmque sibi statuunt modum regibus, ac liberis populis usquequaque, per Asiam, Africam atque Europam dominandi: interea Christus Dominus Conditor atque Liberator noster, discipulis jam tum per diversas gentes, regna, provinciasque divinam & admirabilem Evangelii lucem circumferentibus, suum item cultum ac imperium diis gentium atque dæmonibus indicto bello, proferre, & idolis sub jugum venire compulsis, longe per orbem terrarum nominis sui gloriam amplificare parabat.

I. Ecclesia Christi propagatio.

Exordio imperii Claudii B. Simonem Petrum Galilæum Bethsaida vico natum, Apostolorum Christi Principem, Romam venisse; & Jesu Salvatoris crucifixi nomen, cultúmque salutari prædicatione nec sine miraculis populo Romano communicasse, præter Irenæum, Tertullianum, & Eusebium, testes suppetunt omnium ætatum, generúmque, locupletissimi. Eundem Claudio jam alterum annum imperante, Ecclesiâ Antiochiæ constitutâ urbem Romam Evangelii causâ ingressum, veteris iidem memoriæque mandarunt. Porrò in urbium urbe degens Petrus, cùm universitatem nationum ad Christi cultum notitiámque traducendi spem animo complexus, magno & cœlesti quodam flagraret igne, tum florentissimos Galliæ populos in maximis & acerrimis de omnium gentium salute curis, ratus est item pertinere ad vigiliarum & providentiæ suæ partem; quam nationem scilicet, spectatâ virorum armorumque potentiâ celebrem, & Romanis institutis ad summum belli pacisque disciplinam, in dies florescentem, ex Satanæ crudeli imperio eriperet, & Christiano demum nomini aggregaret. Dimissis igitur in varias terras quoquoversum sanctissimi Evangelii præconibus, tres præstanti virtute atque innocentiâ viros, quos vitæ sanctimoniâ doctrináque probatissimos cognoverat proficisci jubet in Galliam Belgicam. Fuit in his Eucharius Episcopus, quem in contubernio Christi jam olim cum cæteris Apostolis versatum, qui Petrum usque prosecuti fuerant, numeratúmque in ordine discipulorum Christi septuaginta duûm, cum vetera Chronicorum monumenta, tum etiam in suo narrat Marianus Scotus.

II. Eucharius I. Ep. Trev.

Venêre autem cum Euchario Valerius & Maternus, homines pari amplificandæ religionis ardore, & Apostolico spiritu pleni; quos impositione manuum institutos & consecratos, illum Diaconum, hunc verò Subdiaconum, Euchario Petrus adjunxerat. Hi itaque ad destinatam Provinciam iter facientibus, cùm superatis Alpibus, non sine verbi divini præconio, & multorum hominum partâ salute, ad Tribocorum fines, ubi nunc Alsatiorum sedes, pervenissent; Maternus febrium æstu prostratus in via, morbi magnitudine apud Elegiæ castellum, quod antiqui scriptores appellant, vitâ functus occubuit.

S. Eucharius c. 72. discipulis. Marianus Scotus.

Eucharii adventus in Germaniam. D. Materni casus in Alsatiâ agro.

Perrectus autem hic Tribocorum vicus, hodiéque monstratur in Ello seu Illæ fluminis ripa, & Romanâ antiquitate, & religione Christianâ, visendus: Cui vereor ne inscitè ab Elegia nomen impositum, posteri approbent ob lamenta, & fletus in S. Materni morte istic profusos.

Ell, pagus Alsatiæ, Hellum.

Hoc porrò casu, aliisque fortè rationibus, quas silent majorum literæ, Romam Eucharius & Valerius iter convertunt, amissum laboris socium Principi Apostolorum mœsti dolentesque narrant; hunc in Gallorum finibus jacere barbaro solo, inter incultas & alienas à Christianis sacris nationes, quibus novâ religione imbuendis, majore fideliori ingenio præsidioque nunc quidem opus sit; aliud proinde consilium de integro, cœlestemque opem à Magistro se exspectare.

III. S. Petrus Maternum resuscitandum mittit.

Petrus, ejusque in Deum erat spe atque fiduciâ, paucis consolatur mœstos, eorum animos egregiis artibus sustentat, simulque non casu, sed Dei Opt. Max. consilio ac providentiâ, Maternum, rebus humanis ereptum, ostendit: quin ad ipsos id etiam negotium pertinere; quo valeret miraculo aliquo insigni Christi liberatoris gloria rudes inter gentes magis atque magis clarescat. Durarent igitur, & tam salutaribus cœptis fortiter insisterent; mortuum, suscitatum iri ad vitam, ut qui non extinctus, sed velut somno quodam consopitus, teneatur ad tempus. Ad hæc baculum, quo tanquam

Baculus S. Petri traditur Euchario, qui Harigero Petalium, Ottoni Frising. virga pastoralis, aliis cambuta.

summi Pastoris insigni utebatur, tradit, monetque fusis ad Deum precibus, in nomine Christi surgere praeciperent; procul dubio, quem reviviscere cupiant Christi virtute, continuò resurrecturum. Quadraginta omninò dies praeterfluxisse consentit historia vetus, cùm defuncti corpus humatum fuerat, ut modò tabidum extitisse tunc, ac pænè corruptum, dubitatio nulla teneret. Veruntamen, fide in Deum constanter nixis, ubi repetitò itineris labore ad locum, quem diximus, perventum est, quod futurum prædixerat beatus Apostolus, ad spem eventus præclarè respondit. Nam affusâ per baculum vi genitali, Maternus ad imperium Magistri, velut in vitam renascens, mox surrexit, multis cernentibus, qui miraculi novitate attoniti, & lustrati sacro baptismatis fonte, ad Christum conversi sunt. Neque de hoc Materni ad vitam reditu Petrus Cluniacensis siluit: *Nunquid non Eucharius*, inquit, *ab Apostolo Petro ad prædicandum in Germaniam directus, majore miraculo, quàm Christus mortuum suscitavit? Suscitavit Christus quatriduanum Lazarum; suscitavit Eucharius à Petro missus quadragenarium mortuum: jacuerat exanimis Lazarus in sepulchro quatuor diebus; fuerat & hic mortuus in sepultura quadraginta diebus.* Laudavit eandem narrationem, ut suo tempore literis hominúmque sermone celeberrimam, Honorius Augustodunensis Præsbyter: *Petrus tam excellens erat in miraculis, ut non solùm per orationem, vel per corporis sui umbram sanitatem redderet languidis, verùm etiam per Baculum vitam restitueret mortuis. Denique Maternum ab eo missum, postea Trevirensem Episcopum in itinere defunctum, quadraginta diebus sepultum, misso baculo per Valerium & Eucharium à morte resuscitavit; qui postmodùm quadraginta annis vivens, gentibus prædicabit, ac gloriosus cum sociis suis in miraculis claruit.* Atque hanc sanè historiam ab Innocentio III. Pontifice rear insinuari, ob quam Romanum Antistitem uti baculo negat, quandoquidem Innocentius IV. de Germania rem gestam interpretatus est: facilisque sit lapsus ex cognatione nominum. Unde Maternum pro Martiali Lemovicensi inferendum quoque glossæ, non dubites; & consuetudo vetus est Trevirorum Ecclesiæ; in qua sola, Pontifex Romanus cum baculo prodire solet, luculento hujus historiæ argumento. Quod autem in Petri persona Harigerus virgam hanc dixit *nostri Petalum* vel insigne *Pontificii*, id de proprio Apostolorum insigni quod capitis fuit, ad usum communem transtulisse videtur. Nam πέταλον, quod bracteam sive laminam & mithram alii verterunt, insigne extitit capitis sacerdotalis, coronæ instar, cujusmodi antiqui scriptores Joanni & Jacobo Alphæi Apostolis attribuerunt. Ipse interim, Baculum hunc agnovit signorum patratorem efficacissimum. Et Thiofridus Epternacensis Abbas, qui anno Christi millesimo centesimo vixit, ubi inter alia Sanctorum instrumenta, quibus res miras efficiunt, Virgarum & Baculorum virtutem exprimit: Initio gratiæ, ait, Baculus Principis Apostolici ordinis per quadragenos dies sepultum, per totidem annos Domus Dei dispensatorem futurum, pristinæ vitæ reddidit. Facit huic affirmandæ narrationi mos item in Synodis provincialibus hic ante nongentos annos plus minùs usitatus, quo præter autoritatem scripto testatam, Ecclesiastica decreta Baculo sancti Petri ceu sacrosancto, confirmare suetum Episcopis, addito Baculi elogio; CUM QUO B. MATERNUS à MORTUIS SUSCITATUS EXTITISSET.

IV. Maternus attactu baculi Apostoli revocatur ad vitam.

Lib. 2. epist. 2. contra Petrobrusianos.

Miraculi hujus approbatio & fructus.

Honor. in Serm. de Petro & Paulo.

Baculus signorum patrator efficacissimus. *Harig. c. 6.*

Innoc. Extr. de S. Unct.

Innoc. IV in Decret. dist. & Gloss.

Ioan. Enen. male citat D. Tho. in 4 d. 24. vide Petr. [illegible] 4. d. 24. q. 5. art. 2.

V. Baculus hic cur Petaliū Harigero, nisi mendū ut legas Pedalium c. 6. *Euseb. Eccl. hist. l. 5. c. 22. Epiph. hæres. 29. & 78. Hieron. in Illustr.*

Lib. 5. c. 5. Florum Epitaph. Sanctorum.

S. Materni quot dierū mors, tot annorum regimen.

[illegible]

Cæterùm incredibile, quantùm ea res nascenti tùm primùm apud Gallicanos populos Ecclesiæ contulerit; ut jure merito, tam excellens miraculum divino prorsus consilio atque destinatione, patratum videretur. Nam ejus famâ per finitimos longè latéque increbrescente, magnus ad Sanctos omnis sexûs & ætatis hominum undique concursus extitit; qui eorum doctrinâ præceptis vitæ, sedulò instituti, haud gravatè se in Christi fidem contulerunt. Basilicam quoque narrat Harigerus Lobiensis Abbas Resurrectionis nomine loco, quo Maternus revocatus ad vitam fuerat, à Christianis extructam atque dedicatam: cujus ad præsentem memoriam in Alsatiis sacra supersunt vestigia, convenarum religione & votivâ peregrinatione, contrita. Nec immeritò Tribocorum posteri Alsati Christianæ religionis incunabula B. Materno adscribunt, quem magnâ gratiâ gloriaque facti, Apostolum suum & Principem fidei salutisque allatæ prædicant. Et qui ejus Ecclesiæ res gestas prosequuntur, majorum literis ac voce tradunt S. Maternum, inani Deorum superstitione gentem liberâsse: magnis & illustribus miraculis ibi claruisse; Ecclesias istic multâ veneratione, Apostoli titulo & nomine insignes erexisse, ac dedicâsse; ex quibus ad hanc ætatem veterrimæ memoriæ creditum est perdurasse, Argentorati B. Petri, quam vocant Senioris; & in conspectu Molshemiensis oppidi, quæ latinè Domus Petri, vulgò Dompieter appellata est: quàm inter initia Collegii Societatis JESU, quod Molshemii tum inchoabatur, frequenti concursu, speque remediorum, quæ febricitantibus quærebantur, rarâ pietate coli, terique vidimus. Sarcophagus tum ibi Romani operis expositus in quo conditas olim S. Petronillæ, seu cujus alterius Divi reliquias, populo & agrestium vulgo persuasum; ex harum contactu vim adhæsisse saxo, ut qui impositus post febres dulci devictus somno jacuisset, expergefactus febrim excuteret. Sarcophagi inscriptio antiquitatis interim haud leve argumentum habet.

VI. S. Materni illustris apud Alsatos memoria.

Hier. Gebwiler hist. S. Odiliæ de Ebersheimio monasterio. Iac. Wimpheling. Fran. Guil. in Episcop. Argentin.

S. Petri Senioris templum ad discrimen recentioris ejusdem. Domus S. Petri apud Molsheim. vulgo Dompieter.

VII. Sarcophagus in quo consanescunt febricitantes.

MEMORIÆ TERENTIÆ • AVGVSTINÆ CONIVGI SANCTISSIMÆ.

IVSTVS IVSTINVS MARITVS EIVS. TITVS OCEANVS ET FLORIDA MATRI PIENTISSIMÆ.

Quin & fidei avitæ parum sincero cultori Materni res tam fortiter à majoribus creditæ assertæque persuaserunt, ut traderet eum

B. Rhenan. lib. 2. rerum German.

S. Petri

VIII. S. Materni tumulus vel tumba, in qua diebus 40. quievit.

Basilica hujus miraculi retinendæ memoriæ in Alsatia quondam excitata. *Harig. c. 6.*

Rheni ora ad Christũ deducitur. Evangelio disseminato Eucharius una cum Valerio Maternóque veniunt in Treviros.

ANNUS CHR. 50.

IX. Tempus adventus illorum discutitur, & in Marianum Scotum inquiritur *Bar. Trithem. &c.*

S. Petri jussu Tribocis Evangelicam doctrinam primùm enunciâsse. Et apud Ellum vicum tribus milliariis Selestadio distantem adhuc conditorium ostendi, in quo jacuerit mortuus aliquamdiu, sed mox vitæ restitutus, ut inde Treviros Agrippinensesque erudiret. His in Tribocorum finibus ita gestis, Sancti viri redivivo jam socio aucti, inde digressi pergunt, reliquis cis Rheni limitem populis Evangelii lumen inferre, ac vineam Domini in omnem partem latiùs propagare; multisque rebus admirandis supra mortalitatem editis, & magnis pro Christi gloria augenda inter homines, laboribus susceptis, Treviřim demum, cujus id temporis ob bellicæ ac domesticæ laudis insignem gloriam, summa apud omnes erat existimatio, delati sunt anno Pontificatus Apostolorum Principis Petri octavo, Claudii Imperatoris nono, Christi nascentis quinquagesimo, non autem, ut malè temporum rationes putavit Marianus, quarto & quinquagesimo Christi; Cæsaris Claudii undecimo. Etenim Marianus sive ipsius excerptor cùm Petrum quarto Claudii imperantis anno demum Romam accessisse contendit, improvidus vacillante semel annorum serie facit, ut reliquus inde consertus ordo biennii metachronismo scilicet haud mediocri intervallo, præcipitet. Enimverò advenisse beatum Petrum anno quarto Claudii, dici non potest, siquidem cum omni vetustate consentit ipse Marianus, quinque & viginti annos Romæ eum sedisse atque insuper ultimo Neronis extremum in cruce spiritum effudisse. at quatuor ex imperio Claudii detractis annis, quæ reliqui deinde ad extremum Neronis principatum ex rationibus Mariani summa est, annorum viginti duorum, & quod excurrit supra quadrimestre, tempus implet. Ergo, si primus Petri adventûs annus ad secundum Claudii, ut majoribus placuit, referatur; ab hoc ad octavum inibi Pontificatus; communi atque usurpatâ notatione temporum facto progressu, ad Christi quinquagesimum perveniatur, necesse est. Quia verò Marianum, quotquot infra ipsius ævum scriptores, vel domesticos ego potui, vel externos nancisci, ceu verba præeuntem, omnes una voce secuti Christi LIV. Eucharium venisse in Treviros volunt; eo res mihi visa non indigna cujus posteros, quorum interesset, commonefacerem. Quin etiam addo, fieri tardiùs ab istis, queis in Claudii annum undecimum Eucharii cæterorúmque adventum rejicere, fuit sententia. Quippe Josephi & Suetonii Tranquilli authoritate permotus Orosius, Petrum, scripsit edicto Claudii, excedere Judæos Romá jubentis, anno imperii Claudiani nono cum cæteris ab urbe profectum; idque probarunt ab ævo recentiori Beda, Adóque Viennensis. Petrum itaque perpetuá quâdam pressum Ecclesiarum omnium solicitudine, dum terras littoráque conlustrat Occidentis, ex illa diuturna atque longinqua peregrinatione Romam non ante fides obtinet, revertisse, quàm extabescente demum Neronis imperio ipse cum B. Paulo afflictis & accisis Neronianâ sævitiâ rebus, ceu quoddam salutare sidus intervenit. Quamobrem, majorum historia suum ut obtineat locum, suadent quæ dixi,

Oros. l. 7. c. 6. Sueton. in Claud. c. 25.

X. Cf. Baron. diffuse de hac Petri peregrinatione & reditu. I. Scaliger ad Euseb. temerè vocat in dubium.

aliáque quibus distinere narrationem haud placet: nempè Eucharium, anno Claudii nono ineunte, salutis lætissimum Treviris nuncium primum attulisse. Atque is annus ipsius est Pontificatus Petri octavus, quem scilicet annum insignem eorum prodidit in Galliam adventu, ipse quoque Methodius, author licet temporis necdum explorati, vetustate tamen suâ cum primis idoneus.

Methodius apud Marianum.

Status conditioque reip. Trevir. qua tempore Christianâ religione primû imbui cœpit.

Reipublicæ provinciarũ Belgicæ facies quæ tunc præsertim extiterit; quísve status hujus urbis, cùm ad eam primùm appulêre Christianæ religionis Magistri, in magna veterum commentatorum inopia, signatè propriéque demonstrare in Treviris haud ita promptum: quanquam genere ipso perspecto facilis sit rivorum velut à fonte deductio. Certè Claudius Imperator pro Galliarum proceribus in Senatu verba faciens, ne scilicet magistratuum & honorum dignatione spoliati, Romani luce fori carerent. *Iam moribus*, inquit, *artibus, affinitatibus mixti nostris, aurum & opes suas inferant potius, quàm separati habeant.* Illud profectò infitias ierit nemo, magnam & crebram Romani sanguinis nobilitatem in Provinciis ubique restitisse, & Coloniis passim, sive municipiis non militem solùm emeritis stipendiis, sed eximium quoque Senatorum & publicanorum ordinem, qui, ut Tullius in Planciana disserit, ex equitum Romanorum flore constabat, se Galliæ populis miscuisse; eundem verò, ut negotiationis & functionum civilium haud rudem, sic imperiis militantibus clarum undelibet extitisse constat, & eminentem. Jam verò communionem Romani nominis & civitatis in provincias quoque translatam, quid memorem? Senatum quidem non solùm civitatis jus externis impertitum res tam clara, ut ævo Tiberii novi quicumque homines è municipiis & coloniis atque etiam provinciis Romæ in Senatum crebrò adsumpti; & civitatis proceribus, mox item non dicam Græci & palliati, sed barbari & braccati sint adlecti. Qui mos ætate convalescens tanta brevi incrementa habuit, ut ex provinciis undique Senatores jam vulgò legerentur, essentque in orbe Romano multi denique Senatores, qui quod B. Augustinus memoriæ reliquit, ne Romam de facie quidem nossent. Quod insolens non fuit, postquam Roma una omnium patria & civitas esse cœpit; utpote, in qua soli, Sidonio teste, peregrini censerentur, aut servi, in quos jus illud cadere non poterat; aut barbari, qui imperio Romano parere nollent. Hinc in plures honorem eum ambitione vulgatum, Nazarius urbi gratulans, *Sensisti*, inquit, *Roma tandem arcem te omnium gentium, & terrarum esse Reginam, cùm ex omnibus provinciis Optimates viros curiæ tuæ pignoraveris; ut Senatus dignitas non nomine quàm re esset illustrior, cùm ex totius orbis flore constaret.* Horum sanguine familiis immixtos Treviros jura, linguam, mores assirmo traxisse Romanos; omnem denique veterem exuisse, atque ex habitu novæ fortunæ induisse faciem peregrinam. Nam cùm Legatus qui urbi præerat jus more linguaque Romanâ daret, miles etiam veteranus sive colonus linguæ peregrinæ studium fastidiret, adhæc populus uterque per con-

Tac. l. 11. an.

XI. Romani sanguinis nobilitas in provinciis

Urbis Romæ & senatûs Romani jus splẽdorque provincialibus impertitus. *Tac. lib. 3. an. & alibi.*

Lamprid. in Commodo. Dio in Antonin. Caracal.

Lib. 5. de civit. cap. 17.

XII. Roma una omnium patria. *Sidon. epist. l. 1. & Io. Sirmon. in Not.*

Paneg. Constantino recitata sub extremum.

Romani mores & spiritus assumuntur à Gallis & Belgis.

Romana lingua inolescit.

nubia coalesceret, essentque in urbe Principes viri, Româ vel orti, vel Romanâ civitate donati, qui ultrò externam hanc elegantiam hominumque cultum ambirent; omnia quæ hac in re olim à nobis ornamenta Treviris conciliata, quæque speciosè Claudium Imperatorem, ad senatum retulisse meminimus, iis majorem in modum nunc cives abundasse, non pro vano tradiderim. Et indicio sunt Latialia nomina Trevirorum Principibus indita cæteroqui indigenis, tum ipsa hinc magis magisque Romanis institutis sese corroborans, disciplina militaris. Neque hæc ita commemoro, ut vulgus Trevericum, Celtico posito, repentè Latium idioma sumpsisse contendam; sed magis id studium principiò fuisse nobilitatis, atque à plebe honoratorum mox factum quoque translatitium. Urbem deinde Romanorum æmulatione pro amplitudine Imperii, nam Belgicæ vicinarumque Germaniarum princeps & caput erat, hoc etiam tempore & magnificentiâ publicorum operum, & nobilitate privatarum ædium, & civium, in primis verò Senatorum frequentiâ ornari atque excoli cœptam, nemo vel paulò humanior addubitet. Id enim tam annalium memoriâ, quàm Adonis Martyrologio approbatur, Euchari adventu capitolium apud Treviros extitisse, quod arcem constat & publicarum religionum fuisse caput. In urbe quoque stetisse traditur Fanum centum Deorum signis inclytum, magnaque religione visendum. Capitolium verò cis ripam Mosellæ, antiquiores apud Mariæ Martyrum, recentiores ob loci situm Beati Simeonis in æde molis operosissimæ collocatum malunt. Neque enim qui uni urbium urbi Romæ id genus ornamenti tribuunt, in posterum audiendi; quandoquidem & Ravenna, Capua, Carthago, Beneventum, Constantinopolis, Tolosa, & Coloniarum in Galliæ quæque splendidissimæ, hoc genere ædificii floruerunt, improbæ licet superstitionis magnâ messe. Etenim Capitolia à Toli capite refossi & evoluti sic appellata describunt loca, septa eminenti spectabilique solo, quo, prisco gentilium ritu fiebat idolis: plurimæque ornatu in iis collocatæ erant statuæ; & in omnibus Virginales effigies Minervarum. Unde Christianis etiam vetitum legimus, ut ne Capitolium sacrificandi causâ usquam ascenderent. Illustrant & locum & usum B. Saturnini & facundi Rhetoris, & Episcopi Tolosatium, ac invicti denique Martyris, acta,

Qui Tolosanam tenuit cathedram
De gradu summo Capitoliorum
Præcipitatus.
Quem negatorem Iovis ac Minervæ,
Et crucis Christi bona confitentem
Vincit ad tauri latus injugati
Plebs furibunda.

Sidonio Apollinari consentit Venantius Fortunatus.

Sed vitiata malis, & plebs infecta venenis
Citrari effugiens, ægra jacere volens,
Coprendit male-sana virũ, ad Capitolia duxit,
Atque suo medico vulnera plura dedit.

In hoc itaque tam hominum genere speciosum, sed incultum asperumque vitiis, & depravata religione solum, Christi legem atque sanctissima scita inserere, ardui sanè res erat negotii; & non nisi Dei vultu summoque favore subsistentis; qui gentem variâ errorum culpâ disjectam, & demersam extulit, & salutis omni spe vacuam ad salubriora deflexit. Venerant jam in Treviros novæ religionis Antistites; at civitatẽ vix ingressos, ut sementis divini verbi ab iis spargi cœpta, ingens mox rerum adversarum tempestas excepit. Ubi enim palam ad circumfusam multitudinem, per vicos & compita Christum prædicare, & peregrinis insuetas aures imbuere dogmatis cœperunt, tum verò Pontifices & Capitolini sacerdotes invidiâ concitati, tabie scilicet efferari; quique coargui mendacia sua minimè omnium paterentur, plebis odia acriter adversus Eucharium & socios accendere, atque eo demum impellere, ut civitate submotos, saxis operire, & agere lapidibus inciperent. Et verò ex omni martyrum memoria, idolorum sacerdotibus, constat nihil usquam extitisse Christianæ religioni infestius. Sed facinus tam nefarium aggredi hic conatos, iræ cælestis ultio mox deterruit: nam simul atque lapides humo tollere, & proni in jactum toto niti corpore cœperunt, pars subito nervorum stupore artibus obrigescere, pars vari membraque fœdè distorti, inter ipsam operis nefarii molitionem immobiles consistere: donec Eucharius precatione ad Deum, elapsos in pravum artus restituens, integrâvit. At cætera multitudo, quæ præsens miracula oculis usurpabat rei novitate percussa, genibus servorum Dei ultro sese advolvere, obnixè, quid facto opus, rogare, utque salutis iter monstrarent, omnibus cœpit votis exposcere. Quod cùm illi ita, uti rogabantur, annuissent, multi crebris altisque suspiriis, anteactæ vitæ flagitia detestati, cùm libera voce prædicassent, nunquam apud se, tam cœlestes auditas esse voces, Eucharium adeuntes, ab eo sacrosancto ritu Christianorum abluti & in fidelium cœtum adscripti sunt. In his Albana fuit clarissima & opibus inprimis potens femina; hæc orbata marito senatorii ordinis viro, in unicam prolem, quam superstitem reliquerat, spem generis atque familiæ inclinaverat. At eum filium, cùm morbo detentus affixusque lectulo graviter jaceret, hoc ipso pæne momento naturæ concessisse tristis matri nuntius affertur: quo tam inopinato casu mulier icta, versa in lachrymas ac luctum, deflere orbitatem, & sortem suam miserari muliebri questu; flensque projecta ad pedes Eucharii per fidem, & res supra naturæ consuetudinem ab eo patratas, sanctum obtestari; ut ne opem auxiliumque suum bis viduæ negaret: ereptam peracerbo funere unicam sibi prolem, solatium, columen, atque spem senectæ; hunc amissâ donet usura lucis: quod si perficiat, non sanctissimis modò præceptis ejus promptè obtemperaturam, sed cum universa famila in Christiana sacra, sine recusatione, concessuram. Vir sanctus haud gravatè fœminæ precibus dedit, ut ad ædes ejus, frequenti hominum turba prosequente, accederet, unâ fretus fiduciâ, quam in Deo repositam habebat. Ubi igitur ad ædes Albanæ perventum, Eucharius arbitris Valerio & Materno domum ingressus, positis humi genibus pro salute pueri Deum orare;

Margin notes:

XIII. Ædificiorũ splendor.

Capitolium Trevericæ civitatis.

Bar. annotat. Martyr. 29. Novemb. M. Velser l. 5. rer. Aug. & ad S. Afra. passim. Petr. Pitha. advers. Subs. libro 2. c. 10. Pamel. ad Tertull. de spectac. c. 12.

Capitolia sedes idolorum. Vitr. l. 2. c. 8. Arnob. l. 4.

Concil. Eliber. cap. 1.

Sidon. ep. ad Fermin. lib. 9.

Venan. Fort. l. 2. poem. de S. Saturn.

XIV. Conversio Trevirorũ.

Capitolini sacerdotes plebem adversus Apostolicos viros armant.

Lapidatio Trevirorũ ultione cælesti coërcetur. cum M. SS. Harig. c. 8.

XV. Trevirorũ complures baptizantur.

Albanæ senatoriæ matronæ conversio.

Filius Albanæ moritur.

Eucharius Albanæ filium resuscitat in vitam.

orare; ac dein prehensâ defuncti adolescentuli dextra, compellare atque hortari, ut in Jesu Christi sanctissimo nomine, cujus admirabili virtute atque potentiâ viduæ quondam filius vitæ redditus sit, ad præsentem intuendam lucem, continuò ad corpus redeat: res mira! loquebatur adhuc Eucharius, & puer ad vocis imperium sanctique nutum, repentè sustollit lumina, animâque in pristinum contubernii recepta, lectulo surgit incolumis. Hâc tanti miraculi insolentiâ præsens obstupefacta multitudo, & imprimis Albana, unà cum filio cælesti lavacro purgata, Christo nomen dedit.

XVI.
Gesta Tung. & Leodiens. Episcoporum. Aegid. ad Harig. l. 1. c. 14. & M.S. Legenda S. Simetrii.

Babolenus seu Papolepus Abbas Rom transfert S. Simetrium.

Commenti simile videtur, quod Simetrium Romanum Presbyterum & Martyrem, qui in veterũ fastis sub Antonino Imperatore Romæ passus legitur, Albanæ filium faciunt, à B. Materno in Arduenna resuscitatum: & inseruņt quoq; si superis placet, alii, Comitũ Salmẽsium stirpi, alii ubi à Materno initiaretur, filio volunt in baptismo obvenisse nomen à Simetrio VI. Salmensi Comite, utque res est, frivolis omissis, exponam: Babolenum conspicuâ Sanctimoniâ & morum principatu cœnobitam sub annum Christi DCLIII. magistro & institutore S. Remaclo in Arduenna floruisse constat: qui primùm Malmundarii, inde Stabulai Magistri successor, pro gratia & autoritate quâ apud Honorium Pontificem valuit, S. Simetrii corpus Româ exportans, Stabulaum transtulit; & inde Landernaco, non obscuro ejus Monasterii vico condidit, ut acta translationis antiqua docent.

Landernaci reponit.

Crescente igitur hic & Martyris & religionis famâ, proclive creditu, honoris causâ vicinorum Salmæ Comitum quempiam à Martyre potiùs nomen adsciviße, quàm à Comitibus obveniße Martyri. Certè ut majorum constanti fide literisque testatum habemus, ita nomen luce redonati adolescentis, nullæ majorum exprimunt literæ. Atque hæc sane quàm felicia & auspicata fuêre tunc apud Treviros rei Christianæ exordia. In vicinis verò Belgis, per idem tempus, novum Evangelii sidus caligantibus hominum animis, & variis captis errorum præstigiis, per alios atque alios item verbi divini nuncios, illuxit; quorum opera atque arte, sterili probè culto solo, & evulsis superstitionum fibris, magna vis hominum ad Christum adjuncta. quorum ex conventibus tres deinde surrexerunt Ecclesiæ, quas Metropoli, Trevirorum Augustæ, contributas posteri numeravêre provinciales.

Ecclesiæ Metensis, Virdunen. & Tullensis Christi fide susceptæ vocata.

Porrò Mediomatricum urbs jam tum præclarissima, primum Antistitem est sortita B. Clementem. Leucis verò Mansuetus Christiana sacra Princeps invexit. At Virodunensib. intervallo Sanctinus, à Dionysio Galliarum fidei propagandæ causâ, missus Apostolus. Ergo quod traditum accepimus istarum Ecclesiarum monumentis, Leuci atque Mediomatrices ab ipso superstite cœtus Apostolici Principe, Episcopos acceperunt. Virodunensis autem sedes à Clemente Papa serius demum, procurante Dionysio, constituta.

XVII.
B. Clemens quo tempore in Galliã venerit.

Stemmat. Leuchor. tom. 2. c. 22. & Gesta Trev.

At verò, quod beatum Clementem Mansuetum, uno eodemque tempore cum Euchario, Valerio, atque Materno simul in Gallias advenisse, scriptum invenio id quidem, ut de Mansueto persuadeant, de Clemente tamen haud fortè assenserint Mediomatricum quidam recentiores, qui anno V. Claudii, à B. Clemente partem illam Belgicæ Christi fide, tradunt, imbui cœptam. Habent interim priores, quibus se defendant Harigerum Lobiensem, qui inter primos Clementem scribit à B. Petro missum in Galliam Comatam, & urbi Mediomatricum datum Episcopum; sed Harigero antiquior Paulus Diaconus, testatur Clementem venisse, quo tempore ad eas, quæ præcipuæ erant Galliarum urbes verbo fidei obtinendas, alii quoque religiosi Doctores ab eodem Principe Apostolorum, sicut antiqua tradit relatio, missi sunt.

Pauli Diac. & Sigebert. Episc. Met. M. SS. & documenta privata.

Idem ceu vetustate robustum, amplectuntur Trevirorum, quæ appellant gesta, quorum autores disertè memorant,* Sinicium Rhemorum, Memnium Catalunensium, Clementem Mediomatricum, Mansuetum Leucorum ad Eucharii societatem, Apostoli Petri jussu aggregatos, eodem omnes tempore venisse in Gallias, & cunctis unum, summâ cum potestate atque imperio, præfuisse Eucharium.

** M. SS. Trev. & Vincentii narrat. c. 45. l. 5. special. hist.*

Meminit quoque conditor Ecclesiasticorum annalium, principes in Germaniam ab Apostolo Petro amandatos Eucharium,* Ægistum, * Martianum, aucto legatorum numero.

Baron. tom. 1. annal.

* Ægisti & Martiani memoria parum cõperta. & pro Martiano acceperim Maternum.

S. Eucharius ejusque successores Belgicæ totius primates.

Quod fortè non ex vano tractum hi acceperunt à majoribus, haud inani documento utriusque Germaniæ & Belgicarum Ecclesiarum, Eucharium obtinuisse primas. Ut enim de Primatu Galliarum hoc loco taceamus, Belgicæ universæ Trevirorum Antistites jus dixisse, usque adeò clarum est, ut prærogativæ Rhemensis Ecclesiæ propugnator acerrimus Hincmarus, fateri ipse cogatur exemptam eam Ecclesiam aliquando Pontificum summorum gratiâ alienæ potestati, & uni sedi Romanæ denique subjectam.

Epist. 6.

XVIII.
Rhemensis ecclesia primatem habuisse videtur Metro. Trevir.

Idque disertè Gregorius VII. Manassi Rhemensium Episcopo inculcat: *Nam Rhemensis*, ait, *cui præsides Ecclesiæ, quodam tempore Primati subjacuit; & et ut Magistro, post Romanum Pontificem, obedivit.* At quis ille Magister inveniatur alius, quàm ex Trevericæ Metropolis Schola cathedraque proficisci solitus? Huic enim etsi tempus extitit, cùm se dignitate æquare voluit; nunquam, jure tamen, se Rhemensis sedes antetulit. Atque hoc dignitatis culmen, de quo in Metropoli pleniùs dissero, referre non dubitem ad ipsa primordia Christianitatis.

Lib. 1. Eccles. histor. Rhemẽs. cap. 3.

SS. Sixtus & Sinicius Remorum Apostoli.

Neque nescius interim ago, Flodoardum, quem pene tam vetustæ rei fidem memoriamque vix esse statuas, Rhemorum Ecclesiæ dare primum Episcopum B. Sixtum, missu S. Petri sociis additis Sinicio Suessionum, Memmio urbis Catalaunicæ primis sacerdotibus, ex quibus Sinicius Sixto tandem Rhemis successerit.

Mediomatricum Apostolus B. Clemens.

Adi Ægidii Bucherii disq. histor. tom. 2. Leodiens. Episc.

Ad Mediomatricum autem Apostolatum quod attinet, ut nec traditioni favere, sic nec hujus Ecclesiæ monumentis tradiderim consentaneam opinionem eam, quæ circa Christi annum CCL. cum cetera pleraque Gallia, Metim Episcopos accepisse statuit. Sic enim cum Gregorio Turonensi sentiri rectè putant, majori Galliarum parti, Episcopos circa imperium Decii primum Româ transmissos. Sed res ea hic longè, ut dixi, secus habet. Extant Pauli Diaconi monumenta M. SS. de origine Metensis Ecclesiæ in vita, quam scripsit S. Clementis primi

XIX. S. Clemētis adventus Metim.

primi illius civitatis Episcopi; in qua disertè missum à S. Petro meminit; & in cavernis amphitheatri, quod extra urbem situm, fugatis inde pestiferis, qui populum afflatu suo lædebant, anguibus, seu ut equidem interpretor, Dæmonibus, hospitium & oratorium illic sibi collocasse, multosque mortales, qui diritate serpentium territi exitium metuebant, his S. Clementis virtute ultra Saliam amnem profligatis, ab eo Christiano more baptismi salutaribus aquis ablutos. Legimus è media regni Francorum ætate literas, Adventii Metensium Episcopi, quibus ille meminit, Baculum illum, quo revocatus in vitam Maternus, Clementem accepisse à S. Petro, receptâ tunc opinione, Clementem in Eucharii fuisse comitatu, cætera falsus, quia barbarorum metu olim baculus in Mediomatricum urbe depositus, idcircò Clementi traditus à B. Petro. Quod autem Mediomatrices B. Clementem Antistitem suum, eximiâ cæteroqui vitæ morumque sanctimoniâ, Flavii prænomine afficiant, Consulemque faciant ex patricio Romano; id verò aure jacente veteris memoriæ gnari minimè præterierint. Flavius namque Clemens, Vespasiani Cæsaris ex fratre nepos, longo post tempore cum Domitio patruele novissimum consulatum iniit, atque Christianæ religionis sanctitatem præclaro sanguinis sui martyrio consignavit; nam ita sine dubio verba sunt accipienda Xiphilini cum Dione testantis, ob spretam Deorum religionem FL. Clementem Cos. morte affectum. Diversus itaque hic Mediomatricum Antistes ab illo Romano consule: nec discrepant ipsa Metensis Ecclesiæ monumenta; quæ patruum eum tradunt Clementis Romani Pontificis; quem in Flaviæ gentis insitam fuisse stirpem, veterum nemo prodidit. Neque verò ob id tamen Clementi Romano equidem detraxero majorum imagines; cùm vetusta prosapia Senatorum, atque etiam stirpe Cæsarum claruisse, memoret Eucharius. Sed multos fefellit, falletque semper nominum rerumque similitudo.

M. SS. Litera Adventii sub Lothario.

Clemens Mediomatricum diversus à Fl. Clemente Rom. Cos.

XX. Fl. Clemēs Cos. Romæ Christian.

Dio Xiphilini in Domitiano, qua Cæsar Baron. interpretatur tom. 1. Annal.

Metensium Antist. Clemēs patruus fuisse traditur Clem. Rom. Pont.

Clemens Rom. prænobili genere.

Papir. Masson. Pont.

ANNUS Chr. 51. *Tac. annal. 12.*

XXI. Colonia Agrip. quæ & Claudia, deducitur ab Agrippina.

Anno sequenti Agrippina Neronis mater, Claudii neptis ex fratre Germanico, ejusdemque per nuptias incesta uxor, quo potentiam suam fœmina arrogans juxta atque crudelis, sociis nationibus ostentaret, oppidum Ubiorum inchoatum ab Agrippa, veteranorum militum Colonia, qui diuturnis præliis fessi hoc præmium auferebant, cohonestavit, & Agrippinensium nomine de suo appellavit, conscia soli, ubi fuerat nata, cùm Germanicus Pater imperium istic obtinebat. Per idem verò tempus L. Pomponius legatus apud exercitus Germaniæ fuit: qui in coërcendis Cattorum latrociniis, præter Vangionum & Nemetum auxilia, etiam alario Trevirorum equitatu, usus est. Porrò Claudius imperator medio tempore id etiam boni cùm Galliæ universæ, tum huic provinciæ præstitit, quòd immanem Druidarum religionem antea civibus tantùm Romanis interdictam, penitùs de Terra Gallia sustulit; id quod & ab Augusto & Tiberio pariter attentatum, sed eventu haud perinde valido, cum Tranquillo Plinius commeminit. Et jocosè quidem apud Senecam Augustus, sed de Claudio tamen verè: *Scilicet*, inquit, *hic pius & justus, quoniam Druidarum perfidæ gentis Gallicæ immanem religionem, à qua cives submoveram, prorsus exstirpavit*. Quod itaque Plinius scripsit Tiberii principatum sustulisse Druidas Gallorum, de urbe Roma eruditi accipiunt; ad Gallias verò, Claudii decreta proferunt. Nulli tamen universam abolitionem neque veteres neque recentiores persuadent, cùm posteriùs etiam durantes, Vitelliano civili bello ausi canere Romani imperii excidium: imò & Diocletiano aprum prænuntiare fatalem. Quatuor verò hinc annis in imperio exactis nullâ sanè re ad posteros memorabili, in Galliis administratâ, ipse quidem triginta quinque Senatoribus & equitibus Romanis trecentis, minimis causis, immani feritate, vitâ expulsis, anno imperii decimo tertio, mense octavo, die vigesimo, veneno, quo dignus, interiit, Nerone successore, qui multò futurus ingratior. Etenim Nero, inter initia principatus, tametsi id dari famæ cupiebat, ceu rudis & insolens malarum artium clementiam moderationemque in altissimo quoque fastigio eminentia bona, adamaret, annus tamen à parta salute undesexagesimus vix erat in exitu, cùm vitiis invalescentibus, nullâ jam ampliùs sustinendi se curâ, ad majora palam flagitia erupit: & mox vel immanitate suâ detortâ, vel notis scelerum retectâ naturâ, ita sese in omnium generum atque ordinum homines violentum exhibuit, ut ipsum ditissimi principis nomen in crudelitatis, vulgi voce, verterit infamiam. Et licet Seneca præceptor haud deesset, qui indolem cultu mitigaret, quia tamen ad flagitia & scelus ubi magni sunt impetus, non solet quisquam subitò tingi, aut cujusquam vita repentè mutari, frustra fuêre aurea illa, quæ complexa literis ad Neronem extant clementiæ præcepta. Quippe parabat tum Deus, & nectebat Ecclesiæ suæ martyrii coronas, ut, quod à Tertulliano sapienter ac verè dictum est, haberent Christiani; quo tam improbo dedicatore damnationis suæ, meritò gloriarentur: qui enim nosset illum, haud ignoraturum non, nisi grande aliquod bonum à Nerone pessimo damnatum. Et verò solent improbos tum ad perficiendum scelus, tum ad luendas Reipublicæ pœnas furiæ quædam infernales incitare: quorum tandem incredibiles furores audaciæ, & facinorū acervi sempiternis ignibus inflammētur.

L. Pompon. Legatus auxilius Trevirûm Cattos reprimit.

Druidarum superstitio quatenus abolita.

Sueton. in Claud. c. 25. Plin. l. 30. c. 1. Senec. de morte Claud.

Tacit. l. 4. hist. Fl. Vopisc. in Numeriano.

Oros. Tac. Suet. Dion.

XXII. ANNUS Chr. 55. Claudii Cæsaris crudelitas & interitus.

Nero Imp. regit an. 16. m. 7. d. 28.

ANNUS Chr. 59.

XXIII. Seneca discipuli Neronis depravatam naturam non expellit.

Nero dignus Christianis martyribus obtigit tyrannus. *In apolog. c. 5.*

Præerat tunc Belgicæ Ælius Gracilis legatus. Civitas Trevirorum summâ paceatque otio fruebatur, quòd Germania longâ quiete Paulini & Veteris diligentiâ, qui Germanicis exercitibus præerant, otium armorum ad id tempus continuasset. Eâ re mirifica data quædam Evangelio crescendi copia. L. Vetus, ne miles interim torperet, otio ac luxu difflueret, opus magnum animo destinaverat, non minore compendii spe quàm gloriæ. Cœptis, quò minùs tantum fastigium imponeret, Ælius Gracilis legatus obstitit. Mosellam enim atque Ararim fluvios, abolito terrarum, quod interjacet, discrimine, conjungere parabat; ut copiæ per mare, deinde Rhodano & Arare subvectæ per eam fossam, mox fluvio Mosellâ in Rhenum, exin ad Oceanum decurrerent, sublatisque itinerum difficulta-

Ælius Gracilis Belgicæ Præfectus. Trevirorū res tranquillæ locū dant crescēdi Christianis. *Tacit. an. l. 13.*

Mosellam & Ararim fluvios cōmittere parant Romani; sed mutuâ invidiâ excidit opus

XXIV. Araris fluvii ortus. Araris & Rhodani confluentes apud Lugdunum.

difficultatibus, navigabilia inter se Occidentis, Septemtrionisque littora fierent. Araris quippe apud finitimos Leucos ex Vogesi jugo haud longè à Mosellæ fontibus latices suos effundens, Lugdunensem Galliam lenissimo, atque ut Silius inquit, pigerrimo cursu intermeat; & Coloniam sub ipsam immersus Rhodano labitur in mare mediterraneum. Quo parabilior hæc molitio, militari præsertim adhibitâ manu. Sed operum istorum gloriam deterebat invidia Gracilis, absterrendo Veterem, ne legiones alienæ provinciæ inferret, neu studia Galliarum ejusmodi molitione ambiret; formidolosum id Imperatori dictitans; quo plerunque prohibentur conatus honesti.

Vibius Avitus al. Dibius aut Dubius præses Galliæ, & inferioris Ger. Legatus. Tacit. 13. ann. lib. 14. c. 7.

Paulini imperium post hæc in Gallia Germaniaque inferiore, Neronis jussu, accepit Vibius Avitus; qui bellum cum Frisiis gessit ob veteranorum agros ab iis cis Rhenum occupatos. Eo præsidente Provinciæ, narrat Plinius artem statuariam ad summum in Gallis etiam floruisse; nam cum Colossos Italia factitaret moles turribus pares, omnem amplitudinem statuarum ejus generis ætate sua vicisse Zenodorum Mercurio facto in civitate Galliæ Arvernis, per annos X. HS. CCCC. immani pretio. Hic artis approbatione, Romam accitum à Nerone Zenodorum, principis Colossum fecisse CX. pedum longitudine, qui, dempto capite Neronis, mox Solis venerationi dicatus à Vespasiano, damnatis sceleribus illius Principis. Sub hæc etiam tempora Nero, hermaphroditas equas subjectas carpento suo Romæ ostentavit in Treverico, ut Plinius idem ait, Galliæ agro repertas; seu planè visenda res esset Principem terrarum, insidere portentis. Imò visenda prorsus; cùm bellua Nero quædam extiterit ex portentis immanis & fera, formâ hominem duntaxat indutus.

Xenodorus statuarius. Mercurii colossus apud Arvernos. Neronis colossus. Hermaphroditæ equæ Treviris notæ Neronis ambitioni. Plin. lib. 11. cap. 49.

ANNUS CHR. 62.

XXV. Vectigaliū acerbitas in Galliis sub Nerone. Tacit. an. l. 14. Suet. c. 38. in Nerone.

Biennio post acerbissimè per Gallias vectigalia exegit, auxitque tributa provinciis; ita ut fessas oneribus, pœne obrueret: censui agendo præfecerat Q. Volusium, & Sex. Africanum æmulationis studio sibi mutuo infensos. Totidem annis iterum labentibus, immani & multis jam cædibus exercitâ ferociâ Nero, sævire demum furenter cœpit; & iras exprimere suas in Christianos. Miserabilis erat Romæ species, cùm ipse incendio æternæ urbi illato prope in cineres ac favillas tantis impensis nec minore sanguinis pretio, coalitam molem, redegit. Pervaserat rumor aures populi servitio nimis quàm tunc assuefacti orbis Dominum citharæ legibus obtemperantem, & conflagrante patriâ, ceu publicæ calamitati illudentem, habitu scenico cecinisse Troiæ excidium. Quamobrem cùm nec solatiis ullis largitionum, nec edictis ingens mœror luctuosi casus abstergi posset; Christianorum placuit exquisitissimis suppliciis scelus expiare, & cladis irreparabilis velut lenire ignominiam. Itaque novis mortium generibus excogitatis, postea quam in innoxios quæstione crudeli variaque, haud perinde in crimine incendii, quàm odio Christiani generis sævitum, pereuntibus addita ludibria; cùm alii ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent; alii in crucem acti, aut subditi rogis: ceraque ac pice illiti, ad usum nocturni luminis urerentur.

ANNUS CHR. 65. Neronis sævitia in Christianos.

Christianorum supplicia.

Eusib. chron. & ad illud Ios. Scal.

Atque hinc datis legibus, Sulpitius autor est, palamque edictis propositis, Christianum esse non licuisse. Ergo Nero primus princepsque in imperio Romano, qui dato velut signo atrociùs in viscera Christiani gregis secuit, militibus Christianis palæstram aperiens, cujus in arena quoties immania quæque pro Christo ferrent, toties hostem ferirent; quoties occiderent, toties item vincerent. Hujus pugnæ callens egregiè Nazarius Mediolanensis athleta, Celsusque puer, quamvis rudibus annis, Christi tamen invicta tormentorum patientia tiro non ignobilis, monent me in præsentia, uti pro ipsorum in Ecclesiam Trevirorum, & Galliam universam singularibus prope meritis acta non præteream. Nazarius itaque Africano patre, matre Perpetua Romæ natus, cùm Christi fide imbutus, ingenti flagraret cupidine mortales altis errorum tenebris demersos ad Evangelii lucem perducendi, ab usque Roma varias Italiæ civitates obiens, Mediolanum ad extremum defertur; illic nactus forte Gervasium Ptothasiumque fortissimos Christi martyres custodiâ detentos; quibus, ubi Christianæ studio charitatis, solatio, re, consilioque vinctis adest, ab Anolino Præside gravia atque dira perpessus, civitate demum pellitur, alias coactus adire regiones. Ergo per omnia ærumnarum genera martyrii palmam captanti an solum usquam deesset, ubi vel patienter vivere, vel fortiter mori posset? Transit igitur Alpes Evangelii causa, & omnem percursat Galliam; Celsoque puero tum ibi & certaminum pariter & coronarum in societatem assumpto pervenisse scribitur in Treviros, magnaque hominum multitudine ab imperio stygiæ tyrannidis ad Christi regnum obsequiumque traducta, fundasse Ecclesias, dedicasse basilicas, omnes implesse denique numeros pervigilis atque boni Christiani sacerdotis. Inde verò à Cornelio Belgicæ Proprætore, Neronis jussu comprehensum, retractumque cum Celso Mediolanum; ibi, superatis denique omnibus ad ipsorum pœnam conspirantibus, & artis & naturæ machinamentis, beatissimam vitam per omnium suppliciorū acerbitatem exitu felicissimo conclusisse, sub eodem Nerone & Anolino præside. Quò spectans excellens Poëta, sic S. Nazarium allocutus est.

Lib. 2. sacræ hist.

XXVI. Nazarii & Celsi certamen.

Occasio inductæ narrationis. Nazarii natales. Mart. Rom. 28. Iul. Ado in Martyrol. Id. Iun. Metaphrast. Vinc. Bellu. lib. 9. c. 51. Gervasius & Prothasius.

Nazarius ab Anolino cruciatibus deditur.

Brev. Rom. & Ado Trevir. Martyr. 28. Iul. Vincent. Bellu. Spec. hist. l. 9. cap. 5. & Antonin.

Nazarius & Celsus in Treviros Evangelii causâ veniunt.

Cornelius Belgicæ proprætor.

Iac. Sannazarii epigr. lib. 2.

Te mihi sanctum, patriúmque numen,
Te canam gentis columen Latinæ,
Aureum prolem patris Africani,
Perpetuaq;
Matris; heu vulnus grave, dum relictis
Tibridis ripis, Italoq; cælo,
Sponte trans Rhætos iter, & nivosas
Arripis alpeis.
Mox & ad Rhenum, horribilesq; tendis
Treverûm gentes animosus hospes,
Morte festinans capere invidendæ
Præmia palmæ.
Hic, ubi è caræ gremio parentis
Iam necis magnæ comitem futurum
Excipis Celsum, pater; & salubri
Perluis undâ.
Perluis totas, mora nulla, & urbes;
Vndique exhaustis properatur agris,
Barbaros gaudent Druidæ sacrorum
Ponere ritus.

XXVIII. Nazarii & Celsi historia discussa, probatur.

Quæ quidem cùm apud recentiores omnia, neque enim in re gravi cogitationes celandæ, aliis atque aliis fucata narrationum coloribus primò reperissem, inde autem, ut fit, inquirendi studio veri in eandem pleraque sententiam ab antiquioribus etiam annotata, venit in mentem vereri, ne aut ipsi nominum similitudine, quæ Eucharii & Celsi sunt hujus Ecclesiæ Pontificum, in alia omnia detorsissent; aut, quæ his consentanea primâ facie, quod proclive multis id ætatis scriptoribus, hæc nimirum adjuvissent interpretando. At verò, ubi D. Ambrosium ipsum hæc eadem narrantem adii, discussis & circumspectis diligenter omnibus, quæ publici usûs breviaria retinent, dubitationi nullus superfuit locus. Adhæc, ne Cornelius quidem hisce locis abfuit, imperante Nerone; siquidem Cornelium Aquinum Tacitus Legatum celebrat in vicina Treviris Germania. Fontei Capitonis, qui olim Asiam proconsul rexerat, interfectorum. Sed D. Ambrosium jam audiamus. *Quid illud*, inquit, *quanquam insigne divinæ gratiæ munus? quod, accepto jam salutari lavacro, post innumera virtutum signa, post peragratas circumquaque ob Christi prædicationem innumeras regiones, cùm pro Dei summi confessione, diversa per supplicia adversus eum totus penè orbis bacchare tur, & nunc atrocissimis arctaretur pœnis cruciandus, nunc in longinquis finibus transveheretur exulandus, ita robustissimo Christi athleta pectore, tormenta omnia devincebat, ut strenuum de prostrato reportaret hoste trophæum; interq; cruenta Cæsaris jussa, vasti maris littore dejectus, ambulare ei divinâ super aquas concessum est providentiâ; & rerum obstupescente naturâ, per insueti itineris novas vias pendulum inferens gressum, tumentia maris dorsa calcavit. Videres æquoreas sanctis substerni meritis undas, supraq; angelicis confortatum alloquiis, in Christi Iesu laudibus exultare. Ecce, prophanus hostis nunquam beato martyri prodesset tantùm obsequio, quantùm profuit odio. Sed tandem perfecto agonis certamine, cum Celso puerulo, quem ipse in holocaustum Deo, polluto assumpserat ex sæculo, crudeli imperio, damnatione absolvitur, gladio consecratur.*

Eucharii & Celsi cum Nazario & Celso cognatio. Fons multorum anistoresiæ.

Brev. Rom. 28. Iul. & Ado. Martyr. Tac. l. 1. hist. & Arnal. a. S. Ambrosius affirmat res gestas & peregrinationes B. Nazarii. Serm. de SS. Nazario & Celso.

XXIX. Martyria Belgicæ.

M. S. Tab. Democlear. Martyrol. Usuardi Adon. Rom.

Porro Neronianæ persecutionis haud expertem fuisse Belgicam, indicio sunt Rhemorum certamina, qui primos in ea Christianæ fidei magistros amiserunt. Sixtum quippe tabulæ Rhemesis Ecclesiæ, cui Senecium jungunt, & Amantium Petri discipulos, Neronis imperio, perhibent factos esse martyres. De * Xysto certè docent fasti publici, Kalendis Septembris sub Nerone martyrii coronam accepisse.

* Sixto

Neronis avaritia in vectigalib. exigendis.

Tacit. an. l. 15.

Inter hæc Nero; dum habet ludibrio orbis Romani divitias, & injuriam facere, id demum censet, imperio uti, vectigalium nullum neque modum, neque modestiam nosse, fœda facinora crudeliaque pariter in socios civesque audere. Prodidit, hoc tempore Tacitus, conferendis pecuniis pervastatam Italiam, provincias eversas, sociosque populos, &, quæ civitatum liberæ vocabantur: longè ut Treviris tunc sua libertas fuerit.

XXX. ANNUS Chr. 68.

L. Fonteio & C. Julio Rufo Capitone Coss. qui Neronis annus erat tertiusdecimus, Christi verò, Sexagesimus octavus, Petrus & Paulus Apostoli, duo clarissima Ecclesiæ lumina, tertio Kalend. Julii ambo unâ eâdemque die triumphantes, gloriosam pro Christo mortem oppetierunt; hic Neroniano cæsus gladio, iste cruci affixus, sed reverentiâ magistri capite in terram prono: fastigium celsissimæ dignitatis excipiente pro Petro Lino.

Petri & Pauli martyriū. *Euseb. c. 25. hist. Eccles. Doroth. Episc. in sua Synopsi de 12. Apostolis.*

LINUS regit an. 11. m. 2. d. 23.

ANNUS Chr. 69. *Dio in Nerone. Tac. l. 1. histor.*

XXXI. Galliæ Neronem destituunt.

Subiit ultimus inde imperii Neronis annus, qui nonus & sexagesimus à Christo nato, scelerum pœnas à tyranno reposcens, noxam illi, & ultimum exitium attulit. Nec dubitavit inter primos Gallia, excusso tyranni jugo, nefarium principem destituere, ac se ducem ulciscendæ injuriæ offerre. Provinciam pro prætore obtinebat Julius Vindex natione Gallus, stirpe regiâ ac patre senatore natus; homo ingenio manuque promptus, & ad res magnas gerendas idoneus. Huic morum Neronis diritas cùm gnara; simulque illustrium virorum tot cædes obversantur animo; seu quòd similem casum ad se recidere posse metueret, seu Rempublicam asserere certum ei ac deliberatum esset, primus belli consilia explicuit. Re igitur communicatâ cum Galliæ principibus, Sequanis & Æduis, civitatibus iis videlicet, quas gravioribus tributis noverat irritatas, hortatur, ut communis libertatis causâ arma capiant, ac veterem belli gloriam sibi ac Reipublicæ in præsens accommodent; se illorum salutis causâ nullum discrimen recusaturum, quin verò principem ex omnibus bellum facturum. Sententiis dictis, constituunt certum auxiliorum numerum, & copias decernunt mox ad Vindicem deportandas. Non hæc conjuratio Treviris fuit volentibus, etiam cum cæterarum Galliæ civitatum invidia; siquidem animadverso, legiones vicinas utriusque Germaniæ cunctatiùs Neronem deserere, harum partibus se tutiùs applicant, utpote, quorum signis, stipendiis, ac militiæ jam longo usu insueverant. Treviris mox solito nexu hæsêre Lingones, & proximæ Germanis exercitibus Galliarum civitates; quæ Verginium secutæ superioris Germaniæ Legatum, illustri famâ ducem, & mox consularem, tam pertinaci studio à reliqua descivêre Gallia, ut legionibus apud Rhenum ardor incederet non Vindici modò resistendi, sed deferendi quoque Verginio, si vellet, imperium. Inter hæc, copiis jam in expeditionem paratis, literas Vindex mittit ad Galbam, qui Tarraconensem Hispaniam regebat, quibus eum hortatur, ut humano generi assertorem ducemque se præbeat; quibus Galba literis perlectis, non diu cunctatus, oneri cuncta regendi subire, eoque promptiùs, quòd mandata Neronis de nece sua ad Procuratores provinciæ clam missa, tum jam deprehenderat. Quare conscenso tribunali, ac deplorato præsentium temporum statu, complurium damnatorum, atque à Nerone occisorum imagines ad commiserandum proponit; quibus conspectis, Imperator ab astantibus quidem consalutatus, ad honorem ipse primò, velut ambiguus imperandi, modestè recusans, se Legatum modo, populi Romani nomine, profitetur; mox deinde, ubi facultas & causa dedit, ad rem gerendam pleno imperio se accingit. Interea Vesontionem, quod nobile

Julius Vindex Proprætor Galliarum, belli tuba. *Sueton. c. 40. in Nerone.*

Conjuratio procerum Galliæ in Neronem.

Tacit. hist. lib. 1. & 4.

XXXII. Treviri & Lingones contra Galliam stant prò milite Neronis.

Galba Hispaniæ Tarraconensis præses imperium assumit. *Suet. in Galba c. 9. 10. & seq. Plutarch. in Galba.*

XXXIII. Gallis reliquis contra Neronem surgentibus Treviri in ipsius fide manent.

Sequanorum oppidum, armatus pervenerat Vindex. At Verginius Rufus pro Nerone cum legionibus, & vicinarum civitatum auxiliis ad coërcendum Vindicem profectus, Vesontium ex itinere oppugnare parabat, non procul ab urbis conspectu positis castris. Ibi, cùm duces ambo caussâ licet discordes, tamen in colloquium occulti boni spe veniunt, id militi fuit conspirationis in Neronem indicium. Et de Verginio Tacitus, dubium, ait, an imperare voluisset, delatum ei à milite imperium, conveniebat. Porrò jam hic quid improvisi casus territis & suspectis animis valeant, apparuit. Fortè à colloquio Julius Vindex copias propiùs urbem admoverat; quas cùm errore decepti, Germanici exercitus in se duci putant, mox injussu ducis fit impetus; imparatumque adorti Vindicem, magnum copiarum numerum ingenti strage concidunt. Desiderati eo prælio Gallorum viginti millia. Julius Vindex tam acerbo atque improviso suorum casu consternatus, doloris impatientiâ ferro incumbens, vitæ renuntiat. Ejus mortem acerbè tulit Verginius: quippe vir erat ingenti animo Vindex, atque ad asserendam libertatem eo ardore pectoris, ut, cùm Nero publicè constituisset præmium centies sestertiûm ei, qui revulsum à cervice caput Vindicis pertulisset Romam; ceu contra licitando, qui Neronis interfecti caput ad se retulisset, eum verò caput Vindicis accepturum, mercedis loco diceret. Victoriam hanc civili odio fuisse cruentam Tacitus, qui hujus historiæ modo semina nonnulla spargit, eo loci testatur, qui Germanicos exercitus postea sollicitos describit & iratos superbia recentis victoriæ, ac metu, tanquam alias partes contra Galbam fovissent. & alibi. *Cæso cum omnibus copiis Iulio Vindice, ferox præda gloriâq; exercitus, ut cui sine labore, & periculo, ditissimi belli victoria evenisset.* Sed Trevirorum ac Lingonum hinc magnam quoque exortam invidiam meminit, apud ceteros Gallos, quorum cum postea societatem contra Romanum ambirent: *Constat idem*, inquit, *obstitisse Treviris Lingonibusq; quod Vindicis motu pro Verginio steterat.*

Vindex copiis suis attritus ad desperationem vitæ redigitur. *Plutarchus.*

Vindex magnanimus.

Lib. 1. hist.

Lib. 4.

XXXIV. Neronis impotentia Galliarum defectione cognita.

At Nero defectione Vindicis compertâ, ubi Galbam insuper cum Hispaniis descivisse cognovit, collapsus, ut ait Suetonius, animoque malè fracto, diu & sine voce, & propè intermortuus jacuit. Utque resipuit, veste descissâ, capite converberato, actum de se pronuntiavit; ac paulò post, nunciatâ cæterorum exercituum defectione, simili vecordis animi specie, variis consiliis, ut in perdita re, nequidquam susceptis; tandem ab omnibus desertus, scelestissimam vitam pessimo mortis genere finiit.

Galliarum urbes Romanâ civitate donantur.

Interim Galba, qui Nerone adhuc superstite imperium ceperat: edictis per Provincias dimissis, autor singulis fiebat, universisque conspirandi, & acriter ad defectionem Galliarum civitates, per suos impellebat. Reliquas certè, quæ Vindici studuerant, non tam humanitate suâ; quàm artibus Titi Vinii Consulis ac collegæ, ut Plutarchus annotavit, sibi mox adjunxit, dono Romanæ civitatis universis impertito, quod sub Claudio primoribus obvenerat, & in posterum tributi levamento: Treviros verò ac Lingones, quæque aliæ civitates proximæ Germanis exercitibus; quòd in ejus suscipiendo imperio cunctantiùs egissent, partim atrocibus edictis, partim ademptis finibus, severâ animadversione; puniit. Nec ita cohibuit iras Galba, qui, postquam occiso Nerone, exercitus superioris Germaniæ præventus ab inferioris exercitus vexillis, in ejus partes sacramento translatus, in præfectos sævijt, & Galliæ vicinæ primores. Tetigit rem eam Tacitus, sub Othonis persona Galbæ crudelitatem exaggerantis, cùm inter cædes illustrium objicit Bervichilonis, in Gallia: Fontei Capitonis, in Germania. Valerius Asiaticus per id tempus Belgicæ provinciæ legatus, & Pompeius Propinquus Procurator fuit. Germanici verò exercitus, superioris quidem Hordeonius Flaccus, inferioris autem rector Vitellius. Legiones superioris exercitus, postquam per simulationem amicitiæ abductus Verginius, seque & Gallias expertæ, quærere rursus arma, novasque discordias, & quòd Hordeonii propter ingravescentem senectam imperium aversarentur, primæ fidem Galbæ rumpere ausæ. Nec deerat pars Galliarum, quæ Rhenum accolit, easdem partes adversus Vindicem secuta; ac tum acerrima instigatrix adversus Galbianos. Hoc enim nomen, fastidito Vindice indiderant. ac pergit Tacitus, Treviri ac Lingones, quasque alias civitates atrocibus edictis aut damno finium Galba perculerat, hibernis legionum propiùs miscentur. unde seditiosa colloquia, irritato præsertim milite Romano, Gallorum illorum contumaciâ, qui remissam sibi à Galba quartam tributorum partem, & publicè Romanâ civitate donatos, in ignominiam exercitûs jactabant. Similiter Treviri Rhenoque propinqui pari dolore commoda aliena, ac suas injurias metiebantur.

XXXV. Treviri & Lingones male multati à Galba ob Neronis studia.

Tacit. hist. l. 1. Suet. in Galba. Plutarch. Dio. Xyphil.

Valerius Asiaticus Belgicæ Legatus.

Germaniæ superioris legiones à Galba deficiunt.

XXXVI ANNUS Chr. 70.

Paucis inter hæc post Kalend. Januarii diebus Pompeii Propinqui Procuratoris è Belgica Romam perferuntur literæ; superioris Germaniæ legiones, ruptâ sacramenti reverentiâ, Imperatorem alium flagitare, ac senatui ac populo Romano arbitrium eligendi permittere, quo seditio molliùs acciperetur. Galba itaque, hoc accepto Germanicæ seditionis nuncio, anxius, quò exercituum vis erumperet, comitia imperii transigit, & maturat consilium de adoptione Pisonis Liciniani, quod jam pridem secum, & cum proximis agitârat. Quippe sermones hominum ierant, senectam, avaritiam, & crudelitatem Galbæ increpantium. Ubi itaque ætatem suam esse sensit irrisui, & fastidio assuetis juventæ Neronis, Pisonem Frugi Licinianum, juvenem præclarum, & illustri familiâ, perductum in castra pro concione adoptavit. Quæ res, ut animum Othonis Silvii graviter in primis sauciavit, ita deinde exitio Galbæ fuit. Otho namque, cum spe adoptionis, quam initio conceptam in dies acriùs rapiebat, excidisset, ceu jam gratiâ non posset, vi invalescere maluit. Præoccupatis igitur arte multiplici militum animis, & memoriâ Neroniani comitatus, cujus ex disciplina prodierat, obstrictis, percussores demũ submisit equites, qui relictum à suis Galbam, & septimum mensem imperio potitum, miserè contrucidarunt.

Othonis Silvii regnantis initia & finis Galbæ.

Victor

OTHO IMP. regit. m. 3. d. 5.

Victor inde mox ſenatum ingreſſus, Romanis perſuadet, ſe raptum de publico, & imperium ſuſcipere à militibus coactum.

Quæ deinde Trevericis rebus non aliena, in provinciis Belgia Germaniaque conſecuta ſunt; & quemadmodum hujus anni exordio AULUS VITELLIUS ad imperium pervenerit exequar, ſed Taciti fide, carptim & variis è locis, narratione promptâ.

XXXVI. Vitellius ad Rhenum veniens ſollicitatur ad imperium accipiendum.

Sub ipſas ſuperioris anni Kalendas Decembris AVLVS VITELLIVS, CENSORIS VITELLII *ac ter conſulis filius, miſſu Galbæ inferiorem Germaniam ingreſſus, hiberna legionum, quæ diutius ſine conſulari fuerant, cum cura adierat. Legati legionum* ALIENVS CÆCINNA, *&* FABIVS VALENS; *è quibus* VALENS *infenſus* GALBÆ, *inſtigare* VITELLIVM, *ardorem militum oſtentans. Ipſum celebri ubique fama; nullam in* FLACCO HORDEONIO *moram, affore Britanniam, ſecutura Germanorum auxilia, male fidas provincias, precarium (*GALBÆ*) ſeni imperium, & brevi tranſiturum; panderet modo ſinum, & venienti fortunæ occurreret. Quatiebatur his ſegne ingenium, ut concupiſceret magis quàm ſperaret. In ſuperioris Germaniæ exercitu, quarta ac duodevicesima legiones, iiſdem hibernis tendentes, ipſo Kalend. Ianuarii die, dirumpunt imagines* GALBÆ, *ac ne reverentiam imperii exuere viderentur in S. P. Q. R. obliterata jam nomina, ſacramenta advocabant. Nocte, quæ Kalend. Ianuarii ſecuta eſt, Coloniam Agrippinenſem Aquilifer quartæ legionis epulanti* VITELLIO *nunciat, quartam & duodevicesimam legiones, projectis* GALBÆ *imaginibus, in ſenatus & populi Romani verba juraſſe. Miſſi à* VITELLIO *ad legiones legatóſque, qui deſciviſſe à* GALBA *ſuperiorem exercitum nunciarent; proinde aut bellandum adverſus deſciſcentes, aut, ſi concordia & pax placeat, faciendum Imperatorem, & minore diſcrimine ſumi principem, quàm quæri. Proxima legionis primæ hiberna erant, & promptiſſimus è legatis* FABIVS VALENS. *Is die poſtero Coloniam Agrippinenſem, cum equitibus legionis auxiliariumque ingreſſus,* Imper. ſalutatur Colon. Agrip. *Imperatorem* VITELLIVM *conſalutavit. Secutæ ingenti certamine ejuſdem provinciæ legiones, & ſuperior exercitus III. Non. Ianuar. acceſſit. Ardorem exercituum Agrippinenſes, Treviri, Lingones æquabant, auxilia, equos, arma, pecunias offerentes, ut quiſque corpore, opibus, ingenio validus.* POMPEIVS PROPINQVVS, *Procurator Belgicæ, ſtatim interfectus.*

Pompeius Propinquus Belgicæ procurator interficitur.

Acceſſere partibus, VALERIVS ASIATICVS *Belgicæ provinciæ Legatus, quem mox* VITELLIVS *generum aſcivit. &* JVNIVS BLÆSUS *Lugdunenſis Galliæ rector. Ne in Britannia quidem dubitatum. Adjuncto itaque Britannico exercitu, ingens viribus opibúſque* VITELLIVS, *duos duces, duo itinera bello (adverſus* OTHONEM*) deſtinavit.* FABIVS VALENS *allicere, vel ſi abnuerent vaſtare Gallias, & Cotianis Alpibus Italiam irrumpere. Cæcinna propriore tranſitu, Peninis jugis digredi juſſus.*

XXXVII. Treviri cũ Valente Vitellio ducũtur in Italiam.

Valenti inferioris exercitus electi cum aquila decimæ quintæ legionis, & cohortibus aliſque (in quibus eminebant Treviri) ad XL. millia armatorum data XXX. millia Cæcinna è ſuperiore Germania ducebat. Mira inter exercitum imperatoremq; diverſitas. Inſtare miles, arma poſcere. invadendam Italiam. occupandam urbem. Torpebat VITELLIVS, *& fortunam principatus, inerti luxu ac prodigis epulis præſumebat, medio diei temulentus, & ſagina gravis. Lætum augurium* FABIO VALENTI *exercituique, quem in bellum cogebat, ipſo profectionis die aquila levi meatu, prout agmen incederet, velut dux viæ prævolavit. Et Treviros quidem ut ſocios, ſecuri adiere.*

XXXVIII. Rom. Legion. Treviros & ſocios adeunt, &c. Divodurum Medioma.

Divoduri, Mediomatricorum id oppidum eſt, quanquam omni comitate exceptos, ſubitus pavor exterruit, raptis repentè armis ad cædem innoxiæ civitatis, non ob prædam aut ſpoliandi cupidinem, ſed furore, & rabie, & cauſis incertis, donec precibus ducis mitigati, ab excidio civitatis temperavêre. Cæſa tamen ad quatuor millia hominum.

Quod cæde affligunt.

Inde nuncium de cæde GALBÆ *& imperio* OTHONIS, FABIVS VALENS *in civitate Leucorum accepit.*

Leucorum civitas.

Valentis cum Treviris iter per Gallias.

Nec militum animus in gaudium aut formidinem permotus, bellum volvebat. Proxima Lingonum civitas erat, fida partibus. Fruſtrà adverſus Æduos quæſita belli cauſa. Iuſſi pecuniam atque arma deferre, gratuitos inſuper commeatus præbuêre; quod Ædui formidine, Lugdunenſes gaudio, fecêre. Hinc ad Viennenſes, ac lento deinde agmine, per fines Allobrogum, & Vocontiorum ductus exercitus. & perventum ad Alpes.

XXXIX. Othonis conatus in Vitellianos.

At OTHO *luſtrata urbe, & expenſis belli conſiliis, quando Peninæ Cottiæq; Alpes, & cæteri Galliarum aditus Vitellianis exercitibus claudebantur, Narbonenſem Galliam aggredi ſtatuit, claſſe valida, & partibus fida. Pridie Idus Martii commendatâ patribus Republ. profectus. Nec illi ſegne aut corruptum luxu iter, ſed lorica ferrea uſus, & ante ſigna pedeſter, horridus, incomptus, famæq; diſſimilis. Blandiebatur cœptis fortuna, poſſeſſa per mare & naves majore Italiæ parte, penitus uſque ad initium maritimarum alpium, quibus tentandis, aggrediendæq; provinciæ Narbonenſi* SVEDIVM CLEMENTEM, ANTONIVM NOVELLVM, AMYLIVM PACENSEM *duces dederat.* Tac. hiſt. l. 2. *Poſt hæc imminere provinciæ Narbonenſi in verba* VITELLII *adactæ, claſſem* OTHONIS, FABIO VALENTI *trepidi nuntii attulêre. Aderant legati Coloniarum auxilium orantes.*

XL. Treviri equites mittuntur adverſus Othonianos.

Duas Tungrorum cohortes, quatuor equitum turmas, univerſam Trevirorum alam cum JULIO CLASSICO *præfecto miſit. è quibus pars in Colonia Forojulienſi retenta; ne omnibus copiis in terreſtre iter verſis, vacuo mari claſſis acceleraret. Duodecim equitum turmæ, & lecti è cohortibus, adverſus hoſtem iêre, quibus adjuncta Ligurum cohors, vetus loci auxilium, & quingenti Pannonii nondum ſub ſignis. Nec mora prælio, ſed acie ita inſtructa, ut pars claſſicorum mixtis paganis in colles mari propinquos exſurgeret, quantum inter colles ac littus æqui loci, prætorianus miles expleret, in ipſo mari, ut annexa claſſis & pugnæ parata, conversâ & minaci fronte prætenderetur. Vitelliani, quibus minor peditum vis, in equite robur, alpinos proximis jugis, cohortes denſis ordinibus poſt equitem locant. Treverorum turmæ obtulêre ſe hoſti incautè, cùm exciperet contra veteranus miles,*

Pugnãt non feliciter.

ſimul à latere ſaxis urgeret, apta ad jaciendum paganorum manus; qui ſparſi inter milites ſtrenui ignaviq; in victoria idem audebant. Additus perculſis terror, invectâ in terga pugnantium claſſe. Itaque undique clauſi, deletæq;

omnes

omnes copiæ forent, ni victorem exercitum attinuisset obscurum noctis obtentui fugientibus. Nec Vitelliani, quanquam victi, acquievêre; accitis auxiliis, securum hostem, ac successu rerum socordiùs agentem, invadunt. Cæsi vigiles, perrupta castra, trepidatum apud naves, donec, sedente paulatim metu, occupato juxta colle, defensi, mox irrupêre. Atrox ibi cædes, & Tungrarum cohortium præfecti, sustentatâ diu acie, telis obruuntur. Ne Othonianis quidem incruenta victoria fuit, quorum improvidè secutos, conversi equites (Treviri) circumvenerunt. Ac velut pactis induciis, ne hinc classis, inde equites subitam formidinem inferrent, Vitelliani retrò Antipolim Narbonensis Galliæ municipium, Othoniani Albingaunum interioris Liguriæ, revertêre.

Resumunt vires.

XLI.

Prælia diversa ab Vitellianis mixto Gallo & Germano auxiliari.

Porrò in Liguria rebus ita gestis, interea CÆCINNA affuit, qui florentissimum Italiæ latus, quantum inter Padum alpesque camporum & urbium, armis VITELLII tenebat. Atque hinc apud Placentiam & Bedriacum, singulis velut ictibus transacta bella, ferocissimâ manu auxiliarium ex Gallis nostratibus, Batavis, & transrhenanis, præcipuam navâte operam; donec conjunctis CÆCINNÆ ac VALENTIS, quæ ex Trevirorum finibus eductæ copiis, nulla ultrà penes Vitellianos mora, quin totis viribus certarent. Pugna edita memorabilis haud procul Bedriaco, nullâ quidem compertâ famâ Trevirorum, quò minùs immoramur, sed claris indiciis, affuisse unà, cum FABIO VALENTE, non equitem modò, qui hâc acie pulsus, sed ALPINUM etiam MONTANUM uni Trevirorum cohorti præfectum. OTHO verò, etsi victus hoc prælio, non tamen fractus, cui adhuc supererant Mæsicæ legiones, & prætoriarum cohortium, & speculatorum equitumque valida manus; verumtamen civium tantam virtutem ultra periculis objicere, æstimans nimis grande vitæ suæ pretium, festinato sibi exitu in ferrum incubuit, factus interfector suimetipsius.

Bedriacēse, cui affuêre Treviri.

Equites & pedites sub Alpino Mōtano.

Otho sibi necem conscicit.

XLII.

Vitellii segnis expeditio in Italiam.

Venit in Treviros.

Interim Vitellius victoriæ suæ nescius, ut ad integrum bellum, reliquas Germanici exercitus vires, trahebat. Pauci veterum militum in hibernis relicti, festinatis per Gallias delectibus, ut remanentium legionum nomina supplerentur. Cura belli Hordeonio Flacco permissa. Ipse è Britannico delectu octo millia sibi adjunxit. Et paucorum dierum iter [in Treviros] progressus, prosperas apud Bedriacum res, ac morte Othonis, consedisse bellum, accepit.

Julius Tutor Trevir Rheni defenditur.

Supplet ex Treviris & Agripp Coloni. legiones.

Magnum Treviris addidit decus, cùm, gentis primoribus, abiens, Rheni tutelam commisit; Julio Tutore Treviro, Præfecto ripæ. Nec cunctatio, ut credas, præcipua legionum & exercitus utriusque Germaniæ supplementa, ex Coloniis fuisse vicinis, præsertim Agrippinensi & Treverica; circumfusâ auxiliarium manu è locis propinquioribus. Nec abnuit Tacitus; cùm alibi à Gallis victoribus, servatos memorat Centuriones Tribunosque, in Gallia genitos pignus societatis. Sueto hinc itinere per Leucos & Lingonas, exercitu itinere terrestri pergere jusso, ipse Vitellius Arare flumine devehitur, nullo principali paratu, sed vetere egestate conspicuus; donec Junius Blæsus, Lugdunensis Galliæ Rector, circumdaret Principi ministeria.

XLIII.

Lugduni occurrunt Italici duces, qui ex Germania & Belgica profecti.

Præsto fuêre Lugduni victricium victarumque partium duces. Valentem & Cæcinnam pro concione laudatos curuli suæ circumposuit. Hinc digressus in Italiam, & mox Romam, nunquam ita ad curas animo intento, ut voluptates oblivisceretur. Quippe apud Vitellium omnia indisposita, temulenta, pervigiliis ac Bacchanalibus, quàm disciplinæ & castris propiora. Apud Ticinum tumultu inter legionarios & Gallos exorto, legionarii erupêre in perniciem auxiliorum; ac duæ cohortes interfectæ. Cohortes Batavorum, quia sæpe Romanis discordes, ne quid truculentiùs auderent, in Germaniam remissæ. Reddita civitatibus Gallorum auxilia, ingens numerus & primâ statim defectione inter inania belli assumptus. amputati quoque legionum auxiliorumque numeri, vetitis supplementis.

Gallicanæ cohortes auxiliares dissident à Rom. milite.

Galliarum auxilia remittuntur.

Hæ porrò missiones, etsi reditus ex Italia causam darent Treviris auxiliaribus, mansisse tamen ultra, Trevirorum cohortes, Albini Montani docet exitus. Ergo Julium Classicum existimem revertisse, cum reliquiis accisæ Trevirùm alæ; is namque Batavorum motu inter primos, se Claudio Civili sociavit.

Treviri equites ex Italia reversi.

XLIV.

Cæterùm, ubi Othonem, ac Vitellium scelestis armis res Romanas raptum ire in Oriente vulgatum est, ne penes cæteros imperii præmia, penes ipsos tantùm servitii necessitas esset, fremere miles Orientalis, & vires suas circumspicere. Paulò post, Othone labante, Mucianus Syriæ Præfectus ad moliendum Vespasiano principatum acerrimus instinctor adest. Initium ferendi ad VESPASIANUM imperii Alexandriæ, festinante Tiberio Alexandro, qui Kalend. Jul. sacramento ejus legiones adegit. Isque primus principatus dies in posterum celebratus.

VESPASIANUS IMP. regit an. 9. m. 6.

Vespasianus imperator in Oriente salutatur.

XLV.

Nihil æquè provinciam exercitumque accenderat, quàm quòd asseverabat Mucianus, statuisse Vitellium, ut Germanicas legiones in Syriam ad militiam opulentam quietamque transferret. Contra, Syriacis legionibus Germanica hiberna cœlo ac laboribus dura, mutarentur. Accelerata interim Vespasiani cœpta Illyrici exercitus studio in partes. Sparguntur per Gallias literæ, momentoque temporis flagrabat ingens bellum. At Vitellius falsos rumores dispergi, nec ullum civilis belli metum asseverabat, suppresso Vespasiani nomine, & vagis per urbem Romam militibus, qui sermones populi coërcerent. Deprehensi quoque cum literis edictisque Vespasiani per Rhætiam & Gallias, militum & Centurionum quidam ad Vitellium missi, necantur. Auxilia ex Germania Treviris vicina, Britannia Hispaniaque, nova Vitellius quærebat. nam Romæ per illecebras urbis & desidiam adjacentia Tiberi Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora fluminis aviditas & æstus impatientia labefecerat. Sed perinde legati provinciæque contabantur; & Hordeonius Flaccus, qui cum Tutore Treviro apud Rhenum relictus, suspectis jam Batavis, anxius erat proprio bello, quod ilicò ingenti Trevirorum motu irrupit.

Germanica hiberna in Treviris cujusmodi.

Vespasianus se Gallis nostratibus insinuat.

Vitellius haustis auxiliis quæ traxerat à Rheno secum nova quærit.

Ægrè dantur.

Tacit. hist. l. 3.

XLVI. Vitelliani imperii vis Cremonensi clade frangitur.

Venerant jam in Italiam Vespasiani copiæ, & Antonio Primo duce, ubi classis Ravennas aliaque loca plurima cessere Flavianis, tandem apud Cremonam ingenti clade certatum est, quâ victi dispersique Vitelliani, rei summam in casum dedêre. Superatus eo prælio cum Treviris Albinus Montanus, homo domi suæ nobilis, missusque ostentui in Germaniam cum literis Primi Antonii, ad dissipandam famâ victoriam. Necdum Cremonensi pugnâ res Vitellii inclinatæ, cùm cæsos exercitus, capta legionum hiberna à Batavis, descivisse Gallias Romæ increbuit. Id bellum, quibus causis ortum, quanto externarum sociarumque gentium motu flagraverit, longâ narratione pertexuit Tacitus. Sed quia Treverica præcipuè spectamus, excerpimus, quæ instituto faciunt nostro, nec fidem vel in oratione deterimus, etsi scriptor à se fiat diversus.

Cujus interpres Alpinus Montanus Trevir è victis.

Tac. hist. l. 4.

XLVII. Batavorum & Galliarũ motus adversus imperat. Rom. Claudius civilis Batavus autor. Injurias suas, &

Claudius Civilis ex Batavorum transrhenana gente, regiâ stirpe, falso rebellionis crimine catenatus olim ad Neronem missus, & à Galba absolutus, sub Vitellio rursus discrimen adierat, flagitante supplicium ejus exercitu. Inde causæ irarum, spesque ex malis discordiæ civilis inter Vitellium & Flavianos. Hic ultra quàm barbaris solitum, ingenio solers, ne ut hosti obviam iretur, si à populo Romano palam descivisset, Vespasiani amicitiam studiumque partium prætendit. Missis sanè ad eum Primi Antonii literis, quibus avertere accita à Vitellio auxilia, & tumultus Germanici specie, retentare legiones, jubebatur. Noverat Hordeonium Flaccum, inclinato in Vespasianum animo. Igitur diffidii certus, occultato interim altiore consilio, novare res hoc modo cœpit.

Jussu Vitellii Batavorum juventus ad delectum vocabatur, nam Batavi Romanis ex fœdere non opes, sed viros tantùm, armaque ministrabant. Delectum suapte naturâ gravem, onerabant ministri avaritiâ ac luxu. Hinc invidia & compositi seditionis autores perpulêre, ut delectum abnuerent. Civilis primores gentis, & promptissimos vulgi, specie epularum in nemus vocatos, injurias, raptus, & cætera servitii mala recensendo, patriis exsecrationibus in verba adigit. Missi ad Caninefates & Frisios, qui consilia sociarent. Mox occultis nunciis pellexit Britannica auxilia, Batavorum cohortes, nuper ob seditiones ex Italia remissas, ac tum Magontiaci agentes, statimque duarum cohortium hiberna, proximo occupato Oceano, petuntur. Capta ibi & direpta castra: dein vagos & pacis modò effusos lixas, negotiatoresque Romanos invadunt. Tungrorum subinde cohors signa ad Civilem transfert. perculsique improvisâ proditione milites Romani, qui incensis castellis, duce Aquilio primipilari, in superiorem insulæ partem confugerant, à sociis hostibusque cædebantur. Eadem etiam navibus perfidia, quæ remiges cùm haberent Batavos, hostili ripæ objectæ, cæsis etiam Centurionibus, & gubernatoribus, donec universa quatuor & viginti navium classis, transfugeret aut caperetur. Clara ea victoria in præsens, in posterum usui; armaque & naves, quibus indigebant, Batavi adepti, magnâ per Germanias Galliasque famâ, libertatis autores celebrabantur. Germaniæ statim misere legatos auxilia offerentes. Galliarum societatem Civilis arte donisque affectabat. Captos cohortium præfectos, in quibus haud dubiè Treviri, suas in civitates remittendo, cohortibus an manere mallent, datâ potestate.

Delectuum servitutem prætendens.

Germanos vicinos adsociat.

Romanos tota pellit insula.

Germania illi gratulante Galliarum societatem ambit. Gallisque captis parcit.

Hordeonius Flaccus, qui primos Civilis conatus per dissimulationem aluerat, ubi expugnata castra, deletas cohortes, pulsum Batavorum insula Romanum nomen accepit, Mumium Lupercum legatum (is duarum legionum hibernis præerat) egredi adversus hostem jubet. Lupercus legionarios è præsentibus, Ubios è proximis, Trevirorum equites haud longè agentes raptim transmisit, additâ Batavorum alâ, quæ jam pridem corrupta, fidem simulabat, ut proditis in ipsa acie Romanis, majore pretio fugeret. Ubi ergo ventum ad manus, nudavit sinistrum cornu Batavorum ala transfugiens, statimque in socios versa. Ubiorum Trevirorumque auxilia fœdâ fugâ dispersa, totis campis palantur. Illuc incubuêre Germani veteres Trevirorum hostes.

Romanum & Treviros congredi ausos prælio superat.

XLVIII. Vetera perfugium Romanis.

Et fuit interim effugium legionibus in castra, quibus Veterum nomen, ubi sedem hodie locant oppido Cliviæ, quod Sanctos à martyribus Thebæis appellant. Iisdem diebus Batavorum & Caninefatium cohortes Romam ad Vitellium tendentes, Civilis nuncio retractæ, inferiorem Germaniam, spreto Flacco, petebant, ut Civili jungerentur. Scribit Hordeonius Herennio Flacco legionis primæ legato, qui Bonnam obtinebat, ut arceret transitu Batavos, se cum exercitu tergis eorum hæsurum; quod tamen omisit. Imbecillâ Bonnensi legione, excitæ è Treviris ac vicinia, tumultuariæ Belgarum cohortes, & aderat * paganorum lixarumque ignava, sed procax ante periculum manus.

Batavorum veteranæ cohortes Civili se jungunt.

* Pagani, id est, nondum inter milites censiti, ut *l. 1. c. de milit. tek. & aliis. Tertul. de coron. milit.*

Batavi, cum castris Bonnensibus propinquarent, petitâ pace, mandata cohortium per interpretes exponunt. Si nemo obsisteret, innoxium iter fore, si arma occurrant, ferro viam inventuros. Contantem legatum milites perpulerunt, fortunam prælii experiretur. Tria millia legionariorum cum manu Belgarum omnibus portis erumpunt, ut Batavos numero impares circumfundant. Illi veteris militiæ memores, in cuneis congregantur, & densi undique, tenuem aciem legionis perfringunt. Cedentibus Belgis, pellitur legio. & vallum portásque trepidi petebant. Ibi plurimum cladis, cumulatæ corporibus fossæ, nec cæde tantùm & vulneribus, sed ruinâ, & suis plerique telis, interiêre. Ergo Batavi victores, Coloniâ modò Agrippinensium vitatâ, transiêre innoxii.

Impeditæ transitu apud Bõnam Roman & Treviros clade afficiunt.

XLIX. Civilis Batavus pro Vaspasiano sacramentũ à suis exigit

Civilis adventu veteranarum cohortium justi jam exercitus ductor, cunctos in verba Vespasiani adigit; & cùm invitatis ad idem accipiendum sacramentum legionibus, procax responsum accipit, incensus irâ, universam Batavorum gentem in arma rapit. Junguntur Bructeri Tencterique, & excita nunciis Germania, ad prædam famámque. Adversus has belli concurrentis minas, legati legionum cum diffidiis militum intestinis, &

mutuis

Majori molle coortus per Germanos Treviros vastat & Ubios.

mutuis invicem offensionibus parum expediunt. Civilis Germanos, ut cuique proximum, vastari Ubios Trevirósque, & aliam manum Mosam transire jubet, ut Menapios & Morinos, & extrema Galliarum quaterent. Actæ utrobique prædæ. infestiùs in Ubiis, quos genus Germanicæ originis, ejurata patria, Romano nomine Agrippinenses vocarent.

L. Vetera obsidet, ubi Alpinus Montanus Trevir jubet eum desistere bello.

Civilis interim obsidium apud, Vetera legionum urgebat, cùm affuit ex Italia Alpinus Montanus Trevir, qui missus cum mandatis ad Civilem, ut absisteret bello, néve externa arma falsis velaret. Si Vespasianum juvare aggressus foret, satisfactum cœptis. Ad ea Civilis primo callidè; pòst, ubi videt Montanum præferocem ingenio, paratúmque in res novas, orsus à questu periculísque, quæ per quinque & viginti annos in castris Romanis exhausisset. Vos, inquit, Treviri, cæteræque servientium animæ, quod pretium effusi toties sanguinis exspectatis, nisi ingratam militiam, immortalia tributa, virgas, secures, & dominorum ingenia? sic accensum, sed molliora referre jussum, dimittit. Ille, ut irritus legationis rediit, cætera dissimulans, quæ mox erupêre. Pars legionum interea & auxiliares è Gallia, adigente Hordeonio, instantibus tribunis dixêre sacramentum Vespasiano.

Sed Alpinus hic trahitur in partes ipse.

Miles Rom. seditionibus alit hostem.

Civilis jam Geldubam cœperat, & mox haud procul Novesio, equestri prælio, prosperè certaverat. Sed miles Romanus secundis adversisque perinde in exitium ducum, accendebatur. Et adhuc Vitellii memor, comperto, missam ab eo pecuniam, donativum exposcit. Quam, cum Hordeonius nomine Vespasiani dat, aluit seditionem. Effusi itaque in luxum & epulas inferioris Germaniæ legionarii, dum per nocturnos cœtus veterem in Hordeonium iram renovant, protractum è cubiculo interficiunt. Quare Vitellii tunc imagines in castris & per proximas Belgarum civitates repositæ, cùm jam Vitellius corruisset. Hinc mutati in pœnitentiam rebelles, Voculam legatum sequuntur, apud quem, resumpto Vespasiani sacramento, ad liberandum Mogontiaci obsidium ducebantur.

Vitellius ejuratus in Belgis resumitur.

Et mox Vespasianus. Mogontiaci obsidio.

LI. Trevirorū opera & constantia in obsequio pop. Rom.

Discesserant obsessores, mixtus ex Cattis, Usipiis, Mattiacis exercitus, Batavo fidus, satietate prædæ, nec incruentati. Ita dispersos & nescios Romanus invaserat. Quin & loricam vallúmque per fines suos Treviri struxêre, magnisque invicem cladibus cum Germanis certabant, donec egregia erga populum Romanum merita, mox rebelles fœdarent. Audita interim per Gallias Germaniásque mors Vitellii, duplicaverat bellum. Nam Civilis, omissâ dissimulatione, in populum Romanum ruere; Vitellianæ legiones apud Rhenum externum servitium, quàm Imperatorem Vespasianum malle. Galli sustulerant animos, eandem ubique exercituum fortunam rati. Ante Flacci Hordeonii cædem nihil proruperat, quo conjuratio Batavorum cum Treviris alisque vicinis Gallis intelligeretur.

Trevirorū cum Batavis & Germanis conjuratio pro imperio Galliarum.

Interfecto Hordeonio, commeavêre nuncii inter Civilem Classicúmque Præfectum alæ Trevirorum. Classicus nobilitate, opibúsque anteibat alios. Regium illi genus, & pace bellóque clara origo. Ipse è majoribus suis, hostis populi Romani, quàm socius jactabat. Miscuêre se Julius Tutor, & Julius Sabinus, hic Trevir, iste Lingon. Tutor ripæ Rheni à Vitellio præfectus. Hi secretis sermonibus, animos cæterorum scrutari; ubi quos idoneos rebantur, conscientiâ obstrinxêre, in Colonia Agrippinensi in domum privatam conveniunt. nam publicè civitas talibus inceptis abhorrebat. Attamen interfuêre quidam Ubiorum Tungrorúmque. Sed plurima vis penes Treviros ac Lingonas. Nec tulêre moras consultandi. Si Alpes præsidiis firmentur, in tantis populi Romani discordiis, coalescere posse Galliarum Libertatem. De reliquiis tamen Vitelliani exercitus dubitavêre. Plerique interficiendos censebant turbidos, sanguine ducum pollutos, alii potiùs alliciendos in societatem, legatis tantum interfectis. Ea primi consilii forma. missique per Gallias concitores belli. Vocula interim Germaniæ inferioris legatus, Gallorum fraude illectus, ad hostem contendit. Nec procul à Veteribus aberat, cùm Classicus ac Tutor, ambo Treviri, per speciem explorandi prægressi, cum ducibus Germanorum pacta firmavêre.

Julius Classicus.

Jul. Tutor.

Coloniæ clam conspiratur.

LII. Trevirorū castra à Romanis tum primùm divisa.

Tumque primùm discreti à legionibus Treviri, proprio vallo sua castra circumdant, obtestante Vocula. Non adeò turbatam civilibus armis rem Romanam, ut Treviris etiam Lingonibúsque despectui sit. Superesse fidas provincias, victores exercitus, fortunam imperii, & ultores Deos. Hæc aliaque ferociter locutus, postquam perstare in perfidia Classicum Tutoremque videt; verso itinere, Novesium concedit. Treviri ac Lingones duûm millium spatio distantibus campis, consedêre. Illic empti legionariorum animi, ut imperium & sacramentum Galliarum acciperent, legatosque dederent At Vocula, quanquam plerique fugam suaderent concionari tamen ausus, & inter alia derivandæ in Treviros invidiæ: Bellum cum populo Romano, ipsorum se manibus gesturum, sperare Classicum? An Tutori Treviro agerent excubias? an signum belli exspectarent à Batavo? & Germanorum catervas supplere vellent? Denique Romana Numina obtestatur, ut si se duce, non sit cordi, castra incorrupta & intemerata servari, at certè pollui fœdarique à Tutore & Classico non sinant. Inde digressum liberti servique prohibuêre, fœdissimam mortem sponte prævenire. Et Classicus misso Æmilio Longino desertore primæ legionis, cædem ejus maturavit. Herennium & Numisium legatos vinciri, satis visum.

Treviri Roman. militem polliciunt ad sacramentum Galliæ dicendum. Vocula Legatus obsistit.

Sed jussu Classici necatur.

LIII. Classicus imper. Ro. insignia sumit.

Dein Julius Classicus, sumptis Romani imperii insignibus in castra venit. Nec illi, quanquam ad omne facinus durato, verba suppeditavêre, quàm ut sacramentum recitaret. Juravêre, qui aderant pro imperio Galliarum. Interfectorem Voculæ aliis ordinibus, cæteros ut quisque flagitium navaverat, præmiis attollit. Divisæ inter Tutorem & Classicum curæ. Tutor validâ manu circumdatos Agrippinenses, quantúmque militum apud superiorē Rheni ripam in eadem verba adigit.

Mogontiaci fœdè in Rom. sævit.

Occisis Mogontiaci tribunis, pulso castrorum præfecto, qui detrectaverat, Classicus corruptissimum quemque è deditis, pergere in Vetera ad obsessos jubet, veniam ostentantes, si præsentia sequerentur, aliter nihil spei. Famem, ferrumque, & extrema passuros. Obsessis omnia solita insolitáque alimenta deerant, absumptis jumentis equisque, virgulta postremò, & stirpes, & internatas saxis herbas vellebant, donec extremo miseriarum patientiæque documento, missis ad Civilem legatis, vitam orant. Neque ante preces admissæ, quàm in verba Galliarum jurarent. Dum castris egrediuntur, ad quintum ferè lapidem coorti Germani, incautos aggrediuntur sternúntque: injectisque facibus, qui retro in castra profugerant, hausit incendium. Mumius Lupercus legatus legioni interfectus. Pauci centurionum tribunorúmque in Gallia geniti, reservantur pignus societatis. Cohortium, alarum, legionum, hiberna subversa cremataque: iis tantùm relictis, quæ Mogontiaci ac Vindonissæ sitæ erant. Legio XIII. cum auxiliis simul deditis, à Novesio in Coloniam Trevirorum transgredi jubetur præfinita die, intra quam castris excederet. Ubi proficiscendi hora affuit, revulsæ Imperatorum imagines, inhixà signa fulgentibus hinc inde Gallorum vexillis, silens agmen, & velut longæ exequiæ. Duplicatur flagitium, postquam desertis Bonnensibus castris, altera se legio miscuerat. Et vulgatâ captarum legionum famâ, cuncti, qui paulo ante nomen Romanorum horrebant, procurrentes ex agris tectisque, & undique effusi, insolito spectaculo nimium fruebantur. Alâ Picentinâ profugâ, legione nil mutato itinere, ante mœnia Trevirorum considunt.

Obsessos in Veteribus sollicitat.

& ad deditionem cōpellit.

Legiones deditæ traducuntur in Treviros.

LIV. Colonia Agrippinensis periclitatur.

Civilis & Classicus rebus secundis sublati, an Coloniam Agrippinensium diripiendam exercitibus suis permitterent, dubitavère. Obstabat ratio belli, & novum imperium inchoantibus utilis clementiæ fama. Quare pacto in societatem traducti.

LV. Julius Sabinus Lingon imprudenter pugnâs rem Galliarum inclinat.

Interea Julius Sabinus Trevirorum conjuratus, se Cæsarem salutari jusserat, magnamque popularium turbam in Sequanos rapiebat conterminam civitatem. Nec Sequani detrectavère certamen. Fusi Lingones. Sabinus festinatum temerè prælium pari formidine deseruit, voluntariâ morte interiisse creditus. Sequanorum prosperâ acie belli impetus stetit. Resipiscere paulatim civitates, fasque & fœdera respicere, principibus Rhemis, qui per Gallias edixere, ut missis legatis in commune consultarent, libertas an pax placeret. Et jam venientis ab Italia exercitus Flaviani fama, & suopte ingenio ad mitiora inclinantes Galliarum civitates in Rhemos convenère. Trevirorum legatio illic opperiebatur, acerrimo instinctore belli Tullio Valentino. Is meditatâ oratione, cuncta magnis imperiis objectari solita, contumeliasque & invidiam in populum Romanum effudit, turbidus miscendis seditionibus, & plerisque gratus facundiâ. Constat obtitisse Treviris Lingonibusque apud Gallias quò minus bellum persuaderent, raperentque societatem, quòd Vindicis motu cum Verginio steterant. Deterruit plerosque provinciarum æmulatio, quod bello caput?

Hinc Galliarum civitates dividi à Treviris, & resipiscere, incipiūt.

Remis conveniunt.

Trevirorū & Lingonum societatem renuunt.

unde jus auspiciúmque peteretur? quam, si cuncta provenissent, sedem imperio legerent? Nondum victoria, jam discordia erat: aliis fœdera, quibusdam opes virésque, aut vetustatem originis, per jurgia jactantibus. Tædio futurorum, præsentia placuère. Scribuntur ad Treviros epistolæ, nomine Galliarum, ut abstinerent armis, impetrabili veniâ, & paratis deprecatoribus, si pœniteret. Restitit idem Valentinus, obstruxítque civitatis suæ aures, haud perinde instruendo bello intentus, quàm frequens concionibus.

Ad pacem & concordiam invitant.

Igitur non, Treviri, neque Lingones cæteræ, ve rebellium civitates, pro magnitudine suscepti discriminis, agere. Ne duces quidem, in unum consulere. Sed Civilis avia Belgarum circumibat. Classicus segne plerumque otium trahens, velut parto imperio fruebatur. Ne Tutor quidem maturavit superiorem Germaniæ ripam & ardua Alpium præsidiis claudere. Atque interim una & vicesima Legio, Vindonissâ, Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Rhœtiam irrupère. Accessit ala singularium, Julio Brigantico præfecto, qui sorore Civilis genitus. Tutor Trevirorum copias recenti Vangionum, Caracatium, Tribocorum lectu auctas, veterano pedite atque equite firmavit, corruptis spe, aut metu subactis legionariis, qui primò cohortem præmissam à Sextilio Felice interficiunt. mox ubi duces, exercitúsque Romani propinquabant, honesto transfugio rediêre: secutis Tribocis, Vangionibúsque & Caracatibus. Tutor Treviris comitantibus, vitato Mogontiaco Bingium concessit, fidens loco, quia pontem Navæ fluminis abruperat; sed incursu cohortium, quas Sextilius ducebat, & reperto vado, proditus fusúsque. Eâ clade perculsi Treviri, & plebes omissis armis, per agros palatur. Quidam principum, ut primi posuisse bellum viderentur, in civitates, quæ Romanam societatem non exuerant, perfugerunt. Legiones, Novesio Bonnáque in Treviros, ut supra memoravimus, traductæ, seipsas in verba Vespasiani adigunt.

LVI. Treviri sociiq; segniter rem gerunt.

Flavianæ copiæ appropinquāt.

JuliusTutor cū suis obviam iis tēdit.

Qui proditus à Romanis & auxiliaribus cæditur cum Treviris.

Trevirorū primores urbe excedunt.

Legiones captæ sese erigunt.

LVII.

Hæc, Valentino Treviro absente gesta, qui ubi adventabat, furens cunctáque rursus in turbas & exitium conversurus: legiones in Mediomatricos, sociam civitatem, abscesère. Valentinus ac Tutor in arma Treviros retrahunt, occisis Herennio & Numisio Legatis, quo minore spe veniæ cresceret vinculum sceleris. Atque hic status belli erat, quando Petilius Cerealis Vespasiani Legatus cum exercitu Mogontiacum venit. ejus adventu, erectæ spes. Ipse pugnæ avidus, & contemnendis quàm cavendis hostibus melior, ferociâ verborum militem incendebat; ubi primùm congredi licuisset, nullam prælio moram facturus. Delectus per Galliam habitos, in civitates remittit, ac nunciare jubet, sufficere imperio legiones. socii ad munia pacis redirent, securi velut confecto bello, quod Romanæ manus excepissent. Auxit ea res Gallorum obsequium. nam receptâ juventute, faciliùs tributa toleravère, proniores ad officia, quòd spernebantur.

Valentinus ac Tutor Treviri rem præcipitant. Petilii Cerealis advētus Mogontiacum pro Vespasiano rem gerens.

LVIII. Civilis & Classici studia.

At Civilis & Classicus, ubi pulsum Tutorem, cæsos Treviros, cuncta hostibus prospera accepêre: trepidi ac properantes, dum

dispersas

Cerealis infestus vadit in Treviros

dispersas suorum copias conducunt, crebris interim nunciis Valentinum monuêre, ne summæ rei periculum faceret. Eò rapidiùs Cerealis, missis in Mediomatricos, qui breviore itinere legiones in hostem verterent, contracto, quod erat militum, Moguntiaci, quantúmque secum transvexerat, tertiis castris Rigodulum venit, qui pagus ad ripam Mosellæ fluvii, veteri etiamnunc appellatione, à Treviris abest millia passuum quinque versus Orientem: hunc locum magnâ Trevirorum manu Valentinus insederat, montibus aut Mosellâ amne septum, & addiderat fossas, obicésque saxorum. Nec deterruêre ea munimenta Romanum ducem, quò minùs peditem perrumpere juberet; equitum aciem, in collem erigeret; spreto hoste, quem temerè collectum, haud ita loco juvari, ut non plus suis in virtute foret. Paulùm moræ in ascensu, dum missilia hostium prævehuntur. Ut ventum ad manus, deturbati, ruinæ modò præcipitantur. Et pars equitum æquioribus jugis circumvecta, nobilissimos Belgarum, in queis, ducem Valentinum, cêpit.

Rigodulum quod vulgo Rigol; quo situ.

Valentinus cum Treviris occurrit Cereali.

LIX. Prælio apud Rigodulum Valentinus capitur cum nobilissimis Belgarum.

Cerealis postero die, Coloniam Trevirorum ingressus est, avido milite eruendæ civitatis. hanc esse Classici, hanc Tutoris patriam: horum scelere, clausas cæsásque legiones. Quid tantùm Cremonam meruisse, quam è gremio Italiæ raptam, quia unius noctis moram victoribus attulerit? *stare in confinio Germaniæ integram sedem, spoliis exercituum & ducum cædibus ovantem.* Redigeret prædam in fiscum. Ipsis sufficere ignes, & rebellis Coloniæ ruinas, quibus tot castrorum excidia pensarentur. Cerealis metu infamiæ, si licentiâ sævitiâque imbuere militem crederetur, pressit iras. & paruêre, posito civili bello, ad externa modestiores.

Coloniæ Trevirorũ infensi milites Rom. frœnum injiciunt.

Urbis descriptio magnifica.

LX.

Cerealis oratio ad Treviros.

Accessêre deinde è Mediomatricis accitæ ad Cerealis copias, profugæ Bonnâ ac Novesio legiones, quibus in eadem castra simul receptis, & proditæ desertæque fidei veniâ donatis, Cerealis Treviros ac Lingonas ad concionem vocatos, ita allocutus est: *Neque ego unquam facundiam exercui; & populi Romani virtutem armis affirmavi. sed quia apud vos verba plurimum valent, bonaq. ac mala non suâ naturâ, sed vocibus seditiosorum æstimantur: statui pauca differere, quæ profligato bello, utiliùs sit vobis audisse, quàm nobis dixisse. Terram vestram, cæterorumq. Gallorum ingressi sunt Duces, Imperatoresq. Romani, nullâ cupidine, sed majoribus vestris invocantibus, quos discordiæ usque ad exitium fatigabant. & acciti auxilio Germani, sociis pariter atque hostibus servitutem imposuerant. quot præliis adversus Cimbros Teutonesq., quantis exercituum nostrorum laboribus; quóve eventu Germanica bella tractaverimus, satis clarum. Nec ideo Rhenum insedimus, ut Italiam tueremur: sed, ne quis alius Ariovistus regno Galliarum potiretur. An vos cariores Civili, Batavisq. & Transrhenanis gentibus creditis, quàm majoribus eorum patres aviq. vestri fuerunt? Eadem semper causa Germanis transcendendi in Gallias, libido atque avaritia, & mutandæ sedis amor, ut relictis paludibus & solitudinibus suis, fæcundissimum hoc solum, vosq. ipsos possiderent. Cæterum libertas, & speciosa nomina prætexuntur. nec quisquam alienum servitium & dominationem sibi concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet. Regna bellaq. per Gallias semper fuere, donec in nostrum jus concederetis. Nos, quanquam totiens lacessiti, jure victoriæ id solum vobis addidimus, quo pacem tueremur. Nam neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi queunt: cætera in communi sita sunt. Ipsi plerunque legionibus nostris præsidetis. Ipsi has aliasq. provincias regitis. Nihil separatum clausúmve. Et laudatorum principum usus ex æquo, quamvis procul agentibus: sævi proximis ingruunt. quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, & cætera naturæ mala; ita luxum, vel avaritiam dominantium tolerate. Vitia erunt donec homines, sed neque hæc continua: & meliorum interventu pensantur. nisi forte Tutore & Classico regnantibus, moderatius imperium speratis: aut minoribus, quàm nunc tributis, parabuntur exercitus, quibus Germani Britannique arceantur. nam pulsis (quod Dii prohibeant) Romanis, quid aliud quàm bella omnium inter se gentium existent? Octingentorum annorum fortuna disciplinaque compages hæc coaluit: quæ convelli sine exitio convellentium, non potest. Sed vobis maximum discrimen, penes quos aurum & opes, præcipuæ bellorum causæ. Proinde pacem & urbem, quam victi victorésque eodem jure obtinemus, amate, colite. Moneant vos utriusque fortunæ documenta, ne contumaciam cum pernicie, quàm obsequium cum securitate, malitis.* Huc usque Tacitus.

LXI.

Porrò Cerealis cum exercitu victore in civitatem Trevirorum metu impendentium malorum ingenti consternatam; ingressus, cum hac oratione eam erigere, atque ad omnia tranquilliora formare instituisset, Julius Classicus & Civilis ad Cerealem dant literas, quarum hæc sententia fuit: Vespasianum, quanquam nuncii occultarent, excessisse vitâ. Urbem atque Italiam interno bello consumptam. Muciani & Domitiani, vana & sine viribus nomina. Si Cerealis imperium Galliarum velit, ipsos finibus Civitatum suarum contentos: si prælium mallet, ne id quidem abnuere. Ad ea Cerialis Civili & Classico nihil. eum qui attulerat ipsas epistolas, ad Domitianum misit. Hostes divisis copiis advenêre undique. Plerique culpabant Cerealem, passim jungi, quos discretos intercipere licuisset. Romanus exercitus castra fossâ vallóque circumdedit: queis temerè antea in tutis consederat.

Apud Germanos, diversis sententiis certabatur. Civilis operiendas Transrhenanorum gentes, quarum terrore fractæ populi Romani vires obtererentur. Gallos, quid aliud quàm prædam victoribus? & tamen quod roboris sit, Belgas, secum palam, aut voto stare. Tutor cunctatione crescere rem Romanam affirmabat, coëuntibus undique exercitibus: transvectam à Britannia legionem: accitas ex Hispania: adventare ex Italia: nec subitum militem, sed veterem, expertumque belli. Nam Germanos, qui ab ipsis sperentur, non juberi, non regi, sed cuncta ex libidine agere. Pecuniamque ac dona, queis solis corrumpantur, majora apud Rom. & neminem adeo in arma prômptum, ut non idem pretium quietis quàm periculi malit. quod si statim

congrediantur, nullas esse Cereali, nisi ex reliquiis Germanici exercitus, legiones, fœderibus Galliarum obstrictas. Idque ipsum, quod inconditam nuper Valentini manum contra spem suam fuderint, alimentum illis, ducique temeritatis. Ausuros rursus venturósque in manus, non imperiti adolescentuli verba & conciones, quàm ferrum & arma meditantis, sed Civilis & Classici: quos, ubi aspexerint, redituram in animos formidinem, fugam, famémque, ac totiens captis precariam vitam. neque Treviros aut Lingonas benevolentiâ contineri: resumpturos arma, ubi metus abscesserit.

LXII. Civilis & Classicus sub ipsius Treviricæ Coloniæ mœnibus Cerealem pugna lacessunt.

Diremit consiliorum diversitatem, approbata Tutoris sententia, Classicus, statimque exsequuntur. Media acies Ubiis Lingonibusque data, dextro cornu cohortes Batavorum, sinistro Bructeri Tencterique: pars montibus, alii viam inter, Mosellámque flumen, tam improvisi assiluère, ut in cubiculo ac lectulo Cerealis (neque enim noctem in castris egerat) pugnari simul, vincíque suos audierit, increpans pavorem nunciantium, donec universa clades in oculis fuit.

Romanorũ trepidatio Gallis irruentibus.

Perrupta legionum castra, fusi equites; medius Mosellæ pons, qui ulteriora Coloniæ annectebat, ab hostibus insessus: Cerealis turbidis rebus intrepidus, & fugientes manu retrahens, intecto corpore promptus inter tela, felici temeritate, & fortissimi cujusque accursu, recuperatum pontem lecta manu firmavit. Mox in castra reversus, palantes captarum apud Novesium Bonnámque legionum manipulos, & rarum apud signa militem, ac propè circumventas aquilas videt. Incensus irâ, non Flaccum, inquit, non Voculam deseritis. Nulla hic proditio, neque aliud excusandum habeo, quàm quod vos Gallici fœderis oblitos memoriam Romani sacramenti tenere credidi. Annumerabor Numisiis & Herenniis, ut omnes legati vestri aut militum manibus, aut hostium, ceciderint. Ite, nunciate Vespasiano, vel quod propiùs est, Civili & Classico, relictum à vobis in acie ducem. venient legiones, quæ neque me inultum, neque vos impunitos patiantur. Vera erant, & à Tribunis Præfectisque eadem ingerebantur. consistunt per cohortes & manipulos: neque enim poterat patescere acies effuso hoste, & impedientibus tentoriis sarcinisque, cùm intra vallum pugnaretur. Tutor & Classicus & Civilis, suis quisque locis pugnam ciebant: Gallos pro libertate, Batavos pro gloria, Germanos ad prædam instigantes.

LXIII. Romani Treviris cæterisque Gallis resistût primo, ac dein victos superant.

Et cuncta pro hostibus erant. donec legio vicesima prima, patentiore quàm cæteræ spatio conglobata, sustinuit ruentes; mox impulit. Nec sine ope divinâ, mutatis repentè animis, terga victores vertère. Ipsi territos se cohortium aspectu ferebant, quæ primo impetu disjectæ, summis rursus jugis congregabantur, ac speciem novi auxilii fecerant. Sed obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen, hoste omisso, spolia consectandi. Cerealis ut incuriâ propè rem afflixit, ita constantiâ restituit. Secutusque fortunam, castra Trevirorum ducum, sociorúmque eodem die capit exscinditque; superstitibus tamen belli capitibus, & viribus, ad bellum redintegrandum.

LXIV. Victis Treviris bellum ad Agrippinenses transit, & inferiores Germanos.

Nec in longum quies militi Romano data. Orabant auxilium Agrippinenses, offerebantque uxorem & sororem Civilis, & filiam Classici, relicta sibi pignora societatis. atque interim dispersos in domibus Germanos trucidaverant. Unde metus & justæ preces invocantium, antequàm hostis ad spem vel ultionem vires repararet. Affuit tandem Cerealis propero agmine, & orantibus subvenit. Volitabat in armis adhuc Jul. Classicus. Et jam Britannica classis appropinquabat Batavis, ut quà Oceano ambiuntur, eos afflictaret. Classem ultrò Caninefates aggressi sunt; majórque pars navium depressa, aut capta. Et Nerviorum multitudinem sponte commotam, ut pro Romanis bellum capesseret, iidem Caninefates fudère.

Classicus Trevirorũ dux equitatum Cerealis fundit

Classicus quoque adversus equites, Novesium à Cereale præmissos secundum prælium fecit: quæ modica, sed crebra damna famam victoriæ nuper apud Treveros partæ, lacerabant. Inter hæc Domitianus Mucianusque missi à Vespasiano, antequàm Alpibus propinquarent, prosperos rerum in Treviris gestarum nuncios accepère.

Tullius Valentinus Trevir excelsi animi & facundus belli dux à Domitiano interficitur. Ejus in morte constantia.

Præcipuâ victoriæ fides dux hostium Valentinus, nequaquam abjecto animo, quos spiritus gessisset, vultu ferebat. Auditus eo tantùm, ut nosceretur ingenium ejus, damnatusque; inter ipsum supplicium exprobranti cuidam, *Trevirim patriam ejus captam. Accipere se solatium mortis*, respondit. At quid Classico fecissent Imperatori, si Tullio duci concionibus & tumultui ciendo quàm bello promptiori, sic in morte insultarunt, homines moderandæ victoriæ parùm periti?

Sed hactenus pro nobis Tacitus, arbitrio tamen nostro, locutus est: dehinc reddo seriem instituto cursui. Domitianus, ubi transgressus Alpes deliberare cœpit, an reliqui belli curam in se transferret, Mucianus ancipitem & ferocem juvenis animum in diversa traxit, consilio dato, ut Lugdunum profectus istinc vim fortunámque principatus è proximo ostenderet; parùm alioqui decorè, confecto propè bello alienæ gloriæ interventurum. Verùm ipse à senibus juventam suam sperni haud ignarus, Lugdunum sponte concessit.

LXV. Civilis apud Vetera copiis exutus.

At Claudius Civilis, post malam in Treviris pugnam reparato per Germaniam exercitu, apud Vetera consedit; quò item profectus Cerealis; qui posteàquàm vario atque ancipiti prælio, cum Civili acriter in palustri solo decertasset, ad extremum Batavi perfugæ ductu, Germanorum vim auxiliantium fregit, Rhenúmque disjectam, effusâ fugâ, petere coëgit. At Civili, cùm mox Chaucorum auxilia venissent; ipse dirutâ mole, quam Drusus effecerat, Rhenóque partem in aliam effuso, se novis certaminibus necquicquam fractus, aptabat.

LXVI. Alpinus Montanus & D. Alpinus & CXIII senatores Treverici Rhenum transeunt exsules.

Nec fallebant Treviros, qui à Romana servitute aversi, ac veniæ spe destituti, Batavorum consilia. Ergo, qui in capta patria nil haberent præsidii, transière Rhenum Tutor & Classicus, & centum tredecim Trevirorum senatores, in quibus Alpinus Montanus & D. Alpinus fratres eximii, singulique cæteri, qui miseratione ac donis auxilia concibant, inter Germanorum gentes periculorum avidas. Tantumque belli superfuit, ut Civilis, Clas-

ficus ac Tutor, suam quisque trahens manum, præsidia cohortium, alarum, legionum, modicis vicis per Batavorum fines disposita, de improviso invaderent: & primò quidem [a] Arenaci legionem decimam, mox secundam [b] Batavoduri, inde [c] Rinnes, [d] Vadúmque compertâ Geldis loca irrumpere; tantaque vi oppugnatio passim suscepta, ut Romanorum interfecto fortissimo quoque, sisti non posset. Capta quoque paulò post Romana classis, & propè interceptus ipse dux Cerealis, qui cùm demum in insulam Batavorum ultum se cum agmine legionum properasset, flexu autumni & crebris pluvialibus imbribus insulâ in faciem stagni oppletâ, eò periculi recidit, ut nî Germanorum dolus juvisset, cum legionibus potuerit opprimi. Quâ periculi magnitudine territus ille, per occultos nuncios Batavis pacem, Civili veniam obtulit. Et paucis post diebus, deditio insecuta.

LXVII. Quæ quidem ita in Galliis hic, intra annum & dies viginti duos gesta, quâ temporis periodo à Neronis morte ad initium Vespasiani, Xiphilinus trium insessorum Galbæ, Othonis & Vitellii facinora circumscribit. Quem verò postremò Tutor & Classicus cæterique senatores exitum invenerint, cùm Taciti mera posthac & lacera sileat historia, pronum sit suspicari, Batavorum deditione simul meruisse veniam, & redactos ad obsequium; nisi quid aliud Plutarchus suggerat, in Julii Sabini & * Eponinæ amoribus. Orsus hanc historiam Tacitus, promisit alio loco narrandam; Sabinum enim ut famam exitii sui faceret, villam, in quam perfugerat, cremasse, illicque creditum voluntariâ morte interiisse. Sed quibus artibus latebrisque vitam per novem annos mox traduxerit, simul amicorum ejus constantiam, & insigne Epponinæ uxoris exemplum, illi tacitum, redditum à Plutarcho, Lingoni confœderato, & Trevirorum amico reponimus. *Ergo Iulium Tutorem,* inquit, *qui Galliæ defectionis autor, & alios multos consilii sui habuisse socios, & Iulium Sabinum adolescentem summo loco natum, divitiis gloriaq; supra cæteros mortales abundantem. cùm verò rem pariter magnam tentassent, eventis nequaquam spem congruisse; itaque pœnam in proximo conspicatos, partim sibi manus attulisse; nonnullos quibus fuga remedium tutius, captos ad extremum. Sabino cæteras res ad id consilium idoneas, facultatem dedisse eripiendi se Romanis, & ad barbaros confugiendi. Vxorem tantam quam duxerat omnium mulierum optimam, neque sibi imperare potuisse, ut relinqueret, neque copiam extitisse, ut in regionum longinqua secum abduceret.*

LXVIII. Inditum Epponinæ mulieri nomen, quod Heroïdem Græcè diceres. At verò Sabinum cùm in agro specus condendis pecuniis exstructas sub terra possideret; duobus modò libertis cognitas, reliquâ omni familiâ à se dimotâ, ut veneno mortem sibi allaturum; in subterranea ea loca descendisse, & * Martialem Libertum deinde ad uxorem misisse, qui nunciaret medicamentis interemptum, incensâ super villâ, ut corpus illic flammatum crederent: voluisse enim uti vero luctu uxoris, ad confirmandam famam de morte sua. Quare nec ficto dolore, conjugem projecto humi corpore, cum gemitu & muliebri ejulatu durasse triduum trinoctiumque sine pastu. Quod cùm accepisset Sabinus, veritum ne illa se luctu perderet, clam renunciasse per Martialem, adhuc maritum vivere, atque occultari: rogaréque ut paulisper etiam in specie luctus persisteret, omniáque faceret, ne simulatus ille dolor erumperet. Cætera igitur à muliere, quæ poscebat id tempus, aptaque erant sumendo simulandóque planctui, miserabiliter & ex arte habita; cumque interim videndi corámque fandi desiderium superaret, tenebris ad eum accessisse rediisseque. Quo ex tempore, cum alios id factum falleret, pænè apud inferos cum viro congressam: nec abfuisse septem ampliùs mensibus, queis Sabinum & vestimento, & tonsurâ, & capitis tegumentis, ut cognosci non posset, ornasse, quo secum Romam abduceret. Cùm verò irritum fuisset id inceptum, in Galliam rediisse, & majorem partem temporis cum eo sub terra vixisse; raro tamen potestate sui facta vel amicis, vel cognatis mulieribus. Quod verò in primis admirabile, licet prægnantem ac communibus utentem balneis, non tamen proinde cognitam. Maturo jam partu subiisse ad virum leænæ ritu in cavernam, ac tolerasse solam dolores illos: & geminos enixam, tanquam Scymnos aluisse. eorum autem alterum in Ægypto mortuum: alterum verò Sabinum paterno nomine, nuper Delphis domi Plutarchi diversatum. At postremò Cæsarem interfecisse Epponinam; cædisque ejus iniquissimæ pœnas non multò post dedisse, omni Augustæo genere extincto. *Cùm autem multa atrocia facinora tunc facta; tum nihil adeò triste tamen tulisse Principatum illum Vespasiani: quamobrem cùm supplicium de ea sumeretur, mulierem invictâ libertate atque constantiâ suâ spectaculum ex animo commovisse, ... ; eâq; re magis inflammatum irâ Vespasianum; nam, ubi abrupta esse veniam Epponina desperasset, maluisse illum infra terram se annunciare, vixisse enim in Gallia jucundius sub tenebricosis iis terræ specubus, quàm imperante Vespasiano in luce ac siderum aspectu.* Hæc Plutarchus.

ANNUS Chr. 71. & 72. LXIX. Annus labebatur imperii Vespasiani primus, à natali Salvatoris unus & septuagesimus, cùm Titus filius accepto à patre Syriæ exercitu, Judæâ captâ, Hierosolymorum urbem excidit; &, inducto impressóque nobilissimi templi ruinis (quod X. Augusti inflammatum) aratro, juxta Christi vaticinium, detestabili populo exitium & cladem ultimam attulit. Quod, qui ad tempus Pascha diemque XIIII. Aprilis referunt, anno prævertunt; qui verò, à XV. Tiberii usque ad excidium templi cum Phlegonte apud * Originem colligunt annos XL. vel, duos supra ex primo Stromateo Clementis, anno uno vel altero seriùs Desolationis tempus præfiniunt. Atque hæc arctius orbita nobis etiam chronologiæ caussâ, fuit terenda. Jam nunc, quæ res Christiana apud Treviros incrementa ceperit, exponendum est. Redditâ civitati pax, & Romani magistratûs severior à rebellione disciplina, propagando Evangelio magna utique successêre adjumenta. Affluentem in urbe senatorum fuisse numerum, ex iis quæ

dicemus

a Arenacum ... b Batavodurum ... c Rinnes ... d Vada ...

Julii Tutoris & Sabini ... procerum Belgicorum.

* Eponina ...

Sabini & Epponinæ conjugum ... amor.

* Martialem.

Epponina parit geminos.

Scymni ... Lacertiolos ...

Epponina à Vespasiano occisa.

Hierosolyma à Tito capta.

* Orig. ...

Christiana res in Treviris progreditur.

congrediantur, nullas esse Cereali, nisi ex reliquiis Germanici exercitus, legiones, fœderibus Galliarum obstrictas. Idque ipsum, quod inconditam nuper Valentini manum contra spem suam fuderint, alimentum illis, ducique temeritatis. Ausuros rursus venturósque in manus, non imperiti adolescentuli verba & conciones, quàm ferrum & arma meditantis, sed Civilis & Classici: quos, ubi aspexerint, redituram in animos formidinem, fugam, faméntque, ac totiens captis precariam vitam. neque Treviros aut Lingonas benevolentiâ contineri: resumpturos arma, ubi metus abscesserit.

LXII. Civilis & Classicus sub ipsius Trevericæ Coloniæ mœnibus Cerealem pugna lacessunt.

Diremit consiliorum diversitatem, approbata Tutoris sententia, Classicus, statimque exsequuntur. Media acies Ubiis Lingonibúsque data, dextro cornu cohortes Batavorum, sinistro Bructeri Tencterique: pars montibus, alii viam inter, Mosellámque flumen, tam improvisi assiluêre, ut in cubiculo ac lectulo Cerealis (neque enim noctem in castris egerat) pugnari simul, vincique suos audierit, increpans pavorem nunciantium, donec universa clades in oculis fuit. Perrupta legionum castra, fusi equites; medius Mosellæ pons, qui ulteriora Coloniæ annectebat, ab hostibus insessus: Cerealis turbidis rebus intrepidus, & fugientes manu retrahens, intecto corpore promptus inter tela, felici temeritate, & fortissimi cujusque accursu, recuperatum pontem lecta manu firmavit. Mox in castra reversus, palantes captarum apud Novesium Bonnámque legionum manipulos, & rarum apud signa militem, ac propè circumventas aquilas videt. Incensus irâ, non Flaccum, inquit, non Voculam deseritis. Nulla hic proditio, neque aliud excusandum habeo, quàm quod vos Gallici fœderis oblitos memoriam Romani sacramenti tenere credidi. Annumerabor Numisiis & Herenniis, ut omnes legati vestri aut militum manibus, aut hostium, ceciderint. Ite, nunciate Vespasiano, vel quod propiùs est, Civili & Classico, relictum à vobis in acie ducem. venient legiones, quæ neque me inultum, neque vos impunitos patiantur. Vera erant, & à Tribunis Præfectisque eadem ingerebantur. consistunt per cohortes & manipulos: neque enim poterat patescere acies effuso hoste, & impedientibus tentoriis sarcinisque, cùm intra vallum pugnaretur. Tutor & Classicus & Civilis, suis quisque locis pugnam ciebant: Gallos pro libertate, Batavos pro gloria, Germanos ad prædam instigantes.

Romanorũ trepidatio Gallis irruentibus.

LXIII. Romani Treviris cæterisque Gallis resistũt primo, ac dein victos superant.

Et cuncta pro hostibus erant. donec legio vicesima prima, patentiore quàm cæteræ spatio conglobata, sustinuit ruentes; mox impulit. Nec sine ope divinâ, mutatis repentè animis, terga victores vertêre. Ipsi territos se cohortium aspectu ferebant, quæ primo impetu disjectæ, summis rursus jugis congregabantur, ac speciem novi auxilii fecerant. Sed obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen, hoste omisso, spolia consectandi. Cerealis ut incuriâ propè rem afflixit, ita constantiâ restituit. Secutusque fortunam, castra Trevirorum ducum, sociorúmque eodem die capit exscinditque; superstitibus tamen belli capitibus, & viribus, ad bellum redintegrandum.

LXIV. Victis Treviris bellum ad Agrippinenses transit, & inferiores Germanos.

Nec in longum quies militi Romano data. Orabant auxilium Agrippinenses, offerebantque uxorem & sororem Civilis, & filiam Classici, relicta sibi pignora societatis. atque interim dispersos in domibus Germanos trucidaverant. Unde metus & justæ preces invocantium, antequàm hostis ad spem vel ultionem vires repararet. Affuit tandem Cerealis propero agmine, & orantibus subvenit. Volitabat in armis adhuc Jul. Classicus. Et jam Britannica classis appropinquabat Batavis, ut quà Oceano ambiuntur, eos affliсtaret. Classem ultrò Caninefates aggressi sunt; majórque pars navium depressa, aut capta. Et Nerviorum multitudinem sponte commotam, ut pro Romanis bellum capesseret, iidem Caninefates fudêre. Classicus quoque adversus equites, Novesium à Cereale præmissos secundum prælium fecit: quæ modica, sed crebra damna famam victoriæ nuper apud Treveros partæ, lacerabant. Inter hæc Domitianus Mucianusque missi à Vespasiano, antequàm Alpibus propinquarent, prosperos rerum in Treviris gestarum nuncios accepêre. Præcipuâ victoriæ fides dux hostium Valentinus, nequaquam abjecto animo, quos spiritus gessisset, vultu ferebat. Auditus eo tantùm, ut nosceretur ingenium ejus, damnatusque; inter ipsum supplicium exprobranti cuidam, *Trevirim patriam ejus captam*. *Accipere se solatium mortis*, respondit. At quid Classico fecissent Imperatori, si Tullio duci concionibus & tumultui ciendo quàm bello promptiori, sic in morte insultarunt, homines moderandæ victoriæ parùm periti?

Classicus Trevirorũ dux equitatum Cerealis fundit.

Tullius Valentinus Trevir excelsi animi & facundus belli dux à Domitiano interficitur. Ejus in morte constantia.

Sed hactenus pro nobis Tacitus, arbitrio tamen nostro, locutus est: dehinc reddo seriem instituto cursui. Domitianus, ubi transgressus Alpes deliberare cœpit, an reliqui belli curam in se transferret, Mucianus ancipitem & ferocem juvenis animum in diversa traxit, consilio dato, ut Lugdunum profectus istinc vim fortunámque principatus è proximo ostenderet; parùm alioqui decorè, confecto propè bello alienæ gloriæ interventurum. Verùm ipse à senibus juventam suam sperni haud ignarus, Lugdunum sponte concessit. At Claudius Civilis, post malam in Treviris pugnam reparato per Germaniam exercitu, apud Vetera consedit; quò item profectus Cerealis; qui postea quàm vario atque ancipiti prælio, cum Civili acriter in palustri solo decertasset, ad extremum Batavi perfugæ ductu, Germanorum vim auxiliantium fregit, Rhenúmque disjectam, effusâ fugâ, petere coëgit. At Civili, cùm mox Chaucorum auxilia venissent; ipse dirutâ mole, quam Drusus effecerat, Rhenóque partem in aliam effuso, se novis certaminibus nequicquam fractus, aptabat.

LXV. Civilis apud Vetera copiis exutus.

Nec fallebant Treviros, qui à Romana servitute aversi, ac veniæ spe destituti, Batavorum consilia. Ergo, qui in capta patria nil haberent præsidii, transiêre Rhenum Tutor & Classicus, & centum tredecim Trevirorum senatores, in quibus Alpinus Montanus & D. Alpinus fratres eximii, singulique cæteri, qui miseratione ac donis auxilia concibant, inter Germanorum gentes periculorum avidas. Tantumque belli superfuit, ut Civilis, Classicus

LXVI. Alpinus Montanus & D. Alpinus & CXIII senatores Treverici Rhenum transeunt exsules.

a Arenacum Geldr. b Doreſtatum c Renen d Wageningę. Vitibus in Germacia ſumptis Romana ſtativa divexant.

ficus ac Tutor, ſuam quiſque trahens manum, præſidia cohortium, alarum, legionum, modicis vicis per Batavorum fines diſpoſita, de improviſo invaderent: & primò quidem a Arenaci legionem decimam, mox ſecundam b Batavoduri, inde c Rinnes, d Vadúmque comperta Geldis loca irrumpere; tantaque vi oppugnatio paſſim ſuſcepta, ut Romanorum interfecto fortiſſimo quoque, ſiſti non poſſet. Capta quoque paulò poſt Romana claſſis, & propè interceptus ipſe dux Cerealis, qui cùm demum in inſulam Batavorum ultum ſe cum agmine legionum properaſſet, flexu autumni & crebris pluvialibus imbribus inſulâ in faciem ſtagni oppletâ, eò periculi recidit, ut nî Germanorum dolus juviſſet, cum legionibus potuerit opprimi. Quâ periculi magnitudine territus ille, per occultos nuncios Batavis pacem, Civili veniam obtulit. Et paucis poſt diebus, deditio inſecuta.

LXVII. Julii Tutoris & Sabini exitus, cæterorumq; procerum Belgicorũ.

Quæ quidem ita in Galliis hic, intra annum & dies viginti duos geſta; quâ temporis periodo à Neronis morte ad initium Veſpaſiani, Xiphilinus trium inſeſſorum Galbæ, Othonis & Vitellii facinora circumſcribit. Quem verò poſtremò Tutor & Claſſicus cæterique ſenatores exitum invenerint, cùm Taciti muta poſthac & lacera ſileat hiſtoria, pronum ſit ſuſpicari, Batavorum deditione ſimul meruiſſe veniam, & redactos ad obſequium; niſi quid aliud Plutarchus ſuggerat, in Julii Sabini & * Eponinæ amoribus. Orſus hanc hiſtoriam Tacitus, promiſit alio loco narrandam; Sabinum enim ut famam exitii ſui faceret, villam, in quam perfugerat, cremaſſe, illicque creditum voluntariâ morte interiiſſe. Sed quibus artibus latebriſque vitam per novem annos mox traduxerit, ſimul amicorum ejus conſtantiam, & inſigne Epponinæ uxoris exemplum, illi tacitum, redditum à Plutarcho, Lingoni confœderato, & Trevirorum amico reponimus. *Ergo Iulium Tutorem,* inquit, *qui Galliæ defectionis autor, & alios multos conſilii ſui habuiſſe ſocios, & Iulium Sabinum adoleſcentem ſummo loco natum, divitiis gloriaq; ſupra cæteros mortales abundantem. cùm verò rem pariter magnam tentaſſent, eventis nequaquam ſpem congruiſſe; itaque pœnam in proximo conſpicatos, partim ſibi manus attuliſſe; nonnullos quibus fuga remedium tutiùs, captos ad extremum. Sabino cæteras res ad id conſilium idoneas, facultatem dediſſe eripiendi ſe Romanis, & ad barbaros confugiendi. Vxorem tantùm quam duxerat omnium mulierum optimam, neque ſibi imperare potuiſſe, ut relinqueret, neque copiam extitiſſe, ut in regionum longinqua ſecum abduceret.*

* vel Empona. Plutarch. in Erotico extremo, quem & Pet. Victorius var. lect. l. 18. c. 15. & Dion. compend. Veſpaſian.

Sabini & Epponinæ conjugum memorabilis amor.

LXVIII.

Inditum Epponinæ mulieri nomen, quod Heroïdem Græcè diceres. At verò Sabinum cùm in agro ſpecus condendis pecuniis extructas ſub terra poſſideret; duobus modò libertis cognitas, reliquâ omni familiâ à ſe dimotâ, ut veneno mortem ſibi allaturum; in ſubterranea ea loca deſcendiſſe; & * Martialem Libertum deinde ad uxorem miſiſſe, qui nunciaret medicamentis interemptum, incensâ ſuper villâ, ut corpus illic flammatum crederent: voluiſſe enim uti vero luctu uxoris, ad confirmandam famam de morte ſua. Quare nec ficto dolore, conjugem projecto humi corpore, cum gemitu & muliebri ejulatu duraſſe triduum trinoctiumque ſine paſtu. Quod cùm accepiſſet Sabinus, veritum ne illa ſe luctu perderet, clam renunciaſſe per Martialem, adhuc maritum vivere, atque occultari: rogaréque ut paulíſper etiam in ſpecie luctus perſiſteret, omniáque faceret, ne ſimulatus ille dolor erumperet. Cætera igitur à muliere, quæ poſcebat id tempus, aptaque erant ſumendo ſimulandóque planctui, miſerabiliter & ex arte habita; cumque interim videndi corámque fandi deſiderium ſuperaret, tenebris ad eum acceſſiſſe rediiſſeque. Quo ex tempore, cùm alios id factum falleret, pænè apud inferos cum viro congreſſam: nec abfuiſſe ſeptem ampliùs menſibus, queis Sabinum & veſtimento, & tonſurâ, & capitis tegumentis, ut cognoſci non poſſet, ornaſſe, quo ſecum Romam abduceret. Cùm verò irritum fuiſſet id inceptum, in Galliam rediiſſe, & majorem partem temporis cum eo ſub terra vixiſſe; raro tamen poteſtate ſui factâ vel amicis, vel cognatis mulieribus. Quod verò in primis admirabile, licet prægnantem ac communibus utentem balneis, non tamen pro ea cognitam. Maturo jam partu ſubiiſſe ad virum leænæ ritu in cavernam, ac toleraſſe ſolam dolores illos: & geminos enixam, tanquam Scymnos aluiſſe. eorum autem alterum in Ægypto mortuum: alterum verò Sabinum paterno nomine, nuper Delphis domi Plutarchi diverſatum. At poſtremò Cæſarem interfeciſſe Epponinam: cædiſque ejus iniquiſſimæ pœnas non multò poſt dediſſe, omni Auguſtæo genere extincto. *Cùm autem multa atrocia facinora tunc facta; tum nihil adeò triſte tamen tuliſſe Principatum illum Veſpaſiani: quamobrem cùm ſupplicium de ea ſumeretur, mulierem invictâ libertate atque conſtantiâ ſuâ ſpectantium ex animo omnem ſuſtuliſſe miſericordiam. eaq; re magis inflammatum irâ Veſpaſianum; nam, ubi abruptâ ſpe veniam Epponina deſperaſſet, maluiſſe illicò infra terram ſe amandaret: vixiſſe enim in Gallia jucundiùs ſub tenebricoſis iis terræ ſpecubus; quàm imperante Veſpaſiano in luce ac ſiderum aſpectu.* Hæc Plutarchus.

Epponina parit geminos.

Scymni Polluce Lucretioque teſtibus propriè catuli leonum.

Epponina à Veſpaſiano occidi juſſa.

ANNUS CHR. 71. & 72.

LXIX. Hieroſolyma à Tito capta. Ioſeph. l. 7. c. 25. Hieron. in Zachar. cap. 8. Ioſeph. l. 6. c. 8. Ioſeph. Scal. ad Chron. Euſeb. & Cano. Iſagog. lib. 3. 1. Gordon. * Tract. 29. in Matth.

Annus labebatur imperii Veſpaſiani primus, à natali Salvatoris unus & ſeptuageſimus, cùm Titus filius accepto à patre Syriæ exercitu, Judæâ captâ, Hieroſolymorum urbem excidit; &, inducto impreſſóque nobiliſſimi templi ruinis (quod X. Auguſti inflammatum) aratro, juxta Chriſti vaticinium, deteſtabili populo exitium & cladem ultimam attulit. Quod, qui ad tempus Paſcha diemque XIIII. Aprilis referunt, anno prævertunt; qui verò, à XV. Tiberii uſque ad excidium templi cum Phlegonte apud * Originem colligunt annos XL. vel, duos ſupra ex primo Stromateo Clementis, anno uno vel altero ſeriùs Deſolationis tempus præfiniunt. Atque hæc ætatis orbita nobis etiam chronologiæ cauſâ, fuit terenda. Jam nunc, quæ res Chriſtiana apud Treviros incrementa ceperit, exponendum eſt. Reddita civitati pax, & Romani magiſtratûs ſeverior à rebellione diſciplina, propagando Evangelio magna utique ſucceſsêre adjumenta. Affluentem in urbe ſenatorum fuiſſe numerum, ex iis quæ

Chriſtianæ rei in Treviris progreſſus.

* Martialem.

LXX. Senatoris Treviri ad Deum conversio.

M. S. Trev. Udo in Martyrol. Harig. Lobiens. in actis trium primorum Episcop. c. 10.

diximus manifestum. Fuit in hoc ordine, quem incredibili Deus benignitate ad promovendam augendamque Trevirorum salutem, divinâ quadam oblatâ per quietem imagine, monuit. Etenim astare noctu visus decore eximio vir, & augustiore quàm humana specie, igne plurimo, ceu veste circumfusus: is crucem ingentis pretii manu tenens monebat, viros, qui nuper ad urbem inquilini accessissent, legatos ac servos esse Dei Opt. Max. terræ cœlique Conditoris; in illius regionis oras venisse, ut salutis iter ac veri Dei cultum Treviris panderent. Quare si sempiternum exitium fugere, vitamque sincerè beatam adipisci cuperent, illorum promptè atque alacriter jussa patrarent, quorum jam cœlestibus vocibus omnium aures personarent. Senator hoc viso mirificè permotus, ac re pariter obstupefactus insolitâ, civibus primâ statim luce convocatis, rem totam, uti gesta, exponit; inde, ubi ad vocis cœlo delapsæ capessendum imperium sese inflammatum ultrò sensit; mox itidem ipse ad Christianam amplectendam religionem, populares cohortari universos. Nec mora; tantus repentè hominum baptisma poscentium concursus ibi proditur ipso triduo factus, ut rivo, qui tunc in urbem ibat ductu, & cœnoso jam influit alveo, illos lustrari propalam necesse fuerit: unde & nomen illi inditum Oleviæ antiquitas credidit, quod chrismatis infusione permistus oleo, aquæ tum salutaris vim vicemque præstiterit.

LXXI. Oleviæ ductus veterum Christianorum baptismo servisse creditur.

Hâc tam insigni animorum ac voluntatum inclinatione ad maturandum falsæ religionis exitium usus Eucharius, huc studio & autoritate ardentiùs deinceps nitebatur, ut detectis diaboli fraudibus, veraque Dei religione monstratâ, ab idolorum falsorúmque numinum cultu ad unius rerum omnium opificis Dei venerationem Treviros omnes perduceret. Quare apud multos extinctâ jam utcunque, & repressâ idololatriæ insaniâ, templum, Albanæ viduæ liberalitate, conventibus recentium Christianorum peragendis, extremâ civitatis parte versus Meridiem constituit; & paralytico ad artuum firmitâtem, mortuo verò ad vitâ, unde exierat, solo Crucis salutiferæ signo revocatis, multisque præterea supra naturæ facultatem admirandis operibus editis, Trevericæ gentis animos in Christianæ fidei mysteriis officiisque præclarè confirmavit. Victoriæ verò à B. Euchario contra idololatriæ insaniam reportatæ monumentum, ostendunt Treviri apud Ecclesiam S. Matthiæ; quæ ab ipso quondam titulum, noménque tulit. Hic statua rudi basi imposita, sive Dianæ, sive quod malim Veneris, ex candido marmore visitur, & lapidationibus puerorum usque vexatur; quam ad Dæmonum & idolorum cultus detestationē majores ceu probrum ludibriúmque, posteris superstitem manere voluisse, versiculi docent parieti inscripti, obscuri nec sanè antiqui, quorum tamen operæ est, sententiam & verba extare.

Eucharius Treviris ecclesiam suscitat.

Eucharii miracula.

Idolum Treviris asservatum.

Pineri Histor. Luxemb. vult esse Dianæ.

ME PRIDEM TREVERIS COLVIT PROFANIS ARIS,
IAM TRVNCVS SACRILEGI NVMINIS PROSTRATA SPERNOR INANIS.
ET DVM (Petrus) PISCATOR LEGAT EVCHARIVM, VALERIVM, MATERNVM; TVNC (hujus superstitionis) TOLLITVR ERROR.

LXXII. Symbolon successionis Apostolicæ.

Dignum quoque memoria posteritatis symbolum, quod frontispicio publicæ portæ civitatis, veteri saxo insculptum, à multis retro sæculis, & antequam hæc inclusa mœnibus civitas, honori S. Euchari positum à majoribus interpretor, quò Ecclesiæ Trevirensis originem à Christo & Apostolorum Principe Petro, jure merito ceu à capite arcessi, luculenti emblematis argumento tradiderunt. Certè in B. Nicetii vitæ monumentis S. Eucharium ad portam, quæ meridiem spectat, servasse, discimus. Christus Autor Princepsque totius Ecclesiæ, fundaminis robur & stabilitatem in angulari lapide manu læva monstrat, dextra benedicentis ritu Petrum ceu Primatem sanciens, qui clavis symbolo præferens, amplitudinem cœlo terraque diffusæ potestatis, Eucharium principatu non unius, sed multarum Ecclesiarum, ut ædes tot indicant turritæ, quas adversus stans manu tenet, condecorat.

Porta sancti Eucharii.

Sculpturæ explicatio.

S. Eucharii primatus.

LXXIII. Nic. Sand. l. 7. de visib. Mona. Eccl.

Exordium igitur, ut unitatis à Christo, sic & Primatus à Petro; ut sicut plures familiæ ad unius Curionis vigiliam, plures parochiæ ad unius Episcopi diœcesim revocantur, sic plures etiam Cathedræ ad unius Primatis, seu (quod equidem hîc sentio) plures Provinciæ ad unius Patriarchæ Eucharii fuerint jurisdictionem aggregatæ. Quin & egregiâ fidei testificatione, antiquos illos Treviros, idem hîc, quod Ecclesia solet in Canonicis Epistolis existimem profiteri; ut enim in numeros assumere prima Græca elementa, quæ Patris & Filii & Spiritus Sancti personas exprimebant, moris & juris est, ita litteram Principis Apostolorum Indicem Π. omittere, religio. Quamobrem id volebant se, ut fidem unius Dei Patris & Filii & Spiritus Sancti constanter tenerent; sic in unitate Petri Apostolorum, atque in Cathedræ, quam ille fundaverat, communione, nunquam non consistere & perseverare: id quod pii Christiani, Fortunato teste, vovere solet, ut possent claudi quandoque clave Petri.

Formatæ ex Conc. Nic. decreto certis litteris constabant Π. Υ. A.

Π. Fidei professio Trevirorum.

L. 4. poëm. 25.

S. Petri clavis.

ANNUS CHR. 73.

LXXIV.

Porrò Eucharius Trevirorum primus Antistes exactis per ejusmodi sacros labores annis omnino tribus & viginti, Angeli indicio supremum ei advenisse diem nunciantis, de morte beatoque discessu prope jam imminente doctus, sacri muneris curâ VALERIO demandatâ, ad exitum se vir innocentissimus comparat; cumque lectulo aliquantisper detentus, Christi sponsi præstolatur adventum, res accidit ad viri sanctimoniam illustrandam, inprimis commemoranda. Quippe lux insolita eximio quodam fulgore cubile jacentis circumplexa, omnes qui aderant, cœlesti quâdam dulcedine lætitiaque perfudit, ut animam sancti viri æternarum mentium agmine clarissimo vallatam, ipsa demum cœli templa petiisse, nemo ambigeret. Obiit sexto Idus Decembris; quam diem anniversariâ ac sempiternâ B. Eucharii memoriâ Trevirensis Ecclesia consecratam habet. Corpus ejus anno Christi septuagesimo tertio, æde, quæ antiquitus B. Joanni Evangelistæ, inde verò ipsius nomini sacra dicataque fuit, humatum est; ubi & septendecim ordine deinceps succedentium Antistitum sepulchra, magnâ olim veneratione & præcipuâ religione colebantur. Inter hæc, cum per colonos suos divinus atque cœlestis agricola sterilita-

Valerius II. Episc.

B. Eucharii gloriosus excessus: qui Mariano Metachronismo refertur ad annum 75.

B. Eucharii memoria.

Harigerus 5. Idus Decemb. c. 11.

Trevericus ager prodigiose suppeditat annonam.

tem

ANNUS CHR. 78.

Lib. 18. c. 20

tem soli Treverici maciemque pervincere laborat, natura sui velut æmula auctoris, quiddam in Treviris, Vespasiano octavum & Domitiano semel Coss. prodigiosâ fertilitate rarum effecit, & insuetatum: quod dignum Plinius arbitratus est, uti ne ob raritatem subtraheret his, qui in iterando mendaci solo, novum & insolens quærerent exemplum. Nam in Treverico, ait ille, agro, cùm hieme prægelidâ captæ segetes essent, resevisse Treviros, resarcientes campos mense Martio, uberrimasque messes habuisse. Id verò accidisse narrat tertio ante annum eum, quo naturalem historiam ediderat. At eam ediderat, ut liquet ex operis dedicatione, T. Vespasiano jam sextùm Consule, qui, quod Suetonius docet, munus id ad fratrem, hoc anno, relegarat.

Sueton. in Domit. c. 2.

LXXV.

ANNUS CHR. 79. CLETUS PONT. regit an. 12. m. 7. d. 2.

ANNUS CHR. 80. TITUS VESPAS. IMP. regit an. 11. m. 1. d. 20.

Valerius Treviros ad Christum adducere pergit.

M. SS. & Golschertus, Harig. c. 12. Sur. in vita S. Valerii t. 1.

M.S. Ecclesʼ Trev. Method. ex quo & Marian.

Valerius etiam annum Episcopatus sextum inierat, cùm Linus Pontifex in Petri cathedra sedens annis undecim, mensibus duobus, diebus viginti tribus, ex humanis rebus exemptus, Cletum nactus est successorem. Anno verò, qui Christi nascentis inde subiit octogesimus; pro patre Vespasiano Titus Romanum cepit imperium. Valerius porrò decessoris sui Eucharii vestigiis insistês, omnes suas cogitationes ad Christianam religionem præclaris virtutum ac fidei documentis indies magis magisque firmandam, convertit; brevique hac industriâ & admiratione operum, quæ patrabat, effecit, uti complures per Gallias & Germaniam monitis salutaribus instituti, & nefandis superstitionum erroribus liberati, posthabitis idolis, in unius se Dei servitium dicarent, & Christiana passim sacra, magna cum alacritate susciperent.

ANNUS CHR. 88.

LXXVI. MATERNUS III. EP.

B. Valerius moriturus successorem deligit Maternum, seque munit ipse SS. viatico.

Ephemerid. Beda tom. 1.

Harigerus eodem sarcophago conditum ait quo sanctus Eucharius.

Dum hæc maximè gerit Valerius Trevirorum Antistes, ad quintum & decimum Pontificatus annum; ab Euchario denique per quietem de imminente mortis hora factus certior, simul accipit mandata, ut Ecclesiæ MATERNUM, probatæ virtutis socium destinet successorem; Trevericique gregis consecret Antistitem: quibus ita, ut jussus erat, constitutis, ille futurorum certus, in frequenti Christianorum concione, viaticum, quod manibus ipse suis consecraverat, venerabundus accipiens, paulò post inter charorum manus, & discipulorum amplexus, è corporis ergastulo ad præmia cœlestis capienda felicitatis, lætus evolavit. IV. Kal. Februar. de quo Wandelbertus: TUNC ET VALERIO TREVIRI PRO PRÆSULE GAUDENT. Elatus est in vetus & augustũ B. Eucharii cœmeterium; ut cui in vita socius & consors gloriosi laboris extiterat, eidem post mortem corpore sociaretur; Cleto Pontifice adhuc sacrorum & Domitiano imperii summam obtinentibus, anno Puerperæ Virginis octogesimo octavo. Et, quia in obsoleta antiquitatis tam reconditæ memoria, nulla historiæ adjumenta temerè respuimus, reddo hic pervetustam de S. Valerio hymnodiã, quã antiquis bibliothecæ S. Eucharii mẽbranis inscriptã ad posteros trãnsmitti placuit:

LXXVII. S. Valerii præconiũ.

Laudem dicite Christicolæ, cum gloria,
Totis viribus canite cordis fibra ac spiritus lætitia. *(perpetua,*
Quia meruit gaudia Pater hic noster hodie
Iam transit tenebras Phlegetontis, liquit cuncta
Mundi labentis ludicra.
Qui fuit de Simonis clientela, Eucharii Materniq; Syncellita;
Cum quibus venit quondam Roma,
Subjugando colla Messiæ prona.
Fervet fides, dogmata sacra reserantur,
Verbique præconia.
Posthæc missus venit à Roma. Trãsit te Elegia.
Rursus redit ad te, ô Roma, propter Materni funera.

S. Materni in Absitia resuscitatio.

O Roma felix hinc exulta, tota foves præcordia.
Ama & tu Elegia cuncta resumens gaudia.
Et si manet alia quæ constet Elegia.
Quæ sit nostra, declarã, clara Thalia.
Gratia mira virtus, & gloria salutis,
Quod nobis præcordia lucent Materna.
Per te quoque fertur, ô Valeri, spes quoque maxima.
Quæ sunt festiva quæ nunc colimus solennia.
Quæ conservata sunt cœlitus per divina promissa atque colloquia.
Tu modo possides cœlica, Pater sancte, gaudia & beneficia.
Christi semper salvifica nobis confer munia.
Qui nos sua in patria foveat per sæcula:
Cum quo tibi laus est æterna.

LXXVIII. DOMITIANUS IMP. regit an. 15. d. 6.

Domitiani res gestæ in Belgis; qui cœpit 82. vel 83.

Suet. Plin. Sext. Aurel. Victor.

At Domitianus, qui Germanici titulo superbus, VI. annum in imperio tum agebat, per hæc nimirum tempora, quid dignum literis in Belgarum præsertim vicinitate gesserit, in exili narratione indicare, quàm exponere facilius. Antonius superioris Germaniæ præfectus, ob grave sibi inustum à Domitiano probrum, arma volvebat civilia; hujus absens infregit conatus per Normanium Lappium, eventu cœptis haud feliciter respondente. Ipse deinde in Cattos Batavorum majores, quorum pars è regione Trevirorum ripam Rheni olim insedit, expeditionem ultrò suscepit; sed post varia cum gente prælia, feroces exacuit magis quàm repressit. nam crebris irruptionibus Catti Galliam & finitima quæque incursantes refrenari à limite violando non ante potuerunt, quàm fœdere sancito. Traianus demum ex Hispaniis accersitus Germaniæ inferiori impositus. Cujus æquè in bellis gerendis sollertiâ ac rarissimâ moderatione ad tempus condocefacti, donec firmiores Romanorum adversis, & in novam spem promptiores, interea fidem atque officium coluerunt. At verò Domitianus hâc expeditione non tam remedium publicis Belgicæ provinciæ incommodis attulit, quàm domesticas provincialium calamitates auxit; graviore pœnè in socios, quàm in hostes concessâ militibus injuriâ. Quod Plinius ore libero mox questus. *Quàm dissimilis*, inquit, *nuper alterius Principis transitus? si tamen transitus; immò populatio fuit; cùm abactus hospitum exerceret, omniaq; dextrâ levaq; perusta & attrita, ut; si vis aliqua vel ipsi illi barbari, quos fugabat, inciderent. Persuadendum provinciis erat, iter illud Domitiani fuisse, non principis.* Notata quoque Domitiani stoliditas; ut qui conditioni mortalium illudere suetus, supra omnem impudentiam dominum se Deúmque ferebat, quémque falso simulachro Victoriæ, & inani curru invectum de Cattis Dacisque in speciem agere triumphum non puduit, emptis per commercia, quod Tacitus nõ siluit, quorum habitus & crines in captivorum speciem formaret.

Domitiani expeditio in Cattos Treviris vicinos, provincialibus amicis noxia magisquàm hosti.

Catti à Traiano demũ Germaniæ inferioris legato coërciti.

Plinius in Panegyr.

Domitiani insolẽs ambitio.

Suet. in Dom. c. 13. Xiphil. Dio. Martial. Epigr. Tac. in Agric. vita. Euseb. lib. 3. c. 13. Dio in Dom. Hier. in vit. Paulus Sulp. Ecclef. hist. l. 2.

Domitianus crudelis.

Persecutio secunda.

formaret. Ipse prætereа insigni & dirâ in cujusque ætatis, ordinis, sexûsque mortales sævitiâ, meruit, cui post Neronem antiquitas per omnes lethi vias afflicti & exhausti Christiani gregis palmam secundam inter Ecclesiæ persecutores daret: Neroni quoque tam geminus, ut ejus diritatem cum nomine retulerit. cùm sub illo occinat Juvenalis, Calvo Romam Servisse Neroni. Enimverò, tanta hujus parricidialis bestiæ crudelitas extitit, ut quorum mersi erroribus animi, æternæ veritatis luce carebāt, sibi grande ducerent festinatæ mortis solatium, evasisse postremum illud Domitiani tempus, quò, obsessa Romanâ curiâ, & armis clauso senatu, ingenti strage, per tot consularium cædes, per tot nobilissimarum feminarum exsilia, fugasque grassatus est. In his plerosque numerat Dio, mortis aut religionis tulisse decus, quos in re Christiana peregrinus & hospes ipse, in mores ait transisse Judæorum: Christianos namque cum Hebræis rudis hæc nec satis certa cognatarum tunc religionum confundebat ætas; quas ad verum discriminare nondum poterat. Unde Hebrææ genti contribuens nostram Tacitus, *Transgressos*, inquit, *in morum eorum idem, quod & ipsos usurpare; nec quicquam priùs imbui, quàm contemnere Deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres, vilia habere.* Quæ Christianorum quam Hebræorum moribus propiora, peritus æstimet quivis. Sed Domitiani furor cùm latè debacchans, Christi sponsam vix dum adultam innocentium plurimo sanguine profundit; tandem ictu validissimæ tempestatis caput gregis & populorum summum pastorem Cletum perculit; cùm is annos duodecim mensésque septem sedisset.

Tacit. in Agr. Romano quoque sanguini nunquam pepercit.

Xiphilin Dio in Dom. Christiani occisi, quos cum Judæis confundebant sæpe Romani scriptores.

Lib. 5. hist.

Clemens Pont. regit an. 9. m. 6. d. 6.

Annus Chr. 92. al. 93.

LXXIX. Galliarum martyria Domitiana persecutione.

Eutropius, Lucianus Nicasius in Gallia martyres Episcopi Martyrol. Rom. Beda. Adon. alia.

S. Materni vigiliæ in Germania Belgicaque curandæ.

Cleti Pontificis necem Clemens solatus; qui mox iniit anno Christi nascentis nonagesimo secundo. Sed & persecutionis hæc procella convolvit Galliam, corripuitque, complurium Ecclesiarum Episcopis & sacerdotibus interfectis: nam & apud Santonas Eutropius; Lucianus apud Belluacos provinciæ Belgicæ cum Maximiano & Juliano Presbyteris necati: idémque pro Christi nomine certamen subiit Nicasius Rhotomagensis. Inter hæc, Materni studium in ovibus Christi lætissimo verbi divini pabulo identidem recreandis, & alio atque alio adparatu tuendis præcipuum, enituit; quippe, cujus animi magnitudo non intra fines unius provinciæ sese continuit, sed exspatiata latissimè per Belgicum universum, cum insigni virtutum omnium proventu sese diffudit, ut, non immeritò complures hujus Galliæ illustres Ecclesiæ de hoc Episcopo, pari propemodum inter se jure, sanctè disceptent, hujus se gloriantes beneficio Antistitis, Christianos esse factos. Constat in primis ex Methodio & Honorio, aliisque antiquis vicinarum Ecclesiarum commentariis, annos quadraginta Maternum Trevericam administrasse Ecclesiam; & operi magno scilicet ac labori, longævam à superis concessam ætatem; tot annis enim perfunctum sacerdotali munere, quot diebus in sepulchro jacuerat. Eundem ad loca varia supra infráque Treviros, hinc ad Nemetes, Vangiones & Tribocos Alsatiæ populos, inde ad Agrippinensem

Methodius apud Mar. Honor supra cit. Harig. c. 13. M. S. eccl. Trev. Brouwerus. Eccl. annales. Vetusta Martyrolog.

Coloniam, Ripensémque Germaniam, Tungros ultra & Eburones, protulisse nomen Christianum. Quæ tanta locorum amplitudo, haud obscuro nobis argumento viam rursus aperit, stabiliendi Trevericæ Ecclesiæ primatus; & pervulgatæ dehinc in omnem posterorum ætatem prærogativæ. Hæc enim jurisdictio & inspectio, utramque Germaniam & Belgicam citra dubium amplectitur. Nec quicquam iccirco B. Crescenti, quem Galliam, adeóque regiones has Rheno flumini vicinas, lustrasse, congruit antiquitati; derogamus. Eum quippe jus hîc moderandi obtinuisse ordinarium, vix apparet: & constitutâ Moguntiacensi Ecclesiâ, fortè ad loca migrarit alia incultiora. Nam, qui alioqui Maternum recipiant Agrippinenses, qui perinde Crescentem suum, atque Moguntiacenses olim agnovêre fidei primum istic annunciatæ Doctorem? Sed quia hæc alterius loci disceptatio, accipio in præsens, quod de Materno tradit Rupertus Abbas Tuitiensis, vir sui temporis doctrinâ atque innocentiâ vitæ spectatus; nempe, *Missum Ecclesiæ Trevirensi à B. Petro Apostolo, & pallii hæreditatem suis reliquisse successoribus.* Quo hæreditatis equidem titulo, non pontificii solùm muneris autoritatem, sed peculiarem quoque, vix ambigo prærogativam, contineri. Quid enim alioqui magnum is Materno tribuat, qui, quod commune prorsus Ecclesiis omnibus ceu translatitium ei concedit? *Manifestum*, ait B. Innocentius, *in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, insulasq. interjacentes nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerint sacerdotes.* Quâ quidem sententiâ, itidem Rupertus præclare monuit, hanc regulam Metropolitanas servare Ecclesias, *ut neminem habeant Pontificem, nisi ab eadem sede missum, à qua primus illis venerit fidei prædicator: idq. ipsum pallii largitione significari.* Sed interesse monstrabimus alibi, donato pallio Episcopus utrū à prima sede mittatur, an porrò accingatur potestate, pallium transferēdi ad alios. Hic ordini rerū insistimus.

LXXX. Primatus Ecclesiæ Trevirēn.

B. Crescens Galliarum Apostolus. 2. *Tim. c. 4.*

Epiphan. hær. 51. Bar. tom. 1. annal. Martyrol. 27. Iun.

Rup. Tuit. 1. de divin. offic. c. 27. Metrop. c. 5. de primatu Eccles. Trev.

B. Materno tribuitur pallii hæreditas.

B. Innoc. epist. 29. ad Decent. tom. 2.

A B. Petro & Rom. sede Ecclesiæ cæteræ omnes propagatæ.

Pallii mysterium.

Treviris igitur Bonnam digressus, Maternus, Coloniæ Agrippinensium Christum annunciare cœpit; atque ibi dum spiritu instans apostolico, & cœlestium præsidio virtutum aggeratus, simul lethales evellit deceptis è mentibus errores, simul noxiis corpora liberat morbis, duo feruntur templa collocasse, alterum Domini nostri & Virginis Matris honori, alterum B. Petro Apostolorum Principi. Inde non remissâ vigilantiâ, concessisse ad Tungros nobili Coloniâ florentissimum eâ ætate populum, & alia deinde circumjacentia loca; Arduennáque silvâ peragratâ, variis implexa falsarum opinionum stirpibus Condrusorum, Eburonúmque dumeta pari sudore interlucasse.

Agrippinensibus annūciat salutem erectis Ecclesiis. *Ægidius in addit. ad Harig. c. 13.*

Tungris Evangelium fert.

Condrusos & Eburones adit.

Cùm itaque harum trium maximè Ecclesiarum, Trevirorum, Agrippinensis & Tungrorum perdifficilem Maternus provinciam sustinet, accidisse memorant quidam, ut ipsâ Natalis Domini sacratâ nocte; alii, uno eodémque Paschali die Angelo ductore, tribus inter se quàm longissimi dissitis locis sacrificârit; Treviris scilicet, Agrippinensium

LXXXI. *M. SS. Leod. Ægid. in gestis Tung. & Leod. Episc.*

Coloniæ,

M. SS. & Gestor. Trevir. compend. Canonh. archiep. M. S.
Segniacum vel Chineni.

Coloniæ, & Tungris; quod corporum non minùs conditionem, quàm naturæ facultatem superat. Ad hæc, divinâ prorsus virtute, & singulari favore numinis, vico Segnorum, qui Segniaco vel Signeio cis Mosam haud procul Dionanto ad Bochum exilem fluvium oppidulo, & nomen & famam peperit, quinque mortuis ruinâ oppressis, quos regios fuisse liberos nonnulli tradunt, usuram hujus lucis ac vitæ reddidisse. Atque his operibus tam admirandis, & confirmasse in suscepta Christi religione multos, & autoritatem amplissimam sibi non absque divinæ conspirationis opinione, conciliasse. Quæ quidem omnia, quàm religioni orthodoxæ consentanea, tam septa veteri fidelium memoriâ candor avitus adhuc excepit, donec malesuada præfracti censoris impietas, priscorum narrationi palam ausus est intercedere. Apostolos itaque Deum Christum ac Dominum nostrum, in novissima cœna, sacerdotes instituisse, & perennis ac incruenti sacrificii corporis & sanguinis sui ministros, ab hoc ordine propagasse, nimium furit, qui non assentit. Hoc sacrificio, nascentis Ecclesiæ primordiis, quotidiè faciebant, Christianæ religionis Antistites; quando Liturgiâ Domino ministrantes perseverabant in doctrina Apostolorum, & communicatione frangendi panis. Cæterùm ad festos alios mysteriorum conventus, Apostolos ipsos exquisito cultu, lætissimam Christi Domini & Resurrectionis memoriam & Natalem peregisse, non crederet, opinor, homo, qui sibi B. Maternum aliàs cupit habere propitium, nî Clemens id attestaretur Apostolorum æqualis: At quod de trino sacrificio ab S. Materno diversissimis locis unâ eadémque nocte vel die hîc peractum traditur, id nefandum iis ac penitus incredibile. Habacuci prophetæ raptum fortè an illi nesciunt? Et, qui Pegasi ac Cyllari transcursus faciles credunt, ii in tanta officii frequentia, ministrorum inopia, divinæ potentiæ, quid suis faciat servis, scilicet avarè præfiniunt. Philippum unius Eunuchi quærendæ salutis causâ, spiritus Domini divertere paulisper, & ire jubet in Gazam contra Meridianum; idemque mox rapit Doctorem in Azotum, & reponit in Evangelii viam, & Apostolicum virum Maternum, tot colligendis, & ad Christum traducendis animis intentum, ad plura Deus officia transferre nequiit, *qui potens est omnia facere superabundanter, quàm petimus aut intelligimus?* Jam verò celebritatis etiam hujus caussas libenter amputent, cùm ritum illum, aiunt, ter litandi, Ecclesiæ moribus tunc necdum inolevisse, qui Telesphoro Pontifici seriùs tandem adscribitur. Equidem, de sanctione Telesphori, quid senserint eruditi, nullus hîc edissero. Decretum ullum ejus extare, quo noctu Natalis jusserit ipse volueritque tremenda ter iterari mysteria, non video. Id tamen Pontificum indices, credo ex ejus quæ extat, Epistola, produnt, effecisse Telesphorum, ut in Natali D. N. Jesu Christi, noctu missæ celebrarentur, cùm ante horæ tertiæ cursum, id aliàs fieri non soleat. Atqui verò pervigiliis Paschalibus & aliis, multis liquet exemplis longè ante Telesphori ætatem, offerre sacrificium noctu consuesse

Idem Hub. Th.
Malach. c. 1. Matth. 26. Luc. 22. 1 Cor. c. 10.
Apostoli eorumq; successores sacerdotes.
Act. 2. 13. 20. 27.
Paschalis Dominicæ & Natalis Domini celebritas usitata nascenti Ecclesiæ.
Apost. const. l. 5. c. 12.
LXXXII. S. Maternus an una nocte diversis locis sacrificare potuerit.
Daniel. c. 14.
Act. c. 8.
Ad Ephes. 3.
Noctis Natalis cõsuetudo ter celebrandi.
Innocent. III. c. Consuetudi. Can. in C. nocte sancta de consecrat. dist. 1. Gisif in C. Consuetud.
Lib. Pontif. qui Damasi dicitur Epist. decret. Telesph. tom. 1. & in Decret. c. 2.
Cæsar. Baron. annal. Tom. 2. ad an. 154.

Christianos. Unde posteros existimem, id quod huic sanctioni affine fuit veteris ritus, cùm autor non proderetur alius, libentiùs tribuisse Telesphoro. At certiore tamen originum viâ; quemadmodum eidem tribuunt jejunium Quadragesimæ, quod manasse consentiunt omnes à traditione Apostolica, perinde trini sacrificii ritum ad Apostolorum institutionem retulero, laudatam tamen à Telesphoro, aut latiùs dispersam; regulam hic B. Augustini secutus. *Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi autoritate Apostolicâ traditum, rectissime credi.* De resuscitatis autem in vitam defunctis ne vel hîc valeat contra Maternum obtrectatio, res in Ecclesia surgente tam fuit usitata, ut Irenæus de suo tempore, vulgò tradat, per cœtus Christianorum precibus & jejunio, revocatos ad corpora mortuos. Cùm autem res usque à capite repetitur, quid per posterorum imperitiam, citra inde adjunctis adhæserit; haud anxiè nimis laborandum est.

Hoc quidem statu in Belgica res erant Christianorum, cùm medio tempore, Nerva Cocceius Domitiano Imperatori anno salutis assertæ nonagesimo septimo suffectus, menses tantummodo quatuor & annum imperio brevi quidem, at innoxio potitus: ipse igitur honoribus suis adhuc superstes, Trajanum Ulpium, qui Coloniæ Agrippinæ degens, Galliam Germaniámque cum imperio regebat, in laborum curarúmque consortium accersiit; atque dein Tribunitiâ potestate fulgentem adoptione, ad celsissimum honorem provexit. Is simul Augusti nomen & dignitatem recusantis specie, non sine castrensi favore consecutus, Rheni ripam longè latéque muniit, atque ut Eutropius restatur, urbes trans fluvium in Germania multas reparavit: legiones etiam Romanas ad Rheni limitem imperii securitati invigilantes, Dione teste, novâ quâdam adauxit, quam à se, tricesimam Ulpiam Victricem, appellari voluit. Hujus verò legionis castra stabilem fundandæ coloniæ Trajanæ sedem istic loci invenisse volunt, ubi hodie non inelegans stat oppidum, interjecto haud magni spatio campi paululùm à Rheni præterfluentis alveo sese retrahens,* Sanctorum uti cognomento, sic trophæis nobile. Traianæ verò abductâ in pravum voce posteri, Xanthum Troianorum inani gloriatione salutarunt. Hujus item imperatoris obvia frequens apud Treviros moneta, sparsim in agris eruta; ut urbem illam hibernis frequentasse, aut crebris exornasse tectis, aut novis denique cumulasse meritis, quando clarioribus non licet, vel ex his intelligamus cujuimodi memoriæ vestigiis. Enimverò multa apud Rhenum egregio publico Galliarum & Belgicæ præsertim eminentis in extremam semper solicitudinem à Trajano gesta innuunt, & si non edisserunt, diversorum literæ. Neque illa Plinii Secundi ventis tradenda verba, cùm Traianum, loquitur, admirationis suæ famâ Euphraten Rhenúmque conjunxisse. Memoranda namque extiterat & prorsus fœda sub Domitiano rerum in finitima Germania facies. Exercitus palam affirmat in Agricola Tacitus aut temeritate ducum, aut igna-

Epist. Telesph. Euseb. in Chron. l. Pontif.
B. Aug. l. 4. contra Donatist. c. 24.
Lib. 2. advers. hæres. c. 57.
Cocceius Nerva Imp. regit an. 1. m. 4. d. 11.
ANNUS CHR. 97. vel 98.
Dio in Nerva & Plin. passim. Aurelius Victor in Traiano.
LXXXIII. Traianus ex Germaniæ ac Belgicæ moderatore Imperator.
ANNUS CHR. 99. al. 100.
Traianus Imp. regit an. 19. m. 6. d. 15.
Traiani varia opera apud Rheni limitem.
L. 8. Ælius Spartianus. Sex. Rufus. Victor. Dio in Traiano.
Legio XXX. Ulpia Victrix à Traiano conscripta.
Stephanus Pighius alias cit. & Onuphr. in comment. Rom. reip.
* Thebæorum Traiana Colonia quo loco condita.
LXXXIV. Traianus in Belgica Germaniáque collapsa quàplurima restaurat.
Plin. in Paneg. Traian.
Tacit. in Agricol. vita.

viâ amissos, complures militiæ claros homines cum cohortibus suis captos & expugnatos, nec de limite imperii & ripa modò, sed de hibernis legionum, & integra possessione sollicitudinem non semel aditam. Quibus temporum difficultatibus, tanquam procellis geminum sidus Traianus intervenit; quo principe, ut Apollinaris cecinit, *Formidata Sicambris, Agrippina fuit*, uti non multum decesserit de via, qui ipsos illos Sicambros fuisse pronunciet, qui liberiore incursu propinqua perruperint, & pro more suo terminos imperii alterâ ripâ superiores, lacerârint. His indices accedant veteres nummi, cum Germaniæ victæ atque subactæ titulis, nec non trophæa quædam cum epigrapha; DE GERMANIS: *Ergo*, inquit Secundus, *sustulerant animos, & jugum excusserant, nec jam nobiscum de sua libertate, sed de nostra servitute certabant. ac ne inducias quidem, nisi æquis conditionibus inibant, legesq; ut acciperent, dabant. At nunc redit omnis terror, & metus, & votum imperata faciendi. Vident enim Romanum ducem, unum ex illis veteribus & priscis, quibus imperatorium nomen addebant, contecti cædibus campi, & infecta victoriis maria. Accipimus obsides ergo, non emimus; nec ingentibus damnis immensisq; muneribus paciscimur, ut vicerimus. Rogant, supplicant, largimur, negamus, utrumq; ex imperii majestate.* Hæc & pleraque alia de horum temporum statu Plinius. Ita, ut confitet licet, Traianum, quod Sextus Rufus de illo prodidit, post Augustum Romanæ reipublicæ movisse lacertos, immensáque proferendorum imperii finium flagrantem cupidine, occidentis orientisque plagas victoriâ lustratis, hinc, supra Danubium Rhenumque; illinc, supra Euphratis & Tigridis ripas, propagasse limitem, non tamen hac frui felicitate sua, tam innoxiâ & illibatâ potuit, quin Christianum ipse sanguinem avidiùs etiam concupisceret; ceu tot domuisse populos, tot sub imperium subjunxisse parvi ipse duceret, nî intemeratam armis exterarum gentium fortitudinem, ad innocentium cædes, atque supplicia protulisset. Atque hisce rebus effecit ille quidem nihil aliud, quàm ut principatum, quem modestiæ & abstinentiæ famâ, ad posteritatis aliquam commendationem transmittere poterat, hunc ipsum invisum ingratúmque fœdissimæ tertiæ persecutionis nube obfuscaret. Quare, ne Plinii sexcentæ quidem Panegyres, inustam odii in Christianos insitam tyranno maculam, aliásque vitæ impuritates ullo detergere queant ævo, nedum, ut Gregorio Pontifici virtutis atque sanctitatis opinione verè magno, in mentem venerit, hominem sceleribus nefandis contaminatissimum precibus ad Deum adhibitis eripere ex pœnis, quas immutabili numinis decreto subiisse, Christiana dictat suadétque pietas.

Sidon. Apoll. in Panegyrico Aviti.

LXXXV. Sicambri Agrippinēsib. infesti.

Plin. in Panegyrico Traiani.

Traiani victoria de Germanis.

LXXXVI. Traiani eximia in imperio amplificādo laus. *Sex. Ruf. in Epitom.*

Traianus in Christianos iniquus.

Tertia persecutio Traiani damnata memoria, & fabulosum de eo commentum explosum. *Multus in ea fabula tradenda Glycas annal part 3. ex Damnasc. Ioan. Diacon in vita sancti Gregorii. Videndus Cæs. Baron. ad 23. Ianu & Tom. 2. annal. Eccles. & 8.*

ANNUS CHR. 101 & 102.

Martyrolog. Rom. 23 Nové. Acta Clemētis.

Traianus Imperator anno salutis orbi restitutæ centesimo primo, imperii tertio, Clementem admirabili virtute atque sapientiâ Pontificem exsilio damnatum, & in Tauricæ Chersonesi deportatum ultima, Ponto mergendum curavit; quod mortis genus, hoc vel sequenti anno, pro Christi amore tolerasse, teste habemus non vulgares Hieronymum & Eusebium. Unde nemo mihi velim succenseat, si à contrito temporis deducendi vestigio, paululum hîc deflectens, concedam iis, qui prævertere nimium quantum gestiunt. quos, dum assequar interea scilicet, ex eruditorum sententiâ, cautè gradum adtemperabo. Porrò Traiani de Christianis affligendis edicta, latè per Romani imperii volitasse provincias, multis iisque clarissimis testatum habemus antiquæ memoriæ documentis. Certè Plinius Secundus, qui Asiæ id ætatis Proconsulari imperio præerat, fatetur Christianos, propositis per calumniatores libellis, ad se delatos, partim perseverantes duci jussisse, partim trepidantes, se præeunte, Deos appellare, & Traiani Imperatoris imagini, quam hâc de caussâ jusserat cum simulacris numinum in publicum proferri, thure ac vino supplicare, præterea maledicere Christo Domino nostro, coëgisse. At irâ mitigatâ, rescripto Imperator leniore hujus edicti remisit acerbitatem, atque Christianos in posterum conquiri vetuit, oblatos puniri duntaxat, præcipiens. Cujus decreti vim jugulans Tertullianus: *O sententiam*, inquit, *necessitate confusam; negat inquirendos ut innocentes, & mandat puniendos ut nocentes. Parcit & sævit; dissimulat & animadvertit. Quid temetipsum censura circumvenis? si damnas, cur non inquiris? si non inquiris, cur non & absolvis?* & tandem desinens, *Damnatis ergo*, inquit, *oblatum, quem nemo voluit requisitum, qui, puto, jam non ideò meruit pœnam, quia nocens est; sed, quia non requirendus, inventus est.*

LXXXVII. Clemētem Pontificem relegatum ad mortem deniq; compellit. *Hier. Script. Eccles. in Clemente.*

Euseb. lib. 3. cap. 28.

Concord. data ratio.

Onuphrius, quiq; illum secuti in vitam Petri Lini inclusive, & Pontificum annis dimetiendis admovere sa lacessi nunquam desistentes.

Traiani edicta in Christianos. *Plin. lib. 10. epist. 97. & 98.*

LXXXVIII. Rescriptū Traiani apud Pliniū, quod Tertullianus exagitat in Apologet.

Atque hæc de tertiæ persecutionis procella nobis commemoranda videbantur, cujus ætas restrictè quidem annorū scrupulis hærere non potest, intervallis erumpente malo, & velut orbe volubili, diversis se locis implicante. Atrocia, citra ambiguum, imperii initia; sensitque violentiam Italia: mox in Bithyniam & cætera orientis perlata ceu turbine populatio: triennio antequam pro consule Plinius eò venerat. At quintò præcipitante imperii Traiani anno, quintodecimo Kalend. Octobris, provinciam is intraverat. Hæsisse diutius quoque arguunt vota, pro incolumitate Traiani, præeunte Plinio, exercitus, & provinciæ studio, iterata; nec non imperii suscepta dies bis ab eodem * celebratus; discrimen ut non sit, utrumlibet in annum Plinii Traianíque scripta conferas. Cæterum hisce periculis subtractam Galliam, acerrimæ præsidum cognitiones, Romani cultus sacrorum antiquissima cura, tum flagrans, oppidò quam crescentis nostræ religionis odium, credere non patiuntur. Adde, quos sitiens martyrii voluntas ad moriendum ultrò perpulit; quosque maligna cura persequentium suppliciis objecit, cùm suspicionum omnia plena, nec secreta penetralium absque formidine.

Plin. lib. eiu. epist. 28. & 44 ac 60.

Vota publica pro Traiano.

ANNUS CHR. 103.

Gallia non immunis à persecutione.

* *Æl. Spartianus in Adriano Vero, tradit vota Kalend. Ian. suscepi solvisq; consueta.*

ANNUS CHR. 104 105.

Clementis in locum ANACLETUS Romæ jam * successerat; qui, cùm novem annos, mensésque tres in pontificatu, per magnarum exempla virtutum, exegisset, martyrii item gloriosam sub Traiano palmam adeptus, anno Virginis sine labe parientis centesimo circiter undecimo, Evaristo successori locum dedit. Is cùm ad Ecclesiæ gubernacula sedet, interea orientis varios motus, armáque Parthorum, & rabiem Judææ gentis, expertus Nerva Traianus,

LXXXIX. ANACLETUS Pon. regitan 9. m. 3. d 10.

* *An. Chr. 101. Baron. læc. Gordon. Martyrolog. Rom. 13. Iulii. Damnasi qui putantur, & & Romanam. M. S.*

ANNUS CHR. 111. al. 112.

Traianus, ad extremum profluvio sanguinis, membrorum stupore, aqua intercute, & morborum agmine quodam obsessus, Nigro & Aproniano Coss. Selinunte Ciliciæ extinctus est; eique in imperio Ælius Traianus Hadrianus consobrinæ filius successit.

Hadrianus excitatam [illegible] futuræ tempestatem, primis imperii annis usque adeò reprimere atque sedare, nihil curæ habuit, ut priorum temporum [illegible] acerbitate suppliciorum, quæ de nostra gente in Christi martyrio sumpsit, magis atque magis accenderit; Severusque Sulpitius ea re ignominia duxerit notandum, ut si Christianum nomen persecutione quarta [illegible]; tametsi, D. Aurelium Augustinum, & Orosium id minus probare, & aliò ire, non sum nescius. Hinc * Aviola Pansaque creati Coss. cùm Evaristus Pontifex plenus constantis martyrii, vigesima sexta octobris, supremia pertulit, Alexandro capiente magistratum; quem tenuisse perhibent annos decem, amplius quinque [illegible].

Certè quod ad Ælium Hadrianum attinet, is tertio sui imperii anno, Christi unigenæ centesimo vigesimo primo, peregrinationem Britannicam [illegible]; Brixiæ Faustinum & Jovitam, exquisitis affectos suppliciis, martyres effecit; auspicatius fortasse iter capturum se ratus, si Christianis, ex animi sententia, priùs hostiis perlitasset. Et Hadrianum, memorant quidem, antiquitatis noscendæ [illegible], itinerum molestias quæcunque leviores duxisse; tanta quoque peregrinandi exarsisse cupidine, ut quæ legisset de regionibus orbis terrarum, omnia præsens addiscere, ac perlustrare vellet. Nec principum quenquam, concursatione provinciarum, littorum, mariumque, tanta tam brevi tempore spatia permeasse. Quamobrem haud tacent etiam Sextus Aurelius Victor, Spartianus, & Dio Xiphilini, provincias omnes ingenti mox [illegible] circumiisse [illegible], Coloniarumque, in [illegible] fabrum lapidariorumque, & omni genere operarum cohortes, [illegible], & veteribus ædificiis ab interitu vindicandis, centuriatas etiam sub signis ad [illegible] legionum militarium. Et, [illegible] quod [illegible] corrumpere posset desiderarent, [illegible] licentia in lasciviam & ceteris [illegible] [illegible] consurgerent, [illegible] turpitudinum [illegible], [illegible]. Unde, Restitutorem & Locupletatorem Orbis Terrarum, Provinciarumque, numi veteres appellant, ejus in honorem cusi. Et Dio, *[illegible] urbes atque [illegible] in imperio Romano, ex quibus multo plures, quàm nullus unquam imperator [illegible], magnificè juvit, eas aquis, portubus, frumento, operibus publicis, pecuniâ, honoribus [illegible] atque ornavit.* Treviris verò Adriani munificentiam [illegible] rem, cotumque Coloniam, quam Pomponius Mela [illegible] opulentissimam, dignum principe Belgarum sese peculiari [illegible], vel ea Spartiani [illegible] persuadeat; quod in omnibus urbibus penè Adrianum & aliquid ædificasse [illegible], & munera [illegible] atque spectaculorum. Apud Occupatis Adriani numorum, Epigraphæ leguntur dicatæ Adventui Augusti a Galliis Germanisque Coss. III. Ipsius: cujusmodi vidimus, quorum in aversa parte cusum emblema Galliæ sacrificantis, adstante aris victimâ, ob felicem Imperatoris adventum. Id verò genus beneficentiæ Gallicarum fuisse proprium, quo caussarios istic omnes liberalitate sublevavit; quod interpretantur, cunctos videlicet, qui justas inopiæ caussas allegassent, ab Hadriano munificè aut fiscalium debitorum oneribus absolutos, aut ære [illegible]; quo modo Spartianus eum meminit in provinciis ex reliquiis puta vectigalium vel tributorum, ingentes summas remisisse. Neque illud silentio prætereundum, Reipublicæ formam ab eo immutatam, & imperii Romani provincias aliter, quam ab Augusto [illegible]; quippe Galliam transalpinam, si Britanniam & Aquitaniam annumerares, in duodeviginti provincias tribuit.

Belgiam verò [illegible] divisit, cujus eam partem, quæ vicina Germanis ad Rhenum pertinebat, Belgicam primam dici voluit; hujus verò caput atque princeps civitas, Colonia Augusta Trevirorum; alteram secundam appellavit, quæ inclyta Rhemorum urbe Duricortora nobilis, & Celticis proxima, Suessionum fines attingebat. Testes hujus novæ sectionis, seu ad ambitionem, seu expeditius regimen, Victor, & Autor miscellæ; qui addit, officia publica, & Palatina, nec non militiæ in eam formam statuisse, quæ paucis per Constantinum mutatis, tunc quoque perseverârit. Hinc geminatos in posterum Belgicæ magistratus. Rectores Præsides ad conjecturam [illegible], [illegible] mutato officii, illinc emersisse, pro fisco Comites; Præpositos thesaurorum; inde pro Rheni limite, Duces; quæque alia munia Trevirorum Augustæ, [illegible] locis, Notitia imperii distribuit. Verùm, qui per ingentia opera hæc, & infinitæ potentiæ [illegible] imperii viribus illudens, in nuda & inania tecta tot hominum labores, & vectigalium ærumnas sterili famâ prodigebat, [illegible] turpissime lapsus, [illegible] infamiam sibi peperit: cùm abolendæ fidei Christianæ, terræ sanctæ solum Christi vestigiis ubique consecratum, simulachris, & dæmonum cultu, profanare & polluere aggressus est. Judæis enim sine imperio, quòd coloniam in Hierosolymorum novam urbem deduxit, novisque sacris, [illegible] vetitis moribus [illegible] circumcidi, rebellantibus; totâ penè Palæstinâ, cædibus & internecinâ clade exhaustâ atque oppressâ; & ad quingenta millia hominum deleti & interfecti. Adhæc, Christianos jam tum ante, Judæorum sceleribus atque improbitate, quibus origine vel cognatione religionis à gentilibus censebantur affines, duriora quæque perfunctos, Adrianus hac ratione [illegible] miseris oneravit. Nam, quæ Paulini Nolani illustri sanctitate Præsulis verba sunt, *existimans se fidem nostram loci injuriâ perempturum, in loco Passionis simulachrum Jovis consecravit: & Bethleem, Adonis fano profanata, ut, ubi pro salute generis humani crucifixus pependerat, ibi [illegible] veneraretur [illegible]*

Ad quam

EVARISTUS. ANNUS Chr. 117. HADRIANUS. ANNUS Chr. 118. LXXXX. * Aviola. ANNUS Chr. 121. ALEXANDER Pap. ANNUS Chr. 121. ANNUS Chr. 122. LXXXXI.

LXXXXII Romanæ provinciæ. Belgica I. & II. LXXXXIII Judæi afflicti. Sent. Aurel. Rom. imperii. ab Helena Aug. repurgata.

Digitized by Google

*ad quam orbe concusso, & sole refugo, dissilientibus mortuorum excitatione monumentis, rerum natura nutaverat, staret simulachrum dæmonis; & ara simulachri, pecudum busta fumaret. In Betlehem quoque, ubi agnoverat bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui: ibi principes orbis infitiati salvatorem Deum, infames hominum amores, mortesq; colerent: &, ubi natum cum exercitu angelorum concinentes cœlesti gaudio, salutaverant, illustratâ nocte, pastores, ibi Veneris * amasium mixtæ semiviris plangerent meretrices.* Hæsisse labem eam solo illo sanctitatis pleno, quod generis humani vindex Christus innocenti sanguine suo resperserat, ad sua usque Constantini proxima tempora, idem testatur Paulinus; cùm Helena tandem, sanctissima, & rarissimi exempli Augusta, incestæ Veneris & Jovis adulteri statuis eum locum sordere, ac habitatore dæmone teri sola tectis regum omnium augustiora, diutiùs non passa; & impietati publicè manus adhibuit, & insigni idolorum strage, superstitionis memoriam abolevit, opimis insuper inventæ Crucis salutiferæ spoliis, novo quodam & inusitato triumphi gaudio, inde reportatis. Cujus rei commemoratio, eo mihi nec aliena instituto, nec Treviris injucunda fore visa, quod præclarissimis in Ecclesiam hanc Helenæ Augustæ meritis, id gratiarum munus persolvi non ignorarent; tum etiam submoniti regrederentur in memoriam, quibus ex oris & regionibus, per quot casus temporum, & damna, sacri illi thesauri alto Dei consilio, atque destinatione conservati, quibus adeò Treviris etiam nunc prænitet, & magno religionis studio frequentatur.

* *Adonidem.*

LXXXXIV. Inde in Treviros illata Tunica & Clavus Domini & crucis Dominicæ quæ passim fragmēta.

Sequitur annus, à partu Deiparæ supra centesimum vigesimus octavus, Adriani verò nonus vel decimus: quo Maternum hucusque superstitem, atque omni cura studioque ad Christiani populi propagandam salutem incumbentem Christus dominus ex hac mortali luce ad angelorum societatem evocavit; id, quod etiam apud Marianum Methodius scriptum fecit. Memorant veteres historiæ provinciales, Eucharium, & Valerium, Materno sese obtulisse ante diem obitus pontificalibus infulis ornatos ac redimitos, odoris suavissimi fertis; eumque hilari & in gravem effuso lætitiam vultu, ad beatam immortalemque vocasse requietem; quo viso, mirificè recreatum & ad spem certam erectum immortalitatis, accepto Dominici corporis viatico, suisque benè precantem, animam Christo reddidisse Salvatori, decimo octavo Calendas Octobris, maximo sui apud Christianos relicto desiderio. Methodius apud Marianum. *Anno VI. Sixti Sacerdotii, imperii autem Aelii Adriani Cæs. VIII. S. Maternus Treverica Sedis Archiepiscopus XL. annis post Valerium sui pontificatus dignanter expletis, ad cœlestia transivit, anno Dominicæ Incarnationis CXXVIII.* His addunt Agrippinenses Trevirumque posteri, Coloniæ apud Ubios spiritum edidisse; atque ejus divulgatâ morte, certatim accurrisse Christianos ex locis etiam remotis, Nam & Treviros ornandi funeris causâ, Tungrosque unà Coloniam adiisse, testandi in defunctum supremi obsequii. Quò cùm perventum, variè tum ibi de

ANNUS CHR. 128. B. Materni excessus.

Marianus in Methodi. Martyrolog. Harigerus Lobiens. Abb. c. 13. 14. & seq. M. S. Eccles. Trev. & S. Matthiæ. Gesta Trevir. Tungrens. & Coloniens. Eccles. Episc. monumenta.

Martyrolog. ad 14. Septēb.

Marian. Chronolog. diversa.

LXXXXV. S. Maternus Colonia Trevirim deportatus. *Gesta Trevir. Chron. Canonic. Arnberg. Ægidius apud Harigerum in Gestis Leod.*

sacro pignore tollendo inter Christianos disceptatum: Treviris, ut decessoribus jungeretur; Tungris, ut deportaretur in ipsorum fines; Agrippinensibus verò, quo solo spiritum fudisset, eodem etiam corpus deponi oportere, censentibus. Dum per hæc ambiguum inter Christianos trahitur certamen, affuisse repente augustâ & ampliore quàm humanâ specie senem, qui diceret sacrum viri corpus navi impositum Rheno fluvio committendum, & absque remigio & gubernaculis propellendum à littore; tum denique quò illa cunque dedita tempestatibus, & undis iret, eò certum fore, defuncti corpus traducendum. Hujus orationem cùm approbassent universi, de communi sententiâ Christianorum, in scapham imponi placuisse; sed vix altum petiisse cimbam, &, ecce tibi, nil moratam fluminis impetum, in adversum obniti amnem, cursumque in Treviros rectà tenere visam; dum ad eum usque locum sponte proveheretur, qui passuum quatuor fermè millia supra Coloniam, memoria ipsius Materni postea nobilitatus, celebri, per indigenas advenásque. Lætum id signum faventis numinis accepisse Treviros; itaque extis, & sancti viri intestinis Agrippinenses apud se relictis, haud gravatè carissimum inde pignus auferre passos.

Epist. c. 16. Chron. Colon. Ioan. Enen Medulla Tract. 3. c. 1.

Funus S. Materni.

B. Materni corpus impositum navi Treviros adverso flumine contendit.

Quæ quidē sic læta majorum antiquitatibus, recentior ætas, Materni gestis rebus nec fide spernendâ superaddidit, incerto tamen autore; cùm hujus rei nihil afferant veterum gravissimus quisque, atque ii etiam, qui post hujus urbis excidium scriniorum se latebras omnes in hanc rem excussisse profitentur: quod fidem incorruptam professo, neque tacendum, neque dissimulandum erat. Porrò Coloniâ in Treviros, solenni adparatu, & frequentiâ Christianorum, funus alacri supremi honoris officio, deductum, validior est majorum traditio, quàm ut à nobis infirmari debeat; & in illa flagrantis populorum certaminis memoriâ, ejus quoque obscura imago delitescere potest. Sed, quia tam celebris hæc tamen reliquiarum translatio, tanto hominum concursu studioque, quàm sæviente persecutione, & inviso tum omnibus Christianorum nomine, vix credatur peragi potuisse, describitur, operæ pretium, majorem huic veterum traditioni facere fidem. Magna profectò funerum extitit apud gentiles religio; ita, ut locum etiam purum, si sepeliendi causâ cadaver, aut cineres, accepisset, mortuúmve humo texisset, eâ causâ fieri censuerint religiosum. Atque hinc dominó loci lex quoque prohibebat, ossa ab alio illata, vel mortui corpus, effodere, vel eruere, sine decreto Pontificum, aut jussione principis. Majus igitur opus in translatione, quà publica putarent funestari sacra, aut pollui religionem. Quare & Plinius Traianum super reliquiis mortuorum transferendis consulens, autor est, Romæ ex hujusmodi causis collegium Pontificum adiri solere. Et extat Antonini rescriptum, quo sancit ob justam & necessariam caussam, æstimatione Rectoris provinciæ, transferri alium in locum reliquias posse. Quod idem Plinio Traianus antea responderat, durum esse affirmans, injungere necessitatem provincialibus pontificum

LXXXXVI. Censura de miraculoso Materni cursu navigii Trevirim petētis. *M. SS. Trevir. vetustiores.*

Translationis jus & adparatus defenditur.

Funerum religio. *tit. pene toto ff. de Religios. & sumpt. fun.*

In locis. *Ulpian. cit. ibid. l. 9. & l. 3. §. donec ff. de sepul. viol.*

In translationibus quæ fiebant.

Plin. epist. lib. 10. ep. 73.

Tit. cit. in l. Pontificum aut præsidum autoritate.

Plin. lib. 10. ep. 74.

adeundo-

adeundorum, si reliquias suorum, propter aliquas justas caussas transferre ex loco in alium locum vellent. Hujus porrò indulgentiæ longè facilior copia, si necdum perpetuæ sepulturæ corpus traditum foret; sic enim ejus fieri translationem lex non vetabat.

LXXXVII. *Impetrabatur à Christianis funeraria, pecuniis aut gratia.*

Credibile itaque Christianos, in quibus anteibant opibus, & autoritate non pauci, si quid hic religionis intervenit aut invidiæ, id gratiâ vel muneribus dimovisse apud magistratus: nam, ut areas pro sepulchris & cœmeteria pretio redempta habebant, sic emisse item licuit, aut meruisse translationes; cujusmodi hoc sæculo celebrantur etiam publicæ ac solennes. Mitigavit adhæc gentilium furorem disciplina Romana, quæ cineres aut ossa mortuorum detineri, vexari, prohiberíve nefas duxit, hujus rei curâ ad Præsides quoque provinciarum relegatâ. Cæterùm, quia, quod antiquitùs Romæ XII. tabularum lege cautum, ne quis in urbe sepeliretur, Imperatorum quoque rescriptis ad Colonias & municipia translatum est, dubitare cogimur, an S. Eucharii vetustissimo cœmeterio Materni corpus illatum, cùm ita locum eum rejicere in suburbana videamur. Sed pronior fides Christianos hîc olim, præter areas & cœmeteria, habuisse religiosa intra urbem loca, additis oratoriis, in quibus illustriores viros, ut Antistites suos, ac martyres, reconderent. Ac sæpiusculè à Christianis illam Romanorum superstitionem neglectam, docent clandestinæ martyrum sepulturæ, domibus privatis frequentatæ: & ipsi quoque Romani, solùm peregrinæ civitatis, capax non omnis religionis existimabant, quæ fieret jure in civitatum omnium principe. quo faciliùs ea solicitudo ac nimia cura decedebat. Ergo Maternum in parte veteris urbis istic loci reconditum alicubi, sedet, ubi hodie S. Matthiæ ædes, cum insigni monasterio extra hujus jam oppidi mœnia cernitur.

Ut etiam essent celebres. B. Chrysost. ser. de S. Ignatio qui Romam translatus tùc Antiochiā insignis apparatu. Adr. tom. 2 Baron. in ann. 100. Tit. cst. L. mortuorum ff. de religios. & sumpt. fun. Dioclet. & L. Prætor §. Divus Adrianus. B. Matern. in urbe sepultus. Nonobstante lege XII. tabularum. Traian. apud Plin. l. 10. epist. 59.

LXXXVIII. *Cœmeteriū & area S. Eucharii.*

Estque indicio vetustatis area cryptis, lapideis arcis, & sarcophagis, passim occupata. Quæ tamen species à posteriore ætate est; quando receptâ publicè Christianâ religione, positis Basilicis, ac templis, Martyres ac Divi Præsules, intra urbis mœnia passim palamque recepti, & justis honoribus, quà templis, quà cœmeteriis affecti. Maternus itaque Treviris, quo diximus loco, in D. Joannis Evangelistæ oratorio honorificè quondam sepultus, inde quievit in sacello sui nominis Septentrionali, extra novam hanc S. Matthiæ basilicam eminente ad hanc diem supra solum istic marmoreo tumulo, qui igne perenni Joannis I. Archiepiscopi beneficio, collustratur.

Eusb. lib. 7. c. 10. 12. &c. Baron. de so in Euseb. c. 40.

LXXXIX. *S. Materni translatio. Maternus fueritne viduæ ex Naïm filius aut etiam è num. LXXII disc. Ecclesiæ Demochares.*

Ejus autem sacra ossa, insequenti ævo, Poppone Archiepiscopo, ex eo sacello in majorem ædem B. Petri translata; ubi hodieque magnam & inclytam patrocinio sedem adeptus, Trevericam, cœlo vacans urbem sospitat. Cujus rei memoriam priscis totâ diœcesi feriatam, veteres fastorum libri custodiunt hac notâ. X. KALEND. NOVEMBRIS TREV. TRANSLATIO S. MATERNI.

Quod verò perinde vulgi vocibus invaluit, adeoque recentiorum quorundam literis exceptum gliscit ad famam, Maternum scilicet viduæ illius unicum fuisse natum, quem Christus vitæ necisque Dominus apud Naim extractum è mortuorum numero, lugenti matri reddidit; eundémque postea aggregatum ad collegium discipulorum septuaginta duorum; quando huic item sententiæ veterum neminem suffragatum video, neque etiam ullum cerno antiquis hujus Ecclesiæ monumentis, ejus rei impressum vestigium; nemo id secus accipiat velim, si ab illa muta ac velut sedentaria assentiendi necessitate solutus, liberè vulgi vocibus intercedam, neque temerè quidquam de re sanctissima, sine testibus idoneis pronunciem. Quantò enim prudentiùs atque graviùs nostri majores? qui, cùm omnem dubiam fluxámque censerent absque autoritate, & traditionis experimento fidem, tanto Apostolorum ævo propiores fassi sunt, septuaginta duorum non extare usquam nomina, si pauca exciperes, qui non sine labore studioque etiam tum eruerentur. At, quod B. Maternum nonnemo Longobardum genere, patre natum Ticini Comite, ausus est prodere literis, id verò cui rei, nisi Sanctorum dehonestamento, quorum sempiterna ad gratiam posteritatis fama, non falsis & ementitis natalium imaginibus, sed virtute ac meritis amat prorogari? Jam verò nec sine usu vel opera fuerit, autoritatem præscribere factorum, quæ de tribus religionis Patriarchis ab Apostolorum Principe constituendæ hisce locis rei Christianæ datis, nobis adhuc tradita & conquisita sunt. Qui veterum volumina callidi temporum excusserunt, autorem indicant non remotissimum, sed ex propioribus, quem in manuscriptis haud paucis libris; & nos sepositum in bibliothecis monasteriorum vivere, ac à multis legi animadvertimus.

Placentius. Martyr. Ger. Luc. c. 7.

Eusb. hist. l. 1. c. 12. Epiph. in Pana. l. 1 tom. 1. S. Maternus an genere Longobardus. *Ioan. Placent. Catal. Tungr. Traject. ac Leod. Episc. cui solenne vetustati affingere stirpes.* SS. Eucharii, Valerii, Materni actorum autoritas mōstrata.

C. S. Eucharii vita incipit Quamvis B. vita sanctorum S. Valerii, Post venerabilē obitum. S. Materni, post decessum S. Valerii. Epilogus vitarum.

Delibavit in sacra historia sua eum Surius, & vitam S. Valerii de verbo inde transcripsit. Utilia ab incertis discrevisse sapienter ipse præfatur, ea se memoriæ mandare testatus, quæ majorum certissimâ relatione didicerit. Sed, ut antiquiora redintegrasse scires, narrationem vitæ trium Apostolicorum Antistitum hoc epilogo claudit. *Hæc de gestis SS. Patrum, post excidium Treverica urbis relictos cineres diligentiùs perscrutantes, sparsim in chartulis scripta invenimus. Quæ in unum redacta, utilitati legentium tam præsentium quàm futurorum fideliter commendamus. Et quamvis in præsenti, de ipsorum actis pauca perscribantur, credendum tamen est, multas virtutes, dum adhuc in corpore viverent, per eos Dominum perpetrasse; quando hucusque apud reliquias ipsorum, hoc idem non cessat agere. Nam in eodem loco, cæci frequenter illuminantur, ægroti sanantur, dæmones ab obsessis corporibus fugantur, variaq; infirmitates tam animæ quàm corporis, curantur. Et quicunque illuc pio desiderio ac fideli devotione accesserit, & per merita Sanctorum de quacunque necessitate exoraverit, non solùm ea, quæ postulaverit, consequitur, verùm etiam his potiora se percepisse lætatur.*

Miracula apud memoriam trium primorum Archiepisc.

CI. Scriptor vitæ SS. Eucharii, Valerii, Materni. *MS. privata & Ioan Schekman ex int.*

Hæc ille mediæ ætatis, non imperitus aut vanus scriptor. Neque verò Ecclesia Trevirensis post excessum B. Materni ab Episcopis seu moderatoribus, id quod historiæ quædam haud claræ in vulgus efficere cupiunt, derelicta; neque semel suscepta Christianæ fidei mysteria, advigilantibus diligenter eam

in rem

Ecclesia Trevirorũ ab Apostolis fundata, perseveravit inconcussa fide. Commenta B. Agricii & Gesta Trev. M. S. falsò post Materni discessum Treviros ad paganismũ revolutos tradidere.

in rem pastoribus, Treviros vel abjecisse penitus, vel spe metuque, nefariè prodidisse, credendum: siquidem continuam perpetuamque Antistitum, nec usquam interruptam exhibuere successionem; clarissimo documento, nunquam obrutæ, aut ad interitum redactæ constantiæ. Et verò Marianus Scotus eorum nomina, ne quis temerè irrepsisse putet, ex Methodio, vetusto quopiam scriptore, quem in MSS. quibusdam bibliothecæ Sanmaximinianæ * Paretensem Episcopum & martyrem appellari observo, recensens: *Post Maternum*, inquit, *qui quadraginta annis Treviri prædicationis regimen tenuit, Auspicius sedit; deinde insignes per legitimas successiones, & sanctitate & gratiâ pollentes, extiterunt;* [a] *sanctissimus quisque nomine vel meritis; (in his) Celsus animo sublimis, sed & genere clarus. Felix, Mansuetus, Clemens, Moses, Martinus, Anastasius, Andreas, Rusticus, & Author,* * *Fabritius, Fortunatus, atque Cassianus, nec non & Marcus, cæterique quàm plurimi; qui suis diversis temporibus non solùm in propriâ provinciâ, sed in extremis, & ultimis, industrii & illustres; neque confessione modò, quin & martyrio, existentes, regna etiam tyrannorum vicerunt.* Quibus certè Methodii verbis facilè fidem facimus, Antistites hos, non unius Treverici populi fuisse pastores, sed velut Patriarchas, ampliore quâdam jurisdicundi potestate, quam latè patebat vicina Gallia, & ultrò citróque Rheni limites, aliorum multorum salutem, uti tempora ferebant illa, complexos; & amplius etiam, martyrii palmâ, extitisse florentissimos. Consentiunt perantiquæ tabulæ; martyrologia quoque & fastorum libri, qui complures ex his ipsis, quorum nomina Methodius prodidit, reponunt in Divos; & testantur ab omni sæculorum memoriâ, sive ob excellentem vitæ sanctimoniam; sive ob sanguinem, pro Christi cõfessione in martyrio fusum; sive ob magnam etiam post mortem ad eorum sepulchra divinitus editam miraculorum vim; eam tulisse gloriam sanctitatis, quâ inter cœlites jure merito ascripti sunt. At verò, cùm exitialem quandam pestem virtutum omnium memoriæ, ac publicis præsertim hujus urbis monumentis, attulerint tot támque horribiles bellorum clades, ac etiam multiplices sponte influentes rerum humanarum casus, nemini mirum videri debet, in summis veterum monumentorum angustiis, & magnis insuper historiarum tenebris, Episcoporum deinceps successiones, acta, res gestas, non in ea quâ optandum à nobis luce collocari, & singulatim velut in annorum classes cogi; cum ex hac tam fœdæ tempestatis nocte, præter unas nominum, quæ cum exigua virtutum commemoratione, supersunt, reliquias, vix colligere contigerit quidquam. Et quias quas inspicere veteres licuit, Præsulum hujus memoriæ tabulas, ab annis nudæ, temporum fuerunt ordinatâ serie destitutæ, faciendum planè duximus, ut in numerandis Præsulum annis, ævo quidem inferiores sequeremur, at, quo ne fallerent, reos præstandæ fidei, quam à priscis acceptam sibi nobis adpromitterent. Nec audimus triviales quosdam authores, qui reliquæ Belgicæ tutelam, quoad Tungros, Eburones vicinósque populos attinet, Materni successores abjecisse, aut neglexisse tradunt; ceu ab excessu Materni ad idololatriam mox ipsi defluxerint, nec pastores habuerint, neque Christiana sacra coluerint, donec Naviti studio, qui magno intervallo sequitur, ad frugem & Christianam religionem revocarentur. Quin potiùs omnes hos, Ecclesiarum istarum saluti & incolumitati haud segni curâ invigilasse, & æquè ac Treviris apud hosce populos tenuisse sacrorum habenas, eruditorum sententia est, Methodii verbis consentanea, mandataque literis priscorum, [a] qui Servatio demum ad sacerdotium Tungrensis Ecclesiæ assumpto, Tungrensem à Treverica diœcesi decessisse, narrant; quæ una eademque ad ea usque tempora scilicet extiterat. Legitur in Treviris Golscheri cœnobitæ, qui Gesta Trevirorum contexuit, sermo de S. Materno; quo inter alia Coloniam Agrippinensem tanquam felicem extollit, postquam sacrilegis erroribus nuncio remisso, & squalore gentilitatis absterso, fidem, potentiam ac dignitatem S. Materni exploratam habuit. Quippe omnes eos Sanctorum numeros & sacros martyrum manipulos S. Gereonis & B. Ursulæ sodalitio claros, hujus Materni tanquam matris partum existere. Et, sicut Christus Dei Filius, pro fide B. Petri ne deficeret, aut ullo unquam tempore labefieret, preces adhibuit; sic etiam Petrum orando suorum discipulorum fovisse præcordia, ne quod satum in aliorum pectoribus verbi divini semen natum exaresceret, aut represso fœtu excideret. Id quod de Tungrensibus idem scriptum reliquit.

* Paretensem Lib. 2 ætat. 6. Methodium Tyrium scribit Chronicorum volumen reliquisse, sed locorum & ætatis intervalla abjudicant à Tyrio.

a alludit ad Epitaphium Celsi, in ejus olim tumulo repertum. Omissum Mariani glossema Non segnu patria, &c.

* Mauritius Ex gestis Trev. M. Chron. Belg. Mauritius I.

Trevirorũ Episc. ceu Patriarchæ aliarũ quoque gẽtium salutem cõplexi.

Indices bibliothecæ primaria Varnum prætera præstina vetustate bibliot. MS.

CII. Curegistrus Episc. sequen. memoria tradata. Sed vide simul quâ rerum ambage seriem etiam necessariò hi propagent, quorum narrationi res Ecclesiæ totius & orbis Romani subjectæ.

Chron. Gest. Trev. Cunonis Archiepisc. MS. Clusanum. Calen. Chron. ante C. annos editũ, & Chron. magn. Belg. Trevirorum Episcopi vidè & Tungrens. &c. Ecclesiæ populorum.

In Chronico Gest. Trevir. & Gestis Leod. Episc.

CIII.

a Ægid. Bucb. disp. hist. c. 3.

Tungrensis diœcesis initium. MS. Chron. Cun. Arch.

MS. S. Eucharii.

Agrippinẽsiũ & Tungrensium in fide cõstantia.

S. Materni merita.

AUSPICIUS igitur etiam Methodio teste, Materni successor, Trevirorum posthac & vicinarum Ecclesiarum sacra curavit: eum martyrii palmâ coronatum, quorundam, nec imbecillis, opinio. Sed in fastos relatum coli intèr Divos cælites Confessorem, anniversario solenni ejus octavo Julii quotannis recurrente, compertissimum: quanquam Confessoris titulus etiam à martyrii candidatis usurpari solet.

AUSPICIUS IV. EPISC. Auspicius post Maternũ. Apud Marian. Methodius. Auspicius martyr quibusdam.

ANNUS CHR. 131. vel 132.

CIV. Alexandri Papæ martyrium.

Adriano inde tertium decimum annum imperii agente, à Salvatoris ortu lapsis uno & triginta supra centum annis, Alexander Pontifex martyrio vitam profundens, mortem suam cum primis apud posteros illustrem effecit. Sub Adriano autem ex hac luce migrasse, post gravissimos vinculorum, equulei, ungulæ, flammarum & stigmatum cruciatus, quomodò nunc emendatiùs legitur, Ecclesiæ Romanæ proditum est martyrologio. Ei sufficitur in Pontificatus amplissimi munere Xistus. Porrò Adrianus, seu fessâ jam ætate ad mitiora paullatim inflexus, seu Serenii Granniani viri præstantis, & Aristidis Atheniensis, ac Quadrati, Christianorum responsis, literisque jam olim fractior; deinceps æquiorem se Christianis exhibuit; & quod luculenter Cassiodorus, Hibero Silanoque Coss. à persecutione cessavit. Etenim Serenius Grannianus, postquam Asiam Proconsul rexisset, Galliæ Belgicæ Legatus dein ab Adriano constitutus, cùm vir esset apprimè nobilis, magnaque floreret apud Imperatorem gratiâ, Christianis eo tempore omnium ordinum hominibus invisis, propensio voluntatis benignæ

Onuphr. refert ejus mortem ad Traian. Martyrol. 3. Maii. Euseb. l. 4. c. 4. Consulendus C. Baron. to. 2. Eccles. annal. ad an. 132.

XISTUS PONT. regit an. 10. mense minus d. 12.

Adriani persecutio cessat. Cassiod. in Chron.

ANNUS CHR. 134. vel 135.

Serenius Grannianus Belgicæ legatus. Aventinus Boior. annal. 2. lib. in Adriano.

studio favit, illorum jura violari quoquo modo non passus. Poscebantur in oriente vulgi clamoribus ad supplicia, Philosophis, religiosum id, & magno supercilio genus hominum, & in deorum propugnando cultu nimis quam acre, plebem ac multitudinem imposturis, variaque præstigiarum fraude, concitantibus. Hac re fiebat, ut latius gliscentegentilium adversus Christi fidem odio, sæpenumero cum sontibus innocentes ad pœnas, præter jus fasque, raperentur. Cujus facti injuriam, ut toleratu asperrimam, sic legibus & æquitati, ut quæ maximè, adversantem, Serenius missis ad Adrianum literis, exposuit; & Christiani nominis hostium calumnias fraudesque patefecit.* Quare non de instituta modo severitate, Hadrianus paulatim dimoveri cœptus, sed eos in religione recta sensus habuisse traditur, ut Christo salutis autori cœlestes decernere honores, & ubique templa locare, absque simulacris numinum, statuerit. Sed tantam felicitatem Adriani temporibus moribusque Deus negavit altissimus, qui interrogat opera Regum, & eorum cogitationes scrutatur, & cui omnia scienti, faciunt ullum aut consilium occultari nequit.

Sulpic. Sever. [illegible] — Philosophi Christianis infesti.

Serenius calumnias Christianis depellit aliis.

Christo templa locare parat Hadrianus. *Ael. Lamprid. in Alexandro.*

[illegible]

CV.

ANNUS CHR. 139. vel 140. ADRIANUS Imperatori Succedit ANTONINUS PIUS. *Iul. Capitol. & Xiphilin. Dio. Euseb. [illegible] Scaliger ad chron. Euseb.*

Adrianus Imperator igitur intercutis morbo, tabe & ventris tetro profluvio decedens, anno patefactæ per Christum hominibus salutis, cẽtesimo undequadragesimo Antoninũ Pium reliquit successorem: quem annum nonnulli ex æquinoctio autumnali, quod Ptolemæus observavit, Antonini faciunt tertium, scilicet biennii prochronismo, quia in paribus Consulum digerendis turbatum putant. Antonino autem Gallia Transalpina patria fuit; nam genus illi Nemausense, provinciæ Narbonensis. Galliarum colonias, legionum hiberna, dispositaque per Rheni limitem præsidiorum castella, variis passim operibus instruxit & ornavit. Quod ipsum per Belgicam & Germaniam inferiorem hodieque testantur miliariæ columnæ, aliæque inscriptiones marmoribus incisæ, cum Imperatorum titulis, quorum publicâ magnificentiâ, stratæ viæ militares, refecti pontes, structuræque magnificæ in urbibus, oppidis, & castris, cum ad usum provinciæ, tum seculi quoque nitorem, excitatæ.

Belgicam munit ornatque Ant. Pius. *Iul. Capitol. & [illegible]*

CVI.

Certè hoc Trevirense solum, ingentem hujus Imperatoris argenteorum æneorumve numismatum vim etiam nunc reddit, quæ vel fissione glebarum arator elicit, vel ubiubi ligonibus excutit fossor. Et si itinerarium, quod vulgo in manibus eruditorum ab Antonino Augusto est, ut esse libri veteres non abnuunt, indicio nobis illud, quanto decore & ornamento, pontium & itinerum continuatis munitionibus, ex Gallia Germaniáque ad varios usus undique in Treviros, militari & gradu, & via, concursum sit; seu Cabillone aut Durocortoro, principe Rhemorum urbe, huc itetur; seu hinc Agrippinæ Coloniam, vel Argentoratum, [illegible].

Treviris complurima Antonini numismata.

Itinerum viarumque celebritas in Treviris servatiam.

Porro, sub hoc eodem Principe, summa pax provinciis, & rerum omnium tranquillitas; ita, ut annos omnino tres & viginti, quibus imperio potitus est, nusquam fere bellum gravius incubuerit, quod non per legatos sta- [illegible]

Provinciarum tranquillitas.

tim ac præsides repressum sit, atq; prodigatum.

Sul. Sulpit. Sever. Eccles. hist.

Hoc tempore in communi orbis pene universi tranquillitate, solis esse quietis Christianis haudlicuit, legibus etiam tum priscorum Imperatorum cõtra religionem nostram obtinentibus. Et verò Christianos passim per provincias cõplures in magna principis, ut sane tunc videbatur, indulgentia, arreptos ad exolvendũ legibus supplicium, tum ex martyrum certaminibus, tum fastis Ecclesiarum palam fit; unde, nihil opinor hæc mea ratio continebit absurdi, si quod ratio exigit, Antonini tertio anno Xystum tradamus, per martyrii denique stadium, cursu planè glorioso profectum ad metam. Telesphorus ejus adeptus officium, ut dignitatis celsissimæ, sic fortitudinis fere Christianæ fuit æmulus.

CVII. Christiani [illegible] sub Antonino.

ANNUS CHR. 141. 142. *[illegible]*

Eodem verò tempore Celsus, cujus inventioni apud Treviros vigesimus tertius Februarii dies consecratus est, testata initiis operibus Confessoris ac Martyris innocentia, Auspicio in Trevericæ Ecclesiæ gubernatione successerat; hos in eo gerendo munere simul tredecim annos confecisse, ex eo deprehendas, quòd Felicem primum, qui surrogatus in Celsi locum, pontificatum ab anno Christi centesimo quadragesimo secundo iniisse, nonnulli sentiunt veterum. Læti ergo optati & securâ pace Felicis anni. Quies, quanta non multis retrò spatiis aderat; compositis in obsequia circum barbaris; & provinciis ad modestiam, & priscam gravitatem revocatis.

CVIII. TELESPHORUS Pont. regit an. 11. m. fere 9. CELSUS V. Episc. FELIX I. VI. Episc.

ANNUS CHR. 142. *[illegible]*

ANNUS CHR. 143. 144.

Gemina dehinc provinciis conflata pestis, ubi vel præses pacis artium contemptor, & motûs cujusque novi cupidus prædarum occasionem alere; vel munus etiam civilibus illigatus, accensâ studiis avaritiæ longâ egestate, rationes provincialium malignè vexare solet. At utrique malo providit omni diligentiâ Antoninus, quò omnes ubique provincias florentissimas haberet; nullumque prætermissum ab eodem officium, & abstinentiæ & moderati imperii. Erat in antiquis Reipublicæ Romanæ moribus, Præsidum itineribus non atteri provinciales, non sumptu exhauriri, non adventu commoveri; sed quocunque venissent, & publicè & privatim maximam oriri lætitiam; cùm urbes, custodes, non tyrannos, domus hospites, non expilatores se recepisse, gratularentur. Ergò cura sededat hæc antiquissima, summam abstinentiam in summo imperio tueri; sociorum libertatem, fortunas, patriam, armis protegere; eorum publicè commodis, & utilitati consulere. Suas privatim cupidines posthabere; omnesque, quos aut ex domesticis convictionibus, aut ex necessariis auspicationibus secum habuissent, tales etiam præstare. Jam verò, translatitia quoque hæc, & bonis omnibus usurpata; sumptus & vectigalia civitatum moderatè & æquabiliter exercere, ære prolapsas alieno erigere, fessas tributo recreare, faciles querelis omnium aures dare, nullius inopiam ac solitudinem tribunali arcere, cunctas denique provinciæ partes, eâ justitiæ atque integritatis famâ retinere, quâ retinendæ fuerant ii, quibus imperium ita dabatur, ut quandoque redderent. At postquam, ut temporum vices, sic & morum conversæ, corruptisque superbiâ, & avaritiâ legibus, jus bonumque cessit,

CIX. Provinciarum status sub Antonino, cum antiquo cõparatus, ad usum reip. Trevir. Antonini moderatum imperium in subditos. *[illegible]* Præsidum abstinentia veterum. *[illegible] ex Ulpiano.*

Romanorum Præsidum degeneres mores.

CX. ANNUS Chr. 145. *Iul. Capitol. in vita Antonini.* ANNUS Chr. 146.

hinc iræ provincialium & questus; ac ni subveniretur, remedium ex seditionibus & bello.

Sed provinciæ, Capitolino teste, sub Antonino cunctæ floruerunt, cui etiam hostes æquiores, quàm aliis cives fuêre: cùm caussas bellorum ipsas magis exscinderet, quàm per injuriam arma provocaret. Orsus igitur à se suisque, ut injuriarum & onerum metum sociis demeret; neque magistratuum imperiis usquam gravis intervenit; neque expeditiones ullas ipse obiit, nisi Campaniâ tenus, ad privata visenda prædia. Gravem dicebat provincialibus comitatum principis, etiam nimis parci. Jam etiam, quò juris æquabilem teneret rationem, ipsosque adeò præsides usu rerum eruditos, & provincialium animorum callentes haberet, in tribuendis honoribus eâ fuit constantiâ; ut septem & novem ipsos annos in provinciis, bonos Præsides detineret.

ANNUS Chr. 147. Præsidum imperia solitò longiùs prorogata. *Tacit. Agric. & ʃʃ supra cit.*

Et, quò cum imperio calculum quoque ponere diceres, tam accuratè vectigalium quid proveniret, ubique pensitabat; ut, cùm omnes, omniaque, perinde ac propria curaret, provincialium rationes universas apprimè cognosceret.

CXI. Artes imperii propagandi retinendique.

Fuit etiam in populi Romani artibus ad mitigandas præsertim bello faciles, promptasque libertati provincias, quieti & otio per voluptates, & opera pacis, assuefacere. Excoluit artes has, atque auxit etiam Antoninus, cùm multas ipse civitates adjuvit pecuniâ, uti opera vel nova facerent, vel vetera reficerent: nec non ad liberalibus artibus erudiendam juventutem Rhetoribus & Philosophis, per omnes provincias salaria detulit & honores. Atque hæc quidem omnium ubique provinciarum facies; in magna domesticæ laudis inopia iccirco expressa, ut quæ suâ non possunt, vel alienâ luce enitescant. Sic igitur domi Rempublicam Treviri habebant, cum Telesphoro.

Tertul. Iren. & Euseb. Telesphor. celebrant.

CXII. ANNUS Chr. 153. HYGINUS Pont. regit an. 4. ANNUS Chr. 157. PIUS Pon. regit an. 9. m. ferè 6. *Martyrol. Rom. 11. Ianuar. Euseb. Chron.*

Dein, Antonini imperii anno decimo quinto, vel quarto, gravissimo pro CHRISTI amore defuncto certamine, surrogatus est Hyginus; cujus Pontificatus quatuor duntaxat annos tenuit. Eum verò martyrem, sub Antonino, vitæ spiritum edidisse, probant Ecclesiæ fasti. Hunc Pius excepit; quo ne pietatis falsò jactatæ titulo se magis Imperator efferret, quàm ejus virtutis & nominis in Christiano grege princeps verè emicaret.

CXIII. ANNUS Chr. 162. vel 163. IMPERATORES M. Aurel. Antonin. & L. Verus simul. an. 9. vel 11. M. Anton. an. 19. d. 11. al. an. 10. d. 9. *Iul. Capitol. in vita Antonini Philosophi. 1. 10. Aurelii Sex. Ruf. epitom.*

Pio Papa adhuc sedente, vitâ caruit Antoninus, recuperatæ salutis anno centesimo sexagesimo secundo, M. Aurelio Antonino Philosopho, & Lucio Ælio Vero summa rerum concessâ; qui ambo titulo DIVUM FRATRUM exinde administratione ad exemplum nova, divisum imperium orbis, æquatâ primum potestate, fortiuntur. Jamdiu vereor, ut aliorum fastidium mihi exspectandum sit, qui per nudas successiones Principium tam minuta resecanda ducimus omnia. Sed nimirum haud fieri potest aliter ab eo, qui cùm ex hac ultima vetustate ducem habeat neminem, qui peregrinantem, & pererrantem usque omnem antiquitatis memoriam, ad amœnora deducat, quin invitus etiam, quò minimè vult, patiatur interdum sese pervolvi, & in hæc velut aspera successionum dumeta compelli.

CXIV. Chaucorum irruptio in Gallias. Did. Julian. Gal. Belg. Præses eos reprimit.

Per id tempus Chauci Germaniæ Transrhenanæ populi, qui Albim fluvium accolebant, in Gallias irrupere. Præerat Galliæ Belgicæ Didius Julianus, is, qui post Præturam, Legionem in Germania vigesimam secundam primigeniam habuit; atque deinde Belgicam moderatè, atque haud vulgaris abstinentiæ justitiæque famâ, diu rexit. Hic tumultuariis auxiliis provincialium, barbaris egregiè ac fortiter restitit. Porrò legionis XXII. Castello veteri contra Moguntiacum illustria olim veteribus saxis insculpta vestigia legimus. Inter alia:

FL. IVLIO MATERNO
VET. LEG. XXII. P. P. F. MISSVS HONESTA
MISSIONE EX DVPLICARIO
T. F. SABINIVS ATTILLVS. VET. ET FL. IVLIVS
REGINVS MILES LEG. XXII.
FRATRES ET HEREDES T. SIBI. VIVI.

CXV. Ecclesiæ Gallicanæ status jam efflorescentis. ANNUS Chr. 164. 165.

Eâ quoque tempestate, augescente indies apud Rheni limitem, & magnas passim in Gallia vires sumente Christianorum numero, Ecclesiæ, cùm innocentissimos plerosque Antistites obtinerent, ad insignem, horum opera & invictis studiis, sunt amplitudinem perductæ; præclaroque multos sanctitate Martyres tulêre: quâ de re, illustre, flos ille Gallicanæ tum Ecclesiæ, Irenæus, testimonium perhibet, consensum animorum atque Ecclesiarum, quotquot usquam erant, in fide, quam semel hauserant, retinenda præstandàque, celebrans. *Etsi*, inquit, *in mundo loquelæ dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una & eadem est. Et neque hæ, quæ in Germania sunt fundata Ecclesiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt; neque hæ, quæ in Hiberis sunt; neque hæ, quæ in Celtis.* Germaniam verò præcipuè hic eam accipi, quæ culta tunc cis Rhenum infra supràque Treviros, evincit scriptorum & ætatis usus. Nec Rheno tamen cohibitam Christi fidem, tacente quoque Tertulliano, crediderim; quippè magnâ Christi charitate flagrantes Trevirorum Antistites, tantillum amnis ab opere tam nobili rejiceret, & ejus virtutis reprimeret ardorem, quam aquæ multæ extinguere non possunt? Quin mihi fermè certum est, Methodium, cùm scripsit Episcopos Trevirorum non in suâ modò, sed in ultimis & extremis etiam provinciis impigros fuisse ac industrios, de Germania præcipuè transrhenana, locutum. Et verò res Christianæ, ut magnis tum hominum & religionis incrementis ad famam virtutis & pietatis efflorescebant, ita in Galliis atque Trevirorum finitimis, ingentem calamitatem accepêre, graviter in Christianos ubique sæviente quartæ persecutionis bello; visaque tum primùm intra Gallias, (crebriora, & quàm non antè violenta, erectis passim tribunalibus) Severo teste, martyria; quorum præcipuè tempestas in Lugdunensem ac Viennensem provinciam, validissimè post incubuit.

Germanicam & Gallicanam Ecclesiam laudat B. Irenæus. *Iren. l. 1. c. 3.* Christiana fides in omnem Germaniam propagata. *Tertull. Apol. adv. Iud. c. 7.*

Quarta persecutio. *2. lib. Eccles. hist.* Martyria Gallicana. *Severus Sulpitius sic legi-re & interpretari, quàm corrigere maluit.* *Martyrol. Rom. 12. Iul.*

ANNUS Chr. 166. CXVI. *Martyrol. Rom. 17. April.* ANICETUS Pon. regit an. 9.

Hoc furentium tyrannorum æstu abreptus Pius Pontifex, circiter asserti in libertatem generis humani annum sexagesimum sextum supra centesimum. Sed nec ejus tempestatis atrocitatem Anicetus successor subterfugit; ut ne Felicem quidem Trevirorum, cujus ad id usque

ANNUS CHR. 167. 168.
Felix I Trevir. epis. non confundendus cum II. ejusd. nominis, ut in Martyrol. [illegible] Martii.

id usque tempus prorogatum munus, sine corona martyrii è medio abiisse, haud levis ad credendum moveat suspicio. Hunc verò, qui ipsum illum existimant, quem divùm fastis insertum, ad septimum Kal. Apr. etiam Romana colit Ecclesia; ii verò peregrinantur ab usu & consuetudine Ecclesiæ Trevirensis; nam, quisquis paululùm huc adverterit animum, reperiet apud Usuardum, neutrum ex his exautorari posse; quin secundi Felicis illatâ distinctè memoriâ, nebulam eam repentè, ceu exoriente sole, discuti.

MANSUET. VII Episc.
CXVII.

Treviris inde MANSUETUS anno secuto post primum Felicem, sedem juraque sacrorum omnia obtinuit.

ANNUS CHR. 169.
Martyres Bodabrigenses.

Quo tempore Bodabrigæ apud Treviros in prima Germania, ferunt, Christianos plerosque à Ripensi custodia comprehensos; & ense, qui, postmodum in sacris eorum sepulchris repertus, obtruncatos; memorandum Christianæ fortitudinis ac constantiæ documentum, posteris, ut in loco explanabitur, reliquisse. Excepit hanc tam cruentam nominis Christiani stragem eodem anno, dira pestilentiæ lues; quâ passim, domus, agri, atque oppida tam crebris funeribus exhausta, ut deficiente libitinâ, sine cultore atque habitatore deserta sola terrarum, propè omnia in solitudines abierint. Hanc Ammianus, ab ipsis manantem Persarum finibus, adusque Rhenum & Gallias, cuncta, narrat, contagiis polluisse, ac mortibus.

Pestilentia dira.

CXVIII. Romanæ vires pestilentia hac atteruntur.

Illud ampliùs Orosius; exercitus Romanorum cunctasque legiones per longinqua latè hiberna dispositas, sic consumptas, crebraque morte disjectas, ut Marcomannicum bellum, quod inde apud Rhenum exortum est, nisi novo delectu militum, cui triennio toto ipse Marcus Antoninus apud Carnutum in Celtis oppidum, institit, neque suscipi potuerit, neque moveri.

ANNUS CHR. 170. 171.
CXIX. L. Veri mortis annus incertus. Marcomannicum bellum.

Hoc quidem bellum Marcomannicum ab omnibus Imperatoribus, sed in procinctu expeditionis L. Vero jam extincto, postea providentiâ Dei administratum, illustribus compluribus patuit argumentis. Flagrabat infino motu universarum ultra gentium Germania, magnaque vis nationum impetu erumpens, se per catervas non limiti modò, verùm præpinguibus Italiæ campis optabat infundere: cum Furio Victorino PP. cæso, & superatis Alpibus, jam Aquileiæ appropinquaret. Tracti in arma Marcomanni, Hermanduri, Quadi, Narisci, Vandali, Sarmatæ, Suevi, Rhoxolani, Bastarnæ, atque omnis pene in altitudinem ac terrorem coorta trans Rhenum barbaries.

Sociæ gentes Marcomannici belli.

ANNUS CHR. 172.
Boiemiæ fines insedere Boii, hinc Quadi & Marcomanni.

Ad hanc tam infestam coërcendam molem in Quadorum usque fines seu Boiemum progressus Romanus exercitus, circumventus ab hostibus, cùm solo cœloque juxta inarescentibus, nihil æquè quàm æstus & aquarum inopia fatigaret: milites legionis Melitinæ, quæ inde usque ad Constantini tempora magnoperè propter fidei Christianæ studium commendata fuit, magnâ fiduciâ speque cœlestis subsidii, palam in ipsa acie genibus humi positis, Christi auxilium uno consensu, votisque communibus implorant; jamque mota in prælia agmina, & armorum exciti fulgores; cùm, ecce tibi, plurimo spiritu nubibus evectis, tantus imber cœlo repentè decidit, ut Romanos quidem æstu sitique fessos & exanimes, largissimè ac sine injuria reficeret; barbaros autem, intermicantibus crebris fulminum ictibus perterritos, in fugam aversos ageret. Quorum terga Romani usque ad internecionem cædentes, gloriosissimam victoriam, & omnibus penè antiquorum titulis præferendam, rudi parvoque numero militum, sed potentissimo Christi auxilio, reportarunt. Denique ipsum Antoninum Imperatorem, invocatione nominis Christi, per milites Christianos, & sitim illam depulsam, & relatam ab hoste ferocissimo victoriam, literis suâ etiam ætate extantibus, & ab eodem scriptis, comprobari, æquè cum Orosio, tradit Tertullianus. Apollinaris verò ipsum hac de causa legionem hanc appellasse Ceraunobolon, veteri puta receptoque Fulminatricis cognomento, in Melitenam translato, apud Eusebium commeminit: & verè fulminaverat;

Melitina vel Melitena legio Christiana.

Victoria I. insignis & divina sub M. Aurelio à Christianis militibus parta. Pluvia cælestis impetratur.

Nam flammeus imber in hostem
Decidit: hunc dorso trepidum fumante ferebat
Ambustus sonipes; hic tabescente solutus
Subsedit galeâ, liquefactaque fulgure cuspis
Canduit, & subitis fluxere vaporibus enses.

CXX.

Cæterùm, id exoratæ pluviæ beneficium usque adeò proprium Christianorum, æterna majestas in posterum etiam tempus fecit; ut, quod ea de re planè memorandum alio loco propagavit literis Orosius, quandocunque ipsius ævo ad documentum potentiæ Christi, siccitate turbante, pluviam poscere contigit, & alternis vicibus, nunc gentiles, nunc Christianos rogare; nunquam, etiam, ipsis Christi hostibus testimonium dicentibus, factum esse, ut optati imbres supervenirent, nisi quo die rogari Christum, & Christianis rogari, permissum esset. Quod precationibus Tertullianus, quando non geniculationibus, inquit, & jejunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ? Quò minùs erit ferendus hic Julius Capitolinus, quem adulatio falsum fieri subegit, cùm fulmen exoratamque pluviam Marci precibus cum * Claudiano imputat:

Omne Tonantis
Obsequium Marci mores potuere mereri.

Lib. 4. c. 14. Christianis siccitatem depelli, & optabile imbres exoptare.

Iul. Capitol. Christianorum merita deprimit. Ad Scapul. c. 4.

* VI. Consulatu Honorii.

At Marcus porrò, gentili profanoque ritu, ipsi acceptum fert Jovi. Itaque fiebat, quod non siluit Tertullianus in Apologetico, ut cùm ab omni vitæ fruge dilatis Romanis, tunderent cœlum Christiani, & misericordiam extorquerent, non Deus, sed Jupiter pluvius honoraretur.

CXXI. Honor Christi translatus ad Jovem pluvium.

Porro victoriam hanc, in annum M. Aurelii undecimum conferre maluimus; tum, quòd inter adparatum & pestis atrocem illam luem triennium intervenisse, doceant Eutropius & Orosius; ipsiúsque Marci literis appareat. Carnuto dein ad nuncium adventantis repentè molis, raptos in hostem exercitus. Sed eruuntur præclara etiam in suburbano Treverico, ad specimen, quod hic damus, expressa numismata; quibus aversâ parte impressum alatæ victoriæ signum, coronam manu gestantis, cum inscriptione: VICtoria

Tribunitia poteſtas titulus ſummi faſtigiii ab Auguſto primùm inventus.
Tacit. annal. 3.
creviſſe gradatim cũ imperii annis.
Dio teſtis l. 53.
alii id conſtanter negãt.

GERmanica M. Antonino TRibunitiæ Poteſtatis XXV. COS. III.

Quibus ex notis, retrò Tribunitiæ poteſtatis initæ colligendis annis, haud magno negotio perveniatur ad Germanici confecti belli tempus: ſiquidem, fateamur licet, Tribunitiâ poteſtate non contineri annorum imperii certum canonem; eámque non ſemper gradatim creviſſe cum Cæſarum annis, hoc tamen loco Julius Capitolinus author eſt, Marcum Antoninum ſecundo perfunctum conſulatu, qui componitur cum anno CXLVII. Tribunitiam cœpiſſe poteſtatem. Quare ad centeſimum ſeptuageſimum ſecundum Chriſti, ejus magiſtratus vigeſimus quintus annus, aut eò amplius etiam excurret.

CXXII.
Belgica quietior, quo ſtatu & conditione ſub Antonino.
Iul. Cap. variis locis.
S. Aurel. Vic.
Eutrop. l. 8.

Marcomannici ſive Germanici belli curis abactis hoc modo potiùs, quàm funditus ſublatis, ex magno diſcriminis metu redditæ ſibi Belgicæ, Rhenóque finitimæ provinciæ. Et M. Aurelius jam inde à L. Veri exceſſu provincias laudatâ moderatione, ac benignitatis uſu tractaverat, ſordium ac cupiditatis infamiam abhorrens quàm maximè. Enimverò, flagrante, quod diximus, hoc Germanico bello, cum militaria ſtipendia, exhauſto ærario, publicè nullo ſubſidio niterentur, ipſe nec indicere provincialibus hoc nomine quidquam ſuſtinuit, & inſtrumento regii cultus haſtæ ſubjecto, ne privatis quidem opibus pepercit. Sed liberales quoque cauſas per provincias egregiè munivit; cùm apud Cenſores coloniarum juſſit quemque civium natos liberos profiteri, intra triceſimum diem impoſito nomine, & in tabulas relato. Profuiſſe plurimum in omnem partem illud decretum, ad vindicandam ab ingenuorum fortunis, & capitibus acerrimam illam miniſtram Prætorum avaritiæ calumniam, juxta mecum norunt omnes veteris memoriæ periti. Nam & captandi, fraudandique causâ, liberos natos expoſitos, deinde ſublatos obſervavimus, & in ſervitutem aſſertos; contra, pro ingenuis ſervos non rarò ſubjectos, tyronum ordinibus illatos, & commoda, præmiaque eadem tuliſſe cum liberis. Fuit etiam in belli ſubſidio celeberrimum apud Romanos viceſimæ vectigal, fulciendo militari ærario ab Auguſto repertum: hujus vis in extraneorum præſertim hæreditates imminebat: ut qui novi, ſeu per Latium in civitatem Romanam, ſeu beneficio Principis veniſſent, niſi ſimul cognationis jura impetraſſent, eorum hæredes quamlibet ſanguine proximi, ex aſſe bona non cernerent; verùm abraſam ex iis viceſimam, ærario inferrent. At mitigavit hujus decreti acerbitatem Nerva; ſanxitque primùm, ut in paternis bonis liberi neceſſitate

Liberales cauſæ vindicatæ.
Cenſorum id fuiſſe munus interpretor ex *Plin. jun. Epiſt. l. 10. Ep. de adjectione civium. Cic. ad Q. Frat.*

Plin. lib. 10. ep. 71. & 77. 78. de adſertione ingenuorum. & idem ibidem de ſervis inter tyrones. LL. plurib. C. de cauſa liberali.
Viceſimæ vectigal. *Dio l. 55. Plin. in Traiano Panegyr. & paterendo ad XIII. annal. Tac. VC. Iuſtus Lipſ.*

viceſimæ ſolverentur: atque inde ad alios etiam gradus immunitatem extendens, quibus per Latium Romana civitas patuiſſet, idem indulſit.

Iul. Capitol.

Auxit clementiam hanc Traianus, & exemplum ſecutus Traiani M. Aurelius; unde nec mediocris in hanc provinciam utilitas redundavit. Etenim Trevirorum cives non jus modò Romanæ civitatis, verùm, ut eorum quiſque ſplendidiſſimus, & ſenatus jus impetraverant: vicinaque Coloniâ Agrippinenſium, Italico jure, cujus potior conditio, jam dudum vivebat. Quin etiam in provinciis exigendæ viceſimæ dati à Principibus Procuratores, quorum inſcriptos monumentis titulos invenias

Tacit. aliquot loc. ut ſupra.
CXXIII.
Treviri cõſortes Rom. juris.
Paulus l. 6. de cenſibus. Dio lib. 55. Gruterus in Theſauro. L. 1. Cod. Theod. de Iur. Ital.

PROCVRATOR AVG. XX. HEREDITATIVM. & PROCVRATOR PROVINCIARVM BELGICÆ ET VTRIVSQVE GERMANICÆ.

ANNUS Chr. 173.
Clemens VIII Epis.
Chron. Geſt. Trever. in annis tardius Clementis circa tẽpora Victoris.

Hac ſecuritate & temperantiâ proſperè, quà domi, quà militiæ res Trevirorum ibant, quando ex gremio Chriſtiani cœtus abreptus Manſuetus epiſcopus; & Clemens ejus in locum ſuffectus. At Anicetus Romæ ad tertium uſque decimum M. Aurelii annum vitâ propagatâ, fervente etiam tum fidei certamine, oblatum martyrium non aſpernatus, hauſtu avidiſſimo Chriſti calicem traxit. Pro eo Soter init. Secundùm hæc Avidius Caſſius faſtigium ſummæ rerum adſtruere ſibi in Oriente cœpit. at priùs, quàm attolleret ſe, procidente mole, Marcomannici belli cura revixit; quæ toto deinceps triennio Marcum Imperatorem diſtrinxit. Annus ejus imperii decimus ſeptimus curreret; cùm Soter Romæ Pontifex in conſueta martyribus luctâ profuſo ſanguine, quatuor in magiſtratu poſitis annis, laureatus invehitur aſtra; ſucceſſorem relinquens Eleutherium.

ANNUS Chr. 174.
Martyr. Rom. 17. April.
SOTER Pont. regit an. 4
ANNUS Chr. 175.
Vulcat. Gal. in Caſſio vita, & Dio in M. Aurelio.
ANNUS Chr. 176.
Martyrol. Rom. 22. April.

CXXIV.
ANNUS Chr. 177. 178 al. 179.
ELEUTHERIUS Po. regit an 15. d. 23.
Lugdunenſ. Martyrol. & Galli. Eccl. certamina. Euſeb. l. 5. c. 1. & ſeq. Greg. Turo. de gloria Martyr. c. 49. & Adon. martyrol. 2 Iun. Euſeb. & Caſſiod. in Chron. Euſeb. l. 5. c. 1.

Eodem verò tempore, ſi ſtandum Euſebii rationibus, conſimili virtutis, & pugnæ genere, Eccleſia Gallicana decertans, omnium oculis ſe Chriſtianorum ſubjecit; Lugduni atque Viennæ præſertim parato campo; atque Lugdunenſi quidem arenâ, Photinus Antiſtes inexſuperabilem ſpiritum præbuit; cùm in extrema ſenectâ reliquam martyrum multitudinem ad fortiùs obeunda certamina, ſuo vigore provocavit. Certarunt autem in hac palæſtra viri nobiles Vettius Epagathus, Attalus, dein Maturus Alexander, Alcibiades, & ſupra ſexum mulier fortis Blandina. Deſcripſit ea Gallicanorum martyrum certamina prolixè ex Viennenſis ac Lugdunenſis Eccleſiarum cyclicis literis, quas Galli Chriſtiani ad Eccleſias Aſiæ ac Phrygiæ miſerant, Euſebius, argumento non obſcuro fœderis inter Gallos & Aſianos initæ ſocietatis. Quam exortam à Dionyſio Areopagita & Polycarpo, qui in Galliis operam dederunt illuſtrandæ Chriſtianæ rei, habeo interpretem; nec conſter equidem, ſuper orbis & juris Romani vulgata tum commercia, aſſerere, vinculum illud ſanctius interveniſſe, altiore fortè ligatum neceſſitudine ſanguinis & gentis: ſiquidem & Phryges in Aſiam olim ex Europa tranſierant,

Cæſar Baron. Annal. tom. 2. in ann. 169.

Tim. l. 5. c. 32.

Gallorum Chriſtianorum commercium cum Aſia-

nis & Phrygibus.

transierant, & Galatis sic permisti, ut Galatia sicut Trevirorum linguam, ita & agros majori ex parte Phrygiæ teneret.

CXXV.

ANNUS CHR. 179.

Commodus inter hæc V. Kal. Decembris cum Tribunitia potestate à M. Aurelio patre Imperator designatus, ut testatur Lampridius, cum Pollio & Fl. Aper Consulatum gesserunt. Orfito dein, à quo S. C. Orfitanum de intestatæ matris hæreditate, & Rufo Coss. M. Aurelius cum filio, victis hostibus triumphans, pecuniam, quæ fisco debebatur, provinciisque universam remisit, tabulis in medio urbis Romanæ foro crematis. Etenim, quod Capitolinus de eo prodidit: cùm Philosophi laudem, id est principis boni captaret, facilè vinci fiscum passus est, cujus nunquam malam esse causam sciret, nisi sub bono principe. Atque has sanè remissiones tributorum, qui per Indictiones fieri observarunt, hinc novas temporum stationes & epochas conficere studuerunt; quare Dionis locum, ubi in M. Antonino narrat, remissa fuisse debita fisco, in XL. annos præter * XVI. annos, quos remiserat Adrianus, de IIII. Indictionum spatio accipiunt, quæ per quindenos cyclos ab Hadrianea, id est, ab anno Christi CXVII. usque ad CLXXVII. id est, Antonianam hanc Aureliam, interfluxerint.

Antoninus provincias ære laxat alieno. *Capitol. varus locu. Dug. in M. Antonino. Plin. paneg. Traian.* Ex hac sententia a. 177. hæc remissio facta.

* pro XV.

ANNUS CHR. 181. CXXVI. Antoninus moritur. *Euseb. Chron. ad 180. Baron. ad an. 182. ...* ab initio Cæsaris ad excessũ Marci hujus numerãt an. 220. COMMODUS IMP. regit an. 12. m. 8. d. 15. Commodus successor flagitiosissim* *Dio in Commodo. Ælius Lampridius. Herodian. l. 1.*

Anno inde Christi ad salutem orbis nati octogesimo primo supra centesimum, M. Aurelius Antoninus M. Aurelio Commodo filio, moriens imperium cessit; qui rerum in orbe Romano sic potitus est, ut quisquis vivam præsentémque principatus detestabilis imaginem, & per omnium libidinum, scelerúmque nefandorum exempla famosissimi lustrare cupit oculis, ejus apud Ælium Lampridium tanquam in speculo, copiam inspiciendi habeat.

ANNUS CHR. 182. Germaniæ frustra jugum amoliuntur improbi tyranni.

Et vero cruenti, turpissimi & obscœni principis imperium dedignatæ vicinæ Treviris Germaniæ, num fidem erga Commodum, obsequiúmque abjicerent, ancipites animi consiliique pendebant, Ducem vel occasionem operientes, quo motis rebus sufficerent. Verùm oppressi in ipso conatu provinciales à Ducibus & legatis Romanis, ad servitutis & injuriæ genus omne coacti, præbuere cervices. Nam tales Rectores plerumque imponere curæ fuit Commodo, quales improbitatis suæ nosset vel æmulos, vel societate scelerum fidos. Quin &, narrante Lampridio, facinorum ministris Libertis, quâ nulla palatiis dirior pestis, vendidit etiam provincias, & administrationes; sic ut hi, per quos venderet, secum in partem possessionis mitterentur æqualem. Sed hæc in prosperis numerata, dum paternis amicis suus honos & reverentia stetit. Postquam in contumelias assumpti scurræ, & sycophantæ, ad optimi cujusque perniciem evaluere; vivida mox odia in senatum Commodu intulit, & ex metu, insidiarum illata suspicione, illustri plurimo sanguine dolorem ultus est. Hæc ab initio principatus paucis annis gesta memorat Herodianus. Atqui verò Perennis Præfectus Prætorio, & nomini Christiano hostis infensissimus, sceleribus, omnes ubique provincias, imperiúmque Romanorum perculit gravissimè; is enim, amplissimâ circundatus potestate, complurimus ad libidinem vitam eripuit: vim hominum innumeram, & in his è provincialibus multos, dispoliavit; eóque solùm nomine, quòd censerentur locupletes, interfecit; nonnullis etiam impacta calumnia, ceu Commodum scribere hæredem recusassent. Quibus Perennis meritis, eam denique justissimam rependit exercitus Romanus mercedem, ut eum, ceu communis iræ piaculum, discerperet, & plagis impositis fœdè dilaceraret.

CXXVII. Germaniæ rebellio, cũ res gestæ Commodi vix annis finitæ, ad initia principatus ejus haud vanè rejecta. Provinciarum ubique status sub Commodo. Liberti principibus perniciosi. *Herodia. l. 1.* qui & Perenniũ nominat. *Ælius Lamprid. Dom.* Agnoscit eũ *Martyrol. Rom. April. 18.* Christian. hostem.

ANNUS CHR. 183.

Perennis Præfectus Prætorio. ANNUS CHR. 184. Ejus crudelitas in provinciales.

Belgicam cum imperio obtinuisse, regnante Commodo, Clodium Albinum sat firmat Julius Capitolinus. Is Tribunus militum cum profano gentilium ritu Apollinis consulto oraculo, responsum tulisset:

Hic rem Romanam magno turbante tumultu,
Sistet eques, sternet Pœnos, Gallumq; rebellem:

Hanc ceu fusam cælo vocem divinamque secutus, præbenti atque offerenti sese bellicæ gloriæ, magno impetu animi obviam iit, & provinciam malè pacatam sortitus, primùm in Gallia quidem multas gentes, injecto ad arbitrium fræno, perdomuit; dein, ex vicino sese in transrhenanos cum exercitu infundens cæsis fusisque Frisiis, celebre nomen & apud Romanos, & apud Barbaros sibi peperit.

CXXVIII. Clodius Albinus Belgica Præses Galliam quippe ... xisse cõstat, Rh... ver finitin... illam, ... cent ipsi ... expeditione. *Jul. Capitol. in Clodio Albino*

Frisii à Albino coërciti.

CXXIX.

His verò rebus, cum fide atque secundæ militiæ fama gestis apud Belgas, Commodus Imperator, seu Clodianæ virtuti locum apud se relictum ostentaret, seu urbanis rebus tum suâ præsentiâ, tum potentiâ libertorum satis munitis, longinquos motus formidaret, Cæsaris nomine affecit Albinum; addita facultate largiendi stipendium, usurpandique purpuræ decus. At ille regum munera, illitos cibis hamos non ignarus, sapienter abstinuit oblatis, Imperatorem quærere dictitans, qui aut cum eo perirent, aut quos, inventâ causâ, ipse perderet.

Albinus Cæsar appellatus à Commodo, honorem abnuit. *Herod. lib. 2. Ælius Spartianus in Pescennio Nigro.*

ANNUS CHR. 186. Galliarum depopulatio à desertore milite Romano.

Dum hoc alterno rerum successu, nostræ jactantur Galliæ, natum ex aliis causis malum ad sensum calamitatis longè perniciosius & acerbius, quod latè provincias quoquoversus etiam occupavit. Maternus in Gallia miles erat scelere & audaciâ quàm disciplinâ militari & labore notior. Is luxus & otii cupidine desertis castris, cùm traxisset manum unà militantium, desertor turpis aufugit. Hinc brevi, ut deterrimum quemque similitudo facilè congregat, perditorum aucto numero disciplinam & opus aspernantium, vis profugorum flagrantior, majorque pestis incubuit. Ad vicos quippe & agrorum sata primùm populatio pervenit. Magna post hæc argenti redacta summa, crescebant in dies facinorosorum animi; ipséque Maternus pollicendo præbendoque rem tandem eò deducit, ut non jam sicariorum instar gregatim incedentium pertenderent, sed exercitus justi speciem & auctoritatem obtinerent. Quippe in fas nefasque avidi, validas etiam urbes Galliarum perrumpere; nec villarum atque vicorum vastatione, multiplicique exhaustâ prædâ, contenti, mole belli refractis ergastulis, vinculis solvere laxareque captivos, & devota deditaque neci capita sontium, jam sibi miscere. Igitur Galliam omnem atque Hispaniam terribili strage depopulantes, ut quamque ex copiosis & magnis urbibus vi redegerant, subjectis incensam facibus, & exinani-

CXXX. Maternus dux populationis memorandæ. quam alii conjiciunt in an. 191.

exinanitam, rapidum agmen protinus è medio iſtinc auferre, ceu turbine per diverſa circumlati.

CXXXI. Hujus verò nuncius cladis, ubi ad aures perlatus Commodi; ipſe accenſus, calidùsque, plenas iræ atque minarum ad provinciarum Rectores dat epiſtolas, ingerens probra, queis caſtigaret ignaviam, cum atrocibus mandatis, ut ad frenandos deſertorum incurſus, cogerent exercitus. Lugdunenſem Galliam per id tempus adminiſtrabat Septimius Severus, qui poſtea imperii inſignia adeptus eſt; is Commodi explorato judicio, tanquam è media Galliarum ſpecula curam, partéſque ſibi ſumit profligandæ latronum manûs.

Septim. Severus Galliæ Lugdunenſi præeſt.

Tandem itaque, totis Galliarum viribus, adverſus Maternum conſurgitur; atque exercitus traditur Peſcennio Nigro. Is accepto imperio, & reparatis per intima Galliarum auxiliis, quod Spartianus in ejus vita tradidit, in comprehendendis perſequendiſque deſertoribus, laudatam in primis Severo, Galliiſque navavit operam; etenim ad exercitus adventantis terrorem diſſipato atque in diverſa diſtracto ſicariorum robore, omnis ille factionum globus, ut ad ſolem glacies, repentè diffluxit; ipſeque princeps latronum proditus indicio conjuratorum, & à prætoriano milite comprehenſus, nec adultum facinus capite exſolvit. Atque ita Materni finis, à ſervili tyrannide liberatæ Galliæ fuit initium.

Galliæ tandē cooriuntur ad ſui tutelam vel ultionem.

Peſcennius imper. belli. *Ælius Spart. in Peſcen.*

Materni principis deſertorū exitus.

CXXXII. Et Peſcennii Nigri bonis artibus reſpirare quidem Gallicanæ provinciæ, & in meliorem revocari ſtatum poterant, ſi ſtrenui & impigri ducis præclaræ voluntati, par principis maligni ſtudium reſpondiſſet. Adeò ſalutaribus antiquæ diſciplinæ fluxam militum æquè atque præfectorum præſidumque licentiam, ille temperare legibus, atque adſtringere in votis habebat. Nimirum attritis jam pridem Reipublicæ præſidiis, cùm animadverteret magiſtratuum frequenti ſucceſſione, provinciarum ſubverti ſalutem, ac labefactari fortunas, ut niſi quinquennio in adminiſtratione conſumpto, Præſidi vel Legato, vel Proconſuli ſuccederetur, rogare inſtitit ab Commodo; quippe gubernandi artem multos deſinere citiùs alioquin, quàm rectè didiciſſent.

Peſcennii laudata ſtudia.

CXXXIII. Idem ab Imperatore flagitabat, ut quò magis caſtè leges haberentur judiciaque, regendis provinciis arcerentur indigenæ, neque his, niſi exterarum provinciarum imperia mandarentur. Cùm autem explendæ Præſidum avaritiæ bonâ parte fructuum ſæpenumero provinciæ volentes, pacem ſibi redimerent; nominatimque lex juberet, ut liceret nonnulla quoque capere, Peſcennius tamen priſcæ militiæ atque abſtinentiæ memor, militem ſuum nec domum, nec lignum, neque operam ab provincialibus eſt unquam extorquere paſſus.

Indigenæ à gerēdis magiſtratibus ſoli natalis abſtenti.

Peſcennii abſtinentia.

CXXXIV. Atque hic Belgicæ pariter ac reliquarum Galliarum ſtatus erat, imperante Commodo. Eccleſiæ verò res, ut in ſuſpectis ac dubiis temporibus fluebant incertæ, ut in ſæviſſimi tyranni imperio, lætæ haberi poterant atque florentes. Nam Tertullianus, tametſi Montani veneno jam tum imbutus, per hoſce dies, autor eſt, Eccleſiam Dei pretio redemiſſe pacem, & tributum pendiſſe fiſco, quo tutè nimirum agerent Chriſtiani: cujus rei plura item ſuppetunt ex profanorum literis teſtimonia. Etenim, ſub Commodo multos, ait Lampridius, & alienam pœnam & ſuam ſalutem, redemiſſe pecuniâ; nec non væniiſſe ſub immani Principe, diverſa pœnarum genera; ſepulturas etiam & malorum immunitates. Clara autem teſtatio Dionis, Martiam uxorem Electi, à cubiculis Commodi, quod apud principem olim in pretio fuiſſet, & magnâ dignatione fœmina, nomini Chriſtiano impensè cupiiſſe, ejuſdemque ſingularis cujuſdam adverſus gentem Chriſtianam, beneficentiæ extitiſſe merita. At non ita Chriſtianis interim, licet altâ pace florentibus, res incruentæ contigerunt, quin martyrii palmam cupidiùs adamantibus, præmium ſanguinis perſecutor offerret.

Eccleſiæ ſtatus ſub Cōmodo. *Euſeb. hiſt. l. 5. c. 20.*

Lib. de fuga tempor. perſecut.

Lamprid. in Commodo. *Eccleſiæ tributis pacem ac ſupplicia redimunt.*

Dio in Commodo. *Martia de Chriſtianis benè merita.*

CXXXV. Hoc etiam anno Materno & Bradua Coſſ. quos in ſequentem, comparant alii, Eleutherus Pontifex ad univerſas Galliarum Eccleſias epiſtolam dedit, capita nonnulla ſanciens de accuſatoribus Epiſcoporum, Clericorum & Comprovincialium, tum etiam de cibis abſque ratione non vitandis; quod ad Montani Xerophagias & ſuperſtitioſum delectum tunc in Galliis gliſcentes, ſunt qui referant. At hujus epiſtolæ exemplar ad nobilem Trevirorum Eccleſiam quoque perlatum ne dubites, cujus in Bibliotheca hodieque pervetus extat & egregius decretalium epiſtolarum, quas temerè reſpuunt hæretici, codex membranaceus.

ANNUS CHR. 187. *Tom. 1. decretal. Epiſt.* *Eleutherus ad omnes ſcribit Galliarum eccleſias.* *Cæſar Baron. annal. Tom. 2.*

Per hos quoque dies, aureum illud Lugdunenſis Eccleſiæ ſidus, & totius ornamentum Galliæ, Irenæus, diſcipulorum B. Joannis, Papiæ, idemque Polycarpi Germanus pariter in vita atque morte alumnus, & Photini martyris ſucceſſor, emicuit. Haud dubiè illâ ætate, quâ nulla generis omnis hoſtium Eccleſia feracior, nemo unus erat in Gallia Pontifex, quo magis innixa res Catholica, adverſus multiplices conſurgentes undique hæreſeon inſidias, ſtaret. Ejus de Pontificum ſucceſſione Romanorum illuſtre, quod lancinet confligatque noſtri temporis hæreticos, non ſilendum judicium. Enumeratis aliis, cùm, inquit, ſucceſſiſſet Aniceto Soter, nunc duodecimum locum ab Apoſtolis habet Eleutherus. Idque ita eſt profectò; ſi Petro Cletoque præteritis, ab Lino uſque derivetur origo.

ANNUS CHR. 188. 189. *B. Irenæus & ejus encomium.* *Euſeb. lib. 5. c. 6. B. Hieron. in viris illuſt.*

Ireneus advers. hæref. l. 3. c. 3. & l. 2. c. 57. & 58 de mirac.

CXXXVI. Jam verò idem in chariſmatis cæleſtibus deprædicandis, quibus adeò Gallicana tum Eccleſia muneribus abundabat, quàm locuples teſtis & idoneus? Quippe, qui à mortuis extiterant redivivi, ad eam ætatem complures egiſſe inter Chriſtianos; abactos fugatoſque ab obſeſſorum corporibus vulgò dæmones; cœcis reluxiſſe diem bonorum prece; & manuum impoſitione debilibus ad uſum converſa membra.

Miraculorum aſſiduitas etiam Irenæi ævo.

Ad hæc uſque Prophetarum effata, neque interpretum munia deſideraſſes; ut ſtultè proles Æſculapii, Claudius Galenus, qui floruit hâc ætate, legem affirmârit Chriſtianam Apodixi carere ſeu demonſtratione, cùm tantis præfulta miraculis fides, elimatam ad tenue rationem, ſuo quodam divino velut obruat ſplendore. Quanquam fidei Chriſtianæ

Galen. lib. 2. de differentiis pulſuum. *Fides anteſtat rationi, cui fidei firmiùs etiam aſſentimur, quàm quibuſque principiis ἀποδείξεων.*

lucerna

2. Petri c. 1.

2. Cor. c. 10.

CXXXVII. Galenus impius. *Lib. Quod animi mores corp. tēp. sequantur. Collyg. Contemp. Tractat. de animo separ. diss. 1. art. 1.*

lucerna etiam in caliginoso loco lucens, eo tamen veritatis ac certitudinis impetu evadit, quo non ulla pertingent Galeni, neque Philosophorum, quotquot unquam extitere, placita; utique *destruens omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigens omnem intellectum in obsequium Christi.* Sed nimirum, quid de immortalibus ille verò statuat, qui Platonis immortalitatem exagitans, animum humanum impiè statuit esse mortalem.

MOYSES al. MOSES IX. EPIS. ANNUS CHR. 190. 193. *(omnis chron. breviore circa tempora Zepherini.* Eleutherus aliis 7. Kal. Jun. an. 194 suâ an. violētâ morte? VICTOR PONT. regit an. 10. m. 1. d. 28. *Martyrol. Rom. celebr. Martyrem*

Atque ad hunc quidem modum res procedebat Christiana, cùm inter hæc * MOYSES pro Clemente Treviris sacrorum Antistes obiit, nonagesimo jam Christi nascentis volvente supra centesimum anno. Consecutus Clementem Trevirorum Antistitem Eleutherus Pontifex, qui, cùm Ecclesiæ totius arcem annis omninò quindecim egregiè propugnasset, martyrii coronam meritus, Victori stationem suam reliquit.

ANNUS CHR. 194. CXXXVIII. Imperium Romanum ambitione dominandi carpitur. Pertinax. *Iul. Capitol. Ælius Spartianus. Herodian. lib. 2. Dionis breviarium.* JULIANUS IMP. PESCENNIUS NIGER IMP. SEPTIMIUS SEVERUS IMP. regit an. 17. m. 8. d. 3. Kalen. Julii quinto mēse à nece Commodi.

Nec diu Commodus post hæc eorum vota moratus, qui vitam conscelerati principis jam dudum fastidiebant; quippe, in annum posterum Falcone & Erucio Claro Coss. designatis, prid. Kal. Januarii, lacertis prævalidi athletæ strangulatus. Hinc imperium Romanum, ceu vacua in medio relicta sine domino possessio (ut, quæ inania sunt omnium esse putantur) à diversis agitur rapiturque: & Publius Helvius Pertinax quidem ceu fessæ senectæ lenimentum duceret imperii sollicitudinem, nec brevis ævi principatum recusavit; post bimestre solatium, pro purpura mortem adeptus purpuream. Nihil Pertinacis territus exemplo Didius Julianus; quin proximè atque ille, aut etiam enixiùs pro imperii gloria fluxi atque brevissimi laborarct. Ergo molem principatus, asperis & adversis populi Romani totius animis, vix summis humeris complexus; cùm ad relevandum onus in Oriente Pescennius Niger, in Pannonia verò Septimius Severus uterque ab exercitu, Augusti salutati. Porrò Galliarum & Illyrici exercitus, cùm in Severi verba jurare à ducibus fuissent coacti; ille properus oblatæ dignitatis, & velut imperii certus mox advolat in Italiam, nulloque negotio, occupatâ Ravennâ, conficit æmulum, populi jam ante invidiâ atque furore prædamnatum. Romæ itaque stabilitis atque confirmatis fortunæ principalis honoribus, vertit dein arma in Pescennium, quo sequenti anno in Orientis ditione sublato, Clodius Albinus in Gallia restabat, pari præceps amentiâ: nam ejus item sensus, ubi blanda regnandi dulcedo titillavit; magnorum Galliæ malorum fecit initium.

ANNUS CHR. 195. ALBINUS IMPER.

CXXXIX. Galliæ laborant ex conflictu mutuo tyrannorum.

Albinus Cæsaris nomen haud prorsus invito, ut apparebat, Severo, sumpserat: at, ubi insolentiùs se gerere, & absente adhuc & occupato circa Pescennium Severo, suspicionem injecisset, ceu habere imperium, quàm expectare mallet, ut est omnis invida & suspecta regni societas; Severus ex Oriente, victo jam Pescennio reversus, priusquam arma & vim apertam promeret, dolo, cuniculisque lacessivit incautum. At Albinus retecto, vi quæstionum, dolo, ubi jam quo in se esset animo Severus, & quod hostilia induisset, ad liquidum exploravit, exercitu ingenti collecto, transmittit ex Britannia; ubi tum confirmandæ potentiæ resistebat; & in adverso Galliæ litore castra metatus, multis levibus prælis, quid adversus Severi duces possint sui, experitur. Interea ad circumjacentium legatos provinciarum missis literis, eorum propellit animos, ab aliis in belli subsidia pecunias, ab aliis necessarios trahendo bello postulans commeatus. Quorum qui dicto audientes permoti precibus, & autoritati concesserunt, acerbum dictu, quantam remorando victoris iras, sibi, provinciisque, pestem conflarint. Etenim Severus comperto, duces suos inferiores ex acie discessisse, quò ne laxamenti quidquam daret Albino, primùm senatus autoritate, hostis loco habendum censet: inde, copiis instructus in Albinum ipse ducit; atque intemerati virginei partus anno centesimo nonagesimo octavo, haud procul à florentissima Lugdunensi Colonia, atroci cum Albino prælio congressus est. Illic non in præsentis modò certaminis gloriam, sed in summam totius imperii pugnantes, anceps dimicatio tenuit: At in parte quam curabat Albinus, innumeris acceptis vulneribus, ubi pavor fugaque juxta versari ante oculos, inclinatâ semel acie, res præceps mox in casum vergere.

ANNUS CHR. 196. *Herodian. l. 3. Iul. Capitol.*

ANNUS CHR. 198. CXL. Prælium inter Albinum & Severum atrox. aliis 199.

Clodius Albinus ad suorum trepidationem in fuga, servili an suâ manu transfossus? adhuc spirans & semianimis ad Severum deductus; revulsaque ab humeris cervice, fluidâ tabe cruentus & lacer, non priùs abjectus in Rhodanum, quàm insitam Severo crudelitatem & sævitiam variis ludibriis exsatiasset. Inde Severus, quod reliquum in pectore odii virus alebat, id omne in Galliæ nobilitatem amicosque, quos favisse Clodio compererat, effudit. Unde Spartianus: *Interfectis innumeris*, inquit, *Albini partium viris, inter quos multi principes civitatis, multæ fœminæ illustres fuerunt, omnia bona publicata sunt, ærarium auxerunt.* Tum Hispanorum etiam & Gallorum proceres multi occisi. Quos quidem tam illustres & Galliæ propè toti communes certaminum eventus, quibus & implicari, tam prono partium motu Belgas, Trevirosque facilè fuit, par non erat à nobis hic præteriri.

Albini fœdus exitus.

Iul. Capitol. in Albino. Ælius Spartianus in Severo. Gallicana nobilitas quæ in partibus Albini, perit.

Ultus igitur Severus pro sua libidine factionem Albinianam, & excisâ ab stirpe familiâ, Antoninum & Getam filios, primo Cæsarum, mox Augusti dignatione prosecutus, in proximo sibi fastigio collocavit; atque hoc Tertullianum, qui præstantiâ ingenii stylique mirificè tum res Christianas illustrabat, TRIPLICIS POTESTATIS nomine significasse volunt. Cæterùm Caracalla Lugduni in Gallia editus, atque nutricem sortitus Christianam fœminam, amabilem istic pueritiam exegit; eaque re dictus à Tertulliano Antoninus Christiano lacte enutritus.

CXLI. *Dio in Severo. Inscript. antiq. a IX. anno Severi.* ANTONINUS CARACALLA IMPER. regit an. 13. cum patre. Antoninus Caracalla à Christianis enutritus. ANNUS CHR. 199. *Spartian. in Caracalla. Tertull. ad Scapul.*

Cæterùm, quia Ecclesiasticæ res nobis cordi, facere non possum, ut celeberrimam Paschatis quæstionem, ante biennium circiter in Asia inter Episcopos exortam, hic prætercam; quia sicut Galliæ partes omnes, ita Trevirorum Ecclesiam haud dubiè sollicitavit. Etenim omnes Ecclesiæ Asiæ, antiqua

CXLII. Paschatis quæstio in Galliis quoque mota.

Eusib. chron. & hist. lib. 5. c 22. vita Constant. l. 3. c. 17. Ioseph. lib. 3. antiq. c. 13. Philo apud Euseb. l. 7. Ecclef. hist. cap. 29. Christophor. Clavius l. 1. contra Mæstlin. c. 2. & de Kalend. emendat. Theoph. Cæs. apud Bedam. de ratione temp. c. 57. & de æquinoctio vernali. Epiph. hæres. 70 Ambros. ep. 33.

Pascha quo die à Catholicis celebratum.

traditione, decimâ quartâ lunâ, ritu Judæorum Pascha celebrabant ipso æquinoctii die, vel proximè occurrente, quicunque tandem is in hebdomade dies extitisset: at cæteris per universum orbem terrarum Ecclesiis, & præsertim Romanæ, aliâ die, quàm Dominicâ, peragere pascha, religio. Quamobrem à Judæorum moribus orthodoxi plurimùm abhorrentes, non solùm Pascha non celebrabant quartâ decimâ lunâ, quacunque die occurrisset, sed ne si in Dominicam quidem ipsam incidisset; longè, suâ gravitate digniùs rati, in lunam vigesimam primam rejicere, vel Dominicam proximè sequentem, quàm cum Judaico ritu, quoquo modo videri conspirasse. Et favebat iis Apostolica traditio.

CXLIII. Victor cur rigidus in Asianos. *Tertul. lib. de præscript. c. 53. Pacian. ad Sympron.*

Victor itaque Pontifex Romanus haud ignarus, quanti fluctus in brevi quoque discordiæ stagno suscitari possent, hoc obnixiùs ad componendum hosce motus assurgit, quò majus aderat periculum à pertinacia, cui Montanistæ & Quartadecimani quoque velificarentur. Quare, quod Asianis, bonâ Ecclesiarum pace, hactenus licuerat, id, ubi legis Mosaïcæ necessitas opponitur, fortiùs à Victore discussum est.

Mittit ergò circum Ecclesias legatos; & Episcopos Orientis & Occidentis in unum contrahit, multis passim celebratis Synodis. In his Galliarum præcelluit ea, quæ Victoris jussu, Irenæo præside, coiit ex omnibus Ecclesiis; cui affuisse quoque Mosen aut alium Trevirorum Episcopum, aut ejus certè negotii partem Trevericum Præsulem sustinuisse dicerem, nisi sic antiquioribus qui istuc ante me non dixissent, nimis fortè liberâ voce, præirem.

CXLIIII. Concilium de Paschat. quod in Galliis, cui præsidet Irenæus. *Euseb. lib. 5. Ecclef. histor. c. 22. 24. 25.*

Porrò hujus Synodi decreta licet exciderint, sententiam tamen Eusebius ex Irenæo retulit; & congruisse per omnia scitis majorum, & Apostolicæ traditioni satis ostêdit; uno tamen discrepasse, ne quid graviùs in Asianos Victor statueret, neu pacem Catholicam cum iis abrumperet, præsertim, cùm nil morante ritu paschali dispari, inter decessores Romanos Pontifices, & Asianos, adhuc præclarè convenisset. Veruntamen hîc rectam stetisse Victori mentem, ac justam adhibuisse severitatem, sapienter monuit Annalium Ecclesiasticorum scriptor.

CXLV. Gallicani concilii de Pasch. quæ decreta.

Cæsar Baron. ad an. 198.

FINIS LIBRI SECUNDI.



R. P.

CHRISTOPHORI BROWERI
SOCIETATIS JESU,
ANNALIUM TREVIRENSIUM
LIBER III.

Annus Christi 200. 202. Victoris Papæ 7. 9. | Mosis IX. Trev. Episc. 9. 11. Sept. Severi Imper. 6. 8.

Annus Christi 200.

SÆCULUM deinceps ingredimur depulsæ servitutis per Christi natalem; tertium; ut in magna veterum Annalium caligine, prælucente domesticorum uno nemine, modò ubiubi diversitantes, modò per avia longiùs exspatiati, tardè, quod dicitur, redeuntes ad lineam. A re Christiana scribendi nobis erit initium. Ea, hoc ineunte sæculo, successu fuit ut prospero, sic lætissimo: verùm has habebat eo tempore vices Ecclesia, ut ex lætis tristia, & adversa ex secundis, subitò nascerentur. Quare secuti persecutionis quintæ turbines, lætam & exporrectam per ultima terrarum, Ecclesiæ frontem faciemque, ceu interveniente nubilo, contraxerunt. Mirificos habebat id ævum in Christianæ legis propagatione, & Evangelii doctrina progressus. exhaustaque plurimis erat regnis atque provinciis infinita & teterrima errorum colluvies. Cujus rei, si testes requirimus, aut laudatores ab vetustate, offerunt sese Tertullianus, Justinus Martyr, & Arnobius. Justinus certè ab Antonini Pii ætate: *Ne una quidem*, inquit, *natio vel Græca vel barbara, vel quocunque tandem censenda nomine, ne ex his quidem, quæ pro domibus plaustris utuntur, ac tentoriis, agentes vitam pastoritiam, tam aliena est à IESV Crucifixi nomine, ut nec preces, nec gratiarum actiones in ea dirigantur ad omnium patrem conditoremq;.*

I. Ecclesiæ cum universæ tum Gallicanæ felicitas imperii Severi primis annis.

Iustin. dialog. cum Tryphon. Arnob. lib. 1.

II. *Tertull. in apolog. c. 37.*

Amplitudo Ecclesiæ Christianæ.

Prior autem, ab his ipsis annis, gravior & sententiâ & pondere sermonis, adversus gentilium rabiem detonans: *Externi sumus*, ait, *& vestra omnia complevimus; urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. sola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei, prompti q; fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur; si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere?* Et rursum: unde incredibilem Christianorum numerum ineas: *Si tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus à vobis, suffudisset utique dominationem vestram, tot qualiumcunque amissio civium: immo etiam, & ipsâ destitutione punisset; procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum, & stuporem quendam quasi mortuæ urbis, quæsissetis quibus imperassetis.*

III. *Lib. adversus Iudæos, cap. 7.*

Et alibi rancidæ Judæorum insultans superstitioni: Jam tum Getulorum varietates & Maurorum multos fines, Hispaniarum omnes terminos, & Galliarum diversas nationes, & Britannorum inaccessa Romanis loca, Christo verò, testatur, fuisse subdita; his jungit Germanos, Sarmatas & Scythas, abditas gentes, & provinciarum insularumque multarum ignotos etiam populos, in quibus omnibus locis Christi nomen, qui tum jam venerat, regnare dicit; utpote ante quem, omnium civitatum portæ sunt apertæ; &, cui nullæ sint clausæ.

IV. Rheni limes benè custoditus.

Ibidem adversus Iudæos.

Quod verò affine & proximum est rebus nostris, custodiamque Rheni, cujus tutando limiti nobilissimus quisque Trevirorum præsidebat, haud obtorpuisse bellis civilibus arguit: *Si*, inquit, *Germani adhuc usque limites transgredi non sinuntur; Britannia intra Oceani ambitum conclusæ sunt, Maurorum gens, & Getulorum barbaries à Romanis obsidentur, ne regionum suarum fines excedant. Quid de Romanis dicam, qui de legionum suarum præsidiis imperium suum muniunt, nec trans istas gentes porrigere vires regni sui possunt? Christi autem regnum & nomen ubique porrigitur, ubique creditur, ab omnibus gentibus supra enumeratis colitur; ubique regnat, ubique adoratur, omnibus ubique tribuitur æqualiter; non regis alicujus apud illum major gratia, non barbari alicujus imperiosi lætitia, non dignitatum aut natalium cujusquam discreta merita; omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus Iudex, omnibus Deus & Dominus est.* Hæc de Ecclesia in omnem tum orbis partem latissimè diffusa Septimius Tertullianus.

V. *Ioannes Platerstius in Tungr. & Leod. Episc. Petrus Mersæus in elect. Eccles. Martyrol. Ger. 3. Decembr.*

At, quod de Britannia sub Christi leges potestatemque subjuncta, meminit, id, quia nescio quo interpretandi scribendive calore ad Marcellum Trevirorum eundemque Tungrorum Præsulem, tractum atque detortum inveniebam, in articulo, quo ne longiùs serperet error, fuit opprimendum; cùm rei in omnem aliam partem acceptæ, nonnulla queat

Lucius Britanniæ rex an à Marcello Trevirorum lustratus, & quando nomẽ Christo dederit.

lux ex hisce temporibus affulgere. Narrant itaque ipsi, quo autore, porrò fugit, Lucium Britanniæ Regem, fidei Christianæ rudimentis imbutum à Timotheo D. Pauli discipulo; denique à Marcello Treverico vitali fonte lustratum; inde, flexo in Noricum aut Rhætiam itinere, Augustanis & Curiensibus spem prædicando fecisse salutis ac gloriæ sempiternæ; ac postremò Antonini Veri jussu, dum Christum usque confitetur, egregiâ fortitudine animi, perfunctum martyrio. Hæc quidem illi, fortè Chronicon Cunonis Archiepiscopi laxiùs interpretati, ubi Marcelli prædicatione Rex Britanniæ dicitur ad baptismi gratiam pervenisse.

VI.

Marcus Velf. l. 6. rer. Aug. Vind. Martyrol. Rom. Maii 26. & 3. Decemb. Beda l. 1. hist. Ang. l. 4. & de 6. Ætate. Sigebertus, Ado Vienn.

Britanniæ conversio, vel fidei Christianæ in ea insula amplificatio. anno 183 & seq. *Martyrol. 26. Maii.*

Sed haud paulò secus, Augustani & Curienses; quique ævo præstantes & autoritate de Lucio scripserunt. Sanè venerabilem Bedam, quem Ado Viennensis, Sigebertus, & Anglorum Scotorúmque literæ unâ voce sequuntur, ita hac de re locutum invenio; Lucium per literas, & Eluanum Meduinumque Legatos egisse cum Eleutherio Romano Pontifice, ut se suosque ad Christianorum numerum aggregaret; quem justissimæ Regis nihil abnuentem postulationi; * Damianum & Fugatium spectatâ virtute prudentiâque viros, ilicet amandasse trans mare, qui Regem cum conjuge familiâque, & universo penè populo Christianis initiamentis autoratum, salutaribus abluerint undis. Superaddunt, Lucium, desertâ inde Britanniâ, regnum Christianæ fidei posthabuisse; ejúsque propagandæ usque in Germaniam, mox & Augustam venisse in Rhætiam. Dissidentibus autem à temporum & personarum notis vehementer his, qui ab ætate sunt nostra; & Marcello Trevirorum longo post intervallo sequente, non admodum veremur fidem istorum, quod attinet ad baptismum & Lucium Regem à Timotheo institutum, certè ut levissimè censeam, fluxam habere lubricámque. De ipsius interim Alpina expeditione in Rhætos constanter traditur, cùm S. Emerita in proxima Curiensi Rhætiæ loca venisse; transcensóque colle arci Gutenbergiæ propinquo dedisse nomen Clivo S. Lucii, quod hodieque manet. Emeritam haud procul Curiensi valle in Trimis Martyrii palmam adeptam. Latuisse hinc in quadam montis caverna Lucium, donec & ipse ob disseminatam Christi religionem captus, in arce Martiola martyrii gloriâ clarus, migravit ad Dominum.

* al. Donatianum

SS. Fugatius & Damianus Britannorum Apostoli.

S. Lucii & S. Emeritæ prædicatio & martyrium. *Ægid. Schudus Rhætia Alpina descript. c. 15.*

VII. ANNUS Chr. 202. vel 203. ZEPHYRINUS Pont. regit an. 18. d. 18. Martinus Primus X. Episc. *Cun. Chron. ad Calixti tempora.*

Nonus jam Severi in principatu Romani Imperii processerat annus, & pro Victore Pontifice Martyre Zephyrinus Romæ sedebat; pro Moyse verò apud Treviros Martinus eius nominis primus; cùm Septimius Severus, qui hactenus ceu in alto quodam & recondito secessu, iras & dolos architectatus, feroci præsidum ministerio sævitiæ præluserat, repente ad cædes, strages, & ruinas innocentium sanguinarius prosiliit, dedecus & ignominiam captans quintæ persecutionis. Sanè Tertullianus ejus voluntatem ad id tempus, tam æquam fuisse prædicat in Christianos, ut & Clarissimas feminas, & clarissimos viros sciens hujus sectæ esse, non modò non læserit, verùm & testimonio exornarit; & populo furenti in os palam restiterit.

Lib. ad Scapulam. Severi simulata clementia.

VIII. Proculus Torpacion Christianus à Severo in precio habitus. *Euseb. in Chron. & Eccl. hist. lib. 6. c. 2. Hieron. de scrip. Eccles. in Origene.*

Addit, & Proculum Christianum Torpacionum cognomento, quod valetudine periclitantem oleo (nihil dubito sacro) percurasset, requisisse, & in Palatio suo habuisse usque ad mortem. Quam vel accommodatam in præsens, vel consilio suspensam pressámque malè voluntatem, tot editis in Christianos sævitiæ & crudelitatis exemplis, anno postero, quo maximè volitarunt per orbem edicta, corrupit, ut ferro semel immerso in piorum ac innocentium jugula, non satietatem multitudo suppliciorum, sed incitamentum nocendi libido attulisse visa; ut, quod scitè dictum à Spartiano esset, *Imperator verè nominis sui, verè Pertinax, verè Severus.* Subjiciebat faces diro principis ingenio ad omne flagitium exercita plebes; & iis, quo Principis exemplum trahit usque læta; nec magnæ res erat operæ. Præsides per se Christiano nomini infensos infestosque ejusdem implere furoris ac temeritatis. Ubi igitur exaudiri deposcentium acerrimi clamores, & supplicia rogantium, Christianos ad Leonem, * Sarmenticios, Semaxios, ubi inquam his vocibus omnes personare cœperunt provinciæ; ibi quid Christianis tutum, quid à summo discrimine relinqueretur vacuum? Nam, ut in crudeli Neronis munere, vivos arsisse Christianos constat, uti pro cereis lucerent spectatoribus, ita in posteros derivatâ sævitiâ, Christi cultores ad axem semissalem alligari, & sarmentorum ambitu comburi, pro ludrico nunc etiam acceptum. Sed vivos exquisitis confecisse suppliciis, iis parùm, qui nihil non sibi permisêre quamlibet impium & ferale in mortuos. Illustria enim hæc Tertulliani sunt, & ad fidem cum primis idonea: *Ipsis Bacchanalium furiis, nec mortuis parcunt Christianis, quin illos de requie sepulturæ, de asylo quodam mortis, jam alios, jam nec totos, avellant, dissecent, distrahant.*

ANNUS Chr. 203. vel 204. Quinta Persecutio. *Æl. Spartian. in ejus vita.*

Tertul. in Apolog. c. 36. 45. & 50.

Christiani omnibus odio.

* Hæ voces ad familiare Christianis ignis supplicium.

Tertul. Apolog. c. 37.

IX. Persecutio Orientẽ & in iis Ægyptum vastat. *Euseb. l. 6. c. 1. Niceph. l. 5. c. 2. D. Hieron. in Catalog. illustr. script. & in Chron. Euseb. Tertul. variis locis Oros. l. 7. cap 18.*

Obvênit hæc immortalis gloriæ palma ante omnes Ægypto, Lybiæ, Thebaidi; atque Alexandriæ præsertim multiplici & ad aspectum decoro fructu enituit; ubi, inter alios Leonidem Origenis Adamantini genitorem, præstanti fortitudine Martyrem protulit.

Leonides pater Origenis.

Inde in Occidentem translata, novo velut germine eo maximè, ut apparet, tempore reviruit, quo sextum jam decimum annum imperans Severus, classe contendit ad indomita & malè pacata Britanniæ, ab luxu & otio diffluente pertractus exercitu. * Huc námque illa pertinere Tertulliani, doctorum virorum interpretatio est: *In præsentiarum medius ardor; ipsa canicula Persecutionis ab isto scilicet Cynocephalo; alios ignis, alios gladius, alios bestiæ Christianos probaverunt; alii fustibus insuper, & ungulis degustato martyrio, in carcere esuriunt.*

ANNUS Chr. 209. Severus tribus ante mortẽ annis Britãnicam expeditionẽ suscepit. *Dio in Severo. Spartian. Herodian. lib. 3. Hieronym. in Chron. Oros. l. 7. cap. 17. Venerab. Beda l. 1. c. 4.*

* *Pamelius in Tertul. vita. Tertull. lib. adversus Gnosticos.*

Ergò & afflatæ hoc sidere nostræ Galliæ, ac tantâ cum ejus ardore, patientiâ & robore animi certarunt, ut Eoæ decus Ecclesiæ propemodum adæquârint. Irenæus enim immortali virtute & excellenti sapientiâ Pontifex, vitam cum laude martyrii pactus, tanto certaminis amore Lugdunensium pectora accendit, ut exemplo omnis ætas atque sexus per varias læti vias, ad dulcissimos Christi properârit amplexus. Ipséque adeò, ut sacri Divorum fasti loquuntur, cum omni ferè

X. Gallia persecutione pulsatur. *Lugdunensium martyria S. Irenæo duce alii referunt ad an. 203. sed alibi positis. Martyrol. Rom. 28. Iunii.*

civitatis

ANNUS CHR. 210.
Chron Colon. ex aliis antiquioribus.
Martyro. Rom. & Usuardo 19. Julii.
ANASTASIUS XI. EPISC.
XI.
Cat. citam circa temp. Urbani.
ANNUS CHR. 211.
Spartianus in ipsius vita. Herod. l. 3. Dio. Oros. l. 7. c. 17. chron. Flor. Venerab. Beda l. 2. c. 4.
* Dimi Antoninus quia à mari ad mare pertingebat Vallum. *Spart.* Marius Chron. hæc probata. *Io. Scalig. ad chron. Eusebii.*
ANNUS CHR. 212. 213.
ANTONINUS CARACALLA IMP. regit an. 6. m. 2.
Antonini Caracallæ ingenium.
Spartian. in Severo. Dion. in Caracall. Herodian. lib. 4.
ANNUS CHR. 215.
Æl. Spart. in ejus vita.
XII.
Galliæ præfectos implet metu.
ANNUS CHR. 216.
Galliarum provincias onerat.
Ælian. Agathias. Marcus Velser. Spartianus l. 1.
ANNUS CHR. 217.
XIII.
* Alemanica expeditio suscipitur & Alemani qui.
Ælius Spartian. Beat. Rhenan lib. 1. rerum Germ. C. V. Marc. Velserus l. 7. August. Lib. 1. histor.
ANNUS CHR. 218. 219.

civitatis suæ populo, coronam adeptus est gloriosi martyrii. Neque exemit ab æstu suo ejusdem caniculæ flagrantissimus ardor hanc nostram Belgicam; siquidem non penitus aspernari sedet temporum scriptores haud vetustissimos; ad horum namque Martyrum cœtum prorsus adlegendus etiam venit Martinus; quem decimum Ecclesiæ Trevirorum Antistitem, repositum in numero cœlestium, ad undevigesimum Quintilis Ecclesia colit pro Martyre. Excolendis inde Trevirûm moribus temperandisque sacris cum Episcopi dignitate præpositus ANASTASIUS.

Et eodem penè tempore Imperator Severus, senectâ jam & morbis invalidus, cùm Britannorum ultimis & validissimis ad imperium adjungendis, immoratur, regnandi spem rapiente discordi filio, vim bellicam omnem, ac disciplinam exhausit: perducto namque * vallo, per transversam insulam, quod inyictos ipsâ ferociâ & ingenio regionum insuperabiles secerneret atque custodiret, crebrisque impositis turribus spatio longitudinis centum triginta duorum millium, Eboraci anno Verbi incarnati ducentesimo duodecimo vel sequenti vitam reliquit. Imperavítque filius pro eo Antoninus Celeber Caracallæ cognomento, à vestis genere cucullato, quod populo dederat, paternæ sævitiæ non impar: quanquam & interfecto Getâ fratre, & parricidii conscientiâ adversus Severum patrem, maculosissimus.

Principiò imperii, expiatâ plurimâ cæde & multorum mortibus factione fraternâ, ejus deinde non incruentus in Galliam adventus fuit. Siquidem primo velut aditu ingressuque Narbonensem Proconsulem tolli jussit; eáque re turbatis mirificè illorum animis, qui Galliis cum imperio præerant, odium apud omnes tyrannicum meruit; frustráque vultu fingere clementiam cura fuit, cùm malè coërcita feritas ex intimis naturæ recessibus sponte efflueret foras, & sæpiùs in innocentes redundaret.

Quod suo non modò damno experti populi Gallicani, verùm & urbes circa provinciales; quarum ut labefactavit iste jura, sic & commoda imminuit. Hinc ad caput Danubii ac Rheni, irritamenta belli quæritans, cum exercitu profectus, validam Alemannorum gentem & pugnacem invênit, novum hostem, at inquilinum Germaniæ veterem.

Ii, quæ loca hoc præsertim tempore coluerint, ut inter barbaros incertis tum sedibus vagos, parùm compertum. Ultra Danubium in magna Germania apparet Rhætis fuisse vicinos, * inde dispersos quoque inter Brigantinum lacum, & Lycum amnem, donec se Argentoratensi tractui superfudêre: Asinio Quadrato rerum Germanicarum scriptori diligentissimo, genus adventitium, & ex varia fuisse hominum colluvione placuit. id quod etiam cognomento præferri, testatur Agathias.

Cæterùm Antoninus gentem illam armorum majore strepitu, quàm victoriæ famâ amplexus. nam, quod insequens ætas aperuit, expeditione in vanitatem usus. more tum recepto, hostem continuisse, victoriam ducebat. Inde in Orientem versus, sexto imperii anno Carris apud Edessam in Mesopotamia cæsus est; arripuítque gubernacula Opilius Macrinus ex Præfecto Prætorio. Anno verò, qui ducentesimus vigesimus fluxerat ab Christi usque pueritia, b Zephyrinus Pontifex Martyris gloriâ decessit; aditque pro illo summam in Ecclesia dignitatem Callistus. Macrinus item, ut injusti, ita nec diuturni potitus imperii, cum filio Diadumeno jam anno præcedente interfectus, gubernacula rerum cum spe successionis amiserat.

Itaque Marcus Aurelius Antoninus, qui * Heliogabalus est appellatus, post eum regimen suscepit: hujus vita cunctis nefandarum libidinum & turpissimæ ganeæ respersa notis, plena probri, expers virtutis omnis & honesti, quæ in præteritis habeatur, sanè meruit. Quo evidentiùs ab æterna sapientiâ factum crediderim, ut labem illam temporum maturiùs vita quàm scelera deficerent. Quippe contaminator honorum impurissimus, manu percussus militari, & ad ludibrium vitæ præteritæ tractus unco in Tiberim, exacto in principatu triennio, longè meliori adolescenti Alexandro Severo, qui antea Cæsar erat salutatus, imperii summam reliquit.

Eo anno, ut Hippolytus Episcopus scriptum fecit, quo XIV. Luna Paschæ incidit in Idus Aprilis sabbato; quod eo sæculo contingere non potuisse docent, nisi anno Christi Dionysiano CCXXII. numero aureo XIV. Cyclo solis VII. literâ Dominicali F. Ut igitur uno anno hi citiùs, sic alii anno seriùs eum iniisse volunt.

* Cæterùm Alexander Mămæâ præstantissimæ virtutis, & à Christianis laudatâ feminâ natus, ad bonorum fortè principum decus aspirasset, ni Julii Pauli, & Domitii Ulpiani Jurisconsultorum ingeniis ad sævitiam promptis, quibus omnia maxima, minima credebat, fuisset depravatus. Horum quippe consilio atque scelere, diris exagitatum suppliciis nomen Christianum. ut enim legum utriusque vincula & insidiosos laqueos omittam, quibus studio iis nostram religionem innectere, quid disertius à Lactantio in Domitium Ulpianum, penes quem & Præfecturæ munus, & rerum omnium pene summa fuit, dici potuit, cùm illum rescripta Principum, quintò de Justitia nefaria collegisse memorat, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos, qui se cultores Dei confiterentur? Quare & Alexandri tertio imperii anno, Callistus Ecclesiæ Romanæ Pontifex, macie subactus, & diuturni squalore carceris vexatus, insuper inediâ, & dirâ attritus fustigatione, demum Alexandri jussu vivus demersus in puteum, ovans & opimis refertus spoliis victor è certamine, lætus avolavit ad præmia, Urbano etiam successore commendatior.

Sed Alexandro in Christianos improborum, ut apparet, magis artificio inculcatum, quàm deditâ operâ susceptum odium. Quod certè ad statum, ut omnium cæterarum, sic & Belgicæ sub eo provinciæ facit, Ælius Lampridius id memorabile de juvene prodidit, ubi vel Rectores provinciis dare, vel Præpositos facere, vel Procuratores instituisset, nomina eorum antea proponere solitum, hortarique populum, ut, si quis quid haberet

MACRINUS & DIADUMENUS IMP. an. 1. m. 1.
Dion in Macrino. Herodian. l. 5.
ANNUS CHR. 220.
b *Euseb. in chr. sed an. 18. & Eccl. hist. l. 6. c. 15. primo Heliogabali testatur obiisse. Martyrol. 26. Aug. alii ad ann. 221.*
XIV.
CALLISTUS PONT. regit an. 5. m. 1. d. 12.
ANTONINUS ELAGABALUS IMP. an. 3. m. 9.
* al. Elagabalus ex nummis & inscript. al. Heliogabalus.
Dion in Avito. Æl. Lamprid. in Anton. Heliogab.
XV.
Antonini Heliogabali turpissima vita.
ANNUS CHR. 229.
ALEXANDER SEVERUS IMP. regit an. 13. d. 9.
ANNUS CHR. 221. 222
Io. Scalig. 222. Baron. 224. Onuph. 223. Æl. Lamprid. Dio. & Herodian. lib. 6. in Alexandri vita.
* Alexandri Imp mater Mammæa Christianis amica.
Euseb. hist. Eccles. l. 6. c. 15.
Ulpianus & Paulus ICti sævi.
ANNUS CHR. 224.
Tantum lib. 5. sentent. tit. 21.
ANNUS CHR. 225. 226.
XVI.
Persecutio sub Alexandro Imp.
URBANUS PON. regit an. 6. m. 7. d. 4.
Provinciarum conditio imperante Alexandro.
Æl. Lampr.

criminis, probaret manifestis rebus; si non probasset, subiret pœnam capitis.

Ordinatio sacerdotii.

Dicere verò etiam, grave esse cùm id Christiani & Judæi facerent in prædicandis sacerdotibus, qui ordinandi essent, non fieri item in provinciarum Rectoribus, quibus & fortunæ committerentur & capita. Jam verò illud ex Christianæ philosophiæ mediis haustum arcanis usurpabat non rarò, quoties violatâ juris & legum majestate, deliquisse quempiam cognorat adversus æquitatem, sontis auribus voce præconis inculcans: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

Alexandri Apophthegma.

XVII.

ANNUS CHR. 227. ANDREAS XII EPISC. *Chron. Cum. Origeni synchronum, qui sub Heliogabalo floruit.*

Inter hæc Anastasio mortis acerbitate, à grege Treverico abstracto, Christi liberatoris nostri anno supra ducentesimum vigesimo septimo, ANDREAS in eodem vigiliarum munere suffectus Episcopus. Nec multo post Romæ Urbanus, cùm sexennium mensesque septem rem Christianam fructuosissimè gubernasset, eximio Martyris honore condecoratus, cœlum petiit, Cæciliæ clarissimæ virginum, & Tiburtii Valerianique cœlestivirtute juvenum, auctus collegio.

ANNUS CHR. 232. aliis an. 233. Cæcilia virgo & mart. *Acta S. Cæciliæ apud Metaphr. Martyrol. Rom. Maii 25. & Novemb. 22.*

PONTIANUS inde maximum pontificatum inchoavit. At Alexander temporis, quod medium fuit, & ab Orientis tutandi curâ vacuum, Reipublicæ ordinandæ, constituendisque per juris interpretes provinciis, Heliogabali fœdâ, & inexplebili saginâ, circumrosis, exercitum habuit. Attemperavit itaque Præsidum sumptus, paratu frugi: de publico quidquam eos sumere prohibens, cùm instituto majorum ornaret abeuntes.

PONTIANUS Pon. regit an. 5. ANNUS CHR. 323. *Herod. lib. 6. Æl. Lampr.* ANNUS CHR. 234.

XVIII. Provinciarú regimen sub Alexandro diligentiùs & frugaliùs habitum.

Quò igitur abstinentiùs & minore sociorum onere essent in provinciis, argenti pondo vicena dabat proficiscentibus, phialas senas, mulos binos, totidem equos, vestes forenses binas, domesticas singulas, aureos centenos, cocos singulos, deposito magistratu, jumenta servitiaque reddituris, cætera sibi habituris, si rectè & ex more egissent; sin aliter, multandis pœna quadrupli.

Provinciarum magistratus varia facies.

Neque id non ad Belgicæ præsentem statum subtiliùs acquirendum, interest; provinciarum magistratus variam per hæc tempora arbitrio Principum induisse faciem; ac, prout juxta colentium animi inclinassent, sumendis ponendisque bellis, in diversas subinde concessisse formas.

a Iul. Capitol. in Anton. Philosoph.

Provinciæ consulares, proconsulares, prætoriæ & præsidiales vicissim, & harum institutum exponitur.

Nam [a] quemadmodum hac causa M. Aurelium constat permotum, ut è Proconsularibus, Consulares, aut ex Consularibus Prætorias, Proconsularésve faceret, [b] ita cùm Alexandrum ex Prætoriis Præsidales constituisse legimus, persimili ratione ut id faceret, adductum licet interpretemur. [c] Provinciæ verò, quotquot extiterunt usquam, si ad veterum usum & restrictè finiamus, vel à populo administratæ, vel à principe. Qui pro populo magistratus absens, in provinciis jus dixit, primigenio, germanóque significatu, Proconsul; qui pro Principe, Legatus, Prætor, aut etiam Proprætor appellatus. [d] Porrò magistratum hunc, antiquo more, nemo nisi Senator, idque vel prætura, vel consulatu gesto, per leges capere poterat; [e] rarúmque, Pompeius florenti populi Romani fastigio exemplum edidit, proconsulare imperium eques Romanus, ac nondum senator adeptus.

b Æl. Lamprid. in Alex.
c Dio, Suet. ut supra. Strabo 17 Cosmogr. Iustus Lips. ad 1. Annal. Tac.
d Guilel. Budaeus ad Pandectas, Plin. in epist. in Firmini causa.
e Cic. pro lege Manilia.

[f] At, versis Reipublicæ priscæ moribus, unius stabilito principatu, Procuratores rerum privatarum, qui vel equestri nobilitate, vel ex libertis, his etiam honoribus admoti. [g] Sic Mauritaniæ duæ, Rhætia, Noricum, ac aliæ nonnullæ, Neronis etiam ævo, procuratoribus cohibitæ.

f Dio lib. 53. & in Agricola.
g Tac. 1. hist.

XIX. Belgica prætoria, vel proprætoria

At Belgica vicinæque Germaniæ, [h] quod illustribus veterum inscriptionum monumentis compertum, ad Traiani Hadrianíque tempora administratæ à Proprætoribus.

h Onuphr. comment. l. 2. vin extra urbem. & vin Curulis triumphali.

Provinciæ consulares & præsidiales.

Quæ ergo provinciæ Consulares? quæ Præsidales? de cæteris enim jam vidimus; annè quibus, Procoss. & Præses [h] largiter accepti, imponerentur? non potest ex sensu & usu hujus temporis, quod Consulares à Proconsularibus discriminat, & Prætorias à Præsidalibus. An igitur illæ Consulares, quæ senatoribus magistratu consulari Romæ functis, duntaxat a principibus commissæ: hæ verò Præsidiales, quibus cùm in potestate non populi sed Imperatoris essent, Cæsaris item arbitratu homines qualescunque regendis assignati? existimo id quidem; & res etiam doceri potest.

h Tit. 18 de offic. præsid. ff.

[i] Nam [k] Hadrianus Italiæ per Consulares viros jus dici voluit; id, quod M. Aurelius imitatus est; consulatu haud dubiè functos ad ea munia provehens, cùm sub malis principibus, fœda libertorum & semivirorum mancipia, & inhonestis artibus ambitiosa, exercitibus & ducibus ipsis imperitarent, non sociorum, & provinciarum modo cervicibus insiderent. [l] Ergo sub Proconsulari dignitate, & Equites & Eunuchi & Liberti; aliáque id genus dedecora postmodum latuere; quibus submotis, proprio fuit opus, & ad rem apposito, nomine, quo secernerentur viri Consulares ab istis.

i Tac. var locis, & Domit. & Commodi. Heliogabali exempla.
k Iul. Capitol. in M. Antonino.
l Tac. ann. 14. de Polycleto Neronis & Sueton. de Claudio in offensum memoria c. 25.

[m] Jam vero Præsides quoque strictâ notione, tantùm Cæsaris Legatos, quique pro Cæsare summam in provinciis rerum omnium tenerent, accipi manifestum est. [n] Ab his itaque Præsidiales hâc tempestate, Cæsaris dictæ provinciæ, &, contra vetustatis usum, à Prætoriis & Proconsularibus distinctæ. Quo facere Ulpiani sententia videtur, cùm Præsidem Provinciæ majus, ait, imperium omnibus habere, post Principem. Cæterùm omnem hanc veritatem, [o] diverso vultu, modo diductâ, modo contractâ authoritate rudes an periti sæpenumero, Præsidum ac Rectorum vocabulo circumscribunt.

m Budaeus ad Pandectas.
n Laevinus Torrentinus comment. ad Sueton. cap. 48. August. Ulpian. L. 4. ff. de officio Præsid.
o Philip. Becter. Tribunus diatrib. 3.

XX. Belgica quoque præsidialis.

Sed me veterum præsentiúmque comparatio longiùs abstulit. Nunc ad institutum regredior, quod absque his vacillasset. Belgica igitur quin priscâ appellatione Prætoria fuerit, ambigi non potest. [p] Præsidalemque mansisse ad Diocletiani & Maximiani imperium; proclivis itidem assensus. [q] Constantini namque ætate Consularibus annumeratâ, sed, haud scio, tam arctione vocis usu, quàm olim ostendimus; tametsi, ne Consules deesse quidem poterant [r] quando imperante Commodo, viginti quinque in unum etiam annum comparatos, invenimus; [s] de quibus omnibus, atque id genus cæteris, quærendum superior reliquit ætas, quibus scilicet Coss. gesserint Consulatum. Atque hæc pacis ornamenta in Alexandri imperio, cùm interventu deteriorum ab eo honesta quoque læderentur.

p Vid. inscript. 1. l. antiquit. Præsidi vet. ... quam ad ævum Diocletiani & Maxim. referimus.
q Onuphrius Panuin. l. 2. comment. & lib. de comitiis imperii fasti.

Consulum Romanorú ubertas.

r Dio in Commodo de Cleandro.
s Ausonius in gratiarum actione de Fronsone.

Andream

ANNUS CHR. 235 XXI. RUSTICUS XIII. EPIS. *Chron. Treu. circa temp. Pontian.*

Andream Episcopum Trevirorum post hæc, seu sua mors, seu gladius persecutoris abstulit; pro illo Treviris Antistes tertius decimus obtigit RUSTICUS ejus nominis primus. Interea, per decessoris gradiens vestigia Romæ Pontianus, ubi nec quintum in pontificatus celsissimi dignitate annum explesset, Severo & Quinctiano Coss. deportatus Alexandri jussu in Sardiniam, martyrii item famam, paulò post, cœlo æquavit.

ANNUS CHR. 236. *Lib. Pontific. Martyrol. Martyrol. 19. Novembr.* Pontianus Papa aliis sub Maximino passus an. 237.

Et annus certè, qui pontificatum Romanum, afflicto capite infestum habuit, idem Alexandro Imperatori supremus extitit. Is adversis Galliæ rumoribus ex Oriente jam tum excitus in Germaniam, apud Rheni limitem consistens, modò in Treviris, interim Moguntiaci rem gerebat: quippe Germanorum licentiam auxerat diutina Imperatorum absentia; & miles Romanus desidiâ ac luxu iners, ad ripæ, limitumque custodiam obtorpuerat. Patuit vel in primis barbarorum incursionibus Illyricum, Danubio justis nudato præsidiis. Inde Rhenum mox conferta ferocissimarum gentium agmina percursarunt; perque urbes flumini proximas, & vicos jam sese inferebant prædabundi; cùm opportunè, sed breve solatium, fessis Belgicæ Germaniæque rebus, juxtàque metu paventibus provincialium animis, Alexander affert.

Æl. Lampr. Herodian. l. 6. Alexander rem in Treviris & Maguntiaci gerit.

XXII. Alexander Parthos ad Rhenum ducit.

Venerat ad Rhenum jam, validis instructus copiis; Parthorúmque levem armaturam missilium telorúmque adparatu insignem, ad eminus configendum fusa & grandia Germanorum corpora, ex Oriente secum traxerat. At, ubi pronus in hostem, Rheni ripas ponte, Moguntiacum inter, uti quidem interpretor, & * Ficeliam, hodie Treverici juris oppidum, extructo, committit; ecce tibi magnis hisce cogitationibus pravæ militum turbidorum cupidines intercessère.

Ponte Rhenum jũgit. * Siciliam habet Lampridius, sed mendosè, rescribo Ficelian, quæ hodie Vesalia superior ad Rhenum.

Hi, cùm Maximinum Thracem, pessimo publico, circumdatum purpurâ, vel renitentem Augustum salutassent, irrumpentes simul in tabernaculum Alexandri, meridiantem ipsum unà cum matre, amicis & familiaribus, apud Maguntiacum, fœdè obtruncarunt. Atque is Alexandro & Mammææ Opt. matri contigit exitus, quorum in familia complures Eusebius extitisse meminit, fideles & Christianos. Nos in ejus replicanda memoria plus operæ fortè posuimus: quòd matris Mammææ cineres, quam moribus Christianis feminam non negat Orosius, Treverica putetur conservasse Wesalia; quo item in loco cædem patratam, sententia hominum est non imperitorum. Nam tametsi mendosâ lectione Aurelius Victor in vico Britanniæ (lego Germaniæ) cui Sicila (Ficila) nomen occisum tradat, veterum tamen probatissimi in Gallia, & ad Rhenum & Mogontiaci extinctum, commemorant. At Mammææ monumentum cùm oppido Ficeliæ hodie non visatur, ostensúmque, superiori memoriâ vestigium operis, multi testentur, creditum haud temerè, molem illam antiquam, quam intervallo quodam ab Wesalia montis editiore jugo metu belli patrum ætas subvertit, Mammææ conditorium habuisse. Reddamus hîc illi communis tituli monumentum, quod * Mariana noster ab Aucitana civitate in Hispaniis, ejus memoriæ consecratum, & basi statuæ fuisse inscriptum, meminit:

MAXIMINUS IMP. regit m. 2. *Jul. Capitol. in vita Maximini. Lamprid. Herodian. Oros. cap. 16. lib. 7. Eutrop. l. 8.* Alexander cum Mammæa matre, apud Maguntiacum, perit. Mammææ conditorium Vesalia superior asservavit. *Bibliothec. Athan. Lelgius ad Niceph. Brusschius, Ortelius.*

** De rebus Hispan. l. 4. c. 11.*

IVLIÆ MAMMEÆ AVG. MATRI.
IMP. CÆSARIS MARCI AVRELII ALEXANDRI SEVERI PII
F. AVG. M. CASTRORVM.
COL. JVL. GEM. ACCITANA.
DEVOT. NVMINI. M. Q. EJVS.

Occisum autem, summo cum mœrore senatus ac bonorum desiderio Alexandrum, & Cenotaphium in Gallia meruisse, testis etiam Lampridius. Quod itaque B. Chrysostomus dicit de Alexandri inter divos relati tumulo, sermonis ornatus est, *ubi nunc, quæso, Alexandri tumulus est? Fac mihi eum ostendas, diemq; cum vitâ commutavit?* Eum quippe licet à Senatu immortalitate consecratum ostendit, tamen præ Christi ac Christianorum famæ gloria longè maximè extitisse mortalem, ut cujus nulla tum apud Romanos memoria viveret, cùm aliorum contra perennaret.

XXIII. Cenotaphium Alexandri in Gallia. *Jul. [illegible] in ejus vita. In 2. ad Cor. homil. 26.*

Posthæc, dum Thrax immanis & barbarus, nec ingenio, nec virtute tantæ moli par, atrocitate & magnitudine virium, quibus unicè pollebat, omnia imperii bona metitur, paratis ab Alexandro copiis in Germaniam trans Rhenum portatis, ceu fera quædam effrenis, & in omne periculum audax insultavit; at per paludes, ut ipse ferebat, inexsuperabiles belli deficiente materiâ, a mox omnes iræ libidines vertit in Christianos. Odioque in Alexandri amicos & familiares Christi fide imbutos, sequenti anno sextæ persecutionis tempestatem, hostis Christi nefarius excitavit; b bellum gravissimum, & quasi proprium Episcopis, & Ecclesiarum Antistitibus indicens. Raptus è medio horum injuria temporum, & clade sævientis hostis Pontianus, ut quidam volunt, jam pridem exsul, & ANTERUS Pontifex Romanus; qui Pontiano successerat, martyrii honore insignis.

Maximini expeditio in Germanos.

a *Euseb. l. 6. c. 21. Oros. l. 7. c. 19. Aug. lib. 18. de civit. c. 52. Niceph. lib. 5. cap. 19.* Maximinus Tyrannus sævire incipit. ANNUS CHR. 237. Persecutio VI. b *Euseb. Eccl. hist. l. 6. c. 21.* ANTERUS Pon. regit m. 1. *Martyrol. Rom. 3. Ian.*

His Cyriacum interjiciunt, qui S. Vrsulæ & ejus Sodalium apud Coloniam Agrippinensium initum certamen, ad hæc optant revocari tempora, responsis iis fortè freti, quæ S. Elisabetha Schonaugiensis mente concitata divinitus edidisse creditur. Ejus quippe ætate legimus Coloniæ Cyriaci Papæ titulum juxta Virginum Basilicam * erutum; & rei quasi latentis & obscuræ significationem ab Elisabetha petitam, quæ cùm visione super hac re pulsaretur, Martyrium celebre ad Anterum Cyriaci successorem retulit: & in urbe potestate summa ait fuisse Maximum & Africanum, insequentis forte anni fastis admonita consularibus, in quibus Maximinus & Julius Africanus exprimuntur.

XXIV. Cyriacus unde in Pótificum seriè irrepat. Elizabethæ Schonaugiensis revelationes M. SS. * Circa an. 1156. S. Ursulæ Sodalium Martyriũ. Consules an. 238.

Verùm callidissimi quique rerum priscarum, cùm de reconditis & abstrusis, non plus intelligi tradique posse censent, quàm quantum ex probatissimis veterum monumentis suspicari licet, partim hanc narrationem, ceu affectam anili fuco, pro fabula despiciunt, alii nec refutatione dignam existimant, alteri denique ceu popularem errorem incusant.

De Cyriaco Papa critici. *Genebrard. Chron. Baron. Tom. 2. Disquisitio Anberti Myræi; alii Bartholom. Petri.*

Verùm nos, in tanto scriptorum divortio medium ferire cùm difficile putemus, utrosque in præsentia sine ulla contumelia dimittere malumus.

XXV. De revelationibus S. Elisabethæ nos infra.

Et, quia Germanam historiam vetustas nobis eripuit, neque visa, quæ narrant, interprete non egent, ut à Deo missa & non à libera mente, sit exploratum, alium in locum hujus narrationis adjuncta rejicimus, amisso sanguine, opinionis vulgatæ succum hic expressisse contenti.

FABIANUS PON. regit an. 15 vel 16.

AUCTOR XIV. EPIS. *Chron. Cun sub temp. Antori Fab.*

Ut verò omnis Ecclesiasticæ traditionis consensu, excluso Cyriaco Pontianum excepit Anterus, sic post Anterum Fabiani humeris Pontificatus amplissimi moles incubuit. Etiam eodem tempore Rusticus Trevirorum humana reliquit, AUTORI Episcopo cedens munere sacerdotali. nec expertem martyrii decessisse tam vicina, clarisque præsertim Episcopis imminens persuadet tempestas. Porrò inter nobiles suæ ætatis Episcopos, Methodius apud Marianum meminit, *Autorem totius probitatis virum, Treverim rexisse.* Processerat eò usque jam Maximini truculentia, ut æqui pariter ac iniqui, nemo tyrannum ferre ultra posset.

Iul. Capitol. Sext. Victor. Eutropius locis citatis.

Herodian. l. 7. Capitol. in vita duorũ Maxim.

GORDIANUS major IMP.

Ergo magno Senatum, P. Q. R. & cunctas provincias metu liberavit Gordianus Africæ Proconsul, qui ab exercitu Lybico ad imperium pertractus, famâ arrepti principatus Maximinum concussit; at brevis ea Reipublicæ securitas stetit, cùm discordi senatu ac milite, Gordiani mox in Africa cum filio sublati, Roma, nuncium accepit.

XXVI. ANNUS CHR. 238. BALBIN. & PUPIENUS IMPERAT. reg. an. 1. GORDIANUS minor IMP. regit an. ferè 6. *Eusеb. Cassiod. in Chron.*

Quare in assidua hominum strage, & armorum tumultu, Romæ lecti à senatu, qui imperium susciperent, Cælius Balbinus & Maximus Pupienus, à quibus & Gordianus puer, cum Cæsaris dignitate cooptatus est. Gordiano verò dant initium ad consulatum * Ulpii & Pontiani, quando * Censorino teste, ludi Capitolini celebrati sunt; quod tempus comparant alii cum anno Christi duodequadragesimo, supra CC. alii seriem Consulum secuti, differunt etiam in biennium. Verùm ob hæc nihilo lætior rerum facies; cùm, per insanam Castrensium rabiem, nil in senatu sanctum, nihil jam firmum in imperio maneret.

** Scalig. 238. Onuphr. 239. Baron. 240. et & Paul. Petavius de Epocha anner. Incarn. & Iacob. Gordon. S. I. 241. in opere Chronol.*
** de die Natali.*

Evocabat ad funus interea Maximinum cœlestis vindicta, sanguini tum civili post plurimas & immanes illustrium cædes inhiantem. Quare, cùm percitus furore ex Belgicis & utraque Germania, trans Alpes exercitu deportato, ad ultionem properat Senatus, Aquileiâ oppugnatâ, sed non expugnatâ, crudelis vitæ cruentum invenit exitum, vix triennali imperio, nam disceptant hic Chronologi, pariterque vitâ spoliatus.

ANNUS CHR. 239. Maximini cædes. *Iul. Capitol. in ipsorum memoria utrâ.*

XXVII.

Sed vide, quàm acerba Romanæ monarchiæ sine Christo dominatio; ut novis plagis sanet veteres, Pupienum & Balbinum ambos, Agonalibus ludis Capitolinis, ceu victimas mactat. Quare in Gordiano penè puero Gordiani Majoris nepote, fessum denique tot cædibus imperium, parumper acquievit. Quo etiam tempore Autor Trevericus Antistes inter vivos esse desiit: anniversariâ memoriâ ad vigesimum mensis Sextilis diem venerandus. Ejus olim sacris exuviis Brunswicum Saxoniæ civitas defensa stetit; hodieque pignus S. Autoris, Padebornæ Abdinghofensi Monasterio coli, perhibent. Neque videtur attemperate fecisse Methodius, qui Autorem Commodo Imperatori supparem ætate prodidit.

ANNUS CHR. 240.

Marian. Scotus l. 2. ætat. 6.

XXVIII. MAURITIUS XV. EPISC. *Vetusti libri Mauritium, alii Fauritium, & Fabritium. Chron. Cun. circa Fabiani temp.*

Sed inde MAURITIUS apud Treviros procurationem Pontificii muneris adeptus; ne concideret odiis gentilium, labefactata res Christiana. Episcopatum ad restitutæ pacis hominibus annum ducentesimum quadragesimum quartum extendit; quo nimirum anno, Treviris sedisse FORTUNATUM in temporum libris signatum invenio. habere is existimatus percelebrem annuamque Confessoris honore memoriam, quarto Idus Junii. Verùm, cùm eâ die mortalitatem exuisse constet Amalherium cognomento Fortunatum, qui Caroli magni ætate vixit, nec Sanctis, quod certò sciam, adscriptus est; permistam reor utriusque memoriam. Sanè autor Fastorum Ecclesiæ Trevirensis Amalherium Fortunatum ad X. Junii inter Episcopos Confessores celebravit; cui & monumenta nonnulla Monasterii S. Arnulphi apud Mediomatrices, adstipulari videntur.

ANNUS CHR. 244. FORTUNATUS XVI. EPISC. *M.S. & chron. Agripp. Chron. Cun. circa temp. Cornelii.*

Memoria hujus Fortunati confusa cum Amalherio Fortun. *Martb. Agrip. fast. lib.*

Sequenti Gordianus ad mortem, sed exemplo decessorum haud utique siccam & sine vulnere, missus est. Res apud Rhenum haud infeliciter eum gessisse, indicio sit sepulchri elogium, quo milites ingrati, Capitolino teste, affecère mortuum. VICTORI GERMANORVM. SED NON PHILIPPORVM.

ANNUS CH. 245. 246.

XXIX. PHILIPPUS IMP. regit an. 5.

Philippus Prætorio Præfectus, & cædis autor, imperare pro eo non dubitavit; filio in imperii societatem allecto. Hunc primum omnium ex Romanis Imperatoribus Christianum extitisse, Eusebius, Orosius, Vincentius Lirinensis, attestantur; & epistolæ Eusebianæ licet mendosæ. Qui fidem derogat, & hæc à veteribus Christianis conficta dicit, Samii Lucumonis acumen hic amisisse videtur.

ANNUS CH. 247. 248. *Iul. Capitol. Victor. Eutrop. Chron. Euseb. Hieron. ad Dextrum. Oros. lib. 7. Cassiodor.*

Philip. primus Imp. Christianus *negat I. Scaliger ad Euseb.*

Cæterùm hujus rei hoc jucundior quoque memoria, quod Philipporum conversio à B. Pontio celeberrimo Galliarum Martyre ortum habuit, & in Natalis urbis Romæ millesimum, qui * Philippum patrem III. Coss. & filium Coss. II. habebat, incidit; ut acta Martyris illius testantur, quorum aliquam partem, ut rei in Gallia percelebris, delibamus: *Pontius Præfecturâ auctus, familiariter notus erat, & amicus Philippis Imperatoribus. Ii verò anno conditæ urbis millesimo dixerunt ei: Eamus, & propitios nobis faciamus Deos magnos, qui nos in hunc Romanæ urbis Millesimum perduxerunt. Pontius verò multis modis subterfugere nitebatur: sed illi, ut amicum cogebant eum facere sacrificium. Tum ille credens sibi oblatam à Domino occasionem: O, piissimi, inquit, Imperatores, cùm à Deo vobis collatum sit augustum in homines imperium, cur non eum potius adoratis, à quo tanto aucti estis beneficio? Philippus Imperator respondit: Ego vero, eâ causâ magno Deo Iovi sacrificare cupio, quòd ab illo hæc mihi collata sit potestas. At Pontius subridens, ne erres, inquit, Imperator; est Deus omnipotens in cælis, qui omnia condidit verbo suo, & spiritus sui gratiâ animavit. Quid plura? Imperatores his & aliis* ejus

Philip. Imp. & filii conversio.

** Inscript. nummorum SÆCVL. MILLE. Coss. III.*

Martyrol. Adon. Tribur. Rom. Usuard. 14. Maii. Acta. Tom. 7. Surii & Baron. annal. Tom. 2. ad an. 246.

ANNUS CH. 250.

ejus sermonibus permoti crediderunt, & à S. Fabiano Papa baptizati sunt.

XXX.

In Treviris elegantiæ raræ numismata extant MARCIÆ OTACILÆ, quæ uxor Philippi credita cum marito & filio Christianam religionem amplexa. Inscriptio: MARCIA. OTACIL. SEVERA AVG. PIETAS AVG. S. C.

Trevirorum præses T. Varius Clemens.

Habuêre & Treviri per id tempus, si eruditorum conjectura non fallit, Præsidem T. Varium Clementem, virum eximium, Claudiâ Celtiâ Pannoniæ urbe oriundum, & maximis honoribus militiæ & in Republica perfunctum. Nam PROCVRATOR PROVINCIARVM BELGICÆ, Germaniæ superioris & inferioris & aliorum locorum extiterat. AB EPISTOLIS AVGVSTORVM, puta utriusque Philippi. Quod ita clarissimo viro Marco Velsero ad hosce potiùs Imperatores, quàm alios referri placuit, quia Inscriptio vetus, ex qua nimirum hæc desumimus, AVXILIORVM meminit IN MAVRETANIAM TINGITANAM EX HISPANIA MISSORVM, quibus Varius olim Præfectus: neque hinc abesse procul memoriam, repertu secus difficilem, hujus expeditionis; siquidem Alexandro Principe legi, in Mauretania Tingitana à Furio Celso res gestas, apud Lampridium.

Belgicæ provinciæ sub illo distinctæ.

Lib. VI rerum August. & in Monument. peregrinat.

XXXI. Trevirorũ civitas præsidi monumentum in Pannonia locat.

Porrò Trevirorum civitas T. Vario Magistratu functo, postea in Pannonia GræcI monumentum posuit, cujus olim epigraphen dedimus; cur autem in Pannonia potiùs, quàm Treviris, ubi honores amplissimos gesserat, caussam putant, quia in patria atque apud suos inclarescere, & à nobilissima civitate gratitudinis ergò illuc usque celebrari, longè sibi pulcherrimum duxit. Atque hæc una quidem inscriptio ad cæteram fœcunditatem, quoque nos docet, quod ostendimus alibi, & Belgicæ tunc non unam, sed duas fuisse provincias, & easdem Præsidialibus accensitas.

M. Marc. Velser. in peregrin. monumentis.

Cæterùm Philippus Imperator quinque plus minùs in principatu positis annis, sed Christianæ religionis invidiâ parùm monumentis gentilium celebratis, denique Quincti Traiani Decii fraude, militum animis & armis in illum concitatis, Veronæ, ut eruditis placuit, anno Christi CCL. occubuit.

Onuphr. fast. &c. ad an. 250. Cæsar Baron. Eccl. Annal. Tom. 2. 7. annum ei Imp. an. 253 putat attribuen.

DECIUS IMP. regit an. 1. m. 3. vel 6. alii an. 2.

XXXII. ANNUS CHR. 251.

Agebatur à Matris Virginis puerperio ducentesimus quinquagesimus primus annus, qui juxta eruditorum diversæ structuræ innixam putationem, Baronio CCLIII. Eusebiani Chronici editoribus, Scaligero CCLII. Pontaco CCLIV. & sancto Antonio clarissimi nominis Abbati Eremique cultori natalis scribitur, cùm Decius, animo in Christianam religionem prorsus hostili atque tyrannico, infestis & feralibus per orbis Romani provincias latè sparsis edictis, septimæ persecutionis omnium atrocissimæ, velut ex alto signum sustulit; quæ tanto sanguine, tumultu, ac trepidatione Christi castra replevit, ut nulla species certaminum Ecclesiæ strenuè dimicanti, tunc quidem defuerit, donec vincendo magis quàm moriendo fessa quietem & honestissimum otium favente Christo, sibi pareret: *Voti quippe tunc Christianis erat*; inquit B. Hieronymus, *pro Christi nomine gladio percuti. Verum hostis callidus tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora*; &c. *quod ex B. Cypriani ore missum, inserit, volentibus mori, non permittebatur occidi.* Inter invictos Christi pugiles, vel primum virtutis locum, sicut & dignitatis, obtinuit Fabianus; cujus nobilissimæ memoriæ viri excessum; literis ad B. Cyprianum in Africam missis, vacuâ tum sede, deploravit Clerus Romanus.

Cyprianus vitæ epist. & ad Antonianum. Euseb. l. 6. c. 34. Oros. l. 7. c. 21. Sever. Sulpit. lib. 2. histor. Eccl. Hieron. in vita Pauli & in scriptor. Eccles. Cæs. Baron. annal. tom. 2. ad an. 253. & annot. in Martyrol. Nov. 31. Ian.

VII. immanissima persecutio sub Decio.

Christianorum certantium fortitudo. *In vita Pauli.*

Fabianus martyrio afficitur. *Epistol. 31. Cypr. 67. edit. Pamel. Martyrol. Rom. 20 Ian. notat. Cæs. Baron.*

Porrò huic persecutioni haud magis tyranni ac præsidium immanitas, quàm Christiani etiam ipsi licentia vitæ in securitatem effusi, dedere caussam, criminibus, quæ Cyprianus recenset, haud sanè levibus, Dei vindictis iram accendentes: *Iungere cum infidelibus vinculum matrimonii, prostituere gentilibus membra Christi, non jurare tantùm temerè, sed adhuc etiam pejerare; præpositos superbo tumore contemnere, venenato sibi ore maledicere. odiis pertinaciter invicem dissidere. Episcopi plurimi, quos & hortamento esse oportet cæteris & exemplo, divina procuratione contemptâ procuratores rerum sæcularium fieri, derelictâ cathedrâ, plebe desertâ, per alienas provincias oberrantes, negotiationis quæstuosæ nundinas aucupari, esurientibus in Ecclesia fratribus non subvenire. habere argentum, largiter velle, fundos insidiosis fraudibus rapere, usuris multiplicantibus fœnus augere. Quid non perpeti tales pro peccatis ejusmodi mereremur.*

Christiani malè viventes provocant persecutionis flagellum *Cyprian. lib. de lapsis.*

Episcopi illius sæculi præsertim in Africa dissoluti.

XXXIII. Persecutio Deciana ad omnem Galliam pertinuit. *Cæsar Baron. Tom. 2. Annal. ad an. 254. Martyrol. 29. Novemb. & 7. Sidon. l. 9. ep. Venant. lib. 2. poëm. Greg. Turon. hist. l. 1. c. 30. Surius Tom. 6. Turon. de gloria martyr. c. 57.*

Decianam verò persecutionem, non solùm in Orientis, Africæ, ac Italiæ palæstris, quæ vel in primis caluere, sed intra Galliam quoque sæviisse passim, ad Rhenum usque, etsi Martyrum actis, quæ Diocletiani edictis cremata perierunt, vix docemus, vestigia tamen in Saturnino Tolosano, & Amarantho tenemus, celeberrimis martyribus. Sed Clerus etiam Romanus quàm per omnes regiones, ordines, ætatesque, tyranni crudelitas ac sævitia vagata sit, prodenda lapsorum multitudine; posuit ante oculos. *Aspice*, inquit Clerus, *totum orbem penè vastatum, & ubique jacere dejectorum reliquias & ruinas, & iccircò tam grande expeti consilium; quàm latè propagatum videtur esse delictum.*

Lapsi inter Christianos complures.

At ubique interim à Christi athletis strenuè quoque certatum, multiplex & varia docuit cruciatibus quamlibet atrocibus impenetrabilis martyrum constantia. Qua in re testem B. Cæcilium Cyprianum, illum, si quem alium hoc genere pugnæ superare nobilem, audire par est: *Probata*, inquit, *res est certamine fratrum glorioso; qui ad tormenta vincenda cæteris duces facti, exemplum virtutis ac fidei præbuerunt; congressi in acie, donec acies succumberet victa. Quibus ergo vos laudibus prædicem, fortissimi fratres? robur pectoris vestri, & perseverantiam fidei, quo præconio vocis exornem? Tolerastis usque ad consummationem gloriæ, durissimam quæstionem; nec cessistis suppliciis; sed vobis potiùs supplicia cesserunt. Finem dolorum, quem tormenta non dabant, corona dederunt. Laniena gravior ad hoc diu perseveravit, non, ut stantem fidem dejiceret, sed ut homines Dei ad Dominum velociùs mitteret. Vidit admirans præsentium multitudo, cæleste certamen, certamen Dei, spiritale certamen, prælium Christi; stetisse servos ejus voce liberâ, mente incorruptâ, virtute*

Martyrum encomium.

Epistola XI. ad Martyres & Confessores.

divina

Cruciatus martyribus illati.

divinâ, telis quidem sæcularibus nudos, sed armis fidei credentes armatos. Steterunt torti torquentibus fortiores, & pulsantes ac laniantes ungulas, pulsata ac laniata membra vicerunt. Inexpugnabilem fidem superare non potuit, sæviens diu plaga repetita; quamvis ruptâ compage viscerum, torquerentur in servis Dei, jam non membra, sed vulnera. Fluebat sanguis, qui incendium persecutionis extingueret, qui flammas & ignes gehennæ glorioso cruore sopiret. Atque hoc quidem suo præclarissimo judicio B. Cyprianus Martyrum Decianæ persecutionis acta condecoravit.

XXXIV. *Autores qui supra, & Cyprianus in epist. ad Antonianum.* CORNELIUS PŌT. regit an. 2. m. 2. a *Euseb. Eccles. hist. l. 6. c. 35.* Novatiani ambitio.

Cæterùm anno plus vacua, sed adversus hos turbines inconcussa, Petri sedes steterat, quando Cornelius sub hosce dies justissimis Cleri Romani & aliorum Episcoporum suffragiis, ad Pontificatus summi culmen evectus est. a Etiam Novatianus Presbyter animi vecors, execrabili tum dissidio certantis Ecclesiæ labores & ærumnas cumulare, & dummodo ad expetitos honores perveniret, omnia divina humanaque jura violare, nihil pensi habuit.

Lib. 1. histor. Franc. c. 30. Episcopi Roma in Galliam 7. missi.

Aliquid etiam, in hoc tempestatis nubilo, Gallicana Ecclesia lucis adspexit; cùm sub Decio, ut Gregorius Turonensis ex actis B. Saturnini tradit, septem Româ Episcopos diversis civitatibus missos, accepit; quibus, an rectè Dionysium Parisiis, Martialem Lemovicibus Apostolorum ætate aliorum sententia datos annumeret, eruditis discutiendum relinquo.

XXXV. ANNUS CHR. 252. 253. b *Eutrop. l. 9. & Sex. Victor.*

b Porrò secundum hæc Decium, cùm orto civili in Galliis bello represso, adversus hostem in Mœsiam profectus, acie decertat; cœnosæ paludis haustum voragine, justa Dei ultio persecuta, ne quidem ad sepulturam tyranni cadaver existere voluit. Eâdem prorsus & contritâ jam per cruorem cædesque viâ, Gallus & Volusianus Galli filius, leti januam propediem adituri, breve gaudent prensare nihilominus imperium. Cornelius verò Pontifex, quem Decio biennali superstitem sedisse intrepidum Romæ in sacerdotali Cathedra eo tempore, cùm tyrannus infestus sacerdotibus Dei, fanda atque infanda comminaretur; quemque, & armis & bello victum Decium, sacerdotio suo priorem vicisse, prædicat Cyprianus, Gallo & Volusiano iterum Coss. pulcherrimo pro Christi amore perfunctus certamine, candidatorum in cœlo martyrum cœtui est aggregatus. Ejus suavior Treviris & gratior est, eritque semper, uti speramus certè, recordatio; quòd sanctissimi Pontificis caput consecratum in Ecclesiæ suæ sacris thesauris, religione quâ par est, asservent; haud irritâ spe ingentis per illud impetrandi cœlo patrocinii.

GALLUS & VOLUSIANUS IMPP. an. 2. vel 4. *Authores qui supra & Dionys. Alexand. apud Euseb. lib. 7. c. 1. Epist. ad Antonianum.* ANNUS CHR. 255 al. an. 256. *Martyrol. Rom. 14. Septemb. B. Hieron. in script. Eccles.* S. Cornelius Papa martyrio afficitur, ejus caput Treviris colitur.

XXXVI. LUCIUS PONT. an. 2. d *Eutropius l. 9. & Oros. l. 7. c. 2.* Morbi diri mortales infestant.

Cornelii sedem Lucius haud multò post iniit; cùm interea temporis varia pestiferæ contagionis pernicies morbique graves, & non obscura numinis cœlestis ira, Galli & Volusiani magis, atque magis perculêre principatum. Nulla ferè (si d Eutropio Orosioque constat fides) provincia Romana, nulla civitas, nulla domus extitit, quam non illa pestilentis auræ diritas afflârit, & funere plurimò prostraverit. Quâ quidem solâ calamitate infames Imperatores, dum in e Æmilianum novis rebus studentem, raptis à Rheno & Trevirorum limite legionibus arma commovent, tandem sublati & interfecti sunt.

e *Sext. Aurel. Victor. rursus Eutrop. lib. 9. Zozim. lib. 1. histor.*

XXXVIII. ANNUS CH. 257. VALERIANUS & GALLIENUS IMPP. an. 7.

Triennio jam ante Valerianus quidem in Rhætia & Norico degens ab exercitu, à senatu verò Romæ, filius Valeriani Gallienus Cæsar erat appellatus. Horum fuit imperium, ut memoriæ mandavit Eutropius, Romano nomini perniciosum & exitiabile. Specimen futuri posteris, ut nossent, quibus ab hostibus res oppugnari Christiana soleat. Enimverò, Valeriano novos in Ecclesiam evolvente fluctus, repentè illud, quod ad respirandum, tranquillis atque securis à Deciana procella Christianis internitebat sereni, offusâ caligine, discussum est, f octavæ persecutionis exoriente nube.

Valerianus ipsis superstitibus triēniū id prope tenuit. qua de re consule *Bar. annal. to. 2. Eutrop. Lib. 9. Oros. lib. 7 c. 22. Eus. Chro. &c.* Valerianus exacuit iras in Christian. f Octava persecutio. *Oros. loco cit. Aug. l. 18. de Civit. c. 52. Euseb. l. 7. hist. cap. 9. Hier. de script. Eccles. in B. Cypr.*

Hujus tempestatis affecto jam sidere, delatus in cœlestium regionem Lucius Pontifex, placidissimam stationem adeptus, fluctuantem Ecclesiæ navim Stephano gubernandam reliquit. Decesserat tum etiam Fortunatus Trevericus Episcopus, cujus ab hinc in solio CASSIANUS sedere cœpit. g Per idem tempus in Galliam Belgicam, uti reor, missus à Valeriano Posthumus; qui prætentum Rheni ripis limitem adversus invalescentes quotidie Germanorum irruptiones, defenderet. Extant ea de re Imperatoris ipsius literæ, quas ad Galliæ proceres missas, haud erit alienum attexere, cùm fastidium eximat earum brevitas, & argumentum non aliis ullis serviat Galliarum populis quàm Treviris: *Transrhenani limitis ducem & Galliæ præsidem Posthumum fecimus; virum dignissimum severitate Gallorum, præsente quo, non miles in castris, non jura in foro, non in tribunalibus lites, non in curia dignitas pereat; qui unicuique proprium & suum servet. Virum quem ego præ omnibus stupeo, & qui locum principis mereatur jure: de quo spero, quod mihi gratias agetis. Quod si me fefellerit opinio, quam de illo habeo, sciatis nusquam gentium reperiri, qui possit penitus approbari.* Annus jam Christi CCLX. processerat, cùm persurente acriùs in dies tyranno, Stephanus Romanus inter sacrificandum ad aram, gladio percussus, gratissima Deo victima cecidit.

STEPHANUS PŌT. an. 3. m. 2. d. 22. *Chron. Cunon. circa temp. Lucii.* CASSIANUS XVII. EPISC. g *Trebellius Pollio in Gallienis, Sex. Aurel. Victor in Licin. Valeriano.* Posthumus in Belgica & apud Rhenum inclarescit. ANNUS CHR. 260. *Martyrol. 4. Non. Augusti. Acta ejus apud Baron.*

XXXIX. Novatianus error se Galliis insinuās oppressus à Stephano Papa. *Epist. 67. Cypr. ad Stephanum.*

Is, cùm Galliarum Ecclesiæ membra Novatianæ luis contactu ægrescere comperisset, Cypriani hortatu, literis ad omnes ejus regionis Episcopos datis, Marcianum Arelatensem Episcopum, quod à Catholicæ Ecclesiæ & sacerdotii consensione discedens, Novatiani sectam erroresque probaret, abstentum pronunciavit; alioque in locum ejus substituto, gregem à lupo disjectum, intra Ecclesiæ tutissima septa recepit. Tam ampla etiam tum, ut antea semper, Romano Pontifici in provinciales Episcopos vis imperii & authoritas.

SIXTUS PONT. anno non toto. al. 1 m. 10. ANNUS CHR. 261. *Cypr. Epist. 82. ad Successum. Onuph. 262.* Sixtus & Laurentius martyres. *Prudent. in Hymno de B. Laurent. Martyrol. 10. Aug.*

Ejus successor Sixtus secundus, anno postero certaminis idem curriculum emensus, cum Laurentio martyre fortissimo, & multis aliis, ad extremum usque spiritum pro Christi fide dimicans, occubuit.

Nec illo tempore Gallicana Ecclesia martyriis vacabat; persecutorum itidem iras experta. Nam Tricassibus in Lugdunensi provincia Claudius, Justinus, Jocundinus, & mox Patroclus & Sabinianus; Senonibus,

Columba

Galliarum martyria. *Martyrol. 12. Kal. Aug. 12. Kalend. Febr. pridie Kalend. Ian. 4. Kalend. Ian. 7. Kalend. Iun.*

Columba virgo, multiplici probro, & exquisitis pro Christo toleratis suppliciis, pepêrere victoriam. Atque hinc etiam in Belgiam sævitia transiit, S. Prisco Tornacensium urbe, Christo suum largiente sanguinem.

XL. Cyprianus claret illustris sui têporis testis.

Inter homines eo tempore degebat adhuc B. Cyprianus, sed sub ictum ipsius agonis jam tum cum clero suo successerat. Ipse verò epistolâ ad Successum Collegam datâ, cùm Valeriani animum in Christianam religionem odio nunc flagrantiorem, verbis disertis exposuit, tum Sixti Pontificis inibi memoriam celebravit; utcumque sanè ad præsentem Ecclesiæ conditionem: Martyris præstantissimi verba sunt: *Rescripsisse tum temporis Valerianum ad senatum, ut Episcopi, & Presbyteri, & Diaconi, incontinenti animadverterentur. Senatores verò, & viri egregii, & equites Romani, dignitate amissa, etiam bonis spoliarentur; &, si ademptis facultatibus, Christiani esse perseverarent, capite quoque multarentur: matronæ, ademptis possessionibus, in exilium relegarentur. Cæsariani quicumque vel prius confessi fuissent, vel tum etiam confiterentur, publicatis bonis vincti, in Cæsarianas possessiones descripti mitterentur.*

Cyprian. ep. 82. editio Pamel.

Valeriani rescripta adversùs Christianos.

Adhæc subjecisse Valerianum, exemplum literarum, quas ad Præsides provinciarum de Christianis fecerat. mox: *Sixtum autem in cæmiterio (Callisti via Appia) animadversum, inquit, sciatis, octavo Iduum Augusti die; &, cum eodem, Quartum: Sed & huic persecutioni quotidie scribit insistere præfectos in urbe; ut, si qui oblati fuerint, animadvertantur, & bona eorum fisco vindicentur.* Porrò B. Cyprianus ad ejusdem decus palmæ jam dudum anhelans XVIII. Kal. Octobr. Fusco & Basso Coss. ejusdem anni, certavit, parvo secutus intervallo Sixtum. De illo quod ad Treviros pertinere possit, Prudentius.

Sixti martyrium *notat Cyprian. Beda in Martyrol.*

Pontius Diaconus in ejus vita. Martyrol. Rom. 14. Septemb. & ejus acta sincerrima.

B Cypriani martyrium.

Prudent. hymno XIII.

Desine flere bonum tantū, tenet ille regna cœli,
Nec minus involitat terris, nec ab hoc recedit orbe:
Disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat:
Nec Libyæ tantùm populos regit, exitusq; in ortum,
Solis & usque obitum, Gallos fovet, imbuit Britannos
Præsidet Hesperiæ, Christum serit ultimis Hiberis.

XLI. Deciana & Valeriana perscutiones cur interdum cōfundantur?

Atque hæc, de octava Valeriani persecutione; quæ latè malis suis orbem cōplexa Romanum, in omnes, ut dixi, passim provincias desæviit, ne silentio nobis quidem fuerunt implicanda. Quod verò hæc à Valeriano concitata procella, cum Deciana non rarò permisceatur, eò fieri creditum, quòd sub Decio Valerianus Censor factus, magna cum approbatione senatus, jam inde usque exiguo temporis spatio ad capiendum spiritum, quiete datâ, Christianis, Decii res abscissas contexuerit; edictaque primo calore utriusque nomine circumlata, rescriptis subinde acrioribus ne clanguescerent, renovârit; Decii memoria, ob suppliciorum & atrocitatem & frequentiam, haud facilè interim inolescente. Atque ita leniùs censeri, ac eorum mitigari sententiam animadvertimus, quibus Sixtum cum Laurentio sub Decio subiisse martyrium,

Vide de his prolixius disserentes Pamelium in Cyprian. & Baron. ad 8. August. Martyrol. Rom. & to. 2. annal. & Gordonum in Chron. Trebellius, Pollio. Euseb in chro. & pleraq. Martyrol. & acta Laurent. to. 4. Surii.

placuit. Sixto autem interea surrogatus Romæ Dionysius.

DIONYSIUS PōT. regit an. 11. m. 10. d. 14.

ANNUS CHR. 262. MARCUS XVIII. EP. *Chron. Can. circa Imp. Stephani. Mar. Scotus lib. 2. ætat. 6. sub Severi exitu.*

Annò restitutæ Christi natalibus olim amissæ libertatis 262. Cassiano Trevirorum Antistite jam morte defuncto, MARCUS XVIII. Episcopi functione ac honore præditus, apud Treviros sedebat; quem Methodius etiam præclaro Confessorum cœtui annumeravit. *Apud Antiochiam*, inquit, *defuncto Serapione Episcopo, Asclepiades loci illius suscepit sedem; qui & ipse unus ex præclaro Confessorum numero, sicut Marcus Treverensis habebatur.*

XLII. Romani imperii facies sub Valeriano. *Eutrop. lib. 9. Oros. l. 7. c. 22. Zosimus Comes lib. 1. Ioan. Zonar. annal. tom 2. Euseb. chron.*

Imperii Romani facies hisce diebus evasit longè teterrima, insignisque labes extitit, quòd stantibus & propè integris adhuc Reipublicæ viribus tantùm socordiâ principum à barbaris corpori Romano vulnus potuit imprimi. Sed, quod religionis nostræ interpretes sapienter olim dijudicarunt, ultio id agebat divina, ut qui Christianos innocentissimos homines, per omnes ubique provincias, mille pœnarum indagine inclusos attinuissent; hi, detractis impetu, convulsisque præsidiis & castellis secundùm Rheni Danubiique ripas ferociæ barbarorum oppositis, jam nudi apertique paterent Germanorum plagis, & Alemannorum injurias non arcerent.

XLIII. Germani & Alemanni perruptis limitibus Italiam invadunt.

Germani certè, eò tum irarum audaciæque processerant, ut submotis stationibus, transcursis limitibus, quorum tanquam parietum objectu salutem Romani suam defensabant; adhæc Alpibus, Rhætiâ, totaque Italiâ pervastatâ, Ravennam usque erumperent. At Alemanni, neque interfuso Rheni flumine, neque in ripis excubantium armis absterriti, omnia similiter irruptionibus prona, audaciæque suæ ac virtuti cedentia, cuncta senserunt.

Limitum violatio.

Alemanni Treviris & Maguntiacenlib. prius sunt noxæ.

Quare, & per Treviros & Moguntiacenses viâ vi factâ, ferociùs progressi, denique ad prohibendum obviam eunte nemine, intra Galliæ fauces audacissimè penetrarunt; ingentique certamine eluctati, evaserunt & ipsi in Italiam: Germanis interea Hispaniam teterrimâ strage tectorum agrorumque, crudeliter lacerantibus.

XLIV. *Trithemius in libro de Franc. Origine. Boiorum annales in Galieno.*

Trevirorū Augustam hac Alemanorum irruptione quassatam, probabile.

Sunt ab ætate nostra, qui Alemanorum hac irruptione afflictam vastatamque Trevirorum Augustam, & nobilem item vicinamque Mediomatricum urbem, in literas misêre, quorum non pœniteat esse sententiæ, si præsertim à magno Constantino ob id restauratam credas, quia Panegyrico teste, olim corruisset; secutaque tempora satis caussas consimilis illatæ cladis eximant[a].

Neque tamen his erumpentium barbarorum cuneis, Vandalos, eorumque regem Chrocum, inserere, ad veterum fidem congruat; tametsi Alemanis Chrocum miscuisse, confuso temporum ordine, Gregorium Turonensem observes[b].

a *Cl. Cæsar. Baron. ex Gregor. Turon. histor. Franc. l. 1. suo loco.*

Chrocus non videtur affuisse nisi diversus intelligatur.

Dum autem Occidentem impunè Germanorum & Alemanorum ferox natio, spoliis onusta provinciarum, ad hunc modum pervadit, interea, amissâ in perpetuum Daciâ, Pannoniis violatis, Eoæ extremæ partes per circumpositos immanes Gothorum populos undique exterritæ, & haud invalidis armis concussæ. Atque hæ tantæ, ceu uno nimbo profusæ subitò tempestates, serò

b *Zosim. lib. 1. & Sex. Ruf. epitome.*

Dacia amissa.

Gothorum arma in Oriente exaudita.

demum mentem Valeriani curasque convertêre, quando ipse contra Saporem Persarum Regem profectus in Orientem, Gallienum ad Rheni protinus tutandos limites in Galliam misit, ne laxatis velut habenis, impetu universa tandem Germania, in obvias Galliarum provincias sese effunderet. Gallienus itaque iis, qui per Italiam, Illyricum, Græciamque prædis agendis intenti ex Germanis, bellum facere ducibus suis jussis, ipse ad Rheni limitem custodias, vigiliasque acriùs omnes intendit, dumque undique irrumpentem hostilem manum, oppositis præsidiis, arcet, exiguo copiarum numero, & rebus jam pavore ac trepidatione confusis, ad summam universi belli vix quicquam proficit.

Gallienus mittitur in Galliam Rheno tuẽdo &, domãdis Germanis.

Trebell. Pollio. Dionys. apud Euseb. Eccles. hist. l. 7. c. 9. Eutropius 9. Oros. l. 7. c. 22. Sex. Rufus.

XLV. ANNUS CH. 263. *Persa victor Valerianum orbis dominum capit.*

Accessit postero anno à Persis nova, & ignominiæ plena accepta clades, quâ victus & proditus Persæ Valerianus, teter & vesanus Christi hostis, in vilissimo & infami regis barbari ministerio consenuit, prono & acclini dorso inscensurum in equum Regem, dum vixit, coactus attollere. ac procaci sanè ludibrio destrictâ tandem pelle laceratus, & salsilagine conditus, velut ad diuturnum usum.

Constant. orat. ad SS. coetum.

Triginta tyrãni orti in imp. Rom.

Trebell. Pollio. Oros. & Zonar. seq.

Sed haud paulò graviùs ad res Romanas funditùs perdendas accessit intestinum malum; cùm, sub hæc eadem tempora triginta Tyranni emersêre, qui coorti variis in provinciis certatim ad imperium capessendum ruentes, populi Romani vires opesque per mutuas strages, civiliaque bella, miserandum in modum subruerunt.

Posthumus Gallus origine.

Eutrop. lib. 9. Oros. l. 7. ut sup. Zonar. in Gallieno. Trebell. Poll. in 30. tyran.

Galliæ seorsim regna instituunt. cujus præcipua sedes in Belgica vicinisque Germaniis. I. Imp. Galliarũ Posthumus.

Ubi enim acceptum in Belgica nostra, Valerianum à Persa factum captivum, Posthumus obscuró quidem loco in Gallia natus, at belli & pacis artibus apprimè clarus, summâ Galliarum voluntate, Romani imperii deposcere sibi gubernacula, non in longum distulit. Præfuisse eum exercitibus Rhenanis, & limiti defendendo adversus barbaros, ostensum est. Porrò fortitudinis & constantiæ laude singularis, ita Gallieno sese probaverat, ut is in ipsius disciplinam fidemque, Cornelium Saloninum Cæsarem filium, rectè se commisisse crederet. Dum ergo repellendis cohibendisque barbaris, omni conatu Posthumus impiger ad ripam insistit, Saloninus Gallieni laboris atque periculi spectator, interea ibi cum Albano, qui rector juventæ aderat, Coloniæ Agrippinæ residebat. Et oderant certè Galli omnes impensè Gallienum; atque etiam eo tempore, quo viriles non solùm animos, sed & manus postularet, puerum istic inerti desidia ostentari pro principe id ferre verò non poterant.

Saloninus Gallieni F. ignavus Posthumi imperio viam patefacit.

XLVI. *Posthumus excipit Germanos præda graves.*

Cecidit interim id ad Posthumi quoque vota percommodè, ut Germanos præda graves, fortè adeptus in terram Germaniam reduces, magno eorum numero interfecto, spoliorum ac prædæ, ad illigandum exercitum, affatim suppeteret.

Saloninum è medio tollit.

Quare, ubi largiter donato milite, Saloninus Albani consilio, prædam repeti, & in medium rursus conferri jubet, ilico militem à suis studiis aversum, & Posthumum simul adversum, habuit. qui nihil cunctatus Saloninum intra Agrippinensis Coloniæ mœnia oppressum, deditumque à civibus ac milite, obsidium non ferentibus, obtrûcat, atque inde purpurâ sumit.

Gallieni & Posthumi conflictus.

Cæterùm Gallienus de filii nece factus certior, cùm primùm per orientis bella licuit, ad ultionem maturavit in Gallias. At Posthumus, quod munimentum est inexpugnabile, civium amore & benevolentiâ circumseptus, Gallieni arma nihil extimescere, quin principalis fortunæ discrimen experiri virtute velle. Vbi ergo cum exercitu Gallienus affuit, Posthumus justa acie rem in discrimen mittere ausus, prima quidem congressione superatus; at inde, cùm ad reparandas vires mœnibus se potius, quàm aperto tuetur, Gallienum tam diu incumbentem sustinuit; quoad sagitæ ictu graviter saucium, à perurgendæ cura obsidionis, dolor vulneris acrior abduxit.

XLVII. *Posthumi moderatum imperium depulso Gallieno. Belgicam & Germaniam utrãque multâ prosequitur beneficẽtiâ.*

Hinc sublato jam metu securior, ad afflictas erigendas Galliarum opes, & recreandas varia clade squalentes urbes, promptè quidem accessit. Septemque ipsos, quibus rerum in Gallia potitus est annos, eliminandis partim barbaris, partim veteris revocanda majestate imperii, civitatibus cis ultraque Rhenum, & castellis, cum instaurandis, tum de novo condendis, strenui nec inutilis Principis munus implevit.

Treviris ferè moratur.

Treviris, ut in urbe tum splendidissima, & imperio bellisque gerendis oportuna, plerunque sedem habuisse suadet actorum series, & moneta, quæ istic ipsius eruitur frequens, in qua barbatus, & radiatâ coronâ titulos ferè gerit. PII, DIVIQVE PATRIS. & RESTITVTORIS ac INSTAVRATORIS GALLIÆ. In aversa parte quorundam numorum visitur fluvii an Rheni jacentis species, cum rostro navigii, & inscriptione: SALVS PROVINCIARVM. Verùm Posthumi merita, quæ sunt rerum humanarum vices, eousque læta, dum mobilibus & pronis ad res novandas Gallorum ingeniis, spes majorum aliunde affulsit.

Lollianus II. Galliarum Imperator.

Lollianus namque, postquam Rheni præsidiis ad seditionem & arma civilia concitatis, regnandi cupidine Maguntiacum belli sedem delegit, Posthumus è vicina Belgica mox ad obsidionem consilia, deinde arma prompsit.

XLVIII. *Maguntiaci obsidio.*

Assidebat Maguntiaco, cùm exercitus indomitus & obsequii ignarus, ad exscindendam urbem, Imperatori suo leges dictat, alacritatem in oppugnationem allaturus, si universa ad se præda redisset: at Posthumus, seu miseratione fortunæ alienæ, seu insitæ moderationis respectu, ubi diripiendam militibus urbem tradere recusat, objectus furentium iræ, tumultuque cæsus, interiit. Septennium in Galliis imperasse, convenienter Trebellio vetera numismatum arguunt epigrammata: IMP. C. M. CASS. LAT. POSTHVMVS. P. F. AVG. P. M. TR. P. VII. COS. III. PP.

Posthumus seditione militari obsidens Maguntiacum perit.

ANNUS CHR. 268. *Trebell. Pol. Eutrop. l. 9.*

Germani resumunt vires.

Sensit brevi necem patris ac principis fortissimi, Germanis ilicò rursus assultantibus, finitima Rheno Gallia: enimverò, auditâ morte Posthumi, castella, quæ in barbarico solo seu claustra feris objecerat ipse, subitâ irruptione Germanorum & direpta, & incensa.

Victorinus uterque III. Galliarum Imperator. Victorini præconiũ.

Sed nec Lolliano diu benè fuit; expulsusque vitâ, Victorino, quem Posthumus adversus Gallienum pugnans, collegam sibi adoptârat, rerum summam concessit. Victorino laudem tribuit eximiam Julius Aterianus, neminem

neminem illi ratus anteferendum veterum principum; non in virtute Traianum, non Antoninum in clementia, non in gravitate Nervam, non in gubernando ærario Vespasianum, non in censura totius vitæ, ac severitate militari, Pertinacem vel Severum.

XLVIII. Sed omnia hæc præclara tam ingenii quàm naturæ ornamenta, libidinis impurissimæ probro contaminavit; dignus ob id, qui Agrippinensi Coloniæ cum filio periret, postquam aliena temerasse conjugia, nec temperasse luxuriam, olim in lusis fuisset. Eorum sepulchris olim vicinus Agrippinensium ager visendus, cum hac in brevi marmore scriptura:

HIC DVO VICTORINI
TYRANNI SITI SVNT.

Porrò autem Victorina Victorini mater, virili animo femina, ubi filio & nepote crudeliter interfectis, supremi sibi erepta auxilia, dolor subjicit, ne quantum in se, periclitanti Galliæ suique rebus ipsa deesset, Tetricum Aquitaniæ præsidem ex senatore Romano, haud multum repugnantem, ad imperium hortata est, ut, quod Trebellius Pollio de illa memoriæ mandavit, virile semper facinus supra sexum auderet.

L. Illa, MATRIS CASTRORVM, insignita titulo, Treviris monetam cujusque metalli habuit; nummosque aureos, argenteos, æneosque suo istic nomine percussit. Hócne tum recenti beneficio Treviri fuerint obligati, an verò flandi feriundique munus in priscis civitatis honoribus, parùm liquet inopia testium.

Satis constat Lugdunenses inter primores Galliarum urbes, Augusti imperio id usurpasse decus, ob copiam rerum juxta, civiumque frequentiam ibi à Romanis tunc instituto emporio. Treviros autem in posteram ætatem monetaria fabrica florentissimo etiam extitisse, docent magistratus nummariæ curandæ rei præpositi; obviaque passim inscriptio: III VIRVM. MONETÆ TRIVERICÆ.

Hujus porrò celebritas officinæ Diocletiani & Maximiani imperio hic ad summum venit; retinuitque monetam civitas, donec res Romanæ vergerent. Nec perinde fideliter quidquam monetarios hos labores approbat, quàm omnis ætatis cujusque metalli nummis impressus ferè character, quem terra revomit, hisce notulis: P. R. T. S. TR. & TR. P. S. Pecuniam Trevirensem, Trevirisque signatam, facili interpretatione, prodentibus. Et nostrâ quoque memoriâ, subruto veteris pomerii ac retecto quodam specu, in Carthusianorum fundo visuntur [illegible] cum formis ipsis [illegible] incudes, manifesto documento [illegible] temporibus officinæ.

LI. At Victorina discordi in imperio, & rebus crebrâ Principum mutatione inter libertatem ac licentiam incertis, misericordiâ, an largitione tantùm valuit apud Belgicos & Germanicos exercitus, ut, quod in superbiam trahebant [illegible], inveteratum obsequium [illegible] mariti filiique necem afflictâ domo. Atque hinc factum credimus, ut ad veterum Augustalium Matronarum decus, miles eam attolleret. ᵃNam, ut Livia Augusti, MATER PATRIÆ. ᵇJulia Severi, MATER SENATVS ET PATRIÆ. Sic Antiquorum item inscriptione lapidum: ᶜ VICTORINA. AVGVSTA. CASTRORVM MATER. appellata, docetur.

Sed brevi regnatrix mulier, fluxam & instabilem potentiæ gratiam monstravit, non suâ vi nixæ. Postquam enim adscitus Tetricus mox periit, illo dum in Galliis florente, naturali, an violentâ morte? priscarum literarum fluctuat fides.

Omnes autem hosce Galliarum tyrannos imperii præcipuam sedem apud Treviros habuisse, cùm ipsa facilè dignitas Augustæ Coloniæ fidem facit, tum amplitudo virium, quibus tum perpolluit. Exhauritur moneta frequens etiam nunc veterum numorum, in Treverico solo; ipsorum signata trophæis & imaginibus.

LII. Verùm his aliis super alios illatis, ac velut repetitis calamitatum ictibus imperium Romanum penè superante medicamenta vulnerum magnitudine, ægrè quidem sub Valeriano & Gallieno constitit; quanquam administratâ fortiter per tyrannos omni Galliâ feliciùs nescias, an turpiùs, fidem & obsequium adversus Gallienum exuit.

Annus post Christum natum 269. serenior Reipublicæ illuxit, quo apud Mediolanum cæso Gallieno peste tandem hâc liberata, & Fl. Claudium Constantii Cæsaris patruum, utᵈ Trebellius; aut, ut Eusebio Eutropioque placuisse video, avum, tutorem adepta; à barbarorum molestis incursibus, quorum ille brevissimo imperii spatio vim ingentem confecit, aliquamdiu respiravit.

Reliquum inde Claudius biennium, cùm Romæ velut Gymnasium erexisset Christianæ fortitudinis atque patientiæ; tum martyribus nostris dedit ad robur instituendis, tum Gothorum ferociæ ab imperii finibus arcendæ. ᵉ At, quò ne Christi athletas immaniùs, ac supra vires exerceret, imperium non longum morbo discedens, Quintilio fratri, moderationis unicæ viro reliquit. Sed huic, obrutâ tum fraude & audaciâ percussorum, item nece properè illatâ, Domitius Aurelianus imperatorios honores iniit. Sequenti anno Dionysius Romæ diem suum morte clausit, orbis Christiani regimen Felici cedens.

LIII. Aurelianus interea, quæ fuit homini morum atrocitas, Christi gregem, immisso tortorum globo, vellicans, innocenti plurimos ob martyrium sanguine perfudit. Sed ea strages, uti quidem nos interpretari malumus, in levi habita ab Orosio Sulpitioque, dum secuta sunt atrociora.

Vires Orientis etiam tum, & opulentissimarum provinciarum vectigalia distinebat Odenati olim Augusti conjux Zenobia. Hanc Aurelianus, ubi turbine belli Orienti illato, magno virorum armorumque certamine sedibus exuit, Tetricum Principem, neque paci aut prælio paratum, sed perfidiam & ignaviam, exercitus proditione, consilientem, mox aggredi, ratio fuit.

Annus tum ibat imperii, Eusebio numerante, tertius; & quod Vopiscus memorat,

Margin notes (left): XLVIII. Victorinus infami vita Coloniæ perit. — Victorina mater Aug. Galliis dominatur. — Tetricus IV Gall. Imper. — L. Victorina Mater castrorum. Moneta Treverica celebritas [illegible] — Strabo lib. 4. Geograph. — Lugdunensium & Trevirensium [illegible] monetaria. — [illegible] — Trevirensis moneta [illegible] Ex nummis [illegible] — LI. Victorina [illegible] Belgarum & Germanicorum.

Margin notes (right): a [illegible] — b V. inscript. Gruter. — c V inscript. & Tiebell. — Trevirisque tyrannorum [illegible] — LII. ANNUS CHR. 269. FL. CLAUDIUS Imp. an. 1. m. 10. d. 15. al. an. 2. & supra. d Trebell. in Claud. Euseb. in Chron. Eutrop. lib. 9. Zonaras [illegible] — ANNUS CHR. 270. Claudius [illegible] Christianis [illegible] — ANNUS CHR. 271. Aurelianus Imp. an. 4. m. 7. al. an. 6. [illegible] — ANNUS CHR. 272. FELIX Pont. regit an. 2. m. 5. — LIII. Aurelianus persequitur Christianos. [illegible] — Zenobia Odenati Aug. Imp. [illegible] Euseb. Chron. Fl. Vopisc. in Aureliano. Aurelianus [illegible]

ad Gallicanas se convertit

ANNUS CHR. 273. *Trebell. Eutrop. Sex. Victor. Oros. l. 7. c. 23. Zonar. tom. 2. Chron. Eusеb. Fl. Vopisc.*

Tetricus Gallias seq; victum tradit Aureliano.

Oriens, domitis hostibus tranquillus, quando Tetricus in Galliis assiduâ militum suorum conflictatus seditione, molem humeris incumbentem ægrè sustinens, viam circumspiciebat jam dudum, qua salvis rebus & integris, legiones malè quietas, & ad tumultum audaciamque projectas, Aureliano dederet: ea re sponte etiam missis ad eum literis; illud Virgilianum usurpabat: Eripe me his invicte malis. Aurelianus itaque cùm in Catalaunos progressus, ad Tetricum, & discordes animis exercitus labefactandos accurrit, protinus sine certamine & vulnere, duce cum exercitu potitus, nobilissimum deinde triumphum egit, in quo Tetricus ipse, cum Zenobia Orientis domina; Franci, quin etiam Suevi, Wandali, & Germani, revinctis ponè manibus, admirando civitatis Romanæ spectaculo traducti, præcessêre currum.

Aureliani triumphus.

LIV. Galliæ vindicatæ à tyrannis. *Marian. Scot. Gesta Trevir. Annal. Leod. & Tungror. Indices variorum bibliothec.*

Galliis igitur nostris ad communis imperii societatem devicto Tetrico, hoc admodum pacto reductis, Marcus Trevirorum gloriosâ pro Christi nomine confessione perfunctus, Navito in Trevirensi gubernando populo, sedem locúmque suum reliquit.

NAVITUS XIX. EPIS. Navitus Trevirorū & Tungr. Episcop. *Chron. Cameracensis circa tempora Dionysii Papæ.*

Navitum Tungros unà cum Treviris, juredicundo, obeundóque sacra, curasse, veteribus monumentis & Episcoporum indicibus testatum. Numeratur autem rectè undevigesimus inter Episcopos Trevericos; perperam verò Tungrorum à B. Materno, secundus; siquidem eorum nos sententiæ pænitere non debet, qui usque ad Silvestri Papæ tempora, utramque Ecclesiam Trevirorum & Tungrorum, communes tradunt habuisse pastores. Ita domesticæ literæ consensu, & commentariolus actorum B. Servatii, qui ante annos 130. Coloniæ apud Arnoldum Corneum in lucem editus; quem eundem calamo exaratum, in Carthusiâ Confluentinâ asservari scimus.

An. 1472.

LV. Tungrensium Episcoporum series. *Ægidius in Gestis Leod. Episc. c. 17. hac interpolat.*

Sed acta tamen uberiora, quæ extant in membranis Collegii Societatis Jesu Confluentiæ, seriem Episcoporum Tungrensium ad Lambertum usque sic evolvunt, ut mediorum inter Maternum & Navitum, rationem non habeant. Quippè nominum ibi hæc est citatio: *Primus* Maternus *Petri Apostoli Apostolus: secundus* Navitus *: tertius* Marcellus: *quartus* Metropolus, *tetragonâ virtutum moderatione: quintus* Severinus, *quinque pollens talentis perfectione sui ordinis: sextus floruit* Florentius: *loco septimo, septiformi spiritus Dei gratia redimitus, contra vim dæmonum Martem agebat* Martinus: *octavo numero* Maximinus, *magnaliter octo beatitudinum sodalitate cubicus. Ordine novenario* Valentinus, *ordinis Angelorum valenter amicus. Subtexitur in limitem decimum, decalogi servator* Servatius, *à beato quidem Materno Petri discipulo decimus; ab ipso Christo Petri Magistro, Magister Octavianorum, unà cum Petri supputatione duodecimus.* Quæ quidem annumeratio Præsulum, ut classem successionis probè corroborat, ita licet à gravi scriptore, non ritè tamen ac ordine videtur appensa, cum nobilem & frequentem Ecclesiam jam inde à Materni obitu ad hoc ætatis, pastoribus suis orbat; & in posthuma diligens, veterem ac remotiorem B. Servatii historiam, parum tractet feliciter. Idémque memoriæ Chaos ingredi videtur, magni Chronici Belgici conditor; qui 15. Episcopos inter Maternum & Navitum interjectos, 30. annorum curriculo, fidenter sanè scribit, martyrio consummatos: quoque successionis hoc negotium faciliùs conficiat, Navitum S. Materni discipulum præfuisse vult annis omninò 60. ex his Marco Trevirorum Antistite extincto, tricenos posteriores impendisse gregi Treverico, cùm priores jam inde ab excessu Materni, Tungris solis impertiisset. Atque ità Navitum Tungrensis Ecclesiæ secundum, Trevericæ numerat decimum-nonum, ceu in hac perobscura descriptione ætatum, regnum quoddam haberet; cùm ex Trevirensium monumentis, nihil admodum hìc liquere, palam professus sit ipse.

M.S. impartitur. 1. parte ritmice.

Opera posthuma S. Servatii. Successionis exotica series Episc. Trevir. & Tungri. in M Chron. Belg. ex annal. Eccl.

Navitus sedere in Trevir. cœpit an. 162.

LVI. Navitus Materno statim à morte an successerit. *Episcopi Tungrorum editi à Ioanne Placentio.*

Quare & Placentii, & eorum omnium, quibus idem placuit, opinio funditus ejicienda, qui Maternum tradunt agentem animam Navitum Tungris commendasse successorem; atque ita mox, ceu Materno Navitum illicò successisse jam constaret, temporum seriem ab Adriano & Antonino inceptant pertexere; errore libero, & nimisquàm meo sensu in tam obscura & remota memoria affectato.

Tungrorū Episcoporum abstersæ maculæ.

Ut interim, nihil à nobis horum attingatur, quæ de cujusque Præsulis sive claris imaginibus, sive stemmatis ad indignationem & stomachum etiam posteritatis ab his in ævum propagata, qui ævum juxta ac homines ignorasse videntur. Ecquis enim vel mediocri tinctus horum usu & observatione temporum, qui propositas hic Namurcensium, Lovaniensiumque Comitum, aut Lotharingiæ Ducum ænigmata seu imagines, vel per nebulam aspiciat? sed arrideant illa, quos juvat: nos perantiqui scriptoris gravissimo testimonio, quod in vetusta primariæ Trevirensis ædis bibliotheca, Præsulum Trevirensium indici asscriptum invenimus, contenti; scopulos illos, in quos ipsi sponte & videntes incurrunt, haud magno labore vitabimus.

LVII. Veterum Episcoporū acta excidêrunt.

Etenim, recensitis octo Pontificum, qui Treviris Tungrisque juxta præfuêre, nominibus, subjicit scripturæ notis sanè quàm priscis: *Qui octo, quorum vel Imperatorum vel Consulum claruerint temporibus; quosq; vita singulorum habuerit exitus; quotq; singuli annis administrarint officium Pontificatus; vel, ubi eorum extent tumuli; vel, quantum fructus quisque ampliaverit Ecclesia suæ; quia totius hæc Galliæ Ecclesiarum ab Hunnis & Nortmannis facta abolevit eversio, nec à nobis ea lectoris cujusquam requirat solertior investigatio; cùm, & antea diris decem persecutionum temporibus, sub quibus vixêre, eorum memoriam famâ, scriptorum studio, minus potuerit divulgando perpetuare.* Atque hæc ipsa verbis inveniuntur parùm omninò variantibus apud Harigerum, in Tungrorum Episcoporum monumentis; tum etiam in domesticis Trevirensium commentariis, quæ ex diversis conflata olim diximus. Quâ quidem oblivionis & ignorantiæ tam ingenuâ confessione, significat omnes horum Episcoporum acta, vitam, ordinem, ætatem, non ita sibi explorata, ut majorum bonâ fide liquidi quicquam de iis statui possit.

Gestorum Trevir. auctor post Normannica tempora.

M.S. Herigerus vel Harigerus inter Gesta Leod. Episc. nuper editus c. 17.

Ut

LVIII. Episcopi 8. Treviris & Tungris cōmunes ubi sepulti sint.

Ægid. Bucherius Disputat. histor. ad Gesta Leod. Episc.

Ut igitur hos octo non sciunt cum Materno è vestigio continuatâ serie, copulare; ita non habent pro explorato asserere, sepulturam iis apud Tungros in Ecclesiâ S. Dei Genitricis obtigisse. Quin, ut longè potior hic sit Trevirorum conditio, assentiunt eruditi; pugnantque, rectiùs eorum tumulos huc transcribi, ubi resederint; & quò natales eorum publicis fastorum monumentis referuntur, quoque in loco eorum plerique ritu peculiari coluntur & celebrantur officiis Ecclesiasticis; Navitus VII. Julii. Marcellus IV. Septembris. Metropolus VIII. Octobris. Severinus XXIV. Florentius XVII. Octobris. Maximinus I. XX. Junii. Neque illorum interim, quos reos tenemus exsolvendæ fidei, nolimus adhuc inhæsisse temporibus, dum clarior aliunde lux ex illâ sæculorum nocte affulgeat.

I. Molanus ad 24. Septembris.

M. S. Cōpend. Gestorum Coenonia Archiepisc.

M. S. Cinsan. & Chro. Agrip. Chro. magnum Belg.

Naviti exordium in hac hypothesi an. 162. nobis decade tardius.

Nec temerè Chronici magni calculum abjeceris, cùm Navito triginta annos attribuens, septem insequentes, qui seriem usque ad Silvestri Pontificatum, & Agricii adventum explent, in centum & duodetriginta annorum orbem includit. Ita enim pervenire quoque liceat, quò volumus.

LIX. Paulus Samosatenus *Euseb. l. 7. c. 22. & 24.*

Aurelianus blandiendo persequitur Ecclesiam.

Aurelianus ad hanc usque diem in Christianum nomen nec violentus, nec iniquissimus videri poterat, cùm Paulum Samosatenum post effutitas impiè de Christi Domini natura atque dignitate opiniones, Antiochenâ sede nuper ejici, & abnuentem etiam per urbis Romæ Episcopum, cogi placuit.

B. Aug. lib. 18. de Civit. c. 52. S. Leo. de Pentecoste, Ser. 2.

At subdolam hominis modestiam erumpens mox immanitas detexit, cùm, pro justitia bellum, pro patrocinio odium adversus Ecclesiam suscepit implacabile; cujus intimis medullis haustam acerbitatem, cùm deinde continere longiùs haud potest, tandem in Christianos nonæ persecutionis comparato bello, suppliciis, & laceratione corporum, servilem in modum perbacchatus est. Occubuit eo in certamine, septuagesimo quinto supra ducentesimum Christi nascentis anno, Felix urbis Romanæ Pontifex; cui Marini F. Eutychianus ex Hetruria successor datus.

Persecutio nona.

ANNUS CHR. 275.

EUTICHIANUS PONTIF. an. 8.

Martyrol. Rom. 30. Maii Optatus lib. 2. Aug. ep. 165.

Aurelianus sentit divinam ultionem.

Euseb. l. 7. c. 24. Oros. l. 7. c. 23. Fl. Vopisc. in Aurel. Zosim. lib. 1.

Martyrol. 12. Kal. Aug. 12. Kal. Febr. 7. Kal. Iul. &c.

Galliæ martyria sub Aureliano.

Aurelianum interea, edictis in Christianos jam paratis subscribere de novo meditantem, artubus divinitùs immisso stupore, Dei vindex ira terrebat. Etenim perditis ipsa malorum remedia plerunque in exitium vertunt, dum spreti numinis contumaciâ fit novus ad flagitia gradus. Quare, cùm parte diversâ terrarum in Christianorum optimos geminati lanistus & ictus, tum in Galliis quoque nostris, pœnæ de martyribus per hosce dies sumptæ spectabiles & gloriosæ. Suprema illa fuit Aureliano trans Alpes expeditio, Vindelicis obsidione barbaricâ liberandis; cùm principis urbis Augustæ Vindelicorum Alemannus mœnia quateret.

ANNUS CHR. 276.

Vopisc. in Aurel. Eutrop. l. 9. Aurel. Victor. veterum scriptorū, qui plurimorū, fere tribuunt ejus imperio tribuūt annos qui ultimaque annos 5. mens. 6. alii.

Inde cùm furori ac sævitiæ in Christianos nihil condonat; anno postero inter proficiscendum, minaci ac rutilo perstrictus fulmine, paulò post Christiani sanguinis lanista immbelli Mucaporis servi manu jugulatus, interiit. Quia verò nomen Mucaporum apud Rhenum in Germania, inter milites legionis XXIII: celebrari video, infero huc veteris lapidis sculpturam, quam è regione Magontiaci trans flumen in oratorio S. Ferrucii, Castello veteri erutam olim excerpsimus:

ter nūmo scripti, qui largiores in anno.

!!?!!L. MVCAPORI AVLVSIo
MIL. LEG. XXIII. P. F. C.
VIXIT ANNIS XXX.
STIPEN. XIIII. * CIVES
CIVITATE ANC. * HE
RACVSANVS DIATR.
† MVCAPOR MV
RALIS. MIL. LEG. XXIII.
FRATRES ET CON
TVBERNALES Cōmil.
TI. ET A. F. F. FECERVNT.

* Civis.

* Hierae.

LX. Imperatoris jubendi arbitrium miles defert Romano senatui.

Fl. Vopisc. in Tacito.

Aureliani autem morte ad solitudinem redacto imperio, exercitus Romani pertæsi licentiæ, quâ deterrimum quemque citra delectum hactenus tollere sueti, judicium suum tandem arbitrii senatus fecerunt, & creandi Imperatoris autoritatem, instituto veteri, delegaverunt ad patres. Senatus veritus, ut quem dedisset Principem, is foret militi volenti, in semestre deliberationem extrahit.

Galliæ Belgicæ limes violatur interregno durante.

Germani LX. capiūt urbes.

Fl. Vopisc. in Probo.

Interea, dum incertis Respublica fluctuat gubernaculis, apud Treviros & propinquum Rheni limitem fœde à ducibus Romanis, res administrata. Nam, quod ex relatione, quam Velius Cornificius in senatu fecit, non obscurè intelligitur, limitem trans Rhenum Germani perruperant, prævalidis occupatis urbibus ad sexaginta, vagabanturque non jam in Romana modò ripa, verùm per omnes pæne Gallias securi. Quò magis interesse Reip. Cornificius tendebat, ad Principem constituendum nequid interjiceretur moræ.

LXI.

TACITUS IMP. m. 6. d. aliquot. *Fl. Vop. in Floriano.*

Jussus itaque omnium sententiis regnare Tacitus primi subsellii senator. Porrò delati tanto intervallo ad se muneris creandi principis, ea senatum lætitiâ incessit, ut literis toto imperio ad nobilissimas urbium mittendis, publici gaudii participes faceret.

Treviris florētissima ab Senatu Rom. gratulationis causâ honorificè per literas compellatur.

Florebat hac ætate non bellicis magis, quàm pacis artibus Augusta Colonia Trevirorum; quæ Regiam jam tum, & domicilio Principum, ad hæc, Prætorio foroque Justitiæ frequentari cœpta, præ nobili senatu, multis Galliæ civitatibus antestabat. Quæ caussa, cur hanc communem imperii gratulationem, vel in primis cum Trevirensi republica datis ad eam literis, Patres decreverint communicandam. SENATUS AMPLISSIMUS CURIÆ TREVIRORUM. *Vt estis liberi & semper fuistis, lætari vos credimus, creandi Principis judicium ad senatum rediit: simul etiam Præfecturæ arbitrio appellatio universa decreta est.* Nec pluribus ad Trevirensem Curiam senatus: quam obiter hic tamen inspicere, res exigit. Curiam igitur hic accipio amplissimum Decurionum ordinem, qui Græcis Bule, præcipuus in Coloniis senatus, penes quem consilium, & legum custodia, seu à decuriis seu à curia nomen olim sortitus.

Curia Trevirorum & Senatus* Coloniæ *ut Plin. epist. l. 10. ep. 83.*

Trevirorū libertas

Decurionū ordo, Curia. *Isidor. lib. 2. c. 4. Adr. Cl. Mart. Velser. ferm. 5. rerum August. & Philipp. Bertet. Pitan. non. diatrib. 1. cap. 10.*

Curiales à quibus lecti

Hic autem ordo, quia locum implebat principis Romæ senatus, iccirco qui in eum allecti, antiquitus etiam Senatores, à posteris Curiales sunt dicti, quos nervos appellabant Reipublicæ & viscera civitatum. Legi verò postularive

larísve, haud sine decreto à Censoribus aut ordine ipso, in Senatum eos, qui non minores viginti quinque annis, aut triginta; & honestorum potius ac locupletiorum liberos, quam è plebe, in curiam admitti solere, cum Jurisconsultis, Plinius autor est. Neque verò fas ulli in Colonia magistratum ullum majorem capere, qui non Decurionatus ornamenta, seu Principis beneficio, seu Censorum judicio, seu ordinis demum splendidissimi favore, in republ. consecutus esset. Sed posterioribus tamen annis, vertente municipalium orbe, magna in magistratibus his varietas ex codicis Theodosiani rescriptis, aliísve legibus observata traditaque Juris interpretibus.

Plin. lib. 10. epist. 83. 113. 116. 115. D. lib. 5 Tit. 2. l. 2. 3. & plurimis.

LXII. *Paulus 1. c. D. l. 50. Tit. 2. lib 7.* Libertas Trevirorum.

Quod verò liberos hic senatus Romanus edicit Treviros, id prisci juris & eximium est. Magna utique libertatis species, in curia, & descriptione magistratuum, vario temperamento, domi militiæque; cum in Duumviris Consules; in consilio Senatum; in Equitibus ordinem equestrem; in cæteris omnibus ferme muniis, Romanæ reipublicæ vestigium & imaginem, Coloniæ referrent. Sed amplius aliquid in Coloniarum splendidissima, quæ ut dixeram Prætorio, Principum sede, monetâ & armamentario jam tum efflorescebat, cogitemus oportet. Itaque quod civitatibus olim Græciæ datum, haud iis neges, vectigalium rationes, locationes, actiones civiles, annonas, publicorum operum & Ludorum impensas, aliáque id genus suo arbitrio pleráque curasse nec in iis Romanis magistratibus fuisse obnoxios.

Plin. l. 10. epist. 5. Cic. lib. 10. T. 31. l. 38. 51. 55. Phil. Bertet. Pithanon, eit. loc.

Trevirensis Curia senatores habuit Roman. *Lib. 1. Annal. horum*

Quod autem hic fertur: *ut estis liberi, semperq; fuistis*, id retulero ad Decurionum nobilissimos, qui senatorum Romæ locum adepti, cujusmodi jam olim in Galliis, & hoc præsertim tempore in Treviris extitisse complures undique suademur, libertatis recuperatæ fructum vel maximè perciperent.

ANNUS CHR. 277. FLORIANUS IMP. an. 2 d 20. Probi 1. an. aliqui comparant cum Christi anno 276. alii cum 279. *Fl. Vopisc. in Probo. Eusob. & Cassiodor. chron.* VAL. PROBUS IMP. an. 5 m. 4.

Hæc domi apud Treviros; at interea Tacitus, licet ad principatum optimam voluntatem attulisse visus, quò minus tamen eam effœto jam corpore explicaret, breve & paulo amplius semestre imperium fecit. Eo igitur, anno insequenti extincto; Florianus Taciti frater imperium vix bimestre vitâ mercari nihil dubitavit.

LXIII. Probus Imperator benè de Belgica meritus.

Excepit igitur eum mox Valerius Probus, cujus in Galliam irruptione barbaricâ per id tempus miserè prostratam, præclarum militiæ fortiter obitæ decus juxtaque meritum, extitit.

ANNUS CHR. 278.

ANNUS CHR. 279.

Primis statim imperii annis, cùm ingenti copiarum adparatu, ad oppressas profectus Romanæ ditionis provincias, præliis compluribus factis secundis, Francum, Alemannum, externumque hostem quemvis unum, malè partis firmatisque possessionibus expulit; omnibusque receptis, quas barbarus insederat urbibus, longè trans Rhenum hoste submoto, limitem protulit; insolitâ quâdam Galliis otii atque securitatis oblatâ luce. Extant ipsius Probi ad Senatum literæ, quibus magnificè suas certè jactat victorias: *Ago diis immortalibus gratias P.C. quia vestra in me judicia comprobarunt. Subacta est omnis, quà tenditur latè Germania, novem Reges gentium diversarum ad meos pedes, imò ad vestros supplices, stratiq; jacuerunt. Omnes jam barbari vobis arant, vobis jam serunt, & contra interiores gentes militant. Supplicationes igitur vestro more decernite. Nam, & quadringenta millia hostium cæsa sunt, & sedecim millia armatorum nobis oblata, & septuaginta urbes nobilissimæ, captivitate hostium vindicatæ, & omnes penitus Galliæ liberatæ. Coronas, quas mihi obtulerunt omnes Galliæ civitates, aureas, vestra P. C. clementiæ dedicavi; & has Iovi Opt. Max. cæterisq; diis, deabusque immortalibus, vestris manibus consecrate. Præda omnis recepta est, capta etiam alia, & quidem major, quàm fuerat ante direpta. Arantur Gallicana rura barbaris bobus, & juga Germanica captiva præbent nostris colla cultoribus; pascuntur ad nostram alimoniam gentium pecora diversarum, equinum pecus nostro jam fœcundatur equitatu; frumento barbarico plena sunt horrea. Quid plura? illis sola reliquimus sola, nos eorum omnia possidemus.* Hæc Probus.

F. Vopisc. in Probo.

Probus novem regum domitor.

Septuaginta urbes restitutæ à Probo Imp.

Germani in Galliam ad agriculturâ traducti.

Cæterùm in hac deditione barbarorum, memorandum inest quiddam, quod de Francis Germanicâ tum gente prodidêre majores. Cùm ad Probum, fortè sedes in Gallia postulatum venissent; promptum in armis, & bellicosum genus haud aspernatus, agros assignavit, & domicilia petentibus. At pars eorum littoribus assueta & piraticæ, ubi præsentia fuêre fastidio, defectione manifestâ, paratam fortè navium copiam adepti, audaci juxtaque dubio cursu, inter vitæ mortisque vias incerta & ignota aperire littora, nec non totam habere Græciam infestam. Quin & mediterranei oram depopulatos, Syracusas inclytam navalibus victoriis urbem, adiisse ferunt, & urbe captâ, magnam in ea patrâsse cædem. Inde pleraque Lybiæ littora prætervectos, cùm ad Africam tandem appulsi, & coërciti adductis Carthagine copiis, tutò nihilominus ad naves receptum; incredibili ac supra illius & temporis & hominum usum, in ea unde venerant loca delatos, ferentibus ac prosperis ventis.

Francos in Galliam admittit Probus volentes. *Nazar. in Panegyri. Zosim. l. 1.*

Francorum veterum navigandi peritia.

Franci piratæ mirabili navigatione littora peregrina solicitant.

Probus verò posthæc, Proculo & Bonoso in vicina Treviris Agrippinensium Colonia captantibus imperium, utroque tanquam æmulo principis loci pessundatis, Galliarúmque provinciis commodiorem in statum redactis, ad Illyricum pacandum sese convertit.

LXIV. *Fl. Vopiscus.* Proculus & Bonosus apud Agrippinenses tyrannidis rei opprimuntur.

Hinc anno Virginis sine labe parientis octogesimo secundo ac ducentesimo, apud Sirmium in Pannonia, sollenni Romanorum Principum morte defunctus, gubernaculis excessit. Salutatus Imperator pro illo, Marcus Aurelius Carus, origine * Narbonensis, sed an à Martio Narbone Galliarum, an ab Illyriciana Narona ejus nominis Colonia, dissensio est. Ipse cum Numeriano ac Carino FF. orbis Romani regimen obtinuit.

ANNUS CHR. 282.

* *Sic Eusob. in Chron. Sex. Victor. Eutrop. Oros.* Nam in Illyrico non Narbona ut *Scaliger*, sed Narona. *Eutrop. in Gallia; apud Vopisc. in Illyric.*

CARUS, NUMERIANUS, CARINUS IMP. simul an. ferè 3.

Per eosdem quoque dies Navitus Trevirorum Episcopus Christi religionem sanguine suo côtestatus, sempiternam sui memoriam ad VII. Julii diem, in Ecclesia recolendam transmisit. Adscriptus in Antistitum ordinē dehinc MARCELLUS, qui Treviros Tungrosque simul communi curâ atque vigilantiâ tutatus. Anno autem proximo Eutychianus Pontifex à Numeriano Cari Imperatoris filio, martyrio

MARCELLUS XX. EPISC. *Chron. Cent. hist. & Metrop. circa Eutichian.*

affectus,

Eutychianum non 8 mēses, sed annos, *Onuphr. in Chron. Eccl.* ex Coss. fastis sedisse tradit.

ANNUS CHR. 283. CAIUS PONT. regit an. 12. m. 4 d. 9.

affectus, cœlesti civitate victor cum palma recipitur. Iniit rei Christianæ gerendæ Pontificatum post Eutychianum Caius. Per id tempus Carus Imperator Carinum filium ad regendam Galliam, cum lectissima virorum fortium manu dimisit: at is in omni flagitiorum ac libidinum cœno pecudis ritu sese volutans, cùm per cædes insuper innoxiorum ingerens crudelitatem, Gallias majorem in modum vexat & irritat, fertur pater (verba Flavii Vopisci sunt) *Sæpe dixisse, se miserum, quod Carinum ad Gallias Principem mitteret; neque illi ætas esset Numeriani, ut illi Gallicanum, quod maximè constantem Principem quærit, crederetur imperium.*

LXV. Carini flagitiosa vita Galliis imponitur. *Fla. Vopisc. in Caro.*

Atque hujus Carini crudelitatis ac intemperantiæ Treviros haud crediderim fuisse expertes, ob limitis & imperii tutelam, principibus abhinc in Belgica fermè, aut alterutra Germaniarum degentibus. Cæterùm, Carus neque malis annumeratus, nec Principum optimis, anno hoc eodem, qui Tribunitiæ potestatis ei secundus, in illustri Tarraconensi inscriptione datur; supra Tigridem in Perside, victor totius gentis, cœlesti exanimatus fulmine, periit.

Carus Imp. fulmine ejicitur vitâ. *Sex. Ruf. epitom. Eutrop. l. 9. Fla. Vopisc. Euseb. Chron. Sidonius.*

Numerianus filius, inde patritiam adeptus majestatem, ab Apro socero insequenti anno in Orientis expeditione clam interfectus, locum Diocli Comiti Domesticorum ad capessendum imperium patefecit; qui deinde abjecto Graio, Aurelius Valerius Diocletianus Romano nomine, appellatus fuit. Carinus verò, ubi patrem ictu fulminis, fratrem soceri manu cecidisse; & super hæc Diocletianum sumptâ purpurâ, ad imperii culmen ascendisse, nunciis ac famâ vulgatum, ipse omni jam officii ac legum excusso magisterio, libidini ac intemperantiæ laxare frenos, & in deterius ruere præceps, scelerum magnitudine.

ANNUS CHR. 284. AURELIUS VALERIUS DIOCLETIANUS IMP. an. 20. *Zonar. tom. 3. Sex. Aurel. Victor.*

Neque interim, quod mirère, in tanta ignavia, quam sæpe necessitas acuit, ad vindicandam retinendamque dignitatem aut vigor animi Carinum destituerat, aut voluntas cum Diocletiano, quoties esset copia, decernendi; sed crebris vario eventu præliis nequidquam vires suas periclitatus, ad extremum proditus à suis atque desertus, apud * Murgum, Viminacium inter & Aureum montem, in Mœsia occubuit. Atque ad hunc modum exstincta Cari prole, & Apro item, quem sibi fatalem à Druide Tungrica acceperat, interfecto, Diocletianus firmavit imperium.

LXVI. Carini cum Diocletiano certamina.

ANNUS CHR. 285. * al. Murtium.

Fla. Vopisc. in Numeriano. de Druide in Tungrâ.

Etsi verò Cari & liberorum Augustorum temporibus & initio Diocletiani quo regnare cœpit, in historia nil vulgo censeatur implicatius, hoc tamen juxta Dionysii Exigui, & Ecclesiæ Latinæ, institutum tenemus, primum annum Diocletiani benè comparari cum anno Christi CCLXXXIV; siquidem ab hoc anno Græci, & præsertim Alexandrini, cyclos suos paschales, & Diocletianei imperii initium orsi sunt; ipséque Dionysius cyclorum suorum exordia ab eodem anno deducens, æram hanc celebrem temporis stabilivit. Atqui, Diocletianum unà cum Maximiano, imperii anno vigesimo omnes fere consentiunt, purpuram deposuisse: quæ annorum summa, si ad initium Æræ Diocletianæ adjiciatur, utique quartum attinget insequentis sæculi;

Æræ Martyrū Diocletianeæ ratio explicata.

Annus primus imperii Diocletiani. *Beda de ratione temporum. Herman. Contractus chron.*

frustraque plures anni Diocletiano ex Aurelio Victore annumerantur, qui nec unus hoc contra plures evicerit; nec mendi vel erroris suspicione caret.

Cæterùm Diocletianus, ut esset, in quem negotiorum onera, cum parte curarum, quæ undique tum imminebant, inclinaret; Marcum Aurelium, Valerium Maximianum, Herculeum consortem adoptat, invicemque provincias anno hujus sæculi XXCVI. sic partitur, ut ipse Orientem, & quicquid provinciarum Asiâ, Græciâ, ac Illyrico tenus, quantumque intra Tigridem fluvium & Atlantis juga patescit; at Maximianus Occidentem, Gallias, Hispaniam, Africam & Italiam obtineret; duóque in posterum Augusti, duóque Cæsares, officiorum & magistratuum multiplicato numero, rem Romanam distraherent veriùs, quàm regerent. At enimverò, emergentibus aliis super alia bellorum tumultibus; cùm ambo pari Christiani nominis flagrarent odio, quamprimùm animadvertendi gravissimis suppliciis in veram religionem res dedit facultatem, hanc ut ne amitterent, egregiam malis artibus adhibuère sollertiam; testatique sunt, quàm ferales funestósque deinceps esset habitura tyrannos; quos, in certaminis ipsa prolusione, Ecclesia sensisset tam immites atque crudeles. * Intumuerat recens tum agrestium motibus Gallia, rusticis Amandi & Æliani ductu in arma, libertatis titulo passim magno numero consurgentibus. Hæc factio Bagaudarum induerat sibi vocabulum; cujus vim Salvianus, excellenti doctrinâ Presbyter, expressam optimè dedit; perduelles interpretatus, qui Judicum provincialium immani avaritiâ, exactionis publicæ nomen in quæstus proprii emolumenta vertentium, spoliati, afflicti cruentum imperium abrumpebant, & esse quasi barbaros juvabat, quia non permittebantur esse Romani. Vocis cæteroqui originationem variè distorquent alii. Est, qui Bagandas dici credit, ceu cœtus agrestium, quia id affine Gallicæ voci, quâ Bandas equitum turmas, ut Bandum ipsum vexillum militare, appellitant. Sed Bagaudarum vetus scriptura probior, & recepta apud Salvianum, ipsáque factio apud Prosperum, Bagauda; Bacchantium fortè, & Bucolicorum militum vestigia referens, qui graves olim in Ægypto motus excivère. Quamobrem præfero, qui natam intra Gallias barbaram appellationem, Diocletiani temporibus, aut supra ab usque Claudii Imperatoris ætate repeti volunt; & Pæanio Græco interprete, indigenas significare latrones, & popularium suorum tyrannos: quod & Sex. Aurelio Victori placuit. Duces autem factionis Imperatoria etiam ornamenta & titulos Augustorum tulisse, numismata produnt:

LXVII. Diocletian. Maximian. consortem adsumit.

M. AUREL. VALERIUS MAXIMIANUS IMP. an. 19.

ANNUS CHR. 286. Romani Imperii partitio. *Eutrop. lib. 9. & Euseb. chro. Zonar. tom. 2. annal.*

Hoc ipso anno non autē 284. ut Sigo. Collegā Maximianum adsumptum *Cæsar. Baron. & Onuphrii* rationibus adducti, ponimus.

Magistratuum immutatio.

Dioclet. & Maximian. Christianorū hostes.

* Galliæ motus, ob Rom. magistratuum rapinas & sævitiam Amando & Æliano ducibus. *S. Aurel. Victor. Eutrop. lib. 9. Oros. l. 7. c. 25. Euseb. Chron. S. Eucherius Lugdunen. in histor. de Thebais. & vetust. Martyrol. Adonis & Bedæ. Salvianus l. 5. de gubern. Dei.*

Bagaudæ unde dicti? *Iacobus Nic. Miscell. Epistol. lib. 9. c. 3. Elias Vinc. ad Legion. Aleand. refert. Vulcat. Gall. in Avidio Cassio. Ioan. Livineius ad Panegyr. XV. & IV. Ioseph. Scalig. ad Chro. Euseb. Aurel. Victori.*

Agrestes & Latrones; *Eutrop.* Rusticani, id nomē sibi imponūt. [illegible]

IMP. C. L. ÆLIANVS. P. F. AVG.

&

IM. C. CN. AMANDVS. P. F. AVG.

Hujus igitur generis vis hominum, ubi ad faciendum impetum & seditionem animos obfirmavit, totis connisa viribus, amicos, hostes, arva, cultores, Galliam universam populatione ac tumultu confudit. Cujus rei fama

ad

ad Diocletianum perlata, ilicò Maximianum ad motus eos comprimendos, tum cæteris necessariis instruit militiæ rebus, tum in supplementum exercitus Thebæam legionem universam attribuit.

LXVIII. Maximianus in Galliam contra Bagaudas venit, adducta Thebæa legione.

Apud Octodurum copias lustrat & expiat.

Maximianus igitur omnibus copiis, per Peninas alpes ingressus, ubi aspera collium angustosque tramites emensum, amœna lætáque frondibus planicies excepit, quà per arctum eluctatus Rhodanus, Octodurum Veragrorum amplectitur; hic, ut erat gentilium superstitione cum primis illigatus, exercitum lustrare, & novis sibi devincire religionibus militem, pro disciplina fuit. Convocatos itaque in concionem, sacrificare omnes jubet; corámque in nomen & verba sua juratos adigit, non minùs fidelem fortémque imperio in Bagaudarum reprimendis armis, quàm in Christianis Deorum suorum inimicis ulciscendis, operam navaturos.

Sacrificare omnes jubet.

Thebæi litare Diis recusant. *Eucherius in actu, & Elmandus apud Sur. 10 Octobr.* * Zambda *dictus Baronio.*

Thebææ legionis conditio & religio.

Antiqua martyrol. omittunt Pontificis nomen, Eucherius expressit; sed dissonant anni, cum ad Bagaudarum tumultum venisse consentiant omnes exordio Maximiani, unde & Baronius fatetur se transiliisse lineas, cùm ad an. 297. certamen hoc differt.

Quod, cùm promptè obedientérque, ritè litato diis, cuncti adjurassent, sola legio Thebæa imperium aspernari visa. Hæc ab Oriente profecta, cùm vicinis Palæstinæ locis militiam haberet, ab Hierosolymorum * Antistite traditur ad Christianæ militiæ decus vehementer inflammata; & postquam Christo nomen dedit, ejus freta cœlesti armaturâ, bellicæ laudi, salutare dogma, fidémque sacram telis, armis, & quæ usui bello cæteris, anteferebat. Subjecisse quoque faces, narrant cùm istac iter erat, Pontificem Romanum (Marcellinum expressit Eucherius, at alii reticuêre nomen) utque in rectâ fide, constantes insistere vellent, acriùs eorum animos exstimulasse. His igitur vallati divinis tectique præsidiis, ubi de Maximiani instituto, nefarijsque sacris allatus est nuncius, ne scilicet tam impii sacramenti scelere sese obstringerent, aut vis imperii ulla Christi fidem violare subigeret, Octodurum prætergressi, inde octo millium itinere ultra tetendêre; & loco, cui nomen erat Agauno, regione propter Rhodanum amœna, fixêre castra.

LXIX. Thebæi declinantes impia sacra Agaunum contendũt.

Mauritius, Exuperius, Candidus Thebæorũ duces.

Præstabant inter duces & legionis magistratus, cùm insigni corporis, tum animi robore Mauritius Primicerius, Exuperius signifer, Candidus senator, viri militaris rei scientiâ quidem eminentes, at fide in Deum nobiliores. Hi, postquam missis ad legionem satellitibus, reverti ad sacrificandum diis ilicò omnes, & ad dicendum sacramentum adesse jussit, liberâ voce, at placidè responsum pro cæteris omnibus dedêre, se Christianos esse, & unum vivúmque Numen colere, atque, ut ad munia belli promptè & fortiter obeunda, nullum recusent pro populi Romani salute imperium, sic dæmonum aras, & cuncta sacrilegi; dedecora detestari, certúmque sibi, quam semel animis imbibissent religionem, non nisi cum vita deponere.

Decumari legionem jubet Maximianus.

Hoc nuntio Maximianus accepto, ratus contemni simul imperium, simul religionem suam illudi sperníque palam, à milite Christiano; iram ac furorem usque adeò non tenuit, ut, sanciendi gratiâ in cæteram multitudinem exempli, juberet legionem universam, more majorum, decumari. Inde reliquos convertere agmen retrò, & Octodurum reverti jussos, Mauritius, quæ apta tempori visa præsenti periculo, insigni oratione commilitones allocutus, ad mortem pro Christi nomine fortiter oppetendam, accendit; ipsis ante omnia gratulatus, quod indignâ suorum conspectâ nece, injuriam eam moderatè tulissent, & ab ulciscenda aversi, temperassent manibus. Ad extremum, Maximiani jussis quare sui parêre nequeant, ostendit.

LXX. S. Mauritii martyrium

Ergo flagrantior jam irâ Maximianus, iterum decimum quemque percuti jubet forte ductos; quo supplicii genere, & ipse Mauritius pro Christi nomine gloriosè perfunctus martyrum candidatus honores iniit. At verò, Mauritio extincto, signifer Exuperius, legionis afflictæ, ac bis decumatæ caussam impigrè suscipit. Cumque Maximiani nova mox mandata repetere militem Christianum Octodurum jubentis, superveniunt. Exuperius correptis legionis suæ signis, commilitonum & Mauritii in primis fortitudinem, & invictum animi robur commemorat, pulchræ mortis decus pro Christo toleratæ laudat, & simul ad integram victoriam, projici jubet arma; perpetiendo, non pugnando, victuros: inde funestum satellitem renuntiare Tyranno; stipendia quidem facere se sub Imperatore Romano, at Dei cœlorum regnatoris esse servum: illi militiam; at huic debere integritatem. Quamobrem facesserent jussis; se, ut Christianis noceant Christiani, maximum nefas ducere, & eligere potiùs innocentes interire, quàm noxios vivere; abjicere proinde jam tela; Maximianum exarmatas quidem dextras, at armatum fide Catholicâ pectus in Thebæo milite experturum.

S. Exuperii fortitudo.

Maximianus tam obfirmata ad necem accipiens Thebæorum pectora, nec spem ostendi ullam flectendi animos in proposito perstantium, excanduit vehementiùs; consiliúmque capit nefarium delendæ confestim universæ legionis. Nec quidquam fuit, quod Tyranni consilia retardaret, Thebæo vinci quàm vincere, & occidere quàm cædere longè paratiore. Ergo, ubi exercitu proficisci jusso, expeditos paratosque inermibus, & mortem in Christi causa beatam inhiantibus, circumjecit; ilico descensum ad cædes ac vulnera; datúsque sub ictum miles Christianus, & trucidatus ad satietatem.

Legio universa in Christi causa cæditur.

LXXI. Thebæi Thaurinenses XX. Novembris.

Huic Agaunensium palæstræ, an propriæ apud Taurinos adscribas non liquet, ejusdem legionis, ut ita dixerim, Primipilos; qui Augustæ Taurinorum regione Pedemontana, multis jam sæculorum ætatibus magnæ religionis salutísque famam obtinent, Octavium Solutorem & Adventorem; quos, ut Ennodius * Ticinensis versibus, ita Maximus Taurinensis sermone, celebravit. Ceterùm Agauno Martyrum cruore ad immortalem Thebææ legionis gloriam, hoc ferè ritu consecrato, præclaræ mox hujus victoriæ palma in Belgicam, Germaniámque secundam migravit, cujus regustandos hic jam fructus dabo, ubi de nostratium martyrum origine, seu cõditione, & quas ipsi causas habuerint ab aliorum se felici cõsortio sejungẽdi, strictim collocavero.

* *In Itinerario.*

Thebæi in Belgica martyriũ passi.

De Thebæis, Deverens. & Agrippinens. ad Ven. Fortunatũ primata.

Qui Thebææ legionis universum corpus subalpinis locis martyrio deletum tradunt, hi Thebæos, qui in Treviris & apud Rhenum

passi,

Thebæi Martyres ex qua Legione.

passi, ex aliis ordinibus scribunt allectos. Hinc Guidus Pancirolus celebris IC. & interpres Notitiæ dignitatum, ceu non ambiguus, haud scio, quâ fide vetustatis, pronunciat, milites hos Treverico martyrio illustres, ex diversa fuisse legione conscriptos. Enimverò, cùm urbi Bezabdæ defendendæ Legionem II.

Thebæorũ legiones variæ.

FLAVIAM ad Tigrin à Constantio Constantini F. traductam ex Ammiano observat, & eidem post ad Cussam, quod oppidum Thebaidos est, in Imperii Laterculo sub Duce Thebaidos adscribi stativa mox de hac legione,

Lib. 23.

An Treveris integra Legio cæsa, eaque Flavia, dicta

quam Constantiacam etiam appellavit Ammianus, ait, eam successisse SECUNDÆ THEBÆORUM Christianæ, quæ apud Treviros à Rictiovaro Maximiani Præfecto martyrio coronata. Quod de legione tota accidisse, ut non assentias, alienum tamen verò non videtur, ex Flavialium censu extitisse, quales à Vespasiani tempore in numeris fuere; & Thebæam à Thebaide, & orientalis limitis præsidio, cui & Elinandus adstipulatur, nominatam. Atque ex eo legionis hoc discrimen approbari quoque censeas, quòd ad hujus expeditionis impetum milites non modò Thebæi nominis, sed, ut Victoris exemplo docet Eucherius, & aliarum legionum, in quibus plurimi militârunt Christiani, in cruciatum dediti sint: quamobrem etiam Agrippinenses, Cohortem Maurorum ex Mauritania eò profectam, Thebæorum palæstræ annumerant.

LXXII. S Mauri aliique Milites extra Thebæos. Treverici & Agrippinenses Thebæi ex Cohortibus Legionis Mauritianæ Thebæorũ.

Verùm, quia hæc dijudicatio tam antiquæ memoriæ, testes flagitare videtur magis idoneos, retineri equidem malim eam narrationem, quæ Cohortes has omnes ejusdem legionis ad Carausianum bellum memorat à Maximiano sepositas, & præmissas in Galliam. Id quod Elinandus cum antiquis Codicibus attestari videtur: & Recentiores non tantum id more, sed tiranni ingenio quoque peculiari factum existimant; quo legionis ob religionem suspectæ robur, detractis fortium virorum manipulis, labefactaret. Caussam interim nullam hic video, cur Legionem hanc Thebæorum diffiteamur eam esse potuisse, cujus epigramma titulusque in Provinciarum Commentario signatè magis præscribitur. LEGIO. III. DIOCLETIANA. THEBIS numerata in Thematibus Orientalis imperii, sub dispositione Ducis vel Comitis Thebaidos.

Legio fortè hæc 3. Diocletianea.

LXXIII. Thebæorũ martyrum una tantum Legio.

Quippe, cùm una tantùm Thebæorũ Legio pro Christo cæsa, veterum monumentis literisque tradatur; & hujus nominis cæteræ, quæ in dignitatum Notitia numerantur, à posterioribus Augustis, ut ipsa indicat nomenclatio, conscriptæ lectæque sint, facilùs certè creditu eam, quæ & Thebis habita, ut inde Thebæa diceretur, & quæ Diocletiani auspiciis armata, ut Maximiano submitteretur, in hanc Gallicanam militiam transscriptam, quàm incertam quamvis aliam. Neque profectò laudatus à nobis Juris Sacerdos, quidquam habuit aliud dicere, quàm Thebæorum Legioni, quæ in Treviris coronata, successisse, II. FLAVIAM CONSTANTIACAM. & Mauritianæ, quæ Agauni pro Christo cæsa, successisse II. FELICEM VALENTIS, ambas cognomento Thebæas.

Rejectio G. Pancirolli, unde tantum asseritur.

At quis credat, ex quo detracta Limiti Orientis Thebæa Mauritiana, vacua isthæc Legionibus usque ad Constantii & Valentis ævum habita stativa. Potior ergo nobis horum fides sit, Cohortes has Trevericas & Agrippinenses selectas extitisse, distractasque ab unius Legionis corpore, cui Mauritius cùm imperio præfuit; à Maximiano verò missas in Galliam cum ceteris copiis, ad sedandos Carausii motus.

LXXIV. Carausii Menapii motus.

Porrò Carausius Menapiæ civis, vir fuit militiæ quàm domi clarior, ob rei navalis peritiam apud Bononiam, Eutropio teste, per tractum Armoricæ ac Belgicæ pacando Britannico mari præpositus, quod prædatoriis navigiis Saxones atque Franci, qui terram Bataviam advenæ tum hostes invaserant, habebant infestam. Hic belgicæ oram adversus barbarum piratam fortiter aliquamdiu tutatus, cùm multis ex eorum numero captis, prædam plerumque furtim averterit, suspicionem commovit Maximiano, consultò admitti ab eo barbaros, iisque impunè cum præda exceptis, publicam injuriam privatis ali cupidinibus.

Menapia. *Aurel. Victor. de Cæsar. Eutrop. lib. 9. Oros. l. 7. c. 25. Euseb. chron. ad 3. an. Diocletiani.*

Bataviæ insessores Saxones & Franci. *Panegyri ad Constantium.*

Maximianus igitur dum adhuc resistit in Alpibus cum exercitu, haud modicam præmittit militum manum, quæ Rheno secundo maturet, ad tollendum è medio Carausium. In his erant è Thebæa legione cohortes; quarum primam ducebant Tyrsus, Secundus, & Bonifacius: alteram Cassius, & Florentius; tertiam Gereon; Victor primicerius quartam. Namque Victori alteri & Urso, qui ad Salodorum oppidum Helvetiæ cum sociis diverterent, ab * Hyrtato præside Maximiani jussu ad mortem abreptis, iter institutum peragere haud licuit. Extant de his pereruditi Glareani versus.

Aurel. Victor. ab Herculeo cadi jussus.

M. S. vetust. ex bibliothec. S. Maximini, Tabula plumbea monumentum, Antiq. Martyrologia.

B. Ursus & Victor martyres Thebææ legionis apud Salodorum, vel Solodurum, Helvetiæ.

* Hirtaco: *In Panegyr. S. Eucherius Lugdunensis. Beda Martyr. 30. Septemb. Ado. Vienna. ac Sigebertus.*

Urbs quam Roma simul sociam, Trevirq; sororem
Appellent, Salodorum ingens, te scindit & ambit
Ipse Arola; en tibi sunt sacris Thebæa sepulcris
Corpora, quæ quondam è Nilo Memphiticus heros
Duxit in hoc Ursus cœlum, dum vita manebat;
Martyrii ut palmam, & dignos heroe triumphos
Acciperent omnes pro cari nomine Christi.

Cæteris verò, jam prono flumine in Belgicam delatis, Maximianus omnes Thebææ legionis urgeri reliquias, & ad supplicium, ubicunque locorum exquiri, recentibus ad Rictium Varum Belgicæ præsidem missis edictis, imperat. Itaque Tyrsus & Bonifacius Secundusque Trevirorum Augustam ingressi, famâ jam necis ubique divulgatâ, ubi Christianis sacramentis imbutas centurias constitit, ab optimatibus urbis, qui religionem plurimi tum sanctè, etsi non palam colebant, justis omnibus hospitalibus officiis perbenignè, pro ejus ævi caritate sunt accepti. Moderabatur Coloniam eo tempore Palmatius vir patricio genere, consulari seu Duumvirali honore clarus; in quo religio Christiana, ardorque fidei longè quidem fascibus omnibus anteibat.

Acta M. S. Trevir. Elinãdus apud Sur. vita S. Gereonis sub Udone Archiepiscopo reperta Tabula.

Tyrsus & Bonifacius Secundus, sociique Thebæi qua occasione Treviris passi.

Tebæi tectis recipiuntur ac mœnib. à primariis Christianis.

S Palmatius Consul Trevericæ reip. *Martyrol. & privata M. S. R. S. Paulini. D. Martini, Maximini.*

Rictius Varus, qui persequendarum cohortium ab Imperatore mandata acceperat, simul atque Trevirorum mœnibus successisse

Acta, tabula plumbea inscripta.
Rictiovari ingenium & conditio.

Rictius Varus Præfectus & Præses Belgicarum ac Nervici limitis.

Thebæum militem fama distulit, contento itinere advolat in Belgicam primam; Trevirimque quarto Nonas Octobris, cum parata satellitum manu, introiit. Fuit autem hic Varus homo dirus, & ad feritatem sitimque sanguinis innocui pessundatus, ita, ut à Maximiano carnificinæ Christianorum emptum mancipatúmque diceres. Eum Præfecti titulo jura Galliarum habuisse testantur acta Beati Quintini Martyris: at Præsidem fuisse non uno loco, vetera produnt martyrologia.

LXXV.
Nota ad Venant. Fortun.
Belgicæ carnificina.

Sunt etiam qui satis convenienter huic ævo Præfectum memorent Nervici an Ebruicani limitis. illud extra controversiam, in utraque Belgica passim eminenti cum imperio, ferale & cruentum insedisse tribunal, & clarissimis Belgarum urbibus Ambiani, Suessione Remis, Bellovaci, Treviris, Augustæ Veromanduorum atroces & spectabiles de Christianis insontibus sumpsisse pœnas. Nomen ejus, quod jungit usus, quia dirimi postulet Romana consuetudo, divisimus. Quid multa? Hic simul ac Treverim venit, mox occupato urbis loco tum frequentissimo, quem hodie rejectum in suburbana, veteres libri campum Martium celebrant, Idolomaniæ gentilium sedem, istuc advocatâ concione peregrinum militem accersiri jubet: is haud cunctanter obsecutus, cùm prodiisset: solemnis quæstio; ecquid ad sacrificandum diis Romanis animi habeat, & num ad Christianum nomen insectandum, & ipsi sint parati? Cui cùm Tyrsus dux, istoc tam nefando sacrilegio, & tantâ in Deum optimum parentem contumeliâ, respondisset, mortem sibi suisque jucundiorem fore; Varus, ut Christiano nomini jam dudum infensus, sternere confestim jubet non repugnates, ac ferro sævire in Thebæorum viscera præferocem satellitem. Nec mora, discurritur ad imperium tyranni, gaudétque cædibus innoxiorum satelles. Imbutis autem jam sanguine plurimo dextris, ad extremum interfectorum abjecta cadavera. Et Tyrsi quidem sociorúmque sacrati cespites, longè posteriùs à Felice Trevirorum Episcopo eum in locum exaggerati, quo loco ante mœnia hodie visitur religione, quàm opere magis verenda, Pauliniana Basilica. At Bonifacius cum martyribus cohortis suæ trecentis, propter pontem, qui Coloniam olim, interfluente Mosellâ, divisam jungebat, obscurâ, præ metu, sede locatus. Nec reliqua de Thebæis hospitio tectisque receptis interim cura decesserat. Luce igitur posterâ, comperto, nobilissimum quemque senatorum, mysteriis initiatum Christianis; accersiri Varus imperat urbis Augustæ Consulem Palmatium, sic eum acta vetera nuncupant. Is tam præclarâ lætatus occasione Christi fidem quam presserat hactenus, suo sanguine adfirmandi, nihil tergiversando recusandóque, Christianum esse se palam denunciat. Prærogativam Consulis consentienti voce secuti senatores; cui, cùm germanâ quadam unanimitate inhæsissent, ibi tum Palmatius cum Maxentio, Constantio, Crescentio, Justino, Leandro, Alexandro, Sotere, senatoribus collegis capitali animadversione punitus, insolitâ triumphi facie, reclusis suo sanguine cœli janus,

Rictius Varus, ita M. S. pro Rictiovarus.

Campus Martius, in quo Christi certamen obiere Martyres Treviri Thebæique.

Epigraphe sepulchri S. Felicis, & M. S. plerique.
Tyrsus colitur in æde D. Paulini, conditurq;.

Bonifacii sepultura apud pôtem Mosellæ.
Vit. B. Hildulph. M. S. duobus lib. biblioth. S. Maximini.
Bonifacii translatio ad S. Maximini ac deinde ad Medianû monasteria.
Tabula plumbea. Sigebert. in Chron.

S. Palmatii certamen 5 Oct. Marty.

Senatores Curiæ Trevirorum cum Palmatio passi.

tertio Non. Octobr. Dei templa invectus est. At majore certaminis mole ad eandem coorti palmam Hormisda, Papyrius, Constans, & Jovianus, viri Christianâ fortitudine æquè ac splendore natalium inclyti; qui cùm liberiùs Christum confiterentur, quàm crudelis tyranni ferre consuessent aures, variis jussi tormentis lacerari ad exemplum, tandem securi capite truncati, in plenæ confessionis laudibus exspirarunt.

IV. Viri illustres Treviris passi.

LXXVI.

Tertia inde lux orta, ut cœlestibus beatisque mentibus gratissima, ita Trevericis inquilinis læta, & in omnem sæculorum memoriam, gratulatione ac piis votis sæpe revocanda. Quippe Trevirorum Colonia cùm inde ab Euchari adventu, præstantium Episcoporum perpetuis vigiliis, curaque subactâ, maturis jam frugibus demum flavesceret ad messem, ut diuturnum laborem pensaret, uberrimo martyrii fructu, quo nihil lætiùs habet Ecclesia, se suaque omnia pro Christi nomine largè ac munificè profudit. Argumentis non obscuris didicerat Rictius Varus, religionem Christianam animos pervasisse multitudinis; adeoque hic radices egisse firmiores, quàm, quæ objecto terrore vel exemplis, quæ statuerat, evelli posset.

Tota civitas quâ Christiana martyrio coronata.

Quare ad lanienam progressus, pridie Non. Octobr. in omnem sexum ætatémque promiscuam, exercere cædem instituit. Quos igitur aut Christum colere Deum, suspicio vel proditio patefecit, aut quibus ultrò prodere religionem animus, hos omnes in unum convocatos, & ad sacrificandum moribus ejus sæculi compulsos, ubi tergiversari sensit, immissâ percussorum manu, lacerari ferro, strictisque mucronibus jugulari ceu victimas jussit. Luctuosissimum id Augustæ & liberæ civitatis oculis spectaculum, quando grandævos senes, matronas exactâ ætate, pueros ingenuos, virginesque, infantes etiam cum suis matribus per varias multiplicesque leti species tyrannicus ensis abstulit; & una eademque clades Christianum gregem involvens, cruciatu vario disjecit. Contecta martyrum stragibus squalebant compita, restagnansque latè sanguis flumen inundabat.

Trevirensis martyrum certamen.

At postquam acervis oppleri corporum, & Martyribus tumulum unda præbere cœpit, inter congestas altè truncatorum moles, ægro nixu, ceu pigrior incedens Mosella, & summis undis puniceo colore paulatim nitescens, passuum decem millia sanguinolentus iisse proditur, ad usque vetus & augustum sacellum, quod Martyrum appellatione celebre ante Noviomagi Constantiniani ingressum, devehentibus ripâ dextrâ hujus memoria cladis, sese offert visendum.

Acta Martyrum Victoris, Fusciani, & Gentiani, hoc deserti narrant.

LXXVII.
Sacellum limes Martyrum sanguinis.

Porro Martyrum horum incredibilem juxta virtutem ac innocentiam, ad diem sextum Octobris sub INNUMERABILIUM titulo, posteritas, gratâ memoriâ, prosequitur, ab annis ut apparet, paulò ampliùs septingentis; quippe Normannicis irruptionibus obscuratus illorum honos, clarissimâ inventione, majori iterum splendore, refulsit. Atque ex ejus inventionis actis præcipuam horum fidem adstruimus, quæ alium sibi locum deposcunt. Inscriptionis, quæ olim in martyrum conditoriis ab Udone clarissimo Trevirorum

Martyrum cultus quo tempore instauratus.

Sub Vdalr. Archiepisc. loco ut sup.

rorum Episcopo reperta, partem hanc in præsentia damus:

INGRESSVS EST AVTEM TREVIRIM RIOCTIOVARVS QVARTO NONAS OCTOBRIS. ET EADEM DIE OCCIDIT TYRSVM CVM SOCIIS. SEQVENTI AVTEM DIE PALMATIVM CVM ALIIS PRINCIPIBVS CIVITATIS. TERTIA VERO DIE CÆDEM EXERCVIT IN PLEBEM SEXVS VTRIVSQVE.

LXXVIII. Fusciani, Victorici & Gentiani memoria, *in Martyrol. ad 11. Decemb. M.S. ædis primariæ, & D. Matthiæ, Fuld. Biblioth.*

Illustre etiam hujus historiæ documentum habet Sanctorum Fusciani, Victorici & Gentiani passio vetus, & manu-scripta. *Rictiovarus*, inquit, *omnem potestatis vim suæ in Martyres expromens, ingressus Treverim civitatem, tantam in eam cædem exercuit, ut sanguinis rivuli defluentes in flumen aquæ permixti, eam in suum colorem converterent; & naturali claritate remotâ peregrino magis, quàm proprio colore eruberet. Inhumatis etiam tunc Sanctorum corporibus unda præbebat tumulum, quo redintegratâ compage membrorum, futuro ea repræsentarentur judicio.* Hucusque de Trevericis martyribus, quæ privatim hic asservantur, beatorum Fusciani, Victorici & Gentiani acta. At, quia clarissimi excessus admiratio, piorum olim sensus occupavit, reddendus publicè fuit Trevericæ fortitudini debitus honos. Unde in Martyrologiis hic iis inscriptus Trophæi loco titulus: TREVIRIS COMMEMORATIO INNVMERABILIVM PÆNE MARTYRVM, QVI IN PERSECVTIONE DIOCLETIANI SVB RICTIOVARO PRÆSIDE, OB CHRISTI FIDEM VARIO MORTIS GENERE NECATI SVNT. Addunt alii: QVI A CHRISTIANIS SEPVLTI, IMMENSÆ CAPACITATIS PVTEVM IMPLEVERVNT; SVPER QVEM POSTEA ÆDIFICATVM EST S. MAXIMINI MONASTERIVM. Agonem Trevericum, qui sic interpretantur, ut velint Martyres hos, Treviris instituta carnificina, ductos huc undique ad tribunalia, & à Rictio Vario damnatos; ii verò, privatis hujus Ecclesiæ monumentis destituti, nesciunt eam cladem ad solos urbis incolas pertinuisse; etsi ab hujus sæculi moribus non abhorret, aliunde in Treviros quoque perductos, cùm & in urbe Augusta Prætorium, ac Præsidis sedes, & tribunal sævitiæ Imperatorum jussu, erectum esset.

Ea quidem acta lucem aspexisse necdum apparet.

VI. Octob.

Martyres Trevirenses incolæ civitatis Trev.

Martyrol. Molani.

LXXIX. Eorũ multitudo defensa. *Martyrolog. Tertull. ad Scap. c. ult.*

Porrò, qui ultra fidem veri excedere multitudinem tantam existimant, tam immanibus se suppliciis obtulisse, illi res veteres si secum reputant; discent à Lugdunensi Colonia; & in Asia reperient exempla, ubi Christiani ex omni civitate manu facta, mortis oppetendæ circundedere tribunalia; ut territi multitudine Præsides, etiam à supplicio desisterent.

Senatorum aut Decurionũ supplicia.

Quod verò Jurisconsulti produnt, ex Decurionum ordine, senatu, aut curia Coloniæ, neminem graviore pœnâ affici, nedum capite puniri potuisse à Præside, id in causâ majestatis & religionis non processisse viris amplissimis, multa docent. Quin & leges hic, non privilegia valebant, pœnæque spectabiles, quas recentium edictorum accendebat atrocitas.

Consule M. Velse. 3. rer. Aug.

LXXX. S. Palmatius quomodo dictus consul.

Et veri simile, propria quoque à Principe jussa data de Palmatio, & Senatoribus aliis, sive enim Duumviratu Palmatius, qui maximi inter colonicos & municipales magistratus, sive Consulari dignitate præcelluit, sanè in tantæ civitatis luce, nomen ejus obscurum esse non potuit. Consulem autem salutare cum ex actis vetustis, seu relatione martyrii non, vereor. Etenim prætexta fascibus, imò Consulum nomine quoque Duumviros usos, eruditi non diffitentur. Et Ausonius Burdigalæ, principem in curia locum domi, Romæ Consulatum adeptus de se canebat:

Liv. 34. Apul. l. 10. Acad. l. 10 C. tit. 31. l. 31. Auson. in Burdig.

Diligo Burdigalā; Romam colo; civis in hac sum,
Consul in ambabus.

Alii, *Consul in hac sum, civis in ambabus*, feliciore conjectura, quàm exemplarium fide.

Nec desit etiam aliunde, quo Consulatum Palmatio deferas, cùm & ordinis Romæ senatorii, & inter Consules extraordinarios, quomodo multi hoc tempore, numerari potuit. aut etiam per tyrannos, divisis nuper ab imperio Galliis, hæc ad Duumvirûm splendorem Consularis accessio arrepsit; cùm Urbis dominæ imitatione, non pauca municipales, indulgentiâ Principum, ad se traherent, dictaturam, censuram, fascium splendorem, ac potestatem ubiubi, cur non & titulos? usurpantes. Quo modo de se iterum gloriatur Aquitanus ille Consul & Vates:

Phil. Bertr. Tirbon. diatrib. l. c. X.

Curia me duplex, & uterque Senatus habebat
Muneris exortem, nomine participem.

Edyll. 30.

LXXXI. Thebæi milites porrò affecti martyrio Bonnæ.

Sed hinc jam ad Rhenum martyres usque prosequi juvet. ubi sese Bonna offert, nobile Germaniæ II. oppidum, quo nimirum ejusdem persecutionis turbine pars militum Thebæorum acti dispersique, pro Christo martyres item capite luerunt, Cassio & Florentio ducibus, quorum ad X. Octobris annuus honor recurrit. Et, quoniam Agrippinensium Coloniæ tam vicini sumus, non præteriero Sanctos illos verè aureos B. Gereonis ducatu constantiáque motos, qui cum aliquot è Mauritania manipulis in eadem Christi pugna gloriosè militarunt. Quibus annumerandi denique Victor, sociique martyres; qui cum Primicerio suo trecenti triginta, in territorio Agrippinensium, apud Coloniam Traianam seu Ulpia castra, quæ sæpe celebravimus, atroci cæde crudeliter afflicti, oppido Sanctorum in Clivia, peperêre nomen.

Coloniæ. *Greg. Turon. mirac. l. 2. c. 62 Helpn. ap. Sur. 5. Octobr.* ubi de die quo passi, an idem vel diversus.

Martyrol. Herman. C. Nucnar. Ciment. Gall. Belg. & Steph. Pigh. in Her. Prodic.

Sanctis. Bagaudæ domiti.

Porrò hoc sanguinis Christiani libamento Maximianus nequaquam expletus, infelicium Bagaudarum capitibus jam imminebat. Copiis ergo in Galliam interiorem portatis, vagam & imbellem in medio manum undique lacessere cœpit. At Bagaudas ad sustinendum justi belli impetum; cùm haud magis vires quàm militaris rei scientiâ continuò deficerent; levibus fracti prœliis à Maximiano, fusique, Ductoribus exstinctis, ad imperium atque deditionem mox revocati.

LXXXII. Germanorum novi motus.

Agrestium hoc furore vix represso, magno cum tumultu Germaniæ trans Rhenum gen-

Memorias panegyricus Mamertinus ad Maximianum.

tes ad bellum conſurrexêre, perruptisque Rheni clauſtris, Maximiano fruſtra terrorem procul oſtentante, prædas hominum pecorúmque egêre. Maximianum attipites inter hæc belli curæ multifariam diſtrahebant; hinc enim infenſi Germanorum populi variis locis grege facto, ferociùs inſultabant; illinc Carauſius è Britannia diademate jam ſumpto, infeſtâ claſſe imminebat. Neque in his publicè ſolicitudinis incrementis, Orientis turbæ conſiſtere, patiebantur animo Diocletianum.

LXXXIII. Trev. Augustæ faſtigium barbarorum frequenti incurſu, altius ſurrexit, Imperatoribus jam inde domicilium hic locantibus.

At Treverorum Auguſta Colonia ex crebris his Germanorum irruptionibus ampliſſimam adepta creſcendi materiem, dici non poteſt, propter oportunitatem, aut in arma machinationes, & tormenta copiis Romanis ſupportanda, aut in commeatus limitaneo militi per omne tempus expediendos, quantâ majeſtate & amplitudine caput extulerit; Palatiis ſublimile tectisque ſive publicis ſive privatis hic ſurgentibus, non ad varios commeantium undique tantùm uſus, ſed etiam ad Imperatorum in poſterum belli ſedem domiciliúmque pacis figentium, amœnitatem ac religionem. Reſpexit huc nempe Conſularis Poëta, ut neque ab hoc ævo magnis intervallis remotus, ita Trevericarum rerum ſcientiſſimus:

Armipotens dudum celebrari Gallia geſtit:
Trevericaq; urbis ſolium, quæ proxima Rheno,
Pacis ut in mediæ gremio, ſecura quieſcit.
*Imperii vires quod alit, quod veſtit, & * armat.*
Lata per extentum procurrunt mœnia collem.
Largus tranquillo prælabitur amne Moſella,
Longinqua omnigenæ vectans commercia terræ.

Auſon. in claris urbibus.

* ornat.

Treveris armorum officinis, horreum exercitus Rom. Treveris commercio Romanis orbis florentiſſima.

Ex quo igitur Treviram eſſe domicilium Gallicani imperii, & ceu clauſtrum ad cohibendos Germanicos tumultus opponi placuit; Imperatores hic velut in arce & ſpecula quadam ſederunt, unde promptiſſimus ad omnem levìſſimum etiam hoſtis motum eſſet excurſus, & perinde facilis ad gerendum bellum copia. Quid? unius civitatis corpus Imperii vires alere, veſtire, armare, quantum eſt? Sicilia inſula quàm ferax, locuples, & utilis Reipublicæ Romanæ, tam à * M. Tullio laudata, quòd orbi victoribus pro cella penaria, pro nutrice plebis, pro militum ærario eſſet; &, quia maximos, inquit, exercitus noſtros veſtivit, aluit, * armavit. Eandem hic vides laudem in Trevirorum Auguſtam uno ore, ſententiâque à Poëta tranſmitti. Index autem hujus frequentiæ militaris, & præſentiæ Imperatorum multiplex Maximiani moneta & collegæ conſortis; quâ nulla ferè Treviris effoditur frequentior; cujus hic ſpecimē damus.

Aufonius verſu comparata.

* Lib. 3. actionis in Ver. [illegible] Treveris cum Sicilia comparata.

* ornavit.

[illegible]

Ad hæc crebrà panegyri, ludorum & munerum editione, nuncupatione votorum, & triumphorum celebritate, Rhetorum laudantibus, provincialium undique confluentium & legatorum concurſatione Colonia mirabiliter ornari, & luce quadam ſuâ exſplendeſcere cœpit.

LXXXIV. Panegyrici Treviris declamati.

Et quia panegyrici ſermones deinceps ab Oratorum Galliæ præſtantiſſimis diverſis, in publica Treverici ſenatus populique lætitia, coram Imperatoribus Romanis habiti; ex his ipſis huic urbi propriis, ſi quid delibare apum more aggredimur, neque exemplum ſcio deerit, neque approbatio, uti ſpero quidem. Namque, ut illa Cœlii Lactantii olim nobis ſederit ad cautionem, apud Reges etiam malos, panegyricis mendaciibus adulari conſueſſe Rhetores; ſic ex hoc oratorio fuco veri ſcintillæ quædam emicant, quæ mirè faciunt ad pellendam horum temporum caliginem.

Lactant. Lib. divin. instit. cap. 11.

Maximianus in omnia tūc Germanorum conſilia intentus, tandem apud Treviros explicato belli adparatu, Burgundiones & Alemannos peſte atque inediâ, duobus acerrimis & domeſticis conflictatos hoſtibus, ſponte ire ad interitum comperit.

LXXXV. Maximianus a Treviris [illegible]

Quamobrem his omiſſis, cum parte copiarum ipſe contra Chaibones & Herulos proficiſcitur, quos juxta Mœotidas paludes locis ſtagnantibus primùm exceſſiſſe teſtatur Ablavius. Expeditionem illam Mamertinus in hunc ferè modum Treviris peroravit: *Quod verò ſtatim, vix dum miſero illo* (Bagaudarum) *furore ſopito, cùm omnes barbaræ nationes excidium univerſæ Galliæ minarentur, neque ſolùm Burgundiones & Alemanni, ſed etiam Chaibones, Heruliq; viribus primi barbarorum, locis ultimi, præcipiti impetu in has provincias irruiſſent, quis Deus tam inſperatam ſalutem nobis attuliſſet, niſi tu adfuiſſes? Tu*

*enim divinæ providentiæ, Imp. consilio prius quam vi, bellum gerendum ratus, cæteros quidem perduelles; quibus ipsa pestifera multitudo, ire passus es in profundam famem, & ex fame in pestilentiam; mox ad triumphi ornamenta capienda militum manibus usurus: Chaibones tamen, Herulosq; non dignatus pariter * perdere. Atq; , ut interim divina virtus tuâ exercitatione solitâ non careret, aperto Marte, atque uno impetu perculisti, non universo ad id prælium usus exercitu, sed paucis cohortibus. Quid enim opus erat multitudine, cùm ipse pugnares? ipse omnibus locis totaq; acie dimicares? Ipsi hosti undique, & quà resisteret, & quà cederet, & quà fugeret, * occurreres? erroremq; adversariis pariter, ac tuis faceres: cùm neque te barbari unum putarent, neque milites non dico stipatione atque comitatu, sed saltem oculis sequi possent; * toto quippe prælio ferebare, non aliter quàm magnus amnis solet hybernis imbribus auctus, & nivibus passim fluere, quà campus est. Ita cuncti Chaibones, Heruliq; , cuncti tantâ internecione cæsi, interfectiq; sunt; ut exstinctos eos, relictis domi conjugibus, ac matribus, non profugus aliquis è prælio, sed victoria tuæ gloria nunciaret.*

* prodere. * occurrere * tanto

Chaibones Heruliqué deleti.

LXXXVI. Marcellus Trevirorum Episcopus per hos etiam dies fortiter pro Christo luctatus, sanguine in martyrii arena profuso, viam in cœlum sibi muniit. Vindicatus ipse, & in cœlestium numero repositus, colitur pridie Nonas Septembris. Ejus in locum anno sequenti Antistes surrogatus, * METROPOLUS; quo anno Maximianus Imperator Treviris alterum Consulatum iniit, urbémque, insolitâ quadam religionum specie, & inexspectatæ victoriæ lætitiâ complevit.

M. S. & Martyrol. 4. Sept.

ANNUS CHR. 287. METROPOLUS XXI. EPISC. *Con. Chron. circa tempora Eutichiani.*

Maximianus Trevir. Coss. capessit.

Celebrari tum quoque primùm Treviris cœpta Imperatorum vota solemnia; quæ consuetudo, cum sæpius per lustra, decenniaque; & longiora spatia, ab principibus etiam Christianis, Treviris incepta sit & instaurata; pro instituto paucis de Votorum nuncupatione disserendum est. Ea igitur nil aliud, quàm publicæ preces; quæ gentilium superstitione contaminatis, aut victimâ cædendâ, libandoque cum thure vino, vel adolendis aris, atque alio id genus nefario religionis adparatu: Christianis verò innoxiâ puraque apud Deum flagitatione, peragebantur. Summa votorum istæc admodum; ut principes quidem Numini sese obstringerent, si in quinquennium decenniúmque quàm felicissimè domi militiæque degissent: cæteri verò precarentur Imperatoribus serum, florens, & prosperum imperium, domum sospitem, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, Remp. incolumem, orbem quietum: quæ ferme à Tertulliano formula est.

Votorum nuncupatio in Treviris ab Impp. fieri consueta, qua de re I. Lips. ad annal. 16. Tac. accuratè.

Vota quid? *Tacit. 4. annal. & 15. Plin. in Panegyr. Traja. Tertull. in Apolog. & lib. de corona militis.*

Vota christ. rei

LXXXVII. Suscipi verò hæc, & frequentari supplicia III. Non. Januarii, non in capitoliis modò, verùm & in castris apud signa, quæ militiæ perquàm erant religiosa, moribus Romanis usitatum. Id quod in Tertulliano fugit eos, qui, castrorum quæ oportuit, ubi signa venerabantur, domus vel imperii principia sunt interpretati. At, cui Tertulliani ipsius displiceant verba? *Ecce annua*, inquit, *votorum nuncupatio, quid videtur? Prima in principiis, secunda in capitoliis. Accipe post loca, & verba. Hunc tibi Iupiter bovem cornibus auro decoratis vovemus esse facturum.* Jam vero certis etiam has preces verbis conceptas, ut in tabulas incidebant, & signabant Ethnici; sic Christianis Principibus mos, ut plurimùm, numismatis, cujusmodi in Treviris etiamnum eruuntur, imprimere. Porro totius instituti origo ab Augusto fluxit; is enim, cùm specie recusantis pedetentim ceu per gradus insurgeret, imperii summam in quinquennia decenniaque carpens, quò cederent prosperè futura, sollenni nuncupatione conscriptis paratisque tabulis, se voti reum his temporum intervallis faciebat; quam deinde consuetudinem retinuisse posteros, licet regnandi per omnem vitam securos, non tacuit Dio Cassius.

Vota ubi suscipi solita. *Plut. in Cic. Capitol. in Pertinace.*

Pamel. in Annot. ad lib. de corona milit. annot. 155. Baron. tom. 3. an. 315.

Votorum formula.

alii *futurum*; sed perplacet *Lipsii* [illegible].

Vota tabulis & nummis incisa. *Sueton. in Aug. c. 97. Plin. l. 10. ep. ad Tra. c. 44. Dio Cass. l. 53. sub med.*

Votorum origo. *Suet. in Aug. c. 97.*

Diem autem votorum celebritati dicatum, sacris, & omnium generum ludis; tum publicâ præsertim lætitiâ ac gratulatione, populus ac miles juxta laureatus exigebant; & cujus Tertullianum autorem habemus, focos & * thoros educere in publicum, vicatim epulari, civitatem tabernæ habitu * abolefacere, vino lutum cogere, catervatim cursitare ad injurias, ad impudentias, ad libidinis illecebras, laureis obumbrare postes, & lucernis diem infringere, cuncta honesta ac inhonesta dare principum honoribus. Ipsi verò Principes, molestis levandis oneribus accendere publicam hilaritatem; nam & tributa remittere, & redeuntes in orbem pensiones, & nominum circumcidere reliquias, & postremò laxare carceres vinctosque mittere. Atque ex his satis liquet, quid Principum panegyres sibi velint, & editiones ludorum, quos hâc ætate quinquennalium, decennalium & vicennalium nomine commendatos dederunt, cum publicis votis eodem numero signatis. Huic Votorum celebritati insistebat Treviris Maximianus; cùm turbidis ilicò nunciis allatum est, feroces Alemannorum catervas per duratum glacie Rhenum, vicinum persultare Galliarum agrum.

Votorum celebritas, ob ludorum & munerũ editiones remissionesq; tributorũ. *Tertull. de corona. In Apol. cap. 35.*

* *al.* choros. * *al.* obolefacere.

Iosiph. Scal. l. 5. de emendat. temp.

Panegyres votorum.

LXXXVIII. Maximianus omnes extemplo rumpens pacis cogitationes, accepto spatio vix quod prætextæ paludamento mutandæ satis foret, egressus Treviris, confestim se suósque incitat in * hostem: & incredibili celeritate, re fortiter gestâ, barbarisque trans Rhenum redire compulsis, lætus ovánsque urbem hanc Augustam victor introiit; quam ipse de sua incolumitate ac belli eventu vehementer solicitam, quanto mox oborto gaudio impleverit, Mamertinus Orator Belga, nitido sermonis genere perstrinxit: *Illum * tuum primum consulatus tui auspicalem diem, tacitus præterire nullo modo possum; quo tu solus omnium consecutus es, ut quod tempus antea incipiendis tantummodo rebus aptum videbatur, tunc primùm potuerit sufficere peragendis; unoq; sol curriculo suo, eoq; brevissimo, & officia te Consulis inchoantem * videret, & Imperatoris implentem. Vidimus te, Cæsar, eodem die pro Republica & vota suscipere, & * conjuncta debere. & intervallo. vidimus, te eodem die in clarissimo patris habitu, & in pulcherrimo virtutis ornatu. Bonâ veniâ Deûm dixerim ne Iupiter quidem ipse tantâ celeritate faciem cœli sui variat, quàm facilè tu, Imperator * togam prætextam*

Maximiani expeditio in Germanos.

Maximianus victor ab expedit. Germ. Trevirim * ingreditur. *Paneg. Maximiano dictus.*

* *tamen*

* *Consilio delere.*

* *totam; sed togam præstat.*

assumpto thorace mutasti, hastam posito scipione rapuisti; è tribunali temet in campum, à curuli in equum temet transtulisti; & rursus ex acie cum triumpho rediisti, totamque hanc urbem repentinâ tuâ subitâ eruptione solicitam, lætitiâ, & exultatione, & aris flagrantibus, & sacrificiis, & accensis odoribus numini tuo, implevisti: ita utroque illius diei superiore tempore bis divina res pari religione celebrata est: Jovi, dum pro futuris vovetur; tibi, dum pro victoria solvitur.

Treverorũ in Imp. adventum publica gratulatio.

LXXXIX. Treverica resp. perfuit in gratulatione.

Maximianus, recreatis post hæc suorum è prælio viribus, novo inde adparatu hostem prior ipse ultimandæ salutis aggredi occupat, atque trans Rhenum copiis deportatis, Germanos suis in finibus ac sedibus opprimit; vastatione, præliis, cædibus, ferro, igniquè, regione, quà latissimè patet, peragrata. Hujus victoriæ fructum Treverisque cum primis urbi gratulatur Claudius Mamertinus. *Exinde igitur, inquit, salvâ anime, ac libero sumus; licet Rhenus arescat, tenuiq; lapsu, vix leves calculos perspicuo vado pellat; nullus inde metus est. Quicquid ultra Rhenum prospicio, Romanum est. Sic illa quondam Romanæ potentiæ diu æmula, & inimica Carthago, à P. Scipione devicta est, cum is, trajecto in Africam exercitu, Hannibalem ab Italiæ vastatione revocavit. Audieras hoc Imp. an ipsa per te divinâ tuâ mente * prospexeras? ita demum hostes funditus posse subverti, si in propriis sedibus vincerentur; nec prædam modo quam cepissent, amitterent, sed ipsi conjuges, & liberos, & parentes suos, & carissima omnia capta mærerent?*

Nova Maximiani in Germanos expeditio.

Mamert. in Paneg.

* al. prosp.

Annum inde sequentem, Maximianus cùm Galliæ constituendis rebus dedisset: postero, frigore asperrimo, & cœlo Galliarum nubilo, Mediolanum prodiit; ibique Diocletianum consortem ex ante præparato nactus, multa super imperii dignitate atque salute, cujus partitas inter se curas uterque molem sustinebat, ambo tum in commune consultantes; tum invicem rogitantes, mox ad suam quisque tuendam provinciam rediere.

ANNUS Chr. 288. 289.

[illegible]

XC. Maximianus Treviris Mediolanũ petit.

Et Maximianus [illegible], cùm annus communis imperii jam procederet quintus, novâ quinquennalium votorum celebritate, Trevirorum Augustam implevit; sed & Trevericum agrum spatiosum certè tum, ac vastum ab natura & humano cultu, æquè collium asperitate, ac densitate nemorum, ad exhauriendum præcipua Germaniæ robora, peregrinitate colonorum opplevit. Gennebon erat Francorum Rex, qui nuper Batavia suam in potestatem redactâ, Carausio tyranno vires, nationesque conciliarat. Is à Maximiano lacessitus prælio, ut incumbentis vim belli ægrè à se suisque sustineri demum animadvertit, ad pacem ultro petendam accessit; nec eam in præsentia quidem impetrant. At Gennebon, qui tædio rerum adversarum omnia bello potiora duceret, nunquam integrâ auctoritate regnaturum se, nisi Maximiano placato, sciens, pacem hoc iterum anno amicitiámque postulavit, quâ tandem impetratâ, Franci, quos ipse in Galliam, Maximiani jussu adduxerat, in Trevirorum ac Nerviorum agros ad culturam, usumque Reip. dati atque distributi. Sicque non raro alienigenas homines cum indigenis,

Vota quinquennalia Treviris solvit.

Trevericus ager Francicis, ut alias Sicambrico colono, frequentatus.

Gennebon Francorum rex Bataviæ dominus.

Paneg. Maximiano Aug. [illegible]

quando levandi temporis certæ causæ conjungere ac permiscere solent, veræ germanæque semper latent indiscreta confusione, gentium origines.

Anno qui sequitur, post vindicem assertorémque salutis unicum humano generi natum ducentesimus nonagesimus, natalitia Maximiani, ipso præsente, Treviris incredibili civium gaudio; ac magnificentiâ, celebrata. Ornavit illius diei pompam, luculenta oratione Mamertinus, quem sæpè diximus; & Imperatorum res gestas memorabiles, eorúmque fortia facta, in augusto cohortis palatinæ, necnon curulium urbis magistratuum consensu disertè, modò fœdissima abesset assentatio, exposuit. At, quia doctorum hæc ipsa manibus passim excutiuntur, iis in seriem temerè congerendis, ni provehant institutum, libenter sanè supersedemus. Præconiis Diocletiani & Maximiani tam immani feritate in Christianos hostium, præsertim immodicis, quisquis adhuc capitur, ipsos per me licet adulatores adeat, & desiderium ibi restinguat suum.

ANNUS Chr. 290.

XCI. Treviris Maximiani celebratus natalis

Mamertinus oratione Treviris laudat Maximianum.

Illud haud parùm meâ quidem sententiâ multis factis judicium præponderat, quo Maximianus dignum censuit Constantium Chlorum, Eutropio nobilissimo gentis Dardanæ satum, qui in imperium sumeretur, & Reipublicæ moderandæ acciperet societatem. Etenim Trebellius Pollio cum Claudio Imperatori negat ullos fuisse liberos, Constantium narrat ex Crispi fratris Claudii Imperatoris filia Claudia, & Eutropio Dardano progenitum. Et verò ad capiunda gubernacula summæ rei, præter claritudinem generis, Constantio alia omnia abundè erant; justitiæ ac moderationis integra fama, rei bellicæ magna peritia, animus militiæ juxta togæque strenuus, ut qui in Republica & armis pari industriâ fidéque jam diu ita esset versatus, ut illo vir nemo melior videretur; juréque Maxentio Maximiani filio prælatus, à Dalmatiæ præfectura, gradum faceret ad supremi fastigium honoris.

Trebell. Pol. in Claud. Fl. Vopisc. in Carino.

Fl. Valer. Constantius Constantius P. assumitur ad curas imperii.

Constantii genus.

Constantii eximiæ dotes.

Itaque anno, qui proximè hinc est consecutus, Tiberiano & Cassio Dione consulatum jam ingressis, Diocletianus & Maximianus, ad imperii majestatem tuéndam, raro quodam & insolito voluntatis animorúmque concentu, uterque filios adoptarunt, ut quos admotos spei suæ, Cæsarésque consalutatos, artibus regnandi ac præceptis instruerent, & consilio ac autoritate regerent. * Diocletianus quidem Galerium Maximianum Dacum, Maximianus Fl. Constantium assumpsit; quo vero arctiùs ambos haberent obnoxios & irretitos, datis uxoribus ex suo quisque sanguine, quas visum, impiè prioribus ac legitimis renunciare jubent.

ANNUS Chr. 291.

XCII. Fl. Constantius & Galerius Maximianus Cæsares assumpti.

* Constantius & Galerius Imperat. 13. annis.

Atque ita * D. Flaviæ Helenæ Augustæ uxori, quod, præ concubina, maluerunt plerique veterum, Theodora Maximiani privigna superinducta. Constantius autem, ut cui continentiæ ac fortitudinis laus, & artes omnes bonæ ad id nimirum superarent, quo Galliam à barbaris adhuc immaniter vexatam, pacis & concordiæ fructu bearet, Romanisque legibus primo quoque tempore redderet; quam mox à Maximiano in Gallias reversus ex Italia,

* Helena Augusta legitima uxor Constantii.

Helenam non fuisse concubinam sed uxorem.

contrahere

Digitized by Google

producunt Cedrenus & Zonar. Tom. 3 annal. fuse Baronius Paneg. Vip. in Catino

c Côstantius impiger in asserenda Galliarum securitate

d Gessoriacum vel Gelori pagus.

e Paneg. adscript. Eumenio: Constantio & Maximiano dictus: sub falso titulo Constantini.

* secisti.

contrahere exercitus, instruere navales copias, mari Britannico se committere potuit, ad d Gessoriaci pagi tractum, qui in extremis Belgis, Bononienti littori prætenditur, copias terrestres navalesque traduxit; & e Gessoriacum ejus regionis portu nobili instructum oppidum, quod à Carausi factione piratica tenebatur, famâ citiùs occupasse, quàm armis circumdedisse increbuit. Vnde Æduus Orator quispiam dixit: *Statim Gallias tuas, Cæsar, veniendo * vicisti; siquidem illa celeritas, qua omnes ortus atque adventus tui nuncios prævertisti, cepit oppressam Gessoriacensibus muris, pertinacem tunc errore misero manum piraticæ factionis, atque illis olim mari fretis alluente, portus ademit.*

XCIII. Constantii res in Belgica feliciter terra marique gestæ.

Inde verò, cùm redacto in potestatem portu, Carausium imperio maritimo exigere simul tentat, singularis ibi tum Constantii providentia, & par consilio effectus apparuit; cùm omnem illum portus sinum, quem statis vicibus æstus alternat, defixis in aditu trabibus, ingestisque saxis, invium navibus reddidit; atque ipsam loci naturam admirabili ratione superavit. Ubi tamen deinde cum Carausii copiis, quæ littus insederant Bononiense, feliciter in Normannica Belgica concursum est, reciprocus ac status æstus ex alto sese incitans in molem, crebris fluctibus verberatas operis compages laxavit; & mox interfluens unda, universam abrupit saxorum struem, ut nemo dubitaret portum illum, qui piratæ, ne suis opem ferret, occlusus, Constantio Cæsari ad victoriam sponte patuisse.

Constantius vastata Batavia Francos mitigat.

Belgicæ ora ad hunc modum pacata, ad Bataviam insulam Francorum colluvie exhauriendam arma viresque translatæ. At gentem eam solo penè nominis terrore perculsam, cùm neque cubilia, fraudesque locorum, nec ulla silvarum perfugia satis texissent, in deditionem multiplex cædes, & agris circumlata vastitas adduxit.

XCIV. Gallia Belgica novis habitatoribus impleta

Captiva agmina barbarorum.

* al. Francorum.

Mirum quàm omnes Belgicæ solitudines, hæc nova colonorum examina deinde frequentarint, quàm latè Galliæ solum novis ubique sedibus complexa sint: *Videmus*, Panegyrista ait Æduus, *totis porticibus civitatum sedere captiva agmina * barbarorum; viros attonita feritate trepidantes, respicientes anus ignaviam filiorum, nuptas maritorum copulatas vinculis, pueros ac puellas familiari murmure blandientes, atque hos omnes provincialibus vestris ad obsequium distributos, donec ad destinatos sibi cultus solitudinum ducerentur. Insultare, Hercule, communi Galliarum nomine libet, quod pace vestrâ loquar, ipsis triumphum * assignastis provinciis. Arat ergo nunc mihi * Chaucus; & Frisius; & ille vagus, ille prædator exercitio squalidus operatur, & frequentat nundinas meas, corpore venali, & cultor barbarus laxat annonam. Quin etiam, si ad delectum vocetur, accurrit, & obsequiis territur, & tergo coërcetur, & servire se militiâ gratulatur.*

*al. assignatis, ut fortè desit, plausus vel simile quid.

* Chamavus & Frisius, alii Chamavus.

Victi Barbari in Galliæ Belgicæ primæ secundæque regiones descripti.

Ceterùm in quos præsertim agros advena descriptus immigrarit, fine panegyrici prodidit Orator: *Itaque sicuti pridem tuo* ait, *Diocletiane Auguste, jussu, supplevit deserta Thraciæ, translatis incolis, Asia; & sicut postea tuo, Maximiane Auguste, nutu, * Nerviorum & Trevirorum arva jacentia lætus postliminio restitutus, & receptus in leges Francus excoluit; ita nunc per victorias tuas, Constanti Cæsar invicte, quicquid infrequens Ambiano, & Bellovaco, & Tricassino solo, Lingonicoq; restabat, * barbaro cultore revirescit.*

* Nervirum.

* Baron. in qua voce Pithæus, multa. Adv. subsec. l. 3. c. 8.

ANNUS CHR. 292.

Ver anni posteri Trevirorum Augustæ lætissimum duplici nomine fuit, quod cùm immodica siccitas contra cœli hujus naturam, perennem Mosellæ cursum impedisset; fontes rivósque penuria divexasset, aperiente se hoc anni tempore, imbribus optatis omnia demum permaduerint; & undis jam inflata suis Mosella, gratissimum nautis cursum, & felicem cùm ad Britannicam expeditionem, tum omnem materiam navalem Imperatoribus usum reddidit. At gemino dein urbs recreata lætitiæ fructu, cùm Maximianus Augustus & Constantius Cæsar inter ipsum armorum & navalium copiarum adparatum XI. Kalend. Maii urbis Romæ Natalem, effuso Treverici populi gaudio, celebrarunt.

XCV. Treviris à Maximiano & Constantio, V. Romæ natalis celebratur.

Quo die cùm a Mamertinus Orator ad utriusque Principis laudem, & virtutis bellicæ præconium, multa pro concione dixit, tum de ipso adparatûs genere, & insolitâ cœli Treverici mollicie, non pauca tetigit, quæ cùm propriè nostra sint haud opinor, interdicto unde vi restituendis, opus erit. *Vestra*, inquit, *felicitatis est, quod jam milites ad oceanum pervenere victoriâ, jam cæsorum in illo littore hostium sanguinem reciproci fluctus sorbuerunt. Quid nunc animi habet ille pirata, cùm fretum illud, quo solo mortem suam hucusque remoratus est, penè vestros exercitus videat ingressos, oblitosq; navium mare refugum sequutos esse; quà cederet? quam nunc insulam remotiorem, quem altum sibi optet Oceanum? quo denique pacto effugere pœnas Reipublicæ potest, nisi si haustu terræ devoretur, aut turbine aliquo in devia saxa rapiatur. Ædificatæ sunt, ornataq; pulcherrimæ classes, cunctis simul amnibus Oceanum petituræ. neque solùm ad perficiendas eas certatim homines laborarunt; sed etiam ad excipiendas flumina repentè creverunt. Toto fermè anno, Imperator, quo tibi opus erat serenitate, ut navalia texerentur; ut trabes cæderentur; ut artificum animi vigerent; ut manus ne torpescerent; nullus ferè dies imbre fœdatus est; hiems ipsa veris temperiem imitata est. Iam non Septentrionis nos putavimus, sed quasi translatis sideribus aut terris, meridiani cæli clementiam sensimus. Fluvius hic noster, diu pluviarum pabulo carens, impatiens erat navium, solam navalibus tuis materiam devehebat. Ecce autem subito, cùm deduci liburnas oporteret, tibi uberes fontes terra submisit, tibi largos imbres Iupiter fudit, tibi totis fluminum alveis Oceanus redundavit. ita in aquas sponte subeuntes impetum navigia fecerunt, leni modo commota nixu ducentium. Facilè itaque quivis intelligit, imperator, quàm prosperi te successus in re maritima sequuturi sint, cùm jam sic tempestatum opportunitas obsequatur.* Inde ad Romam conversus Mamertinus, æquè eleganti atque callidâ fictione Augustæ Trevericæ deprecari se simulat invidiam. *Interim tamen*, ait, *te gentium Domina, quoniam hunc optimum principem in Galliis suis retinet ratio Reip. quæsumus, si fieri potest, ne huic invideas*

a Mamertino attribuit hûc paneg. B. Rhenan.

Adparatus navalis in Carausicô.

Mosellam dextrè capis, imò necessario.

civitati,

civitati, cui nunc ille similitudinem majestatis tuæ confert, natalem tuum diem celebrando in ea, consuetudine magnificentiæ tibi debita. Teq; ipsum Imp. oramus, ut etiam, cùm vos totius orbis securitate composita, illa imperii vestri mater acceperit, amplexus ejus arctissimos, interdum piis manibus resolvatis, tuq; potissimum, credo enim hoc idem Diocletianum Oriens rogat, has provincias tuas, frequenter illustres, & profundissimâ licet pace florentes, adventu numinis tui reddas feliciores. Vides, Imperator, quanta vis sit tuorum in nos cælestium beneficiorum; adhuc præsentiâ tuâ fruimur, & reditum desideramus.

Aurel. Victor. b Eutrop. l. 9. Euseb. chron. Oros. lib. 7.

XCVI. Carausii interitus per sodalem Alectum.

Dum hæc sollenni gratulatione Treviris exquisito genere voluptatum peraguntur, [b] interea Carausius, cujus factionis oppugnandæ causâ omnia in Treviris armorum & machinarum adparatu perstrepebant, Alecti sodalis insidiis, manuque periit: Carausius verò haud temnendæ virtutis dux, marique præcipuè potens, & gratuitâ pace tutus, septennio toto Romanas artes ludificari potuit cùm anno Diocletiani tertio Btitanniam ab imperio reliquo separatam, suæ ditionis fecisset, & purpura sumpta pro Cæsare se gessisset. Treviris in Collegio Societatis JESU, ejus numisma servatur, cum inscriptione: IMP. C. CHARAVSIVS: & quæ proferuntur aliunde, vix discrepant: IMP. C. CARAVSIVS P. F. AVG. Cæterùm percussor, ubi prehensis imperii insignibus, Britanniam usurpare velle præ se tulit, ilicò parata vis belli omnis in eum vertit. Hinc Æduus Orator eventum expeditionis Britannicæ sic est persecutus: *Hoc igitur bellum tam necessarium, tam difficile aditu, tam inveteratum, tam instructum, ita, Cæsar, aggressus es, ut statim atque illo infestum majestatis tuæ fulmen intenderas, confectum omnibus videretur. Nam primò omnium, in quo præcipuè consulendum fuit, ne quid barbaræ nationes, converso illuc numine tuo, navare tentarent, invocatâ potestatis tuæ majestate, provisum est. Tu enim ipse, tu Domine Maximiane Imperator æterne,* [a] *noto itineris compendio adventum divinitatis tuæ accelerare dignatus, repente Rheno institisti, omnemq; illum limitem, non equestribus, neque pedestribus copiis, sed potentiæ tuæ terrore tutatus es: quantoslibet valebat exercitus, Maximianus in ripa. Tu verò, invicte Cæsar, instructis, armatisq; diversis classibus, ita hostem incertum, consiliiq; inopem reddidisti, ut tunc denique senserit, quod non munitus esset Oceano, sed inclusus.* Ac denique ad Constantium de Alecti interitu; [c] qui classe jam Romanâ ad Britanniæ littus appulsâ, fugiens, * Asclepiodoti Prætorianorum Præfecti, validâ manu exceptus erat: *Te tamen*, inquit, *ille fugiens incidit in tuorum manus; à te victus, à tuis exercitibus oppressus est. Denique adeò trepidus, & te post terga respiciens, & in modum amentis attonitus properavit ad mortem; ut, nec explicarit aciem, nec omnes copias, quas trahebat, instruxerit; sed cum veteribus illius conjurationis autoribus, & mercenariis cuneis barbarorum, & tanti apparatus oblitus,* * *irruerit. adeo, Cæsar, hoc etiam Reipublicæ tribuit vestra felicitas, ut nemo ferè Romanus occiderit, imperio vincente Romano. Omnes enim illos (ut audio) campos, atque colles, non nisi teterrimorum hostium corpora fusa texerunt: illa barbara, aut imitatione barbariæ olim cultu vestis, & prolixo crine rutilantia; tunc verò vulnere & cruore fœdata, & in diversos situs strucKta, sicuti dolorem vulnerum fuerant secuta, jacuerunt: atque inter hos ipse vexillarius latrocinii cultu illo, quem vivus violaverat, sponte deposito, & vix unius velaminis repertus indicio.*

Sexennio, *Aurel. Victor.*

ANNUS CHR. 293.

Paneg. cujus initium, Si mihi Cæsar. Alectus bello navali perit.

ANNUS CHR. 294. [a] *novo.*

Constantiū affatur.

ANNUS CHR. 295. c *Euseb. in Chron. Eutrop. lib. 9. Aurel. Vict.* * Asclepiodotus, *alio quem cum Aurel. Vict. ma'im Prætorianorum cohort. Præf. quam Prætoris.*

Alectus fugiens ab Asclepiodoto cæditur.

* malim, *intercurrit.*

ANNUS CHR. 296.

Cæterùm Alecti motus, quod ore concordi Eutropius cum Eusebio, tres ipsos annos tenuere, decennioque quam amissæ, tandem Britanniæ receptæ. Circumferuntur & hujus Alecti summæ potestatis indices nummi. IMP. C. ALECTVS. P. F. AVG. Hac itaque Constantii Cæsaris eximiâ vigilantiâ, & præclaro rei maritimæ usu, innumeris tandem casibus, & piratarum infestatione, non defuncta modò, & liberata Belgica, sed cæteræ Galliarum littorales oræ, pace aliquot annorum recreante fessas, in ipsius tutela, atque optimi Principis mansuetudine latuerunt. Idem verò annus, qui ab incunabulis Christi fuit nonagesimus sextus supra ducentesimum novas interiori Galliæ curas peperit; & simul metum incussit Rheno proximis urbibus ingentem. Alemannos quippe, magno agmine, in oppositam Galliam irruentes, cùm duratus glacie Rhenus tergo facilè transportasset, barbarorum confestim iræ atque cupiditati citima Galliæ, in Lingones usque [d] Trevirorum confines, patuerunt omnia. Constantius, licet copiis impar & viribus, animi tamen magnitudine par, ad summæ rei dimicationem nihil dubitavit hosti sese offerre. At, ubi collatis signis, majore quàm exspectaretur impetu Alemanni, rem metu ac vulneribus inclinant; mox ibi terror & fuga à Romanis. barbarus igitur à tergo instans, cùm carpit cæditque fugientium extremos, Constantius cæteris omnibus effusis, fortiùs prœlians, accepto vulnere ægrè ad portas Lingonum subiit; ac fune tandem intra mœnia receptus, vix integer in urbem evasit.

XCVIII. Alecto oppresso Constātius Belgis moderatur.

Alemannorum in Galliam irruptio. *Eutrop. l. 9. Euseb. loc. cit. Panegyr.* Facerem.

XCVII.

Ergo, quasi in id modò pugnam sensisset adversam, ut mox haberet prosperam; eadem die, paucis horis ad quietem militi datis, in hostem animi securum, & omnia alia, quàm de Constantii adventu cogitantem, improvisas legiones intulit; horrendaque strage datâ, Alemannorum sexagintà millia delevit. Neque ignarus ago, hujus prœlii quoque laudem ad Vindonissam, non procul Rheni fontibus olim Episcopali sede clarissimam ad Arulæ & Ursæ Confluentes Helvetiorum civitatem, at præposterè, trahi. Etsi enim strenuè ibi aliquando dimicatum à Constantio non ignorem, discrimen tamen ex Panegyrista, nisi fallor, manifestè teneo, *cùm Lingonicam victoriam etiam Imperatoris vulnere gloriosam; Vindonissæ campos hostium strage completos & adhuc ossibus opertos*, intueor. At enim utriusque certaminis à me celebrati decus, unis ego Lingonibus Trevirorum sociis assertum eo; & apud hos Alemannicæ victoriæ trophæa statuo; vindicibus Eutropio & Eusebiano Chronico. nam ille: *Circa Lingones unâ die* (Constantius Cæsar) *adversam & secundam fortunam expertus est.* Hoc, *juxta Lingonas,*

Alemannorum clades. *Euseb. Chron.*

Lingonicū bellum non benè misceri cum Vindonissensi. Vindonissa, *de qua præclarè Francisc. Guilliman. Habsburg. l. 2. loci.* Facerem.

* Treviconstantino, in vulga. Chron. B. Rhenan. l. 1. Germ. rerum C. Sigon. Occid. hist. ad an. hunc Guilliman. cit. c.

à * *Constantio Cæsare LX millia Alemannorum cæsa.* Viderint itaque, quibus ſponſoribus fidem liberent ſuam, qui omnia hæc in Helvetiis apud Vindoniſſam geſta, ſibi credi volunt.

Alemani Lentienſes olim Lintzgozcici.

Hoc autem Alemannorum genus è Lemtienſibus pagis Rhætiæ finitimis, extitiſſe, haud malè conjeceris, quod Caninis in campis apud Curienſem Rhætiam, & in Vindelicis ſede fixâ, collimitia Romana poſterâ quoque ætate ſæpiùs irrupit. Caius Pontifex, per eos quoque dies, ob Chriſti confeſſionem, vitam profudit: atque pro illo renunciatus eſt ſummus omnium paſtor Marcellinus.

Ammia. l. 15. Ægid. Schudius Rhætiæ deſcript. c. 15. Martyr. Rom. April. 22

MARCELLINUS PONT. an. 8. ANNUS CHR. 297. 298. 299.

At inſequentium aliquot annorum curriculo, rebus in Gallia ad ſummam tranquillitatem adductis, Gallicanæ provinciæ omnibus pacis atque otii bonis perfruentes, cùm ad publicorum operum elegantiam, tum doctrinarum etiam & oratoriæ præſertim facultatis laudem, Conſtantio mirum ad utraque, ſtudium & contentionem afferente, eximiè floruerunt.

XCVIII. Galliarum provinciæ, publicorum operum magnificentiâ & literarum ſtudiis excultæ.

Quod ad Rheni certè objacentis Germaniæ limitis opera pertinet, non tacuit Zoſimus, extremos imperii fines terrarum ubicunque, non caſtellis atque burgis modò, ſed oppidis etiam, magnis recipiendis militaribus copiis, egregiè fuiſſe hoc tempore communitos.

Zoſim. com. hiſt. nova l. 2.

Æduorum eloquentiæ ſcholæ.

At optimarum artium ſtudia, quibus miteſcunt, & ad humanitatem ac virtutem imbuuntur adoleſcentum ingenia, Conſtantio præſertim curante, Galliarum urbe celeberrimâ amœnam & gratam invenère ſtationem, Æduis, pro veteri fraterna neceſſitudine, meritò gloriam eam ſibi depoſcentibus.

Eumenii Rhetoris panegyr.

Adornatum enim novum hoc Athenæum in Celtis, florenti Auguſtodunenſium Republicâ ubi & nobiliſſimam Galliarum ſobolem, liberalibus ſtudiis olim operatam, ex Tacito didicimus; & Eumenius ſcholarum princeps, & ª pariter cum eo prodidère homines veteris memoriæ ſcientiſſimi; quibus acerrimè tamen obnituntur ᵇ alii.

Tac. l. 3. annal. a Carol. Sig. l. 1. Occid. hiſt. I. Lipſ. comment. ad 3. annal. Tacit. Petr. Rivet. I. hiſ. paneg. ad Honor. IV. Gall. b B. Rhena. Pighius in Hercule Prodicio.

Nam Auguſto Clivii, à quo provinciæ Cliviæ nomen hodie ſuperſit in extrema Belgica ad Rhenum ſita, hanc ipſam nimirum ſedem ſtatuunt, quam diſciplinarum cauſsâ Gallica pubes, per id tempus frequentârit. Sed vicit, meo quidem calculo, Auguſtodunenſium cauſſa, poſtquam acri diſputatione à literatorum ocello, Auguſtoclivienſium oppidi fama & nomen, obliterata.

Clivis hæc ſchola non fuit. Cl. I. Lipſ. ad l. 3. annal. contra Step. Pig. pag. 56. edit. poſtrema.

Jam Eumenius de Principibus verba faciens, operæ pretium, ut audiatur: *Maximas*, inquit, *pecunias, & totum, ſi res poſcat ærarium, non templis modò ac locis publicis reficiendis, ſed etiam privatis domibus indulgent: nec pecunias modo, ſed etiam artifices tranſmarinos, & ex ampliſſimis provinciarum ordinibus incolas novos, & devotiſſimarum hyberna legionum adhibent, ut reſides aquas, & novos amnes, veluti aridis feſſæ urbis viſceribus infundant. Ex quo manifeſtum eſt, eos, qui Coloniam iſtam tot, tantiſq; opibus totius imperii erigere, atque animare ſtatuerunt, vel præcipue ſedem illam liberalium artium velle reparari, cùm peculiarem frequentiam honeſtiſſimæ juventutis, illuſtrato ſtudiorum honore, providerint. Cui enim unquam veterum principum tanta fuit cura, ut doctrina atque eloquentia ſtudia florerent, quanta his optimis, atque indulgentiſſimis Dominis generis humani? quos ego quidem, quantum ad votum pietatemq; pertinet, liberorum parentes appellare, non dubito; qui nobiliſſimam iſtam indolem Galliarum ſuarum, interitu ſummi Doctoris, orbatam, reſpicere dignati, ſuo potiſſimùm judicio præceptorem ei, moderatoremq; tribuerunt; & inter Imperatorias diſpoſitiones ſummis Reipublicæ gubernandæ proviſionibus occupatas, literarum quoque habuère delectum. neque aliter, quàm ſi equeſtri turmæ, vel cohorti Prætoriæ conſulendum foret, quem potiſſimùm præficerent, ſui arbitrii eſſe duxerunt. ne iis, quos ad ſpem omnium tribunalium, aut interdum ad ſtipendia ſacrarum cognitionum, aut fortaſſe ad ipſa palatii magiſteria provehi oporteret, veluti repentino nubilo in mediis adoleſcentiæ fluctibus deprehenſi, incerta dicendi ſigna ſequerentur. In quo ego, vir perfectiſſime, nihil laudi meæ tribuo, ſed Domini noſtri Conſtantii* PRINCIPIS IVVENTVTIS, *incredibilem erga juventutem Galliarum ſuarum ſolicitudinem, atque indulgentiam mirari ſatis nequeo.*

Vir perfectiſſ. Præſes loci, quo præſente Eumenius dixit, aut quiſpiam ex Decurionum ordine, in quo V. I. lapid. Viri perfectiſſimi.

Cæterùm Reipublicæ Trevirorum ſplendidiſſimæ ex iis negotiis: quæ ingenio exercentur, haud minorem quàm Auguſtodunenſibus olim ſuppetiſſe copiam, loco ſuo non tacebimus. Ejus quidem honori ſignata Treviris numiſmata hoc characteriſmo eruuntur.

CONSTANTIVS NOB. CAES.

GENIO POPVLI ROMANI. S F T.R

XCVIIII. ANNUS CHR. 302. Aug. l. 7. de baptiſ. c. 2. Oroſ. l. 7. c. 25. Sev. Sulp. l. 2. Arno. l. 1. &c. Euſeb. l. 8. c. 3. & l. 2. de vita Conſtantini cap. 4.

Sæculi ineuntis novi principio, Fl. Valerio Conſtantio Cæſare, & Galerio Maximiano IV. Conſulibus, cùm Maximianus & Diocletianus Auguſti, inſolitâ quâdam imperii Romani facie, diuturnâ concordiâ, Rempublicam tractant, adeò præſentis humanæque ſortis conditionem non ſuſtinuère, ut ad infandam & impiam prolapſi divinitatis cupidinem; non ſatis ut Deos ſe coli ad gloriam haud brevem duxerint, ſed ad Chriſtiani nominis abolendam de terra memoriam, omnibus incubuerint & virium & ingenii nervis: Primò quidem horrificis edictis terrores jacere, atque belli multiplicis denunciare formidinem; conventus velle ac cœtus Chriſtianorum diſcutere, eorum monumenta, libroſque ſacros flammis urere, æquare ſolo Eccleſias, ac denique certamina paſſim athletis, necnon omnibus generibus, ordinibus, ætatibus, indicere.

Perſecutio decima pleno pœnarũ agmine in Chriſtianos erumpit.

Brevi itaque decimæ Perſecutionis acerbiſſimæ à tyrannis dato ſigno, orbis terrarum ſacro martyrum cruore reſperſus eſt; neque ullis, Severo teſte, unquam magis bellis mortalium genus exhauſtum, neque majore unquam Chriſtiani vicère triumpho, quàm, cùm decem annorum ſtragibus, omninò vinci nequiverunt.

Diocletiani anno 19. ut Euſeb. in chron. quem Scalig. in an. Chriſti 303. & 304. transfert.

Hiſt. Eccl. l. 2.

Porrò belli hujus tam atrocis cauſam inſigni accuratione, quem & ingenio, & eloquentiæ Chriſtianæ laudibus florentiſſimum hæc ætas extulit, perſcrutatus Arnobius: *Si non eſt moleſtum*, ait, *non*

Arnobius advers. gentes l. 1. conscinquiris persecutiones, de quibus & Euseb. lib. 8. c. 1 & 2.

grave, si communis officii res est, non ex gratia, sed ex vero disceptationis hujus disceptare momenta, audire à vobis exposcimus, quænam sit hæc ratio, quæ causa, propter quam in nos tantùm & dii sæviant superi; & asperati homines inardescant. Religiones, inquiunt, impias, atque inauditos cultus, in terrarum orbe tractatis. Quid, ô participes rationis, audetis homines proloqui, quid effutire, quid promere temerariæ vocis desperatione tentatis? Deum principem rerum cunctarum, quæcumque sunt, Dominum, summitatem omnium summorum obtinentem, adorare, obsequio venerabili invocare, in rebus fessis, totis, ut ita dicam, sensibus, amplexari, amare, suspicere, execrabilis religio est & infausta? impietatis & sacrilegii plena, ceremonias antiquitùs institutas, novitatis suæ superstitione contaminans? Hoccine est, quæso, audax illud facinus, & immane, propter quod, maximi cælites aculeos in nos intendunt irarum atque indignationum suarum? propter quod vos ipsi, cùm libido incesserit sæva, exuitis nos bonis, exterminatis patriis sedibus, irrogatis supplicia capitalia, torquetis, dilaceratis, exuritis, & ad extremum nos feris & belluarum laniatibus objectatis?

Persecutionum genera

C.

Galliæ Constantii mansuetudine persecutionis vim declinarunt.

At Galliis nostris, imperii Romani vix ulla ceteroquin ab hisce cladibus exempta provincia, Constantii rarâ adversus suos benevolentiâ, & mirificâ quâdam in provincias has caritate, pàx indulta, & publica tranquillitas. Neque uno loco Eusebius id attestari contentus, identidem inculcat; & disertè, non extra noxam modò persecutionis illatæ, sed etiam extra famam noxæ Constantium sese conservasse, memorat; additque liberam provinciis suis veræ in Deum religionis sine molestia excolendæ, permisisse potestatem. Atque idem id profectò optimè memoriâ retinebant Antistites Africani, quamvis Donati furiis correpti, ineuntæ tamen apud Constantinum filium gratiæ, & Cæciliani evertendi, libellis post ad eum missis: *Rogamus te*, aiebant ipsi, *ô Constantine Opt. Imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater inter cæteros Imperatores persecutionem non exercuit, & ab hoc facinore immunis est Gallia.*

Euseb. Eccles. hist. l. 8. c. 26. & lib. 1. vita Constantini cap. 9. & 10. & tutul. 2. c. 48. in edicto Constantini.

Optat. Milevit. lib. 1.

CI.

Eutrop. initio lib. 1

Constantius amabilis Gallis.

Et, vel Eutropio verba præeunte, amabilem juxta atque venerandum Gallis fuisse, sat liquet Constantium, iis præsertim causis, quòd suspectam semper Diocletiani prudentiam, & Maximiani sanguinariam temeritatem, ipsi illius ductu imperioque ceu ruinam cervicibus impendentem evitassent. Jam verò, si cui deinceps adhuc admirari subit in tam alta Galliarum quiete, summâ florentique principis justitiâ, Episcopos haud sanè paucos & hujus nostræ præsertim sedis, martyrio finiisse vitam is reputet velim, quod, omnibus ætatibus atque sæculis, lucis, fori, atque tribunalium expertes, in Christi causa sub manibus privatorum etiam carnificum expirârint, præ quorum inexpiabili in Christianos odio, nec leges quicquam essent, nec magistratuum edicta. Addo, necdum corroboratis Constantii rebus, Maximiano coram in Galliis sceleri ac publico furori ducatum præbente, subserviente verò graviter, & secundas ferente præsidum cohorte, partes Christiani nominis exagitandi minimè neglectas. Ex hac enim arena victores, Galliæ quidem celebrant, ᵃ Firminum Ambianensem præsulem, Quintinum, Victoricum, Fuscianum, Gentianum, Justum, Macram, Crispinum, Crispinianum, omnemque martyrum illum chorum in quem Rictii Vari Præfecti rabies Belgicæ præsertim finibus desæviit.

Martyria etiam in Galliis quomodo sub Constantio.

a Martyrologiis variis locis.

Et ᵇ Rictius Varus crudelitatis etiam suæ tandem pœnas, cum fœnore rependit, cùm furore, ac Satanæ intemperiis actus, minacibus flammis ac rogo ipse se vivum intulit: Nam cùm apud Suessionas Crispi & Crispiniani Martyrum suppliciis atrociùs insistens, plumbi ferventis guttâ in oculum illatâ excæcatur, pice & adipe liquato excruciatis frustra martyribus, ipse doloris ac vulneris impatientiâ juxta furens, se morte, quâ diximus, ultus est.

b Rictii Vari interitus. Ex actis SS. Crispini & Crispiniani, apud Sur. tom. 5. die 25. Octob. & vetustis Martyrologiis, & M.S. Passion.

Sed ad Constantii tuendam mansuetudinem sat esto, justitio post indicto, præsidum cohibitas & refrenatas iras; nec mitem, & amantissimum religionis Christianæ Principem*, huc descendisse, ut vel odiis accusationibusque Christianorum subscriberet, vel improbis adversariorum petitionibus, publicam autoritatem insereret.

CII.

ANNUS CHR. 303.

SEVERINUS 22. EPISC.

Chron. Cen. circa temp. Caii.

Proximo hinc anno, qui à Christi natalibus tertius fuit supra trecentesimum, Metropolo, cujus martyrio Octobris dies octavus consecratus est, jam extincto, SEVERINUS illorum, qui hoc affecti nomine, primus, Trevericæ sedis ac Tungrensis simul honorem adiit.

ANNUS CHR. 304.

Euseb. chron. Eutrop. l. 9. Zosim. lib. 2.

Diocletian. & Maxim. 11 kal. Maii animadversione divina sponte gubernaculis excedunt.

Euseb. lib. 9. c. 26. Orationis ad SS. cœtum apud Euseb. cap. 25.

** Cæsar. Baron. tom. 2. Annal. Eccl. anno 302.*

Sequens autem annus ab Diocletiano & Maximiano gubernaculis imperii uno eodémque tempore pari consensu depositis, sanè quàm memorabilis extitit. Id accidisse Zosimus disertè testatur, anno centesimo primo à ludis sæcularibus Imperatoris Severi, Diocletiano novies, Maximiano octies Consulatu perfunctis: nec amplius triennio Diocletianus hinc inter homines fuit; nedum inter Consules, quorum fascibus à nonnullis serò nimis inferri videtur. Inter hæc etiam Marcellinus Romæ Pontifex, blandimenta vitæ cuncta aspernatus, abscisso demum capite, testis Christi terrâ cœloque fidelis palmam promeruit; de cujus * lapsu, & expiatione, ut ne fides adhibeatur iis quæ vulgò literarum monumentis jactata, interfuerit adire saniorem Annalium Ecclesiasticorum scriptoris, censuram. Ejus loco, Marcellus Pontificiam dignitatem adeptus. Diocletiano verò, & Maximiano sponte jam, seu divino nutu redactis in ordinem privatorum, Galerius & Constantius exempli tarissimi sortitione Eois inter se atque Hesperiis divisis provinciis, hanc Reipublicæ gerendæ summam iniêre; ut Illyricum, Asiam & Orientem sibi haberet Galerius: at verò Constantius in Galliis, Italia, Africa, Hispania & Britannia rerum poti-retur.

MARCELLUS Pon. a. 5. m. 1. d. 25

Eutrop. l. 10. Oros. l. 7. c. 25. Aurel. Vict.

CONSTANTIUS AUG. IMP. an. 1.

CIII.

Constantii in Galliis administrandis moderatio

Euseb. in vit. Constantini. l. 1. c. 9. & 10.

ANNUS CHR. 305.

Constantius tamen, quæ principis summa fuit moderatio, contentus dignitate Augusti, si Eutropio non abnuis, Italiæ atque Africæ administrandæ solicitudinem recusavit; indeque, in Galliam ad suos reversus, æquabili vitæ tenore atque abstinentiâ provincialibus perrexit jura legesque temperare; mitis ac munificus in Rempublicam & frugi paterfamilias, si quisquam alius; cæterùm abundè pollens potensque, quoties ad opulentiam res vocarent. Vectigalia publica erogari in benè

meritos.

meritos, quam inexorabilibus asservari claustris, nec esse divisui cuiquam, malebat; instrumento ipse domestico tam modico atque tenui, ut si lautioribus præsertim epulis, solito major convivarum numerus adesset, à privato argento vasisque ostiatim sumptis, triclinia sterneret.

CIV. Constantii in Britanniam profectio.

ANNUS Chr. 306. [illegible]

In Galliis verò tenere se diutiùs non potuit, ubi in Britanniâ ejus operam Respublica poposcit. Sextum igitur jam & ultimum suum Consulatum exorsus, cùm Caledonum atque Pictonum seu otium ultrò lacessere, seu feroces in armis & finitimis infestos regionibus, per obstantia nemorum & paludium, reprimere aggreditur, Constantinus filius jam quantæcunque fortunæ capax, maturè venienti se spei obtulit. Is obses apud Galerium relictus, primis militiæ rudimentis, cum ingenti laude fortitudinis expertæ depositis, ad lætissimum juventæ florem jam pervenerat; sed metu insidiarum, quas sæpiùs ante struxerat Galerius, cùm cogitur omittere præsentia, Oriente relicto, citâ viâ, &, quâ unâ re persequentes excludebat, publicis per stabula dispositis jumentis omnibus post se, aut mutilatis aut interfectis, ardentibus spatiis, advolat in Galliam. Factum est itaque singulari providentiâ Numinis, ut ad ipsum id tempus, quo pater in Britanniam transfretabat, classi jam vela facienti, repentinus ejus adventus illucesceret; ut, quod Treviris quondam dixit Panegyrista, non advectus cursu publico, sed divino quodam advolasse curriculo, videretur. Inde Constantium patrem Eboraci degentem, cùm morbus extemplò gravior lectulo affixisset, ab amicis circumstantibus interrogatus, ecquemnam imperio successorem hæredemque relinqueret? nil cunctatus, ut decebat, Constantinum pium, respondit.

Constantinus in Galliam venit. [illegible]

CV. Anno 13. imperii [illegible] Constantius moritur 8. Kal. Aug.

Atque ita paterni prærogativâ suffragii; Constantinus ornatus, cùm nihilò secus ad P. C. quid se fieri vellent, referre placuisset, occuparunt ilicò militum studia, & inter primores, * Croco Alemannorum Rege annitente, qui Constantium per honorem & usus belli sectatus, purpuram lacrymanti injecêre. Dicitur quin etiam ardorem illum se deposcentis exercitus fugere conantem, equo subdidisse calcaria. Unde hæc olim in Trevirorum urbe ipsius infusa vox auribus. Modestiam tuam atque pietatem, & differendi imperii conatus ostendit, & Reipublicæ felicitas vicit. Dum autem Britanniæ rebus constituendis trans mare intentus Cæsar Constantinus, aversas habet à Belgica Germaniáque curas; Franci, qui, ut feras quasdam constat nunquam mitescere, sic immites implacabilésque animos gerebant adversus Romanos, calcato fœdere, quod cum Constantio pepigerant, rursus imperii violare limitem, & atrociùs in citeriorem sese ripam prædandi vastandique causâ, inferre.

Constantini imp. hoc an. [illegible]

Constantini in imperio [illegible]

* Eroca. Crocus vel Erocus Alemannorum Rex

Constantinus Magnus [illegible]

Francorum [illegible]

CVI. ANNUS Chr. 307.

Acceperat ad nuncium hostiliter appetitæ Galliæ Constantinus; nec diu frustratus provincialium vota, sequenti mox anno, cum copiarum manu, laborantibus Belgicæ rebus affuit. Ascaricus & Ragaisus Francorum Reges tunc famâ belli & audaciâ longè barbaros cæteros omnes anteibant. Hos Rhenum transgressus, opportuno loco Constantinus ingenti adortus prœlio, postquam collatis signis, qui circum reges in acie dimicabant, fortiter repressisset, ambo Reges vivi redacti in potestatem, & [illegible] pacis prodendi exempli, cruciabiliter interfecti. Quam surgentem & vix maturam Constantini gloriam Nazarius attollens: *Ut Herculem*, inquit, *ferunt tenerum adhuc atque lactentem duos angues manu elisisse, ut jam infantulo indoles futuri roboris innotesceret, sic tu Imperator in ipsis imperii tui cunabulis, quasi geminos dracones necares, per sævissimorum Regum famosa supplicia ludebas.* Neque non hic apud Treviros de utroque Rege triumphatum, ex panegyrico Treviris habito, doceri queat: *Imperatoris igitur filius*, inquit Orator, *& tanti Imperatoris, & ipse tam feliciter adeptus imperium, quonam modo Rempublicam vindicare cœpisti? Ignobilem credo aliquam barbarorum manum repentino impetu, & improviso latrocinio, ortus tui auspicia tentasse. Affecisti pœna temeritatis Reges ipsos Franciæ, qui per absentiam patris tui pacem violaverant; non dubitasti ultimis punire cruciatibus, nihil veritus gentis illius odia, & inexpiabiles iras. Cur enim ullam reputet justæ severitatis offensam Imperator, qui quod fecit, tueri potest. Tuta clementia est, quæ parcit inimicis; & sibi magis prospicit, quàm ignoscit. Te verò, Constantine, quantumlibet oderint hostes, dum perhorrescant: hæc est enim vera virtus, ut non ament, & quiescant. Cautior licet sit, qui devinctos habet veniâ perduelles, fortior tamen est, qui calcat iratos. Renovasti Imperator veterem illam Romani Imperii fiduciam, quæ de captis hostium Ducibus vindictam morte sumebat. Tunc enim captivi Reges cùm à portis usque ad forum triumphantium currus honestassent, simul atque in Capitolium currum flectere cœperat Imperator, abrepti in carcerem, necabantur.* Posthæc mirificam quandam ex supplicio Ducum brevi consecutam quietis & otii securitatem celebrans: *Adeò*, inquit, *& hoc boni confert pœna hostibus irrogata, ut non solùm inimici ferocire non audeant, sed etiam amici impensiùs revereantur. Inde est igitur, Imp. pax ista, quâ fruimur. Neque enim Rheni jam gurgitibus, sed nominis tui terrore munimur: quamlibet ille aut arescat æstu, aut * residat gelu, neutro hostis audebit uti vado. Nihil enim tam insuperabili vallo natura præclusit, quod non penetret * audacia, cui aliqua conandi spes relinquatur. Ille est inexpugnabilis murus, quem exstruit fama virtutis. Sciunt posse Franci transire Rhenum, quos ad necem suam libenter admittas; sed nec victoriam possunt sperare, nec veniam. Quid ipsos maneat, ex Regum suorum cruciatibus metiuntur; ideoq; tantùm abest, ut amnis illius transitum moliantur, magis ut * compertâ potestate desperent. Ubi nunc est ista ferocia? ubi semper infida * mobilitas? Jam ne procul quidem Rhenum audetis * accolere: & vix securi flumina interiora potatis. Contra; hinc per intervalla disposita magis ornant limitem castella, quàm protegunt. Arat illam terribilem aliquando ripam inermis agricola; * tota nostri greges flumine bicorni * mersantur. Hæc est tua, Constantine, de Ascarici cinere, * Ragaisiq; supplicio, quotidiana, atque æterna victoria, cunctis quondam*

Reges à Constantino victi prælio & interfecti.

Nazar. Paneg.

Idem Paneg. [illegible] Treviris Constantinus triumphat. Paneg. [illegible]

* resistat.

* [illegible]

* [illegible] ponte, [illegible]

* [illegible]

* accolere.

* tot.

* versantur.

* Ragaisiq.

CVII. Constantinus Trevirorum Augustam ædificiis exornat.

secundis præliis antecouenda. Hic igitur pace lætus, cùm Augustæ Trevirorum ferè sedem & domicilium Constantinus haberet, pro Coloniæ amplissimæ dignitate, & sæculi sui more, magnifica moliri opera aggressus est: aliaque vetustate sublapsa, alia bellorum ruinis hausta, partim basilicis, circis, atque palatiis amplecti, partim ad usum atque decorem, præclarà in urbem hanc sui testificatione amoris, reparare in melius, & ædificiorum ornare muneribus labor fuit.

Ipsius & D. Matris Dominæque Augustæ Helenæ multiplicis imaginis & emblematis moneta Treveris vicinisque locis eruitur.

CVIII. Tung. Episc. 4. 5.

Per idem quoque tempus, Maximianus Herculius, cùm inconsulta spes obtriti & calcati semel honoris repetendi, impotentem hominis animum sollicitat, evictusque blandimentis imperandi, denique parat Maxentium filium, qui imperium nuper invaserat, exuere, tyranni fraude à milite deprehensâ, cogitur Italiam relinquere, atque in tutelam perfugere Constantini; apud quem sub umbra simulatæ ad tempus amicitiæ latuit. Ergò Trevirim ingressus vetus dominus, novus inquilinus, mirificâ gratulatione & plausu Augustæ civitati, Constantini palatio recipitur, quod olim Maximianum cœnobium interpretatus sum, ante urbis hujus mœnia nunc situm. Hujus adparatus magnificentiam *Panegyrista Constantino gratulatus: *Tu*, inquit, *Maximianum ab urbe pulsum; ab Italia fugatum; ab Illyrico repudiatum; tuis provinciis, tuis copiis, tuo palatio recepisti, privatum otium, & regias opes dedisti, impensiùs etiam quàm tibi occurrere, obsequia nostra mandasti, omnibus jussis sic statuisti obedire, ut penes te habitus, penes illum potestas esset imperii.*

Maximianus dum resurgit ad imperium Treverim delapsus, … à Constantino … S. Maximini cœnobium olim Constantini Magni palatium. * …

Sed posthæc quoque Maximianus non obscuris artibus irrepens, Constantinum, Faustâ filiâ ei connubio sociatâ, generum sumpsit, & Imperatoris nomen, quod ad id tempus recusarat, imposuit. Id quod alio item panegyrico proditum: *Cùm tibi pater imperium reliquisset, Cæsaris tamen appellatione contentus, expectare maluisti, ut idem te, qui illum, declararet Augustum; siquidem ipsum imperium*

CIX. Constantinus accepta Fausta conjuge, Imperatoris nomen …

hoc fore pulcrius judicabas, si id non hereditarium ex successione cepisses, sed virtutibus tuis debitum, à summo Imperatore meruisses. Porrò Treviris in hoc Principum utriusque congressu, ut sponsalia hæc celebrata suspicer, hæc inducunt me Gallici Oratoris verba: *Sed tamen nos oportet omnes homines exultatione superare, qui hoc tantum Reipublicæ bonum præstitutes intuemur, & ipsâ vultuum vestrorum contemplatione sentimus, ita convenisse vos, ita non dextras tantùm, sed etiam omnes sensus vestros, mentesque junxisse, ut si fieri posset, transire invicem in pectora vestra cupiatis.*

CX.

Severinus Trevirensis Ecclesiæ sacrorum præses, cùm nuper felici certaminis exitu, martyrii coronam meruisset, XXIV. Octobris memoriâ sui in Ecclesia relictâ, Florentium, quem & alio nomine Florentinum martyrologia quædam prodidere, successorem reliquit. Is vero, cùm non minùs in Episcopos sæviunt Galli populares, quàm Romani præsides, vix altero vertente anno pertractus in arenam, pari fortitudinis laude palmam martyrii meruit; colitur que 16. Kal. Nov.

Florentius Episc. … Martyrolog. … Annus Chr. 308 Martinus II. ejus nominis, 14. Episc. …

Accessit ad utramque moderandam Ecclesiam post eum Martinus apud Treviros ejus nominis II. apud Tungros verò I. Hujus Antistitis longè clarior in Tungria, quàm in Belgica prima fuit memoria, quòd in Germaniam II. cujus hoc ævo caput Octavia, nobilissima Tungrorum, & clara bellicis artibus civitas, illustriora canant ipsius redundasse merita. Námque Tungris finitimos accolas Mosæ populos, quibus Hasbaniæ nomen posterior ætas dedit, ad Christiana, relictis idolis, suscipienda sacra vehementiùs aiunt inflammasse, & mirandis supra vires humanæ conditionis editis operibus, præclaram in multa post sæcula apud eas gentes sui memoriam reliquisse. Testimonio sunt martyrologia, quibus ad undecimum Kalend. Julii utriusque beneficii fructum conservare, veteribus Christianis curæ.

Tungrorum merita. … Martinus Trevirorum & Tungrorum Episcopus Hasbaniæ incolas … Christi docet.

Degebat eo tempore in Treviris adhuc Maximianus: Maxentius verò filius Italiæ certus, in Africa pacanda fluctuabat ancipiti curâ. At verò Galerius & Maximinus, quibus parebat Oriens, terrore immanissimo succincti, ceu feræ quædam irritatæ, Christianum sanguinem hianti fauce citra satietatem lambebant.

CXI. Persecutio … vigor.

Constantinus inter hæc, dum nullis expeditionibus *mitescit Germania, & Bructerorum ferociam armis exercet, inclementer, & pro insitâ ethnico tum adhuc Principi sævitiâ victoriam habuit. Etenim ubi ad Augustam imperii sedem in Treviros, ut mea fert sententia, victor ovansque reversus est, populo Treverico in ejusmodi spectacula profusissimo, munus in theatro cruentum, exiguâ clementiæ famâ, edidit. Neque enim in tam vasta Republica, & hominum colluvie, gentilium numerum est quod putes concessisse Christianis, quamlibet multis, & in cœtus etiam coëuntibus, quorum præsertim corpus cæde nuper tam dirâ membris amissis, & cadentibus quoque pastoribus fuisset laceratum ac dispersum. Cæterùm Panegyrista expeditionem hanc floculento sermone persequens: *Vt omnibus*, inquit, *modis barbarorum immanitas*

Constantini negotia & expeditio in Bructeros.

Theatralis sævitia in Treviris ad bellum … Constantino barbaris. Treviris Christianorum exigua portio … gentilium.

frangere-

Panegyr. Facetem, Livinei descript. Eumenio num. 9.

frangeretur, nec hostes Regum suorum supplicia mærerent; etiam immensam Bructeris vastationem fecisti Imperator invicte. In quo prima consilii tui fuit ratio, quod exercitu repente trajecto, inopinantes adortus es; non, quod aperto Marte, diffideres, ut, qui palam congredi maluisses, sed ut illa natio perfugiis silvarum, & paludum bellum solita frustrari, fuga tempus amitteret. Cæsi igitur innumerabiles, capti plurimi; quicquid fuit pecoris, * *interceptum aut trucidatum est; vici omnes igne consumpti; puberes, qui in manus venerunt, quorum nec perfidia erat apta militiæ, nec ferocia servituti, ad pœnas spectaculo dati, sævientes bestias multitudine suâ fatigarunt.*

Bructerorū clades. * captum.

CXII.

* EUSEBIUS Pōt. an. 2. m. 7. d. 16. Chron. Euseb. throno tempora Eusebii. ANNUS CHR. 309. MAXIMINUS I. 25. EPISC. Constantinus apud Coloniam Rhenum ponte jungit.

His ita à Constantino trans Rhenum gestis, Martinum Trevirorum Antistitem, quem virtus atque innocentia vitæ socia exornârat, eundem & mortis comes martyrii gloria in cœlum extulit, quo & Romæ * Eusebius pro Marcello in cathedra Petri sedere cœpit. Sedem iniit deinde postero anno MAXIMINUS primus. Eodemque tractu temporis Constantinus apud Coloniam Agrippinensium insigni opere pontem insternendum Rheno jussit; in operis tanti molitione, magis dignitatem imperii & ornatum limitis, quàm necessitatem ultro citroque commeandi, sequutus; quippe testimonio Panegyrici totus erat armatus navibus Rhenus, & ripis omnibus, usque ad Oceanum dispositus miles imminebat. Unde & ille præco Trevericus ad Constantinum postea: *Pulchrum*, aiebat, *tibi videtur, & revera pulcherrimum est, ut Rhenus ille non solùm superioribus locis, ubi aut latitudine vadosus, aut vicinia fontis exiguus; sed & ibi, novo ponte calcetur, ubi totus est, ubi jam plurimos hausit amnes quos hic noster* [a] *ingens fluvius, & barbarus* [b] *Nicer, & Mœnus invexit, ubi jam immani meatu ferox, & alvei unius impatiens, in sua cornua gestit excedere. Servit profectò, Constantine Maxime, ipsa rerum natura numini tuo, cùm in illa gurgitum altitudine, tantarum molium fundamenta jaciuntur, fidam & stabilem firmitatem habitura.*

Paneg. Trev. habita eum init. Facetem.

a Mosellam hic dici consentiunt B. Rhen. & Livin. ad hunc Paneg. b Neckarus hodie, qui inter Vangiones & Nemetes Rheno recipitur.

Cæterùm, hunc eundem videlicet pontem illum existimamus; qui Divitense munimentum cum ipsa Colonia committens, ad tempora magni Ottonis usque perstitit; quando Bruno gravissimus ejus urbis Pontifex; latrociniis & cædium frequentiâ, quâ tum erat pons infamis, pro eo ac par erat offensus, seu quod arridet aliis, metu bellorum imminentium, opus disturbari ac solvi jussit; & reliquiis antiquæ molis, D. Pantaleonis præclari cœnobii tum ab se inchoatum opus, ornandum suscepit.

CXIII.

Documenta monaster. S. Pantaleon. & Agrip. Colon.

D. Pantaleonis apud Agrippin. monasterii structura. Pontis Agrippinēsis vestigia.

Pontis autem hujus cum firmitatem, tum amplitudinem fecit; cùm Rhenus arenti alveo submissior, appareret, operis arcana denudatis pilis cum admiratione spectantium retegens. Stabant alto gurgite aptis, & ex arte dimensis intervallis pilæ cum spondis, quibus implexi fornices cohæserant structura veteri haud sine miraculo compagis tot injuriis annorum, & aquarum illuvie tantâ, non funditus dimotæ. Et postquam hæc scripsimus, accuratiore ab se studio pontis hujus omnia vestigia, quantum Astronomico quadrato per alvei spatium & ex veteri Coloniæ situ licuit adsequi, notata dimensaque testatur vir eruditus Stephanus Brilmannus, qui & in Epidigmate suo hujus pontis Constantiniani sciographiam edidit.

CXIV.

Quia verò Divitensis præsidii, militumque nomen ab eo ferentium clara fama, non à proximorum curiosis temere prætereunda memoria, quæ Constantini egregiâ facinora, Victoriasque Francicas, ejus munimenti defensores præclarè testantur.

* Inscriptio reperitur in S. Heriberti vita à Ruperto Tuitiensi conscripta, sed quia mendosa variè traditur. Memorale de B. Rhen. l. 3. rerum Ger. De solenni autem illo contento V. lis. tum ferm. D. N. M. Q. E. confundendo V. C. I. Lips. antiq. lect. l. 5. c. 8. & simil. inscript. apud Hub. Goltz.

*VIRTUTE DN. CONSTANTINI. MAX. PII. FEL. INVIC. AUG. SUPPRESSIS DOMITISQ. FRANCIS IN EORUM TERRIS .... MIL. CASTR. DIVITENSIUM SUB PRÆSENTIA PRINCIPIS SUI .... DEVOTI. NUMINI MAIESTATIQ. EIUS DUODEVIGINTI HÆC VOTA FECER.

Divitenses milites. Notit. dignit. imperii.

Etsi verò in Imperii thematibus, præsidiisque militum celebre sit nomen DIVITENSIUM, haud tamen perinde clarum est, à quo Castelli nomine famam hi obtineant, cùm DIVITUM vel Divitium non unum extiterit in imperio Romano. Nam DIVITENSES seniores, quos derivant à * Diveto Siciliæ oppido, militarunt sub Magistro peditum in Occidente per Gallias; Divitenses Gallicani attribuuntur Magistro militum per Thracias: denique Dalmatæ Divitenses sub Duce Daciæ Ripensis numerantur. Fortè fuerit, ut primi, Ubiorum Tuitio nomen suum reliquerint. Pari operum magnificentiâ per eosdem quoque dies in amne hoc Trevirorum frequentando permuniendoque, versatus Constantinus. ut cui amni BELGAS DIGNATA IMPERIO MOENIA DEBUISSE poëta Consularis cecinit, hic idem in posterum non ornamentis niteret magis agnatæ pulchritudinis, quàm securior esset præsidiis additis castrorum firmioribus. Ad hæc namque tempora spectare videntur:

* Divito.

Opera Constantini magni in Trevirorum provincia.

Auson. in Mosella edyll. X.

Addam præsidiis dubiarum condita rerum,
Sed modò securis non castra, sed horrea Belgis.

Ast, ne cui incerta appareant hæc, & de trivio sumpta, monstramus ex eodem: NIUOMAGUM DIUI CASTRA INCLYTA CONSTANTINI. Visendus autem hic locus etiam hodie, tum cætera situs amœni in plano juxta ripam specie, tum turri eximia, quæ in Cæciam obversa saxis immanibus & operis egregiâ firmitudine inter cæteras mediæ ætatis ruinas eminet. Quippe Nivomagi vetus arx, quæ castris Constantinianis inædificata, turribus omnino præcincta quatuordecim fuit centenum pedum singulis intervallo. Hæ verò orbe jam in angustum contracto, situ squalentes, sponte procubuerunt; illa prisca stat hodiéque; & sese adversus vetustatis injuriam tuetur. Quâ verò fulturæ ipsius turris & substructiones visuntur, abditis & subterraneis locis, varia & multiplex ruinarum sese facies aperit: alibi eminentibus è saxo insigni decore, & altioribus humanâ staturâ togatis, alibi fasciis & cymatiis opere Dorico, extremo tabularum margine, discurrentibus. Adhæc sparsim tota domo haud pauca sese offerunt

CXV. Nivomagū Constantini in Treviris; ejusque castrorum vestigia.

antiquæ molis vestigia; in quibus, præter sacrificantium aut litantium, ut apparet, effigies saxis incisas, præcipuè retinet oculos veterum castrorum ceu quandam imaginem repræsentans lapis in quo cum grandi scuto miles cultu Romano pro muris excubans, turri minis ac fenestris instructæ juxta adstat, eàdem propè Symmetria ac specie, quâ cernitur adhuc illa vetus, & quam unicam ducimus Constantini castris superstitem.

CXVI. Via militari ferens in castra.

Porrò, quæ in hæc ipsa castra ex Colonia Augusta ferebat olim via militaris, hujus, intermissis tamen spatiis, dexteriore ripâ præclara cernas etiam ex adversum Trittenhemio pago, monumenta: siquidem, quà arctior Mosellæ ripa imminentis jugi crepidinem stringit, hinc inter ipsos jam vinitorum labores, ruderatio vetus ductu perpetuo sese passim exerit, fundamenti crassitudine trium propè dodrantium saxo contuso, fractisque testis calce mistis; strata alicubi, quadris nativi saxi.

Castra adversus Germanos hoc loco fixa.

Atque hæc tum opera Constantinus usui publico, decorique Mosellæ fluminis impertiit: quæ haud levi indicio, Germanos Confluentibus adversos, quod regionis & soli Rhenum inter & Mosellam versus Ubios interjacet, Rheno persæpe violato, infestum habuisse; ut vel objectu Mosellæ, & recentium mole castrorum ab interiore Belgica essent cohibendi.

* Sex. Aurel. Victor. Eutrop. lib. 10. Oros. lib. 7. cap. 28. Zosim. lib. 2. Euseb. Chron. Paneg. Trev. habitus.

CXVII. Maximianus Constãtino insidiatur.

* Traxerat in hunc annum moras apud Treviros Maximianus, tacitúsque interea, secum expedierat, quo pacto Generũ nobilissimum, & unicum rei Christianæ futurum aliquando columen, quæsito dolo, gubernaculis amoveret. Id facinus tam atrox, ubi fortè ad Faustæ filiæ notitiam pervênit, illa seu muliebri ingenio, fidei & silentii prodiga, seu matrimonii sanctitatem anteferens amori paterno, rem totam Constantino marito exposuit.

Fausta Maximiani fraudes retegit.

Maximianus patefacto scelere profugit.

Itaque Maximianus & pudore revicti sceleris, & metu exitii minimè dubii impendentis, ilicò hinc sese proripiens, in extremam Galliarum oram secedit, consumptis ubique copiis mansionum, ne quis consequi exercitus posset. At militum in hac Belgica degentium, is ardor animorum, & in principem suum extitit amor, ut Maximiani nefariâ jam adversus Generum machinatione patefactâ, ultrò ad facinoris ultionem proficiscendi signum expeterent; cumque viatica in abeuntes Constantinus distribueret, idipsum clamarent sibi moram facere, plusque jam se quàm sufficeret, ex largitionibus ipsius habere. Inde, arreptis armis à Rheno usque ad Ararim, quando cum itineribus ardor vindictæ crescebat, tantâ corporis æquè atque animi pertinaciâ superavêre viam, ut cùm fessos à Cabillonensi portu excepissent navigia, segnitiem amnium non ferentes, stare se, non ire, dicerent.

Constantinus e Belgica cum exercitu proficiscitur in socerum hostem. Paneg. sæpè cit. Facetem.

CXVIII. Constantinus Massiliam oppugnat.

Ergò, ubi tyrannum Massiliæ validæ urbis, & omni bellico adparatu instructæ mœnibus tueri se, nec quicquam animi ostendere cernunt, ut secum acie dimicet, repentè ad mœnia succedentes, urbem terrâ mariquè copiis aggredi parant. Nec multùm abfuit, quin primo impetu in muri coronas evaderent; cúmque scalarum usum fefellisset altitudo mœnium, aliorum alii brachiis humerisque innixi, pervenerant ad summa; sed, ne quid irâ ac furore crudeliùs in cives statuerent, Constantinus signum dedit receptui. Inde Panegyrici verba, ad Constantinum, sunt: *O singularem tuam, Constantine, pietatem, & sua semper officia inter arma servantem; signum receptui dedisti, & victoriam distulisti, ut omnibus tibi liceret ignoscere, ne quid atrociùs faceret miles iratus, quàm clementia tua naturâ pateretur.*

Deditione capit.

Maximianum necat. Sex. Aurel. Victor. & Euchr. in Theb. hist. Sevus Zosim. impius lib. 2.

Porrò ad extremum terrore circumfusi exercitus coactâ ad deditionem urbe, longè Maximiano sua fuit divinitas; fractis enim, ut ait Victor, laqueo cervicibus, meritas tametsi seras, tanti profusi Christianorum sanguinis, denique pœnas persolvit.

Tumultus barbaricus. Panegyr. qui sup. & Nazar.

Dum ultimis Galliæ regionibus militiæ robur attinetur civili bello, conjuratæ trans Rhenum gentes more suo validæ, magnáque mole irrupêre; Bructeri, Vangiones, Chamavi, Cherusci, Alemani, Tubantes. Sed Constantinus, ubi reditus sui famâ, primum furoris eorum impetum fregit; reversus in Belgicam, dissimulato principis habitu, ipsos adire barbaros cum paucissimis nil dubitavit, experturus ecquid eorum spes fortunásque versando, pace bellóque proficeret. At postquam pacis consilia frustra fuêre, mox omnibus instructis copiis, in eorum profectus fines, prælio cum iis facto secundo, ex Germania victor rediit.

CXIX. Constantinus victor Treviri Apollinis fanum speciosissimum triumphans subit.

Quare triumphantis specie, Trevirorum Augustam invectus, ad Apollinis templum, quod hic toto orbe pulcherrimum tum visebatur, deflexit; atque eò donariis amplissimis illatis, nuncupata vota, gentilium ritu, peregit. * Apollini fatidico fuit Romana superstitio, propter fortium ac divinationis amorem cumprimis obnoxia; intenditque fraudes omni tempore animarum auceps Satanas, ut, cùm publicis delubris, sub statuarum & imaginum honore consecratus delitesceret, responsis ac futurorum prædictione, numinis autoritatem quasi præsentis obtineret, ac homines ita captos, multiplici transversos ageret errore.

* Minutius Felix in Octavio.

Trevirorũ idolomania.

Et satis ad fidem argumenti suppetit, Treviros, post tam immania de Christianis sumpta supplicia, acriori certamine priscum vindicasse cultum; & aras, Deorumque sedes, totâ Coloniâ longè conspicuas coluisse impensiùs, principum adjutos præsertim exemplo: qui, cùm ad arbitrium nutumque dæmonis, militiæ domique negotia sumerent, omitterentve, Apollini, & haruspicum responsis, mirè indulgebant.

CXX. Constantinus haruspicinæ deditus & Apollini.

* Acta Silvestri. Zosim. l. 2. Eunapius in Philos. vitis variis locis. Sed de Constãt. clarissimè cod. Theodos. l. 16. tit. 10. de paganis.

* Ipsum certè Constantinum, priusquam initiaretur, haruspicum disciplinam non tolerasse modò, verùm & hariolis vatibusque, qui sub umbra Philosophiæ hâc ætate principum aulas obsidebant, cupiisse vehementer, seque artibus eorum malis etiam miscuisse, haud ambiguum apud veteres scriptores. Hinc illa stolida Panegyrici adulatio: *Ad præsentem ut venisti Deum, vidisti, Constantine, Apollinem tuum, comitante Victoriâ, coronas tibi laureas offerentem, quæ tricenûm singulæ ferunt omen annorum. Meritò igitur augustissima illa delubra tantis donariis hone-*

stasti

stasti, ut jam vetera non quærant, jam omnia te vocare ad se templa videantur; præcipuéq; ª Apollo noster; cujus ferventibus aquis perjuria puniuntur, quæ te maximè oportet odisse. Hæc ille ritu tum gentico; & quia grata Apollini ᵇLaurus; quod ea in Parnasso monte spectatissima, & boni Genii planta ᶜmedico Deo serviret, victoresque Delphis & triumphantes Romæ coronaret, ᵈserta quoque laureata Belgicus orator celebrare voluit, cujusmodi veterum numorum imagines pleræque omnes in Votis ac Victoriis præ se ferunt, versibúsque Prænestinis, eadem meminimus laudata:

a Loquitur Panegyricus de patria nostra. Nam æternus apud Treviros dixit.
b Plin. lib. 15. cap. 30.
c D. Aug. de Civit. l. 7. cap. 16.
d Coronæ votivæ. Steph. Pigh. Her. prod.

ᶠOMNIBUS HIC ANNIS VOTORUM MORE SUORUM,
CENTENAS * ADICIT NUMERO CRESCENTE CORONAS,
FORTUNÆ SIMULACRA COLENS, ET APOLLINIS ARAS,
ÆGERIUMQ. JOVEM, QUORUM CONSENTIT IN ILLO
MAIESTAS, LONGÆ PROMITTENS TEMPORA VITÆ.

f Inscriptio V. Prænest.
* pro adjicit.

Atque hæc à nobis eò in medium prompta, ut quibus cura noscendi verum, iis planè constet, supplicia in Christi confessione per hos quoque dies de Belgicis Episcopis sumpta, nec à superstitiosæ civitatis ingenio, nec à Principis, temporúmque conditione prorsus abhorrere.

Ita Euseb. temperandus & Sozomenus l. 1. cap. 6.

CXXI. Subiit hinc annus à reparatâ salute trecentesimus decimus, quem Trevirorum Augustâ votorum gratulatione lætissimum exegit. Surrexerant in sublime jam opera, quæ omnis generis plurima, Constantinus hujus urbis vetere situ deterso, & ad pulchritudinem magnifica, & ad usum decora, & ad posteritatem diuturna, molitus erat. In his Circus, qui magnitudinem etiam Circi Romani provocaret; ᵍ basilicæ item; quod genus juridicundo & negotiis dicatum, porticibus, columnis, ac multo lumine abundans, aëris ac aperti cœli injurias defendebat: additum his forum, & nova curia: antiquitas nempè foro ac basilicæ ærarium, carcerem, & curiam jungebat. In hac verò quod Senatus ad consilium sententiásque rogandas coire, & reddere item jura consuêsset, eà de caussâ, SEDEM JUSTITIÆ, nuncupat vetus Orator. Quin & huc spectasse Burdigalensem Poëtam, nulla ad fidem cunctatio. nam decuriones & Treviros senatores canit:

ANNUS CHR. 310. Urbis Trevirorum restitutæ natalis.
g Vitr. l. 5. c. 1. Circus Trevirensis Basilicæ.
Forum & Curia.
Sedes justitiæ Trevir.

Legumq. catos, fandiq. potentes
Præsidium sublime reis, quos curia summos
Municipum vidit proceres, propriumq. senatum.

Curiam & Senatum, uno quoque nexu, Poëta junxit; ut simulacrum expressum agnosceres Senatus urbis, & arcis omnium gentium: cujus colorem duxit Augusta Colonia. Porrò Constantinus urbem hanc amplissimis instructam tectis, cùm honorificis insuper & privilegiis atque commodis ornasset, ceu post excidium renatam, novam ipse condidisset, ejus hoc anno natalem celebravit. edendisque ludis populi lætitiam, spectaculis voluptatem accendit.

Municipes pro æqualis. nam confunduntur passim ut M. Velser. lib. 5. rer. August. docuit.
Paneg. qui incipit, Fecerem.

CXXII. Auctior hæc in publicum gratia, quòd eodem tempore, Quinquennalia vota Treviris etiam solvit; & alia in decennium, instituto jam more, nuncupavit; utrinque geminatis gaudiis. Votorum index creberrima Treviris signata moneta. Ipse fermè Constantinus plerumque in thorace & galea. Vota sustinent Victoriolæ; numerus coronæ insertus; cum inscriptione: VICTORIÆ. PRINCIPIS. PERPETUÆ.

Vota quinquennalia solvit & decennalia nuncupat Treviris Constantino alii sequenti anno.

Inter hæc Eusebio Pontifice Romæ sequenti anno vitam relinquente * Miltiades successit. Constantinus verò Galliarum inde reliqua negotia prosequens, ubi circumcisis, quæ provinciales onerabant, pleraque in vulgus grata usurpat, Treviris Augustodunum, vel, ut visum aliis Bibracten, in Æduos, magnâ justitiæ abstinentiæque famâ, progreditur. Civibus quippe ad se accersitis, & suas jussis exponere necessitates, ut tributorum magnitudine prægravari cognovit, septem millia capitum eis remisit; nempe quartam amplius partem censuum, quàm in capita civium Ædui singula conferre solent: quâ quidem remissione, usque adeò laborantem Rempublicam eam sublevavit, ut, quod vetus Orator prodidit, viginti quinque millibus dederit vires, dederit opes, dederit salutem.

MILTIADES PONT. an. 2. m. 2. d. 7.
* al. Melchiades.
ANNUS CHR. 311. Constantini in Gallican. provinc. indulgentia.
Augustodunum, an Bibracte caput Æduorũ disputat Steph. Pigh. in Her. Prod.

CXXIII. Hujus beneficii necopinati magnitudinem, cùm Ædui vix caperent animo; digressum ex suis finibus Trevirim usque prosecuti, mox Oratorem (Eumenium volunt nonnulli) submiserunt; qui Trevirorum in urbe Constantino benè merenti gratias & laudes haberet. Hinc ipsius illa Panegyristæ verba: *Cùm in hac urbe, quæ adhuc assiduitate præsentiæ tuæ præ cæteris fruitur, habebit enim * felicitatis æmulam Flaviam nostram, totus tibi amicorum tuorum comitatus, & omnis imperii adparatus adsistit; &, cùm omnes homines omnium ferè civitatum aut publicè missi, aut pro se tibi supplices, adsint; dicam Imperator, quæ libenter agnoscas, & cæteri nobis indulta non crederent, nisi te cognoscente, dixissem.* Quod verò dicturum se pollicetur, ejus hæc summa fuit: *Quinque annorum nobis * reliqua remisisti. O lustrum omnibus lustris felicius! O lustrum, quod meritò hanc imperii tui æquavit ætatem! Nobis ergo præcipuè te principem dii creaverunt; quibus singulis hæc est nata felicitas, ex quo tu imperare cœpisti. Quinquennalia tua nobis etiam perfecta celebranda sunt. illa enim quæ, te incipiente, suscepta, omnibus populis jure communia; nobis hæc propria, quæ plena sunt.*

Ædui tributis levati Constantinum Treviris adeunt gratias agentes.
* sublata.
Treviris quæ Palatinorum & Provincialium frequentia.
* tributa.

CXXIV. Sub hæc Constantinus occultâ populi Romani legatione ad vindicandum à tyrannide Maxentii, Romanam Rempublicam & Italiam sollicitatus, hoc promptiùs pareret, quò plenior & apertior ad gloriam campus. Nec recens memoria sævitiæ Constantinum duntaxat ad hoc bellum instigabat; suberant inter infensos odia diuturnis alimentis inveterata; seque & Africæ vires expertus Maxentius, quærere rursus arma, novasque discordias.

Constantini gloriosa expeditio contra Maxentium.
Euseb. Eccles. hist. l. 9. c. 8. in Constant. vita lib. 1. c. 20. Zonar. annal. tom. 3.
Eutrop. l. 10. Oros. Niceph. l. 7. c. 29. 30. Zosim. l. 2. hist. Eutrop. 5. an. imp. bellum conflatum testatur.

Quamobrem arrectæ Constantini curæ; hocque ipso anno firmissimum exercitum, invicto genere veteranorum militum, undique contraxit; ac in Treviros, ubi tum agebat, convenire jussit.

ANNUS CHR. 312.

* Indictionum origo, de qua in Chro. lac. Gordin.

Exercitus Conſtantiniani ſingularis & à Deo immiſſus ardor atque alacritas.

Nazar. in ora. panegyr. & altera Trev. habita, qua incipit Unde mihi.

Vt apud I. Livin.

Cæterùm, inſequenti anno, Conſtantino & Licinio ſecundùm Coſſ. quo * Indictiones imperatoriæ initium habuiſſe putantur, militum, ex Britanniâ, Hiſpaniaque, & Galliæ provinciis omnibus, in Treviros ſpectantium, tam alacris concurſatio fuit, ut cœleſtibus, quod eventus docuit, non humanis imperiis excitos, Deus ipſe agere, atque ad bellandum faces ſubdere videretur. Unde poſtea Nazarius ad Conſtantinum: *In ore eſt omnium Galliarum, exercitus viſos, qui ſe divinitùs miſſos præ ſe ferebant: flagrabant horrendùm, neſcio quid, umbone coruſci; & cæleſtium armorum lux terribilis ardebat. tales enim venerant, ut tui crederentur; hæc ipſorum ſermocinatio: hæc inter audientes ferebant: Conſtantinum petimus, Conſtantino imus auxilio. Illi cælo lapſi, illi divinitùs miſſi, gloriabantur, quod tibi militabant.* Cùm hoc igitur exercitu tam prompto paratoque, ex Treviris, communito præſidiis Rheno, tandem in Rhætos verſus Alpes, movit.

a Lib. 1 Euſeb. c. 20. 21. 22. & ſeq. in vita Conſtant.

b in eod. c. 22.

CXXV. Conſtant. deteſtatur cultum dæmonum & & idolorũ.

ᵃ Porrò inter moliendum cùm ſubinde gravior præſentis belli cura mentem occupaſſet, ut ex ipſius jurati ore poſt ſe accepiſſe narrat ᵇ Euſebius, hæc denique tacita ſubiit cogitatio, teterrimo dæmonum & idolorum abjecto cultu, in numinis ejus cognitionem adniti, quod numen unicè patrem ſuſpexiſſe, cujusque tutelâ ac majeſtate nixum, imperium habuiſſe florentiſſimum cognoverat. Ergo verſum in divinæ precationis ſtudium; attentiore curâ orare atque obteſtari cœpiſſe, unum cœli terræque rectorem, uti volens & propitius is quinam ipſe eſſet, ſibi palam faceret, ſimulque quod agitaret animo bellum, ut id bellum ipſius nutu & ope, imperio populóque Romano benè felicitérque verteret.

Conſtantinus in Gallia Crucis in cœlo oblatæ miraculo Chriſti notitia imbuitur catechumenus.

ΕΝ ΤΟΥ ΤΩ ΝΙΚΑ

NB. Quo loco hæc facta ſint, Vide infra Additionibus ad hiſt.

Nec mora, precantem audiiſſe pro ſolita clementia Deum. Proficiſcenti quippe, & copiis omnibus ad iter accinctis, cùm ſol à medii diei puncto jam inclinans præcipitaret, mirùm dictu, crucis in cœlo ſignum literis ſidereis præfulgens, & radianti imminens ſoli, apparuiſſe cum hac cœleſti ſcriptura: IN HOC VINCE. Quo quidem viſo mirabiliter obſtupefactum, cùm oblatâ per quietem ſui ſpecie Chriſtus Dominus confirmaſſet, & ad ſimile ſignum, cujuſmodi ipſe in cœlo conſpexiſſet, militiæ deinceps attollendum hortatus eſſet, adhibitis mox & accerſitis Chriſtianæ religionis interpretibus, fidei myſteriis hinc imbui cœpiſſe. Ita cum pleriſque aliis Euſebius. Ergo, quod de eo Lactantii verbis loqui juvat: *Conſtantinus primus Romanorum principum, repudiatis erroribus, majeſtatem Dei ſingularis & veri & cognovit, & honoravit, & everſam ſublatamq́ juſtitiam reducens, teterrimum aliorum facinus expiavit: pro quo facto, dedit illi Deus felicitatem, virtutem, diuturnitatem; ut eadem juſtitiâ, quâ juvenis exorſus erat gubernaculum Reipublicæ etiam ſenex teneret, ſuisq́ liberis, ut ipſe à patre acceperat, tutelam Romani nominis traderet.*

Exordio divin. inſtit. Sozomenus lib. 1. c. 5. contra impium Zoſimum & Ruſin. hiſtor. Eccl. l. 9. c. 9.

CXXVI. Prudent. l. 1. in Symma. Sozom. l. 1. c. 5. Niceph. lib. 7. c. 31. ex quorum contextu colligitur in Galliis vidiſſe crucem.

His itaque Chriſti fretus tam lætis atque glorioſis auſpiciis, ex Gallia, ubi hæc oſtenta illi oblata, diſcedens, eas deinde res in Italia geſſit, quibus immorari nos etſi memoria digniſſimis, retinendi tamen cura propoſiti, non patitur.

Conſtantini adverſus Maxentium pugna victoriaque leviter hic tacta.

Maxentii ingloria mors.

Naz. paneg. Sozom. l. 2. hiſt. Panegyr. Unde mihi. Euſeb. in chron. & Socr. l. 1. c. 1.

Alii 8. vel 6.

Rei hæc ſumma eſt: cùm per infeſta hoſtibus itinera Romam demum evaſiſſet ad ipſam belli arcem, cominus cum Maxentio tyranno ſignis collatis prælio nobili, apud Milviumpontem edito, Maxentium ſuperavit. Tyrannus verò, objecto à tergo Tiberi, oppoſitis à fronte armatis, interclusâ fuga ſibi ſuisque, medium inter pavorem Tiberis undis hauſtus, periit. Atque is exitus victoriæ fuit Chriſti ſingulari favore ac auxilio, imperii anno VI. vel * VII. partæ, cum ipſi Imperatori optatus, tum Chriſtianis inpoſterum, oborta ſpe libertatis, longè jucundiſſimus.

CXXVII. Conſtantini in Galliam reditus.

Decennalis perſecutionis ceſſatio.

ANNUS CHR. 313.

Paneg. Unde mihi.

Conſtantinus igitur fulgens his tam præclaris agnitæ ſimul expertæque religionis Chriſtianæ monumentis, decennali jam tunc ceſſante perſecutione, non ſine ſpecie triumphi anno poſtero in Gallias reverſus eſt. Hic verò ſimul atque belli apud Rhenum exorti nuncium accepit dato ſibi, quo reſpiraret, vix otio, rei mox gerendæ ſeſe accinxit. Hujus alacritatis teſtem laudo Panegyricum, qui Treviris eruditorum interpretatione tunc ad Conſtantinum publicè dictus: *Non enim*, inquit, *feſſus præliis, & expletus victoriis, ut natura fert, otio te & quieti dediſti, ſed eodem impetu, quo redieras in Gallias tuas, perrexiſti ad inferiorem Germaniæ limitem non magna intercapedine temporum, ac brevi locorum diſtantia, poſt annuam expeditionem, ſtatim bellum auſpicatus à Tiberi ad Rhenum.* Et mox: *Quiſnam iſte eſt tam continuus ardor? quæ divinitas perpetuo indigens motu? omnium rerum intervalla ſunt: ceſſat terra novalibus: dicuntur interdum flumina reſiſtere: & ipſe dies noctibus acquieſcit. Tu, Conſtantine ſolus infatigabilis, bellis bella continuas: victorias victoriis cumulas: quaſi præterita ſint obliterata, ſi deſinas; non putas te viciſſe, niſi vincas.*

Francorum rebellio videtur notari.

* ſocerum.

*Ruperat fidem gens levis, & lubrica barbarorum; & robore atque audaciâ lectis eruptionis auctoribus inſtitiſſe Rheno nunciabatur: ilico obvius affuiſti, & præſentiâ tuâ, ne auderent tranſitum, terruiſti. Etiam videbaris rem votis tuis feciſſe contrariam; quod, inhibitâ eruptione, non foret materia victoriæ; ſed inopinato conſilio uſus, abeundo enim, ſimulato nuncio majoris in ſuperiore limite tumultûs, occaſionem ſtolidis, ac ferinis mentibus obtuliſti in noſtra veniendi, relictis in occulto ducibus, qui * ſecutos adorirentur. Quò cùm veniſſent, conſilium tuum ſequitur fortuna: toto Rheni alveo oppleto navibus, devectus, terras eorum, ac domos mæſtas lugenteſq́, populatus es; tantamq́ cladem, vaſtitatemq́ perjuræ genti intuliſti, ut vix poſt illud nomen habitura ſit.*

Optat. Af. in hiſt. lib. 1 Aug. epiſt. 68. Euſeb. l. 10. cap. 5.

Maternus ejus nominis II. Agrip. Epiſc.

Florebat eximiâ per hoſce dies cùm integritatis tum ſapientiæ laude in vicinâ Treviris Agrippinenſium Coloniâ, Maternus Epiſcopus: ut admiratione non careat, tantum, tamque præſtantem Epiſcopum indice publico, ceu quadam oblivionis injuria, diſpunctum: cujus certè non Euſebio duntaxat & Optato, verùm etiam Cõſtantini reſcriptis celebratum nomen. Et honorificũ ſanè Imperator de hoc Materno judiciũ in Cæciliani Carthaginienſis Epiſcopi cognoſcendâ causâ fecit. Cognitio talis admodum fuit: Cæcilianus Carthaginienſis Eccleſiæ Diaconus, orbâ ac deſtitutâ ſede, cleri juxta ac populi Catholici ſuffragiis,

CXXVIII. Galliæ Epiſcopi in Cæciliani cauſa judices.

Epiſcopus

Episcopus erat creatus. Illum Felix Aptungitanus, manibus ritè impositis consecràrat. Id verò molestè cumprimis ferre Donatus; qui nuper pravis susceptis, cùm de unius trinique Dei pari & æquali per omnia majestate, tum de iterando, baptismo sententiis, pacem Africanæ Ecclesiæ sane quàm turbaverat, multis in eundem errorem, proclivi contagio, secum pertractis. Ergo, ubi Catholicus Episcopus, & longè aliter ac ipsi de religione sentiens, inquietis & turbulentis hæreticorum ingeniis placere jam nequiit, primùm fatigare criminando Cæcilianum, atque dein evertere calumniis innocentem, libido fuit. In utroque, cùm spes irrita seditiosos fefellisset, consilium mutuati ab audacia, palam secessionem facere, sibi altaria seorsim sistere, & Majorinum Lectorem, Lucillæ potentis ac factiosæ, sed & improbæ mulieris ope, contra Cæcilianum provehere ad Episcopatum.

CXXIX.

Constãtinus Treviris leges & decreta sancit.

Card. Sig. monuit Arelate degisse. Fr. Bald. nobiscum Trevir. in annotat. ad Optatum. C. Theod. l. 11. tit. 29. de relation.

Ex hac factione, cùm gravior inde flamma dissidii erupisset, quàm quæ ab Africæ Proconsule posset sedari, Donatistæ, ut, qui occupatis jam Orthodoxorum fundis, in omnem se partem versarent, quò Cæcilianum fraude & calumniis sede devolverent, haud stultè profectò, Constantinum in partem hanc pertrahunt rei Christianæ pro Catechumeni conditione, tum non oppidò gnarum. Degebat is, ut meus quidem sensus, eo tempore in Treviris; neque enim hujus anni hiberna duntaxat, verùm & æstivorum hic bonam partem traxit; qua in re magno nobis præsidio leges, quas Theodosius Imperator sparsim lectas, in ordinem coëgit. Rescriptum proponitur, VI. Kalend. Junii Treviris Constantino & Licinio III. Coss. datum, ad Claudium Plotianum Correctorem Lucaniæ ac Brutiorum, quo Constantinus caussarum sibi quarundam cognitionem deposcit, nec litigatoribus eripi, à sententia provocandi legitimum patitur arbitrium.

Lib. 16. tit. 2. de Clericis & Episc. Treviris datam interpretatur Sigon.

CXXX.

Constantinus in Christianos benevolus. Tangere Donatistarum ambitum, haud obscura cõjectatio.

Lib. 11. tit. 30.

Sed, & adulto quoque autumno, mansisse Treviris, argumento lex, quam prid. Kalend. Novembris pro Clericis Catholicis tulit: *Hæreticorum factione comperimus, Ecclesiæ Catholicæ Clericos ita vexari, ut nominationibus seu susceptionibus aliquibus, quas publicus mos exposcit, contra indulta sibi privilegia prægraventur. Ideóque placet, si quem tua gravitas invenerit ita vexatum, eidem alium subrogari, & deinceps à supradictæ religionis hominibus hujusmodi injurias prohiberi.* Rursus hyeme media III. Kalend. Januarias, eodem consulatu suo, leges Claudio Plotiano de appellationibus & earum pœnis dictavit. Atque his omnibus planè persuasum putamus, restitisse magnam anni partem apud Treviros. Donatistis verò, ut inchoata pertexantur, cùm certum, iniquæ causæ Constantinum adoptare patronum, primò perpellendum sibi duxere Anulinum Africæ Proconsulem, ut is cognitionem Principi in Galliis agenti deferret, & accusationum libellos commendaret: *Transmisit*, ait B. Augustinus, *libelli duo; unus in aluta subscriptus ita: Libellus Ecclesiæ Catholicæ criminum Cæciliani, traditus à parte Majorini.* Item alius cohærens eidem alutæ, datus die XVII. Kalend. Maias Carthagine, D. N. Constantino III. Coss.

Aug. Epist. Chr. Hippo. ad Januar. ep. 68. & 162.

Donatistæ Treviris Cæciliani caussam tractant.

Porrò hos libellos Trevirim ad Constantinum perlatos; cum intervalla temporis rectè pensanti, tum ordinem gestarum rerum propiùs inspicienti, confestim allucebit. Sanè priori libello totius caussæ Cæciliani disceptatio comprehensa videtur; ut, quæ ab Optato his verbis promuntur infinitè ac universè, ea ex posteriore desumpta, appareat.: *Rogamus te, ô Constantine Optime Imperator, quoniam de genere justo es, cujus pater inter cæteros Imperatores persecutionem non exercuit; & ab hoc facinore immunis est Gallia; nam in Africa inter nos & cæteros Episcopos contentiones sunt. Petimus, ut de Gallia nobis judices dari præcipiat pietas tua.*

Optat. contra Parmen. l. 1.

CXXXI. Constantinus recusat judicium in re Ecclesiastica.

Constantinus, etsi primo detestari visus in Clero pertinax illud contentionis genus, cùm rescriberet non sine stomacho: *Petitis à me in sæculo judicium, cùm ego ipse Christi judicium expectem*; tamen, quod satis rei eventus arguit, cognitionem accepit; & libellorum literarúmque exempla, quæ ex Africa huc perlata, mox ad Maternum Agrippinensium; Rheticium Augustoduni, & Marinum Arelatensem, excellenti virtute tum Galliæ Pontifices misit; atque eos, cognitâ & inspectâ diligenter caussâ, Romam ad Miltiadem proficisci jussit. Quâ de re licet nullum publicè rescriptum extet; literis tamen à Constantino ad Miltiadem datis, quas Eusebius memoriæ prodidit, fat manifestum evadit, Maternum, Rheticium, atque Marinum, Constantini jussu, ad Cæliani caussam ritè dijudicandam, unà cum cæteris Italiæ Episcopis Romam adiisse. Unde disertis verbis Optatus: *Ad urbem Romam ventum est ab tribus Gallis, & ab quindecim Italis. Convenerunt in domum Faustæ in Laterano. Constantino III. & Licinio Coss. VI. Non. Octobris sextâ feriâ.* Considentibus Episcopis, caussa Donati & Cæciliani in medium revocata. In Donatum sunt hæ sententiæ latæ. Confessum se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse; quod utrumque ab Ecclesiâ alienum erat.

Lib. 10. c. 5.

Libro 1. Romanum Concilium Cæciliani caussa contra Donatistas.

CXXXII. Cæcilianus innocens pronuntiatur.

Aug. ep. 162.

Testes inducti à Donato, quod in Cæcilianum dicerent, nihil habere professi sunt. Ergo, cùm trepidat accusatio, Cæcilianus omnium Episcoporum sententiis innocens pronunciatur. Miltiades etiam, cujus in hoc judicio summa fuit autoritas, cùm displiceret item, quod cæteris non placuisset, haud utique sententias divisit. Cæcilianum, quando constaret ab iis, qui cum Donato venerant, juxta professionem suam non accusari, nec à Donato ulla in parte convictum, in Ecclesiasticæ communionis integro statu, meritò retinendum. Hæc quia ad Materni partim memoriam conservandam, partim ad Belgicæ Ecclesiæ statum, cui Agrippinenses & Tungri impliciti, exponendum, magno usui, quæ perscriberentur, literis digna sumus arbitrati.

Chron. Col. & Catalog. Elector. III. Eccl. Petri Mersai.

Treviri & Agrippinenses non eosdem cõmuniter habuere sẽper antehac Pontifices.

Quo leviore momento rudis illorum opinio frangitur, qui jam inde à primo & Apostolico Materno, usque ad Euphratem, populum Agrippinensem tradunt, aut nullos habuisse pastores; aut eosdem quos Tungri Trevirique; aut denique in cultu degenerem, abjectis & repudiatis, quæ semel imbiberant, religionis sanctis-

Trevir. & Agrip. Ecclesiae nunquam à fide penitus defecisse.

sanctissimæ præceptis, abiisse in consuetudinem pristini erroris; Treviris etiam vel iratis ac invitis in eadem gentilitatis ac proditæ fidei dedecora conjectis. Cæterùm à disciplinâ priscâ non abhorret, Maternum, etsi loco inferiorem, ob virtutis tamen singularis ac sapientiæ famam, in hac causa legatione Ecclesiarum utriusque Germaniæ & Belgicæ perfunctum, non sine Episcoporum approbatione munus id ei deferentium. Nisi quis à Donatistis mallet, qui frequentes in Galliam advenerant, cum aliis nominatim Judicem petitum; quod non ita fortè honorificum Materno foret.

[illegible]

CXXXIII. Constantinus Treviris edit cruenta spectacula.

At Constantinus, sine hujus anni necdum penitùs ex animo deletis priscæ superstitionis & sævitiæ notis, Trevirorum in urbe, ludos magnificè & spectacula rursus edidit: Sed non incruenta, seu ex Francicæ victoriæ reliquiis, seu recenti bello materiam lanienæ nactus. Dixit instituto sollenni tum ibi Orator quispiam: Maxentianique belli, & expeditionis Italicæ felicitatem ipsi coram gratulatus inter alia: *Quid*, inquit, *hoc triumpho pulchrius, quod cædibus hostium (Imp.) utitur, etiam ad nostrum omnium voluptatem; & pompam munerum de reliquiis barbaricæ cladis exaggerat? Tantam captivorum multitudinem bestiis obicit, ut ingrati & perfidi non minus doloris ex ludibrio sui, quàm ex ipsa morte patiantur. Inde est, quod cum exitium differre liceat, perire festinant, seseq. lethalibus vulneribus & mortibus offerunt. Ex quo facilè apparet, quàm magnum sit vicisse tam prodigos sui.*

ANNUS Chr. 314. Synodus Arelatensis in caussa Donatistarum. [illegible]

Anno sequenti, qui Volusiani & Anniani Consulatu insignis, Arelate ad Cæciliani caussam discutiendam nova Synodus complurium Episcoporum, ducentos exprimit B. Augustinus, Constantini nutu sub initium Augusti coiit; Donatistis altercationum ac rixæ modum ullum nescientibus; hic adductâ rursus in disquisitionem testatâ jam toties Cæciliani innocentiâ; quem, ubi omnium unâ voce secundum innocentem pronunciato judicio, absolutum denuo constitit: enimverò tum ibi Donatistæ, omnibus ad irritum cadentibus votis, ab Ecclesiastico judicio ad Imperatorem caussam rejici, ac transferri velle, atque ut is cognitionem recipiat, adniti. Atqui verò, re tandem, quò cuperent ipsi, per æqua per iniqua, renitente etiam Constantino, deducta, idem judicii tenor secutus est.

Optat. Afric. lib. 1.

CXXXIV. Censura de Concilio Arelatensi 2. [illegible]

Id autem hic omninò dissimulari non potest; Synodum eam, quæ Concilii Arelatensis secundi nomine jam pervulgatâ fruitur luce, nimium quantum ab hac, qua de sermo nobis est, sententiis personisque totis variare. Quod enim Volusianus & Annianus Coss. ascribantur anno, quo coactus is nimirum Arelate conventus, id cum reliquis ut consistere queat, nullo certè pacto dispicimus. Etenim, cùm Synodus Nicæna, & Arriana pestis, quod malum tum inclusum adhuc latebat, eo tamen in Concilio, ceu manifesta, commemorentur, quis eam non videat Anniani & Volusiani fascibus fuisse postponendam? Jam verò Sixtus Episcopus Syracusanus, in subscriptorum albo illic vel primum locum obtinet; at publicis Constantini rescriptis, evocatum * Chrestum Syracusæ Præsulem ad Concilium Arelate habendum, mero meridie clariùs. Denique, cum aliis, Agricius Trevirorum Episcopus & Felix Exorcista hoc eodem anno subnotasse ibi produntur; quod sanè cum veteribus omnibus hujus Ecclesiæ monumentis, ut quàm maximè, dissidet. Neque nescio curæ fuisse doctis viris meliore post censurâ hujus Synodi tempus & acta ad limam revocare; sed in iis tamen mutila & mendosa mansisse plurima, quis non videt? Ut ejus autoritate ad res Trevericas uti, nulla cautio sit.

* Euseb. hist. lib. 1.

† S. [illegible] Agricius Trevirensis [illegible] Arelatensi [illegible]

CXXXV. Constantinus Treviris hibernat. [illegible]

Maturo jam autumno accessisse Constantinum apparet in Treviros ad hibernandum. Nam rescripsit hinc ad eos, qui in Palatio variis pace belloque muneribus obeundis, benè de se reque publica meriti fuerant, iisque honores, & privilegia in hanc formam concessit:

Palatinis immunitates indulget.

Imp. Constantinvs Avg. Palatinis et bene meritis svis salvtem: *A Palatinis tam his, qui obsequiis nostris inculpata officia præbuerunt, quàm illis, qui in scriniis nostris, id est, memoriæ epistolarum, libellorumq. versati sunt, procul universas calumnias, sive nominationes, jubemus esse sublatas: idq. beneficium ad filios eorum atque nepotes, ipso ordine sanguinis pervenire, atque immunes eos à cunctis muneribus sordidis & personalibus permanere, cum universis nobilibus, & mancipiis urbanis; neque injurias eis ab aliquibus inferri; ita, ut qui hæc contempserit, indiscretâ dignitate pœnas pendat debitas. Datum IIII. Kalend. Novembris Treviris. Volusiano & Anniano Coss.*

CXXXVI. ANNUS Chr. 315. SILVESTER Pont. an. 21. m. 10. d. 1.

Sub hæc Miltiades hominem exuens, Sylvestro præstantissimo Pontificum, sedem Romæ vacuam concessit. Constantinus inde & Licinius quartùm Coss. in flagranti studiorum ac religionis dissidio malè sartâ gratiâ, dum ardentiores ipsi erumpunt, impetum non attinuêre, quin in Pannoniam comportatis exercitibus, atroci ad Cibalas editâ pugnâ; mox iterum in Thracia, summis copiis inter se decernerent. Licinii ut crudelis, & impii caussa ubique jacuit, sic Christiani Principis, & Christi ope pugnantis, ubique superior. Unde quæ Constantini clementia in victos, restituta gratia, quo arctiore se fide adstringerent, Crispus Constantini ex Minervina, & Constantinus ex Fausta FF. ac Licinianus Licinii Augusti proles unâ Cæsares appellati. Quæ quidem ita concinnat Zosimus; cui, si integra fides; in hunc scilicet annum prælia, quæ dixi conferas: siquidem ex pace & fœdere bellum secutis, nectit creationem Cæsarum. Verùm quia, ut Eutropius ait, varia inter Licinium & Constantinum extitêre bella, & pax reconciliata, ruptaque sæpiùs, dubiam & fluctuantem annorum seriem non facilè tegimus, gnari, haud sine probabili causa * Thracium bellum in tempus rejici posteriùs.

Cibalense bellum à Constant. cum Licinio gestum.

[illegible]

Decennalia Constant. Romæ celebrat.

Hoc interim anno Romæ Constantinus decennalia sua dedit, consueto munerum & ludorum adparatu, at quod apud Eusebium invenio, majore castitate religionis, & forsitan expertia sanguinis. Extant Treviri ad hanc quoque diem Constantini & Crispi Cæsaris multiplicem cujusque metalli monetam, in qua nummi etiam, quorum Epigraphe: VICTORIÆ LÆTÆ PRINC. PERP.

* [illegible]

Digitized by Google

ara verò numero X. decacteridem, at superstans aræ corona, quam Victoriæ sustinent * VOT. P. R. continet. sub aræ basi P. TR. literæ percussam Treviris signante. Licinii quoque moneta GENIO POP. ROM. inscripta, quo symbolo usi plerunque Diocletianus & Maximianus, hic sese offert frequentissima.

* Vota populi Romani.

Porrò Constantinus solutis decennalibus, & vicennalibus in futurum nuncupatis, ad Illyricum ordinandum Romà discedens, Crispum filium in Treviros misit ad imperii fines à barbarorum incursu protegendos, adhibitis optimis quibusque ipsius adolescentiæ cùm belli, tum pacis artibus informandæ, magistris. Is certè diversa per Novembrem mensem istic patris Augusti nomine rescripta edidit, quippe; quod ex Sozomeno colligunt eruditi, quæ per id tempus à Constantino leges in Gallia sanctionesque perscriptæ à Crispo filio, pari omnia tum arbitrio gerente, manârunt. Etsi leges alibi à patre conditas, Crispum in Galliis promulgasse si dixerim, perinde tuear sententiam scripti. namque cùm titulum Constantini præscribunt absentis, legislatorem; cùm Treviros subscribunt, legis præconem, indicant Crispum.

Crispus in Treviros à patre cum imperio mittitur.

Carol. Sig. in Occident. hist. Sozom. l. 1. c. 5.

CXXXVIII. Cæterùm Crispus Cæsar, quod à Republica gerenda, & bellorum certamine, Treviris excepti habuit temporis, id omne in Palatio, & Augusto majorum domicilio, doctrinarum studiis & eloquentiæ dedit, Lactantium Firmianum egregiâ facundiâ ac Christianâ integritate senem ibi præceptorem adeptus. *Etenim*, quæ verba B. Hieronymi sunt, *Lactantius extremâ senectute magister Crispi Cæsaris Constantini filii in Gallia fuit.* Arnobii discipulus ipse sub Diocletiano primùm effloruerat; hinc eloquentiæ præceptis apprimè imbutus, Nicomediæ Rhetoricam docere cœpit: at in Græca civitate, vili latinæ linguæ pretio, desertus ab auditoribus, à scholis animum ad scribendum adpulit. Nec ulla cunctatio; quin cum eloquentiæ simul lacte, quâ certè vel unicè claruit, vel Christianæ religionis & omnium virtutum ornamenta, in nobilissimi Cæsaris pectus instillârit: *Quæ sanè professio*, ut ipsius verbis dicam, *multò melior, utilior, gloriosior illi visa; quàm illa Oratoria: in qua diu versatus, non ad virtutem, sed planè ad argutam malitiam, juvenes erudierat. Multò quippe nunc rectiùs*, ait ipse, *de præceptis cœlestibus disseremus, quibus ad cultum veræ majestatis mentes hominum instituere possimus. Nec tam de rebus humanis benè meretur, qui scientiam benè dicendi affert, quàm, qui piè atque innocenter docet vivere.* rectè: nam, ut nosses convenienter Christianæ legi nec orationem à moribus in eo discrepasse: *Crispum*, inquit Eusebius, *Lactantius Latinis litteris erudit, vir omnium suo tempore eloquentissimus, sed adeò in hac vita pauper, ut plerunque etiam necessariis indiguerit, nedum delitiis.* *Porrò Crispi in Treviris vitam agentis, præter publica rescripta documentum ex nomismatis suppetit probabile, quæ magno numero Treviris olim signata, ruderibus effodiuntur. Præcellit in iis, quorum in fronte FL. IVL. CRISPVS NOB. CÆS. capite vinctus diademate, in aversa parte, effigies togati dextrâ telùm bisulcum, levâ globum tenentis, inscripta: PRINCIPI IVVENTVTIS. subscripta: S. TR. signatæ Treviris monetæ indicium, de quo paulo post.

Hieron. in Catal. script. Eccl. cap. 80. Idem Eusib. Chron.

Lactantius Firmianus Treviris Crispi Cæs. præceptor.

Lactantii mores & ingenium.

Crispi ad virtutem institutio.

Institut. l. 1. ad Constant.

Eusib. chron.

Lactantii paupertas voluntaria.

* fortè deest, abundavit.

CXXXIX. Sabiniano inde & Rufino consulatum ineuntibus, illustri juxta ac severo Treviris dato rescripto, matronali reverentiæ consultum. IMP. CONSTANTINUS AUG. DOMITIO CELSO VICARIO. *Nemo judex officialem ad eam domum, in qua Materfamilias agit, cum aliquo præcepto existimet mittendum, ut eandem in publicum protrahat: cum certum sit, debita ejus, quæ intra domum, considerato sexu, semet contineat, domus ejus, vel cujuscunq; rei habita distractione publicis necessitatibus posse servari. Quod si quis in publicum Matremfamilias posthac crediderit protrahendam, inter maximos reos citra ullam indulgentiam capitali pœna, vel exquisitis potius exiliis, suppliciisq; plectatur. Datum III. Id. Ian. Treviris, Sabiniano & Rufino Coss.*

* al. Sabino.

ANNUS CHR. 316.

C. Theod. tit. 9. lib. 1.

Constant. Matronis privilegium indulget.

Inter hæc Crispus NOB. CÆS. ad acerrima rei bellicæ studia conversus, strenui ac impigri ducis laudem meruit, Alemanis & Francis acuendæ virtuti campum offerentibus. Quare & per consequentium inde annorum spatia, & avitum Flaviæ gentis decus apud Gallias nostras conservavit, & domesticam avi patrisque virtutem expressit. Cujus rei superbos etiam titulos moneta propagavit, cum inscriptione ALEMANIÆ DEVICTÆ.

Crispus Alemannorū domitor.

ANNUS CHR. 317. 318. 319.

Annus inde ab discussa per Christi adventum Dæmonis tyrannide vigesimus successit & trecentesimus, cùm à Constantino ad quinquennalia sua, communi Romæ lætitiâ ac gratulatione cum patre peragenda ex Galliis evocatus, magnum ejus absentiæ Treviris desiderium reliquit.

ANNUS CHR. 320.

CXL.

Crispi res gestæ.

Celebravit illius maximè facinora tum Romæ Nazarius, cujus inter claros Oratores eo tempore ut & filiæ Eunomiæ Christianæ virginis excellens nomen fuit; neque ejus arbitror deteremus operam, si quæ faciunt ad Crispi tempora, resque apud Rheni limitem ab eo gestas, pauca à Nazario mutuemur. CRISPUS CÆSAR *jam obterendis hostibus gravis, terrorem paternum, quo semper barbaria omnis intremuit, derivare ad nomen suum cœpit.* CONSTANTINUS JUNIOR *jam consulatum, jam venerationem sui sentiens, si quid intactum aut parens, aut frater reservet, declarat mox victorem futurum, qui animo jam vincit ætatem.* [a] *Ad gloriam * vestram fœcunda malis suis* FRANCORUM *natio, ita raptim adolevit, robusteq; recreata est, ut fortissimo * Cæsari primitias ingentis victoriæ daret, cum memoria acceptæ cladis non infracta, sed asperata pugnaret.*

Nazarius orator & ej' F Eunomia.

In chro. Eusib. Principio & fine paneg.

a hac dejunctis Paneg. intervallo.

* nostram.

* Crispo.

*Tantorum Roma * compos bonorum; quæ quidem ei sunt cum toto orbe communia; habuit * semper ingentis spei fructum, quem propositum sibi ex Cæsaribus nobilissimis * alit, eorumq; fratribus, quorum jam nomina ipsa veneramur.*

* al. campos honorū habuit

* insuper.

* habet.

Declarant ecce rationem cupiditatemq; votorum, facta Crispi Cæsarum Maximi. in quo velox virtus ætatis mora non retardata est. pueriles annos gladiis triumphalibus occupavit, qui quidem nunc nobilissimus Cæsar venerandi patris, fratrum, suorumq; omnium fruitur aspe-

ctu; seq. fruendum omnibus præbet. cruda adhuc hieme iter gelu intractabile, immensum spatio, nivibus infestum, incredibili celeritate confecit.

Quæ tuum, Constantine Maxime, mite pectus inundavit gratulatio, cui tanto intervallo videre filium licuit, & videre victorem? Narravit utiq; exhausta bella, & hoc ad tui gratiam non ad sui ostentationem; qualis excipiendo hoste, quàm resistenti vehemens, quàm facilis supplicanti.

Zosim. lib. 2.

Nunc te omnes rogamus cum præsentem laudaveris cum jam Reip. flagitanti, cum Gallis desiderantibus reddes, iterum atq; iterum moneas revertentem. Quæ quidem ita in Romana panegyri à Nazario, ipso præsente Constantino, perorata narrent intrepidè, quibus etiam ambigua pro veris sæpenumero blandiuntur. Nobis profectò, seu in Romanos fines Sauromatas acriùs incedentes apud Danubium interim compescuit, seu prope ab urbis Romæ conspectu alibi curavit Imper. nam in Gallia degisse non temerè dixerim, quo tempore Nazarius dixit, haud fuisse præsto, notissimo Rhetoris artificio, planum fit. Quippe absentem crebrò appellaturus. *Præsentem*, inquit, *mihi alloqui videor, qui, etsi conspectu abes, revelli tamen mentibus non potes.*

Tempore Panegyr.

CXLI. Maximinus Episcopus Martyr

Maximinus Trevirorum, cui id primo nomen obvenit, hac circiter tempestate è vita ereptus, martyrii titulum XII. Kal. Julii Ecclesiæ Trevericæ fastis signatum tulit. De quo Auctor fastorum Trevirensium ad Junium mensem,

Arbis dena dies natalem condit apertum
Maxmini sacris, qui lecto munere fandi,
Et geminas urbes tenuit geminasq; cathedras.

VALENTINUS 26 EPISC. Herig. M.S. & Herigerus in Gestis Leod. Episc. cap. 18. M.S. Chron. Cunonis Archiepiscop. S. Valentini historia de virga pastorali super altare posita explicata.

Nactus utrobique successorem, Treviri inquam & Tungris, VALENTINUM, & ipsum quoque Martyrem; de quo in Herigeri & recentiorum aliis monumentis annotatum invenio; Illum seu Dei nutu jussuque, seu quâ Ecclesiæ receptâ traditione, Tungris sub vitæ exitum posuisse pedum episcopale super aram Dei genitricis, civibusque illius loci anathematis gravissimi denunciatione vetuisse, quo ne baculum inde auferrent, neve orbam sedem ab alieno insessore occupari vellent; quoad, adspirante Christi numine, communis suffragatio Pastorem idoneum ederet.

CXLII. Treverensis & Tungrensis ecclesiæ vel diœcesis divisio.

Chron. cit. Baculus hic post plures annos traditus B. Servatio, & sic illius diœcesis à nobis facta fuit divisio.

Atque ita septennium à Valentini excessu fuisse in medio, cum Tungrensis Ecclesia tandem suum sacerdotem, & egregiâ sanctimoniæ famâ Servatium Episcopum accepit. Verum, equidem, ut in illis veterum ænigmatis plerunque res obscuræ veræque latent, aliud nihil, hâc baculi ceremoniâ, & Valentini cautione, significari puto, quam Diœcesion diremptionem eo tempore factam; & eximii Pontificis Servatii non sine delectu quæsiti, & in melius ævum Constantini cooptati, novum & illustrius sacerdotium. id quod disertis quoque verbis veteri Cunonis Archiepiscopi Chronico sic explicatum invenio: ut Valentini pedum pluribus post annis cessisse tradat B. Servatio; atque ita illius esse diœcesis à Treverica factam secessionem.

Chron. Cunon. circa temp. Milthiadis.

Cui verò tam sera in Galliis martyria suspecta videantur, aut parùm probata, hisce præsertim regionibus datâ jam Ecclesiis pace, secum æstimet velim, aut non liquidâ satis temporum serie, Episcoporum nonnullos ad illam superioris ætatis licentiam sævitiámve relegandos; aut, quod malim, quotquot ista difficillima tempora supergressi, confessionibus aut aliis pro fide susceptis ærumnis inclaruissent, Martyrum numero à posteris adscriptos. Quanquam & illa Silvestri Pontificis in monte Soracte latebra, & Quirini Episcopi Sisciæ nuper admodum in Pannonia, gloriosi, submersio violenta, & Constantini rescripta à posteris annis pro Christianis adversus gentiles edita, suadent, haud usquequaque Ecclesiis cuncta fuisse secura.

Martyria sera, & Martyres Episcopi quo modo hoc tempore?

Silvestri Acta Niceph. l. 7. l. 5. de episc. Cod. Theodos. Eusib. chron.

CXLIII. Rebellio veteranorum militum in Belg. 2.

Quinquennalibus inde Constantinus Romæ peractis, accepto de veteranorum apud Belluacos in Belgica secunda, tumultuantium seditione, nuncio, quàm maximis itineribus in Galliam contendit; discussoque mox, quod obortum fuerat turbidi, serenitatem Belgicæ reddidit. Infecerat ea tabes militum animos, postquam consummatus stipendiorum numerus, jam finem laborum attulerat: distributique per municipia ac Belgicæ colonias, seu præmiis pecuniâ solutis, seu agris in quemque viritim divisis, ex diuturna militia longisque stipendiis, minora spe præmia obvenerant. Accenderant militum questus & iras inclementiâ suâ provinciales magistratus.

Constant. resc. C. Theod. & C. Justin. tit. de Veteran.

Apud Belluacos tumultuantur exercitus.

Quamobrem, cùm tumultu & necessitate certum fuisset, exprimere, quod per modestiam non impetrâssent, signis apud Belluacos in unum collatis, miscuère furorem ipsâ multitudine tutiores. Ubi igitur ingressus principia Constantinus, quasi per officium obvii fuère tribuni, præfecti, & eminentissimi quique, eorumque vox fuit: Auguste Constantine, Deus te nobis servet, vestra salus, nostra salus, vêrè dicimus, jurati dicimus. Inde veterani globo conferti, clamorem universi tollere. Quo nos veteranos factos, si nullam indulgentiam habemus? ad quos, residente fremitu, Constantinus: Verum est, justumque, commilitones, quibuscum tot jam bella toleravi, iis augere potiùs beatitudinem, quàm imminuere. Excipit ore libero miles, nomine Victorinus: Ergo locorum ubicunque, muneribus & oneribus conveniri veteranos, haud patere. Quod, cùm dixisset, aperire mala jubet, & promere quæ contumaciter gravent, Constantinus; & fremens tota concio: Ipse, inquit, perspicis scilicet. Inde flexis ad modestiam remedia leniùs adhibens, mox omnia tribuit, quæ debita cæteroqui, malè antea provenerant; orsus à publicorum operum & vectigalium immunitate. utque publicanus eorum commoda nullus attereret, neque in peculium sibi fiscus quidquam permitteret, munificè sanciens.

Lib. de veteran. c. Justin. lib. 11. adi Cod. Theod. Dei.

Dat. Kalen. Mart. civitate Veluacorum.

CXLIV. Crispo Galliæ commissæ. ANNUS CHR. 322. In vita Constantini l. 2. c. 15. 16. & seq. l. 4. c. 6. & 7. & seq. prolixe loquitur.

Inde in Italiam ipse discedens Galliam Crispo filio commendavit; qui solennem curam vigiliamque in ea tutanda præstitit, donec biennio fere, post, aut paulò secus; nam Licinii res mirè scriptores distrahunt, ad Licinianum bellum à patre evocatus, Constantinum Cæsarem successorem adeptus est. Atque is Galliam deinceps, quoad vita comes, administravit.

Ecclef. l. 10. c. 9. Theod. Socrat. Sozom. Niceph. Orof. Hieron. &c.

Hæresis Arriana.

Exorta nuper Arrii Presbyteri Alexandrini lues illa venenata & pestifera, quæ Christi Patris ingeniti unigenæ filii æqualem genitori per omnia majestatem imminuere, & in creaturarum ordinem cogere, palam ausa fuit. Hæc postquam Ægyptum jam & Alexandriæ finitima loca perniciosissimo diroque contagio polluisset, denique Eusebio Nicomediensi hæresiarchæ causam suscipiente, in Asiam cum ingenti vix tum emergentis orthodoxæ fidei periculo transiit; quo majore scilicet exitio, Europam deinde universam invadens Christi membra depasceret, & fœdis omnia teterrimisque novarum opinionum monstris inficeret. Huic tam longè grassanti in dies pesti Constantinus obviam maturè eundum ratus, re cum Silvestro Pontifice communicatâ, Nicæum Episcoporum totius orbis conventum evocare publico sumptu, & ex omnibus in Orientem cogere provinciis instituit.

Acta Concilii quæ extant. Euseb. l. 3. de vita Constant. Chron. Euseb. Damas. in pontifical. Ruf. l. 10. c. 1. Athan. in ep. ad solit. vitam degent. demum Ecclef. script. omnes.

CXLV. Nicænum Concilium.

ANNUS CHR. 325.

Ergo, Osio Cordubensi Episcopo, Vito & Vincentio Romano Presbyteris pro Silvestro legatis euntibus, & rerum summam, quod ex Athanasio ipsáque adeo subscriptione Concilii clarum, obtinentibus, Synodus apud Nicæam urbem Bithyniæ congregatur, anno, qui Anicii Paulini & Ceionii Juliani consulatu insignis, ab humana restituta salute trecentesimus vigesimus quintus. Ubi, cum ad Ecclesiæ laborantis res alias constituendas, tum Arrii præcipuè contumaciam refutandam Silvestri Pontificis autoritate, ac Constantini Imper. munificentiâ, trecenti octodecim ex diversis orbis terræ regionibus Episcopi commissi. Unde primi Nicæni, generalis celeberrimi in Ecclesia Concilii nomen, gloriaque dimanavit.

Concilium primum generale Nicænum.

Gladiatorios ludos ac funesta spectacula, quæ revera pestis & vastitas generis humani, è toto orbe Romano submovisse, ceu rei pulcherrimæ laudem ad Constantinum referunt; quod tametsi ab urbe condita * MLXVII. & pæne sexcentis post instituta ea annis, factum Justus Lipsius meminit; ipsa tamen Codici Justinianæo inserta Constantini lex, cruenta spectacula & gladiatores esse prohibens, hujus anni Coss. Paulini & Juliani stationem aperit.

Gladiatores & cruenta spectacula à Constantino sublata.

* respondet Christi 317. vel 318.

Sozom. lib. 1. Euseb. l. 4. vita Constant.

* *Saturnal. 1. c. 12.*

Gliscens malum stirpitus abolendi sub Honorio Principe. Telemachus egregius asceta Romæ occasionem dedit; cùm in Amphitheatro, diducere conatus pugnantes, furentis populi lapidatione mortem oppetiit ille quidem, at tam tristi perpetuùm abolito sacro vitam infinitis hominibus attulit. Vicennalibus posthæc, Nicomediæ, pari magnificentiâ, à Constantino celebratis, eadem anno postero Romæ, majore lætitiâ renovata, ac Treviris item sunt edita.

Telemachus occasio tollendi prorsus gladiatores. *Theoder. l. 5. c. 26. Tripa. l. 10. c. 2.*

Vicennalia vota; quæ tardiùs ab iis ponuntur, qui inchoant Constantini imp. ab an. 307. *Euseb. chron. Eutrop. & alii. Zosim. l. 2.*

ANNUS CHR. 326. alii 327.

Crispi Cæs. obitus tempus discussum.

Superfuit tum etiam Crispus Cæsar, quem tamen ante biennium è medio sublatum, magnis viris placuisse video; cum Chronico Eusebii perperam ejus mortem positam arbitrantur sub Imperatoris Constantini anno vigesimo; nam, si supervixisset usque eo, decennalia ejus, inquiunt, post fuere celebranda. At non celebrata, quis pro certo renunciavit? Certè in Treviris FL. JVL. CRISPI NOB. CÆSARIS. ut dixeram, nummi eruuntur venustissimi, ubi ipse thorace insignis & humero tenus clypeo tectus, à fronte tricuspidem gestat caduceum; à tergo autem ara, cui impositus globus stellatus, & in annis, ne quid hæsites, inscripta VOTIS XX. vicennalibus, in orbe marginis BEATA TRANQVILLITAS, sub ara denique indices monetæ characteres P. TR.

Idem Principis Juventutis splendido apud veteres elogio, aliis quoque nummis apud Treviros agnoscitur.

Quæ quidem tam accuratè visum hic omnia exprimere, ut Crispum vel hinc constet decennalia celebrasse; quibus superesse tamen diu non potuit, jussu parentis cum Fausta noverca crudeliter interfectus, haud sine magna nota violatæ in filium & conjugem pietatis. Sanè Gregorius Turonensis, utique altiore memoriâ adjutus, disertè Constantinum repetit anno vigesimo imperii sui, Crispum filium veneno, Faustam calente balneo sustulisse. Frustráque scriptorum haud incelebris quædã natio huic historiæ refragari, & à Constantino, cujus famæ melius consultum velit, amoliri invidiam nititur; nam, ut in re manifesta, C. Sollius Appollinaris Sinodius Constantini domum, meminit, vitámque versu gemello à Consule Ablavio notatam, disticho tali clam palatinis foribus appenso.

Crispi mors.

Hist. l. 1. c. 36.

Constant. frivolè excusatur. *Evagr. lib. 3. Niceph. l. 16. Cassiod. in tripart. Lib. 5. ep. 8. ad Secundinum.*

Saturni aurea sæcla quis requirat?
*Sunt hæc gemmea, sed * Neroniana.*

* *Neronis aliquod simile in Octavia & Britannico. Adi V. C. Io. Savaro ad cit. Sidon.*

Quia scilicet, ut ait idem, *iisdem ferè temporibus prædictus Augustus exstinxerat conjugem Faustam calore balnei, filium Crispum frigore veneni.* Etsi verò Crispus Faustæ dolo prius ob recusatum paterni thori dedecus, & Fausta adulterii suspicione, vel proditionis rea periisse tradantur, clarè tamen Orosius, causas latere scripsit, cur in proprios affectus vindicem gladium Constantinus egerit.

Lib. 7. c. 28.

Expiasse quoque facinus illud tam immane, secutus ilico baptismus admonet: nam leprâ coopertus teterrimâ, fertur per hoc tempus à B. Silvestro, quod Ecclesiæ Romanæ non intestata pervincit authoritas, sacro baptismi rore tinctus, & ab omnibus vitæ noxis ritè lustratus. Id verò post utriusque & filii & conjugis cædem accidisse Zosimus etiam, licet alioquin

CXLVII. Constantini baptismus. *Ex actis B. Silvestri, & epistola Hadriani ad Constantin. & Iren. Aug. quæ est in II. Concil. Nicæn. Cod.*

Vide Glycam Græc. hist. adverſ. Alexan. parte 4. annal. & ecde re diſputantem, & C. Baro tom 3. annal. ad an. Christi 324. & notat. in Martyrol. ad 22. Aug. I. Sirm. Not. ad Sidon.

alioquin ut in Christianam religionem univerſam, ſit in Constantinum hoc ipſo nomine iniquiſſimus, haud penitùs abſurdâ narratione, de luſtrationibus ab Imperatore quæſitis, adfirmat.

Crispi mortem luget Constantinus.

Narrant etiam ex Collectaneis antiquis Στιμάτων urbis Constantinopolitanæ, Constantinum Criſpo filio à ſe interfecto, cùm facti errorisque pœnitentiâ ſauciaretur, ſtatuam argenteam auro ſuperfuſam capite aureo cum hoc elogio poſuiſſe. ΗΔΙΚΗΜΕΝΟΣ ΥΙΟΣ ΜΟΥ. FILIUS MEUS INJURIA LÆSUS. Cujus rei teſtes laudant Herodotum atque Hippolytum, Chronographos.

CXLVIII. S Helenæ acta

*Euſeb. in vita Conſtant. l. 3. c. 45. & ex eo alii & inſcriptiones * apud Hubert. Goltzium.*

Porrò Fl. Helena Auguſta Constantini mater, cùm per eos ipſos dies excellenti à filio pietatis ſtudio coleretur, omnibusque pro amplitudine majeſtatis affecta * Auguſtalibus ornamentis, non opibus ac magnificentiâ magis, quàm autoritate & gratiâ valeret, divinis afflata monitis, in Orientem, ad loca ſancta, & cœleſtium erga nos operum ſignata monumentis, jam gravis ævo matrona properat.

Atque ibi, mox paratâ provincialium & militum manu, cùm eruendo ſalutiferæ crucis defoſſo jam dudum theſauro invigilat, ecce tibi contra ſpem quidem omnium, ſed ſecundùm ipſius tamen reginæ fidem, quæ in occulto ad eam diem habita, victricia mortis ac ſatanæ tropæa inventa, & redeuntis in vitam mortui, attactu nobilitata, orbe toto Christiano dehinc affulſerunt. Rem literis memoriæque digniſſimam in Euſebii temporum libro, ex quo multa ejus generis immeritò eraſit novus * editor, B. Hieronymus ſic expreſſit: *Helena Constantini mater, divinis monita viſionibus, beatiſſimum Crucis * lignum, in quo mundi ſalus pependit, apud Hieroſolymam reperit.*

CXLIX. S. Crucis inventio.

* I. Scalig.

* vulg. ſignum mendose.

Quinto itaque Non. Maii pretioſi ac ſacroſancti ligni, cultu & honore vindicato, ipſa Auguſta Romam auguſtiſſimis ditata theſauris, & crucis inventæ reliquiis aucta, anno ſequenti redit; atque ibi in communi & acerrima Christianæ religionis propagandæ cura, dum urbium urbem ſacris & pulcherrimis ornat ædificiis, ceu quædam communis altrix & parens Christianæ fidei, Trevericæ quoque rei, cujus utique conſuetudinem habuit, curas admovit.

CL. B. Helena Romam redit.

ANNUS CHR. 327.

Trevericæ Reip. curam ſuſcipit.

FINIS LIBRI TERTII.

R. P. CHRI-

R. P.

CHRISTOPHORI BROWERI
SOCIETATIS JESU,
ANNALIVM TREVIRENSIVM
LIBER IV.

Annus Christi 327.	Agritii I. 27. Trev. Archiep. 1.
Silvestri Papæ 14.	Constantini M. Imp. 22.



RevIRIS Augustæ, cùm ob civium & incolarum nobilitatem & frequentiam, tum ipsius etiam urbis domicilio principum, & imperii Gallicani perpetuâ sede magis atque magis exsplendescentis, ea tum erat gloriæ maturitas, ut ad excellentioris fastigii aut gradus ullius amplitudinem, nil jam præter consummatum, & suis absolutum numeris religionis veræ culmen, in hoc hominum cœtu desiderares. Perfecit id Helenæ sanctissimæ Imperatricis, cùm in omnes Christianæ rei adjuvandæ partes intenta, tum in hanc Trevirorum Rempublicam propensa pietas. Etenim Valentinus jam pridem morte pro Christi nomine gloriosâ defunctus, sedem utrobique destituerat; decimo septimo Kalendas Augusti, inter sanctos martyres, vindicatus. Orbam verò Trevirorum Ecclesiam, cùm primùm Helena Augusta certior est facta, quod ipsa tum fidei Christianæ dignitatem præcipuâ contemplatiône spectaret, Antiochiâ urbe Christianis sacris, jam inde à nascentis Ecclesiæ incunabulis, impensissimè deditâ, Agricium evocavit, spectatæ virtutis, doctrinæ, ac sapientiæ virum; egitque Romæ diligenter apud Silvestrum Pontificem, ut hominem ex corpore cleri Antiocheni delectum, clarissimæ civitatis conversioni idoneum, & ad importanda palam Christiana sacra, & omnes funditùs exstirpandas falsorum deorum religiones à se destinatum, facultatibus Apostolicis & privilegiis, pro magnitudine gentis, ad quam mitteretur, instrueret ornaretque; quo Augustali dein fultus is authoritate, Trevirim longè post alpeis urbium omnium frequentissimam adiret, & ad rem Christianam denique stabiliendam, publicâ impensâ, & multiplici aliâ, pro copia præsenti liberalitate, frueretur.

I. Trevirorũ hoc ævo summa claritudo. Fl. Helenæ Aug. cura religionis etiam dotibus cumulata.

Martyrolog. Usuardi & Trev. MSS.

Agricius I. Archiep. Episc. 27.

MS. Ædis Summæ. MS. S. Martini & S. Maximini.

Silvester nil negandum ratus tam pio Imperatricis Augustæ studio, Agricium amplissimo diplomate dato Galliarum jubet esse Patriarcham: & olim à majoribus usurpatas Belgicæ & utriusque Germaniæ tenere primas. Hinc imperitiâ factum videtur posterorum, ut quem ex clero Antiocheno cooptatum, inde factum Patriarcham acceperant, uno fermè consensu traderent extitisse Patriarcham Antiochenum. Cæterùm, diploma à Silvestro traditum, etsi rerum & temporum tot injuriis casibusque periit, sententia tamen, vetustissimis asservata schedis, mansit: *Sicut in gentilitate propriâ virtute, sortire & nunc Trevir super Gallos & Germanos Primatum; quem tibi præ omnibus harum gentium Episcopis, in primitivis Christianæ religionis Doctoribus, Euchario, Valerio, Materno, per baculum, Caput Ecclesiæ Petrus signavit habendum, suam quodammodo minuens dignitatem: ut te participem faceret. Quem ego Silvester ejus servus, successione indignus, per Agricium Patriarcham, renovans, confirmo.* Supersunt & pervetusti versiculi diplomatis indices:

II. B. Agricius à Silvestro instituitur Patriarcha & Belgicæ primas.

Diplomatis sententia.

Accipe primatum post Alpes Trevir ubique.
Quem tibi Roma novâ lege dat, & veteri.

Præclarum id; & pro conditione scilicet urbis, quæ in transalpinis gentibus tunc, Zosimo teste, maxima; imò quæ Metropolis Galliarum facta, cùm diœceseos civilis amplitudine, tum Prætorii dignitate; Hispanos, Britannos, Galliæque populos omnes, magistratum ac legum authoritate Constantini, ut censent, novo instituto, sibi eo tempore adjunxerat, atque unius imperii æquabili devinctos jure, diu quoque retinuit. Unde nec immeritò Treveri gratulans, canebat ille:

III. Treviris quomodo post Alpes ubique dominata.

Dignata imperio debent cui mœnia Belgæ.

Auson. in Mosella.

Sed dominæ tamen ac reginæ suæ memor, cujus non pacis bellique magis, quàm religionis institutis adoleverat, ejus hoc quicquid fuit honoris ac fastigii in sinum refundere, nihil veretur.

quæ fundit in omnes
Imperium, primiq; dedit cunabula juris.
Hæc est, in gremium victos quæ sola recepit,
Humanumq; genus communi nomine fovit
Matris, non dominæ ritu; civesq; vocavit
Quos domuit, nexuq; pio longinqua revinxit.
Hujus pacificis debemus moribus, omnes
Quod cuncti gens una sumus.

Claud. lib. 3. de laud. Stil.

Christiani & Romani.

Verùm hanc de primatu & sacratissimæ metropolis honore disceptationem, alium in locum reservare placuit. Ubi igitur Silvester Agricium tam amplâ potestate & honore auctum

IV. Helenæ beneficio quæ reliquiæ Treviris perlatæ?

auctum, ab se dimisit, Helenam addidisse ferunt, ex Palæstinæ thesauris & Urbis Romanæ sacrariis, fovendæ pietatis præstantia munera: in quibus antiqui numerant Tunicam Domini inconsutilem; Christi crucifixi Clavum. Ossa B. Matthiæ Apostoli. Dentem Apostolorum Principis Petri. Sandalia B. Andreæ Apostoli. Caput Cornelii Papæ & Martyris. Cultellum quo Christus in cœna usus. Quarum sanè reliquiarum monumentis dum perquirendis & investigandis pro virili me trado, conspirasse quidem mediæ ætatis scriptores ferè omnes observo, eas Helenæ Augustæ munificentiâ per Agricium hæc in loca ex Æois & Italiæ regionibus translatas. Idem, avorum etiam memoria, Joannes Enenius ordinis secundi Præsul attestatus, autoritatem publicam Eusebii interponens, à cujus vulgato Chronico narrationem hanc, querebatur vir ille dolo malo subductam. Verùm inspiciendi tandem M. S. Eusebiani Chronici, quod in majoris Ecclesiæ bibliotheca sanè vetustum extat, factâ copiâ, reperiebam antiqua, fateor, & fideli manu, at reliquo characteri dissimili, & extra ordinem, ad obitum senioris Constantii Cæsaris, ita scriptum: *Hac Helena Trevereos Gallicæ indigena. Agricium Patriarcham, Antiochenum Trevirorum constituit Episcopum. cum quo Treverim misit Tunicam & Clavum Domini, cum ossibus Matthiæ Apostoli, & cæteris Sanctorum reliquiis, cum dente scilicet S. Petri Apostoli, & Sandaliis S. Andreæ Apostoli, nec non capite Cornelii Papæ.* Nec inibi plura: quæ, ut ab ætate postera, majorum tamen adstruunt retinentque fidem, his litterarum tanquam vestigiis impressam.

MSS Codices omnium fermè locorum.

Lib. 3. medull. Trev. titul. 9.

Euseb. Chron. Trev. quomodò attestetur reliquias in Treviros allatas.

V. Agricius an Patriarcha Antiochenus extiterit.

Agricium an origine solâ Antiochenum faciant, aut cum ejus loci Patriarcha cum exæquent, an denique Antiochiæ cum vulgo Patriarcham præficiant, caussas ex ancipiti scriptura trahas ambigendi. Equidem antea, quid sentiam, aut teneam explorati, satis aperui. Qui Patriarcham illum etiam Antiochiæ constituunt, quem assignent locum ei inveniunt nullum: nam, quod longissimè temporis hujus retrò egeris, sederunt ibi, Eusebio teste, Tyrannus, Vitalis, Philogonus, Paulinus, Eustachius; quo in exsilium ob fidem pulso Eulalius, Euphronius, & Phlatius usque ad ipsius Hieronymi ætatem, Ecclesiam eam occupavêre Arriani. Repertus tamen ex recentioribus, qui, ut pondus adderet vulgatis, ausus est Agricium comminisci binominem, Paulini fortè cognomento velatum; cujus ego mutam probare sententiam non possum, exagitare nolo. Paulinus enim quinquennali sacerdotio perfunctus, ante crucis inventionem, & Helenæ ex Palæstina reditum, diem in Oriente suum obiit.

Euseb. chron. & Hieron. & Eccles. histor. passim. Theodor. l. 1. c. 5. Niceph. l. 8. c. 6.

Ioan. Seeckman in præfat. in acta B. Agricii à se interpolata. MS. Glossator ad Trin. part. histor.

Alius paulò vetustior in M. S. tripartita historia bibliothecæ Sanmaximinianæ, ubi, Eustathio calumniis & fraude inimicorum Nicænæ fidei deturbato, octennii notatur sedis Antiochenæ vacatio. His octo, inquit, annis, hoc est, inter Eustathium & Euphronium, dicitur Agricius Antiochiæ præfuisse. Itáne improbis, & qui legitimi Pontificis subsellia dissiparant; immò Arrianis, qui urnas & justa comitia turbarant, Agricium Pontificem & invasorem constituas? Hoc super id, quod plenum dedecore, nullâ quoque nititur historicâ fide. Nam vivo Eustathio mox, ut lupus, irrepsit Eulalius; & hoc brevi tempore sublato, flagrantibus Arrianorum votis expetitus ab Imperatore Eusebius Pamphili Cæsareensis; qui cùm abnueret honorem, itum ad ejusdem factionis Antistites, de quibus supra meminimus. Si quid igitur hîc purgari, & pro inveterata opinione sanum afferri potest, dixerim, quod obvium est, Patriarcham Antiochiæ designatum, Helenæ studio traductum ad æquè nobilem Cathedram; aut Orientalibus certè plus quàm tragicis, qui mox secuti motibus, offensum, ultrò cessisse, cùm idolorum cultu publicis etiam edictis in posterum cessare jusso, spes tantæ in Galliis brevi futuræ messis, alliceret. Sed hæc, cùm parùm liquet, in judicio libero posita cujusque sunto.

Euseb. chron. & Niceph. Baron. tom. 3. ad ann. 324.

VI. S. Agricius quo anno Trevirim venerit.

Agricium interim Trevirorum Archiepiscopum, Constantini imperio celebrem, agnovit etiam Methodius. Et Agrecios sive Agricios Gallia florentes Rhetores, & celebres habuit Episcopos; in his sanctimonia spectatum, qui post aliquot hinc sæcula Senonensi Ecclesiæ præfuit; de quo, cum Altissiodorensis monachi vetus chronicon meminit; S. Agrecium Concilio Nicæno affuisse, rectiùs inquiratur, num in hoc Treverico id potius locum inveniat. Senonenses ei diem festum agunt Idibus Juniis. Nec obscura in Synodo Agathensi memoria Agrecii Antipolis Episcopi in Alpium maritimarum Provincia, ut & Tricassini apud Gregorium Turonensem. Laudat in Professoribus suis Ausonius Agricium Rhetorem eloquii merito primis æquandum. De tempore verò hujus nostri Agricii in Belgicam adventûs, mirè disceptant domestici. At nec antea transisse cum rectè statuas, quàm crucis esset celebrata inventio; neque tardiùs venisse placet; quia Helenæ Augustæ, à qua missum consentiunt omnes, brevis inde vita superfuit. Quare mediam hîc viam insistere, securius; quam à majoribus tritam munitamque testatur S. Maximini cœnobita ad oram marginis manuscriptæ Tripartitæ; Agricium Treverim venisse dicens, Anno Constantini XXIII. ac inter Materni occasum & ortum Agricii, duo ferme interfluxisse sæcula.

Agriciorũ sive Agreciorum celebre nomẽ in Galliis. *testib. Auson. Sidon.*

S. Agricius an in Conc. Nicæno esse potuit, etsi non ut Episcopus. *Lib. 5. histor. Franc. c. 32.*

Inter S. Maternum & Agricium 200. anni.

VII. Tunica Domini inconsutilis Trevirim perducta.

Et quia salebrosa loca semel ingressi sumus, erit etiam Reliquiarum, quas nominavimus, discutienda magis autoritas; quam in rem tametsi ab ævo posteriore depromi non pauca possint, retinendæ tamen consuetudinis ac ordinis, differre nec turbare quicquam hîc animus. Sanè Gregorius Turonum Episcopus, Tunicam Domini inconsutilem in urbe Galatheæ, suâ dum ætate conservatam, affirmavit. Sed nihil est, quo pondus traditionis à Treviris declinet: cùm & perlevi tantùm auditionis ipse famâ nitatur, & narrationem eam alienæ magis quàm suæ periculo fidei committat: *Nam, quæ de quibusdam audivi, silere nequeo*, inquit ipse, *ferunt autem in civitate *Galathea, in Basilica, quæ ad Sanctos Angelos vocitatur; retineri. Est enim hæc civitas ab urbe Constantinopolitana quasi millibus centum quinquaginta.* Hæc Gregorius.

Lib. de gloria Martyr. c. 8.

* *Galatia.*

At si

Ac si planum pervulgatumque fuit, istic loci, honore præcipuo, vestem hanc coli ac detineri; quid aliorum narratione facias, qui eodem ferunt tempore, Domini tunicam Zaphati, non longè ab Hierosolyma, confessione Simeoni Judæo tormentis & quæstionibus expressâ, primùm venisse in hominum notitiam, indeque in urbem ipsam Hierosolymorum cum arca marmorea, quæ pondere suo in translatione caruit, deportatam? Et potuit verò multiplex diversâ terrarum regione, Domini coli vestis; aut ob religionis & miraculorum vim, aut ob cuicuimodi, quæ quidem à posteris præterita, sive illustribus de cœlo testimoniis, sive beneficiis celebratæ memoriam. Ita haud longè Parisiis Cœnobio Argentolico, repertam seris post demum annis, Christi tunicam, ex Sigeberti auctario non ignotum est: & Coloniæ Agrippinæ constat id genus vestimentum, hodieque à virginibus sacris apud Mariæ Magdalenæ exhiberi.

Tunica Domini multiplex.

Robertus de Monte in append. Sigeb. ad an. 1157.

VIII. Cur illa quæ Treviris S. Gregorio Turoneñ. & aliis incognita.

At Gregorium nec in Trevericis rebus hospitem, nec usus & locorum hujus Ecclesiæ expertem, quin & Magnerici Præsulis familiarem, quî res fugere potuit tanti? Sanè cui in animo ea nubes temporum, quæ cladem & excidium urbis sunt consecuta: facilè videt exteris & barbaris populis tunc per Belgicam universam ritu torrentium euntibus; paucis etiam qui ex antiquo genere supererant inter barbaros & inhospitales, re adhuc incertâ palantibus innotuisse hæc antiqua sacra; quin creditu non difficile sublatis variâ clade indicibus, ad posteriora quoque sæcula, usque in obscuro mansisse.

Reliquiæ barbaricis temporibus incognitæ & ignotæ.

Thiofridi liber de floribus Epitaphii Sanctorum.

Vixit ante quingentos ampliùs annos in Treviris Thiofridus Epternacensis Abbas, is qui Sanctorum virtutes, quas vita defunctorum cineres, exuviæ, vestesque, extrinsecus ex divinitate arripiunt & excipiunt, ad morbos profligandos, variaque edenda miracula commentario erudito persecutus est. Tunicæ verò Domini inconsutilis, ubi vim, dotesque mirificas exposuit, affirmare non dubitat, sicut ex carne Christi immortali & corruptionis experte in omnem Sanctorum carnem immortalis quædam est derivata ad permanendum integritas, sic ex vestimentis Domini nostri in alia quæcunque consecratorum & Divorum tegmina inexplicabilem quandam redundare virtutum affluentiam.

Tunicæ Christi virtus.

IX. Inventio anno 593.

Denique tunicæ inconsutilis illam, quæ in Zaphas Mauritii Imperatoris anno VIII. accidit, Inventionem mirificis laudibus ornat & extollit; & cùm lucubrationem hanc Trevirorum Archiepiscopo Brunoni inscribit, ceu suâ adhuc ætate Hierosolymis in loco Dominicæ Anastasis memoriâ celebri, miraculis clareret, de veste Domini narrationem contexit; claro rursus argumento, vel sæculo Christi undecimo Treviris ignotam fuisse Tunicam Christi inconsutilem, donec annis plus minùs quadringentis supra nostram memoriam, Joannis Archiepiscopi felicibus studiis, extracta demum in lucem omnia, & inventione celeberrimâ ad famam ac venerationem, magis atque magis sunt illustrata. Neque verò, ut Basilicæ Lateranensis usurpatione tam avitam Treviris possessionem quisquam ereptum eat; committendum est: tunicam enim Christi inconsutilem cum vestimento purpureo inter ornamenta, cæteramque gazam templi sui Romæ numerare clerum Lateranensem Onuphrius & Attilius Serranus, aliique propalam affirmant. At jure quo optimo vindicant Treviri, donati, possessi, & demum inventi, totque per sæcula custoditi pignoris, tractatu juxta visûque venerabilis.

Joanne ejus nominis I. Archiepisc. inventa.

Tunica Christi an Romæ in Laterano?

Onuphr. in lib. de pra. V. Rom. Basil. ex Ioanne Diacono. M. Attil. Serranus de 7 urbis Romanæ Eccl.

Et profectò quam Treviri, nescias an quisquam alibi magis adhuc in rem te præsentem adducere queat: id quod in hoc genere validissimum haberi solet. Neque interim titulum equidem tam gloriosum prænobili Romanæ Basilicæ detraxero, gnarus quàm immobilis ille, sacris etiam motis, alióve translatis. nam si non diversa est ab hac nostra, quid vetat obsecro, tunicam eo in templo tantisper olim hæsisse, dum Agricius auferret; eaque re servati quondam pignoris memoriam titulumque Quiritibus mansisse? Idem verò cum plurimis usu venisse si docendum exemplis; utique non longè abiero. Etenim B. Sebastiani titulus ad hanc diem in Basilicæ Vaticanæ reliquiis perstat. at Martyris ejusdem sub Eugenio II. Suessionas in Galliam translati ex Sigeberto & aliis, nihil, vel ad faciendam fidem illustrius, vel ad miraculorum gloriam prædicabilius.

Tituli reliquiarum.

Corpus beati Sebastiani inter reliquias S. Petri in Vaticano. *Onuphr. lib. de V. pra. Eccles. Rom. c. 4.*

Marcellini quoque & Petri memorabili fortitudine Martyrum, quos ipse Magnus Constantinus, clarissimo Romæ templo multiplicique alio cultu vivens; mater autem piissima Augusta etiam mortua sepulchro suo cohonestavit, asservatus vicinâ B. Tiburtio cryptâ, celebris perinde titulus. At corpora tamen eorum in Franciam Germaniámve olim deportata, & Gandavensibus cum præsidio decus adjunxère, ac justam sui possessionem approbarunt nobili Basilicâ, quam ad Mœnum Eginardus Abbas Seligenstadiensis, Luduici pii ætate condidit. Quanquam tituli vindicationem non tantùm fundus, quodque illi adhæsit, sed favillarum quoque reliquiæ tanquam semina in fructum eruptura tueantur. Neque locus hîc ut diutiùs urgeatur, quidquam necesse est, exemplorum ubique magna parata copia.

Eginard. in translat. SS. Marcellini & Petri.

Martyrolog. Rom. 2. Iun. & Surius ad eundem diem tom. 3. Marian. 828. & annotat. in Molanum ad 2. Iunii.

X. Tunica Domini vindicatur à Calvini insectatione.

Ceterùm ut hujus pignoris præstantiam & magnitudinem clariùs agnoscerent Treviri, ac studiosiùs etiam retinerent, effecit sæculi nostri insignis hæresiarcha, à quo profectò, nisi quod præclarum & eximium in Ecclesia Dei vituperari & carpi nihil unquam potuit. Ipse itaque cùm illustri fama venerationis, Patrum ætate, Tunicam Domini Treviris palam exhiberi ad cultum, accepisset; nec ignoraret Argentolicæ oppido Parisiensis ditionis, celebrem tunicæ item extare memoriam, vesanus impostor clamare cœpit: *Sceleratiores esse Catholicos, quàm carnifices Domini, cùm his inconsutilem Domini vestem discindere horror fuerit, quam Catholici jam in duas non quidem partes, sed integras etiam vestes dissecuissent.*

* Argentoleo.

Calvini maledicentia repressa.

Tuam fidem, Christiane lector, quid priùs hîc mireris, vecordiam calumniantis, an ipsius calumniæ impudentiam? Una eadémque vestis, quæ Catholicis ubiubi integra & prorsus individua manet; reapse tamen Calvini opi-

nione in duas abiisse statuitur, & eâ quidem partitione, quâ magnitudine suâ partes non totum modò superent, sed atomus etiam duo corpora divisa faciat. Quod cùm leve per se, nec acumine Calviniano dignum, tum etiam ut non hic subtilius, sed pro consuetudine Annalium loquamur latinè, falsum est. Primum enim, si superest adhuc, nisi una Christi Domini vestis inconsutilis, ubilibet loci tandem, haberi potest. Inde verò, si istic non esset, an continuò sequebatur non esse ullam? Jam ipse quidem illam Argentolicæ, quia casulæ potius quàm tunicæ similitudinem præ se ferret, satis putavit caussæ, cur esse Christi Domini vestem inconsutilem negaret; mirum itaque hominem inprimis acutum, non vidisse Catholicos satis habuisse caussæ, cur illam cum vera non commiscerent, ac proinde nec pro una duas efficerent; cùm individuorum corporum & ipsi fugiant concretionem. Sed cùm illa tamen inconsutilis, quam tot sæculis servant, & oculis omnium spectandam Treviri proponunt, germanas habeat omnes vestis Dominicæ notas, ipsoque sese usucapionis jure præclarè tueatur, frustra cum Treviris calumniâ litium, aut interdicto Prætorio contendet hæresiarcha, quos lege communitos VTI POSSIDETIS, ne copiis quidem suis omnibus, signisque possessione dimoveat. Cæterùm de hac tunica Christi inconsutili, quam majorum traditione opus Dei matris fuisse prodidit Euthymius, noster Alfonsus Salmeron enucleatè & nos in loco narrabimus.

Tom. 10. tract. 30. de inventione in Ioan. 1.

XI. Clavus Domini Treviros perlatus. Clavos tribus fuisse plures.

De clavis verò, quibus suffixus cruci hominum liberator Christus, etsi à prisco ævo Græci Latinique suppetant testes, & Nazianzenus S. Crucis lignum vocet τρίσηλον clavis insigne tribus, tamen cùm Treviri suum dextri pedis fuisse agnoscant, ex eorum numero, nolim tam angustè præfinire, ut tres eos duntaxat extitisse constituam; Gregorio Turonum quatuor, vel ex instituto propugnante. Cujus quidem sententiæ tanto vetustior Cyprianus esse voluit, cùm geminos etiam Christi pedibus, ceu singuli seorsim essent confixi, dare videatur, Christum dicens affixum Clavis sacros pedes terebrantibus; eique non vetus modò pictura, sed & comœdia suffragatur; & quanquam ab illa plus sanè roboris, hæc tamen affigi bis pedes, bis brachia docet antiqui fuisse moris; seu binos in quoque membro fuisse clavos, seu singula perfossa, singulari ferro, interpreteris; etenim multiplicari clavos utrolibet modo, necesse est. Idque laudat etiam Innocentius tertius; magnúmque hic momentum habet pictura prisci ævi, & passim recepta veteribus templis, aris; queis eminent Francicæ ante annos plus minus DCCC. sculptæ vel fictæ hoc habitu à nobis sæpè conspectæ, ut stipes, quem lignum scindit transversum ima parte tabellam exerat, cui sacrum corpus acquiescens, & singulis immissis clavis affixi pedes cernuntur. Cujus generis Romæ in Lateranensi Basilica, & Lucæ in Italia, quæ Nicodemi jussu putatur fabrefacta: & in Hispania Burgensi Ecclesia spectari, postquam hæc scripsimus, observatum invenio, à felicis memoriæ Alfonso Salmerone. Quod sanè totum Irenæus ap-

Miraculor. lib. 1. c. 6.

Cyprian. serm. de Passione Domini.

Crucifixorum variæ species & modi, & quis in Christo Domino.

Serm. 1. de uno mart. Molan. de pictur. c. 24. & 75.

Lib. 2. c. 42.

Tom. 10. tract. 35.

probans, habitum ipse Crucis quinque summitates sive apices numerasse tradit, duos in longitudinem, ac in latitudinem totidem, porrò in medio unum, ubi requiesceret, qui clavis configitur. Ab hac mente, reor, stipiti à terra surgenti Christi corpus memorat infixum B. Augustinus; haud utique totum corpus, sed pedes intelligens modò, qui innixi cornu stipitis imi, cæteram molem penduli corporis adminiculo ferebant. Iam verò quod B. Ambrosii & Græcorum authoritate narrant, clavorum frænis insertum alterum, alterum diademati vel galeæ præfixum, ut eos in usus ad tempus concessisse, sit ita, sanè de illo, quem vel Gregorius missum in Adriæ pelagus, vel in diadema statuæ prodidit inclusum sustineam assensum; veteribus, qui hæc accuratè prosequuntur, nil ejusmodi memorantibus.

S. August. in Psal. 103. & Epist. 120. ad Honorat. diserte verò Greg. Turon. de glor. mart. cap. 6. neque hanc sententiam improbat I. Lips. l. 2. de Cruce cap. 10. D. Ambr. in fun. Theodos. Theodoret. l. 1. c. 18.

XII. Clavorum multitudo defensa.

Baron. tom. 3. an. 326.

Et licet ex his mari mersum ad sedandos ejus pelagi motus, aut statuæ additum etiam propè fidem sit, utrumque tamen depositum cum perpetua tam cari pignoris jactura, vix majorum pietati, minus Helenæ religioni competit. Sed ne quidem ad ornandum diadema, aut frænos affabre poliendos meo sensu totis erat opus iis tam rudibus & decumanis clavis; ut in partes etiam plures abscedere singuli potuerint. Jam quis neget etiam nonnullos imitatione exempli fabrefactos, meruisse prototypi honorem? Certè nobis veterum Annalium memoriâ compertum, Theodoricum Mediomatricum Antistitem cùm hunc germanum à Treviris auferre parabat, secum habuisse persimilem alium & geminum, quem extemplò subjiceret. Denique non in clavorum censu duntaxat ii, quibus sacræ Christi manus pedésque fixi, sed queis arboris etiam salutaris commissæ trabes. Cùm itaque suum Roma clavum exhibet, & Mediolanum item suum; nec non Carpentorati in Galliâ Domini clavus religiosè colatur, ad hæc Magnum Carolum in Aquisgranensi Basilica id genus pignus deposuisse, atque à Germanis Imperatoribus inter imperii insignia clavos aut certè clavum asservatos historia doceat prisca, planè cernis, quàm facilè eorum multitudo defendi queat.

Romæ in Basilica S. Crucis in Hierusalē.

Onuphr. & Arnol. cit. Mediolani. Steph. Pigh. Aquisg. pars clavi ind. requiritur. edit. an. 1608. Luitpr. Tic. l. 4. c. 11. & 12. Sigeber. hanc 929. Godefrid. Viterb.

XIII. Clavus Domini Norībergæ asservatur.

Sed haud præterierim Noricum inclitæ Civitatis Panchartam reliquiarum, quam sacris majorum addicta, frequentissimo religionis spectaculo & hominum concursu indigenis, tertia-decima luce à Paschate feriis olim laudato more, proposuit. In his publicitus monstrabat & efferebat cuspidem lanceæ, quâ latus Christi perforatum, & insertum ejusdem lanceæ ferro Clavum Domini. Unde quæ & inde prodierunt ante centum annos temporum monumenta, non tacent, ornari civitatem eam Imperialium insignium nobili deposito, necnon Lanceæ incomparabilis & divinissimæ cimeliô, quæ JESU Christi D. N. latus in cruce aperuit. Addo his Carolum Audacem Burgundiæ Ducem, in sacrariis & Lipsanothecis suis domesticis, censuisse quoque Clavum Dominicum. Et in Polonorum historia ex Duglosso Martinus Cromerus repetit narratque Wladislao Jagelloni à Pontifice Maximo Clavum dono missum.

Index reliquiarum editus illic anno 1487. cum pictura lanceæ.

Lancea Christi.

Domini clavus Caroli Ducis Burgundiæ hic ad annum 1473. Clavus Domini in Polonia.

Ad-/atur

Addatur his quem Constantiniani gladii affixum capulo, ab Hugone Galliarum Rege ad Henricum Aucupem, Magni Ottonis parentem è Francia transmissum perhibent. Neque error hic interim in cultu per hanc clavorum multitudinem metuendus ullus, nec quicunque fortè intervenerit, ponendus in crimine: cùm non ferrum Christianus, sed Domini sui colit cicatrices ac vulnera, & undique præsentem sperat passionis & mortis obitæ fructum. Incurrit ergo & hic parùm feliciter in istam historiæ partem hæresiarcha, cùm amisso patrocinio, quacunque se flectit, graviorem accipit plagam. Satis enim intelligitur, clavos Domini sive plures sive pauciores, justam ubique, quod nollet obtinuisse venerationem. Trevirensis hic profectò, quem terebrasse Christi dextrum pedem, majorum habet traditio, prodigiis & rari exempli miraculis est insignis, cultuque perenni juxta verendus; de quo, ut suis quæque locis reserventur, in præsentia usurpem illud Ambrosianum: *Ecce & clavus in honore est, & quem ad mortem impressimus, remedium salutis est, atque invisibili quadam potestate dæmones torquet. Et hoc ampliùs. Ferro pedum ejus inclinantur Reges, Reges adorant, & Photiniani divinitatem ejus negant. Clavum Crucis ejus diademate suo præferunt Imperatores; & Arriani potestatem ejus imminuunt.*

Trevirensis clavus miraculosus & dextri pedis. *Medul. lib. 3. tit 3. Inst. Lips. ad 2. de Cruce cap. 9.*

XIV. De Helena Augusta an in Treviris orta.

Unum jam porrò superest, quod ne dissimulasse videamur, sic abire non potest. Caput nempe veteris scripturæ. HÆC HELENA TREVEREOS GALLIÆ INDIGENA. Res nova dicis; imò vetus, quod præterire, qui tantò ætate inferiorem Nicephorum; aut multò quoque recentiores Anglorum scriptores hic audiunt. At enimverò jam olim in hac Ecclesia decantatum, & in usus publici Breviaria transfusum, Augustam Helenam ortam in Treviris. Creditum ita passim ante aliquot sæcula, an ignorare poterant, qui publicæ fidei habuêre testes Ottonem Frisingensem, Godefridum Viterbii, & Bonnensis Ecclesiæ in antiquis membranis haud spernenda documenta: quæ clarissimus Jurisconsultus Jacobus Campius Bonnensis Ecclesiæ quondam Decanus, & postea Protonotarius Moguntinus, exprompsit; & cum Jacobo Archiepiscopo communicavit.

Otto Frisingensis l. 3. c. 43. Viterb. Martyrol. & MSS. Bonn.

Verùm hoc Trevirorum sidus tam serò demum exoriens discutit & offuscat publicè jam passim, sat scio, diffusa historiæ lux, quã avidè eruditi sequuntur, cùm qui plures, Britannam genere regio, qui potiores Drepanitidem aut Dardanam humili & obscuro genere natam, prædicant. Pro his Ambrosius & Eutropius, cùm stabulariam dicunt, & obscuri matrimonii; pro aliis faciant Britannici scriptores, non quidem antiqui, sed quorum, ut elegantissimi vir ingenii dixit; mediæ aut novellæ ætatis assertio, cùm Coëli, nescio cujus Regis, filiam produnt. Atque ex hac varietate narrationis profectum, ut ex peritissimis harum rerum, qui Britannicam amplexus est, Nicephori historiam repudiârit ceu mendacissimam, contra, cui Græca placuit, verissima Nicephorum tradidisse scripserit. Etenim non istuc mihi operæ, ut caussam hanc universè suscipiam, aut quenquam ceu de via deducam, ubi tam parùm utrinque solutus, uti reor, capitali Solonis lege, ne partis sim alterutrius. Cur enim auscultem præ Treviris aut Nicephoro, tantis post sæculorum intervallis Drepani incolam, aut Britannis ab ævo posteriore Coëlis Regis fuisse filiam affirmantibus? cùm neque priscos illos gentium majorum ex Graiis, neque doctissimos & pios ex advenis Saxonum Anglos, constet reliqui fecisse quiddam de natalibus Helenæ. Illud itaque veterum & præsertim Eusebii tam ubique in Constantini laudes effusi silentium, mihi magis est, ut ægriùs assentiam, fuisse Helenam origine Bithynam, Dacam aut Dardanam, parùm enim adhuc inter recentiores convenit; quemadmodum quod tanto vicinior hisce temporibus B. Ambrosius Stabulariam appellavit, vix quicquam fieri potest tam distorti, ut pro Regis Britanni filia, id ab eo dictum, accipiam. Sed aries hic præcipuus est ille Panegyrici scriptoris locus, cujus ictum non præsentiscere, extremæ ducunt esse dementiæ. Nam apud Constantinum cum patris gloria, hujus virtutes contendens: *Liberavit*, inquit, *ille Britannias servitute, tu etiam nobiles illic oriendo fecisti.* Ecce, Constantinum clarè dicit ortum in Britannia.

Helenæ patria parum comperta.

Ambros. in fun. Theod. Eutrop. l. 10.

Cæsar. Baron. annal. tom. 3. ad an. 306.

Lib. 8. c. 10.

Rejecti Græci ac Britanni.

Niceph. l. 7. cap. 18. Georg. Cedrenus. Orat. de obitu Theod.

Paneg. qui incipit: Dixerint licet.

XV.

Exceperat jam olim, & pulchrè retuderat illius arietis ictum, clarus Jurisconsultus Hubertus Giphanius: verba ejus: *Plerique putant Constantinum in Britannia natum; ejus matrem Helenam Cœlii nescio cujus Britannorum Regis filiam fuisse comminiscuntur; ignari scilicet ortum & natalem Cæsarum esse duplicem. Unum hujus lucis & vitæ; alterum imperii. Et hunc Britannia imputare potest Constantinus.* Disertè sanè, quod vir excellens in litteris Justus Lipsius diu antè quàm Admiranda exiret, humanissimis ad nos datis literis, approbavit; nec postea quoque mutavit. Cur enim faceret? Nimis enim quàm apertè idem Orator eodem sensu dixerat: *Constantine oriens Imperator.* Et alius qui Treviris eum laudavit, ortum, educationem, & omnes principis dotes accuratè percurrens: *O fortunata*, aiebat, *& nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Constantinum Cæsarem prima vidisti.* Atque in hanc item ire sententiam animadverto celebrem Panegyrici interpretem.

Hubertus Giphan. de Imper. R. in Institution.

Admirand. lib. 4. c. 11.

Paneg. qui incipit, Facerem

I. Livin. ad 5. Paneg.

XVI.

Postremò, si quibus Britannica adhuc origo placet, hoc denique telum arripiant, quod frequenti militiæ imperio, insula ea Constantio habitata familiariùs, videant ipsi quemadmodum hic Gallos & Dalmatas Britannis faciant impares, apud quos longè clarior ejus commoratio. Quod itaque non magis in Britannos, quàm in Treviros & Dalmatas æquè quadrat, ex eo nullam certè eliciunt pro Britannis solis, cogendi facultatem.

Accedit his, Constantium etiam videri Helenam ante sibi sociasse, quàm in Britannia ducem exercitus ageret, atque ita eximi quoque caussas amicitiæ cum Coële Dynasta vel Regulo pro hospitalitatis usu in illa insula contractæ. Nam Constantinus Imperator, cùm * Eusebio teste, aut ad sexagesimum quintum ætatis annum, aut paulo seciùs pervenerit, & migrârit Feliciano & Titiano Coss. repetitis & enumeratis retro annis, ejus natalem in

** Euseb. vita Constant. l. 4. c. 53. & Chron. Aurel. Victor. in Constant. Epiphan. in lib. de mens.*

Aureliani & Balli Consulatum referas: post quem, cùm anno tandem duodecimo Diocletianus cœperit imperitare, efficitur Constantinum jam ante in lucem editum, quàm à tyrannis oppressam Britanniæ provinciam Constantinus pater, Dalmatiæ præsidatu jam perfunctus, assereret. Denique si paulò quoque attentiùs, quæ quæque res consequatur intueri lubet, illud hic mihi palmare videtur, quod, ut demus Constantinum Imperatorem ortum in Britannia, ex eo tamen effici non possit eandem Helenæ fuisse patriam; non magis quàm si Agrippinam Germanici conjugem facias Ubiam, quia Juliam Agrippinam Neronis matrem in oppido Ubiorum edidit; vel etiam Joannam lectissimam Castellæ atque Arragonum reginam, velis natale solum habuisse Flandriam, quia augustæ & felicis memoriæ Carolum Cæsarem invictum, Gandavi in lucem edidit. Parùm enim fortiter hæc inter se nexa atque colligata sunt, ut aliam in partem quoque propelli possint. Quo minùs erit causæ Treviris, cur majorum traditione relictâ, sese applicent ad alterutros; quando vetustate corroboratam sententiam, & ipsis tueri decorum est.

Tacit. annal. libro 12.

NB. de natali Helenæ loco, de Toga Christi, Cruce & Clavo vide infra Additiones nostras.

XVII.

Sed longiùs, fateor, me libertas differendi abduxit, cùm aliàs sciam esse Annalium partes, & rebus ambiguis, aliorum concedere malim autoritati, quàm meo judicio nimis morem gerere. Relabor itaque ad dudum intermissæ narrationis ordinem.

Agritii studia in Trev. urbe augenda, illustranda.

Agricius Trevirorum urbem ingressus, legationis suæ consiliis cum Christiano populo, cujus in urbe celebri gentium omnium concursatione, magna vis extitit, communicatis; primùm de constituendis ad conventus & cœtus agendos, Basilicis; tum de profanis gentium evellendis superstitionibus, & salutifero Christi palam importando dogmate ex Helenæ Augustæ Imperatricis & Silvestri præscripto, agere cœpit. Nec alienum fidei, Constantinum juniorem, ut qui eo tempore Gallias moderans, instituto majorum Treviris sedem habebat, pro sua virili parte studiis aviæ atque voluntati obsecutum, & pro amplitudine imperii eas res, quæ ad Christianam inferendam & amplificandam religionem facerent, diligenter mandâsse; ipsumque Pontificem in fidem receptum, fovisse procætera regali munificentia. Sed & Helena ipsa, cùm, ut de ea Eusebius reliquit, & aurea numismata potens imperii cuderet, & thesauris regiis, ærarioque publico pro arbitratu uteretur, ut res Christianas alibi passim, sic & Trevericas, pronâ liberalitate & beneficentiâ suscepit. Ergo, & fama tenet, actorum Trevirensium atque externorum literis manat latiùs, ædium sacrarum maximam in urbe seu Metropolitanam, ex Helenæ Augustæ regia vel palatio D. Petro Apostolorum Principi consecratam & dedicatam ab Agricio.

Constantini Filius in Galliis pro Patre rem gerens Treviris moratur.

Euseb. vita Constant. l. 3. cap. 46.

Templa in Treviris ab Helena Augusta locata.

XVIII. Ædes primaria ex regia S. Helenæ.

Cæterùm moles illa, postico & fronte subinde immutatis, & novis operibus additis, cùm pristinam formam jam dudum abjecerit, eà re fit, ut mediæ potiùs ætatis, quàm hujus sæculi faciem præ se ferat. At interiores parietum fulturas, & præcinctiones accuratiùs introspicienti, quà ad bibliothecam & peristylon aditus, haud dubiè magna sese offert species antiquitatis. Nam, ut rudis ejus imago proponatur, compage mediâ surgit opere latericio vasto ac immani, geminâ serie, fenestris maximis, in fastigio ad amussim arcuatis. Structura Augustali magnificentiâ, & Constantino vel Helenâ, seu quovis Romanæ fortunæ Principum ingenio, dignissima. Lateres sanè grandes sunt, & cœmento immortali ita conglutinati, ut adversùs ævum & injurias durare perpetuùm possint, si quid perpetuum sub lunâ humana opera spondeant. Quadrangulari se specie fabrica solo egregiæ firmitatis induisse videtur. Duorum laterum, quod in Austrum patet, veteris regiæ formam per fenestrarum ordines conservat. Cæterùm, parietes Orientalis & Occiduus, semicircularis formæ novis operibus, ex quadris vivi saxi expleti, ita ut operis antiqui frons & posticum, agnosci nequeant. Nec dubium, quin laterum facies exterior olim gypso vel marmoratis incrustata, propriis ornamentis ad nitorem exsplenduerit; cùm illati inductique parietes alicubi calce purâ, cernantur.

Basilicæ, seu regiæ Augustalis S. Helenæ vestigia indagata.

Templi subcisivæ Fabricæ.

De intestina fabrica, quæ à propiore ætate, nihil habemus conjicere, nisi ex columnarum ruinis, cujusmodi nonnullæ in peristylo apparent: sed nuperrimè cùm Lotharii Principis monumento fundus quæreretur, scapus effossus maculoso marmore tam prodigiosâ vastitate, ut si Basilicæ aut veteris Palatii laquearibus ejusmodi columnæ, quales sub terra plures delitescere putantur, per solidum fuerint subditæ, nec splendore, structura, vim ignium & cladium toties perpessa, nec moles, dignitate suâ caruerit.

XIX.

Columnæ erutæ ex imo solo Basilicæ.

Legimus in actis Popponis Archiepiscopi, quæ M.SS. in membranis non uno loco asservantur, magnam illi Præsuli sæculo Christi decimo curam animo sedisse, ut Ecclesiam Petri Apostoli, quæ tunc domus, & Episcopalis sedes dicebatur, à labe & ruina conservaret. Hanc enim Augustæ Helenæ domum antiquitùs fuisse tunc quoque credebant. & Imperatricis rogatu à B. Agricio honori Principis Apostolorum dedicatam. Stabat illa tunc, (verba antiqui scriptoris appendo) quatuor marmoreis magnæ altitudinis fulta columnis, quibus tota illa quàm vasta structura novem arcubus hàc illacque distortis continebatur. Ex his verò columnis cùm una tunc proceritate suâ ac oneris magnitudine lassa procubuisset, tantus incessit ruinæ metus, ut Basilica in solitudinem aliquandiu abierit, à cultoribus & Clero destituta. Hæc ibi.

Templi facies sub Poppone Archiepiscopo.

Basilicæ primariæ IV marmoreæ columnæ, ex quibus forte nuper effossa.

Prodiit & Hincmari Rhemensis Archiepiscopi ætate vita Helenæ Augustæ, ipsius jussu hortatuque conscripta, quam inter codices membranaceos exaratos manu asservat Sanmaximiniana bibliotheca. In hujus exordio, Treviris, eam in lucem editam, clarè narratur, atque ibi tantis copiis & opibus abundâsse, ut ingentis magnitudinis civitatem penè census sui æstimatione amplecteretur. Hoc ad id tempus, quo autor is scribebat, testari domum ejus, quæ facta pars maxima Ecclesiæ, in sedem & metropolin Principi Apostolorum sit dicata, factaque mirabili opere; nam pavimentum habuisse vario marmore & Pario

XX. *S. Helenæ MS. jussu S. Hincmari Rhemensis.*

S. Helenæ opulentia apud Treviros.

Basilicæ principis interior ornatus.

Pario lapide constratum; parietes fulsisse auro; laquearia in cryptæ morem anaglysis & pretiosi marmoris incrustatione exornata fuisse. Addit Reliquiarum quoque synthesin, ut apes diversis è floribus texunt nectareum mellis favum, composuisse item illam ex multis Sanctorum pignoribus, queis solum natale insigniri ac nobilitari voluit. denique cujus natali olim lætata sit Belgica Prima, ejus corpore demum ex urbe in Rhemorum diœcesim illato conditoque, jam gloriari Belgicam Secundam. Hæc vetus ille scriptor & anonymus Archimandrita ad Hincmarum.

S. Helenæ in Rhemos translatio. *de qua hic ad annum Christi 849.*

XXI.

S. Mathiæ corpus.

In hanc verò sedem, illata ferunt omnia sacra, quæ recensuimus, extra D. Matthiæ Apostoli ossa; quæ in B. Eucharii Ecclesiam totâ urbe vetustissimam, & antiquo priscorum Antistitum cœmeterio perquàm insignem nonnulli perhibent tunc translata, & lipsanothecam illam, in qua cultellus, quo Christus D. N. in suprema cœna fuit usus; qui apud D. Maximini in veneratione est. Addunt & his aliam item Basilicam nitore quanto potuit maximo sacrosanctæ Crucis honori Helenæ jussu exstructam istic loci, ubi proximo sub mœnibus colle, augusta stat hodie ædicula nomen retinens avitum

Cultellus Dom. nostri *de quo MS. S. Helenæ.*

Ad Helenæ quoque munificentiam olim pertinuisse monui, prægrandem illam Basilicæ molem, cujus hemicycli duo versus Oleviam e regione amphitheatri adhuc supersunt. Est & pagus suburbanus veteris pars urbis ejus memoriæ dicatus, in quo fons saluberrimus, opere spectabili ab Helena ferens nomen. De B. verò Ioannis Evangelistæ templo eadem fama, quod jam amplissimum D. Maximini cœnobium occupat.

Helenæ memoria in pago Jurani seu Uhren. Uhren an à Iurano? an horreo?

XXII.

Sacrarum ædium exstruendarũ fervor hoc tempore. *Socrat. l. 1. c. 2. & 6.*

Porrò hujus generis magnificentiæ Constantini & Helenæ sæculum feracissimum fuisse, cum ipsius Imperatoris docent rescripta ad provincias omnes de sistendis sacrandisque Deo templis, in eamque rem sumendis à Præfectis & Rectoribus Provinciarum etiam impensis; tum, ex Eunapio nostræ religionis hoste clariùs idem intelligitur; qui Philosophorum injurias Christianorum incommodis metiens publicis litteris temporum horum iniquitatem, quia Constantinus Imperator is scilicet rerum potiretur, qua fana toto orbe celebratissima vel monasteriis mutaret, vel everteret; & templa Christianis nova erigeret exstrueretque. Nota res, quanto irarum & odii impetu in Christianæ fidei gloriam mirificè per hæc tempora surgentem, invidus se Satanas incitarit; cum ad omnes spes velut in herba corrumpendas, Philosophos opportunos sibi fecit, Platonis dogma sectantes. Horum quippe mentes improbas per instinctus arcanos & dæmoniacos adflatus, ad omne fas nefasque vertere non satis habens, eorum quoque capitali solertia, ad oppugnandos Christianorum neophytos utebatur. Et verò Sopater Apameensis repertus, qui professoriâ linguâ fretus, quasi Constantini propositum atque impetum labefacturus, clam eradreperet; sed brevi ex contempto metuendus, & Ablabii Præfecti Præt. jussu frustillatim concisus, quam struebat aliis, sibi perniciem invenit.

Eunap. in Ædesio Max. & Proæresio.

Platonici ac Sophistæ Christiano nomini infesti.

Par cupido Proæresium cœperat, lubricam Constantis ætatem, Platonicis artibus expugnandi. Is ab Athenis usque in Belgicam principis accersitu, si credimus Eunapio, profectus, cùm admiratione Philosophiæ locum inter purpuratos & honoratissimos fuisset adeptus; Constans, etsi studium ac favorem in hominem propalam cumulasse visus, religionis tamen sacrosanctæ castitatem Philosophi ludibrio non permisit: Episcopis nostris integerrimis viris, haud dubiè pro Principis adolescentis bono, nitentibus. Et Eunapius certè Christianæ virtutis inexpertus, in Proæresio supra mortalis conditionem tollendo, frustra est. etenim, ubi hujus soli pinguioris homines potuisse negavit, vel viri dissertationes assequi, vel mentis ipsius arcana satis mirari, ad ambitiosam Philosophi paupertatem & cultus rigorem deflectit; quia lacernâ scilicet extritâ & obsoletâ Proæresius utens, incalceatus Gallicas hyemes, & frigora in delitiis numerasset, Rhenumque tantùm non glaciatum bibisset.

Eunap. in Proæres.

XXIII.

Proæresius Philosophus in Belgica.

Sed habuit alias illecebras utique tunc Philosophia Christi, quibus aucupante retiaque tendente Agricio capti Belgarum animi, divinis se potius & longè subtilioribus tradidere Christianæ fidei mysteriis, quàm fallacibus Proæresii meditamentis. Proæresium tamen, sunt, qui Christianum denique factum ex eo conjiciunt, quia Juliani tempore eloquentiam Romæ docere, vi legis contra Christianos latæ, destiterit.

Hieron. chron. C. Barон. to. 3. an. 354.

Interilla ergo, quæ dixeramus opera, & amplificandæ Christianæ rei multiplices conatus, Helena Augusta Romæ degens, hoc eodem anno decimo tertio Kalend. Augusti vitæ summa religione, ac innocentiæ traductæ fama, cùm ætatis annum ageret octogesimum, corporis soluta vinculis in lucem sempiternam emersit: atque in Basilicam viâ Lavicanâ inter duas lauros, sanctis Marcellino & Petro martyribus inchoatam, exquisitâ funeris magnificentiâ à Constantino filio illata, & monumento porphyretico tecta. Atque hæc de B. Helena: cujus solenne anniversarium memorabili testificatione pietatis, Ecclesia Trevirensis decimo octavo Augusti obire consuevit. Ejus item sacratum caput in thesauris habet, multis post sæculis huc Caroli quarti Imperatoris & Cunonis Archiepiscopi beneficio tralatum; ut quam ortam in gremio suo atque educatam, exteris frustra forsan persuadere nitatur, eam meliore parte exuviarum optimo jure jam incolam, & benè meritis civem associatam, sibi rectissimè vindicet.

B. Flo. Jul. Helenæ August. obitus. *Euseb. Sozom. Socr. Niceph. Anast. obitus. Sigebertus martyrol. Rom. ad 19. Aug.*

Caput B. Helenæ inter Trevir. reliq.

XXIV.

Matre Augustâ rebus humanis ad hunc modum ereptâ, Constantinus, Occidentali imperio relicto, majestatem præcipuam decusque provinciarum in Orientem transferre instituit; quo in consilio eam moderationem adhibuit, ut non modò quam in fortunam atque amplitudinem Gallias deduxisset, in ea consisterent, sed omnium quoque temporum dignitatem, magistratuum tum excellentiâ, tum amplitudine supervaderent. Etenim posteaquam res Gallicanas atque adeò totius Occidentis tranquillum in statum redactas filiorum providentiæ atque tutelæ commendasset, ipse jam in Orientem animo atque omni cogitatione eminens, cùm primùm pace atque otio abundare sibi visus, eas res ibi moliri cœpit, quæ majorem ipsi a Christianæ

Imperii majestas in Oriente communicata. *Eunap. in Ædesio, & Zosimus l. 2. Eutrop. l. 10. & Sex. Aurel. Vict. & Eccles. script.*

religioni laudem, quàm emolumentum fortè imperio ac Romanæ potentiæ conciliarunt.

XXV. Byzantium facta Constantinopolis.

ANNUS Chr. 328. 329 Constantinopolis absque ullo idolo fanoque condita. *Sozom. l. 2. c. 2. Hist. Miscel.*

Byzantium quippe non florentissimam eo tempore in Thracia civitatem, licet fertili solo fœcundoque mari, regione loci ad Propontidis aspectum amœnissimam, prima cura fuit caput Orientis attollere, &, ceu Romam alteram, omnibus justi imperii ornamentis afficere. Immensis igitur operis ac impensis in eam rem comparatis, anno postero, spatia vastissima mœnibus complexus, eximiâ architectorum fabrûmque sollertiâ ædificiis eâcùm publicis, tum privatis occupavit; & Curiæ exornandæ, prænobiles Romæ antiquæ familiæ senatores deduxit. Atque hanc raram adeò, multisque licet ambitiosissimè, frustra tamen quæsitam felicitatem, uno sibi religionis studio peperit, ut inter tot conditas à Romanis urbes, totque deductas superbâ virium ostentatione Colonias, hæc prima princepsque Deo surgeret; uti, quam B. Augustino teste, velut ipsius Romæ filiam, Imperiique Romani sociam, sine Dæmonum ullo templo simulachroque condi voluit, nomineque à suo affici Constantinopolim.

B. Aug. lib. 5. de civit. c. 25.

Constãtinopolis honori moneta Treviris cusa.

Urbis novæ honori Treviris procusa numismata, quorum hodieque magna copia eruitur. Virginis galeatæ & sceptrum Crucis instar vel caducei manu tenentis, effigies anticâ parte spectatur, cum epigraphe: CONSTANTINOPOLIS. posticâ, Victoria alata, manu clypeum premens, literis adpositis P. TR. Percussum Treviris signantibus, qua fortè ex urbe nobiles etiam aliquot Decuriones, in Orientem commigrarint; quod de Honorato Præfecto Prætorio Galliarum disertè traditur.

Gallicani in Orientem traducti.

XXVI. ANNUS Chr. 330. *Marcellini Chron. Zonar.* Constantinopolis encenia vel Natalis. * Imperii alia forma à Constantino inducta. *Zosim. lib. 2. Ammianus Eutrop. imper. Alciatus. Guid. Panc. ibid. Onuph. comment. de Repub. Rom. M. Velse. l. 6. rer. Aug. Philip. Better. Tithanon. diatrib. 1.* * Prætorio Præfecti. * Præfectus Prætorio Galliar. *Zosim lib. 2 Notit. imp & ad eam Gui. Pancir. l. 2. c. 3. l. 2 § 5. a Eunap. in Proæres.* ἡ δὲ ἀρχὴ βασιλεία ἐστι ἀπόρφυρος. *l. 1. tit. 11. de off.*

Anno, qui proximus huic post Christum natum trecentesimus trigesimus, XI. Maii Novæ Romæ Natalis agebatur; quando & Constantinus animum ad Rempublicam ordinandam appulit. quæ quidem quemadmodum in * Oriente constituta ordinataque sit, ut scire haud magnoperè nostra interfuerit, ita pauca, quæ circa Galliarum magistratus, aut limites provinciarum ab eo sunt immutata, operæ pretium attingere.

In Occidente itaque cùm plures provincias alias ex antiquis Constantinus fecit, tum nova quoque officia & magistratus invenit. Provincia verò hæc antiquam Belgicæ primæ appellationem retinuit; Mediomatricum & Trevirorum urbibus clara: at posteaquam universum imperium quaterni sortiti * Prætorio Præfecti; Orientis imperio ad horum binos rejecto; binis cæteris mansit Occidens. Ergò Latio, Africa, & Illyrico sub una Præfectura comprehensis, qui Galliarum * Præfecturæ à Constantino institutæ titulis ornatus, is undetriginta Provinciarum imperio, Britannias & Hispaniam simul cum Ripensi Germania, quâ limes intermeabat, sub ditione juris sui habebat.

ᵃ Præfecti verò Prætorio, extra id, quod antiquitùs purpurâ vel trabeâ non uteretur, amplissima post Imperatorem ipsum potestas; & quasi vicario præditus augustali munere supra provinciales omnes magistratus, pluribus etiam diœcesibus, id est regionum tractibus jus dicebat; & hic quidem ad Principem erat ab ejus sententiâ provocatio. Unde & Ausonius de Probo Prætorio Præfecto:

Qui solus exceptis tribus
Herus heroum primus est.

Præfecti Præt. potestas. *Th. Better. Pithan. diatrib. 1. c. 8. Guid. Panc. Com. in Not. l. 2. c. 5. & 22. Zos. l. 2. Ammian. l. 13. Cassio. in præfat. var. L. & lib. 6. C. de appell. L. præcipimus l. 1 C. de Off. PF. Africa.*

Deinde etiam Zosimo & Ammiano testibus, civiles operas, annua stipendia, palatinas annonas, salaria, commeatus exercituum, operumque publicorum mercedes erogabat, captabat, deportabat, emittebat, provinciarum Rectoribus mandata dabat; denique propriè solus ipse SACRÆ VICIS, autoritatem obtinebat.

XXVII. Præfector. Præt. successus. *Sic nos maiumus. secus Aurel. Arcad. §. de off. PP.*

Magistratus autem hic, etsi principum aliorum imperio florens, & inter primos spectatus; genere tamen ipso personisque à Constantino jam factus augustior, Cæsarum alioqui tuendæ saluti atque dignitati, regendisque Prætorianis cohortibus olim excogitatus. Quare & Græcis jam hastatorum, jam aulæ Præfectura appellabatur. Qui verò ad hunc honorem jam ab Augusti principatu ex equestri ordine tantum assumpti, curis etiam & negotiis se publicis inserentes, valuêre tandem in Cæsarum animis, ita, ut rerum consiliorúmque præcipua momenta, quod in ᵃ Burro Neronis, & Perennio Commodi spectes, in se traherent; essentque sub Principibus ipsi, quod olim Magistri militum, sub Dictatoribus. Et Neronem exstincto Burro binos instituisse Præfectos Prætorio, Fenium Rufum, & Ofonium Tigillinum, observavimus; Commodo verè regnante, si fides Ælio Lampridio, tres in eo munere simul versari cœpere. Ventum postremò ad ᵇ quatuor, uti diximus.

τῆς αὐλῆς ἢ τῶν δορυφόρων ἔπαρχος. *Plutarch. Dio in Nero. Eunap. a Tac. 3. annal. Herodian. & Æl. Lamprid. in Commod. Pompon. l. C. leg. 2. ff. de origine juris. & lib. XI. ff. de off. Pra. Præt. Tacit annal. 14.*

b *Torrent. ad Sueton. in Tito, c. 6.*

Cæterùm quia Præfectus Prætorio plerumque in Comitatu Principis fuit, quo ne diœceseon, junctarúmque provinciarum gubernacula, incerto Rectore fluctuarent, dati ᶜ Vicarii singulis quoque diœcesibus, qui jure & æquitate eas, loco Præfecti, temperarent. Hinc ut Britanniæ & Hispaniis, ita & Galliis, quarum diœceses sub uno Prætorio; suus Propræfectus contigit, & Vicarius, quem Hyparchum Græci dixere. ᵈ Magistros etiam peditum equitúmque per Gallias Constantinus instituit, qui, ad arbitrium Præfecti, curam delectus, armaturæ, stipendiorum, ac disciplinæ militaris gererent. Hos in Consularium legatorum vicem suffectos, Vegetius docuit, à quibus non binæ tantum legiones, verùm plures etiam numeri gubernarentur. Sub peditum Magistri imperio, Comes fuit militaris, tractus Argentoratensis, libro, codicillis, & viri spectabilis titulo insignis. Inter duodecim verò, quos invexit limitum Duces, Moguntiacensis, & Belgicæ secundæ clari extitére: quæ dignitas, etsi antiquitus penes Treviros fuit, jam tamen partim Imperatorum virtute, partim vigilantia Trevirorum, vel repulsis ab adverso limite barbaris, vel in Galliam etiam traductis, verso rerum statu aliò, ubi major à ferocibus gentibus vis, ea munia derivata. Duces autem Magistro peditum, qui & Præsentalis, eò quod plurimum ipse Imperatori præsens, paruisse tradunt.

c *Præf. Præt. Vicarius. Th. Better. Tithan. cit. & Gui. Pan. comment. ad Notitiam imp. lib. 2. c. 68.* d *Liber. Notit. imp. & Onuph. ut sup. Magist. ped. & equi. C. Theod. l. 6. Tit. 7. Fl. Veget. l. 2. de re militari c. 9. Ammian. Marcell. l. 15. Guid. Panc. Comm. in Notit. c. 20. lib. 3.* Comes milit tract. Argentor. *Not. Comment. tit. l. 2. c. 73.*

Cæterùm, quia Ducis Moguntiacensis * inter minores belli magistratus, spectata & excellens

* *Lib. notit. imp. Marc. Velf. l. 6. rer. Aug.*

XXVIII. Dux Moguntiacensis. a Magistratus qui minores sub Duce, & quæ limitis Rhenan præsidiorumque facies. Gaspar. Var. Chorograp. Pacenses milites. f Plin. l. 4. c. 22. & l. 3. c. 4. Saletio. Tabernæ. B. Rhenan. & Ortel. * Flaviæ legiones dictæ variæ, & in his una apud Mediomat.

excellens fuit authoritas, ita, ut qui ripæ tutores, præfectique militares tenderent secundum Rheni flumen, & a Mosellæ munimenta, huic ipsi subessent, faciendum, ut horum omnium nomina constent, qui imperium à Duce consuêssent accipere. Erat celebris in his Præfectus militum Pacensium, qui vel in Lusitania ex Pacensi conventu; vel Narbonensi provincia ex Pacensi Colonia, quorum meminit f Plinius, orti, Saletione sex infra Argentoratum milliaribus, quod oppidum Rheno imminens Selzam nominant hodie, in præsidio degebant. Menapiorum quoque Præfectus illi parebat, qui in Triboccorum finibus ad Vogesi fauces, Tabernis, quas & nunc Alsatiorum dicunt, excubabant. His item contributæ & Anderenicianorum, Vico Julio; & Vindicum, apud Nemetes; & Martensium in Alta Ripa, cum suis quæque Præfectis armatæ custodiæ. Apud Vangiones autem dispositi sub ejusdem Ducis imperio, milites secundæ * Flaviæ. Hujus memoriam legionis fortè conservat lapis egregius parieti Collegii Societatis JESU Moguntiacensis insertus, inscriptusque.

ANNEVSO SEDA
VONIS ...... CIVES
BETASI ...... ///// LEG ///
II FLAVIÆ ......

qui equo insidens ferocienti jacentem sub se barbarum, infesto telo domat. Quanquam in Thematibus imperii Flaviæ plures fuerint legiones; sive, Vegetio narrante, Flaviales illæ à Vespasiano, sive, quod de posterioribus traditur probabiliùs, à Constantino titulum prætulerint: ut PRIMA FLAVIA PACIS. SECUNDA FL. VIRTUTIS. TERTIA FL. SALUTIS. quæ inter legiones Comitatenses Magistri peditum Occidentis. Observo & inter Pseudocomitatenses ejusdem, PRIMAM FLAVIAM, quæ Mettis in vicinia Trevirorum excubavit; cujus insigne referunt ex imperii Rationario argenteum orbem in clypeo gemino circulo albo & luteo cinctum: quod utriusque imperii conjuncti tunc, Symbolon fuisse volunt. Moguntiaci quoque Præfectus armigerorum Duci suo aderat; Bingenses verò Bingii præsidii causâ locati, à quo suum item trahebant nomen. Denique in Treviris quà Rhenus affluit, tribus omninò locis, Dux minoribus Præfectis imperitabat. Balistariis namque Bodobrigæ; & militum defensorum cohorti

XXIX. Poppardiæ balistarii.

Confluentibus, & Acincensium ex inferiore Pannonia Antonnaci, commoratis præsidio. Taceo hîc, quos apud Ammianum Marcellinum invenias, Campiductores, & cum apparitione sua armorum Magistros; & ex peregrina militia armaturarum scutariorum, Braccatorum, Cornutorum tribunos, Gentilium & Cataphractariorum Rectores; quorum, ut varietas & usus longè maximus tunc apud exercitus emicuit, ita ejus generis militares ordines, hac regione locorum apud imperii limitem pronè receptos, ambigendi nullus locus. Quod verò Zosimus, quo loco rerum Dux potiebatur, ibi vicem Prætoris etiam obtinuisse jure dicundo, tradit; istuc vel ad imperium militare referendum, vel accipiendum eo, ut Principum voluntate, hæc duo distincta alioqui munia, interdum coaluerint. Porrò præcipuus quispiam, & primæ dignitatis ex Magistrorum militum præsentalium officio, alternis annis Duci apparebat. Præstoque à parte peditum vel equitum Magistri illi semper Numerarius & Commentariensis: quibus accedebant Adjutor, subadjuva, * Regerendarius, Exceptores, Rationarii, & cætera scribarum & apparitorum turba; quæ officiorum frequentia à Constantino ad rationes fisci atque vectigalium ordinandas, & distribuendas annonas, ac militum stipendia, partim recèns accersita, partim ex fluxis & labentibus in melius conversa: id quod de magistratibus aliis etiam interpretemur, oportet. Hæc ferè militiæ.

Cætera administratio Belgicæ domi, iis, quos supra illustravi, moribus stetit. Provincia facta Consularis. Ipsa Trevirorum Augusta non sacræ cognitionis apice modò, primoque Tribunali, sed ad accessionem famæ muniis quoque civilibus, & apparitione Prætorii amplificatâ; quin, tanquam Præfectoria sedes & armorum ac thesaurorum imperii plenam tutelam est adepta. Tiberianus verò, fascibus ipse insignis, quem, & à facundiæ laude beatus Hieronymus celebravit, vel inter primos, Præfectus Prætorio Gallias rexit. Post illum, Titianus celebratur vir eloquens, qui Præfecturam Prætorii apud Gallias, Consulari quoque trabeâ, sustulit. Hinc Honoratus in eodem Chronico à sancto Hieronymo laudatur, qui Constantino imperante, ex Præfecto Prætorio Galliarum, primus Constantinopoli Præfectus urbis factus: a Ambrosius quoque his annumeratur à Paulino S. Ambrosii parens, qui Mediolanum sanctimoniæ & eloquentiæ splendore collustravit. b Prætorium autem hoc in Treviris extitisse & consentiunt eruditi, & c Ausonii Burdegalensis, & Evodii, qui Priscillianum damnavit, exemplo monstrari queat; quando uterque amplissimam eam potestatem hîc exercuerunt.

Confluentiæ defensores. * Referendarius. Magistratus & officia à Constantino distributa. Cassi. in præf. variar. Amm. Marcel. l. 16. & alibi sparsim. Belgica facta cõsularis Onuph. de Rep. Rom. & V. l. Tiberianus PP. Galliar. Lollio vulgata Eusebii. Prætor. Titianus PP. G. Honoratius PP. G. a Ambrosius PP. in vita S. Ambros. b Prætoriũ & præfectoria sedes in Treviris. c Ausonius PP. G. Evodius PP. G.

INSIGNIA PRÆF. PRÆTOR.

Cujus hic lucis caussa quædam ornamenta damus.

Vultus Aug. Rott. lib. sape. & ad eũ Guid. Pancir. l. 1. * l. 6. var. in form. Conf. l. Capitol 6. ad statuas 11 de pan.

* Codex mandotorũ. Dissn. 53. Instimat. repet. Novell. 17. 25. de mand. Prin.

A Vultus Principum, geniatâ obsequii pompâ, ut * Cassiodorus loquitur, Præf. Præt. in publicum prodeuntibus præferri soliti, ad injuriam omnem defendendam objecta * Augustalis imaginis specie. Subter mulier, cornucopiâ ostentans Imperii felicitatem.

B Abacus, mappâ vel tapete instratus, librum erectum sustinens. In medio Augusti imago; binis ardentibus utrinque cereis. Liber is * mandatorum, quæ Princeps dabat magistratibus. Cerei accensi, quo tempore in Prætorio, vel apud Tribunal, caussæ dicebantur, ad augendam Principis vel Tribunalis majestatem.

C Carpentum seu vehiculum auratum, in quo eburnea sella curulis in hemicyclum inflexa, & à tergo surrecta, equis junctum quatuor albi coloris.

Cerei accensi vel lampade. Novell. 41. Iustin. edict. 8. de Vicario Pont.

Vehiculum PP. L. ult. C. de honorat. vehic.

Ad hunc

Digitized by Google

XXX. ANNUS CHR. 331. *D. Hieronym. in Chron. Oróren. Eunap. & Socrat. loco cit. Euseb. de vita Constant. lib. 3. c. 53. & seq.* Fanorum excidia Cōstantini jussu facta. *Euseb. citat. Oros. l. 7. c. 28. Theod. lib. 5. c. 20.* Christianæ fidei incrementa in Galliis his, vicinisque Germaniis.

Ad hunc igitur modum rebus in Occidente constitutis, anno postero Imperator bellum implacabile gentilium sacris indixit, eorumque fana, si Eusebio credimus, collectâ manu disturbari, simulachra comminui, ac destrui passim in Oriente voluit. Quod facinus tam egregium in Occidente Constantinum filium imitatum, neque ratio, neque testes abnuunt. Nam Eusebius longè latéque significat dispersam in hac re patris autoritatem. Addit Orosius, Primum Constantinum justo ordine, & pio vicem vertisse edicto; siquidem statuisse citra ullam hominum cædem Paganorum templa claudi. Quod excipiens Theodoretus disertè, ait, in hoc genere filios paterna vestigia diligenter sequutos.

Quare junior Constantinus, ut gentilibus æquior videri voluisset, in ea tamen urbe, quam domicilium sibi & sedem imperii pater delegerat, simulachris eundem haberi honorem, quem hactenus, passurus non erat. Accedebat Agricii sanctissimi Pontificis flagrans in primis religionis propagandæ studium; qui id unum haberet in votis, uti eliminatis falsorum deorum signis, eorúmque cultu radicitus ex Trevirorum animis evulso, lucem illis Evangelii, superstitionum caligine sublatâ, puriorem ostenderet; atque adeò, universam urbem ad veri uniusque summi Dei obsequium traduceret.

Sozom. l. 1. c. 5. Niceph. lib. 8. c. 33.

Sed memorabilem quoque conversionem nominatim prædicant hoc tempore factam in Galliis scriptores Græcorum. Ante omnes Sozomenus; quem sequuntur Cedrenus atque Nicephorus, Populos memorat, Rhenum accolentes, mirifico tum exarsisse studio Christianæ religionis, eandemque amplexos Celtas, nempe Germanos, & Galliarum extremos, qui colunt proximè Oceanum.

XXXI. Ludi & spectacula, eorumque frequentatio Christianis vetita. *Arelat. Concil. Can. 4. 5.* * Circenses aurigæ, qui in ep. Synod. ad Silvestr. Papam Circissarii. Præsides Christiani in autoritate sunt Episcoporum. Treviri Circensibus dediti. *Lib. de Pudicit. & spectaculis.* Theatralibus quàm justè interdictū Christianis. Romanis infames operæ theatrales.

Ad hanc ætatem quoque & ad Agricii curam, morum disciplinam eam retulero, quæ Arelatensi synodo, in qua nomen Agricii celebratur, de* Agitatoribus & Theatricis sancitur: cùm, qui è fidelium cœtu Ludos sive Circenses, sive Scenicos exercerent, sacrorum communione prohibentur: *Quin ipsis quoque Præsidibus, qui fideles ad Præsidatum impetu prosiliunt, indicitur, ut literas ab Episcopis habeant communicatorias, ut ubi cœptarint contra disciplinam (Ecclesiæ) publicam agere, Episcoporum autoritate coërceri possint.* Treviros ut Scenis & Histrioniæ maturè nuncium remisisse, ita Circensibus impensè diuque fuisse deditos, temporibus suis narrabitur. Ludorum autem hoc & omne genus, quàm à Christianis longè voluerint abesse majores, priscorum monumentis literisque passim exponitur. *Perit*, aiebat Tertullianus, *& fidelis, elapsus in spectaculum quadrigarii furoris, & gladiatorii cruoris, & Scenicæ fœditatis, & Xysticæ vanitatis.* Quamobrem fortiter sanè religionis nostræ Antistites spectacula non solùm ab oculis Christianorum pudicis & mansuetioribus repulerunt: sed hujus repulsæ tanquam hastam amentatam à Romanis ipsis porrectam fortiùs in spectatorem, & per hujus latus in Munerarios ipsos contorserunt. Enimverò, ut ex edicto Prætoris de his, qui infamiâ notantur, clarum erat, qui quæstûs gratiâ in circum quadrigarii, in scenam histriones, in caveam harenarii prodiissent, famosos judicatos, & si non omni capite, at famâ, ut Cassiodorus loquitur, fuisse diminutos: ita qui ludos hos apparatissimè & insano sumptu faciebant, quique cum tanta Reipublicæ & innocentium pernicie theatrales gladiatoriosque consessus celebrabant, crimini vel justæ damnationi ceu scelerum fontes & autores apud Christianos peritissimos honesti arbitros, eximi non poterant. Unde laudatus à nobis Afer ille Presbyter: *Quibus quanta perversitas? Manifestè damnant ignominiâ (Ludios) & Capitis minutione, arcentes curiâ, rostris, senatu, equite, cæterisq. honoribus omnibus simul & ornamentis. Amant quos mulctant; depreciantur quos probant. Artem magnificant, artificem notant. Quale judicium est, ut ob ea quis offuscetur, per quæ promeretur? Imò quanta confessio est malæ rei, quorum autores cùm acceptissimi sint, sine nota non sunt?*

Lib. 1. ff. de his qui infam. Ulpian. ad Edictum lib. 6. L. 2. §. ult. & leg. 4. Iac. Cuia. ad eund. Tit. Lib. 7. variar. c. 35. Autores ludorū, item rei, ut & fautores.

Tertull. l. de spectac. c. 22.

XXXII. Constantinus Jun. in Treviris. *Lib. 8. tit. 1. Cod. Theod.* ANNUS CHR. 332. Arriani sæviunt. *Hist. Ecclesiast. script. omnes.*

Constantinum juniorem hujus anni æstiva quoque Treviris habuisse, docet rescriptum istic datum, Basso & Ablavio Coss. quo Exceptorum honoribus atque commodis consultum ipse voluit. Insequenti anno Arrianæ lues hæreseos ad breve consopita tempus, majore rursus incremento invaluit; divisumque benè est per consubstantiale, quod hæreticorum pravis artibus per dolum & simulationem latentis sub verborum involucris veneni, malè coaluerat. Arrianis namque falsâ & ementitâ specie pœnitentiæ, in suas passim Ecclesias receptis, unus Athanasius Alexandrinus Episcopus vir cùm magnâ doctrinâ & innocentiâ vitæ, tum asperis atque adversis in rebus animi æquitate supra hominis naturam incredibili, Christi causam, eodem quo susceperat tenore, propugnandam in posterum ratus, ejus majestati, ut par erat, omnia humana, seu prospera seu adversa postposuit. Hanc porrò ob caussam, cùm multorum aliorum invidiam atque odia sibi conciliavit, tum verò Eusebium Nicomediensem Episcopum per continuos insequentis temporis annos hostem est infensissimum expertus. Enimverò, per violentas accusatorum petitiones variosque judiciorum anfractus tanquam aurum in igne probatus, claris semper circum se divini vigilantis auxilii indiciis, sapienter non minùs ac feliciter tempestatem evitavit. Inde quoque in publico Tyri conventiculo ad Arsenii amputatæ manus & illati feminæ stupri infamiam pertractus, utramque calumniam, magnâ juxta petitorum ignominiâ, ac propriæ innocentiæ & virtutis testificatione discussit.

Athanasius Alexandriæ Episcopus inter aspera florescit.

Athanasius apolog. 2. Zoz. l. 2. c. 24. Tyri conventus Arrian. an. 335.

XXXIII. ANNUS CHR. 335.

Post hæc Silvester præstantissimus Pontifex vitâ decedens, amplificatæ rei Christianæ laudem eximiam tulit. Neque superstitem illi diu fuisse Agricium, satis ipse temporum ex se nexus ordo, postea monebit. Diem ille suum functus XIII. Januarii, qui dies ipsius item memoriæ consecratus. De sepulturæ primo loco, veterum discrepant sententiæ; quippe S. Maximini cœnobii documentis, istic à multis sæculis reconditum veneratumque, sicut etiam nunc testatissimum est. At publicis nihilominus Trevericorum Gestorum literis sepultus proditur apud corpus

B. Agricii sepulchrū.

S. Eucharii; qui locus, in D. Matthiæ monasterio veterum erat Episcoporum sepulturæ dicatus, ubi & S. Agricii extitit quondam titulus.

Cæterùm hæc res, avorum memoriâ, minùs prudenter animadversâ, exempli pravi dissensionibus locum aperuit, Cœnobitis pio non magis quàm pertinaci utrinque studio, corpus B. Præsulis sibi vindicantibus. At rebus attentâ curâ discussis, & ad liquidum exploratis, Richardi excellentis memoriæ Pontificis sententia fuit, relictâ in medio primæ sepulturæ causâ, quod à majoribus factitatum constaret, in uno B. Maximini cœnobio beatissimi Pontificis & cineres colendos, & honorandam memoriam.

XXXIV. Annus Chr. 336. Marcus Pont. m. 8. Maximinus II. Archiepisc. 28. Episc.

Lupus in vita S. Maximini, quæ extat tom. 3. Surii. & Trev. MS. Anton. Demochar. ex Annal. Aquit. Bouchetti.

Insequenti anno, ut Marcum Romæ Silvester, ita Treviris Maximinum secundum Agricius habuit successorem. Maximinus Pictavis in Aquitania clarissimis ortus natalibus, genere fuit senatorio; Trevirim in Galliam Belgicam Agricii famâ ac sanctitate permotum, disciplinæ causâ venisse, tradunt. Frater illi Maxentius, qui, Lupo narrante, ob egregiam eruditionis simul ac virtutis laudem inde ad Pictavorum Ecclesiæ gubernacula accessit: quanquam, vulgatis Pictaviensium Episcoporum indicibus valdè quidem ille ab ætate Maximini remotus: Maximinus autem, cùm aliquamdiu in Agricii disciplina perseverans, processus quàm maximos effecisset, Christianæ religionis & omnis officii præceptionibus probè jam excultus, per Ecclesiæ sollennes ordinum gradus & initiamenta sacrorum, ad apicem denique sacerdotii pervênit. Præsenserat id futurum Quiriacus, excellenti vitæ innocentiâ sacerdos; is enim, noctu oratorium S. Eucharii precandi causâ aliquando ingressus, ampliore quàm humanâ specie Angelum sibi oblatum clarissimè aspexit, qui placido vultu ad eum conversus, renunciari Maximino juberet, fore, ut ubi Agricius naturæ concessisset, ipse illi successor, in Episcoporum ordinem cooptaretur; cujus autoritate visi, interpositis præsertim cœlestibus item Agricii adhuc superstitis imperiis jussisque, clerus adductus, postea Maximinum Ecclesiæ Trevirorum, summa cum approbatione populi, pastorem præposuit, ordinarique à vicinis provincialibus Episcopis Antistitem sibi voluit. Quo in munere, cùm castè ac innocenter ipse assiduè versatus, tum acerrimum se Catholicæ fidei vindicem adversus Arrianos in omni vita exhibuit.

Maximinus oraculo divino ad Trevirorum sedê evectus. Quiriacus Presbyter prædicit S. Maximinũ fore Trevir. Episcopum. S. Maximinus ab ipso B. Agricio designatus successor ordinatur.

XXXV.

Tricennalia Constantini quæ Scaliger propter suum prochronismum vult fuisse anticipata.

Athanasii in Treviros relegati caussæ.

Athanas. in Apol. 2. contra Arrian. Theodorit. l. 1. c. 30. Socrat. l. 1. c. 23. Niceph. l. 8. c. 50.

Per idem tempus, ut annotavit inter alios subtiliter Theodoritus, annum jam in imperio trigesimum agente, & Tricennalia sua dante Constantino, Athanasii rursus oppugnari cœpta constantia atque fama; neque Eusebii Nicomediensis furor ac incensa in optimi Præsulis perniciem ira antè restingui potuit, quàm oneratum calumniis, totâ extorrem Ægypto, in ultima Galliarum extrusisset. Hujus itaque tempestatis tam atrocis procella, Trevirim demum Athanasius delatus est. Quæ res, quemadmodum gesta, ex Theodorito & Socrate diligenter, memoriæ propagavit Nicephorus.

Arrianæ principes sectæ parùm in accusatione privatarum rerum apud Constantinum se profecisse rati, longè valentiùs subvertendi Athanasii comparavêre telum; publicæ frumentationis causâ, cum statu religionis implicitâ. Ergo, cùm Alexandriâ, ut ex Ægypti regione frumenti feracissimâ, quotannis quæ Romam solet, tunc Constantinopolim annona navibus subvehi consuêsset, idonei à adversariis subornati testes, qui audisse ex Athanasio ejusmodi sermones se dicerent, quibus vetiturum se publicam eam frumentationem, & Alexandrinis autorem fore pronuntiasset, ne solito more, pro eo atque Imperator sanxisset, transvectio succederet. Accusationem alii, subdente stimulos irâ, Constantinum accepisse; alii, quorum sententiæ nos esse malumus, cum adversariis fide abjudicatâ, indictâque causâ, Athanasium in Galliam ad Trevirorum Augustam proscripsisse memorant, quo cùm per ejus absentiam materia calumniis decessisset, ad qualemcunque redigeret concordiam Orientales, & publicæ pariter Ecclesiarum tranquillitati consuleret. cùm difficile præsertim esset, eum, quem omnes ferè Orientales Episcopi oppugnarent, si nullo crimine, at non suspicione laborare. Addit rescripto suo junior Constantinus, relegatum à patre, uti ne graviùs ac crudeliùs quid in eum Arriani statuerent; atque ita procul nefariis improborum hominum insidiis securior, apud exteros ageret. Id probasse adeò beatum apparet Hieronymum, cùm postulatum à Constantino ad pœnam (ceu Constantii factionem intelligeret) venisse ad B. Maximinum Trevirim testatus est.

Chron. Hieron. Simeon Metaphrastes in Athan. vita.

I. Lips. Admirand. l. 2. c. 10. de frumentat.

Ita ipse Athan. in Orat. 2. cont. Arrian. & in Apol. 2. Adi Petrum Ærodium l. 1. rer. judicat. tit. de Episcopali audientia.

Veteres legerunt, pro eo quòd in chronicis (à Constantino) à Constantio.

XXXVI. Julius Pont. an. 15. m. 5. d. 17.

Apolog. 2. Athan. in qua Iulii Epist. ad Eusebianos.

At clariora longè adhuc sunt Julii Romani Pontificis verba, qui hoc eodem anno Marci defuncti sacrosanctum magistratum sortitus, apud ipsum Athanasium, aptissimo sumpto ad id, quod in manibus habebat, concludendum argumento, Athanasium in Galliam pro damnato missum pernegat, cùm eo absente, Alexandrina sedes vacua mansisset, quod contra, post reditum, invadente demum Georgio, accidisse, constiterat.

Athanasius Trevirim veniens excipitur honorificè.

Ex rescripto Constant. & & Chron. beati Hieron.

Athanasius verò Trevirim hospes ex Oriente adpulsus, cùm propter incredibilem virtutis ejus ac sapientiæ famam, tum Alexandrinæ sedis excellentem dignitatem, non ab Constantino solùm Treviris tunc adhuc commorante, largè ac munificè omnibus ad victum cultumque rebus affatim de publico præbitis, est exceptus; verùm à Metropolitano Maximino, cujus tum clarissimum erat in Occidente nomen, haud mediocri honore privatim etiam cultus.

XXXVII. Annus Chr. 337. Constantini mors.

MS. Euseb. Chron. Trev. Eccles.

Constantinus, an factus Arrianus?

Sequenti anno Feliciano & Titiano Coss. Constantinus religionis nostræ susceptæ atque amplificatæ gloria, Treviris item urbis restitutæ, & eximiis beneficiis ornatæ meritis clarus, & verè magnus è vita discessit. Neque patiendum; ut quæ labes ex Eusebiani Chronici lectione Imperatoris optimi famæ importatur, ea sine vindicatione publicis in posterum monumentis insideat; nam, quod Constantinum ibi, extremo vitæ suæ tempore in Arrianum inclinasse dogma legimus, id perantiqui Codicis Trevirensis Ecclesiæ veteri scripturâ sic exprimebatur. *Eusebius Nicomediensis in Arrianum dogma declinat; à quo, usque in præsens tempus, Ecclesiarum rapinæ,*

& totius

Chronici Eusebiani censura quoad Cõstantini mortem.

& *totius orbis est secuta discordia.* Et verò Corrector Eusebii tot exemplarium copiis in[...]ductus, iisque in agmina duo distributis, duntaxat unum ex decem libris & primi agminis proferre potuit, qui hanc de Constantini lapsu & baptismo periochen haberet, & eam derasam quidem; ut mirum sit, qui tam liberalis in tot periochis exautorandis fuit, hanc Constantinianæ famæ tam iniquam, in ære suo duxisse; quam ipse tamen * Gelasii Episcopi Cæsareæ testimonio dispungi voluit inficiantis, ullum ex hæreticis, ut quibusdam fuisset visum, baptismi causâ manu Constantinum attigisse, cum * Orthodoxo mysteriis præeunte, sacramentum id obtinuisset.

* *in Bibliotheca Photii.*

Constantinus à Catholicis, non ab hæreticis baptizatus.

* *puta*, Silvestro Papa.

Ex Athan. apolog. 2. & Theodoret. lib. 2. c. 20. Baronius ad an. 329.

At Eusebius Nicomediensis, ais, qui quampridem Arianismo intumuerat, quomodo tam serò statuatur huc prolapsus? Vafrum hominem & multæ dissimulationis, prisci narrant, Protei more identidem mutasse vultum; jam pro Catholicis, jam contra hos stetisse pro Miletianis. Itaque post relegationem, quâ tandem à Constantino damnatus, ruere in pejus potuit, improbitatis extremę mensuram quandam implens, quam in Chronico S. Hieronymus expresserit. Nec huic adhuc parti, cur major esse videatur, ab ætate deest suffragatio. Nam membranaceo vetusto codice Chronici Ecclesiastici Hersfeldensis incliti quondam Monasterii, ita legebamus: *Scribunt quidam Constantinum in hæresin Arrianam corruisse, sed hoc Ecclesiastica non docet historia, quæ sub magna religione illum decessisse narrat.*

XXXVIII. Dies & tempus obitus Cōstātini.

* 21. vel 22. *Scalig. & Onuphr.*

Tricennalia Constantini an anticipata.

Cęterùm obiisse Constantinum * Maio mense res clara est; atque ita ad XXIV. Septembris haud pervenisse, in quem Tricennalia incidisse volunt; quæ, qui distulerunt in hunc annum, nullo teste vel autore, data Tricennalia per anticipationem profiteri non verentur.

Cæterùm magni Constantini liberi, paternam animi indolem neutiquam assecuti, tanto post se Constantinum patrem intervallo reliquerunt, quanto parens superiores omnes principes, pietatis laude atque animi magnitudine, antecesserat. Etenim, ceu geniti ad ea quæ benè parta institutaque fuerant, subruenda; non arma duntaxat ab externis in semet versa crudeliter exercuerunt, sed, scissis animis, & ambitione cæcis, ad extremum, fraterni sanguinis mercede, rabiem civilem commisêre.

XXXIX. CONSTANTINUS Junior IMP. an. 3.

Eusebius in vita Constant. Theodoret. l. 1. c. 32.

Constantinus autem ex testamento patris Galliam, Hispaniam, atque Britannias; Constantius Orientem; Constans verò Italiam, Africam, & Illyricum obtinuit.

Jecerat in supremis mandatis quiddam de Athanasio restituendo moriens Constantinus; id, omni licet arte repugnantibus Arrianis, tenaciùs tamen hæsit animo Constantini junioris, quàm ut excideret; Constantio interim Arriani Presbyteri insidiis in communem fraudem impulso, & consceleratæ sectæ nequitiâ pariter inde corrupto. *Anno quippe, qui Constantini mortem proximè insecutus, divinus ille Athanasius* (verba Theodoriti sunt) *biennio integro, & mensibus quatuor, Treviri commoratus, revertit Alexandriam.* Neque plus Trevericæ commorationi tribu[...] temporis ipse etiam B. Hieronymus. Extant & apud

ANNUS CHR. 338.

Theod. l. 2. c. 2. Niceph. & Hieron.

Athanasius biennio tãtum & IIII. mensibus

Treviris cõmoratur.

ipsum Athanasium & cæteros scriptores Ecclesiasticos, literæ Constantini XV. Kalend. Julias datæ Treviris ad Ecclesiam Alexandrinam, quibus ipse reditum illi confecit; & multiplicia sua in Antistitem promerita clarissimis verbis exposuit; quas integras hic ut jungeremus, gravissimis causis permoti fecimus: *Vestra prudentia minimè obscurum esse arbitror, quid caussæ fuerit, cur sacrosancta legis & doctrinæ Evangelicæ interpres Athanasius, à patre meo in Galliam relegatus sit: ne scilicet per nefariam improborum quorundam perversitatem (nam agrestis infestorum & crudelium hostium immanitas ejus capiti periculum intenderat) vulnera planè insanabilia acciperet. Quocirca, ut pravam haud hominum malitiam effugeret, ex illorum quasi faucibus, qui ei struebant insidias, ereptus est; jussusq́, sub mea ditione vitam degere, quo non aliter, ac si in ea civitate versaretur, in qua antehac vixit, omnibus rebus ad vitam necessariis abundaret. Tametsi ejus eximia virtus divinâ ope freta, rebus adversis omnibus videatur esse superior. Quamobrem, cùm pater meus Constantinus Augustus, dignus sanè ob res præclarè gestas, qui in hominum memoria semper vivat, haberet in animo, Episcopum illum cùm vestra in Deum pietati, tum sedi quoque suæ quamprimùm restituere; & morte, ut sors humana fert, antè discederet, quàm id, quod erat in votis, explere posset; partium certè mearum existimavi, ut institutum sacræ memoriæ Imperatoris, mihi exequendum susciperem. Quo autem honoris studio & observantiâ hominem in hac civitate complexus fuerim, ab eo ipso simul, atque in vestrum conspectum venerit, facilè intelligetis. Nec mirum sanè, istud humanitatis officium in illum me cumulâsse; nam tum quædam vestri desiderii, quasi effigies; tum hominis gravissimi species ante oculos obversata, animum meum ad hoc ipsum commovit, vehementerq́, stimulavit. Deus vos, Fratres mei charissimi, suâ providentiâ diu servet incolumes. Treviris XV. Kalend. Julias.* Atque hæc extant de Athanasii, apud Treviros sive tolerato exsilio, seu peracta mora, ex publicis & probatissimis scriptoribus desumpta veterum monumenta.

Extat & Apol. 2. Athan. [...] divers. transl. [...] utraque.

Athanasius quam sit ure & hospitaliter Treviris sit cõmoratus.

Constantini Junioris in Athanasium Treviris agentem humanitas.

XL. Inquisitum in domesticorum *[...]*, de Athanasii in Treviris commoratione.

At verò, cum longè diversum senserint, qui ante hoc sæculum nostrum de Athanasii commoratione * hic Treviris privatim in cœnobiis scriptitarunt, aperiendum eorum omne consilium duximus, haud sanè, ullo obtrectandi, aut diffidendi studio, sed, quo ne taciti rem tantam prætereamus, quam publica scriptorum Ecclesiasticorum autoritas dijudicat, cui refragari haud temerè domestici possunt. Id vero ante omnia hic exploratum esto de Maximini gestis rebus, privatim in Treviris nihil admodum memoriæ relictum præter ea, quæ ante annos abhinc amplius septingentos Lupus quidam ex apocryphis secreta, suo arbitratu judicioque, resectis, quæ visum fuit, scriptis edidit. Hæc porrò, quæ Lupus, commentario vitæ Maximini supra suam ætatem ab ultimis repetens inseruit, ejusmodi sunt omnia; ut demptis paucis, cætera ad publicam fidem revocari, nullo negotio queant; nam in Athanasii relegatione, & Eufratę damnatis erroribus, & ipsius Maximini

S. Maximini vita qualis à Lupo descripta.

funere, ejus tota consumitur oratio; reliqua encomiorum instar, & emblemata alieni coloris, extra propositum argumentum longiùs petuntur. Nunc verò, qui affines sæculo nostro Lupi commentarium interpolare, atque, ceu pratum quoddam variis aggressi distinguere floribus, hi in majuscula cura traditionis, sed pertenuis oppidò versati, plurimum audent; nam, quo loco Athanasii adventus in Treviros ex Hieronymo commeminit Lupus, ipsis ex Rufini ad Eusebium auctario integrum placet inferre caput, & quod infinitè dicitur ab illo ac de universo genere, quodque solùm ad Orientis imperium & Constantii regnum ipse restringit Rufinus, hi tamen ordine præpostero ad Treviros & B. Maximini cœnobium, iisdem prorsus revocare verbis, haud dubitant. Narratio Rufini est: *Hinc jam toto orbe profugus agitur Athanasius; nec ullus ei tutus ad latendum supererat locus. Tribuni, Præpositi, Comites, exercitus quoque, ad investigandum commoventur edictis imperialibus. Præmia delatoribus proponuntur, si quis vivum maximè, si id minus, caput certè Athanasii detulisset. Ita totis regni viribus frustra adversus eum, cui Deus aderat, certabatur. Interea sex continuis annis, ita latuisse fertur, in lacu cisterna non habentis aquam, ut solem nunquam videret. Sed, cùm per ancillam, quæ sola conscia dominorum officiis, qui ei latebras præbuerant, videbatur, indicatus fuisset, tanquam Dei spiritu admonitus, ipsâ nocte, quâ ad eum comprehendendum cum indicibus veniebatur, post annos sex migravit ad alium locum. Ita illi, qui venerant frustrati, dominisq; in fugam versis, de ancilla, ut falsa indice, pœnas sumunt.* Hæc Rufinus, de iis loquens, quæ Athanasio in Oriente evenerunt, antequam ad Constantii partes profugeret. At, quæ ipse ibi de sexennii latebra, lacuque cisternę; Treverici scriptores prorsus sua faciunt; tum insequentem pariter de fuga & ancillę indicio narrationem sibi vindicant.

De Athanasii latebra quid recentiores? *Tritho in script. Eccl. Athanas. Schekman in vita S. Maximini, & Medul. gest. Trevir.*

Lib. 10 Eccles. hist. c. 18 & 19. De Athanasio Rufini narratio.

XLI.

Audacius etiam hac de re; neque famę quidquam magis, quàm sibi tribuens, Abbas Spanheimensis: *Athanasius fugiens*, inquit, *à facie Imperatoris, & Arrianorum, venit ad Trevirim urbem Galliarum, & à S. Maximino Archiepiscopo honorificè susceptus, septem annis, apud eum latuit, in cisterna sine aqua, quæ usque in hunc diem apud monasterium S. Maximini Treviri in crypta ostenditur. In hoc loco multis annis, ut diximus, latitans, solem non vidit; ibiq; symbolum:* QUICUNQUE VULT SALVUS ESSE, *composuit; donec tandem à quadam puella proditus, Dei nutu fugâ lapsus est.* Sed & ipse, quod apparet, Trithemius mox ad Rufini narrationem revolvitur.

I. Trithem. Catal. illust. script. in Athanasio & Annotatio MS. præfixa vitis SS. Mast monast. S. Maximini bibliot.

Quanto majore cum sobrietate, scriptor & pondere rerum, & ævo gravior, Ottò Frisingensis: *In Occidentem fugere compulsus, humanè susceptus, honorificè habitus, ac postmodum in cathedram suam potenter remissus est.* Ibidem: *Manens in Ecclesia Trevirorum sub Maximino ejusdem Ecclesiæ Episcopo.* QUICUNQUE VULT; *à quibusdam dicitur edidisse.* Eâdem cautione scripta monumenta, quæque in æde B. Maximini publicè proposita, quæque privatis membranis alibi custodita, ad traditionem famámque relegant; atque istic, modo tot annis delituisse, ferri, dicique vulgo, memorant. Et verò, si Treverim Athanasius fide publica venit, si in Constantini junioris tutela præsidióque non securè magis, quam eximiæ quadam cum dignitatis opinione ac reverentia vitam exegit; si Cæsaris ope, gratiáque circumfluxit; si Maximini florentis tum apud omnes Treverice Colonię procerum ordines & autoritate, & studio præcipuo quodam, &, ut Hieronymus annotavit, *honorificè susceptus est*; si denique Athanasius ipse in hac relegatione seu amandatione sua, Constantini animum, & consilium collaudavit; omniaque fuisse bono jure circa se constituta, non tacuit; ecquis Trevirorum in urbe credat tantum observatum ubique foribus metum, eosque incessisse terrores, ut sexennio ipso toto, non fracti ac mollis animi Pontifex, in amica & orthodoxa civitate tenebras semper secretumque captans, intra unius cisternæ latebras delitesceret? Adde porrò: si ab ipso Constantino, si ab urbis Antistite Maximino, omnis profecta in Athanasium comitas, benevolentia atque hospitalitas; quid illi, obsecro, hic rei cum dominis latibula præstantibus, quid cum inhospitali ancilla negotii?

Otto Frisingensis Chro. l. 4. c. 7.

MS. S. Mathiæ, & Colon. S. Pantal.

In Apolog. 2.

XLII. Sed enim, haud semel, inquies, Trevirim venisse profugum ex Oriente Præsulem. Atqui intra S. Maximini vitæ curriculum id factum necesse est doceas, cùm alioqui omnis te coarguat, tam domestica, quàm externa, quacum pugnare nolis, antiquitas. Et nos sanè, subductis diligenter omnibus & locis & temporibus, nequaquam hic Treviris aut tam longinquæ commorationi pares invenimus annos, aut tam obscuræ latebræ caussas, satis dignas hactenus expedimus.

Jam verò in ordine temporum Rufini errores non expers historiæ facilè quivis animadvertit; quidque in eo genere ab ipso peccatum sit, ante multa sæcula observavit Ecclesiasticus scriptor Socrates; idemque, cùm alias res complures, tum exsilium, quod in Galliâ toleravit Athanasius, Rufinum præteriisse docet: licet ad Constantis partes ex Oriente profugum abcessisse in Occidentem, & istic satis honorificè religioseque susceptum, Rufinus disertè narret. Quæ verò de nece, & atrocibus aliis in Athanasium scriptis decretis memorat, ea ad tertium ejusdem exsilium fugamque Theodoritus, & Sozomenus transferunt: quo nimirum tempore, Sardicensi jam conventu peracto, Maximinus diem obierat. Atque ita ne Rufini quidem sententia, cum hac Trevirorum domestica, conciliari satis unquam poterit.

Lib. 2. c. 1.

Lib. 10. c. 15.

Lib. 2. c. 13. & 14. Zozom. lib. 4. cap. 9. Athanas. in epist. ad solitariam vitam, & Apolog. 2.

XLIII. Age jam ex ipsa loci conditione, ecquid ad singularem ac propriam hanc traditionis tuendam famam elici possit præsidii, subtiliùs etiam exquiramus. Principio quidem regione civitatis antiquæ celeberrimâ, D. Maximini cœnobium hodie monstratur; ipsumque adeo orbem, quo hujus jam domicilii ambitus undique cingitur, eximiæ artis ac impensæ magnificentissimo & prænobili ædificio, laxisque porticibus occupatum, vel hæc ætas serò tandem nos docuit. Dagoberto quoque regnante, opus Constantini fuisse placuit, & filiorum ejus; quæ eruitur istic moneta, idem ante pau-

S. Maximini cœnobii antiqua sedes; & ejus multiplex vicissitudo.

Diploma Dagoberti Memiliano traditum.

cos

cos hos annos comprobasse visa. Jam verò, ut Joannem Antiochenum, quem cum B. Agricio ad Treviros ex Oriente migrasse ferunt, istic alibi monasticam in vicino exercuisse, ceu clarum testatumque proferamus, publicam eam tamen & vastissimam sive Palatii, seu regiæ Basilicæ molem Athanasium latendi causa insedisse, res nulla facit probabile. Accedit, retrò viam superesse nullam veteris templi, quod ante annos mille & amplius hisce locis stetit, vel vestigia indagandi; nedum, ut in laceris & semirutis areis Athanasianæ sedis vel habitationis queamus aut impressam orbitam, aut expressam literam, usquam ostendere. Et verò, post priscæ urbis eversas fortunas, id ægrè, atque adeò per nebulam, ad posterorum notitiam manârat, istic alibi Constantini stetisse Basilicam. Jamque in areæ parte Septentrionaria nuperis annis tumulos veterum Christianorum ceu ex prisco vicinoque basilicis cœmeterio meminimus effossos, cum luculentis titulorum inscriptionibus.

XLIV. At Francis rerum hîc potientibus, & efflorescente paulatim ad pietatis studium advena barbaro, spatiis Coloniæ permultum sanè tum imminutis, Basilica S. Maximini honore memoriaque celebris in suburbano visebatur, cum crypta & conditorio cinerum ipsius S. Maximini; de cujus Basilicæ non tam nitore, quàm religione * Gregorius Turonensis multa. Dagoberti post hæc, & Modoaldi Archiepiscopi subit ætas, quâ publico, quod provincialibus libris insertum, diplomate, cella fuisse perhibetur sacra S. Joannis Evangelistæ & B. Hilarii memoriæ; atque in D. Petri fundo, prædioque constructa. Successerunt inde B. Hildulphi tempora; queis, ut fusiùs narrandum suo loco, nova prorsus ipsius liberalitate excitata alibi basilica; atque quod vetus B. Maximini crypta, aquarum illuvie vexaretur, hinc in recentia opera B. Præsulis pignus satis constat cum Thebæis martyribus traductum. Atque ad hunc modum antiquæ sedis D. Maximini cum crypta, cujus Gregorius Turonum Episcopus descriptionem dedit, imago prorsus evanuit.

* Greg. Turon. lib. de gloria Confess. c. 93. & 94. & in vita B. Maximi.

In B. Hildulphi vita disertè l. 1.

Inde verò Nortmannicæ vastitatis incendio, omnes ab Hildulpho positi templi sic obrutæ sunt notæ, ut deletâ familiâ, & omni cœnobitarum interfecto cœtu, ni remedium quoddam divinitus extitisset, cryptas, quibus sacra recondita beatorum Præsulum ossa, recuperandi spes omnis jam esset posteris in multos post annos adempta. Denique post Normannicæ gentis vulnera, novam experta cladem ædes; quippe repentino turbinis impetu procumbens, ruinis ipsa semet involvit. Atque in his tantis, qui plurifariam commemorati hactenus istius loci casibus, cum transmota ac mutata subinde templa, translatas ex sedibus, quibus abdebantur, Sanctorum reliquias, inventa mirabiliter, quæ notitiam & hominum memoriam fallebant, sacrata pignora, cryptas sub terra repertas instauratasque, diligenter & curiosè persecuti sunt veteres, quis non hic stupeat magis quàm suspiciat, omnes, uno quasi consensu, tam celebrem Athanasii divini ac fortissimi Pontificis tacitos præteriisse latebram seu cisternam? Quæ quidem omnia, tametsi non aliter habeant, infixum nihilominus & in communibus hominum sensibus, tanquam in natura positum sedet, Athanasium occultasse se, quâ in augustis & interioribus martyrum Thebæorum plenis cœnobii S. Maximini sacrariis cryptisve; puteus ostenditur; quem & ipsis cœnobitis venerari solenne ad hunc usque diem, anniversario florum ac lucernæ cultu, seu hanc quam diximus ob caussam; seu, quòd hospitalitatem B. Maximini patroni, & Athanasii in Treviros adventum, olim fortè pia recordatione usurpârint majores. Ac ita quidem acta, quæ B. Matthiæ translati memoriam continent, sanè non recentia, quorum & apud Agrippinenses Treviròsque, cum in S. Pantaleonis, tùm B. Eucharii nobis facta copia, interpretemur necesse est. Puteum enim hunc, neglectæ vetustatis oppletum à Christianis memorat ossibus cineribúsque martyrum, & Patrum memoria lecti versiculi, quibus hoc eodem puteo condita fuisse trecentorum Martyrum Thebæorum capita, disertè prodebatur; hinc, credula inter faciles & incuriosos acceptum fama, reliquiarum amore juxta delituisse Athanasium; fideique Christianæ symbolum, orbe toto Præsulis hujus nomine cantatissimum, in Treviris eodem tempore meditatum.

Puteus in crypta S. Maximini.

MS. Colon. & S. Matthiæ Trevir.

Thebæorũ Martyrum capita in puteo.

XLV. Symbolum Athanasii an Treviris factum.

Cæsar Baron. Annal. Tom. 3. Dissertat. de Athanas. Symb. Wirceburg. 1590. edita Nicol. Serar. S. I.

Etsi verò ejus confessionis apud Treviros exhibendæ caussam vix ullam satis idoneam perspicimus; trahántque nos, qui Romæ potius eam fidei profitendæ necessitatem Athanasio impositam edisserunt, quando ejus apud Julium Romanum Pontificem ab Eusebio Arriano oppugnata clam literis integritas; non diffiteri tamen licet, veri an falsi rumoris incremento, passim scriptores ab annis amplius quadringẽtis, solis eam Treviris gloriam tribuere, pro Romanis vix quemlibet unum stare. Quin, si Athanasium dixerimus Galliæ populi fidem cupiisse testari suam, & adversus improbas opiniones hoc symbolo velut fluctuantium obfirmare pectora; haud ita nobis multum, opinor, refragabitur ista latibuli vanitas, quâ cum hæc Athanasii meditatio consistere quin possit, sapiens nemo dubitet. Luce namque, an tenebris conscripserit, juxta æstimandum est. Atque has ex publicis privatisque depromptas literarum monumentis vindicias, visum de Athanasio mandare literis; ut cuique interim quod velit, hac de re statuendi jus per nos liberum maneat. Hinc jam proclivis ad narrationis ordinem via ostenditur.

Socrat. l. 2. c. 9. Sozom. l. 3. c. 6. &c. MS. quæ suprà, Otto Frisin. chron. l. 4. c. 7. Durand. lib. 5. cap. 5. n. 6. Gemeb. lib. 3. de Trinit. ex MS. S. Germani Paris.

XLVI. Constantinus junior, dum posterum annum moderandis Galliarum negotiis, temperandisque ex instituto legibus tribuit, siquidem Treviris sexto idus Ian. ad Celsinum de Carthaginensi senatu rescripsit, insequenti, qui à Christi natalibus supra trecentesimum quadragesimus effluxerat, in impium adversus Constantem fratrem coortus bellum, dum relictis à Constantino patre nequaquam contentus, imperii Constantis fratris accisum vadit opes, apud Aquileiam oppressus insidiis, & latrocinii specie tanquam indagine clausus, vitam pariter cum imperio amisit. Magnas eum, dum Treviris & vicinis in Galliis imperium obtinuit, quâ pace quâ bello res gessisse, testis Julii Firmici Materni V. C. liber de mysteriis & erroribus profanarum religionum, ipsi

ANNUS CHR. 339.

C. Theod. l. 12. Tom. 1.

ANNUS CHR. 340. Zosim. lib. 2. Zonar. Sex. Aurel. Vict. Eutrop. l. 10.

Tom. 5. biblioth. SS. c. 12. & 21.

Constantini Jun. studiũ in religione propaganda & abolenda Idololatria.

ipsi & Constanti fratri inscriptus. Hic, ubi ad abolendam penitùs idololatriam in suo quemque imperio monet acriùs: *Vos*, inquit, * *Constantine & Constans, sacratissimi Imperatores, appello, ut veneranda fidei vestræ implorãnda virtus est, quæ supra homines erigitur, & à terrena fragilitate separatur, cælestiumq; se rerum societati conjungit, & modicum talium superest, ut legibus vestris funditùs prostratus diabolus jaceat, ut exstincta idololatria pereat funesta contagio. Veneni hujus virus evanuit; & per dies singulos, substantia profanæ cupiditatis exspirat. Erigite vexillum fidei. Vobis hoc divinitas reservavit, cujus favore, eminentes prostratores estis omnium hostium vestrorum: quorum opera, Romanorum firmatur imperium. Signum venerandæ legis erigite; sancite, promulgate, quod prosit. Sit faustum felixq; Reipublicæ quod tot acervos cæsorum hostium prostravistis exercitu. Felices vos quoque, gloriæ ac voluntatis suæ, Deus fecit esse participes. Idololatriæ excidium, & profanarum ædium ruinas propitius Christus populo vestris manibus reservavit. Ille spiritualibus armis malos spiritus, vos mala terrena vicistis. Erigite victoriæ trophæa, & proferatur ingens titulus triumphorum. Profanarum rerum strage gaudentes exultate fortiùs, exultate fidenter. Felicitas vestra, cum Dei virtute conjungitur, pro salute hominum, Christo pugnante, vicistis.*

* vulg. Constanti perperam.

Post hæc, præclara divini favoris incrementa, ex religionis ac pietatis studio consecuta memorans: *Nunquam*, inquit, *vos manus Dei veneranda deseruit. Nunquam, vobis laborantibus, negavit auxilium. Strati sunt adversantium cunei, & rebellantia ante conspectum vestrum semper arma ceciderunt.* Ex his ad Alemannos haud malè referas Rheno semper Danubioque vicinis provinciis inhiantes, quos, tacentibus etiam majorum literis, numismata antiqua docent, magnis à Constantino juniore cladibus afflictos. Unde Victoriam ipse cum trophæis fingi cudique jussit, superbo cum titulo: ALAMANNIÆ DEVICTÆ. Hoc vero posteriùs nî ad Britannos rebelles, pertinere malis, Francis adscribam in vicino fortè Bataviæ mari perdomitis: *Post excidia temporum in majus Dei estis virtute provecti. Vicistis hostes, propagastis imperium, &, ut virtutibus vestris gloria major accederet, mutato ac contempto temporum ordine, hieme, quod nec factum est aliquando, nec fiet, tumentes ac sævientes undas calcastis Oceani: sub remis vestris, incogniti jam nobis penè maris unda contremuit, & insperatam Imperatoris faciem, Britannus expavit. Quid ampliùs vultis? virtutibus vestris victa elementa cesserunt.*

Cap. 10. Res gestæ contra Alemannos. Cf. Bar. tom. 3. ad an. 337.

Contra Frãcos, an Britannos?

XLVII.

ANNUS CHR. 341. CONSTANS cum fratre IMP. an. 10.

Proximo hinc anno Galliarum, Hispaniæ & Britanniæ res atque omnis Occidens ad unum Constantem fluxerunt. Neque pacatum is sanè Rheni limitem id temporis habuit: Francis, impetu capto novo, Belgicam incurrentibus. Porrò motus eos barbarorum tantos fuisse, Socrates innuit, ut eorum non levis in omni Republica sensus extiterit. Quare & sequenti anno Constans magna cum exercitus mole contra Francorum irruptiones in Galliam tendens, prælio cum gente acerrimo dimicavit; belloque victis leges ad arbitrium dixit, societate Romani nominis eis impertitâ, id quod B. Hieronymus observans: *Franci*, inquit, *à Constante perdomiti, & pax cum eis facta.* Victoriam eam partam Constantis & Constantii tertio consulatu, memorat Socrates.

Francorum motus. Lib. 2. c. 7.

ANNUS CHR. 342. Socr. l. 2. c. 10. Franci à Cõstante victi.

S. Hieron. in Chron.

Placido inde & Romulo magistratum gerentibus, Constans æstate mediâ Treviris agens, hoc rescriptum edidit, atque ad Titianum Præfectum Prætorio misit: *Universi omninò, ex Comitibus vel ex Præsidalibus, qui suffragio perceperunt dignitates, civilibus oneribus muneribusq; teneantur astricti. Plebeiam quoque sustineant capitationem; ne commoda publica sub umbratili suffragiorum pactione, lacerentur. Eos tamen à prædictis oneribus excipi oportebit, qui vel in administratione, vel in legationibus publicis versati sunt; ita, ut si quis contra interdictum legis nostræ precationem obtulerit, ejus patrimonium fisci nostri viribus protinus vindicetur. Dat. prid. K. Iul. Trev. Placido & Romulo Coss.*

ANNUS CHR. 343. XLVIII. Constans Trev. agit. C. Theodos. 12. tit. 1.

Per hosce dies Arriana pestis, ingenti hominum clade, & intestinis Alexandriæ ac Constantinopolis seditionibus flagrare non desinebat, & fædissima corporum juxta atque animarum lue totum depascere Orientem. Ejecti jam antè suis Ecclesiis Athanasius & Paulus Constantinopolitanus, Arrianorum furore. Athanasius verò, cùm tutum Romæ perfugium apud Julium Pontificem expertus nuper esset, eandem aram adversus Constantii insidias, denuo requirens, ipso Julio caritatis obsequia ultro præsuli afflicto per literas deferente, Romam iterum adiit. At Paulus Constantinopoleus, qui sede suâ jam exutus Thessalonicam vertere solum jussus, ubi transisse in Italiam Athanasium comperit, ipse item clam Thessalonicâ digressus, se mari credidit, atque Athanasio in Italia sese conjunxit. Hic verò alicubi tum degentem adeuntes Constantem ambo, literis & autoritate Julii Pontificis freti, Catholici Cæsaris animum ad Nicæni Concilii tuenda decreta, quæ Pater tanto in omni vita studio propugnâsset, impellunt; pariterque ad paternæ virtutis ac fidei æmulandum decus, subjiciunt stimulos. Constans, ut qui in Catholicæ veritatis defensione firmum ac stabilem semper, contra quàm frater, animum retinuerat, Episcoporum injurias suas esse ratus, literas mox dat ad Constantium, quibus eum hortatur, det operam, ut patriam religionem inquam ceu hæreditatem eximiam quandam creverint ambo, integram inviolatamque transmittat ad posteros; propertereaque ad se mittat Episcopos, qui rationem reddant, quare Paulus & Athanasius sedibus uterque suis pulsi, extorresque facti.

Arrianæ pestis incrementa.

Athanas. in epist. ad fratres solitariam vitam degentes. Socrat. l. 2. c. 13. 14. &c. Niceph. l. 9. c. 12. Theod. l. 2. c. 5.

Athanasius Romam ad Julium Papam perfugit.

Constantis religio.

Niceph. l. 9. c. 10.

Missi confestim ex Oriente Narcissus * Irenopolis, Theodorus Berinthi, Marius Calcedonis, & Marcus Arethusæ Episcopi. Hi postquam in Occidentem venerunt, qui procax tum Græcorum fastus erat, Athanasium neque communione, neque congressu dignati, cùm in Arriana tuenda perfidia, magnâ animorum obstinatione persisterent, re infectâ abiêre.

* Ierapolis.

Atqui verò B. Maximinum his interfuisse Orientalium Episcoporum actis, planè persuadet autoritas Sozomeni & Nicephori, qui ad hujus

XLVIIII. B. Maximini in moderando Græ-

corum Episcoporum fastu sapientia.

Sozom. l. 3. c. 10. Niceph. l. 9. c. 12.

ad hujus narrationis fructum privatim, veluti lumen nobis in tenebris olim accenderunt. Enimverò Maximinus, pro suæ sedis amplitudine, & prudentiæ pari cum sanctitatis gloria conjunctæ, fama, tunc apud Constantem sive trans Alpes, seu intra Gallias, quod reor, in Palatio degens, ubi Orientales, eo fastu ac superbiâ inflatos animadvertit, ut Catholicorum sermones & consuetudinem aversati, viris optimis insuper fallaciam dolosque malevolentiâ suâ ferrent, ipse Princeps omnium certè, & Paulum Constantinopolitanum Episcopum, eximium post futurum Christi martyrem, ad communionem admisit; & Orientales Episcopos omnes, qui in Occidentem venerant, rejicere à suo commercio, ac proscribere nihil dubitavit.

B. Maximinus Paulum Constantinopolitanũ ad communionem admittit.

Inde verò, cùm Constans apud Constantium fratrem, multis sanèquam adlaborasset, ut Paulus & Athanasius sedes suas reciperent, resque tota ad Sardicensem conventum inclinaret, quem, utriusque tandem Augusti voluntate, contrahere placuerat, Maximinus pro excellenti, quâ apud Imperatores floruisse constat, & autoritate & gratiâ, Paulo reditum ante id tempus etiam, sed incertum an securum impetravit; id quod cum Nicephoro Theodoritus affirmare visus, cùm ante Sardicense Concilium Paulum rediisse Constantinopolim, hoc ipso probet, quòd instante jam Sardicæ conventu, populus adversariorum veritus insidias, Paulum Sardicam proficisci non siverit, licet profectum tamen eventus monstraverit. Cæterùm, quid B. Maximinus hoc restituti Pauli nomine post ab Arrianis injuriarum pertulerit, ubi res & occasio dabit exponemus.

Lib. 2. c. 5.

L. ANNUS CHR. 345. 346.

Amantii inde Albiniqúe consulatu, ad quem nonnulli Synodum Agrippinensem referunt, Constans, senescente jam vere, Treviris adversus Francorum incursiones excubans non minus evigilatas in Rep. armis tuenda, quàm optimis temperanda legibus cogitationes habuit; rescriptisque Treviri Id. Maii adornatis, delatorum juxta ac judicum præcipitem libidinem in accelerandis sententiis, reprimere studuit.

Lib. 1. Cod. Theod. tit. 19.

Sardicæ concilium.

Socr. l. 2. c. 16. Athanas. in Apolog. 2. Niceph. Theod. & Sev. Sulp. lib. 2. hist. sac. Idemq. Socrat. & Sozom. l. 3. c. 11.

Appetebat jam tempus quo evocare Sardicam Episcopos toto imperio celeberrimos tam ex Oriente quàm Occidente, utrique Augusto sederat, cùm ad resarciendam Arrianâ fraude labefactatam Ecclesiæ Catholicæ concordiam, tum ad turbas Orientis, præsertim ob exactos Ecclesiis suis Episcopos, sedandas, frequentissimâ Synodo coactâ. Sardica verò sive Sardis, urbs in Illyrico mediterranea, Thraciæ à Ptolomeo annumerata, atque citra Danubium tum sita, duas inter Mœsias. Huc, Rufino & Eusebio Coss. Episcopos circiter 300. ex solo Occidente, Socrates, at universè totidem confluxisse Athanasius, autor est. Maximinus verò, istuc cum Martino Moguntiacensi & Euphrata Agrippinensium spectatâ virtute Episcopis profectus, inter omnes Antistites tanquam legatus cæterorum & Galliarum Metropolitanus, suffragii prærogativam tulit. Arrianis hoc in conventu gravis imposita plaga; ut turpior eorum adventus, an discessus extiterit, relictum in ambiguo sit; nam quoad Comes & armatus furo-

Sardica.

ANNUS CHR. 347. LI.

B. Maximinus ad Sardiceñ. Synodũ cum Martino Mogunt. & Euphrata Colon proficiscitur.

Atha. in Apolog. 2. & in ep. solitar. vit. degentes.

re satelles hærebat lateri, tamdiu fremere, & non congressuros ante denunciare, quàm Athanasius & Paulus, cæterique quos prædamnassent, amoverentur. At, ubi remotis armis, civilique magistratu, nam in Constantis provincia res gerebatur, ad nudam veritatis arcem præsidia conversa, tum ipsi confestim tergiversari, diffidere causæ calumniis nixæ, neque in conspectum venire Catholicorum, ceu fracti jam & abjecti sustinuêre. Eò igitur turpitudinis omni transeunte infamiâ, ubi pestis atque contagii fons primùm extiterat, Arriani frustra de criminibus in Athanasium ibi præsentem ferendis appellati, Philippopolim in Thraciam versus, juris Constantii, turpissimâ defectione, profugi se conjecêre. atque ibi privatim cætus perniciosi coïere societatem. At Occidentales, Arrianorum compertâ fraude, Athanasium cum testibus & cætero judicii legitimi apparatu diligenter auditum, innocentem videri pronunciârunt; eumque cum cæteris oportere sedi quemque suæ primo quoque tempore restitui. Principes inde & Arrianæ sectæ signiferos magistratu abdicarunt, & Nicæni Concilii autoritatem secuti, consubstantialis fidei integritatem ratam inviolatamque jusserunt. Subscripsit inter Galliarum Episcopos primo loco Maximinus Trevirorum, pro quo perperam nonnullis se insinuavit exemplaribus Maximianus.

Euphratas Agrippinẽsium S. Maximini collega in Sardicæ conventu.

Maximini in Sardicæ conventu authoritas.

Ath. Apol. 2.

Sardicę acta atque Arrianorum cicatrices.

Athanasius absolutus.

Athan. in Apolog. 2. vide Baron. ad 29. Maii. Niceph. lib. 3. c. 12. Sozo. l. 3. c. 10.

Inter hæc Orientales, qui Philippopoli consilii causâ considebant, ut quæque ad aures eorum, commeantibus ultro citroque nunciis, actorum Sardicæ permeabant, ita consurgere in Catholicos atrociùs, & irâ vehementiùs accendi; tum denique ne exarmati ipsi & imbelles omninò censerentur, anathemata sollennesque detestationes reddere; quin, ictum in Maximinum Trevirorum, præcipuo tum quodam ibi fastigio super Gallicanos Antistites altiùs eminentem retorquere; eum, ut Sozomenus memoriæ reliquit, exautorantes; quòd, ut ante diximus, primus in communionem Paulum Constantinopolitanum Episcopum recepisset, reditumque ei in urbem procurasset, atque adeò, Orientales Episcopos in Occidentem venientes, proscripsisset.

LII. Arriani contra Sardicæ conventum Philippopolim cöeunt.

B. Maximinum damnat.

Præclarum hujus Arrianorum in S. Maximinum petulantiæ documentum extat in fragmentis historicis Hilarii, quæ nuper Parisiis ex Pithæi bibliotheca prodiêre: ubi, Pseudosardicensis Synodi nomine, virulentum mittitur decretum ad Afros, quo nullo non contumeliarum ac maledicti genere pauci improbi ac prædamnati Episcopi, audent incessere Julium Romæ Pontificem, cæterosque orthodoxos omnes, quos uno verbo damnare se profitentur atque discingere. *Iulium*, inquiunt, *urbis Romæ, Osium, & Protogenem, & Gaudentium, & Maximinum à Treviris damnavit omne concilium, secundùm antiquissimam legem; ut autores communionis Marcelli & Athanasii, cæterorumq́. sceleratorum, quiq́. etiam homicidiis Pauli Constantinopolitani, & cruentis actibus ejus communicaverunt. nominatim verò Maximinum à Treviris, propter quòd collegas nostros Episcopos, quos ad Gallias miseramus, noluerit suscipere; &, quoniam* Paulo

Socr. l. 2. c. 18. Frag. l. 2. par. 6. 7. seq. Paris. an. 1598.

In S. Maximinum Arrianorum convitia.

S. Maximini adversũ hæreticos pugna.

Paulo Constantinopolitano nefario homini ac perdito, primus ipse communicavit; & , quod ipse tantæ cladis causa fuit, ut Paulus ad Constantinopolim civitatem revocaretur, propter quod, homicidia multa facta sunt. Causa igitur homicidiorum tantorum ipse fuit, qui Paulum olim damnatum ad Constantinopolim revocavit. Beatitudinis ergo partem eam S. Maximinus ob Christi Dei gloriam in hac quoque vita degustavit, quam tum demum Salvator discipulis addicit: *Cùm maledixerint ipsis homines, & persecuti fuerint, & dixerint omne malum adversum eos, mentientes propter ipsum.*

Matth. c. 5.

LIII.

Constantis studium in B Athanasio & Paulo restituẽdis.

Athanas. in epist. ad solit. vit.

Episcopis demum, qui Sardicæ convenerant ad sua digressis, cùm primùm de rebus Sardicæ gestis Constans Imperator factus est certior, magnum studium adhibuit, ut ex concilii decreto, Paulus & Athanasius fratris autoritate, suas in sedes reducerentur, & ovibus ad omnem injuriam opportunis extemplo redderentur pastores: At Constantius, cùm more ingenii sui per simulandi ac dissimulandi vias tardiùs faceret, missi ex Sardicensis conventus Episcopis Antiochiam, Vincentius Capuæ, & Euphrates Agrippinæ, spectatâ prudentiâ antistites; additæque literæ, quarum sententiam Socrates recitat. *Sunt hic apud me Athanasius & Paulus, quos accepi, pietatis causâ, gravia passos esse. Quod si pollicare te illis suas ipsorum sedes redditurum, inq; eos, à quibus sine caussa injuriâ affecti sunt, ut par est, animadversurum, viros ipsos ad te mittam; sin est, ut nolis, pro certo velim cognoscas, me istuc ad te venturum, atq; illos in sedibus suis, te invito, repositurum.*

Euphrates Agrippinæ legatus Antiochiam.

Lib. 2. c. 18.

LIV.

Euphratæ Coloniensis Episcopi degentis apud Antiochiã pudicitiæ illudunt Arriani.

Epist. ad solit. vit. degentes. & Theodorit. l. 2. c. 8. 9. & 10.

Inter hæc Euphratæ Coloniensi Episcopo apud Antiochiam degenti, res contigit ad Arrianæ hæreseos ingenium penitùs cognoscendum, sanè quàm memoranda, quam à Stephani Antiocheni Episcopi petulantia profectam, ipsius beatissimi Athanasii verbis, magna nos causa permovet, ut recenseamus; *Eusebiani viri mirifici, & ad quodvis facinus prompti, cùm legatos istos Antiochiæ vidissent, in commune quidem consilium ineunt; sed ita tamen, ut Stephanus fabulam initi consilii peragendam susciperet, ut pote ad istiusmodi res longe aptissimus. Suscepto negotio, conducit ille publicam meretricem, in ipsis feriis sacrosancti paschatis; eamq; nudam per tenebras immittit in ædes Euphratæ episcopi. Meretrix autem, quia principio credebat juvenem esse, à quo accerseretur, promptè sequebatur. Postquam autem ita destituta ab illis hominem, dormientem, ignarum omnium intueretur, diligentiusq; considerans, senis vultum, & Episcopi speciem animadverteret, statim clamorem edit ac vim quiritatur: illi contra, eam orare ut taceret, & falsum crimen Episcopo concinnaret: die igitur illucescente, vulgatur facinus, & universa civitas concurrit, & qui in Palatio erant, rei admiratione commovebantur: neque eam silentio tradi volebant; itur in judicium; leno prodit eos, qui meretricem accersierant, illiq; deinde autorem istius rei Stephanum esse ostendunt: erant enim ejus clerici, qui cum lenone convenerant. Stephanus igitur episcopali dignitate exuitur: & in ejus locum sufficitur Leontius ille castratus; non in aliud, quàm ut non deesset hæreseos propugnator.*

LV.

Constantius autem hoc tam obscœno & indigno adversus innoxios hospites suscepto scelere, vehementiùs ad restituendos Episcopos permotus, tum fraternæ vitandæ præsertim iræ, ac civilis & intestini motus, demum inclinavit animum, ut & Paulum pristinis honoribus afficiendum curaret, & Athanasium perquàm benignè literis missis, ad reditum invitaret: at Paulo quidem, insequenti anno, Constantinopoli, justo plenoque consensu recepto; Athanasius, nescio quid incommodæ suspicionis Arriani principis blanditiis subesse ratus, Alexandriam in præsentia quidem redire distulit. Quare Naissum abiens, Aquileiam ab Constante excitus, ibi ad tempus hæsit; hinc demum ab Imperatore evocatus in Gallias, istic alicubi cum Maximino veterem regustasse consuetudinem, apparet; nam Constante jam ex humanis rebus erepto, Athanasius apud Constantium in crimen accersitus, ceu adversus eum Constantis animum olim irritâsset, inter alia quæ tuendæ innocentiæ causâ in defensione posuit: *Nunquam*, inquit, *sine Comitibus aut arbitris fratrem tuum vidi; neque ille unquam mecum solus cum solo verba miscuit; sed semper cum Episcopo ejus loci ubi agebat, aliisq; qui ibi aderant, ad colloquium intravi; simul cum illis eum vidi, simul cum illis ab ejus conspectu recessi.* Hujus rei pro se testes adducit, cùm superstites adhuc nonnullos, tum vitâ functos; Maximinum Treviris, & Prothasium Mediolani Pontifices.

ANNUS Chr. 348. Athan. ab Constantio reditum impetratũ distulit, & in Gallias iterum excurrit.

Athanas. in Apolog. ad Constant.

Athanasii secunda in Galliis cõmoratio.

LVI.

B. Maximinus quamdiu Treviris sederit.

Athanasius in ep. ad solit. vit. degentes. Sever. Sulp. lib. 2.

Constat ex Athanasio clarissimè, Maximinum Sardicensi conventui haud diu supervixisse; nam Athanasius ex Galliis mox Romam ad Julium, atque inde in Palæstinam profectus, vix Alexandriæ sedem fixerat, cùm Ursacius Singidonis, & Valens Mursæ Episcopi, principes, ac tubæ quædam factionis Arrianorum, ut convenienter Athanasio Severus prodidit; Romam, errorem suum deprecatum iêre. Nam, ubi post Synodum Sardicensem sibi tanquam absentis communione viderunt interdictum, coram positi, à Julio Romanæ urbis Episcopo veniam poposcerunt, quòd innoxium Athanasium condemnâssent; meritoque eum, sententiâ concilii Sardicensis, absolutum professi sunt. Literarum porrò, quas & ad Julium Pontificem, & ipsummet Athanasium Valens atque Ursacius dederant, exempla à * Paulino Treviris Episcopo sibi in Orientem transmissa, scribit Athanasius. Suppetit & aliud, nec minùs illustre, ex Athanasii apologia, documentum; quo ad Magnentii quoque tyrannidem usque vixisse eum cognoscimus. Atque ita repetitis primis annis Maximini ab usque Athanasii in Treviros exsilio, fat probabili temporum ratione, sedecim circiter annos Maximinus invenietur in Pontificatu explêsse.

* Pravè à nõnullis scribitur: à Paulino Tiburis Episcopo.

Apolog. ad Constant.

LVII.

Euphrates an à S. Maximino hæresis damnatus.

Illud porrò insignem habet obscuritatis latebram, quod tam domesticis quàm externis pervulgatum literis, Euphratem Agrippinæ Præsulem, frequenti provincialium Episcoporum conventu, post * Amantii & Albini consulatum, in ipsa Agrippinensium Colonia, Arrianæ sectæ, damnatum; eaque item in Synodo nostrum Maximinum Principem,

* id est anno Domini 346. aut 345. *Tom. Con. 1. & MS.*

sententiam & severissimam & gravissimam pronunciasse, quâ ceu cum Photino sentientem in Christo læsæ divinitatis, ac blasphemiæ reum, peregerit Euphratem. Atqui verò, id ita si gestum sub Consulibus, quos in actis signatos invenio, prorsus vulgatis libris damus; ecquid Athanasii narratione facimus? qui illum, & in Sardicensi conventu adhuc Agrippinensium Præsulem meminit, easque virtutis, innocentiæ, & fidei dotes homini tribuit; ut dignum sat ostenderit, quod ex omnibus Occidentalibus Episcopis Catholicâ defensione spectatis, unus cum Vincentio Capuæ deligeretur, amplissimæ ad Imperatorem legationis obeundæ; quique consubstantialis fidei gratiâ, insignem illam, ab Ariana factione, contumeliam referret. Quamobrem, nisi post suum ex Oriente reditum, pestifero quodam afflatus istic contagio, pravum id Photini dogma ceu venenum imbiberit, vix quidquam invenio, quo Athanasii sententia, cum hac nostra copulari pacificè queat.

LVIII. Synodus Agrippinensis. *Tom. Conc. 1. & MS. Colleg. Soc. IESV Confluen. Lupus in vita Maxim. Surius tom. 3. Maii 29. Harig. c. 24. de gestis Tungrens. Episc.* S. Maximini autoritas id ætatis, per Gallias Germaniasque.

Interea Synodum eam Coloniæ Agrippinæ celebratam, cùm vetusta acta, quæ item in monumentis Ecclesiæ Trevirorum primariæ servantur, tum publicis mandata commentariis ejus Synodi decreta, ac ipsa denique vitæ B. Servatii memoria, liquidò coarguunt: Unde & Maximini vigilantiam in propugnanda Catholici dogmatis integritate, sustollens: *Quanto*, inquit, *Maximinus studio, pro conservanda fidei integritate excubârit, aliàs etiam demonstravit; cùm Agrippinæ, Synodali evocato conventu Euphratem Episcopum, hæreticâ pravitate corruptum, cum his qui frequenter convenerant Pontificibus, gradu movit, ecclesiasticâ usus censura.*

Qua quidem in re, ut nihil aliud, imaginem nobis refert eminentioris supra cæteros, quotquot istic affuêre, in Maximino, potestatis. At in eo Lupi quis majorem fortè circumspectionem & prudentiam requirat, quàm qui fabulosis & incertæ fidei narrationibus electis, omissurum ea se recepisset, quæ fidem cæteris derogare poterant, lepidam nihilominus narrationem concinnavit, & parùm iis temporibus, quibus Maximinus vixit, consentaneam, de ipsius & Martini Turonensis fama celeberrimi Præsulis peregrinatione Romanâ; quâ dum ferus Ursus clitellarium Asellum devorat, coacta bellua à B. Maximino dicitur subire sarcinam, & asini vici defungi; quæ quidem narratio simplicium incautos animos, facilè occupet, ni à Sulpitio Martini discipulo doceantur, Martinum Juliano Cæsare, baltheo præcinctum adhuc militari, non mitram, sed arma gestasse; ac seriùs demum ad Episcopatum accessisse, quàm ut secundùm Lupi historiam, cum Maximino familiariter exigere vitam, sacerdos & Pontifex potuerit.

B Maximinus non fuit S Martini æqualis, nec cum eo peregrinatus.

LIX. S. Maximinus cum S. Servatio peregrinatus. * *S. Athanasii apolog.* * *MS. glossa S. Maximini, ad Eutropii* [illegible]

Sed à quibus hæc Lupus hausit, fortè iis in animo fuit B. Servatius excellens Tungrorum tum Episcopus, quo cum, acta * publica docent, S. Maximinum in Orientem legatum, atque inde in Italiam, mox, ut verisimile, Romam quoque profectum. Aut certè nominis eos similitudo fefellit, cùm veterum * nonnullis placuisse video, Martinum hunc, qui cum S. Maximino peregrinatus est, fuisse celebrem illum Mogûtiacensem Episcopum; quem in Apologia secunda Athanasius, ut & in Epistola ad Ægyptios & Africanos, Sardicensi Concilio cum Maximino interfuisse, eidemque subscripsisse, testatur. Hinc clariùs etiam intelligitur, ex actis D. Lubentii & S. Maximini, quod is oppidò puer Martino Turonensi à parentibus fertur in disciplinam traditus; ac ævo denique maturior ab eodem Martino, Maximino Trevirorum Episcopo commendatus, id meritò in acta quoque Martini Moguntiacensis transscribi. Enimverò Lubentii nomen inter Presbyteros, qui B. Maximino Pontifici in functionibus sacris affuêre, non obscurum est. Et vico Cuberino, qui cùm aliis antiquæ memoriæ vestigiis, tum oratoriis temploque hujus D. patrocinio insigni clarus, eum aiunt à Maximino præpositum.

Item cum Martino Moguntiacenti.

S. Lubentius presbyter, memoria S. Maximini.

S. Lubentius superat ætate Martinum.

Acta ipsius B. Lubentii, & MS. Ecclesia Dietkirchen. Lupus in vita S. Max.

Cuberinus pagus, qui & Caverna.

Vicus autem is à posteritate Coverna salutatus, cui Cavernam tamen antetulerunt alii, ceu ab veteri situ id nomen trium istic coëuntium montium vallibus presso. Visitur 5500. passuum intervallo supra Confluentes ad lævam defluentis Mosellæ loco peramœno. Nam arx in prominente colle fluvio imminet, cujus à recessu vicus tanquam in sinum montium oblitescit. At infra, editiore jugo, veteris arcis & templi quoque ruinæ conspiciuntur, ubi Templariorum vulgò vestigia ponunt.

LX. Constantis Imp. incauta vita. ANNUS CHR. 349.

Porrò Constans Imperator post hæc, cùm anno sequenti Pannoniis relictis, iterum Gallias revisit, Rhenum nullo barbarorum motu tranquillum offendens, vitæ jucundiori ac venandi oblectamentis se dedit.

LXI. ANNUS CHR. 350. *S. Aurel. Vict. epit. Zos. l. 2. Socr. l. 2. c. 9. Sozo. l. 4. c. 1. Oros. l. 7. c. 29. Chron. Euseb.* [illegible] *l. 15. Eutrop. l. 10.* MAGNENTIUS. IMP. an 3. m. 6. Magnentius tyrannidem invadit. *Veg. lib. 1. de re mil. c. 17. Zosim. idem. Sozom. l. 6. c. 7.* Cohortes prætorianæ. * *Elna hodie in faucibus Pyrenæorum. Iosep. Scalig.*

Inde Sergio & Nigrino Coss. qui annus Christi erat trecentesimus quinquagesimus, cùm liberius & imperii securus per silvas saltusque discurrens, feras cubilibus excutit, en prodit Augustoduni, quam non exspectabat truculentior ei ex homine Christiano fera. Magnentius is fuit barbaræ gentis, diro atrocique ingenio, Jovianorum & Herculianorum militum Comes; sive hi certi cohortium numeri, sive legionum etiam, ut tradit Vegetius, nomina extiterint, plumbatarum usu præstantium. Hic arreptis temerè inter epulandum imperii insignibus, purpuram cum secessu nectens, Cæsar ab amicis & conjuratis salutatur. *Eâ re cognita*, ait Victor, *Constans fugere conatus, apud oppidum * Helenæ Pyrenæo proximum (cùm unus ex tot asseclis Francus Laniogaisus tantùm adhæreret) à Gaizone cum lectissimis misso percussore, sceleratè interficitur.*

LXII. Constantis interitus *Am. Marcell. l. 15.* * Decentius & Desiderius Magnentii consang. Eccl. Catho. & Reip. luctuosus. *Sex. Aurel. Vict. epitom.*

Magnentius itaque insperatâ felicitate in audaciam accinctus, ubi pessimis artibus imperii potito superfuere quoque militum studia, * Decentio & Desiderio fratribus in regni societatem allectis, postquam Cæsares ambos declaravit, ad cæteras Gallias, deinde ad Hispaniam invadendam, cum expeditorum manu dimittit.

Lugubris hic toti Galliæ; & præsertim Ecclesiis ac rei Catholicæ Constantis exitus peracerbus fuit. Ejus namque imperium, quod silentio non debetur, cœli temperie fortunatum, lætumque copia fructuum & annonæ; Galliis verò nulla à barbaris formidine, tran-

Constantis imperium non pœnitendum. Virtutes eximiæ.

quillissimum extitit. Virtutum & Religionis adhæc iis abundavit ornamentis, mirum ut sit, repertos non ethnicos scriptores, verùm optimæ notæ recentiores, qui graviùs etiam Principis hujus memoriam insectati, ambigui insuper, an sine baptismo, vitâ excesserit. Certè beatam ejus memoriam Athanasius apud Constantium solicitans, comperto ipsius nuncio mortis, lachrymis secundùm illud Davidis testatur se vestimenta lavisse, cùm animo succurreret humanitas viri, & quantopere mentem suam Christi amori addixisset. Nec dispares omnino fuisse sensus B. Maximino pientissimo Præsuli facilis æstimo, qui tantum in ejus Principis pectore valuisset, ut in Athanasii causa, & religionis dissidio, semper arbiter & intercessor apud Constantem plurimum posset. Neque dubito, gravibus autoribus, asserere, ut Pauli & Athanasii reditum, sic & publicas evectiones, & varia id genus privatæ liberalitatis subsidia ad conventus Episcoporum, tantis intervallis orbe Romano contrahendos, persæpe apud eundem Principem à Maximino confecta.

Athanasius apolog. ad Constant.

S. Maximini apud Cõstantem excellens gratia.

LXIII. Treviri Cõstanti Principi deditι. *Ammian. l. 15.*

Hinc adeo accidisse arbitramur, ut etiam Treviri, exemplo & consilio excellentissimi Episcopi sui, Magnentii tyrannidem perosi tardiùs, quod satis innuit Ammianus Marcellinus; ad partes ipsius accesserint. Obnixius autem, ut Constantis memoriæ faverent, haud leves, opinor, habuisse caussas. Maximinum enim Antistitem suum norant veneratione & gratiâ floruisse apud eum inter paucos; & quæ ex Athanasio cuncta promimus, Constantis liberalitate & munificentiâ sublevatas non omnes modo Reipublicæ partes, sed religionem mirificè exornatam; cùm ipsius plena cernerentur templa donariis. Accedebat super innocentiam Principis, cumulata mortis atrocitas, cùm furia illa infernalis, sic Magnentium appellat, nil reverita communem religionis sanctitatem, nihil attendens *donatam Constanti in baptismate gratiam*, ad necem prosiliisset innoxii capitis. Gravia utique momenta ad retinendos plebis & senatus animos, maxima tum parte Christiani.

Apolog. ad Constant.

LXIV. Treviri oppugnantur à Decentio.

Postquam igitur Decentius Cæsar à Magnentio Gallicanis provinciis cum imperio summo præpositus, in Belgicam primam sese infestis armis intulit, Treviri Constantis necem detestati, Constantioque fidi, portas illi civitatis clauserunt; nacti Pœmenium impigrum Ducem, qui ad defendendam plebem electus erat. Hujus virtute, civitásne tunc absque clade fuerit conservata, manet incompertum, amissis prioribus Ammiani Marcellini libris, quibus id se prosequutum testatur.

Pœmenius Trevirorũ defensor. *Am. Marcell. l. 15.*

Defensores plebis. *Guid. Panc. libell. de magist. munic. ad Notitiam imperii c. 9.* Eorũ munus.

Porrò inter magistratus municipales post Duumviros Defensorum longè excellens dignitas extitit. Atque ut in Coloniis Duumviri Consulum, ita Tribunorum plebis Defensores imaginem quandam retulerunt. Muneris eorum fuit civitatem ac plebem contra vim iniuriamque tueri, vindicare seditiosos, onera publica levare, tributorum coactoribus adesse adversum eos, qui in solvendo remissiores; denique Præsidis provinciæ in civitate plurimùm vices implere. Bonis populi moribus Defensor à Decurionum ordine lectus è civium nobilioribus; quique in re amplâ sau-

Defensorũ electio.

taque censerentur. Magistratus eorum olim quinquennalis, sed post in biennia contractus. Atque, ut B. Maximinum in Defensorem plebis Trevericæ Pœmenium, multum potuisse pervideas, expende mecum Theodosii Augusti de Defensorum creatione nobile rescriptum: *Defensores ita præcipimus ordinari, ut sacris orthodoxæ religionis imbuti mysteriis, reverendissimorum Episcoporum, necnon Clericorum, & honoratorum, ac possessorum, & Curialium, decreto, constituantur. De quorum ordinatione, referendum est ad illustrissimam Prætorianam potestatem; ut literis ejusdem magnificæ sedis, eorum solidetur autoritas.* Ordinum gradus Imperator expressit, à quibus Defensorem oportuit ferre suffragium. Capita in his urbis Antistes seu Episcopus, & Præfectus Prætorio Honorati, qui publicis honoribus functi. Possessores, qui fortunis opibusque locupletes.

Magistratus eorũ quinquennalis.

L. Defensores ita 8. C. e. & 19 §. inferi. Aut. c. Episcoporũ & cleri jus in Defensorum electione.

LXV. Decentius à Treviris receptus. ANNUS Chr. 351. Treviri victi partes sequuntur Magnentianas cum Maximino Episc. suo.

Porrò, cedente vel victo Pœmenio, receptum tandem intra mœnia Decentium, & anno proximo; qui post Consulatum Sergii & Nigriani, sollenni à Treviris honore cultum, caussas non habemus ambigendi. quando per id tempus B. Maximinum, Reipublicæ & Ecclesiæ suæ inclinationem secutum, in potestatem venisse Magnentii, docere possumus.

Magnentius & Decentius Christiani.

Magnentium quoque & Decentium Cæsarem, lenocinio Christianæ religionis, probare se voluisse Gallis, multiplex ad hanc diem testatur, quæ Treviris effoditur moneta. In hac ipsorum cernuntur imagines absque diadematis; cum inscriptione. D. N. MAGNENTIUS P. AUG. versâ parte, alatæ victoriolæ VOTA. V. quinquennalia, & X. decennalia multiplicata gestantes. Ubique fulget Christi nomen more veterum, ☧ literis expressum, cum symbolo VICTORIÆ D. N. AUG. ET CÆSARUM. Sed etiam DECENTII NOB. CÆS. argumento diverso sese offerunt nummi, affixis Christi Domini hinc & inde litteris, Α & Ω, cùm, quod Isidorus advertit, literarum primam & ultimam olim jam Christus, ut principium & finis rerum omnium, sibi vindicavit.

Lib. 1. orig. c. 3.





LXVI. Magnentii legatio ad Constantiũ.

Cæterùm Magnentius Galliæ rebus constituendis intentus, ut solidum sibi pareret imperium, tentandum per legatos animum

Constantii

Athanaſ. apolog. ad Conſt.

Conſtantii putavit, delectis eam in rem viris, opinione & gratiâ, tum in Gallia præcipuis quorum autoritate, ſtudioque flecti Imperatorem poſſe, magna ſpes allucebat. Ergo ſumpti ex Epiſcoporum ordine, Maximinus Trevirorum Metropolitanus, Servatius Tongrorum Epiſcopus; ex Palatinis, Clemens & Valens Comites; quos, cum pluribus aliis à Magnentio pro legatis in Orientem miſſos ad Conſtantium disertè loquitur Athanaſius. Hinc B. Maximinus, cùm Alexandriæ Athanaſium convenit, orta multorum in animis ſuſpicio, ceu pro Magnentii tyrannide conſilia ſociâſſet; moxque arreptus calumniâ Athanaſius, tanquam à Conſtantii rebus inde foret alienior. Quamobrem diluendæ illius apud Conſtantium calumniæ, in apologia ſua Deum & ejus Verbum teſtatur, neque literas tunc Occidentalibus ullas ſe dediſſe, nec quicquam viciſſim literarum à Magnentio accepiſſe.

S. Maximinus legatus Magnentii.

Alexādriam venit ad Athanaſium.

LXVII.

Fuit autem hæc legatio B. Maximino ſuprema; ex qua non videtur ad ſedem ſuam vivus & ſoſpes revertiſſe. Edidiſſe quoque ſpiritum in peregrinatione extra diœceſim, præclarè antiqua conſentiunt ipſius vitæ acta. Etenim irrito legationis conſilio, veriſimile cum cæteris ad Magnentium in Italiam rediiſſe, qui interea Romam uſque, non ſine cædium ac proſcriptionum terrore, moverat; inde publicâ poſcente cauſâ, cum B. Servatio flexiſſe in Aquitaniam.

Moritur in Aquitania. MS. variis. Lapſus in ejus vita, ſed cautè accipiendus.

LXVIII.

Narrant itaque virtutum & nominis ejus famâ permotos Aquitanos, ægrè Treviris conceſſiſſe defuncti corpus; donec à B. Lubentio Presbytero, cui Paulinus ſucceſſor funeris procurandi curam demandaverat, additâ Trevirorum manu, renitentibus etiam Aquitanis, in Belgicam deportatum. Et verò Belgicæ limitem ſubeunte pompâ, affuit mox cum clero populoque Chriſtiano ſignifer pietatis ipſe Paulinus, ingenti undique hominum ex municipiis provincialibus affluente multitudine, quam cùm veneratio funeris, tum magnitudo rerum à vivo juxta defunctoque Maximino geſtarum facilè contrahebat. Nam hoc in itinere apud Moſomagum paralyticus ab eo ſanatus; apud Ivodium convaluit mulier maligno agitata ſpiritu. Caſtello demum * Arlonis, duo leproſi, imploratâ Divi ope, medicam ejus manum ſupernè ſenſerunt. Quibus certè tam luculentis Maximini ſanctitatem Deo Opt. Max. conteſtante miraculis, meritò ad cœleſtium cœtus adſcriptum Eccleſia veneratur, 29. die Maii. De illo Gregorius Turonenſis: *Maximinus Trevirorum Epiſcopus potens in omni ſanctitate reperitur.* Corpus in æde B. Joannis Evangeliſtæ ſacra, condidit Paulinus. Hodie verò in templo, quod ab eo nomen invenit, inter Confeſſionis adyta, ſub ipſo altari memoriâ habet veneratione loci perauguſtam, cum inſcriptione non veterrimâ pignorum ibi quieſcentium:

Transfertur in Treviros.

Miracula funeris apud Moſomagum, quod male Crtel. confundit, cum Nivomago in theſ. geog. Ivodium.

** Arlunum.*

Martyrolog. Romanum & Uſuard. 29. Maii. Hiſt. Franc. lib. 2. c. 27.

ISTIC PRÆCIPUI REQUIESCUNT CORPORE SANCTI,
AGRITIUS PRÆSUL, MAXIMINUSQUE BEATUS.
NICETIUS MERITIS SOCIATUS ET ORDINE SANCTIS.
CONTINUIS PRECIBUS, QUORUM LOCUS ISTE TUETUR.

Maximini verò operum præſtantiâ, & pietatis religioniſque ſtudio res Chriſtiana apud Treviros majorem in modum invaluit, ipſius etiam autoritate longiùs religione fideque propagatâ.

LXIX.

S. Lubētius rem Chriſtianam amplificat.

Lubentius namque, quod ſemel exorſi eramus, ut ingenti cupidine ſalutis animarum flagrabat, à D. Maximino ad Cuberinum municipium amandatus; inſeræ Moſellæ populis, viciniſque Ripanis & Confluentibus, qui ad eam diem in denſis errorum tenebris jacuiſſent, lætiſſimum patefacti hominibus cœli nuncium attulit. Ferunt ejus poſt obitum, qui in tertium decimum Octobris incidit, quod accolæ Moſellæ plerique, obſtinatâ pervicaciâ, ad ſalutares voces & hortamenta magiſtri animos non flexiſſent, ſacram glebam indignos, qui apud ſe retinerent, admirabili Numinis indicio proditos; quippe in navigium impoſitum corpus defuncti, inaudito navigationis curſu, adverſo amne verticoſo & rapidiſſimo, per Loganam ex Rheno triginta duo paſſuum millia aſcendiſſe, cum in locum, ubi jam Loganæ ripa verſus Orientem in editiore ſtat rupe Dietekirchen Eccleſia, quæ ſacratum Presbyteri ſanctitate pignus, hodieque ſervat integrum; Canonicis ibi rem divinam procurantibus. Loculo, quo reconditi ſub ara maxima beati cineres, inſcriptus titulus:

Martyro. Trev. 13. Octob. S. Lubentii mirificus obitus & exequiæ.

Dietkirchē Eccleſia cū collegio Canonicorum, fortè à fano Mercurii, qui Germanis Diet.

HIC REQUIESCIT CORPUS
S. LUBENTII CONFESSORIS.

Exhibetur in S. Lubentii Collegio hujus miraculi monumentum, argentea navis cum ſigillo ſacri corporis, iſtuc adverſis undis importati. Et quo curſus novitatem perſpicias; Logana fluvius Venantio Fortunato notus, amœniſſimus utrinque ripis, magnæ Germaniæ finibus inerrat, variiſque caſtellis & dynaſtarum domiciliis irrigatis, demum ſupra Confluentes ſui nominis & oppidis & arcibus & Eccleſiis relictis miſcetur Rheno. Primum itaque fanus, ſi antiquam ſine ſymbolo narrationem recipimus, prono Moſella illatum Rheno; hinc adverſus flumen obnitendo, commiſſum Loganæ, cujus denique mirabili refluxu vel occulto impetu, quæſitam obtinuit ſedem.

Excurſus in miraculi fidem.

Lib. 7. poëm. 7.

Lonſteiniū inferius & ſuperius. Luneca, &c.

LXX.

S. Lubentius Apoſtolus tranſrhenanæ diœceſis.

Porrò ſacræ hiſtoriæ quamlibet obſcuras origines, etſi venerari malim, quàm acriùs diſcutere, quia tamen pro magnitudine rerum nimiam obſervo ſumptam ab iis licentiam, qui longè poſteriores acta majorum literis mandarunt, intercedere nonnunquam mihi fas duco, hominum imperitiæ, quæ neque officere Sanctorum honori, neque prodeſſe poteſt. Ingens ergo accipio hinc argumentum, plenumque traditionis antiquæ, quâ Tranſrhenanis, velint nolint, alluceſcat fidem orthodoxam unicam, iſtuc uſque, ultra imperii limitem à Trevirorum Epiſcopis prolatam; & quo non Romanorum fortè ſtationes, illuc S. Maximini & Lubentii, veniſſe prædicationem. Etenim, ubi S. Lubentius, ut aiunt, Cuberinam ſedem funere ſuo dedignatus, ecquid eſſe cauſæ potuit, cur tantis itineribus ſolo barbarico ſepeliri eum vellent, nec viciniis ubiubi deponere caſtellis? Et ultra flumen ſanè Chriſtianus utique cœtus quiete conſtitit, qui corpus advenientis patroni exciperet,

peret, qui ſanctè coleret, ac denique in omnem poſteritatis memoriam, ad hanc uſque diem conſervaret. Exiſtimandum itaque, magno licet miraculo, funus, barbarorum irruptioni opportunis, non tamen ignotis regionibus invectum, ſed, quas Chriſtianâ religione ſuperſtes Lubentius nuper imbuiſſet.

Archidiaconatus S. Lubentii.

Denique, fidei per Trevirorum Antiſtites trans Rhenum propagatæ veſtigia tenemus certiſſima, ex inſpectione ſacrâ & juriſdictione, quæ ſecundùm Loganam utrinque latiſſimè patet; cui & Archidiaconus olim impoſitus, ſede ac titulo S. Lubentii, ad hanc uſque diem, inſignis. Cùm igitur alia Treviri non eruant, ſanè lubenter hæc mecum amplectentur naſcentis iſtic religionis incunabula.

LXXI. S. Caſtor. Vitæ ipſius acta, traditio Eccleſ.

Prodiit & alter, ex S. Maximini ſchola Presbyter inſigni morum & pietatis laude, Caſtor; cujus in Caradonum prænobilem & antiquitate multâ vigendum populi Ripani vicum, perquam egregia extant merita. Is gemini Caradonenſium & Confluentinorum gaudens patrocinio, utrobique ab honeſtiſſimo Canonicorum ordine patronus lubens meritò colitur. At ejus reliquias in pervetéri D. Caſtoris Baſilica, ponè maximum altare, Confluentes præcipuè ſervant, eaſque tertio-decimo Februarii, qui Divi recolendæ memoriæ anniverſarius, offerunt ſpectandas.

Cardonẽſis Eccleſia cum Canonicor. Collegio.

LXXII. Caradoni antiquitas & celebritas.

Cæterùm Cardoni origines evolventi, occurrebat, infero Moſellæ ſinu, præcipuum caſtellum fuiſſe Romanis limitaneis, cuſtodiendo flumini; quod, licet montibus undique clauſum ac munitum, hac tamen per fauces occultas, faciles habet aditus. Stationis Romanæ multiplex olim indicium dedimus; favetque nomen loci, ut quod aliud, uſu Romano tritum: nam Carrodonum, ab edito quod imminet jugo; ſeu Caradonum, pro Caſtello Romano, diverſis locis Ptolomæus numerat: & Cardonum quoque in pervetuſto Hieroſolymitano itinerario aſſcriptum reperio inferiori Pannoniæ; ut locus ipſe ſuo nomine teſtetur vetuſtatem. • Invenimus iſtic in antiquis membranis, rythmos nonnullos, de B. Caſtoris actis, fortè aliorum narrationibus multo fideliores, quorum ob Sancti reverentiam hîc partem proferre lubet:

Syn. Geog. Abrah. Ortelii, & Itiner. Anton. edit. Andrea Schott.

S. Caſtoris præconia.

Auctum Maximine virum,
Famâ, virtuteq; mirum
Provehis ordinibus.
Fit divinis ſociatus,
Præco Dei verbi gratus,
Via, luxq; tenebris.
Cardonum vir virgo pudens
Intrans, eremiq; prudens
Cultor ovans latebris.

Inde diverſi generis hymno corporis inventi gloria deſcripta:

Quod inventum, eſt tranſlatum
In hoc templum conſecratum,
Quondam Paulino dicatum,
Cunctis venerabile.
Gento cujus mens benigna
Offert Deo vota digna;
Per diverſa patent ſigna
Dei mirabilia.

Nam origo bonitatis
Fons divinæ majeſtatis,
Ægris ſæpè ſoſpitatis
Hic dat beneficia.
Nave ſalem deferente,
Et Moſellam aſcendente,
Servo Dei ſal petente
Negatur munuſculum.
Inſurgit tempeſtas fortis,
Urget omnes metus mortis,
Hic vim diræ fugat ſortis
Per crucis ſignaculum.
O tam felix eremita,
In valle doloris ſita
Ab hac vita, nos invita
Ad æterna gaudia.

Eminet hic B. Caſtor Archidiaconi quoque titulo, & juriſdictione priſcâ, famam loci, nomenque Sancti tuetur. Ab hoc Sacerdotum Collegio Quiriacus Presbyter, cujus extat in Baſilica S. Maximini & Tabenæ apud Saram memoria, minimè ſeparandus. Et publicis in faſtis titulum gerit Sanctimoniæ. De illo Trevericus Poëta, ad VI. Martii:

S. Quiriacus.

Martyrolog. & Faſti Trevirens. 6. Martii.

Sexta dies auget Quiriaco nomen ad aras.
Deſerunt fortes cognatis Pictones arvis,
Aſſecla Maximini, donis præſtantibus ingens.
Hic doctus rerum eventus, ſurgentia fata
Ante ſciẽs meminit, nec cadẽ lõgè abfore dixit;
Arbitra quippe fidem dedit experientia veri.

LXXIII. S. PAULINUS III. ARCHIEP. 29. EPISC. Paulini res geſtæ.

Ex MS. Eccleſ. S. Paulini, & S. Matthiæ & Martini Lupus in S. Maximini.

PAULINUS, poſtquam ad Eccleſiæ Trevericæ capeſſienda gubernacula, ſummo cleri populique judicio accerſitus eſt, parem in deceſſoris tuendâ pietate magnitudinem animi, ac in Catholico retinendo dogmate, conſtantiam majeſtatemque præſtitit. Eum veteres etiam ortum ex Aquitania, parentibus primâ nobilitate; educatum verò & diſciplinis Chriſtianæ ſapientiæ excultum à B. Maximino; atque unà cum ipſo, ſuperſtite etiamnum Agricio, profectum in Treviros; nec plura fermè de ipſius adoleſcentia tradunt. Non vereor equidem ad Paulinam gentem in Aquitania nobilem cumprimis, ejus referre genus; quia tam conſtanter majores eum prodidere natione ac domo Aquitanum, proſapiâ nobiliſſimâ. Et verò ſine commendatione opum, & autoritatis ſenatoriæ, in externa & ambitioſa Republica vix aliàs credibile, tantum meruiſſe faſtigium. Paulinam quoque gentem, etſi non deſint * Eruditi, qui ſenatoribus admiſcent Romanis, de quibus Prudentius:

B. Paulini ortus & educatio.

S. Paulini genus.

** Cæſar. Baron. tom. 4. ad an. 394.*

Adverſus Symmac. l. 1.

Non Paulinorum, non Baſſorum dubitavit
Prompta fides dare ſe Chriſto.

Lubentiùs tamen amplectar notiorem eam, quæ Burdigalæ florens Pontii prænomen tulit, à qua hodieque regionem urbis ſupereſſe volunt Paulinis cognominem; cujus antiqua ſtemmata Venantius Fortunatus in Leontio illius urbis Epiſcopo, mirificè extulit. Eadem intuitus Apollinaris Sidonius, de alio quodam ejuſdem gentis. *Ecce*, aiebat, *jam Leontius meus, facilè primus Aquitanorum, ecce parum inferior parente Paulinus.* Iterum de Pontii Leonii burgo vaticinans canebat:

Iiſ. Scal. proleg. de emẽdat. temp. & I. Savaro ad Sidonium.

Lib. 1. poëm. 15.

Sid. l. 8. ep. 12.

Carm. 22.

Quem generis princeps Paulinus Pontius olim
Cum Latius patriæ dominabitur, ambiet altis
Mœnibus, & celſæ tranſmittent aëra turres.

Quibus ex locis satis colligitur claram in Aquitania extitisse Paulinorum prosapiam.

LXXIV. Galliæ Belgicæ calamitas sub tyrannis.

Medio tempore, Decentio, parum secundis Galliarum animis, rem gerente, haud obscuri apud Rhenum fuere barbarorum motus; vicinaque limiti Gallia, cladem insignem pertulit. Non tacuit Zosimus, magno apud Constantem in pretio fuisse barbaros, puta Francos & Alemannos, quorum invidiâ pariter & insolentiâ, tum in se provincialium odia, tum militum Romanorum furorem promptiùs fortè concitârat. Meminit idem, Constantium fratrem, cùm bellum inter ipsum & Magnentium jam glisceret, barbaros maximis muneribus sollicitasse, pronos alioqui ad irrumpendum; inclinasse quoque, per certos homines Galliarum studia, quo tyrannis scilicet cuncta evaderent asperiora. Horum itaque temporum calamitatem attingens Ammianus: *Chonodomarius*, inquit, (*Rex Alemannorum*) *& Decentium Cæsarem superavit æquo Marte congressus; & civitates * claras multas vastavit & opulentas.*

Lib. 2.

Constantii adversus Gallias & tyrannos cogitatus.

Lib. 16. Decentius ab Alemanis vincitur.

* al. erutas.

LXXV. Syrmiensis Synodi tēp' Onuphr. in chron. Eccles. Sigon. Occid. histor. Socrat. lib. 2. c. 23. 24. Sozom. l. 4. c. 3. Baron. reject in an. 357.

Religionis etiam res, Arrianis tunc cuncta miscentibus, fluctuabant in incerto; quippe in eundem hunc annum conventiculi Sirmiensis acta eruditis referre placuit, sine veritatis, ut arbitror, dispendio: quibus Socrates & Sozomenus ambo tam disertè patrocinantur, cùm annum signant post consulatum Sergii & Nigriani; quem ampliare in sexennium non dubitant, qui conjecturis factis ex Osii lapsu, probabilius Synodi tempus se indagasse putant. Verùm prioris adhuc sententiæ me non pœnitet; quando & hoc anno Constantius Sirmium accessit & Veteranionem, qui in Pannonia & Illyrico nuper purpuram sumpserat, sibi concilians abdicatum, in gratiam restituit. Quin & Paulini Trevirorum Episcopi cum in hac Sirmiensi caussa insignis enituerit constantiâ, ac sententiæ gravitas, nisi hoc constituto tempore vix reperias, quo scriptionem & censuram Paulini de Sirmiensibus actibus, quam Sulpitius Severus celebrat, ante beati Præsulis exsilium benè colloces. Porrò Arrianorum id tunc erat ingenium, ut cum pravissimis sese dogmatis, fide totâ sejungerent, non distingui tamen à Catholicis nomine vellent. Photini jam error ex Ebionis & Pauli Samosateni paradoxis, ceu hippocentaurus enatus, Pannoniam liberiùs infestabat. Omni itaque modo sibi ducunt enitendum Arriani, quo ne Christi divinitas detrimentum in animis hominum accipiat, quam in sua secta vel maximè convellebant. Altiùs item in illorum pectus descenderat, quòd Athanasius Sardicensis concilii sententia absolutus, & Marcellus Ancyræ Episcopus hæreseos ab illis antea condemnatus, Episcopatui suo esset redditus.

Veteranio abdicatus & restitutus. Sex. Aurel. Victor. Eutrop. l. 10.

Synodi Sirmic. caussæ.

Epip. hæres. 37.

Hieron. script. Eccles. Theodoret. de hæret. fab. lib. 2.

Arrianorū novæ seditiones adversus acta Sardic. & Athanas.

LXXVI.

Acciderat autem res ad hunc fere modum; Concilium Sardicæ habitum, cùm in Marcelli, Pauli, atque Athanasii causâ, damnatione nil prorsus dignum invenisset, ac judices hæreticos, à quibus damnati fuerant, ignominiâ notasset; adhæc Photinum Marcelli quondam auditorem, quod omnium judicio hæreticus probabatur, sententiâ item suâ jugulasset: Athanasius postea comperto, Marcellum parum esse sanæ fidei, pro sui ratione officii communionem homini abstento negavit; habuitque Marcellus, quod Sulpitius memoriæ tradidit hanc verecundiam, ut tanti viri judicio notatus, sponte concederet. Adversarii occasionem hanc carpendi Sardicensis concilii decreta nacti, ceu parum sibi constans, falso pronunciasset, tam de Athanasii innocentiâ, quàm crimine Marcelli, omnem ejus autoritatem subvertere, & labefactare, hoc demum anno statuunt. Constantium igitur Sirmii commorantem aggrediuntur; ad novum indicendum concilium acriùs impellunt; reique maturandæ obtentui sumitur Photinus Sirmii Episcopus, qui nova de divinis personis & Christi Domini origine dogmata commovisset. Quid multa? astutè caussam Athanasii æquissimam, cum deteriore Photini & Marcelli, eâdem sententiâ involvunt. Præfinito igitur Concilii die, Episcopi ex Oriente, magno quidem numero, accesserunt; ex Occidente autem Valens à Mursia; qui revolutus cum Ursatio in Arrii pravitatem, & Osius Cordubæ, renitens tamen & invitus.

Epiph. hæres. 72.

Sulp. Sever. sac. hist. l. 2.

Sirmii conventus, qui parte quâdam sanus, at corruptus parte maxima. Baron. Tom. 1. de concil. & Eccles.

Damnatus autem omnium ibi sententiâ Photinus, ac dein, de Athanasii quoque & Marcelli caussa, cognitio habita. Qua in re Paulini Trevirorum etiam absentis, quæ quantave autoritas, & in declaranda scripto sententia, maturitas extiterit, ex quamlibet paucis colligas Sulpitii Severi verbis: *Pars*, inquit, *Episcoporum, quæ Arrium sequebatur, damnationem Athanasii cupitam accepit: pars coacti, metu & factione in studia partium concesserunt. pauci quibus fides cara, & veritas potior erat, injustum judicium non receperunt; inter quos Paulinus Episcopus Trevirorum; ad hunc cùm literæ Sirmio allatæ essent, quibus suam sententiam rogatus, Concilio Sirmiensi subscribere jubebatur; oblata*, idem ait, *sibi epistola, ita scripsisse traditur; se in Photini atque Marcelli damnationem præbere consensum, de Athanasio non * probare.* Hæc apud Severum; quæ longè post Sardicæ conventum ita Sirmii gesta dubitare non potest, quisquis posteriorem Photini damnationem ex Athanasio, Epiphanio, & Ecclesiasticis scriptoribus aliis, Sirmii peractam, meminerit. Paulino quoque justam absentiæ causam tribui, per Magnentii factionem; quæ haud dubiè in Galliis eum retinuit, partibus jam invicem sibi tum infensissimis, indicio sit epistola, plurimum interpres inter absentes.

LXXVII. Athanas. in epist. ad solit. vitam Socrat. ut sup. & B. Hilarius l. de Synodis.

B. Paulini fortitudo in Sirmiens. actis improbandis.

S. Paulinus absens consulitur à Sirmiensi conventu.

S. Paulini de Sirmiēsi consessu cēsura.

* præbere.

Athan. lib. de Synod. Epiphan. hæres. 71. Socrat. l. 2. cit. & Sozom. l. 4.

Quod verò de fidei formula, quæ triplex in Sirmiensi conciliabulo, artifice dolo, cusa, tacet Sulpitius, aut nullam existimo Paulino oblatam, aut certè, si accepit, illam ab eo tantùm probatam, quam B. Hilarius recognoscens, ostendit fuisse Catholicam. Servata igitur Paulini vigilantia, inter armorum etiam tumultus Catholicæ fidei dignitas; quam contra tot Episcoporum sententiis relegatam ex Oriente, malè sartam exceptamque Sirmii, constanter atque intrepidè suscipiens, honorificum sibi duxit posthac, per omnes cruciatus & exsiliorum ærumnas, constantius etiam profiteri, atque defendere.

LXXVIII. Sirm. Cōc. formulę fidei.

Lib. de Synod. Vigil. l. 5. contra Eutych. Tom. 5. Bibliot. SS. Patrum.

Anno sequenti, quo Julium Romæ Pontificem decessisse, & Liberium successisse volunt. Constantius cædem fratris ulturus, ingentibus adversus Magnentium comparatis copiis, denique prælio illum atrocissimo apud

ANNUS CHR. 352. LIBERIUS PONTIF. an. 15 in 4. Zosim. lib. 2. Sever. lib. 2. hist. Eccles.

Eutrop. l. 10. Onuphr. Liberii initium refert ad an. sequentem.

LXXIX. Magnêtius à Constantio victus. *Sex. Aurel. Vict. Sozom. Socrat. 2.*

ANNUS CHR. 353. *Iac. Sirm. in Notis ad Sidonium.*

Murfam in Pannonia commisso, fugit. Hac acie si Sext. Aurelio Victori fides, Romani vires imperii accisæ, ut nunquam magis; tanta ibi utrinque fuit pugnantium, & in vestigio mortem oppetentium, edita strages. Nec desunt, qui hanc cladèm ad montem Seleucum, quod oppidum est Vocontiorum in Viennensi provincia situm, referunt; tridui-que itinere abesse dicunt urbe Lugduno; atque ita quod Mursæ tribuit Socrates, ad Montem Seleuci pertinere, cujus nomen apud Græcos fere depravatum extat.

Magnentii miserabilis interitus. Decentii non dissimilis exitus.

Magnentius vero, cum deinde sparsi ac dissipati exercitus collectis reliquiis, novo quoque delectu bellum in Italia reparâsset; atque inde transiens in Galliam apud Lugdunum rerum victus ruenti novissimæ spei non sufficeret, obsessus tandem à suis, summâ desperatione pulsu parietis ictum juvans, gladio sibi latus aperuit. Decentius frater, quem in Galliis ab eo relictum diximus, dum in ordines quosdam militares turmasque lapsus, evitare mortem properat, fasciæ collo implicito, vitam ereptum sibi ultro vadit, stolidè moriens, ne fortiter mereretur: illustri documento: Nulli malis artibus quæsitum felix aut diuturnum imperium, nedum Christiano fuisse.

LXXX. Constantius solus Imp. Constâtius Orienti & Occidenti imperat.

ANNUS CHR. 354. *Lib. 2. c. 47. Amm. l. 14.*

Constantii crudelitas in Magnentianis partibus affligêdis.

Atque ita sublatis hinc tyrannis, summa rerum omnium in Oriente & Occidente ad unum Constantium denuo respexit. Hæc ita in Galliis ad sextum Consulatum Constantii, secundum autem Galli Cæsaris, decimo octavo Kalend. Septembris acta, annotavit Socrates. Constantius ab hac victoria profectus in Gallias, Circensibus ac Theatralibus insigni apparatu edendis, Arelate lætissimam hiemem exegit, at, quo Galliis accidere tristius nihil potuit, cum Magnentianæ factionis reliquias per diversa suppliciorum genera certe quam atrocissime persequitur, delatorum improbitati, & quibus mos acriùs rimari principum offensas, plus nimio indulgens, supra sanguinem noxiorum, complures in Gallia atque Britannia, innocentes è medio sustulisse, fama est.

LXXXI. Constantii ad limitem Rheni adventus. Seditio militaris.

Rufinus Præf. Prat. Galliar.

Vere hinc intepescente, Arelate ad Rhenum cum exercitu movit, Gundomadi & Vadomarii Alemannorum Regum insolentiam repressurus. At Cabilloni propinquans, exarsit seditione miles, cùm ob commeatus ac frumenti tardiùs convecti penuriam, tum ob spes præmia exposcentium diutiùs dilatas; ægréque Rufini studio Præfecti tum Prætorio Galliarum, & Eusebii Præpositi cubiculi profusâ largitione, compositus ad obsequium. Reliqua expeditionis ceu aliena nobis, prudentes omittimus.

LXXXII. Arrianorû nova adversus orthodoxos machinamêta. *Sulp. lib. 2. sac. hist.* Constantius Athanasii damnationem Galliæ Episcopis exigit. Arelate & Biterræ côcilia.

Inter hæc Arriani, ubi res imperii tam prosperè ferri, Constantiumque in omnibus sibi agnoscunt opportunum: *Extulêre animos*, ut ait Sulpitius, *potestate Regis usuri, ubi autoritate sua parùm valuissent. Igitur, cùm sententiam eorum, quam de Athanasio dederant, Catholici non reciperent, edictum ab Imperatore proponitur, ut, qui in damnationem Athanasii non subscriberent, in exsilium pellerentur. Caterùm à Catholicis tum apud Arelatem ac Biterras Septimanorum oppida Galliarum, Episcoporum concilia fuêre. Petebatur, ut priusquam in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potius disceptarent; nec tum demum de re cognoscendum, cum de persona judicium constitisset. Sed Valens sociiq; ejus, prius Athanasii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi: Ab hoc partium conflictu agitur in exsilium Paulinus.* Quæ quidem uno sermonis tractu, non tamen eodem tempore gesta, sic narrat Sulpitius. Nam Arelatensis Synodus, etsi commodè in hunc annum rejicitur, apud Biterrenses triennio tamen post conventum ab Episcopis, ipsius Severi Chronologia docet. Quare eâdem operâ, calculos eorum removemus, qui Severi autoritate hoc eodem anno B. Paulinum Trevirorum Metropolitanum à Constantio deportatum in exsilium contendunt; quando Mediolanensi Concilio eum interfuisse non leves habemus autores. Nisi pulsum primò quidem sede, atque inde Mediolani rursum adesse coactum, dixerimus, cùm demutatum crebris cum exsiliis constet ex Hilario; qui post Synodum Arelate peractam, certamina Paulini intra Gallias cum Arrianis habita, prædicare videtur: *Venio*, inquit, *nunc ad id, quod recens gestum est, in quo se etiam professio sceleris in secreto artis suæ dedignata est continere. Eusebius Vercellensis Episcopus vir omni vitâ Deo serviens. Iste post Arelatensem Synodum, cùm Paulinus Episcopus tantis istorum sceleribus contraisset, venire Mediolanum præcipitur, collectâ jam illic malignantium synagogâ.*

Arelatensis & Biterrensis Synodi. *C. Baron. an. Tom. 3. ad an. 356.*

B. Paulinus quando relegatus sit. *Socr. l. 2. c. 29. Athan. apolog.*

B. Paulini fortis confessio. *Hilar. ad Const.*

Eusebius Vercellêsis.

LXXXIII.

ANNUS CHR. 355.

Silvanus Agrippinæ tyrannidem invadit. *S. Aur. Vict. Ammia. l. 15.*

Mediolanêse Concilium Arria. Episc. *Socra. l. 2. c. 29. Athan. apolog. & Sulp. Hilar. ad Constant.*

Enimverò, Constantius ab Alemannorum expeditione Mediolanum in hiberna profectus, istuc in proximum annum, Arbetione & Lolliano Coss. Episcoporum Synodum evocavit, quo vel nolentes aliquando ad damnandum Athanasium cogeret. In vicina Agrippinensium Colonia tunc Silvanus peditum Magister, barbaris parentibus ortus, tyrannidem invaserat, quando Episcopi Mediolanum ex Occidente frequentes convenêre; nam trecentos & ampliùs accessisse, Socrates testatur, inter quos & Paulinus Trevirorum Galliæ Metropolitanus; ex Oriente perpauci affuêre, quod aliis ingravescens ætas; aliis itineris longitudo impedimentum afferret. Synodo, in Dominico congregatâ, Valens & Ursacius, Arrianæ factionis antesignani, quos imperitos & improbos adolescentes fuisse docet B. Hilarius, idem, quod ante, de Athanasii damnatione flagitare: utque præterea, positis fidei formulis, mutuò darent redderentque communionem, vehementer exposcere. Quâ re auditâ, Dionysius Mediolanensis, Paulinus Trevirorum, & qui pro Liberio aderant, Eusebius Vercellarum, Lucifer Cáralis Sardiniæ Episcopi, præcipuam in fidei Nicænæ defensione constantiam sumere, palamque ibi denunciare, priùs de Episcoporum fide quæstionem inferri, quàm de Athanasii caussa cognosci, placere; gnari plerosque ex Arrianorum grege fovêre dogmata, quæ publicè profiteri, pudor fasque prohiberent. Unum si noris fabulæ genus; actionem noris universam. Præbuit ejus specimen B. Hilarius, in Eusebio Vercellensi; qui postquam decem diebus ad Ecclesiam vetitus est accedere, tandem, ubi libitum, à sectariis advocatur, jussusque ut in Athanasium subscriberet; ait, de sacerdotali

Valens & Ursacius Arria. Episc. improbi adolescêtuli.

B. Paulini & collegarum Episc. in Mediolanens. conventu constantia.

Socr. l. 2. c. 29. Athan. epist. ad sol. vit. B. Hilar. lib. ad Constantium.

fide

fide prius oportere constare; compertos sibi quosdam ex iis, qui adessent, hæreticâ labe pollutos. Expositam fidem apud Nicæam, posuit in medio, spondens omnia, quæ postularent esse facturum, si pro fidei professione scripsissent. Dionysius Mediolanensis Episcopus chartam primus accepit. Ubi profiteri scribendo cœpit, Valens (Arrianus) calamum & chartam è manibus ejus violenter extorsit; clamans non posse fieri, ut aliquid inde gereretur. Res post clamorem multum deducta in conscientiam plebis est: gravis omnium dolor ortus est, Impugnata est à sacerdotibus fides.

LXXXIV. Verentes igitur illi populi judicium, è Dominico in Palatium transeunt. Hic Constantii furore succincti, ejusque satellitum armis vallati, quid in Catholicos Episcopos, & B. Paulinum Trevirorum designarint Arriani, uno temporis causæque nexu claré exequitur ipse B. Athanasius: *Cùm deinceps, inquit, & verbis & sententiis vibrarent, seq. arbitrarentur plurimis insidiari, non animadvertunt se plures facere Confessores. Ex quo numero clarissimæ fuerunt confessionis viri religiosi, & Episcopi boni; Paulinus Episc. à Treviri, (quæ Galliarum Metropolis est) Lucifer Metropolitanus Episcopus Sardiniæ, Eusebius Vercellis civitatis Italiæ, Dionysius Mediolani, quod & ipsum est Italiæ Metropolis. Hic enim ad se vocatis, jussit Imperator, ut contra Athanasium subscriberent, & cum hæreticis communionem inirent; quibus admirantibus novum ejus studium, dicentibusq; id non esse Ecclesiastici canonis, statim subjecit. At, quod ego volo, pro canone sit, ita enim me loquentem Syriæ Episcopi sustinent: aut igitur obtemperate, aut vos quoque exsules estote. Id cùm audissent Episcopi, magnopere admirantes, & supplices ad Deum manus tendentes, multa cum libertate illi suas rationes protulerunt, dicentes regnum non ipsius esse, sed Dei, à quo acceperat: metuendumq;, ne is quod dedisset, repentè adimeret. Denuntiabant illi diem judicii, suadebantq;, ne res Ecclesiæ corrumperet, neu sanctionibus Ecclesiasticis, imperii Romani vim admisceret, néve Arrianam hæresim introduceret in Ecclesiam Dei. Verùm nec ille audiit, nec eos plura dicere permisit. Quin ob hoc ipsum acriter minabundus, & gladium intentans, quosdam ex iis adduci jussit, sententiam suam, quam antea professus erat, Pharaonis ingenio, revocans. Excusso igitur sancti pulvere, & oculis in Deum rejectis, nec Cæsaris quidquam minas verebantur; neque ob strictos enses veritatem prodiderunt; & exilium, veluti ministerii sui officium acceptarunt, pergentes de loco in locum, & de civitate in civitatem; & nihilominus, quanquam in vinculis essent, evangelizabant, piam quidem fidem deprædicantes, Arrianam autem hæresim anathemate damnantes, & pœnitentiam Vrsacii Valentisq; multâ infamiâ traducentes. Resq; illa insidiatoribus planè in contrarium abiit. Quanto enim longioris intervalli exsilium erat, tanto majus odium adversus insidiatores accumulabatur; iterq; sanctorum non nisi deprædicatio erat contra Arrianam hæresim. Quis enim eos intuitus nere conspectos, non ut Confessores admiratus est? & istos non ut impios, cum abominatione, vel potiùs, ut carnifices & homicidas aversatus est, & quovis pejus, quàm Christianos nominavit.* Hæc Athanasius. Quem ut nolles, B. Paulini causam numquam à Mediolanensi conventu separasse, alibi quoque repent hæc tam disertè, ut mirum sit, Paulinum à nonnullis, ab hoc Episcoporum conflictu eximi; nam, ubi in turbandis sacris Antichristi indolem Constantio tribuisset, quia Mediolani hanc Ecclesiæ controversiam è templo revocasset ad Palatium, erectoque tribunali se principem fecisset, & arbitrum omnium litium; addit, *Ibi enim (Mediolani) cognitâ Paulini, Luciferi, Eusebii, Dionysii Episcoporum libertate, docentium ex pœnitentia Vrsacii & Valentis, falsos esse Athanasii criminatores; neque ulteriùs habendam esse fidem dictis Vrsacii & Valentis, quæ ipsi sui præsentia revocaverant, è vestigio assurgens Constantius ita locutus est: Ego sum Athanasii accusator: meo nomine illis credite.*

LXXXV. Cæterùm beatus Ambrosius quoque hujus victoriæ triumphum, quo Constantii furorem beati Confessores calcaverant, magnis laudibus extollit: *Memorabiles, inquit, viri circumdati armis, vallati exercitu, cùm raperentur de Ecclesia, majore triumphabant imperio, quia contumeliâ terrestri mercabantur mentis fortitudinem, regni potentiam, quibus militaris armorum strepitus extorquere non potuit fidem:* & inde. *vulnerata est perfidia, ut occideret, non est vulnerata sanctorum fides, non desiderarunt patrium sepulchrum, quibus reservabatur cœleste domicilium.*

LXXXVI. Porrò cùm alii alio, tum B. Paulinus primùm in Asiam, atque in eam Phrygiæ regionem exportatus est, ubi Cataphrygæ Montani & Maximillæ posteri dominabantur, ut non minùs illi certamen cum externi soli injuriis, quàm cum his fœdissimis esset hæreticorum monstris. Posteriora hinc excipiens Sulpitius: *Exsules, ait, totius orbis studiis celebratos, pecuniasq; in sumptum affatim congestas, legationibus quoque eos plebis Catholicæ, ex omnibus ferè provinciis frequentatos.*

At B. Hilarius, ut cui Paulini nostri interiora perspecta, ubi Præsulis integerrimi & nobilis Ecclesiæ casum, hancque tantam Constantii injuriam secum animo reputat, sic in eum fertur: *At nunc fructus operum tuorum, lupe rapax, audi. Postquam omnia contulisti arma adversus fidem Occidentis, & exercitus tuos convertisti in oves Christi, refugere * nihil sub Nerone licuit. At tu Paulinum beatæ passionis virum, blandimento sollicitatum, relegasti; & Ecclesiam sanctam Trevirorum, tali sacerdote spoliasti. Edictis fidem terruisti, ipsum usque ad mortem demutasti exsiliis, & fatigasti; extra Christianum quoque nomen relegasti, ut panem aut de horreis tuis sumeret, aut de Montani Maximillæq; antro profanatum, expectaret.* Ergo Paulinus non simplici exsilii vexatus ærumnâ, sed sola terrarum sæpe vertendo, naufragus mundi, incola cœli, tandem in extremam barbariem relegatus est.

LXXXVII. Etenim, B. Hieronymus autor est, extitisse in Ecclesia Confessorum autoritatem eorum, qui sub nomine Athanasii exsularunt; quos & Liberium Pontificem constat, inter mœrorem absentiæ & gaudium gloriæ, præclara allocutione solatum, cum simul iis hanc

Athan. epist. ad solit.

B. Paulinus Confessor Catholicæ veritatis.

Confessio in fidei decretis nobis demonstratur.

S. Paulinus & socii Episc. damnati ad exilium.

Paulinus ... Mediolani ...

Athan. eadem ep. ad solit.

Laus Confessorum. Ambr.

B. Paulinus quibus locis exsularit.

Christianorum veterum in Catholicos Episcopos liberalitas.

Lib. contra Constant. ...

B. Paulini encomium ex ore B. Hilarii relatio.

* ...

Ecclesia S. Trevirens.

B. Hieron. ...

Eutrop. l. 10. Cuspin. Liberii initium refert ad an. sequentem.

LXXIX. Magnetius à Constantio victus. *Sex. Aurel. Vict. Sozom. Socrat. 2.*

ANNUS CHR. 353. *Iac. Sirm. in Not. ad Sidonium.*

Mursiam in Pannonia commisso, fudit. Hac acie si Sext. Aurelio Victori fides, Romani vires imperii accisæ, ut nunquam magis; tanta ibi utrinque fuit pugnantium, & in vestigio mortem oppetentium, edita strages. Nec desunt, qui hanc cladem ad montem Seleucum, quod oppidum est Vocontiorum in Viennensi provincia situm, referunt; triduique itinere abesse dicunt urbe Lugduno; atque ita quod Mursæ tribuit Socrates, ad Montem Seleuci pertinere, cujus nomen apud Græcos fere depravatum extat.

Magnentii miserabilis interitus. Decentii non dissimilis exitus.

Magnentius vero, cum deinde sparsi ac dissipati exercitus collectis reliquiis, novo quoque delectu bellum in Italia reparasset; atque inde transiens in Galliam apud Lugdunum iterum victus ruenti novissimæ spei non sufficeret, obsessus tandem à suis, summâ desperatione pulsu parietis ictum juvans, gladio sibi latus aperuit. Decentius frater, quem in Galliis ab eo relictum diximus, dum in ordines quosdam militares turmasque lapsus, evitare mortem properat, fasciæ collo implicito, vitam ereptum sibi ultro vadit, stolidè moriens, ne fortiter moreretur: illustri documento: Nulli malis artibus quæsitum felix aut diuturnum imperium, nedum Christiano fuisse.

LXXX. CONSTANTIUS solus IMP. Constantius Orienti & Occidenti imperat. ANNUS CHR. 354. *Lib. 2. c. 47. Amm. l. 14.*

Atque ita sublatis hinc tyrannis, summa rerum omnium in Oriente & Occidente ad unum Constantium demum respexit. Hæc ita in Galliis ad sextum Consulatum Constantii, secundum autem Galli Cæsaris, decimo octavo Kalend. Septembris acta, annotavit Socrates. Constantius ab hac victoria profectus in Gallias, Circensibus ac Theatralibus insigni apparatu editis, Arelate lætissimam hiemem exegit, at, quo Galliis accidere tristius nihil potuit, cum Magnentianæ factionis reliquias per diversa suppliciorum genera certe quam atrocissime persequitur, delatorum improbitati, & quibus mos acrius rimari principum offensas, plus nimio indulgens, supra sanguinem noxiorum, complures in Gallia atque Britannia, innocentes è medio sustulisse, fama est.

Constantii crudelitas in Magnentianis partibus affligendis.

LXXXI. Constantii ad limitem Rheni adventus.

Vere hinc intepescente, Arelate ad Rhenum cum exercitu movit, Gundomadi & Vadomarii Alemannorum Regum insolentiam repressurus. At Cabilloni propinquans, exarsit seditione miles, cùm ob commeatus ac frumenti tardiùs convecti penuriam, tum ob spes præmia exposcentium diutiùs dilatas; ægrèque Rufini studio Præfecti tum Prætorio Galliarum, & Eusebii Præpositi cubiculi profusâ largitione, compositus ad obsequium. Reliqua expeditionis ceu aliena nobis, prudentes omittimus.

Seditio militaris.

Rufinus Præf. Prat. Galliar.

LXXXII. Arrianorū nova adversus orthodoxos machinamēta. *Sulp. lib. 2. sac. hist.* Constantius Athanasii damnationem Galliæ Episcopis extorquet.

Inter hæc Arriani, ubi res imperii tam prosperè ferri, Constantiumque in omnibus sibi agnoscunt opportunum: *Extulère animos*, ut ait Sulpitius, *potestate Regis usuri, ubi autoritate sua parùm valuissent. Igitur, cùm sententiam eorum, quam de Athanasio dederant, Catholici non reciperent, edictum ab Imperatore proponitur, ut, qui in damnationem Athanasii non subscriberent, in exsilium pellerentur. Cæterum à Catholicis tum apud Arelatem ac Biterras Septimanorum oppida Galliarum, Episcoporum concilia fuère. Petebatur, ut priusquam in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potiùs disceptarent; nec tum demum de re cognoscendum, cùm de persona judicium constitisset. Sed Valens sociiq; ejus, prius Athanasii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi: Ab hoc partium conflictu agitur in exsilium Paulinus.* Quæ quidem uno sermonis tractu, non tamen eodem tempore gesta, sic narrat Sulpitius. Nam Arelatensis Synodus, etsi commodè in hunc annum rejicitur, apud Biterrenses triennio tamen post conventum ab Episcopis, ipsius Severi Chronologia docet. Quare eâdem operâ, calculos eorum removemus, qui Severi autoritate hoc eodem anno B. Paulinum Trevirorum Metropolitanum à Constantio deportatum in exsilium contendunt; quando Mediolanensi Concilio eum interfuisse non leves habemus autores. Nisi pulsum primò quidem sede, atque inde Mediolani rursum adesse coactum, dixerimus, cùm demutatum crebris cum exsiliis constet ex Hilario; qui post Synodum Arelate peractam, certamina Paulini intra Gallias cum Arrianis habita, prædicare videtur: *Venio*, inquit, *nunc ad id, quod recens gestum est, in quo se etiam professio sceleris in secreto artis suæ dedignata est continere. Eusebius Vercellensis Episcopus vir omni vitâ Deo serviens. Iste post Arelatensem Synodum, cùm Paulinus Episcopus tantis istorum sceleribus contraisset, venire Mediolanum præcipitur, collectâ jam illic malignantium synagogâ.*

Arelate & Biterræ cōcilia.

Arelatensis & Biterrensis Synodi.

C Baron. an. Tom. 3. ad an. 356.

B. Paulinus quando relegatus sit.

Socr. l. 2. c. 29. Athan. apolog.

B. Paulini fortis confessio. *Hilar. ad Const.*

Eusebius Vercellēsis.

LXXXIII

ANNUS CHR. 355.

Enimvero, Constantius ab Alemannorum expeditione Mediolanum in hiberna profectus, illuc in proximum annum, Arbetione & Lolliano Coss. Episcoporum Synodum evocavit, quo vel nolentes aliquando ad damnandum Athanasium cogeret. In vicina Agrippinensium Colonia tunc Silvanus peditum Magister, barbaris parentibus ortus, tyrannidem invaserat, quando Episcopi Mediolanum ex Occidente frequentes convenère; nam trecentos & amplius accessisse, Socrates testatur, inter quos & Paulinus Trevirorum Galliæ Metropolitanus; ex Oriente perpauci affuère, quod aliis ingravescens ætas; aliis itineris longitudo impedimentum afferret. Synodo, in Dominico congregatâ, Valens & Ursacius, Arrianæ factionis antesignani, quos imperitos & improbos adolescentes fuisse docet B. Hilarius, idem, quod ante, de Athanasii damnatione flagitare: utque prætereа, positis fidei formulis, mutuo darent redderentque communionem, vehementer exposcere. Quâ re auditâ, Dionysius Mediolanensis, Paulinus Trevirorum, & qui pro Liberio aderant, Eusebius Vercellarum, Lucifer Cáralis Sardiniæ Episcopi, præcipuam in fidei Nicænæ defensione constantiam sumere, palamque ibi denunciare, priùs de Episcoporum fide quæstionem inferri, quàm de Athanasii caussa cognosci, placere; gnari plerosque ex Arrianorum grege fovère dogmata, quæ publicè profiteri, pudor fasque prohiberent. Unum si noris fabulæ genus; actionem noris universam. Præbuit ejus specimen B. Hilarius, in Eusebio Vercellensi; qui postquam decem diebus ad Ecclesiam vetitus est accedere, tandem, ubi libitum, a sectariis advocatur; jussusque ut in Athanasium subscriberet; ait, de sacerdotali

Silvanus Agrippinæ tyrannidem invadit. *S. Aur. Vict. Ammia. l. 15.* Mediolanēse Conciliū Arria. Episc. *Socrat. l. 2. c. 29. Athan. apolog. & Sulp. Hilar. ad Constant.*

Valens & Ursacius Arria. Episc. improbi adolescētuli.

B. Paulini & collegarum Episc. in Mediolanens. conventu constantia.

Socr. l. 2. c. 29. Athan. epist. ad sol. vit. B. Hilar. lib. ad Constantium.

fide prius oportere constare; compertos sibi quosdam ex iis, qui adessent, hæretica labe pollutos. Expositam fidem apud Nicæam; posuit in medio, spondens omnia, quæ postularent esse facturum, si pro fidei professione scripsissent. Dionysius Mediolanensis Episcopus chartam primus accepit. Ubi profitens scribendo cœpit, Valens (Arrianus) calamum & chartam è manibus ejus violenter extorsit; clamans non posse fieri, ut aliquid inde gereretur. Res post clamorem multum deducta in conscientiam plebis est: gravis omnium dolor ortus est, Impugnata est à sacerdotibus fides.

LXXXIV. Verentes igitur illi populi judicium, è Dominico in Palatium transeunt. Hic Constantii furore succincti, ejusque satellitum armis vallati, quid in Catholicos Episcopos, & B. Paulinum Treverorum designarint Arriani, uno tempore causasque nexu clarè exsequitur ipse B. Athanasius: *Cùm deinceps*, inquit, *& verbis & sententiis inhærent, seq. arbitrantur plurimos insidiari, non animadvertunt se plures facere Confessores. Ex quo numero clarissima fuerunt confessionis viri religiosi, & Episcopi boni, Paulinus Episc. à Treviri, (quæ Galliarum Metropolis est) Lucifer Metropolitanus Episcopus Sardiniæ, Eusebius Vercellis civitatis Italiæ, Dionysius Mediolani, quod & ipsum est Italiæ Metropolis. His enim ad se vocatis, jussit Imperator, ut contra Athanasium subscriberent, & cum hæreticis communionem inirent; quibus admirantibus novum ejus studium, dicentibusq; id non esse Ecclesiastici canonis, statim subjecit. At, quod ego volo, pro canone sit, ita enim me loquentem Syriæ Episcopi sustinent: aut igitur obtemperate, aut vos quoque exsules estote. Id cùm audissent Episcopi, quàmvehementer admirantes, & supplices ad Deum manus tendentes, multa cum libertate illi suas rationes proposuerunt, dicentes regnum non ipsius esse, sed Dei, à quo acceperat: metuendumq;, ne is quod dedisset, repentè adimeret. Denuntiabant illi diem judicii, suadebantq;, ne res Ecclesiæ corrumperet, neu sanctionibus Ecclesiasticis, imperii Romani vim admisceret, néve Arrianam hæresim introduceret in Ecclesiam Dei. Verùm nec ille audiit, nec eos plura dicere permisit. Quin ob hoc ipsum acriter minabundus, & gladium intentans, quosdam ex iis adduci jussit, sententiam suam, quam antea professus erat, Pharaonis ingenio, revocans. Excusso igitur sancti pulvere, & oculis in Deum rejectis, nec Cæsaris quidquam minas verebantur; neque ob strictos enses veritatem prodiderunt; & exilium, veluti ministerii sui officium acceptarunt, pergentes de loco in locum, & de civitate in civitatem, & nihilominus, quanquam in vinculis essent, evangelizabant, piam quidem fidem deprædicantes, Arrianam autem hæresim anathemate damnantes, & pœnitentiam Ursacii Valentisq; multâ exsanctiâ traducentes. Resq; illa insidiatoribus planè in contrarium abiit. Quanto enim longioris intervalli exsilium erat, tanto majus odium adversus insidiatores accumulabatur; iterq; sanctorum non nisi deprædicatio erat contra Arrianam hæresim. Quis enim eos intuitus non ut Confessores admiratus est? & istos non ut impios, cum abominatione, vel potius, ut carnifices & homicidas aversatus est, & quidvis potiùs, quàm Christianos nominavit.* Hæc Athanasius. Quem ut nosses, B. Paulini causam nunquam à Mediolanensi conventu separasse, alibi quoque repetit hæc tam disertè, ut mirum sit, Paulinum à nonnullis, ab hoc Episcoporum conflictu eximi; nam, ubi in turbandis sacris Antistitis indolem Constantio tribuisset, quia Mediolani hanc Ecclesiæ controversiam è templo revocasset ad Palatium, erectoque tribunali se principem fecisset, & arbitrum omnium litium; addit, *Ibi enim (Mediolani) cognita Paulini, Luciferi, Eusebii, Dionysii Episcoporum libertate, docentium ex pœnitentia Ursacii & Valentis, falsas esse Athanasii criminationes, neque alterius habendam esse fidem dictis Ursacii & Valentis, quæ ipsi sui præsentia revocaverant, è vestigio assurgens Constantius ita locutus est: Ego sum Athanasii accusator: meo nomine illis credite.*

LXXXV. Cæterùm beatus Ambrosius quoque hujus victoriæ triumphum, quo Constantii furorem beati Confessores calcaverant, magnis laudibus extollit: *Memorabiles*, inquit, *viri circumdati armis, vallati exercitu, cùm raperentur de Ecclesia, majore triumphabant imperio, quia contumeliâ terrestri mercabantur mentis fortitudinem, regni potentiam, quibus militarium armorum strepitus extorquere non potuit fidem:* & inde: *vulnerata est perfidia, ut occideret, non est vulnerata sanctorum fides, non desiderarunt patrium sepulchrum, quibus reservabatur cœleste domicilium.*

Laus Confessorum Epist. 12.

LXXXVI. Porrò cùm alii alio, tum B. Paulinus primùm in Asiam, atque in eam Phrygiæ regionem exportatus est, ubi Cataphrygæ Montani & Maximillæ posteri dominabantur, ut non minùs illi certamen cum externi soli injuriis, quàm cum his fœdissimis esset hæreticorum monstris. Posteriora hinc excipiens Sulpitius: *Exsules*, ait, *totius orbis studiis celebratos, pecuniasq; in sumptum affatim congestas, legationibus quoque eos plebis Catholicæ, ex omnibus ferè provinciis frequentatos.*

B. Paulinus quibus locis exsularit.

Christianorum veterum in Catholicos Episcopos liberalitas.

At B. Hilarius, ut cui Paulini nostri interiora perspecta, ubi Præsulis integerrimi & nobilis Ecclesiæ casum, hancque tantam Constantii injuriam secum animo reputat, sic in eum fertur: *At nunc fructus operum tuorum, lupe rapax, audi. Postquam omnia contulisti arma adversus fidem Occidentis, & exercitus tuos convertisti in oves Christi, refugere * nihil sub Nerone licuit. At tu Paulinum beatæ passionis virum, blandimento sollicitatum, relegasti; & Ecclesiam sanctam Trevirorum, tali sacerdote spoliasti. Edictis fidem terruisti, ipsum usque ad mortem demutasti exsiliis, & fatigasti; extra Christianum quoque nomen relegasti, ne panem aut de horreo tuo sumeret, aut de Montani Maximillaq; antro profanatum, exspectaret.* Ergo Paulinus non simplicis exsilii vexatus ærumnâ, sed sola terrarum sæpe vertendo, naufragus mundi, incola cœli, tandem in extremam barbariem relegatus est.

B. Paulini encomium ex ore B. Hilarii missū.

* mihi

Ecclesia S. Trevirar.

LXXXVII. Etiam, B. Hieronymus autor est, extitisse in Ecclesia Confessorum autoritatem eorum, qui sub nomine Athanasii exsularunt; quos & Liberium Pontificem constat, inter mœrorem absentiæ & gaudium gloriæ, præclara allocutione solatum, cum simul in hanc

B. Hieron. adv. Lucifer.

meritorum

meritorum palmam gratulatur, quâ priores de perseverantia fidei venissent, ad Confessionis illustrem gloriam.

Liberius Pont Rom. etiam relegatus.

Atque hæc ita gesta Arbetione & Lolliano Coss. etiam annotavit Severus; quo eodem tempore & Liberius Pontifex à Constantio in exilium actus; ac Felicem Archidiaconum suum, vivus successorem sustinuit; quem tamen laudi fuit, in religione majorum nihil immutasse. Silvanus etiam, qui ex peditum Magistro ad imperii majestatem Coloniæ Agrippinensium consurrexerat, hisce diebus per Ursicinum, quem successorem illi Constantius submiserat, Cornutis & Bracatis (ordines ii fuere militares) ad defectionem impulsis, cum ad Christiani cœtus asylum frustra convolat, densis gladiorum ictibus objectus, trucidatus est. Numi ejus reperiuntur cum inscriptione: D. N. FL. SILVANUS P. F. AUG.

Ammian. l. 15. Silvani tyranni mors.

LXXXVIII. Belgicæ calamitas illata à Barbaris. *Ammian. ut sup. Zosim. l. 3. Paneg. Iulian. à Mamertino dictus.*

Cæterum Belgicæ atque Germaniæ utriusque per id tempus facies erat longè tristissima, Ecclesiis, non solum optimis pastoribus ejectis, omni solatio viduis; sed barbaris, inter hæc civilia mala, multò quàm alias atrociùs, limiti Romano insultantibus: ceu in Galliarum exitium conspirassent, ita tunc Franci, Alemani, Saxones certatim inquietare limitem, lacessere pacem, & hostili vastitate metuque complere cuncta. Quamobrem, vincente remedium multitudine, nec paribus ad tantam vim sustinendam Romanis, quadraginta, momento sitæ ad Rhenum civitates, protritæ subitâ barbarorum incursione: civis atque incola, exhausta ubique generis omnis præda, infinito penè numero ab ferocibus nationibus captivi facti. Ergo, quod in Panegyrico suo Mamertinus deploravit, florentissimas quondam antiquissimasque urbes, barbari possidebant; Gallorum illa celebrata nobilitas aut ferro occiderat, aut immitibus addicta dominis serviebat. Aderat & alia mali species, ab ipsis Præfectis, & provinciarum illati Præsidibus. Nemo hic ab injuria liber, nemo intactus à contumelia, nisi qui crudelitatem pretio mitigasset; ut jam barbari desiderarentur; ut præoptaretur à miseris fortuna captorum. Denique recenti odio, augescente ferociâ, tormentis omnibus vehementissimis in Silvani factionem quæsitum. atque harum quæstionum vi interiit etiam Poemenius Trevericæ civitatis Defensor, qui plebi adversus Decentii Cæsaris iras nuper opitulatus fuerat.

Quadraginta urbes captæ.

Galliarum miserrima facies.

LXXXIX. Poemenii Treviror. Defensoris exitus: *Ammia. l. 15. Eunap. in Max. & B. Hilarii* ejus initia laudant.

Hæc admodum facies Galliarum erat; cùm crebris nunciis de provinciarum ultima vastitate admonitus Constantius, Julianum patruelem Constantii Constantini magni fratris filium, Cæsarem appellavit; & Mediolano ad afflictam erigendam Galliarum Germaniæque Rempublicam præstantissimis quibusque datis ejus firmandæ & regendæ adolescentiæ ducibus, ad Rhenum dimisit. Eò fallebat verò Julianus Constantii judicium procliviùs, quòd inquietis aliis, ipse incuriosè pueritiâ transactâ, specie philosophiæ nullius dignioris fastigii, adeò se non principatus avidum ostendisset, parùm ut effugeret, quin consortio dignus censeretur. Necdum Alpes emensus erat hyeme summâ, cùm tristi ac peracerbo nuncio percellitur; nempe Agrippinam nobilem, & ampli tum nominis Germaniæ secundæ civitatem, diuturnâ Germanorum obsidione captam, atque ingenti mole excisam. Viennam inde anno sequenti progresso, anus capta oculis prædicit Deorum fana, cultumque reparaturum. Ibidem hiberna trahens, Augustodunum Æduorum irruptione barbaricâ tentatum comperit, & caducas ruinosæ tum urbis parietinas ægrè à veterano defensas. Properè igitur cum copiis accedens, VIII. Kal. Julii Augustodunum pervenit. Inde cunctatio, & difficiles consilii explicatus; quibus itineribus lacessendus aut propulsandus hostis, cùm in Julianum catervatim rueret. Adeò cuncta pervaserant Francus & Alemanus, Belgicæ namque utriusque limes tunc violatus quaquaversum præbebat aditus, inde Tricasses usque in Lugdunensem provinciam; hinc in Leucos Trevirorum provinciales, longè palante barbaro. Colebant non jam inquilini, sed ut cives citeriorem omnem Rheni tractum, qui duci Moguntiacensi parebat; oppidisque duntaxat, ut feræ, quas circumdata retibus * lustra declinant, evitatis, territoria latè circum raptim mapalibus extructis, occupabant. Argentoratum, * Brocomagum, Tabernas, * Salisona, Nemetas, Vangionas, & Moguntiacum oppresserant.

Julianus Cæsar appellatus à Constantio. Julianus in Galliam venit. *Greg. Nazian. orat. 2. in Iulian.*

Agripp Col. à barbaris capta. *Amm. l. 15. Lib. 16.*

ANNUS CHR. 356. Augustodunum obsessum à barbaris.

Belgicæ utriusque & Germaniæ à barbaris infesta facies.

* arbusta.

* *Tribernes Breucomagus Brocomagus.* * *Not. imp.* Saletiona. *Amm. l. 16.*

Julianus igitur animadversis malis, apud Visontionem in Sequanis, coacto exercitu, nullo itinere intermisso, per fines Decempagorum ad Alemanorum castra contendit. Cùm verò oppidum Brocomagum, quod duobus infra Argentoratum miliaribus collocant, admoto exercitu undique clausisset, nullo negotio mox suæ potestatis fecit: Venientem suppetias Germanorum manum partim cecidit, partim in effusam fugam dedit.

XC. Juliani expeditiones obiter percursæ. *B. Rhenan. l. 3. rerum Germ.*

Inter hæc Martini Pannoniâ Sabariæ oppido oriundi, militis vitæ innocentiâ celeberrimi, memoria me tangit, quam premere, tam frequenti ejus apud Treviros hospitio, ac multiplici hanc in urbem beneficentiâ admonitus, non possum. Is inter scholares equitum alas adscriptus olim sub Constantio, jam veteranus in procinctu præliorum missionem cogitabat, meliori domino militaturus. Causas habebat poscendi, non quia Christianus esset, sed quòd taciti voti religione mori mundo cuperet. Quod non attendisse videntur, qui missionem hanc XXIV. STIPENDII. honestam fecêre pro caussaria, ceu emendatione dignus Severus, qui missionem petiisse tradat, quia Christianus esset, cùm tam disertè vir ille, prisci moris callentissimus, biennio post baptismum, ait solo nomine militasse, eo quòd tribuni sui Christiani optimi viri precibus evictus, abdicare noluisset, quia & is, transacto tribunatus sui tempore, renunciaturum se sæculo, pollicitus erat. Quare non emerita stipendia, sed renuntiatio sæculi, & asperioris vitæ professio, & parùm fortè illi tum conveniens annexa donativo conditio, pro missione allegata.

XCI. B. Martini militia. *Sever. Sulp. l. 1. c. 2. & c.*

Scholares alæ à scholis, in quas alæ divisæ. *Vide Notit. imp. & Guid. Pancir. thesaur. var. lect. c. 206. ad L. ult. C. de Locato.* S. Martini missio.

Cæterùm à proxima pugna apud Brocomagum feliciter edita, mox ventum existimo ad Vangionum fines, quos Alemanus adhuc impunè persultabat. atque ibi tum accidisse, quæ Severus ad hunc modum exequitur: *Iulianus*

Cæsar

Cæsar coacto in unum exercitu, apud Vangionum civitatem, donativum cœpit erogare militibus. Tum verò [Martinus] opportunum tempus existimans, quo peteret missionem, neque enim integrum sibi fore arbitrabatur si donativum, non militaturus, acciperet. Hactenus, inquit ad Cæsarem, militavi tibi: nunc patere, ut militem Deo: donativum tuum pugnaturus accipiat alter: Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet. Tum verò adversus hanc vocem tyrannus infremuit, dicens eum metu pugnæ, qua posterâ die erat futura, non religionis gratiâ, detrectare militiam. At Martinus intrepidus, immò illato sibi terrore constantior: Si hoc, inquit, ignaviæ adscribitur; crastinâ die ante aciem inermis adstabo, & in nomine Domini IESV, signo Crucis, non clypeo protectus, aut galeâ, hostium cuneos penetrabo securus. Retrudi ergo in custodiam jubetur: facturus fidem factis, ut inermis barbaris objiceretur. Posterâ die hostes legatos de pace miserunt, sua omnia seq; dedentes. Vnde quis dubitet, hanc verè beati viri fuisse victoriam, cui præstitum sit, ne inermis ad prælium mitteretur? Et quamvis pius Dominus servare militem suum inter hostium gladios & tela potuisset: tamen, ne vel aliorum morte, sancti violaretur obtutus, exemit pugnæ necessitatem. Neque enim aliam pro milite suo Christus debuit præstare victoriam, quàm ut subactis sine sanguine hostibus, nemo moreretur.

B. Martinus mitti militia postulat.

A Juliano vexatur.

XCII. Atque hæc omnia vel eâ quoque causâ silentio non erant involvenda, quo narrationis hujus luce dispellerentur errorum illæ nubeculæ, quæ B. Maximini & Paulini res gestas offuscant; nam, ut Maximino comitem peregrinationis Romanæ Martinum hunc Episcopum dedêre, sic Paulino faciunt ordinationis autorem, ceu is à Martino consecratus esset Episcopus; quod utrunque fabulis persimile, frustra sibi credi, domestici postulent: quanquam non ignarus agam ab glossa præsidium peti, quæ M. S. codici historiæ Eutropii adspersa; ubi ex dissensione annorum, quæ inter Severum & Gregorium Turonensem esse deprehenditur, Martini discipulo Severo scriptori accuratissimo fides adimitur, sed ex hypothesi falsa: meritoque veterum ibi quædam sententia recitatur, qui hæc de Martino Moguntiacensi Episcopo accipi voluerunt, nec illa tamen ex eo benè refellitur, quia Lupus Opinatissimum appellet suum Martinum Confessorem, quum ab eo dissentiendi justas afferat causas.

Vita S. Paulini MS. & vita S. Maximini à Lupo descripta, extat apud Tur. to. 3. cui deest tamen 2. lib. miracul. S. Maximini. MS. in San-Maximiniana bibliotheca.

XCIII. Porrò Julianus posthæc è Vangionum finibus, itinere devio, in Treviros perrexit ad recuperandam Agrippinam, ante ipsius in Galliam adventum excisam; & vitatum ab illo Rhenum, ac castella istic à barbaris infessa, satis Ammianus innuit, dum profectum ait, per quos tractus nec civitas ulla visitur, nec castellum, nisi quod apud Confluentes locum ita cognominatum, ubi amnis Mosella confunditur Rheno, Rigodulum oppidum est, & una propè ipsam Coloniam turris. At verò quà limiti via prætenditur, obtulissent se Bingium, Antennacum, Bonna, quæ non ignorasse Ammianum comperimus, quando inter civitates multò ante excisas, seroque ab Juliano receptas & communitas, ea numerat. Igitur Agrippinam ingressus, non ante movit inde, quàm Francorum Regibus, furore posito, mitescentibus, pacem Reipublicæ firmaret, interim profuturam, dum urbem reciperet munitissimam. Quibus vincendi primitiis lætus, per Treviros hiematurus apud Senonas oppidum tunc opportunum abscessit. Hæc Ammianus; perspicuo documento, & Agrippinam à Francis tunc primùm expugnatam & deletam; nec Treviros vicinis omnibus occupatis, satis custoditos, ut opportuna Romanus inveniret apud eos hiberna.

Amm. l. 16.

Juliani expeditio Agrippinensis.

Confluentes.

Libro 18.

Libro 16.

XCIV. Inde Constantio nonùm & Juliano iterum Consulibus, Magnus Antonius illustrator eremi & Monachorum quoddam sidus, in terris occidit, ut cœlo clariùs irradiaret, anno ætatis suæ centesimo quinto; &, ut emendatior habet Chronici Eusebiani lectio, quam & Gregorius Turonensis retinuit, anno imperii Constantii junioris decimo nono. Et, quia (Athanasio ipso testante) scimus, ab illo post mortem demum Antonii, rogatu peregrinorum fratrum, vitam ejus literis mandatam, pro verosimili censeam, ut ejus apographa viri graves Romam tradunt primùm perlata, ita in Treviros quoque ejusdem vitæ transmissa exemplaria, cum S. Antonii vitam apud Monachos vel Eremitas Trevericos, Valentiniani seu Gratiani imperio, repertam Potitiano narrante, S. Augustinus tradiderit.

ANNUS CHR. 357. S. Antonii mors.

In histor. Franc. cap. 38.

Anno 19. Constantii qui Scaligero 357 Pontaco 359. ex quo post Patrem cum tribus fratribus imperavit.

Vita S. Antonii.

XCV. Posthæc gravissimum illud, & ante omnia Sexto Aurelio & Ammiano celebratum, Julianus bellum suscepit, adversus Chonodomarium, Vestralpum, & cæteros Alemannorum Reges, à quibus per summam insolentiam Galliâ decedere jussus; & conserta ad Rheni ripam cum hoste pugna, prælio ad eam diem atrocissimo, ingenti virorum & equorum strage ad sexaginta hominum millia fudit, totidémque in proximum amnem egit fluctibus hauriendos: *Stabant*, inquit Sextus Aurelius, *acervi, montium similes; fluebat cruor fluminum modo; captus Rex nobilis Chonodomarius; fusi omnes optimates; redditus limes Romanæ possessionis.* Ea clades Alemannicæ gentis in multos post annos magnitudine suâ memorabilis apud Argentoratum oppidum accepta:

Amm. l. 17. Eutrop. 10. & Sex. Aurel. in Constant.

Angentoracensis clades quæ Germanis à Juliano illata.

Æquavit Latias ubi quondam Gallia Cannas,

ut eleganter cecinisse hoc ipso de loco nonnulli interpretantur Ausonium. Prædam autem hoc bello captam, apud Mediomatricos servandam deposuit. Præfectura prætorii Galliarum, tum penes Florentium erat; qui adversus Juliani capitationes & indictionalia augmenta, diœcesi per multiplices irruptiones, urbiumque clades afflictæ strenuum se vindicem tulit. In primis Belgicæ secundæ, multiformibus malis tunc, ut ait Ammianus, oppressæ, consultum fuit.

Auson. in Mosella edyll. & ad eum inscrip. Scal. lib. 1. lib. c. 2. Ammianus Marcel. l. 17.

Florentius P. Prætor. Gall.

XCVI. Inter hæc Paulinus Trevirorum præcellenti virtute Pontifex, exsilium, quod Christi amore quadriennio propè, B. Hieronymo autore, toleraverat, diem suum sanctissimè functus, cum sempiternæ patriæ gloria commutavit; eximium & ingens futurus successoribus suis Christianæ patientiæ atque fortitudinis exemplum in Catholica propugnanda doctrina. Cujus pulcherrimæ confessioni, & intentatas à Constantio tyranno minas, & vinculorum itinerumque vexationes, & cæteras

ANNUS CHR. 358. B. Paulini gloriosus excessus.

cæteras relegationis, corporisque cruciatus posthabuit. Decessit autem in Phrygia pridie Kalend. Septembris, Datiano & Cereali Coss. siquidem Lolliano & Arbetione consulatum gerentibus, Mediolano in Orientem deportatus est. Ejus verò Ecclesia anniversariam memoriam claro in primis elogio hoc publicis inserto martyrologiis, commendat: *Treviris, natalis S. Paulini Episcopi, qui tempore Arrianæ infestationis, à Constantio Imperatore Arriano, ob Catholicam fidem exsilio relegatus, & extra Christianum nomen usque ad mortem mutando exsilia fatigatus, tandem apud *Phrygiam defunctus, beatæ passionis coronam percepit à Domino.*

Beda, Ado, Usuard. & Rom. Martyr. ad 31. Aug.

MS. S. Paulini, & Eccles. Trevir.
In vita B. Maximi Mogunt. Sur. Tom. 6.

XCVII. B. Paulinus à nonnullis creditur capite truncatus.

Sunt inter domesticos, quos sequi voluisse Tritthemius videtur, qui B. Paulinum capite truncatum, non confessione, aut ærumnis exsilii tantùm, sed profusione sanguinis martyrium etiam obiisse, tradunt: quorum autoritatem nequaquam ego defugero; vetere quodam, & marmoreo B. Paulini pro ipsis loquente cenotaphio, quod hodieque in Basilicæ stat odeo commissum præcipuo altari. Accedit huc gravissimum Luciferi Caralitani testimonium, qui moriendum pro filio Dei, proprio libro docens, non tacuit Constantii crudelitatem ac sævitiam: *Mactasti,* inquit, *quàmplurimos in Alexandria, laniasti certos toto in orbe, dispersisti resistentes tibi variis in locis; sed hi omnes, quod tu audire minimè vis, martyres sunt. Illos omnes beatissimos tuo mactatos gladio, in paradiso esse, quidem credimus. Iterum: Dicatos Deo homines, torques, interficis, exterminas; & cur hæc geras, caussas odiorum reddere non vales.* Non igitur à Constantii more, nec horum temporum conditione alienum, ut B. Paulinus persecutoris gladio caderet.

Cenotaphiũ B. Paulini.

Constantii crudelitas.

XCVIII. *MS. de reliquiis Eccles. S. Paulini.*

Ferunt autem, cùm B. Paulini cineres in humiliore sub odeo crypta servari minimè dubium sit, marmoreum id, quod dixi, saxum ex tabulis, sepulchri in morem compositis, Caroli magni ævo, ab Amalario Fortunato Trevirorum Antistite, cineribus sacris eò transferendis exstrui cœptum; sed opere necdum perfecto, Fortunatum jam exstinctum, quem B. Paulino pararat, ipsum adeptum fuisse tumulum. Hæc domestici. At Mettensium literæ in veteri jamque abolita S. Arnulphi Basilica conditum hunc Amalarium Fortunatum, & Sancti honore cultum, olim fuisse, testantur. Cæterùm incisus marmori character, quamvis scitus, & ipsâ vetustate blandiens, serie temporum valdè tamen est impeditus, objectoque altari versus Occidentem, parte quadam interruptus. *Est porrò ejusmodi:

Amalarius Fortunatus ubi sepultus.

ANNO III. IMPERII CONSTANTII B. PAVLINVS OB CATHOLICAM FIDEM EXTRA CHRISTIANVM NOMEN relegatus, & usque ad mortem exsilia mutando fatigatus, Phrygibus ET *MICONIBVS PRÆDICAVIT, ET FRACTIS DIIS GENTILIVM, ECCLESIAS FVNDAVIT, AD VLTIMVM APVD PHRYGIAM MVLTIS TORMENTORVM GENERIBVS EXQVISITVS, CAPITE CÆSVS EST II. KALEND. SEPTEMB. AN. CCXCV. INCARNATI VERBI, ET MIRACVLIS MAGNIFICE CLARIFICATVS A S. FELICE Trevirim ex Phrygia translatus, cujus GRATIAM ET INTERCESSIONEM, MARTYRVM, QVOQVE SVB RICTIOVARO *GLORIAM ET CORONAM FIDELIVM POPVLVS HIC ADORAT, ET VOTI COMPOS VENIAM EXORAT.

*MICAONIBVS.

*PASSORVM

XCVIIII.

Quod verò imperii Constantii anno tertio relegatum Paulinum affirmat, id præclarè scilicet nostram seriem stabilit; neque enim ambigi debet, inscriptionem eo de tempore capiendam, ex quo tempore, fratribus exstinctis, Constantius in imperio solus rerum ubique potiri cœpit. At incarnati verbi annum ex eo commentario sumptum apparet, qui Reginonis operi præfigi consuevit, cujus antiquitùs nonnulla forsan in Trevirensi Ecclesia fuerit commendatio. Hodie verò, quo loco B. Paulini corpus in crypta quiescens, præstantissimorum coronâ martyrum cingitur, literis vetustis inscripti desuper laqueato cœlo opere musivo versus; qui per cavos deducti fornices egregio artificio compositis tessellis & vario colore ac picturâ illuminatis, sollenne illud Xi, nominis Christi symbolon, ductu suo repræsentant.

Sepulchrũ B. Paulini cum fornice musivi operis.

In Christianos Antiochiæ Julian. misopog.



Cernitur etiam in medio laqueati cœli fastigio, qua fornices hemicycli figura columnis marmoreis nixi, supernè coëunt orbis ejusdem artificii, Agnum Dei cum crucis vexillo repræsentans, hâc inscriptione:

TV REDEMISTI NOS DEO.

C. * Bonosius. BONOSIUS IV. ARCHIEPISCOP. 30. EPISC. *Sulp. lib. 2. Eccl. hist.*

Vixit in Pontificatu annis B. Paulinus octo fermè, etsi non solidis. Ejus post mortem, Bonosius, ut indices nostri, vel, ut usus fert hujus sæculi, Bonosus Episcopus creatus, cujus omnis memoria vitæ, ut multorū deinceps sequentium antistitum funditus deleta. Bonoso autem sedente, gravissimum res Catholica in Galliis detrimentum accepit, premente eam Saturnino Arelatensium Episcopo Arriano, homine turbulento, & ante omnes alios factioso.

CI. Julianus adversus Francos in Belgica Germaniaque rem gerit. *Amm. l. 17.*

Julianus autem, cum apud Lutetiam hiemem agit, Germanos clade Argentoratensi pæne ad ultimam desperationem ad ductos, ipso dolore cladis coortos de novo in arma comperit; quos, ut priùs quàm coïrent, opprimerent, bellum movet in Francos Salios, qui olim sedes cis Mosam in Romano solo apud Toxiandriam collocarant. At, cùm exercitu in Tungros deportato, istic de pace eorum legatos obviam habet, ambiguo responso ac muneribus irretitos, ab se demisit. Inde Severo duce, qui Mosæ ripam latè interim cōcursaret, permisso, ipse tergis abeuntium insistēs, repēte adortus ceteros, tātum genti terrorem injecit, ut ultro, statim deditione oblatâ, cum liberis & opibus in ejus concederent potestatem.

Franci Salii an à Sala fluv. vel Saliendo, vel Isila cōsule *Notas ad l. 3. Fortunati.*

CII. Francorum Saliorum progressus.

Francorum hîc Saliorum primordia ac sedes strictim se monstrari paterentur, nisi quàm multa breviter dici nequeunt, tam magna sibi recordanda propositi nostri ratio vix sumeret: etsi ab hac narratione separari non possunt, qui tanta demum Treverico solo primùm detrimenta, mox ornamenta contulerunt. Omnibus certè vestigiis eos deprehendimus ab ultima Batavia & Chaucorum finitimis, Rhenique divortio, sensim in Tungrorum, Agrippinensium, & Trevirorum agros gradum fecisse. Hoc tempore, ex Agrippinensi nuper urbe dimotos in Toxiandriæ tandem solo quievisse, testatur

Paneg. vet. Maxim. & Constant. dicta. Fl. Vop. in Probo. Claud. in Stilicone. Franc. Sal. Sedes.

Lib. 17.

Ammianus ut in suo; nec inde pulsos apparet, sed potius in fidem acceptos, longiusque quotidie in solum Romanum progressos. Toxiandria verò, aut ut posteri appellarunt, Taxandria, Leodiensibus & Brabantiæ vicina olim fuit regio; cujus etiamnum in Belgis vestigia manent. Sunt qui S. Trudonis oppidum, finitimumque solum pro ipso Taxandriæ capite numerant; sed minimè fallere hos existimem, qui Tessenderloum Leodicæ ditionis haud procul Diesta Brabanti oppido, imaginem ostendunt priscarum sedium; aptèque vox quadrat in uliginosa ac palustria loca, cujusmodi Francos, Salios ac Sicambros insedisse, magnus est veterum consensus. Sejunctum hoc genus ab aliis; quos inter Alemanos & Saxones non penitissimas paludes, sed terram benè solidam occupasse in Germania, tradunt. Saliorum verò nomen cur tulerint, vix debita huic loco relatio: tam illud incertâ, sive ad rivos, seu vetus idioma confugias, origine nititur. Consuetudini adscripsisse, Ammianus satis habuit.

Notgerus in vit. S. Landoaldi, & scriptor vit. S. Huberti. Aimoin. l. 5. c. 25. Petr. Divaeus antiq. Belg. Iuv. Batavus cap. 9. Gorop. orig.

Paneg. passim. Sidon. Apollin. ad Consentium. Procop. l. 1. in Goth. bell.

S. Hieron. in vita Hilar.

CIII. Charietto barbarus Trevirorũ inquilinus. *Zosim. l. 3.*

Clara per id tempus fama Charíettonis barbari latronis in Trevirorum urbe. Ejus in bellis trans Rhenum ab Juliano gestis enituit industria pari juncta sollertiæ: nam, ut vasto Zosimus describit, fuisse corpore & procero, sic robore polluisse & viribus, magnitudini membrorum apprimè congruis. Apud Treviros aliquamdiu commoratus ante Juliani in Gallias adventum, cùm omnia in vicino prostrata jacerent, sæpe iis fortiter contra Francorum & Alemannorum irruptiones affuit. At cum neque ut oppida à barbaris tentata defenderet; neque ut repelleret à limite densis armatorum cuneis apertâ vi, facultas esset, astu stat armare imbecillitatem, & parvis viribus magnam adjungere sollertiam. Gnarus igitur ut qui maximè, hostilium locorum, calles silvosos ignotosque captans per densissima nemorum, hic omnem interritus barbarorum motum pœnè solus opperiri, tenebris & ipsâ nocte securos aggredi; ubi temulentiâ & somno jam consopiti jacerent, eorum demetere capita, & ab truncis suis avulsa, lætus ovansque tanquam spolia opima Trevirim inferre, civibus ostentare. Per has insidias aliquamdiu grassatus, in remotissimas barbarorum stationes irrumpere, ingentem juxta metum & cunctationem hosti parere. At illi manus suas indies magis magisque imminui quidem, at unde clades ad se permanaret haud perinde conscii agere. Inter hæc crescere cum animo opes, & socii cum audacia Charíettoni cœperunt. Quare tantam denique latronum manum comparavit, ut hostem experiri patenti campo, & tuto ex insidiis adoriri, prompta vis esset. Julianus ergo Charíettonis opera deinceps, non infructuosa quidem, ad perdomandos Salios, Quados, atque Alemannos usus; ejus in capiundis locis, instruendis insidiis, & opprimendis, repentino latrocinio barbaris permultum in hostico, ad universæ gentis deditionem, victoriamque profecit.

Charíettonis in barbaros populares strata-gemata.

CIV. ANNUS Chr. 359. Juliani in Germaniæ

Anno, qui proximus huic fuit, Julianus urbibus, quas in Belgica Germani præsidiis suis tenebant, plurimis ad imperium revocatis; ad ceteras deinde impetu barbarorum afflictas ac dirutas, reparandas animum contulit; ac novis eas & operibus muniit, & horreis, queis publica condi annona consuevit, exornavit. Urbes autem enumerant omnino septem, quas ereptas hosti & ornamentis suis restitutas erexit; Castra Herculis, Utricesimam, Quadriburgum, Novesium, Bonnam, Antonnacum, Bingium. Has autem, ubi firmis impositis præsidiis communisset, Moguntiacum, ut ponte facto, Rhenũ transiret, profectus est.

provincias benemerita.

Urbes limitaneæ à Juliano restitutæ.

CV.

Hic celebris memoriæ rem perobscuram præterire vetat annalium ratio, & indagandum monet, quemadmodum in agris Belgicæ primæ finitimis Sarmatæ, latrocinandi peritissimum genus, ut loquitur Ammianus, hoc tempore sedes acceperint; nam vicina Treveris arva Ausonius perspicuè narrat:

Sauromatum nuper metata colonis:

Sarmatæ translati in Belgicæ I. viciniam.

Id factum, non est, quò convenientiùs, quàm ad hunc annum referas; quippe, superiore Constantium Sirmii, rebus contra Sarmatas & Quados feliciter gestis, exercitus SARMATICUM SECUNDUM ob iteratam victoriam, salutârat. Dediti tunc ad Danubium limitem Sarmatæ, & quos vetus historia ob periculi & noxæ societatem sæpè miscet, unà Quadi complures; dediti obsides fastigii regalis, & innumeræ hujus generis affluentium catervæ clementiâ Constantii victæ vel conservatæ. In pacem amicitiamque receptis, sedes licet plerisque apud Istrum manserint, ingẽtem tamen vim dedititiorum translatam, in re non multorum testimoniis nixa, Marcellini narratio luculentè testatur. Sanè quoad verisimilium investigatione conceditur assequi; Sarmatas, qui in Belgicam agris colendis transscripti, servos eos esse statuo, qui dominos nuper oppressos, agris eorum occupatis, emigrare coëgerant. Etenim Constantius hâc expeditione dominorum fortunam miseratus, in avitam eos possessionem misit, nec sedes dominorum servos retinere voluit, ut veri speciem quàm maximè tueatur, Constantium hoc Sarmatarum genus multasse longinqui sterilisque soli exsilio. Triumphatum ergo tandem apud Sirmium in Pannonia de Sarmatis; ipsique pro more ducti, asserti-que in servitutem; & quia domicilia eorum perquirimus, Eidyllium Mosellæ à capite nobis recitandum est:

A Constantio victi & triumphati. *Ammianus Mar. l. 16.*

Transieram celerem, nebuloso flumine Navam,
Addita miratus veteri nova mœnia vico;
Æquavit Latias, ubi quondam Gallia Cãnas;
Infletaq; jacent inopes super arva catervæ.
Unde iter ingrediens nemorosa per avia solum,
Et nulla humani spectans vestigia cultus,
Prætereo arentem sitientibus undique terris
Dumnissum, riguasq; perenni fonte Tabernas,
Arvaq; Sauromatum nuper metata colonis:
Et tandem primis Belgarum conspicor oris.

Iter Ausonio fuit è prima Germania in Treviros, quod à Nava flumine per juga montium fecit, versus eam Mosellæ ripam; cui Nivomagum adjacet; Constantini monumentum. Neque, quod alii pro explorato sumunt, de Argentoratensi itinere credimus hîc esse sermonem. Quippe Navâ flumine superato, se miratum scribit, veterem vicum stetisse novis mœnibus auctum, ut ad propinquum, quasi digitum intendat.

CVI. Ausonii iter à Nava ad Mosellam.

Ioseph. Scalig. ad Auson. Franciscus Guillimãn. Episcop. Argent. *Cap. 2.*

tendat. Nam fera profectò admiratio fit, apud Navam denique Argentorati, & ad eum acceptæ cladis meminisse. Vicum igitur hunc Bingium accipimus, vetus & clarum Germaniæ primæ castrum, cujus in conspectu Nava Rheno miscetur; & quod reliquum itineris Ausonius per avia & nemorosa loca confecit, Saravo, Rheno, Mosellâ & Navâ fluminibus clausum fuisse censemus, ut hâc regione terrarum, Dumnissum, Tres-Tabernas, rus Sarmaticum necesse sit circumscribere, cujus regionis amplitudinem Trevirorum priscis olim pro territorio assignavimus; & adhuc plurimum vasto per montes & saltus agro, Hundesruchi nomine; sed cultu felicior agnoscitur. Bingium nuper à Juliano instauratum, res manifesta est. At, quæ de Cannensis pugnæ simili ruina, & insepultorum cadaverum strage attexuntur, ea, inquient, huc vix posse trahi; minùs etiam in Navæ propinqua loca convenire. Imò longiùs Argentorato, decedendum, faciliùs is fortè credat, qui intentè & accuratiùs Poëtæ sensus excusserit. Galliam enim pertulisse potiùs, quàm intulisse cladem, voluisse eum interpretor; utque apud Cannas Annibalem vicisse, exitiabile fuit Romanis, ita pro funesto habitum, Galliam nuper à barbaris, violato longè lateque Rheni limite, & hinc ad interiorem Belgicam, ac ulteriores provincias derivatâ clade, Cannensi non absimili strage multatam. Nam qui Juliano pro Galliis pugnante, & Alemannorum apud Argentoratum copias fundente, dixerit Galliam ibi Latias æquasse Cannas, valdè quidem animo meo, ambiguè & obscurè loquatur, si hæc ita jubeat accipi, ut Gallia Alemannorum eam stragem ediderit, & Pœnorum denique victoriam æquarit. Sed nec Argentoratensi pugnæ hærent, *inopes, infletaq, jacentes illæ super arva catervæ*, cùm, Ammiano teste, victor Julianus, cæsorum corpora, indiscreto hostium, an suorum funere jusserit omnia terræ mandari, quo ne diræ volucres eis insultarent.

Bingii reparati attestatio.

Sarmatarũ sedes in Hũdesruchi tractu.

Cannarum Latiarum ubi in Galliis vestigia, quoad cladis similitudinem.

CVII.

Neque est, ubi atrocium cladium exempla ab hac ætate, & in ea regione soli, cui Rheni, Navæ & Mosellæ ripa prætenta, desideres. Quippe Trium-Tabernarum munitio, quâ subversâ, barbaris Gallia plerunque intrata inter Mediomatrices & Moguntiacum media fuit, & Juliani curarum haud postrema, Tabernarum reparatio. Jam verò Chonodomario duce, quot, quantæque civitates, & amplæ, & Romano more cultæ recens, olim, ab Alemannis, & aliis, quas id nomen trahebat, gentibus direptæ ac funditùs excisæ, Belgis & utraque Germania hinc & inde vastatis & infelici populatione subactis? ut facilè hic infletorum strages & cæsorum albentia ossa, similesque cladium præteritarum reliquiæ, Poëtæ memoriam commoverint. Atque hæc nostra est, de Sarmatarum adventu, & Ausonii itinere, si non prorsus explorata, at verisimilis, ut in hoc genere præstari potest, dijudicatio. Sed causam quoque aliunde percipimus, cur traductæ in hæc Galliæ loca posteriùs à Valentiniano & Gratiano Alemannorum & Sarmatarum gentes, quo scilicet sub signis Romanis militarent. Nam in Panegyrico suo ad Gratianum Ausonius: *Voca*, inquit, *Germanicum deditione gentilium; Alemannicum traductione captorum; vincendo & ignoscendo Sarmaticum.* Translatos itaque, & quibus ignovit, his agros assignatos, res manifesta est.

Tres Tabernæ per quas in Galliam irruptiones.

Galliæ clades.

Alemanorum & Sauromatarum sub Gratiano quoque traductiones.

Inter hæc Julianus, malè pressas gentilium superstitiones ægrè quidem, at condebat tamen subdolis artibus, reverentiâ Constantii, ad eam quoque diem, Eunapio teste, ignoratus, quòd Deorum cultui addictus esset.

CVIII.

Juliani subdolum ingenium.

Coactum à Constantio rursus hoc anno, quo Eusebius & Hypatius Consules fuere, Concilium; Episcopis ex Gallia, & aliis imperii Romani provinciis, per publicos ministros accersitis. Quadringenti & amplius ex Occidente Ariminum, quod oppidum est Flaminiæ, seu Æmiliæ, se contulerunt: gloriaque Præsulum Aquitaniæ, Galliarum, & Britanniæ hæc propria fuit, quod oblatâ publicè annonâ, repudiatis fiscalibus, privatim suis vivere sumptibus, maluerunt. Validissimè illo in conventu res oppugnata Catholica; eaque vis Arrianæ jam multorum annorum audaciâ corroboratæ factionis extitit, ut factâ semel animorum inclinatione, catervatim in partes eorum, imbecilliores & Ecclesiasticarum rerum usu & exercitatione concesserint nostri; donec ad vicenos Catholicorum numerus imminutus, rediit; quos inter, vel immotæ constantiæ laude præcipui, * Phœbadius Agenni, & Servatio Tungrorum; utpote, quos nec periculorum ultima denunciatio, nec Tauri præfecti blandæ preces, neque injuria hyemis cum summa rerum omnium inopia conjuncta, à sinceræ religionis constanti professione, absterrere poterat. At flexit tamen ad extremum se Phœbadius infractior Arrianorum dolis; quique se paratum exsilio, atque ad omne supplicium, in quod deposceretur, paulò ante professus erat; hostis vaferrimi calliditate victus, succubuit.

Eunapius in Maximo. Hieronym. in Luciferian. Sever. lib. 2. Athanas. de Synod. Theod. l. 2. c. 18. Socr. l. 2. c. 29.

Ariminense Conc. Catholicis infestum & noxium inprimis.

* *vulg. Pegadius corrup. vide B. Marted. eoràinq. illustr.*

Phœbadii & Servationis Episc. in Arimin. Conc. fortitudo animi.

Phœbadius dolo superatus.

Tum etiam Hilarius Pictavorum, Seleuciensi Synodo, quam, eodem pæne tempore, in Isauria, Constantius in unum venire jusserat, fortè ab exsilio revocatus, præsto fuit; excitataque nominis sui, apud omnes, ingenti famâ, rogatus primùm de Gallorum fide, quam Arriani sugillando in suspicionem istic adduxerant, ceu cum Sabellii dogmate conspiraret, ipse, cum Nicæni Concilii decretis eam per omnia docet consentire. Hâc Hilarii sententiâ probè perspectâ, dignum arbitrati sunt, quem in communionem receptum, Concilio adhiberent; paremque cum cæteris Orientis Episcopis autoritatem deferrent. Atque agi fortè cum Seleuciensi conventu; damnatis, & communione pulsis, turbulentissimis quibusque novarum opinionum architectis, multò quàm cum Ariminensi præclariùs potuit; ni sequenti anno, qui salutis restitutæ sexagesimus & trecentesimus, Arimino Constantinopolim profecti Legati, missos à Synodo Seleuciensi Episcopos oratores vi regiâ compulissent, ut Occidentalium exemplum secuti, in Arrianorum sententiam vel inviti & renitentes irent; atque ita conventus utriusque æquè perniciosus ac pœnitendus utrobique successus extitit: de quo

CIX.

B. Hilarius Gallicanæ fidei in Græcorum Seleuciæ conventu præco atque idem patronus.

ANNUS CHR. 360.

Ariminens. & Seleuciẽs. conventus exitus.

S. Hiero-

* contra Luciferianos.

*S. Hieronymus præclarè. Nomine Unitatis & Fidei, infidelitas scripta est: *Aderat Constantinopoli tum*, ut hæc omnia disertè claréque exposuit Severus, *B. Hilarius à Seleucia legatos secutus; nullis certis de se mandatis, operiens Imperatoris voluntatem, si forsitan redire ad exsilium juberetur. Is, ubi extremum fidei periculum animadvertit, Occidentalibus deceptis, Orientales per scelus vinci: tribus libellis publicè datis, audientiam Regis poposcit; ut de fide coram adversariis disceptaret. Id verò Arriani maximopere abnuêre. Postremò, quasi discordiæ seminarium & perturbator Orientis, redire ad Gallias jubetur, absque exsilii indulgentia. Verùm ubi permensus est orbem pene terrarum, malo perfidiæ infectum, dubius animi, & magnâ curarum mole æstuans, cum plerisque videretur, non ineundam cum his communionem, qui Ariminensem Synodum recepissent, optimum factu arbitratus, revocare cunctos ad emendationem, & pœnitentiam; frequentibus intra Gallias conciliis, atque omnibus ferè episcopis de errore profitentibus, apud Ariminum gesta * condemnat, & in statum pristinum Ecclesiarum fidem reformat. Resistebat sanis consiliis Saturninus Arelatensium Episcopus, vir sanè pessimus, & ingenio malo pravoq;. Verùm etiam præter hæresis infamiam, multis atque infandis criminibus convictus, Ecclesiâ ejectus est. Ita partium vires, amisso duce, infractæ. Paternus etiam à * Petrocoris æquè vecors, nec detrectans perfidiam profiteri, sacerdotio pulsus; cæteris veniâ datâ. Illud apud omnes constitit, unius Hilarii beneficio, Gallias nostras, piaculo hæresis liberatas.* Hactenus Severus.

Hæc ita conjuncta, benè dividenda, ut pars rerũ anno 362. attribuatur.

Galliarum Episcopi Arrianorũ cognito dolo resipiscũt

* al. condemnant, & reformant, sed aptiùs Hilario tribuas, de quo B. Hieron. in Chron.

Gallia per Hilarium Ariminensis perfidiæ dolum damnat.

* Petrocoriis Civitas Petrogorum Aquitaniæ secundæ.

CX. B. Hilarii autoritas cur inter veteres Galliæ Episcopos tanta.

Atque hîc mirandum sanè, tantum uni Hilario in universam deinceps permissum esse Galliam, passim ut sacrorum jura cœtusque Præsulum moderatus sit, & restitutæ istic Ecclesiæ fideique laudem reportârit; nimirum extollebat virum, super alias excellentes animi dotes, invictæ confessionis gloria, tolerataque tot pro Catholica veritate discrimina; & quæsita denique, rerum usu, adversus impostorum fraudes autoritas: jamque excesserant vita Paulinus ille noster & Rhodanius Tolosanus meritis ac constantiâ fidei, cæteroqui Hilario pares. Interim Hilarius antequam ad suos rediret in Galliam, Italiæ & Illyrici provincias obiit, ingenti ardore studioque, revocandi ab infelicibus pascuis, quas Arrianus abigens in devia, cum ipsis abduxerat pastoribus oves. Commentarium etiam eximium & prolixum de Synodis, quotquot jam usque ab Nicææ peracto Concilio fuissent usquam celebratæ, per idem tempus ad Galliarum Episcopos misit, cum sententiarum omnium atque etiam verborum diserta explanatione; cujus exemplaria ad Trevirorum Ecclesiam pervenisse, satis ex B. Hieronymo certum est, qui manu ipse suâ commentarium illum istic, ait, se descripsisse.

Ruffinus l. 1. c. 30. 31. Socra. l. 3. c. 4.

B. Hilarii studia in orthoxa fide propugnanda.

B. Hilarii liber de Synod. apud Treviros à S. Hieron. describitur.

D. Hieron. de viris illustr. Hilar. ipse ep. ad Florent.

CXI. Julianus Augustus salutatus. Amm. l. 20.

Julianus inter hæc apud Parisios hibernans, Imperator ab iis militibus salutatur, qui orti trans Rhenum in Persicam expeditionem, jussu Constantii se transportari, molestè ferebant. His igitur specie recusantis observire compulsus, literas ad Constantium dat, quibus eam impositam sibi necessitatem à milite nunciat, ut invitus Augusti nomen assumeret. Sed Constantius irâ vehementiùs exæstuans, id denique responsum cum literis ferre mandat, nihil eorum quæ miles, injussu suo, novâsset, probâre; hortarique Julianum, quam ipsi cara salus, & stirpis incolumitas, ne præsentia posthabere novis & incertis, neu supra Cæsaris dignitatem se vellet efferre: simulque Florentio Præfecto Prætorio Galliarum abdicare jusso, Nebridio Quæstori magistratum eûm commendat. Interea Julianus, ut à mole belli nutans, & inter ancipitia consiliorum incertus, missis aliis iterum ad Constantium legatis, Germaniam secundam magnis cum copiis & & adparatu intit. Ubi ad Obtricense, quod Mosæ flumini assidet, oppidum perventum, hinc mox ad Rhenum exercitum trans flumen, in ea Francorum loca deportavit, quæ Atthuarii habitabant, procaces belli, & extima Galliarum licentiùs pervagati. quos nil metuentes, & aditu difficili custoditos, per occulta viarum, queis iter ad interiora patebat aggressus, superavit levi certamine. Captis verò & occisis eorum complurimis, reliquis ad arbitrium, pacis leges dictavit. Inde pari celeritate regressus, limitem Rheni, castigatis ubique & restitutis ex disciplina præsidiis, ad Rauracos ascendit; atque ita per Bizontium in Galliam, Viennæ traducturus hyemem, iter habuit.

Nebridius P. P. Gall.

Obtricense oppidum.

Franci Atthuarii à Juliano infestati.

Amm. l. 21.

ANNUS Chr. 361.

CXII. Epiphania Domini. Not. ad Martyrol. Rom. 6. Ianuarii.

Januarius tum processerat, & feriarum dies aderat Epiphaniæ, quam eximiâ veneratione etiam tunc Christiani celebrabant. Abjecerat jam dudum fidem & religionem Christi Julianus; studio atque artificio quodam simulatam professionem velans, quò res faciliùs suas corroboraret: *Progressus*, inquit, *Ammianus in Christianorum Ecclesiam, solenniter numine orato, discessit.* Interea haruspicinam ipse privatim factitare, & nefandæ artis magistros Oribasum Sophistam Pergameinum, & Eumerium Afrum circum se habere, ad divinationis & magiæ arcana. At classico deinde ad seditionem excitato milite, placatâ secretiore ritu Bellonâ, apertè tandem ipse à Constantio & religione defecit. Porrò Constantius, hâc Juliani tam atroci in se voluntate compertâ, cùm ad resistendum Apostatæ conatibus vim bellicam explicat, mors media consilium discussit; ipseque in Oriente, apud Mopsuestiam Ciliciæ, tertio Nonas Octobris febri extinctus, Juliano volens nolens imperii summam reliquit. Id quod eò tolerabilius visum bonis, quò brevius Apostatæ gaudium, ultrix perfidiæ divina majestas, effecit.

Julianus fit apostata.

Eunap. in Oribas. & Amm. lib. 2. Nazian. orat. 4.

Constantii mors.

Amm. l. 21. Sex. Aurel. mendosè Mopsocrenen exprimit. Julianus Imp. an. 1. m. 8.

ANNUS Chr. 361.

Postero igitur anno, ubi nimirum de morte Constantii, accepto nuncio, lætus in Orientem se vertit, summâ omnium ordinum istic gratulatione exceptus, atque Augustus etiam renunciatus; mox ad Deorum cultum instaurandum animum curasque transtulit: atque ita reserari dæmonum fana, cædi victimæ, & sacrificiis omnia pollui cœpta.

CXIII. Julianus Deorum cultum revocat.

Jovinianus, Valentinianus, & Valens, qui post tyrannum, imperium deinceps tenuerunt, honoratæ militiæ commoda posthabere, atque omnes etiam cruciatus perferre, quàm à Christo deficere maluerunt. Hos secuti alii, qui magistratus & honorum titulos,

claráque

Hieron. in chron. Persecutio sub Juliano.

claraque insignia pro Christi amore abjicere, pro re sibi honorifica duxerunt. *Blanda sese insinuabat*, ut ait B. Hieronymus, *tunc passim persecutio, ad sacrificandum illiciens magis quàm impellens*; in qua multi tamen ex Christianis, voluntate propriâ, occubuerunt.

CXIV.

S. Eliphii Martyrium in Leucis. *Breviarum Tull. 3. & 27. Octob. Sur. Tom. 5. 16. Octob.*

B. Eucharius Tullensis Episcop.

*Liberdum, vulg. Liverdun.

* Memiam.

Memorabile in Belgis nostris martyrium celebratur Eliphii an Elaphii clarissimi Viri, cujus acta ex vetustioribus eruta monumentis debemus tabulis Liberdunensis Ecclesiæ & Ruperto Tuitiensi insigni doctrinâ Abbati. Vixisse eum, testatur, in urbe Leucorum provinciali, magnis honoribus, claro apud suos loco. Fratrem ei fuisse Eucharium Episcopum Leucorum, qui probatâ morum integritate, & fidei constantiâ, palmam martyrii consecutus, apud * Liburdunum, quod tunc castro nomen, tumulatus. Sorores addit, omnes vitæ sanctioris & monasticæ studiosas, * Mennam, cujus mors placida an violenta extiterit, majorum silere literas; integrâ tamen pudicitiâ decessisse, conditam honorificè, apud portum suavem, non procul Mirecuriâ. Libariam & Susannam martyrii gloriam adeptas; illam oppido Grandensi; hanc in Campania, Belgicæ puta secundæ olim accepisse tumulum. Vetus inscriptio, tamen inferioris ætatis, addit Catalaunicam originem, & regalem prosapiam cum nominibus parentum Baccii & Lientrudis; quod non temere spreverim, Francis & Alemannis, quos inter Ammianus tot celebrat regulos & regales, tunc passim in civitates non modò receptis, sed præcipuos etiam militiæ consecutis honores; ex quorum genere Lientrudis fortè prodiit. Et * Liberdunum hodieque in Leucis superest, haud obscurum imperatorii nominis oppidum; honesto Canonicorum collegio, & gratâ olim Leucorum Episcopis sede, perinde clarum; milliario circiter à Mosella distans. Porrò Eliphii certamina, etsi vetus relatio, ceu Juliano præsente, obita memoret, commodiùs tamen ad Præfectos per tempus revocem, quos utique in Galliis ille reliquit, moribus & perfidiâ, sibi non dissimiles. Sallustium certè Præfectum Prætorio Galliarum coluit in paucis, quem haruspicinæ & paganismo deditum ante omnes, satis arguunt literæ, quas ad Julianum dedit in Persas proficiscentem, cùm inevitabilem denunciat ei perniciem, nî probè litato Diis, & exoratâ numinum pace, moveat.

Baccius & Lientrudis Martyrum parentes, in hym. ecclesf. Tull. etiam exprimũtur.

Amm. lib. 18. 21. 22. &c.

*Liberdunũ oppidum. Tullensis ditionis cũ castro ejusdem nominis.

Sallustius Præf. Præt. Gall. *Amm. l. 23. Julian. epist. ad Oribas.*

CXV.

Juliani odium in Christianos. *B. Hieronym. chron.*

At Julianum interea tam impensè Dæmonibus placandis operam dedisse constabat, ut si sospes victorque revertisset, Christianorum sanguinem Diis voverit largiendum; quo nullum fortè sacrificium Cacodæmoni, *qui homicida fuit ab initio*, accidisset gratius. Ergo per hoc hominum genus tam nefarium non stabat, quo minus martyrium, ac dira quævis supplicia, quoque contingerent, mortem pro Christo sitientibus. Eliphius itaque primum cum Christianis triginta tribus, ob liberiorem fidei confessionem Paganorum militum & Judæorum concursu in vincula abreptus, indeque tandem miraculo elapsus, Tullum accessit. Hic, ubi matrem honesto funere extulit, ad oppidum Grandense digressus, liberè istic obversabatur omnium oculis: biduum ibidem commoratus, postquam sanitatem plurimis impertiit, interim affuêre, qui Christi confessorem quærebant ad necem. Exierat jam Eliphius: transiensque fluvium nomine Veram, comperit ibi persequentium manum in sacrilego versari idolorum cultu: quare vir sanctus, ingenti magnitudine animi atque contentione spiritûs, cùm nefarium ritum gravi oratione castigasset, & statuis seu idolis manum adhibuisset, sexcentos amplius illic ad Christi fidem adjunxit. Inde Grandem reversus, & violatæ religionis accusatus, ubi reponere simulacra, & diis honorem habere jussus, non paruit, tristis de eo sententia lata, sed lætiùs excepta, ut capite puniretur. Nec profuit huic severitati admiscuisse blandimenta vitæ: quando martyr Juliani memoriam detestatus, & sanctæ Trinitatis fidem publicè confessus, denique cervices carnifici præbens, invictum Deo spiritum reddidit; passus XVII. Kalend. Novembris ad ripam Veræ. Corpus ejus in monte repositum, qui sancti Eliphii postea nomen accepit, medius inter Frumentosam & Grandem, oppida millibus utrinque senis, hinc ab Aquilone urbem Leucorum, inde Grandem ab Austro respiciens. Reliquiæ martyris tandem Coloniam Agrippinensium in S. Martini non ignobile monasterium translatæ, at super tumulum martyris surrexit liberalitate Christiani populi, augustum oratorium, quo sæpenumero petentibus multiplex exhibita gratia cœlestium signorum.

S. Eliphii Passio. Judæos Paganis se miscuisse Juliani imperio adversus Christianos *teste B. Ambros. epist. 28.*

Chrys. hom. 44. in Matth. Cæs. Baron. annal. Tom. 4. an. 363.

Cæterum cum Eliphio fratre Eucharium Episcopum, & Libariam sororem abscissis cervicibus, unà fecisse martyrium, tradunt Tullensis Ecclesiæ privata monumenta. Eucharium namque ad Mosellæ ripam juxta pagum Pompeium decollatum; quem caput abscissum illinc per spatiosam vallem suis manibus detulisse perhibent, usque in eum collem, ubi castrum vetus Liberdunum stetit, unde à Christianis martyris pignus denique translatum ad Liberdunum proximum oppidum, magna Martyrem post comitante miraculorum gloria. At Libariam Apollini cultum adhibere jussam, cùm neque blandimentis cedit, neque cruciatibus duplici scilicet martyrii & virginitatis laureâ cumulatam attigisse metam. Nec parum equidem Martyrum honori in tam obscurâ vetustate gratulatus sum, postquam tacentibus etiam, qui res Tullensis Ecclesiæ literis mandarunt, eorum, etsi pertenuem, vivere tamen in Lotharingia memoriam accepi. Etenim, quo tractu * Mourta fluvius Mosellæ miscetur, haud procul Condeiâ arce, adversâ ripâ sacellum monstratur, B. Euchario dicatum; ad cujus limen saxea tabula cum hac inscriptione visitur, elegantia mediæ ætatis.

CXVI Eucharii & Libariæ martyrum ad 27. Oct.

Ad 8. Octob. Brev. Tullen.

Abrah. Ortel. Itiner. Belg.

* Mortana.

*** PROSAPIA BACCII ET LIENTRUDIS EDITI SUNT NOBILISSIMI SANCTIQ. SUBSCRIPTI, VIDELICET SANCTUS EUCHARIUS, S. ELIPHIUS, S. LIBARIA, S. SUSANNA, S. * MEMIA, S. ODA ET S. GERTRUDIS. QUORUM DIGNIS SUFFRAGIIS

* Ex Catalonia seu Catalaunensis regis.

* MENNA.

ET

ET GLORIOSIS MERITIS CUM IPSIS ASSOCIEMUR IN CELIS.

HI FELICES PRÆLIBATI JULIANI GLADIO SUNT TRUNCATI.

CXVII.

Dicceres Juliani ingenium esse freto atque æstui simillimum; nam, qui brevi tristitiæ fluctu alibi Christi membra succutiebat, idem, alternâ vice, mersos attollebat Patres, unde novi Christo filii nascerentur. Ingens quippe Ecclesiarum Occidentis lætitia atque gratulatio fuit; Episcopis tunc ab exsilio magnâ populorum voluntate, qui desiderium illorum ægrè sustinebant, ad Ecclesias quibusque suas redeuntibus. In his eminebat Christianâ mansuetudine, & ingenii ac facundiæ præstantiâ Beatus Hilarius, cujus jam tum, Constantino sublato, explicari in Galliis nostris ea religionis opera cœpere, quæ paulò antè ex Severo protulimus; nam & crebris Episcoporum in unum vocatis cœtibus, & Ecclesiarum pastoribus, pœnitentiâ reparandis, cunctis denique ad sanitatem rectæ fidei traducendis, Galliam universam brevi incolumem, & ab errore liberam præstitit.

Episcopi exsules passim sedibus suis restituti.

Sever. hist. Eccl. lib. 2. Ruffin. l. 1. hist. c. 30. & 31.

Hilarii res gestæ in Galliis post reditum.

CXVIII.

Spectata quoque Eusebii Vercellensis eodem in certamine virtus, ac industria, ut qui Oriente lustrato, jam Italiam obibat, medici pariter & sacerdotis officio fungens: *Ita duo isti viri*, verba Ruffini sunt, *velut magnifica quædam mundi lumina, Illyricum, Italiam, Galliasq; suo splendore radiarunt, ut omnes etiam de abditis angulis & abstrusis hæreticorum tenebræ fugarentur.* Meminit autem cùm eorum reditûs, tum lapsorum pœnitentiæ, præclarè B. Hieronymus, cujus in re præsenti testimonium sanè lubenter usurpamus: *Omnes Episcopi, qui de propriis sedibus fuerant exterminati, per indulgentiam novi Principis ad Ecclesias redierunt; tum triumphatorem suum, Athanasium Ægyptus excepit. Tunc Hilarium de prælio revertentem, Galliarum Ecclesia complexa est; tunc ad reditum Eusebii, lugubres vestes Italia mutavit. Concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia hæretici ferebantur, contestantes corpus Domini, & quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide suspicatos. Putavimus, aiebant, sensum congruere cum verbis, nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri, timuimus. decepit nos bona de malis existimatio. non sumus arbitrati sacerdotes Christi adversus Christum pugnare. multaq; alia, quæ brevitatis studio prætereo, flentes asserebant, parati, & subscriptionem pristinam & omnes Arrianorum blasphemias condemnare. Atque ad hunc modum Ecclesiæ ubique terrarum, & in Galliis quoque melius sub impio, quàm hæretico Principe fuit.*

D. Hieronym. adversus Luciafer. tom. 2.

Hilarius in Galliam ad suos reversus.

Ariminensis Concilii Patres è Gallia, quomodo ab Arrianis decepti.

CXIX.

ANNUS CHR. 363.

Juliani suprema.

Imminebat gravior in dies tamen in Christianum nomen Julianus; jamque, ut rarò mitis impietas, sæva ac tristiora meditari cœperat, cùm anno postero Parthici imminentis belli curâ longiùs aufertur. Hic dum improvidus ruit, juvenili & inconsultâ temeritate, & in tesquis Achæmeniis, inhospitali Persarum solo, cum fame atque ultimâ rerum omnium necessitate conflictatur, virulenta, Christi nominis toties irrisi, lingua, desertæque fidei pretium denique magnum tulit. Nam Divi cœlestis, an hominis manu contorta equestris hasta, costis ejus perfossis, hæsit in illis; &, intermortuis vocibus, serò vicisse Galilæum confessus est, cujus gloriam atque dignitatem nimium quàm insanè oppugnârat.

Amm. l. 25. Hieron. in chron. Nazian. orat. 2. in Julian. Socrat. l. 3. c. 18. Niceph. hist. lib. 10. c. 34. 35.

CXX.

Jovinianus inde ad imperium adscitus, Imperator prius haberi noluit, quàm exercitus novo sacramento Christianum se professus esset. Susceptis imperii gubernaculis, ad Gallias mox Procopium & Memorium legatos misit, qui de obitu Juliani, & de summa rerum ad se translata, certiores facerent. Nec cunctanter sanè Gallicanus exercitus ad Joviniani imperium accessit: sed enim bonum magis quàm fortem Principem, orbis terrarum diu habere non meruit; quare XXV. Febr. id est octavo * mense, quàm impositus summæ rei, vitâ functo, Valentinianus Gibalis oppido Pannoniæ natus, V. Kalend. Martii successit; qui fratrem deinde Valentem imperii consortem, ac discriminis & laborum socium, assumpsit; cum eo principatum ex æquo partitus. Nam Orientem ad Illyricum usque ei attribuit, reliquas Occidentis provincias sibi reservans. Præfectum prætorio Galliarum instituit Germanum; ipseque in fidei negotio à Valente dissidens, Concilii Nicæni placitis adhæsit, Christianis hoc nomine vel inter primos commendatus, quod in Juliani palatio militum hastatorum tribunus, ad ædis Fortunæ ingressum gentilium ritus palam detestatus, lustrantes se mystas inspectante Juliano, sprevisset maleque multasset. Quare & Julianus ad tempus eum relegârat.

Joviniani pium initium.

Amm. l. 25.

Procopius & Memorius Joviniani legati in Gallias.

* *al. 5. m.*

ANNUS CHR. 364.

VALENTINIANUS IMP. [illegible] 1. m. 8.

Amm. l. 26.

Germanus Præf. præt. Gall.

Theodorit. l. 3. cap. 15. S. Ambr. in orat. funeb. Valentiniani junioris.

CXXI.

At is, ut diximus, imperium ceu confessionis hujus luculentam mercedem adeptus, inde ad res constituendas Mediolanum, se atque Valente fratre consulibus, adiit. Interea Alemanni, ut quorum ferocitas partim Juliani præsentis metu, partim muneribus sopita, hactenus ulteriore se ripâ continuerat, hâc novâ demum excitati principum successione, & asperitate Præfectorum commoti malignè munera præbentium, concitatis in arma finitimis, se rursus ad invadendum Gallias, magno tumultu comparant. Venerat jam Parisios Valentinianus, cùm de imminenti Galliis discrimine factus certior, Dagalaiphum equestris militiæ rectorem, ad Alemannorum prohibendos incursus præmittit. At illi, vastatis jam locis propinquioribus, nullo accepto damno, Dagalaipho veniente, retrò discesserant.

Valentiniani adhuc privati religionis ardor.

ANNUS CHR. 365.

Alemannorum nova bella.

Amm. l. 26.

CXXII.

Inter hæc Procopius in Oriente ad res novandas, repentè coortus, anxiam Valentiniano solicitudinem pariebat fluctuanti, ilicò ne retexeret in Orientem iter, an ad Gallias, præsentis auxilii atque opis egentes, curas, uti instituerat, converteret. Vicit denique Galliarum miseratio, quam acuebant nobilium urbium legationes, precantes ne duris & asperis rebus, provincias præsidiô tutelaque suâ destitueret, quas præsens solo nominis terrore, maximis posset eripere periculis. Atque ita Valentinianus, quò propiùs abesset à limite, Rhemos in Belgicam secundam usque,

Procopius tyrannus exoritur.

Valentinianus utilitatem Galliarum ejus tyrannidi præfert.

Amm. l. 26.

usque, progressus est. Hinc Trevirim veniens, ad Florianum Venetiæ consularem, hoc dato rescripto Christianis Dominicum diem vacuum à lite ac forensi tumultu præstitit. *Die Solis, qui dudum faustus habetur, neminem Christianum ab actoribus volumus convenire; contra eos, qui id facere ausi sint, hoc nostri statuti interdicto periculum sancientes. Datum XI. Kal. Maii Treviris, Valentiniano & Valente AA. Coss.*

Dies Dominicus. Valentinianus Trev. cõmoratur. L. 1. C. tit. 1.

CXXIII. ANNUS CHR. 366. Lib. 4. tit. 9.

Gratiano deinde nobilissimo puero, & Dagalaipho consulatum ineuntibus, alterum item rescriptum Treviris pridie Nonas Aprilis concepit; quo mulierem ingenuam servili thoro conditionem libertatis mutantem, cum fructu, ex ea nato, in servitutem asseruit; quod probabile appareret ancillam esse voluisse eam, quam liberam esse, pœnituisset. Hieme porrò ineuntis anni hujus, magna fuit apud limitem trepidatio; Alemannis constrictum glacie Rhenum impunè transmittentibus, & velut agmine quodam concitatis in diversos Galliarum agros. Horum parti cuidam Charietto, jam tum per utramque Germaniam Comes, cum promptissimo genere militum impigrè obviam iit. Severianus item Comes, licet ob senectam invalidus, in societatem periculi ac laboris accersitur. Ubi hostem eminus telis ac vario missilium genere primùm incessit; hinc procedente certamine, paulatim res ad gladios & manus revocata. Ibi tum acies Romana impetu hostium acriore concussa, in adversum os Severiani telo conjecto, omnem mox & resistendi & fortiter faciendi copiam amisit; cùm præsertim Charietto diutius jurgando, pugnandoque hostem retinens, & servandi decoris avidus, ante primos in acie dimicans, telo confixus occubuit. His rebus parùm prosperè gestis, Dagalaiphus Parisiis accurrens intervenit; at neque illo quidquam diffusis per varia barbaris, ad victoriam proficiente, FL. Valens Jovinus equitum Magister fessas & afflictas laborantis Galliæ partes, tandem suscepit. Jam Treviros prætergressi Germani, partim Leucorum & Mediomatricum fines inierant, partim ultra pervenerant in Catalaunos. Jovinus itaque tribus diversis in locis hostem ingenti animo adortus, felicissimè conflixit: primò, cæsis ad internecionem, quos ex improviso nactus erat, Tullum inter & Divodurum apud Scarponam: deinde, astu circumventis & in fugam actis, quos apud flumen Mosellam securos, celeritate occupârat; denique prope Catalaunos justa atque cruenta pugna, quam nox interveniens diremit, ad extremum victis atque superatis.

Alemannorum motus. Zosim. l. 4.

Amm. l. 27. Charietto Comes utriusque Germaniæ.

Charietto cadit in prælio.

Vastitas Galliæ illata à Germanis.

Jovini contra barbaros victoria.

Scarpona in Lotharingia hinc. Ant. & Sarpagne, Ortel. Itiner.

His rebus in Gallia gestis, Damasus, autumno jam adulto Romæ Pontificatum pro Liberio suscepit. Jovinus autem ob sedatos insigni fortitudinis laude barbarorum motus, consulatum adeptus, honorem illum cum FL. Lupicino collega iniit, quo tempore Valentinianus adhuc in Belgica apud Ambianos degens, cum morbi magnitudine quassatus, desperationem vitæ suis attulisset, Galli proceres, qui in ejus palatio frequentes de Principatu vel ad Rusticum Julianum memoriæ Magistrum, vel Severum, qui pedestribus copiis Præfectus, transferendo, deliberant. At Valentinianus simul ex difficili morbo recreatùs, de consiliis horum factus est certior, Gratianum filium ad se accersitum, in concionem adduxit; atque hic in militum & nobilium magistratuum corona, cùm tribunal ascendisset, dextrâ puerum apprehensum, non Cæsarem ut mos majoribus, sed exemplo rarissimo, pari secum potestate Augustum renunciat. Inde, ubi favor militaris magno consensu adstrepuit, majore jam fiduciâ purpurâ ac diademate proferre jussis, Augustalibus ornamentis Gratianum induit, hortaturque, ut tanquam patris & patrui jam collega, pro rerum urgentium pondere, ad capessendam alacriter rempublicam sese accingat, Rhenumque & Danubium hostiles amnes gelu pervios, cum expeditis peditum agminibus penetrare assuescat; adhæc, discat & armatis suis in acie proximus stare, pro his etiam, quos regat spiritum & vitam ipsam profundere, nec alienum sibi quidquam putare, quod ad Romani imperii pertinere videat salutem & incolumitatem.

CXXIV. DAMASUS PONT. an. 18 menses ferè 3.

ANNUS CHR. 367. Amm. lib. 27. hoc anno.

Gratiani Cæsaris exordia.

Gratianus à Valentiniano primo Augustus salutatus.

His ita Valentinianus apud Ambianos administratis, inde in Treviros, quorum amœnitatibus ac opportunitate plurimum capiebatur, proficisci maturat; atque ipso in itinere, nuncio de Britanniis, clade vexatis, accepto, confestim Theodosium Theodosii parentem, qui sanctissimè post imperium moderatus est, virum bello strenuum in Britanniam, ut rem ibi penè prolapsam restitueret, abire jussit. Valentinianus inde Treviris per æstatem, cum vigilat ad omnes barbarorum motus; interea nec à Republica sanctionibus optimis ac legibus instituenda, sibi otium indulsit; nam ad Festum Africæ Proconsulem scribens, ad legis Corneliæ de falso, vim evitandam, & tuendam in scriptura sinceritatem, hujus velut rescripti medicinam adhibuit. *Serenitas nostra prospexit inde cœlestium literarum cœpisse imitationem, quod his apicibus tuæ gravitatis officium consultationes relationesq; complectitur, quibus scrinia nostræ perennitatis utuntur; quamobrem istius sanctionis autoritate, præcipimus, ut post hac, magistra falsorum consuetudo tollatur, & communibus literis universa mandentur, quæ vel de provincia fuerint scribenda, vel à judice; ut nemo styli hujus exemplum aut privatim sumat, aut publicè. Datum quinto Id. Iun. Treviri Lupicino & Iovino Coss.*

CXXV. Valentinianus Ambianis in Treviros proficiscitur.

Valentinianus Treviris degit.

C. Th. lib. 9. tit. 19.

Anno sequenti Valentinianus, ut composita circum se cuncta ratus, in certam Germaniæ regionem cum copiis impressionem fecit; interea Moguntiacum, deducto præsidio, tantum non inerme, miserandam denuo cladis peracerbæ conditionem subiit. Rando namque Regalis Alemanno genere, expeditâ vallatus latronum manu, ut in media pace securos aggressus oppidanos, fortè in Christiani ritus conventum incidit; atque ibi, cùm publicè magnâ utriusque sexus hominum frequentiâ pacis habitu sollennia sacra fiunt, ille hostili & barbarico incitatus furore, in imbellem multitudinem facere impetum; viros, conjuges, liberos, à patriæ complexu avulsos, direptis omnium fortunis trahere in barbaricum solum durissimâ captivos attinens servitute. Valentinianus hinc apud Treviros, multo quàm pro consuetudine, validioribus ex Italia atque Il-

CXXVI. ANNUS CHR. 368. Amm. lib. 27.

Moguntiaci clades, cædesq; Christianorum, & captivitas ibidem à barbaris patrata.

Valentiniani memoranda in Alemanos hostes expeditio.

lyrico copiis accersitis, gravissimum apparatus magnitudine, & genere ipso, bellum adversus Alemannos conflare, & in hujus expeditionis molem attentiore, quam unquam antè, curâ incumbere cœpit. Ubi igitur duces ac milites, quos jusserat, in Belgica omnes fuêre præsto, anno tum adhuc recenti, cum Gratiano filio Rhenum transgressus, quò tutior undique, & ab insidiis cautior incederet exercitus, agmine quadrato profectus est. Ipso verò medium occupante, Jovinus & Severus rei castrensis Magistri, altrinsecus ordinum latera tegebant. Præmissis hinc omnem in partem viarum exploratoribus, plurimum itineris, hoste nullo usquam conspecto, per devia & longinqua regionis confectum. Neque interim Valentinianus trans Rhenum quidquam quietum pati, quò minus subito levique procursu, evastaret agros, ureret sata, atque latè circum populando, quæreret irritamenta belli, à milite juxta atque ducibus expetiti. Hinc lentiore gradu ulteriora sequens, cùm * Solicinum pervenisset, quem locum Hercyniæ silvæ confinem, haud longè putant ab Nicro flumine abfuisse; ibi tum ab antecursoribus acceptum, barbaros repentino metu & pavore latebris quidem suis excussos, sed desperatione actos, certatim ad montis in immensum editi prærupta diffluere, & hujus jam partim insidere juga, quo loci asperitate & præcipiti undique saxo tuti, vel commune periculum audentiùs propulsent, vel majore cum impetu in Romanam aciem, ex edito sese conjicient. Id, ubi cognoscit Valentinianus, ut improviso periculo, signa ilicò consistere, expedire arma, & ad imperium promptum paratumque adstare militem jubet. Poscebat pugnam Romanus, fremente juxta barbaro. Sed neque consilio, neque deliberationi locus erat. Animadversum hinc à Valentiniani ducibus, quà Septemtrionem versus mons insessus ab hoste, istic, devexo ac molli aditu, ostendi in præcelsa viam. Hunc aditum, ne quà esset Germanis effugii spes, Sebastianus Comes armatis circumdat. Gratiani ætas, quia præliorum etiam tum impatiens, ipse apud Jovianorum signa in postremis subsidiis detentus. At Valentinianus pater, alio reperto in montem aditu, cùm per ignota viarum & palustres uligines tendit speculatum montis abrupta, temerè in locum evectus est, qui hostiles occulebat insidias; ubi opprimi quoque poterat, nî incitato vehementiùs equo, limum ac palustre solum eluctatus, legionum se gremiis immersisset. Quiete post hæc, curandis militum corporibus concessâ, canente mox classico, reditum ad arma. Instructas copias & alacriter euntes, ita Valentinianus disposuerat, ut Salvius & Lupicinus lectissimi, & ad omnia discrimina adeunda prompti juvenes, primam aciem firmarent; horumque ardore patefacta via, cæteri per æqua & iniqua connisi, fessis succederent integri & recentes. Ubi ad rupium anfractus perventum; Alemanni simul constantiâ, simul fiduciâ loci hærere in vestigio; & propellere, celsiora meditantes. At, ubi superfusa moles Romani exercitus, paulatim enitentes in summa suos sublevat, antesignani per hirta dumis & rupibus invia loca, magno virium nisu in ipsum evadunt denique jugum. Ibi tum acerrimum & atrox, succedentibus paulatim Romanis, fit prælium. Etenim submotis, qui in æquo fortiùs obstiterant barbaris, Valentinianus erigere in adversum jugum aciem. Igitur, ubi jam ardore animorum invicem permistos ferire cominus, dare vulnera, ictusque miscere cernit, ilicò diductis ordinibus utrinque suos amplecti jubet hostem, & simul in frontem, simul in latera pugnare, æquataque parumper præliorum sorte, haud parvâ mole utrinque certatum est; cùm fortissimus quisque aut saucius vulnere dolori cederet, aut stragem interfectorum morte suâ cumularet. Ad extremum pulsa hostilis acies loco, atque disjecta. Barbari semel inclinati, perculsique, Romanorum ardore, miscentur ultimis primi. Tum verò patenti & præcipiti ex omni parte jugo, cruentum & atrox spectaculum; Romani avidi gloriæ irarumque pleni, super occisorum vadere corpora, passim fugientes insequi, pilis atque verutis ferarum ritu hostem configere; ipsi verò Alemanni, per invia & prærupta lacerari, & fugiendo, morti sese ultrò offerre. Auxit cladem infelicium Sebastianus; qui agmen suum à tergo opponens, fugientibus iter abstulit. Cæteros, quos casus & pernicitas prælio subtraxit, consuetæ silvarum texêre latebræ. Nec incruenta Romanis hæc pugna stetit, Valeriano, qui inter domesticorum Comites facilè princeps, & viris aliis fortissimis, eo in prælio desideratis. Pugnæ locus monstratur ab hujus nostri temporis scriptoribus, terrarum illa regio, quæ ultra Danubium ab Alemannis habitata Nicri fontibus, propinqua; ubi arcem stetisse volunt, & munimentum Romanis, Lupodunum; sive recens hujus victoriæ cursu tutandæ Rhætiæ constitutum, sive olim, quod malim, inter limitanea præsidia receptum. Etsi prudens sim, rectiùs Lupodunum in Ladeburgo, quod oppidum Præsulis Vangionum Nicro vicinum, collocari, cùm istic loci & Loboduna, & pagus Lobodunensis à Francorum imperio, nuncupentur; Romanæque militiæ an victoriæ monumenta superesse, tradant.

* Solicoman. B. Rhenan. rer. & interpretatio l. 3. rer. Germ.

Prœlii locus.

B. Rhenan. l. 1. rerum Germ. Vinet. in Ausonii Mosellã. Joseph. Scalig. in Auso. vita Mar. Velser. l. 7. rer. Aug. Orig. Palat. c. 3. & 4.

Lupodunũ quibusdam Lupst arx, rectiùs Ladeburg.

CXXVII.

Ausonius Gratiano & Valentiniano magister adhibitus.

Porrò ultra hæc sola terrarum pulsos ingenti clade Suevos & Alemannos, locupletem in primis autorem habemus Decium Magnum Ausonium, eruditissimum poëtam. Is nuper Burdigalâ ex Rhetorum cathedra ob præstantissimas & animi & ingenii dotes ab Valentiniano accersitus in palatium, ad docendos liberos Gratianum & Valentinianum Trevirim venerat. Comitatum autem hâc expeditione Imperatorum signa, sunt qui ex conditione Suspitillæ Bissulæ colligunt Suevicæ puellæ, quam origine Germanicam propè Danubii caput, manu captam missamque ab se, lusit Ausonius.

CXXVIII.

Valentinianus & Gratianus à victoria triũphãtes Col. Aug. Trevir. ineunt. Arcus triũphalis Trev. erectus victoriæ AA.

Porrò Valentinianus & Gratianus Augusti ambo victores cùm Trevirim in hiberna redeunt, effusa hic omnium ordinum ex eorum adventu lætitia extitit; quæ cum ipso tamen ingressu, majorem in modum accrevit. Et arcus jam propter amnem triumphalis & Augustis gentium victoribus, digna porta stabat, quà reduces & triumphantes, viâ, quæ ex Argentoratensi tractu fert, acciperet, monu-

mentum

mentum victoriæ in hanc feram usque posteritatem. Gratulatur triumphalem hunc ingressum flumini Mosellæ Poëta Ausonius:

Dicamus læto per rura virentia tractu
Felicem fluvium: Rhenią́ sacremus in undis.
Cæruleos nunc Rhene sinus, hyaloą́ virentem
Pande peplū: spatiumą́ novi metare fluenti,
Fraternis cumulandus aquis. nec præmia in undis
Sola, sed Augustæ veniens quod mœnibus urbis
Spectavit junctos natią́ patrisą́ triumphos,
Hostibus exactis Nicrum super & Lupodunum,
Et fontem Latiis ignotum Annalibus Histri.
Hæc profligati venit modo laurea belli,
Mox alias aliasą́ feret.

CXXIX. ANNUS Chr. 369. Viventius Præf. Præt. Gall.

Annus insequens, quo Viventium habuerunt Galliæ Præfectum, ab Valentiniano & Gratiano pæne totus in ordinanda Republica & reparatione cùm limitis, tum etiam exercitûs Treviris absumptus. Indicant hoc rescripta, omnibus anni pæne partibus, hinc ad diversos provinciarum magistratus, transmissa: ex quibus unum modò si proferamus, satis instituto sit nostro: *Imperatores Valentinianus, Valens & Gratianus Augusti, Probo Præfecto Prætorio. Si quis præpositus fuerit aut fabricæ, aut classi, aut * Lætis; identidem, si præpositus Romanarum largitionum, vel cohortis gesserit tribunatum; aut quicunque his administrationibus, ad quas non nisi cum certis fidejussoribus singuli quique veniunt, fortasse præfuerit, qui non vel intra Palatium congruo labore meruisse, vel armatam invenitur sudasse militiam, his privilegiis careat, quæ militaribus palatinisą́ tribuuntur. Dat. tertio Kalend. Ianuar. Treviris. Valentiniano nobilissimo puero, & Victore Coss.*

Valentiniani in Trev. cōmoratio.

Præfecto Prætorio, lib. 7. C. Th. tit. 20.
* *Læti, nomen militarium ordinum.*

Porrò prænomen Lætorum; quorum hîc mentio fit, in diversis militum præfecturis, celebrat liber, cui Notitia dignitatum imperii, nomen dedit. Nam in Belgica prima nominatur PRÆFECTUS LÆTORUM LINGONENSIUM, qui per diversa loca dispersi. Mox PRÆFECTUS LÆTORUM ASTURUM * EPUISO BELGICÆ PRIMÆ.

Notit. l. 2. & comment. Gui. Panci. c. 90.
Læti in Belgica I. Lingones & Astures.
* EPOISVS. l. Ivodium.

CXXX. Valen. exercitus supplet, instauratque limites.
Zosim. lib. 4. Amm. l. 28.

Valentinianus senior inter hæc, ut dicere sum exorsus, ad rem militarem stabiliendam, & imperium non Rheno tantùm, sed prolatis trans flumen præsidiis terminandum curas adjecerat; & quò Galliarum securitati magis quoque consuleret, fortissimum quemque tum ex Rheni accolis, tum flore Gallicanæ juventutis, in exercitus & stationum supplementa sepoſuit. Inde Rhenum omnem à Rhætiarum exordio, vastis per intervalla molibus, oppositis communiit, alibi castra altiùs, alibi burgos sustulit, munimenta turresque perpetuas barbaris obvertens, quam longè ab Alpibus ad Oceanum, affluente Rheno, pertinet Gallia. Horum verò operum tam præstantium, manet hodieque veteribus nummis consignata memoria, quorum * Treviris eruuntur quàm plurimi; alii Valentiniano patri, alii inscripti liberis; titulo diverso vel REPARATI EXERCITUS, vel SECURITATIS REIPUBLICÆ impertitæ. Qui verò publicè imperio ornando firmandoque, curas has & opes admovebat, illum Regiæ & Prætorio defuisse haud crediderim.

Nummi Valentiniani & Gratiani.

CXXXI. Urbis Trev. dignitas & amplitudo.

Quare Trevirorum Augustam, ejus præsentiâ pænè assiduâ, & liberorum dulcissimo aspectu perfruentem, ad insignem adduxisse tectorum amplitudinem haud anceps tradiderim, influente præsertim in urbem crebriore tum nobilium incolarum, & in Palatio militantium frequentiâ; quibus pro urbium splendore domus instrui solent, ut pulchri corporis apta ac decora membra. Et verò potens armorum per eos dies, & thesauris, & officinis argentariis prævalida fuit Trevirorum Colonia. Habuêre tunc quidem in urbe celeberrimas tota Gallia fabricas; Scutariam & Balistariam; adhæc instrumentum quoque vestiarium sive Gynæcium, cujus, qui publicè curam gerebat, is Procurator dictus Gynæcii Triberorum, Belgicæ primæ. Enimverò, ut in libro Notitiæ Baphiorum Procuratores exprimuntur, qui ad Principis usum & imperii, tingendæ vel fucandæ purpuræ in serico aut lanâ navabant operam; sic in Occidente XV. celebrantur, qui Gynæciorum Procuratores, Imperatoris & militum texendis vestibus, navium velis, castrorum tentoriis, stragulis, centonibus, aliisque ad instruendas mansiones necessariis operis invigilarunt; cujusmodi Belgica quinque numeravit. à quorum ordine eruditus * Notitiæ interpres rectè, meo quidem sensu, Vehatores removit, qui ob Cynegii * vocem spuriam irrepserant. Et unâ hîc operâ Trevirim ab Ausonio benè laudatam recolimus, quia Gynæciorum artibus Exercitus, vestierit; fabricarum, armaverit. Rei verò monetariæ Curatores & Quæstores ærarii, variis distincti titulis officiisque; qui Comiti sacrarum largitionum illustri tum in imperio magistratui ferè omnes parebant. Erant in his, Præpositus thesauri Triberorum, Procurator monetæ Trevericæ; Præpositus * Branbaricariorum, sive Argentariorum Triberensium; qui vasis argenteis fabricandis; thoracibus, galeis, ocreis auro, argento ducendis nitidandisque vacabant. Atque hæc in armamentario ac visceribus Reipublicæ. De quo nobile monumentum perennasse, Treveris sum gratulatus; cùm in pervetusto lapide grandibus literis reperiebam inter Collegii Societatis JESU aliunde illata rudera, signatam hanc triplicem Branbaricariorum, Vestiariæ & Armorum officinam.

Notit. Imp. Occid.

Scutaria, Balistaria, Vestiaria res in Treviris.
Notit. & Guid. Pancir. lib. 2. c. 36. & seq.

Gynæciorū Procuratores qui.

* *Guid. Pancir. c. 38. vocem Cynegiū rejicit, & ex MSS. & ex Orientis Notitia asserit Gynæcium.*
Treviris vestit & armat exercitus.
Monetaria ib.

Argentaria seu Branbaricaria.
* *Parbaricarii aliis.*
Lib. X. Tit. LXIV. Cod. juris, & Donati ad 2. Æneid.

Triplex armamentarii Treverici officina.

BRANBAR.
VESTIAR.
ARMA.

CXXXII. Trevireñ. ædificiorū vet. magnificentia.
Mosella Num. 263. Edit. Veneta. Ads Epigram. selecta Moguntiæ edit. 1615. Edyllium Mosellæ a Paulo Dunt. Soc. Jesu.

Quæ verò ad decorem, immò in luxum & voluptatem ambitione Romanâ passim opera, artifice manu, exstructa, quis non urbs tantùm hâc ætate, sed flumen quàm latissimè incedit per dispersos in prædia, villasque prætorias nobilissimos civium, prænituit, quis rectiùs edisserat, quàm, qui hæc omnia tum coram oculis usurpavit Augustorum præceptor Ausonius?

Mosellæ architectonica ornamẽta.

a Atheniensis Architectus Cretæ, quæ Gortiis, alas assumpsit. Ovid. l. 8. Met.
b Allusio ad 6 Æneid.
c Athen. Archit. navalis. Plin. Vitru.
d Archimedes à Marcello laudatus.

Qui potis, innumeros cultusq; habitusq; retexens,
Pandere tectonicas per singula prædia formas?
Non hoc spernat opus [a] Gortynius aliger, ædis
Conditor Euboicæ. casus, quem [b] fingere in auro
Conantem Icarios, patrii pepulêre dolores.
Non [c] Philo Cecropius: non, qui laudatus ab hoste,
Clara [d] Syracosii traxit certamina belli.
Hos ergo, aut horum similes, est credere dignum
Belgarum in terris scenas posuisse domorum,
Molitos celsas fluvii decoramina villas.

Villæ.

Hæc est nativi sublimis in aggere saxi,
Hæc procurrentis fundata crepidine ripæ.
Hæc refugit: captumq; sinu sibi vindicat amnẽ.
Illa tenens collem, qui plurimus imminet amni,
Vsurpat faciles per culta, per aspera visus:
Vtq; suis, fruitur dives speculatio terris.
Quin etiam riguis humili pede condita pratis
Compensat celsi bona naturalia montis:
Sublimiq; minans irrumpit in æthera tecto,
Ostentans altam, Pharos ut Memphitica, turrim.

Pharos Mosellæ turris in ejus insularum quapiam ex qua nautis fax in tenebris alluxit.

Huic proprium est clausos consepto gurgite pisces
Apricas scopulorum inter captare novales.
Hæc summis innixa jugis, labentia subter
Flumina despectu jam caligante tuetur.
Atria quid memorẽ viridantibus assita pratis?
Innumerisq; super nutantia tecta columnis?

Domus magnificæ.

Quid, quod sulphureâ substructa crepidine fumant
Balnea, ferventi cùm Mulciber haustus operto
*Volvit anhelatas * tectoria per cava flammas,*
Inclusum glomerans æstu exspirante vaporem?
Vidi ego defessos multo sudore lavacri
Fastidisse lacus, & frigora piscinarum,
Vt vivis fruerentur aquis: mox amne refotos,
Plaudenti gelidum flumen pepulisse natatu.
Quod si Cumanis hic assoret hospes ab oris;
*Crederet Euboicas simulacra * exilia Baias*
His donasse locis: tantus cultusq; nitorq;
Allicit, & nullum parit oblectatio luxum.

Balnea & & Thermæ, ut S. Bertrici, paulò tamen à flumine remotiores.
* Camini ex calcis vel gypsi lorica, per quos vapor exspirabat.
* expressam rudites effigiem.

CXXXIII. Nec est quod poësi hic putes Ausonium supergredi, ceu fides rei magnitudinem haud æquet: quisquis enim non Romanorum publica opera, sed provincialium quoque procerum, magnatiumque privatas villas domósque sibi subjicit, in his Basilicas, thermas, adeoque Persarum quasi regias exstructas inveniet, artificum eam in rem è longinquis etiam petita copia. Spirantque vel paucæ splendorem hunc operum seu ruinæ seu reliquiæ, quorum alicubi in Mosellæ ripis per membra porticuum & fragmina tabularum abjecta cadavera jacent.

Structuræ ornatus in flumine defensus.
Adi I. Lips. admiran. l. 3.

CXXXIV. Per hos quoque dies evocati Romam ad Synodum à Damaso Papa Galliarum Episcopi, in Auxentii causa, qui Mediolanensem Ecclesiam hæresi Arriana polluebat; isque ibi omnium sententiâ damnatus est, Valentiniano & Valente tertium Consulibus.

Synod. Romæ. Theodorit. l. 2. c. 22.

ANNUS CHR. 370. Anno qui ab humano genere restituto fluxit supra trecentesimum septuagesimus, Saxonum infesta Romanis natio, quæ Oceani Germanici littora accolẽs, omnibus navigandi artibus & piraticâ præsertim barbaras gentes cæteras anteibat, eruptionis novæ procellam, in Belgicæ secundæ limitem excitavit; cujus vim atque magnitudinem Nannenus Comes iis regionibus præfectus, cùm sustinere se posse diffideret, Severum peditum magistrum ad opitulandum dubiis rebus excivit. Is Valentiniani hortatu eum pari copiarum numero in hostem profectus, tantum barbaris adventu suo terrorem injecit, ut qui bellum attulerant minaces, pacem jam supplices referrent. At ne gratis, violati limitis audacia feroci genti staret, Romanus silenti agmine, & itinere transverso prætergressus, insidiosa loca, quà redeundum erat Saxonibus, insedit; atque ibi apertis licet insidiis, tumultuario tamen prælio ad unum omnes internecioni dedit. Celebravit victoriam eam Paulus Orosius: *Valentinianus Saxones gentem in Oceani littoribus, & paludibus inviis vitam degentem, virtute atque agilitate terribilem, periculosam Romanis finibus, eruptionem magnâ mole meditantem, in ipsis Francorum finibus oppressit.*

Amm. lib. 28. Sidon. Apoll. in poëm. Saxones Romanos fines vexãt.
Lib. 7. c. 32.

CXXXV. Quia verò Alemanna gens, assiduis Romanos fines incursibus pervastandi, finem modumque nesciebat, haud minor Valentinianum cura coquebat, ut sempiternorum hostium metu Galliam horum semper injuriis obnoxiam tandem liberaret. Incolebant tum eam Germaniæ partem trans Rhenum Burgundi, cui Marcellinus Capellatii vel Palæ nomen tribuit. His salinarum finiumque causa cum perpetuum esset cum Alemãnis jurgium, ipsique Burgundi, qui in magnam jam gentem coaluerant, sobolem esse se prædicarent stirpe satam Romanâ; gentem eam & bellicâ laude & robore atque hominum multitudine præcellentem, idoneam censuit Valentinianus, quam in Alemãnorum perniciem, auxilio promisso, accenderet. At Burgundiones jam bellum professi; ubi cunctantius agere Valentinianum, nec, quod pollicitus, suppetias venire cognoscunt, tum mox alienæ fidei suum commodare sanguinem, parum esse sibi integrum rati, ad Burgos ipsi suos dilapsi, domum redeunt: *Quibus in Burgis*, ut de sua his annis proximâ ætate loquitur Orosius, *præsumptâ possessione consistebant; quamvis providentia Dei omnes Christiani tum facti, Catholicâ fide, nostrisq; Clericis, quibus obedirent, receptis, blandè, mansuetè, innocenterq; viverent; non quasi cum subjectis Gallis, sed verè cum fratribus Christianis.* Quod de Burgundis elogium libentiùs usurpavi, quia suspicer à Moguntiacensis & Trevirensis Ecclesiæ sacerdotibus, quibus sedêre finitimi, ad Christiana & Catholica sacra pellectos.

Lib. 28.
Capellatii & Palas. B. Rhenan. l. 1. de 3. rer. Germ. Ortel. Synonym. ponunt in tractu Heidelberg. de quo vide Orig. Palat. c. 2.
Burgundorum laus bellica.
Burgundiones Christianæ pietatis cultores. Lib. 7. c. 32.

CXXXVI. Valentinianus autem inter hæc Treviris adhuc degebat, atque dum per duces suos rem militarem foris gerit, interea rebus imperii constituendis ac temperandis legibus vacat ipse domi: nam & ad diversos hoc anno Treviris rescripta dedit, & insequenti tempore, cùm à barbarorum incursionibus paulisper respiravit Gallia, acrem & pro more suo severam condendis legibus, ac conservandis, operam adhibuit. Non prætereunda ipsius sanctio, quâ benè meritis ordinis utriusque magistratus commoda liberaliter defert: *Qui ad sacerdotium provinciæ & principalis honorem gradatim & per ordinem muneribus expeditis, non gratiâ emendicatisq; suffragiis, * sed labore pervenerint, probatis actibus, si consona est civium fama, & publicè ab universo ordine comprobantur, habeantur immunes otio fruituri;*

ANNUS CHR. 371.
Valentiniani constitutio de Episc. & cler. immunitate. Cod. l. 12. t. 2.

quod continui laboris testimonio promerentur; liberumq; sit corpus eorum ab his injuriis, quas honoratos non decet sustinere. honorem etiam eis ex Comitibus addi censemus, quem hi consequi solent, qui fidem diligentiamq; suam in administrandis publicis rebus, approbarint. Dat. 4. Kalend. Iul. Treviris Gratiano A. II. & Probo Coss. Ad hæc senatui Romano, quo ad se in Galliam faciliùs & promptiùs iter haberet, evectionis publicæ copiam ad Ampelium Præfectum literis Augustæ Trevirorum datis, præstandam censuit; *Si namq; Provincialibus*, inquit, *quando è re esse censerent, evectionum copia non negata est, quanto magis hujus arbitrii his est facultas deferenda, quos Collegii merito, videre frequentiùs cupimus?* Ut & hinc obiter perspicias, quibus non rarò tunc civitas hospitibus, & inquilinis sit illustrata.

Evectio publica.

CXXXVII. Per hosce quoque dies Martinum Sabariensem non solùm vitæ sanctimoniâ, verùm etiam rebus admirabiliter gestis clarum, Ecclesiam Turonensem administrandam accepisse, quidam tradunt; nempe, quod Gregorius Turonum anno VIII. Valentiniani Imperatoris id accidisse disertim prodat, cui, tacente de tempore initi sacerdotii Severo, nec adversante tamen, refragari nolint, sed alium temporis canonem qui sequuntur, triennio seriùs vel ultra sacerdotii exordia prolatant.

B. Martin. Turonensis quando factus Episc.

Greg. Turon. lib. 10 histor. V. Giselin. ad Sever. Sulp. Chris. Massom. I. Scalig. Baro. Bucherius, I. Gord.

CXXXVIII. Abundabat tum Gallia doctis juxta atque innocentibus viris; florebantque eximiè cùm alibi, tum in Treviris sacrarum literarum studia: quare etiam B. Hieronymus, qui adolescentulus discendi gratiâ varias tum regiones obibat, postquam mansuetiores, Donato præceptore, literas, Romæ diligenter excoluisset; inde in Galliam, comite Bonoso profectus est, ut politioris literaturæ venustatem & elegantiam, graviore divinarum rerum commentatione sustolleret. Meminit hac de re ipse in Epistola ad Rufinum, dum Bonosum hisce verbis eo scilicet nomine commendat: *Vt ego & ille pariter à tenera infantia ad florentem usque adoleverimus ætatem; ut iidem nos nutricum sinus, iidem amplexus foverint bajulorum; &, cùm, post Romana studia ad Rheni semibarbaras ripas eodem cibo, pari frueremur hospitio.* Adolescentem verò tunc se fuisse, alibi narrat. *Quid loquar de cæteris nationibus, cùm ipse adolescentulus in Gallia viderim Scotos, gentem Britannicam, humanis vesci carnibus?*

B. Hieron. studiorum causa Trev. venit. *Hier. in Chron.*

Epist. 41.

Lib. 2. contra Iovin.

Scoti anthropophagi.

CXXXIX. Quæ S. Hieronymi verba Scotici nominis studiosiores, tanquam malas merces repudiare videntur; tum, quia jam antiquata majorum feritas toti Scotorum genti ascribi non debeat; tum, quia unus ille Scotus, qui Hieronymo in Gallia visus humanam manducare carnem, nonnullis existimetur Scytha fuisse. Non tamen celebris originis Scoticæ investigator Joannes Leslæus it inficias, Scotorum agrestiores vesci solitos humanis carnibus; ejusque feritii moris à Scriptoribus argui solos Ordovices, quos nunc Anandalios appellant, qui captivos immaniter devorare cõsueverint.

Scotorum natio defenditur.

Scoti Ordovices efferi.

Treviris etiam commoratum B. Hieronymum, alibi proditur, quod, sicut diximus, prolixum valde S. Hilarii librum de Synodis propriâ manu ibi se descripsisse, testatur, quem etiam ad se in eremum, ubi tunc hoc postulans degebat, remitti voluit. Observabat haud incuriosus adolescens, dum hic viveret, Treviros salvâ Latiali veterem Celtarum linguam constanter ad id usque tempus retinuisse. Galatarum enim, qui à Gallis progeniti, in Asia Pontoque consederant, notavit, præter Græcum, quod cum toto Oriente usurpabant, peculiare loquendi genus habuisse, quod idem pœnè esset cum lingua Trevirorum tum in Gallia degentium.

Ep. 6. ad Florentium.

Trevirorum lingua.

In Proœm. l. 2. commentario ad Gal.

CXL. Valentinianus annum etiam insequentem Treviris in pace habuit; & Ampelio Præfecto Prætorio mandata dedit, ut ubicunque Manichæorum conventus, vel id genus hominum colluviem in cœtus coëuntem repperisset, doctoribus gravi censione multatis, domus & habitacula, in quibus profanâ institutione docerent, fisci viribus, citra controversiam, adsciscerent. Dat. VI. Nonas Martii. Treviris Modesto & Arintheo Coss.

ANNUS CHR. 372. Valentinianus Hæreticorum conventicula severè prohibet.

Valentiano inde & Valente, quartum Consulatus honorem adeuntibus, Imperator, Macrianum Alemannorum Regem, adultis jam viribus inter crebras principum successiones, magnâ mole in limitem consurgentem, aut vi aut dolo perdere cogitabat. Rheno itaque ponte juncto, versus * Mattiacas aquas, (fontes vocat Plinius calidos trans Rhenum) progressus, Severum cum lecta peditum manu jubet prætentare vias. Is primò, hostium numero majore conspecto territus, inde, copiis paulatim aliis subsequentibus, erectus, postquam ad locum, ubi Rex barbarus, ut nullo propinquo metu securus degebat, silenti per tenebras agmine duxit; miles Romanus intempestivo fremitu & clamore se prodens magno Severi dolore, occasionem elabendi Macriano Regi dedit, ipsique Valentiniano pone sequenti, victoriam velut è manibus excussit. Valentinianus igitur neque suâ neque ducum offensione, sed unâ militum intemperantiâ tantâ spe lapsus, agris hostilibus adusque quinquagesimum lapidem, ustis & inflammatis, mœstus Treviros revertit. Atque ibi Fraomarium Bucinobantibus Alemano genere populis, qui è regione Moguntiaci tum sedes habebant, Regem imposuit. Bitheridum etiam & Hortarium ex eadem gente primores Romanis militibus præposuit; è quibus Hortarius à Florentio Moguntiaci duce, post perduellionis reus peractus, feralibus flammis interiit.

ANNUS CHR. 373. *Amm. l. 29.* Valentiniani in Alemanos parum prospera expeditio.

Plin. lib. 31. nat. hist. c. 2. * Mattiaci fontes, vel aquæ, vulgò Weisbaden.

Bucinobantes Alemani è regione Mogũtiaci.

CXLI. Ad hunc annum S. Hieronymus & Cassiodorus Saxonum cædem rejiciunt Deusone factam, in regione Francorum * quem locum trans Rhenum collocant in finibus Sicambrorum & Saxonum eâ famâ celebritatis, ut Posthumi numismata appareant, in quibus aversâ parte Herculis templum cum ipsius Dei effigie sculptum sit, & inscriptum HERCULI DEUSONIENSI.

Saxonum Deusoniensium cædes. * Duisburgũ fortè apud Isalam. *Consule Iacobi Sirmondi Not. ad Epist. XI. lib. 8. Sidonii.*

Anno postero, Valentinianus pictoriam quondam nobilem, & à Regibus populisque liberis semper expetitam artem, quantâ dignatione prosequeretur ostensurus, ingenuis ejus artis Professoribus tantum honorem habuit, ut neque ipsos, neque conjuges liberosve, aut servos eorum capitis censione, tributis obnoxios esse sanxerit; placueritque & publicorum

ANNUS CHR. 374. Pictoriam artem Valentinianus Imp. ornat. *Cod. 13. tit. Tit. 4.*

 muderum

Pergulæ pictorum, ut de Apelle Plinius.

munerum habere vacationem, præterque pergulas & officinas publicis in locis occupare citra pensitationem; neque à judicibus, ad efficiendos sacros vultus, aut publicorum operum expolitionem sine mercede, posse cogi. Dat. XII. Kalend. Jul. Treviris Gratiano Augusto III. & Equitio Coss. Neque admiratio subest, Valentinianum impensiùs id genus artifices coluisse, si principem hunc usque adeo Hadrianum Imperatorem æmulatum memineris, ut illius exemplo figuras omnes imitari, & variè formare vultus, fingere terra seu limo simulacra, pro oblectamento habuerit. Et Trevirim per hoc tempus id genus operum claritatibus insignem fuisse, florentissimus hujus ævi Poëta non tacuit; qui Treviris in Æoli triclinio fucatam extitisse picturam prodidit, quâ Cupidinem cruci affigere cernebantur heroicæ & veterum Poëtarum cantu celebratæ mulieres; quas cùm turpis amor ipsarummet culpa subjugasset; omnia sibi permittentes, in Cupidinem nihilominus transferendo meditatum scelus, ab eo tanquam autore, pœnas sui dedecoris repetebant. Atque hanc ipsam imaginem specie & argumento vel inprimis commendatam, Ausonius erudito celebravit poëmate, cujus illa vel præcipua est, nec quæ custodiatur inutilis sententia:

Sex. Aurel. Victor. in Valent. Valentinianus æmulus Hadriani, pictoriam & plasticen exercet.

Auson. Edyll. VI. ad Gregorium. Pictura Trevirica instar nebulæ in pariete pictæ, Cupidinis crucifixi.

Se quisque absolvere gestit.
Transferat ut proprias aliena in crimina culpas.

CXLII. *Frankf. hist. Trevir. Sulp. dialog. 2. Fortunati poëm.* S. Martinus Treverim ad Valentinianum Imp. venit.

Non diutiùs hinc differri posse videtur S. Martini Turonense sacerdotium; quod, teste Gregorio, annis XXVI. administravit. Hic igitur annus, vel insequens præter propter, statuatur, quo in exordio sui Episcopatus celeberrimum, & signorum editione nobilissimum Antistitem Martinum Treviri apud se primum seu sidus cœleste quoddam exoriri viderunt. Quid verò tum ibi à Beato viro in Cæsaris comitatu gestum sit, Posthumiano flagitante, his omnino verbis apud Sulpitium Gallus exequitur. *Eodem ferè tempore, cùm primùm Episcopus datus est, fuit ei necessitas adire comitatum. Valentinianus tum major rerum potiebatur. Is cùm Martinum ea petere cognovisset, quæ præstare nolebat, jussit eum Palatii foribus arceri. Etenim ad animum illius immitem atque superbum, Vxor accesserat Arriana, quæ totum illum à sancto viro, ne ei debitam reverentiam præstaret, averterat. Itaq. Martinus, ubi semel atque iterum superbum Principem frustra adire tentavit, recurrit ad nota præsidia: cilicio obvolvitur, cinere conspergitur, cibo potuq. abstinet, orationem noctibus diebusq. perpetuat. Septimo verò die assistit ei Angelus, jubetq. eum ad Palatium ire securum; regias fores, quantumlibet clausas, sponte reserandas, Imperatoris superbum spiritum molliendum. Igitur istiusmodi præsentis Angeli confirmatus colloquio & fretus auxilio, Palatium petit. Patent limina, nullus obsistit, postremo usque ad Regem, nemine prohibente, pervenit. Qui cùm venientem eminus videret, infrendens cur fuisset admissus, nequaquam assurgere est dignatus astanti, donec regiam sellam ignis operiret, ipsumq. Regem eâ corporis parte, quâ sedebat, afflaret incendium. Ita solio suo superbus excutitur, & Martino invitus assurgit: multamq. complexus quem spernere ante decreverat, virtutem se sensisse divinam, emendatior jam fatebatur. Nec expectatis Martini precibus, priùs omnia præstitit, quàm rogaretur. Colloquio illum atque convivio frequenter adscivit; postremo, abeunti multa munera obtulit: quæ vir beatus, ut semper paupertatis custos, cuncta rejecit.*

Justina Aug. Arriana S. Martino infensa.

Valentinianus malo coactus defert S. Martino.

CXLIII. *Amm. lib. 30. Sex. Au. Vict. Socr. l. 4. c. 26.* Valentinianus cum Alemannis fœdus init.

Eodem tractu temporum cùm Probi literis comperisset Valentinianus Illyricum armis à Quado ac Sarmata lacessi, omnia quietę potiora duxit, obviam mox ire conatibus hostium festinans. Regem itaque Alemanorum, quo cunctus à tergo motus resideat, paciscendi causâ Moguntiacum ad colloquium invitat, isque dictâ die affuit, firmo militum præsidio stipatus. Pax utriusque consensu data; ritu sollenni fœdus ictum: indeque Treviros in hiberna reditum est.

ANNUS Chr. 375. In Sarmatas movet.

Sequenti verò anno copias in Illyricum adversus Sarmatas educit relicto apud Treviros Gratiano. In Pannonia constitutus cum legationi Quadorum audiendæ dat operam Brigitione, repentinâ tactus apoplexiâ, arefactis subitò venis exspiravit: egregius aliàs Imperator, & moribus Aureliano similis, si iræ atque severitatis impetus habere cum modo didicisset: Valentinianus filius quadrimulus militari favore per Italiam, Illyricum & Africam ejus locum tenuit; etsi Gratianus principio ægriùs id tulisse visus. Valentiniani corpus, quod publicis quidem traditur literarum monumentis, Constantinopolim sepulturæ causâ deportatum; at, sive tamen Gallicanarum cohortium in defunctum pietate, sive Gratiani filii tum agentis apud Treviros factum est imperio, seu denique casus postea quicunque tulit, ipsius in Belgicam perhibentur reliquiæ translatæ. Et Antonnacensis Germaniæ secundæ pervetusti Romanorum præsidii, jam verò peramœni citra Rhenum infra Confluentes oppidi Basilicâ conditas, multis rebus posteri fidem merecantur. Nam vetustâ plumbeæ laminæ inscriptione didici, à Theodorico Trevirorum Archiepiscopo ibi repositas; inde verò à Wigando Lacensi Abbate eum in locum, quo etiam nunc visuntur, translatas; ac denique cùm hâc ætate clarissimus oppidi Senatus experiundæ fidei arcam reserasset, dedit iterum adstruendæ, ut nobis inspectantibus omnia fideliter oculis subjicerentur. Ergo Joannis Lutzeradii pii & perdocti Curionis operâ venerabundi, inventis, extractis cum memoria plumbo inscripta translationis, & ritè compositis ossibus, hanc insuper epigrapham adjicere visum fuit: VALENTINIANI CÆS. AUG. MONUMENTUM FIDEI FIRMANDÆ STABILIENDÆQUE SENATUM EUNDEM RETEXISSE ANNO CIↃIↃXCI. DIE S. URBANI. Quia verò tam disertè Marcellinus narrat consulatu Antonii & Syagrii Divi Valentiniani magni cadaver à Theodosio principe ab Italiâ reportatum, & apud comitatum, puta novæ Romæ, regio in sepulchro reconditum, vereri cogor, ut Antonnacensibus de Valentiniani junioris & filii potiùs, quàm parentis ossibus vel reliquiis apud se depositis liceat gloriari; quem in Gallia occubuisse, & cujus exuvias S. Ambrosium inde magno studio Theodosii jussu, porphyretico labro Mediolani post diutinam

Moritur. *Am. l. 29. 30. Zos. lib. 4. Chron. B. Hier.*

Ossa Valentin. Imp. Andernaci asservari, creditum: vel potiùs Constantinopoli, *ut Marcellin. Comes.*

Herm. C. nuenar. Balthaldus Petckheimer.

Valentiniani Imp. depositio sub Theodorico Trev. Archiepiscopo.

Elevatio 1591.

Valentiniani junioris ossa videri potiùs Andernaci cōdita.

moram

moram clausisse, cùm æstatem ferè & hiemem inhumatæ jacuissent, ipse literis memoriæque mandavit. Et regalium exuviarum partem huc ad Rhenum translatam, caussæ, quas supra collocavi, haud leves ad credendum invitent.

Epist. 34. ad Theodosium.

CXLIIII. ANNUS CHR. 376. Hunnorum & Alemannorum motus. *Amm. l. 31.*

Insequenti tempore cladium magnarum initium datum, novisque motibus orbis terrarum concussus, nam Gothi atque Alani ab Hunnis exagitati, atque sedibus suis ejecti, missis Antiochiam ad Valentem legatis, transeundi in Thraciam ac finitimas provincias, copiam fieri sibi postulârant. Quare, quod irrito toties conatu vi tentaverant, petentibus, spe emolumenti, tandem concessum. Porrò Gothi ducum postea Romanorum Maximi & Lupicini avaritiâ exasperati, & rebellare inopiâ annonæ coacti, totam Thraciam & Illyricum, occisis ducibus Romanis, impunè pervasêre, legionibus per præsidia dispersis partim interfectis, partim loco pulsis; & omnia ferro flammaque terribili strage depopulatis.

Thraciæ & Illyrici clades.

CXLV. Gratiani in literas amor.

Dum hæc in Thracia geruntur, Gratianus in Gallia quietis à bello rebus, studia literarum coluit; atque in liberalibus ornandis disciplinis, egregiam publicè privatimque munificentiam collocavit. Etenim Ausonium præceptorem suum, virum in Aquitania cùm honesto domi loco natum, tum eruditione multijugâ clarissimum, à quæstura, ad Prætorium Galliarum regendum extulit; cùm jam ante præfecturam Italiæ, cui Illyrici & Africæ diœceses adjunctæ, post etiam urbis æternæ, quanquam non diu tenuisset; unde ipsemet de se, in Mosellæ laudibus:

D.M. Ausonius Pr. Pr. Galliarum.

Quiq; caput rerum Romam populumq; patresq;,
Tantum non primo rexit sub nomine: quamvis
Par fuerit primis.

Ausonii varii magistratus. *Philip. Bertcrius Pithan. l. 1. c. 3. I. Savaro & Iac. Sirmon. ad ep. XI. l. 1. Sidonii. I. Scal. Auson. lect. l. 2. c. 27.*

Impeditior hic poëtæ locus, quàm ut à vulgo eruditorum quoque superetur. Dixerat fore aliquando tempus, cùm Belgarum & Aquitanorum procerum illustria facta ad diuturnæ memoriæ fructum adduceret; tuncque se memoraturum, qui pace florentes, qui legum & oratoriæ scientiâ præstantes, qui jure dicundo & æquitatis tuendæ studio, municipalium longè primi, in Gallia & apud Mosellam claruissent. At interim, noto poëtis schemate, hos quidem omittens, se prorsus non deserit; taciteque magistratus ab se gestos hâc præteritione insinuat, puta Decurionatum, Consulatum, Præfecturam utramque duplicis Prætorii, Italiæ, Galliarum, & urbis Romæ.

Quiq; suas rexêre urbes, purumq; tribunal,
Sanguine & innocuas illustravêre secures.
Aut Italûm populos, Aquilonigenasq; Britannos,*
Præfecturarum titulo tenuêre secundo.*

* Boreæ filii ad Aquilone siti.
* I. Scal. Præfectura secunda Præt. Galliarum.

Porrò, ut discrimen inter Prætorianam & urbanam Præfecturam agnosceres, Prætorianos, ait, secundo loco titulóve censeri; at, cui Roma caput rerum, patres & populus illius urbis commendati, tantùm non primo, quin & primo loco regere, id est ipsis Augustis honore & fastigio exæquari. Et ex Symmacho veterumque probatissimis, manifestum est, urbis Romanæ Præfectum, & Augusti Senatus Præsidem, dignitate concessisse nemini, imò fuisse ante omnes: etsi titulos secundos ad Præfecturam secundariam, & vicarios quoque referri, haud ignorem. Atque hi gradus honorum spectati in Ausonio: qui Prætorii Galliarum Præfecturam hoc anno plenam adeptus, eam justè ac honorificè rexit; atque ex illa dignitate tandem ad supremos fascium honores ascendit. De utraque verò Præfectura in Epicedio patris sui locutus est:

Præf. Præt. & urbis Romæ discrimen.

I. Sirmond. & Savaro.

Maximus ad summū culmē pervenit honorū
Præfectus Gallis, & Libyæ, & Latio.

CXLVI.

Scienter itaque & peritè, qui rescripta ad Antonium, ut in Theodosiano codice perperam quidem vulgò leguntur, Præfectum Prætorio Galliarum missa, in acceptorum Ausonio paginam inferunt. Extat in iis nobilissimum, quod Gratianus Trevirorum Augustæ vel in primis gratificatus, hoc ipso anno ad Ausonium dedit: *Per omnem diœcesin commissam Magnificentiæ tuæ, frequentissimis in civitatibus, quæ pollent & eminent claritudine præceptorum, optimi quidem erudiendæ præsideant juventuti; Rhetores loquimur & Grammaticos, Atticæ Romanæq; doctrinæ; quorum oratoribus viginti quatuor annonarum è fisco emolumenta donentur, Grammaticis Latinis vel Græcis duodecim annonarum deductior paulo numerus ex more præstetur; ut singulis urbibus, quæ Metropoleis nuncupantur, nobilium Professorum electio celebretur. Nec verò judicemus, liberum ut sit cuiq; civitati suos Doctores & magistros placido sibi juvari compendio. Trevirorum vel clarissima civitati uberius aliquid putavimus deferēdum; Rhetori ut triginta; item viginti Grammatico Latino; Græco etiam, si qui dignus reperiri potuerit, duodecim præbeantur annonæ. Datum X. Kal. Iunii Valente V. & Valentiniano AA. Coss.*

Treviris eloquentiæ studio & Professorum nobilitate clara. *C. Theod. l. 13. T. 3.*

Treviris clarissima civitas.

CXLVII. Annonæ Professorum. *C. de Annonis et tributis ... C. l. 7. Item C. de Professor. & Medicis.* Annona pro annuo salario.

De annonis verò, quas hic pro mercedibus & salariis accipi clarum est, Jurisconsulti non tam perspicuè differunt, quàm leges Imperatorum eas sanciunt, celebrantque civiles annonas, certo panis seu frumenti modo descriptas, ab usque Constantini ætate repetunt; easque lex declarat non tam dignitatibus, quàm meritis præstantium virorum deberi. Porrò annonam, est qui interpretatur excellens I C. impensam cibariorum unius hominis; quam Justinianus postea quinque tantum solidis æstimatam appenderit. Ita Rhetori hic cùm XXX. annonæ præberi jussæ, eum triginta hominum cibaria vel alimenta, mercedis annuæ loco percepisse volunt. Has autem annonas sive salaria nunc de publico Civitatum, interdum liberalitate Principum, erogata constat. Nec malè conjiciunt, qui ex Archiatris & Medicis, hos liberalium doctrinarum Magistros plurimum fuisse delectos, ex Constantini lege docent, quâ ex Archiatris, Grammaticos & Professores eorumque conjuges & liberos jubet esse immunes; quibus & Cassiodorus suffragatur, Trevericis autem Professoribus pro civitatis amplitudine, majora constituta præmia dictum est, quia Rhetoribus vulgo non amplius quam XXIV. annonæ, & Grammaticis XII. dari solent.

Guido Pancirol. Thes. var. lect. ad L. Archiatri C. cit. c. 249. & ad L. de Of. Pr. Pr. Afr. c. 188. XXX. Annonæ.

Rhetores & Grāmatici ex Medicis.

Lib. 6. var. formul. 6. Com. Archiat. Trevir Professorum amplior annona *Guid. Panc. cit.*

Constat igitur artem eloquentiæ per hæc tempora summo studio Treviris, & in omni Gallia traditam & excultam: Doctoribus amplissima salaria ex fisco annuatim constituta. Testis iterum toties jam dictus Ausonius, qui

dum Mosellam affatur, hisce versibus accolas ejus celebrat:

Romula te Latia decorat facundia lingua.

Et alibi:

Quos prætextati celebris facundia ludi*
Contulit ad veteris præconia Quintiliani.

CXLVII. Ludū pueri in prætexta frequentabant.

Unde etiam B. Hieronymus ad Rusticum scribens, *Mater* (inquit) *post studia Galliarum, quæ florentissima sunt, misit te Romam; ut ubertatem nitoremq. Gallici sermonis, gravitas Romana condiret.* Atque idem Vigilantio Gallo opprobat heterodoxo. **Solam Galliam monstra non habuisse, sed viris semper fortissimis & eloquentissimis abundasse.* Erat itaque totius hoc ævo Galliæ facies eadem penè quæ & Italiæ, quà liberalibus artibus ac studiis, quà claritudine familiarum ac magistratuum nobilium copiâ: cùm ubique civitates illustribus habitatæ prosapiis, Consules, Proconsules, Præfectos, Comites, Vicarios, aliosque id genus honorum præclaros educerent; paterentque Treviris, Vesontione, Augustoduni, Narbonæ, Tolosæ, Burdegalæ, Arvernæ, Lugduni scholæ elegantissimorum ingeniorum laudibus florentissimæ; è quibus modò Romam, modò Constantinopolim ad cathedras totius etiam orbis eminentes evocati Professores, & suffecti tribunalibus æqui bonique vindices.

CXLVIII. Frontones oratoria clari. *Sidon. lib. 4. epist. 21. l. 5. epist. 10. l. 8. ep. 3.*

Clara in arte Rhetorica apud Arvernos fuit Frontonum familia; in qua Sidonius ad Aprum & Leonem scribens, ciet avos & atavos eloquentiâ, & declamationibus celebres: quosque perorandi suum gentilitium flumen per succiduas ætates, ait, etiam in nepotes transfudisse. M. Cornelium certè Frontonem, oratorem excellentem, cùm Magister extitisset Augustorum Lucii & Antonini, consularia ornamenta adeptum consularis poëta, qui idem à Gratiano beneficium tulit in gratiarum actione commeminit.

Quin & hæc ætas oratoriæ eximia ornamenta longè plura tulit, in quibus idem Sidonius meritò abundantiam Delphidii, Agræcii disciplinam, fortitudinem Alcimi, Adelphii teneritudinem, rigorem Magni, dulcedinem Victorii, laudavit. Celebrat Minervium Ausonius, qui per hosce annos Romæ & in Galliis fœcundo magisterio nobilitatus:

Mille foro dedit juvenes, bis mille senatus,
Adjecit numero purpureaq. togæ.

CXLVIIII. Orator Trevericus Panegyrista.

Floruit autem publicus artis Oratoriæ professor Treviris, ævo superiore quidem is, qui inter panegyricos censús, magno Constantino Natalem, creditur, urbis per ipsum restitutæ gratulatus: Ursulus verò, cui Ausonius venustum & elegans Epigramma inscripsit, hoc tempore Grammaticam docebat. Ei, ut in Quæstura sua Ausonius, cùm ab Imperatore præteritus esset, ad Kalend. Januarii strenas de more daret, delatis ex officio ad Gratianum precibus, impetravit. Nam ad auspices anni Kalendas impertiendis strenis vacasse Impp. cum aliis disertè tradit Symmachus. Huic collegam fuisse Harmonium idem prodidit. Versus autem Ausonii subjungere placuit:

Ursulus & Harmonius Grāmatici.

Strenæ.

Ursule collega nobilis Harmonio,
Harmonio, quē Claranus, quē Scaurus & Asper,
Quem sibi conferret Varro priórque Crates.
Quique sacri lacerum collegit corpus Homeri,
Quique notas spuriis versibus apposuit.
Cecropiæ commune decus, Latiaque Camœnæ;
Solus qui Chium miscet & Ammineum.

CL. ANNUS CHR. 377.

Gratianus Valenti in Orientem mittit suppetias. *Amm. lib. 31.*

Valens posthæc cognitis detrimentis, quæ à Gothis in Thracia accepta; exercitu mox in unum coacto, sarcire damnum, atque in bonum vertere parat, Gratianum simul adhortans, uti ne ex Gallia militem subsidio mittere cunctetur; qui dicto audiens Treviris Fridericum ducem Alemanum, & Richomerem Domesticorum Comitem, cum lectissimis ire ad Valentem jubet. Fridericus morbo detentus adesse tempori non potuit. Richimer autem socio agmini apud oppidum Salices in Mœsia junctus est. Dum autem in Thraciam spectat Gratianus, Lentiensis Alemaniæ populus tractui Rhœtiarum confinis, anno postero vicina Galliæ irrupit, magnumque limiti terrorem circumdedit; legionibus, quas in Pannoniam destinaverat, ab itinere revocatis apud Argentarium, acerrimum cum hoste prælium iniit; quo minimâ exercitûs Romani clade, cœlesti nitentis subsidio, victi atque fugati Germani, plus quàm triginta millibus amissis ex suis, illustrem Gratiano victoriam concessêre. Argentarius autem, qui & Argentuaria, etsi nec spatiis locorum, aut usu quorundam scriptorum ab Argentorato separetur, discrepare tamen itinerariorum intervalla docent. Hoc bello prosperè confecto, ac pace datis obsidibus redditâ, Gratianus ex Gallia digressus in Thraciam, ad communem ab Oriente pestem arcendam, Treviros ad tempus reliquit.

Alemanni Lentienses.

ANNUS CHR. 378.

Oros. l. 7. c. 33. Chron. S. Hier. Sev. An. Vict. Amm. cit.

Gratiani victoria apud Argentarium.

Gratiani in Orientem profectio.

CLI. Valentis inconsulta cū Gothis pugna.

Valens interea velut æmuli Nepotis impatiens, quo ne in victoriæ partem is societatemque consurgeret, cùm Gallicanum exercitum ne expectandum sibi quidem censuisset, suos in prælium oppidò procaci & præcipiti consilio duxerat; sed à Gothis atrocissimâ pugnâ exceptus, mox temeritatis & culpæ suæ damna sensit: quando à barbaro Geta tam pertinaciter dimicatum est, ut majorem negent post Cannensem ab hoste cladem acceptam. Cæsi atque profligati præstantissimi quique duces; hausta cum internecione legionum robora. Ipse Valens letali sagittæ ictu saucius, ex acie cessit; ac paulò post miserando non magis conditionis humanæ, quàm metuendo hæresis Arrianorum propagatæ exemplo, sub cespite vilissimi tugurii, crematus incendio.

Socrat. l. 4. c. 31. Victor. Amm. &c.

CLII. Gratiani reditus in Pānoniam. *Auson. in Grat. actione, &c.*

Gratianus, nuncio de morte patrui, ac clade totius exercitus accepto, in Illyricum, unde venerat, Sirmium reversus est; atque ibi, circumsistente magno periculorum undique à barbaris imminentium metu, varia de Republica defendenda consilia agitavit. Anno verò præsenti jam ad exitum properante, de futuri anni solicitus Consulibus, memorabili in Præceptorem ceu alterum parentem suum observantiâ ac pietate, Ausonium Consulem creavit; illique collegam Olybrium urbis Romæ olim Præfectum, ac Sirmii tum cum Imperatore degentem, junxit. Hic verò, cùm nonnulli ex præsentibus in Olybrium proni, de Gratiano quærerent; quem ex ambobus priorem decerneret, fiebat namque vel hinc etiam major honoris accessio, Gratianus etsi

Ausonius Consul à Gratiano creatus.

rationis

rationis non ambiguus, pudore tamen insito & decenti perfusus, cùm ad subitam interrogationem eam paulisper hæsitasset, denique sic est locutus: *Quid de duobus Consulibus designatis quæritis, quis ordo sit nuncupationis? anne alium, quàm quem præfectura constituit?* Inde ipsemet ad largitionum ministeria conversus, qualisnam ad Ausonium trabea togáve mitti deberet, percunctatus est: de qua gratissimi ac memoris animi testificatione, præclarè postea, sic meminit candidatus: *In Illyrico arma quatiuntur. Tu meâ causâ per Gallias civilium decorum indumenta dispensas. Loricatus, de toga mea tractas. In procinctu & maximè dimicaturus, palmatæ vestis meæ ornamenta disponis; feliciter & bono omine. Namq; iste habitus, ut in pace Consulis est, sic in victoria triumphantis. Parùm est, si qualis ad me trabea mittatur interroges, te coram promi jubes. Nec satis habes, ut largitionum ministri ex more fungantur: eligis ipse de multis; & quum elegeris, munera tua, verborum honore prosequeris. Palmatam, inquis, tibi misi: in qua Divus Constantius parens noster intextus est.*

Præf. Prgt. Gall. Hisp. Britan.

Trabea consularis vel palmata.

Dum hæc ita geruntur à Gratiano Sirmii, Ausonius in Prætorio degebat Treviris: quare his ad eum Imperator missis literis, amplissimum honorem illi detulit. *Cùm de Consulibus in annum creandis solus mecum volutarem, ut me nosti, atque ut facere debui, ut velle te scivi, consilium meum ad Deum retuli, ejus authoritati obsecutus, te Consulem designavi & declaravi, & priorem nuncupavi.* Quæ verba, excipiens Ausonius, *Valete modò*, inquit, *classes populi, & urbanarum tribuum prærogativæ, & centuriæ jure vocatæ. Quæ comitia pleniora unquam fuerunt, quàm, quibus præsidit Deus consilium, Imperator obsequium?* Gratianus verò in hujus muneris dignatione, usque adeò ab omni ostentationis specie abstinuit, ut, ceu nullo reperto gratiarum erga benè meritum præceptorem exitu, *& solvere se diceret quod debuisset; & adhuc debere, quod solvisset.*

Consulatus [illegible] ge, ac pa[illegible], quæ ipsius, & [illegible] [illegible] Gratiani [illegible] fuit. [illegible] ad [illegible] ascendit Gratiani in Deum pietas.

In præceptorem gratitudo.

CLIII.

ANNUS Chr. 379. Ausonius Treviris consulatum fasces init.

Kalendis ergo jam prodeuntibus auspicibus anni, Ausonius Treviris; Sirmii Olybrius, ambo Consulatum iniere; diesque ille mirificâ Trevirorum gratulatione atque lætitiâ apud eos peractus: unde in gratiarum actione sua, Consul: *Celebrant quidem sollennes*, inquit, *istos dies omnes ubique urbes, quæ sub legibus agunt; & Roma de more; & Constantinopolis de imitatione: Antiochia pro luxu; & Carthago discincta; & domus fluminis Alexandria; sed Treviri, Principis beneficio: & mox: tum ipso authore beneficii, loca inter se distant; vota consentiunt. Unus in ore omnium Gratianus, potestate Imperator, virtute victor, Augustus sanctitate, Pontifex religione, indulgentia pater, ætate filius, pietate utrumq; superat.*

CLIV.

Inter hæc Gratianus adhuc Sirmii degens, & assultantibus tot millibus barbarorum, quibus Danubii ora prætexebatur, districtus maximo bello, neque Galliarum ex animo curam abjecit, neque Orienti consulere, in longum distulit. quare, ubi ab Alemannis rursus tentari citima Galliæ, atque irruptionis instare metum didicit, *avidior fidei societatis, quàm nimiæ potestatis*, ut B. Augustinus loquitur, Theodosium Hispanicæ gentis patricium, & præstantissimum bello ducem, ante omnes habuit idoneum, quem consortem imperii, in partem laboris atque periculi adsciscerct, unaque barbarorum opponeret furori, Orientem crudeliter tunc lacerantium. Ergò decimo septimo Kalendas. Februarias, Theodosio imperii potestate ac insignibus affecto, ordinatis in præsentia quidem, ut licuit Orientis rebus, quàm maximis itineribus ad Treviros suos in Galliam contendit. qua de profectione sic locutus Ausonius: *Quia interesse primordiis dignitatis, per locorum intervalla non poterat: ad sollennitatem condendi honoris occurrit, beneficiis ne deesset officium. Quæ enim memoria, memoria, inquam, transcursum tantæ celeritatis, vel in audacibus Græcorum fabulis commenta est: Pegasus volucer actus à Lycia, non ultra Ciliciam permeavit; Cyllarus atq; Arion inter Argos Nemeamq; senuerunt. Ipsi Castrorum equi, quod longissimum interest, non nisi mutato vectore transcurrunt. Tu Gratiane, tot Romani imperii limites, tot flumina & lacus, tot veterum intersepta regnorum, ab usq; Thracia, per totum, quam longus est, locum Illyrici, Venetiam, Liguriamq;, & Galliam veterem, insuperabilia Rhætiæ, Rheni accolas, Sequanorum invia, porrecta Germania, celeriore transcursu, quàm est properatio nostri sermonis, evolvis, nulla requie otii, ne somni quidem aut cibi munere liberali, ut Gallias tuas inopinatus illustres: ut consulem tuum, quamvis desideratus, anticipes: ut illam ipsam, quæ auras præcedere solet, famam, facias tardiorem. Hoc senectuti meæ, hoc honori à te datum. Supremus ille imperii, & consiliorum tuorum Deus conscius, & arbiter, & auctor, indulsit: ut sellam curulem, cujus sedem frequenter ornabis: ut prætextam meam purpura tua huc fucatam: ut trabeam non magis auro suo, quàm munere tuo splendidam, quæ ab Illyrico sermonis dignitas honestavit, apud Gallias illustriora præstares: Quæstorem ut tuum, Præfectum ut tuo Prætorio, Consulem tuum: &, quod adhuc cunctis meis nominibus anteponis, præceptorem tuum, quem piâ voce declaraveras, justâ ratione prætuleras, liberali largitate ditaveras, Augustæ dignationis officiis consecrares.*

B. Aug. l. 5. de Civ. c. 25.

Theodosius à Gratiano consors adscitus imperii. Zosim. lib. 4. Ammian. 31. Soz. l. 7. c. 2.

Gratiani reditus in Treviros.

CLV.

Gratianus igitur, ut sospes & incolumis insolito quodam omnium ordinum desiderio ac voluptate Augustam Trevirorum ingressus est, senatus populusque, ceu magnis & præsentibus è periculis recepto principe læti, mox in ipsius, ac Reipublicæ salutem omnium vota contulêre: cunctaque illi sollennia pro ratione officii, persolverunt. Atque in hac publica votorum nuncupatione, Consul Ausonius testificandæ suæ erga principem voluntatis, orationem eam dixit, ex qua pleraque hæc petita non mediocri defectæ narrationis subsidio. Ac de votis quidem. *Quis enim*, inquit, *locus est aut dies, qui non me hujus, aut similis gratulationis admoneat? admoneat autem? O inertiam significationis ignavæ: quis, inquam, locus est, qui non beneficiis tuis agitet, inflammet? Nullus, inquam, Imperator Auguste, quem admirandam speciem tuæ venerationis incutiat: non palatium, quod tu cùm terribile acceperis, amabile præstitisti. non forum, & Basilica olim negotiis plena, nunc votis, votisq; pro tua salute susceptis. Nam de suo, qui*

Vota in Treviris pro Gratiani Imp. salute suscepta.

Palatium.

Basilica, ante in Christianam Ecclesiam conversa.

quo

Curia.

non te imperante securitas? non Curia honorificis modò læta decretis, olim solicitis mæsta querimoniis. non publicum, in quo occursus gaudentium plurimorum neminem patitur solum gratulari. non domus commune secretum. Lectus ipse ad quietem datus, beneficiorum tuorum reputatione tranquillior. Somnus abolitor omnium, imagines tuas affert. Ipsa autem sedes honoris, sella curulis, gloriosa pompis imperialis officii, in cujus me fastigio ex qua mediocritate posuisti? Quotiens à me cogitatur, vincor magnitudine, & redigor ad silentium, non ingratus beneficiis, sed oppressus.

CLVI.

Marcellinus Comes V.C. [illegible] Chron. ex ursus. Indictio VII *Ails super explic. les Scal. lib. 5. de emen. temp. de [illegible] Olymp.*

Extat perelegans ejusdem Consulis epigramma, quo ab urbis Romæ origine conditæ sæcula revolvens, haud mediocri Chronologiæ adjumento, seriem temporum ad suum usque consulatum, annis repetitis, aperit:

Urbis ab æternæ deductam rege Quirino
Annorum seriem quum Procule accipies:
Mille annos, centumq; & bis fluxisse novenos
Consulis Ausonii nomen adusque leges.
Fors erit, ut lustrum cùm se cumulaverit istis
Confectam Proculus signet Olympiadem.

Ausonii consulatus illi in an. 3. Olymp. 289. currentis quam vindicat an. Christi 380.

Ausonius Christi cultor fuit.

Porrò Ausonius, quia sæculi hujus licentiâ, & ethnicorum magnâ consuetudine provectus altiùs, etsi poëmate nec ubique casto, nec apertè gentili suspicionem dederit majoribus, ceu Christianus primâ fronte non esset, multa tamen argumenta reliquit idem religionis Christianæ ab se impensiùs quoque cultæ; educatusque in gremio materterarum virginum Æmiliæ, & Hilariæ & Cataphroniæ. Eam vivendi disciplinam credo tunc imbibit, quam in ephemeride perstrinxit. Sanè quàm reverenter ad illum post ita S. Paulinus Nolanus scripsit:

Poëma, quo Christum deprecatur, *Ephemeride. Parent. epigram. 6 & 26.* Gratiarum actio. *Paulinus Epist. 39. & apud Auson. Epist. 2.*

Tibi disciplinas, dignitatem, literas:
Linguæ, & togæ, & famæ decus
Provectus, auctus, institutus debeo,
Patrone, Præceptor, Pater.

Gratianus autem hâc publicâ Treviris gratulatione perfunctus, inde barbarorum compescendis partim motibus, partim imperii negotiis, id quod variæ sanctiones, hoc anno Treviris editæ, persuadent, componendis, sese tradidit.

CLVII. *Lib. 8. Etymolog. c. 1.* Gnosticorum hæresis. *Sulp. l. 2. & B. Hieron. in catal. Eccles. script. c. 121. B. Hieron. in Isa. c. 44.*

Eodemque cursu temporis Gnosticorum hæresis, qui, teste Isidoro, propter excellentiam scientiæ se ita appellari voluerunt, Priscilliano Abilæ Episcopo autore, homine nobili, inquieto, ac disserendi promptissimo resuscitata; lateque per Hispanias, magno rei Christianæ detrimento propagari cœpta. Virus ab Ægyptiis primùm Galliæ Lugdunensi, dein Hispaniæ infusum creditur, ex Basilidis & Marcionis olim peste conflatum. Horum disciplinâ, superstitionem infandis occultare sacris, feminas etiam illustres, abruptum genus, fluxaque fide circumducere, harum consuetudine ad incognitas niti libidines, insuper nocturnis in cœtibus, per licita atque illicita contaminatos, orare nudos. Dogmatis autem pestiferi capita; animas eâdem essentiâ naturaque præditas, quâ rerum omnium opifex, ac princeps effectorum Deus. Eas verò ad agonem quendam sponte per ærumnas hic in terris varias, per septem cœlos & principatus ceu gradatim descendere; atque in malignum principem primò quidem incidere, cujus arte mundus hic fabricatus sit: ab hoc deinde principe, per diversa corpora diffundi ac proseminari. Fatalium nexu stellarum homines inter se colligari credidit; ipsumque corpus humanum pro rata portione signorum duodecim Zodiaci esse constitutum. Adipatis escis, ceu immundis abstinendum. Et; quia carnis opificium non bono veroque Deo, sed malignis angelis tribuebat, viros à volentibus fœminis, fœminas à maritis disjungi, fas duxit. Tantùm verò lues teterrima magistri calliditate invaluit; ut cujusque sexus atque ordinum homines brevi corripiens novitatis illa prurigo, pervaserit: quippe Instantius & Salvianus Episcopi, in Priscilliani societatem, doctrinæque placita pertracti, homini obscœno dedêre manus. Quos Hyginus Cordubensis, atque Idacius cognomento Clarus Episcopi Hispani, dum curatione præposterâ sollicitant, exasperarunt potiùs, quàm lenivêre morbum. Principia mali repetivimus altiùs, quia ad Treviros demum contagii vis transiit.

B. August. de hæres. c. 70. & consult. de error. Priscill. Hieron. advers. Pelag. ad Ctesip. Leo Papa ep. 93

Instantius & Salvianus Episcopi Priscillianistæ.

Hyginus & Idacius Episcopi Hispani oppugnant Priscillianistas. *Isid. de viris illustr.*

CLVIII. ANNUS Chr. 380.

Anno salutis instauratæ trecentesimo octogesimo, Gotho, qui vires erat jam suas expertus, in Pannoniam se ac Macedoniam liberiùs effundente, Gratianus de Theodosii morbo certior factus, ex nostra Gallia Baudonem & Arbogastem, homines genere Francos, sed bellicæ disciplinæ callentissimos, ac mox Vitalianum, cum exercitu misit. Ex quibus Baudo & Arbogastes, Gothos in Macedonia Thessaliaque palantes nacti, prædâ exutos, retrò egerunt in Thraciam. Vitalianus verò cæteros in Achaia ac Pannonia adortus, expulit inde; & pacem supplices à Gratiano petere coëgit.

Sozr. l. 5. c. 6. Zosim. l. 4. Gratiani auxilia contra Gothos in Orientem missa.

CLIX. Navicularii Trevirenses in ordinem equestrem cooptati à Juliano & Côstantino.

Gratianus autem, hoc ineunte anno, Naviculariorum corpus Trevericum, qui ob publicas functiones ac usus varii ministeria, nec non terrarum orbis commercia, à Constantino ac Juliano equestris ordinis affecti dignitate clarebant, testimonio luculento rescriptoque condecoravit, & pristinos iis honores cum accessione, sanxit in hunc modum: *Delatam vobis à Divo Constantino & Iuliano principibus æternis, equestris ordinis dignitatem nos firmamus. Quod cùm ita sit, si quis contra interdicta innumerabilium sanctionum, corporali vos injuriâ pulsare audeat, * dignâ expiatione est luiturus ausum immanis admissi: apparitione quoque suâ ultimo supplicio deputanda. Cujus monitio hanc debet sollicitudinem sustinere, ut judices, pravâ forsitan indignatione succensi ab inlicitis tempestivâ suggestione deducat. Huic illud additur, ne, qui certum ordinem ex nostra definitione retinetis; ulli vos alteri hominum generi hærere vereamini, nec timeatis vos civitatum municipibus innecti. Ex nullo itaque nexu, nulla causa, nulla persona, decurionum vos obsequia contingent: cum præsertim priscis constitutionibus (quarum series orationis paginis antelata est) magis illud invaluisse perhibeatis, ut plerunque & ordinarios curiales Naviculariorum sibi necessitas vindicaret. Quod verò ad negotiationis commodum, advehendasq; merces* spectat; in eo sollers cura competentium judicum providebit, ut obtentu nominis vestri non passim, ac sine consideratione negotiatorum lateat immunitas, nec ipsi*

Cod. Theod. l. 13. tit. 5. & Carol. Sigo. Occid. imp.

* nisi qui; lectio corrup.

* vulg. ac rejicit, forte glossema.

dudum

dudum delati beneficii privilegiis, fructúque fraudemini. Datum VIII. Kal. Februar. Treviris. Gratiano V. & Theodosio I. AA. Coss. Rescriptum sanè nobile, nec spernendæ curiositatis. Equestrem ordinem docet in hac Republica floruisse, non illum militiæ quondam laudatæ, sed qui sociatus plebi ac senatui. Collegia quoque civium ex Naviculariis, ex Negotiatoribus, non sine magistratu ac tutelâ: unde & hic QUINQUENNALES & DEFENSORES observati viris eruditis. Jam demum Curiæ oneribus etiam exempti Navicularii: nam tametsi decurionum ordo in Republica nobilissimus, quia tamen afflictis vectigalibus, & exhausto fisco, Curia suo periculo sæpe subvenire cogebatur inopiæ publicæ, hinc adeo fiebat, ut plerique ad rem suam attentiores, nempè à Curia refugerent, multosque invitos, etiam legibus Imperatores Curiæ addicerent. Prærogativa itaque hæc Naviculariorum propè singularis; quòd & municipibus innexi, Curiæ obnoxii non essent, & Curiales interdum ipsos, obnoxios sibi facerent. Jam verò in evectione & invectione mercium, quanta harum immunitas, & amplitudo fructuum, cùm quæ fluminibus marique importabantur, non nisi hujus ordinis commodo & emolumento distrahi, aut certè in negotiationem exponi possent.

Treviris in Rep. Equites collegia civium, magistratus horum.

Inscrip. vet. *Lamprid. in Alexandro Marc. Velser. l. 5. rer. Aug. Philip. Bertet. Pithan. l. 2. c. 10. Supra hic de Defensorib.*

Curiæ onera subterfugi solita ab honoratis. *Vl. D. l. 10. tit. 31. l. 49. Sec. l. 5. c. 5. Gratiani. C. l. 10. tit. 31. l. 31.*

CLX. ANNUS CHR. 381. Gnosticorũ progressus damnantur à conventu Cæsaraugustano. * legunt alii Hidacii & Itacii, ac pro Hidacio ex Prospero quoque substituunt Ursicium.

Anno sequenti Instantius & Salvianus, Priscilliani partium studiosi, Cæsaraugustani conventus judicio damnati sunt: in cujus autoritate concilii, cùm acquiescendum sibi minimè putarent, tandem * Idacii & Ithacii pravo sanè consilio ad judices sæculares caussæ cognitio pervenit. sed, quæ acriùs, quàm cautiùs ipsi tentaverant, omnia aspera fœdaque evenerunt. Gratiani namque edicto Hispaniâ exacti Gnostici, inde Romam sui purgandi causâ, ad Damasum profecti sunt. At interiorem Aquitaniam prætereuntes, ab imperitis, & hominum quod genus esset ignaris suscepti, latiùs disseminarunt perfidiæ virus. Ut verò Romam perventum, Damaso se purgare quamlibet enixè laborantes, ne in conspectum quidem sapientissimi Pontificis admissi. *Regressi verò Mediolanum, æquè aversantem sibi Ambrosium repererunt. Tum vertère consilia, ut, qui duobus Episcopis, quorum eâ tempestate summa autoritas erat, non illuserant, largiendo, & ambiendo ab Imperatore cupita extorquerent. ita corrupto Macedonio, Magistro tum officiorum, rescriptum eliciunt, quo calcatis, quæ priùs à Gratiano decreta erant, restitui Ecclesiis jubebantur. Hoc freti Instantius & Priscillianus repetivêre Hispanias. Nam Salvianus in urbe obierat: ac tum, sine ullo certamine Ecclesias, quibus præerant, recepère.* ita Severus.

Sulp. l. 2. sacra histor.

CLXI. Circenses equi, immunitate donati Treviris.

Hujus item anni amœnissimo tempore Gratianus Treviris agens, ut Circensium ætas illa spectaculis sanè quàm capiebatur, ita voluptatibus hisce consecratos equos, palmarum numero præsertim generosos, victoriisque nobiles; immunes esse, neque evectionum compendiis, neque ullius servire quæstui voluit: quique intertrimento publico jumentorum usum intervertisse deprehensus esset, hujus auri libræ precium in caput, quod addiceretur in fiscum sanxit. Treviris Kal. Maii Eucherio & Syagrio Coss. Circensium verò spectaculorum exigua quidem & fluxa, attamen studio partium, & luxûs insitâ cupidine penetrabilis, & insana voluptas erat: amabatque provinciale vulgus, nempe ad signum projectæ mappæ vel tubæ canentis carceribus emissas repentè cum equis ipsis effundi cernere quadrigas; insistentesque curribus homines in lora nutante temone pronos; agique simul rapido pulvere, versicolore pannô tunicatos aurigas; ac subinde, dum spatiis septenis gyro septemplici dato volant, tolluntúrque fervidi cum quadrigis equi, inter agitandum aurigantes spectare, coloribus ad factionum studia huc illucque momento translatis, mutare pannum; se mutuum prætergredi, rapere metam, plausibus, interea, votis, clamore diversa precantium jubentiumque mugiente circo, cùm præcipiti certamine suos eminùs advantantes occursantesque noscitat multitudo; atque *iis oblectamentis insaturabiliter assidet, anxia palmarum eventu. Nam * ut Poëta vetus de Agitatore Circensi scripsit:

Circensis ludicri voluptas. *Plin. l. 9. ep. 6. Sidon. Apollin. in Narbone graphice. Cassiodor. Adi & Petr. Fabr. Agonist. l. 2. c. 20. Pamel. ad Tertullian. Iac. Sirmond. ad Sidon.*

Circensium septeni circuitus. *Hieron. in Hilarione, & Cassiodor. in variis.*

Circensium specimen.

Non priùs infecto deposcit præmia cursu
Septima quàm metam triverit ante rota.

Ergo, ut Seneca loquitur, septimo spatio, palmæ appropinquabat: & extant inscriptiones illustres Agitatorum, qui palmas numero DCCXXXIX. in Russeo, in Prasino plusquam DC. vicerunt.

** Propert. l. 2. eleg. 25. Sen. ad Lucilium. Suet. in Domitiano.*

CLXII. Christiani magno studio à Circẽsibus absterriti. *P. Fab. Agonist. 2. l. c. 3. Tertull. lib. de spect. c. 7. 8. 9. & interpres ejus doctiss. Pamel. B. Aug. lib. 6. Confess. c. 7. Salvian. de guberna. l. 6. B. Ambr. in funeb. orat. de obitu Valentiniani.*

Porrò, quo ne Christiani mores tam turpi insanoque spectaculorum genere deformarentur, quòd præsertim hi ludi ab origine superstitionibus consecrati, Deorum quoque gentilium honori sæpenumero dabantur, ut aliàs exposui, magna Patrum cura fuit, hanc è dicatis Christo pectoribus extrahere illecebram; & animos ad mollem inertiam, atque oculorum gaudia projectos, ad honestæ disciplinæ componere severitatem. Et ponit in magnis junioris Valentiniani laudibus B. Ambrosius, quòd, cùm Circensibus olim ludis delectari juvenem fama esset, notam mox eam sic absterserit, ut ne sollennibus quidem Principum natalibus, vel imperialis honoris gratiâ, genus id ludorum frequentârit in posterum.

Trevirensium in circum effusa insania. *Salvian. l. 6. de gub. Dei.*

Populus autem Trevericus, quo nimirum hæc vergit oratio, postquam innoxiam & sinceram urbis disciplinam opes nimiæ atque divitiæ corrupêre, tanto furore ac licentiâ spectaculis his indulsit, ut post cædes, sanguinem, & atrocia suorum funera, ne patriæ quidem, ac soli, quod insistebat, excidio, ab illa perniciosissimæ consuetudinis labe quiverit abstrahi.

CLXIII. ANNUS CHR. 382. Priscillianistæ evanescunt. *Sulp. l. 2.*

Anno postero Priscilliani in Hispania factio Volventio Proconsule corrupto, vires suas præclarè confirmavit; ita ut Idacio prævalido in iis oppugnandis adversario, jam nón animus in posterum, non facultas ad resistendum suppeteret. Quare ipse ab iis, teste Severo, quasi perturbator Ecclesiarum reus postulatus, jussusque per atrocem exsecutionem deduci, trepidus profugit in Gallias; ibi Gregorium Præfectum adiit. Qui compertis quæ gesta erant, rapi ad se turbarum autores jubet, ac de omnibus ad Gratianum refert, ut

Greg. Præf. Præt. Gall.

Gnosticis viam ambigendi præcluderet. Sed id frustra fuit: quia per libidinem & potentiam paucorum, cuncta Treviris venalia erant.

Judiciorum corruptela in Treviris.

CLXIV. BRITONIUS ARCH. V. EPISC. 31. Pritannius & Britãnius apud Sever. Sulp. cui & cognata Veteranio, & Vetranioni Vetronioq; tritæ hac tempestate nomina.

Habuêre per id tempus BRITONIUM Episcopum Treviri, qui in locum successerat defuncti Bonosii. Tametsi verò Pontificatus Bonosii nullâ sit literarum memoriâ consignatus, cum tamen inter Confessores adscriptum, septimodecimo Februarii non silent martyrologia: & in B. Paulini æde, sub ara S. Clementis, ubi ejus in Martyrologio vel Confessione sunt reconditi cineres, talis admodum epigraphe legitur:

S. Bonosii titulus & memoria 17. Febr.

HIC SITVS EST BONÆ MEMORIÆ BONOSIVS TREVIRORVM ARCHIEPISCOPVS, CVIVS AB HOC MVNDO TRANSITVS XIII. KAL. * MAR. CELEBRATVR.

* MARTII

CLXV. Cæsar Baron. annal. tom. 4. ad an. 389. Bonosi plures hac ætate. B. Ambr. ep. 78. & apud eundem epist. 79. Gennad. in Audentio.

Cæterùm, quia per idem hoc tempus Bonosi nomine vixere complures, ut ante nos eruditè ab aliis observatum est; iique rerum affinitate quâdam Trevíricis conjuncti, illustrandæ memoriæ tollendique discriminis, illi à nobis haud omnino prætereundi. Et Bonosus ille Macedoniæ quidam Episcopus, quem ob illibatam Dei genitricis negatam pudicitiam, Capuana Synodus notavit, ante omnes ejiciendus in Orientem; cujus intra metas ipse constitit. Fuit autem Bonosus alter, comes & amicus S. Hieronymi, qui in Treviris studiorum causâ versatus, ob hominum locique notitiam, haud temerè credatur, sedem hujus Ecclesiæ obtinuisse; sed obstant ætas, & hanc dein secuta vitæ diversa ratio. Adolescens ipse in Treviros, Paulino jam vita functo, venerat: inde, seriùs in Orientis ac Palæstinæ sacra loca digressus, vitam istic alibi in scopulo duxit anachoreticam. Sollicitet ergo jam malè credulos is forsan, qui tertius adhuc superest, quem adeo Marcellinus Presbyter Romanus in ep libello, quem unà cum Faustino diacono Imperatori Theodosio, insequenti tempore obtulit, testatur Treviris ob defensionem fidei per hosce dies extinctum in carcere: sed seponi hunc jubet invidiosus error. Quæ res ut liqueat, paulo repetenda est altiùs.

Hier. ep. 41. Bonosus S. Hieronymi amicus.

Gennad. de script. Eccles. c. 16. Adi & Baron. tom. 4. an. 388.

Bonosus quidã Treviris exstinctus.

CLXVI. Luciferianorũ origo. Lucifer Calar. quàm rigidus.

Lucifer Calaritanus Sardiniæ Episcopus, Occidente toto longè fuit clarissimus; legationibus etiam pro Catholica concordia susceptis; quin & eâdem cum Paulino nostro confessione, & exsilio denique pro fide tolerato, gloriosior: hic, cùm rigido vir in[…]o, Episcopis omnibus, qui aliquando Arimini, & alicubi gentium Arriano se contagio maculassent, ad pœnitentiam negat receptum, eorumque commercia detestatur, asseclas mox nactus est suæ sententiæ; ita ut, Ruffino teste, ex ipso, Luciferianorum schisma sumpserit exordium. Porrò Luciferi sectatorum ita mores fuisse, B. Ambrosius meminit, ut licet fidem erga Deum, non tamen adversus Dei Ecclesiam tenerent, cujus patiebantur velut quosdam artus dividi, & membra lacerari. Itaque Luciferum ipsum, Severus narrat, non tantùm eos, qui Arimini fuerant, condemnasse, sed etiam se ab eorum communione separasse, qui eos sub satisfactione & pœnitentiâ recepissent. Plena res erat invidiæ, & Catholicis Episcopis ista nimia religio exitialis, cùm Luciferiani abstinere se Catholicorum Præsulum communione non contenti, deponi omnes juberent & exautorari, damnarentque Hilarium & Eusebium, quòd lapsos pace donassent. Hinc itaque in Galliis & alibi, mox ii surrexêre motus, ut, cùm ad movendos Episcopos temerè loco concurritur; populi, quod S. Hieronymus narrat, eximio suos in pastores amore, penè convolarint ad lapides, & interemptionem eorum, qui ausi deponere fuissent. Obnoxii itaque multorum odiis & vexationi Luciferi sectatores; in quibus, cùm Bonosus hic, suum profitetur nomen, Maximi, ut interpretamur, autoritate, Treviris posthæc imperantis, carcere coërcitus est; in quo vitam postremò finiit: etenim Maximi non vulgare in Catholica propugnanda unitate enituisse studium, ex literis constat ab illo ad Siricium Papam missis. Hic inter alia: *Id nobis animi, inquit, & voluntatis esse profitemur, ut fides Catholica, procul omni dissensione submota, concordantibus universis sacerdotibus, & unanimiter Deo servientibus, illæsa & inviolabilis perseveret. nam noster adventus, ita inquinata aliqua, & sceleratorum labe polluta, deprehendit & reperit, ut nisi nostra provisio atque medicina, quæ ex Dei summi timore veniebat, his citem celeriter attulisset, ingens profectò divulsio atque perditio fuisset exorta, & vix sananda postea vitia concrevissent.* Quibus sanè verbis tam disertè Luciferi schisma tangit, ut in nullam pleræque fidei discordiam intra Gallias præsertim sub Maximi adventum agitatam ea cadant. Bonosus igitur hic, qui Treviris in carcere periit, secta Luciferianus extitit; cui sectæ, cùm Marcellinus Romanus à Damaso Pontifice dissidens, se tandem applicuisset, apud Theodosium ærumnas, & damna suorum querulus exponens, ita Bonosi caussam inumbrat, ceu ob defensionem fidei Treviris is exstinctus esset: *Cùm tamen*, ut verè non minus quam eleganter ait Ambrosius, *fides in schismate non existat. Etenim, cùm propter Ecclesiam Christus passus sit, & Christi corpus Ecclesia sit, non videtur ab his exhiberi Christo fides, à quibus evacuatur ejus passio, corpusq; abstrahitur.*

Sever. Sulp. histor. sac. l. 2.

Lib. 1. c. 30.

Orat. in funere Satyri fratris. & B. Hier. adv. Luciferianos.

Luciferiani non hæretici, sed schismatici. Lib. 2. hist. sac. B. Hieron. contra Lucif.

Ecclesiarũ dissentiones in Galliis à Luciferianis excitatæ.

Luciferiani Catholicis odio sunt. Bonosus Luciferianus Treviris carcere coërcetur, & ibi moritur. Tom. 1. epist. Rom. Pont.

Maximi tyranni zelus in religionẽ Catholicam

In schismate cur non sit fides? Orat. in fun. Satyri frat.

Nulla proinde sat idonea conjectura suppetit, cur quicquam hujus, sanctissimæ memoriæ, Bonosio nostro tribuamus: suffectus hic noster fortissimo Confessori ab Ecclesia ejusdem haud dubiè cum suo Pastore sensus. Ignotus alter ille, ac damnati schismatis assertor; quo vitæ genere ac conditione, incertum. Jam verò ad Hilarii reditum omnes fere, qui supererant Episcopi, de errore professi, cum pœnitentia pacem receperant. Soli que Paternus Petricoriorum, & Saturninus Arelatẽsium ceu rebelles & noxii ignominiâ notati, quin in

CLXVII. S. Bonosius diversus à Bonoso Luciferiano esse docetur.

Galliis

Galliis maximè Luciferiani Episcopi adversati sunt; id quod omnium emendatio & reparatio lapsorum planè persuadent. Denique brevis ævi schisma Luciferi fuit, neque in ulla paullò illustriori Ecclesia, diu toleratum: cùm Ruffinus etiam, Hilarii operâ, omnes testetur ex abditis angulis fugatas hujusmodi tenebras. Atque hæc Bonosii memoriæ vindicandæ deberi videbantur.

Ruff. loc. cit.

CLXVIII. Britonii memoria nomenque vindicatur.

Britonii successoris nomen, vario flexu distortum, & tantùm non abolitum à posteris: cùm enim abscindentes ultima, Brito pro Britonio posuere, alii mox gentis potiùs, quàm viri proprium nomen, arbitrati, Israhêlis eum affecêre vocabulo: atque ita Prumiæ tabulis nonnullis insertum haud sanè recentibus, Israhelem Britonem, invenio. Cujus imperitiæ fontem mihi serò Flodoardus Francici regni aut Ecclesiæ Rhemensis scriptor aperuit, ad annum salutis DCCCCXLVII. ubi, Præside Ruotberto Trevirensi Archiepiscopo, Virodunensi Synodo interfuisse dicitur Episcopus Israhel Britto, quem malè posteri noscitantes, confudêre, nominis & temporis non habito discrimine. At, quia provincialibus historiis assedisse Romano conventui, hic noster traditur Britonius, quem hoc anno Damasus ex Italiæ, atque Galliarum Episcopis, tum ad Nicæni concilii acta confirmanda, tum cæterarum etiam hæreseon dogmata labefactanda confecerat; sanè adjuti egregiè sumus iis literis, quas ex Oriente ad Damasum missas à Constantinopolitano Concilio, unus fermè, Theodoretus conservavit; ubi inter Episcopos qui Romæ, Synodi causâ, degebant, tertio loco post Damasum & Ambrosium ponitur Britonius.

MS. Prumien. & alio locorum dictu Isra. Britto. Frodoardi Chron. & Flodoard. histor. Eccles. Rhem. lib. 4. c. 34.

Soz. l. 6. c. 13. Theodorit, apud quem desero legitur Britonius, l. 5. c. 9. Tripar. hist. l. 9. c. 14. ubi & Briton.

CLXIX.

B. Hier. ep. 27.

Meminit hujus celeberrimi Præsulum conventus S. Hieronymus ad Eustochium, cùm Paulam matrem tunc Romæ, ait, vidisse inter Orientis & Occidentis Episcopos, quos ob quasdam Ecclesiarum dissensiones imperiales literæ contraxerant, admirabiles viros Christique Pontifices Paulinum urbis Antiochenæ Episcopum, & Epiphanium Salaminæ Cypri, quos non nisi exactâ hyeme, & aperto mari, addit etiam rediisse ad suas Ecclesias. Cæterùm & Britonii Trevirorum magnum ibi fuisse nomen Metropolis ingens claritudo, facilè evincit, & inscriptionis ordo. Neque non observo, apud Severum Sulpitium, ejus memoriam, Pritannii nonnihil deflexo nomine, præclarè custoditam. Nam, cùm Ithacius Hispanus Antistes persequendæ Priscillianorum hæresis, & ulciscendi dogmatis autores, æstuans cupidine, Treviris cùm aliis Episcopis nonnullis resisteret; interea hæretici suarum artium non obliti, grandi pecuniâ Macedonio datâ, obtinent, ut imperiali autoritate, causæ cognitio Præfecto Prætorio Galliarum erepta, ad Hispaniarum Vicarium deferatur. missique à Magistro officiales Trevirim, qui Ithacium, vi ad Hispanias retraherent. Hos, cùm callidè primùm ipse frustratus esset, dein appetitus jure, per Britannium Episcopum (Trevirorum utique) cujus in civitate & Ecclesia res gerebatur defensus, petitores elusit. Neque enim cuivis alteri, quàm Metropolitano, tantam adversus civiles magistratus autoritatem ibi tum fuisse, clara satis dijudicatio est. Et dignum sanè Britonio facinus, Episcopum, etsi fortè inconsulti zeli facibus accensum, ab hospitali sede, per apparitores, & forense ministerium avelli, ac hæreticorum objici calumniis, neutiquam pati.

Britonii sessio tanquam Metropol. Galliarum.

Lib. 2. hist. sac.

Hispaniæ alioqui sub Galliarum Prætorio.

Britonii Episcopi dignitas & in civiles magistratus autoritas.

CLXX. ANNUS CHR. 383. MAXIMUS IMP. an. 5. d. 2.

Socr. l. 5. c. 11. Zosim. lib. 4. Sozom. l. 7. Sulp. in vita Martini.

Maximi tyrannis.

Sev. Au. Vict.

Flavius Clemens Maximus domo Hispanus, exercitui Britannico præfectus, hinc coortâ inter milites seditione, Augustus invitus ac renitens, ut ipse de se confiteri solet, à militibus salutatus. Etenim vitæ periculum miles intentabat, si oblatum diadema recusasset; quare mox cum exercitu, partim Gessoriaci portu, haud procul Bononiâ, partim Rheni ostiis invectus, secundis militum voluntatibus, qui in stationibus ac præsidiis degebant, est acceptus. Gratianus hâc tam improvisâ re vehementer ictus, adventanti auxiliares Alanorum copias objicit, quæ Galliis illum ac limite Romano prohibeant. Et conflixisse Maximum cum Gratiani milite, Prosper asseverat. At veterani pro insigni dedecore ac injuriâ interpretati, mercenarios ac barbaros, aut virtute aut fide se duci potiores, plerique omnes ad Maximum defecerunt. Quo facto, Gratianus majorem in modum exterritus, Treviris ubi tum morabatur, profugiens, confestim Parisios sese retulit. Tum verò Maximus, Alano repulso, propiùs accedere nihil veritus; donec desertus tandem à suis Gratianus, ac nusquam penè tecto vel mœnibus receptus, dolo tyranni, Andragatio subornato percussore, apud Lugdunum vitâ exuitur; admirabili sanè, ad humanæ sortis varietatem æstimandam, exemplo. Quod D. Hieronymus expendens: *Gratianus*, inquit, *ab exercitu suo proditus, & ab obviis urbibus non receptus, ludibrio hosti fuit: cruentæ manus vestigia, parietes tui, Lugdune, testantur.*

Gratiani miserabilis interitus & ejus pietas.

B. Hieronym. in ep. 3.

CLXXI.

Nec ullâ re perinde caussam suam princeps omni bonorum genere refertus, & cibi, vini, libidinisque victor corrupit, quàm quòd, cùm domesticæ virtuti externam antefert, haud satis justo pretio militum amorem, quo vires imperii nitebantur, pensasse visus est. Eum B. Ambrosius virtutum memoriâ cœlo dignum prædicans, regnare cum beatis scribit, non jam armis militum, sed meritis suis tectum; nec mœrentem vulnera, sed habitu cinctum purpureo, amictuque gloriæ condecoratum. Magnificè verò B. Augustinus: *Ne Imperator quisquam ideò*, inquit, *Christianus esset, ut felicitatem Constantini mereretur, cùm propter vitam æternam quisque debeat esse Christianus, Gratianum bonus Deus ferro tyrannico permisit interimi: longè quidem mitiùs, quàm magnum Pompeium, colentem videlicet Romanos deos. Nam ille vindicari à Catone non potuit, quem civilis belli quodammodo hæredem reliquerat. Iste autem, quamvis piæ animæ solatia talia non requirant, à Theodosio vindicatus est.* Atque hæc de Gratiano Trevirorum Augustæ pariter alumno atque patrono, ejusdemque luctuoso bonis omnibus excessu, in illustri esse posita decuit. Præerant tum Galliis Ballion & Merobaudes, ambo Gratiani Duces militiâ boni; quibus item è medio sublatis, ad Maximum summa imperii totius Galliæ rediit: qui certè princi-

B. Ambr. de obitu Theod.

B. August. de Civit. l. 5. c. 25.

Maximus regni sui sedem in Treviris constituit: unde & Trevericus Imp. dictus.

Pan. Pacati.

Maximi regnum cujusmodi fuerit.

Galliæ status sub Maximo.

patus tyrannici domicilium sedemque in Treviris constituit. Quæ inde temporum secuta sit conditio, in panegyrico, quem Theodosio post victori recitavit Latinus Pacatus, hisce verbis attigit: *Unde igitur ordiar? nisi à tuis, mea Gallia, malis? quæ ex omnibus terris, quas illa pestis insederat, haud injuriâ tibi vindicas privilegium miseriarum; non auribus modò, quarum sensus est levior, sed coram oculis ferre compulsa, victoriam Maximi, interitum Gratiani. Alta licet vulnera, quod fatendum est, proximus nobis Italus, contiguus ostendat Hispanus; sed in dolore suo habet suum uterque solatium; tyrannidem ille non vidit; hic tyrannicidium vidit. Nos primi impetum belluæ furentis excepimus: nos sævitiam ejus, innocentium sanguine; nos cupiditatem, publicâ paupertate satiavimus: apud nos semet exercuit, crudelitas; jam secura & adhuc inops avaritia: alibi malum publicum aut cæpit, aut destitit: in Gallia sedit. Quis se nobis calamitate contulerit? tyrannum & cum aliis tulimus & soli. Quid ego referam vacuatas municipibus suis civitates, impletas fugitivis nobilibus solitudines? Quid perfunctorum honoribus summis virorum bona publicata? capita diminuta? vitam ære taxatam? Vidimus redactas in numerum, dignitates, & exutos trabeis consulares, & senes fortunarum superstites, & infantium sub ipso sectore ludentium flendam securitatem; cùm interim miseri vetabamur lugere miseros; immò omnes cogebamur mentiri beatos; & cùm domi, atque secreto solis conjugibus ac liberis credidissemus furtivum dolorem, procedebamus in publicum non nostra fortunæ vultu.*

CLXXII. S. Ambros. à Valentiniano in Treviros missus legatus.

VALENTINIANUS JUNIOR IMP. an. 8 m 8 d. 20.

Epist. D. Amb. 27. typ. Paris.

Atque ita quidem erat Gallia, quando Valentinianus ob Gratiani fratris necem, ingenti curarum flammâ æstuans, leniendi doloris, imperiique stabiliendi beatum Ambrosium legatum ad Maximum destinavit, qui partim à tyranno pacem postulatum, partim exstincti cadaver Gratiani ad sepulturam repetitum, in Treviros iret. Ambrosius, etsi magnis à Justina Valentiniani matre lacessitus injuriis, caussam non haberet iniquam muneris plenissimi periculo recusandi; Christiani tamen officii necessitudine, haud gravatè legationem eam suscepit. Itaque Germaniæ magnâ parte peragratâ, ubi propiùs Moguntiacum urbem accessit, opportunè Victor Comes obviam illi fit, ad Valentinianum de pace, missus item ab Maximo legatus. Hoc erectior animo B. Ambrosius, Trevirim ingreditur.

B. Ambros. Trev. venit.

Consistoriũ vet. Imp.

ex Ausonii gratiarum act. & Vineti ac I. Sirmon. ad Sidon. observ. Corippus in Iustino 3.

Postquam tempus inde Maximi conveniendi affisit opportunum, Ambrosius, ipso invitante, Consistorium intravit. Locus is dicatus audientiæ Principis, quo, tanquam pro tribunali jus dicebat, ac suscipiebat audiebatque legatos. Ac Consistorii quidem Augustalis fores velis prætendebantur: proxima huic statio clausa cancellis. Intra velum seu Consistorium ipsum mos admitti Comites & participes consilii; satellites armati inter cancellos & vela, aditus servabant. At Consistorio hujus sæculi more, haud temerè se committebat Episcopus. Quia tamen Valentiniano, ut opibus & autoritate tum quidem inferiori, pacem petiturus, accersitusque à Maximo, non potuit aliter Ambrosius, huc etiam, non voluntate suâ, descendit. Tum Maximus

B. Ambr. & Maximi cõgressus.

confidens, simulâtque adventûs sui rationem exposuisset Episcopus: atqui, inquit, Valentinianum ad me, tanquam filium ad patrem venire, oportuit. Cui Ambrosius, æquum non esse respondit, ut anni tempore durissimo, puer cum matre vidua, sævissimis se crederet Alpium frigoribus. Sine matre verò, dubiis præsertim & incertis rebus, haud rectè se tanto itineri fuisse commissurum. Sed de pace se legatum, non de Valentiniani adventûs reddenda ratione, Trevirim accessisse. Tum Maximus: Exspectemus, inquit, quid Victor responsi ferat. At Victor à Valentiniano reversus ad Maximum, de pace quidem impetrasse se retulit, verùm de Valentiniani adventu minimè. Ergò Ambrosio vel in primis adnitente, pax in præsentia, sed parùm, ut in tyranno regnique societate, fida convênit.

B. Amb. pacẽ impetrat à Maximo Treviris.

CLXXIII. Hunorum irruptio à Bautone arcetur.

Inter hæc Hunni gens ipsâ feritate & nominis terrore formidabilis, Danubio superato, Galliis imminebat; Alemanniamque persultans impunè, notis eam cladibus proterebat. Et jam vicinia mali finitimas urgebat provincias, cùm Bauto genere transrhenanus, & Dux Valentiniano asperis in rebus fidissimus, barbarum hoc genus in Juthungos impulit, qui Maximo agente vel dissimulante, in medio Romani imperii sinu, fœdè tum depopulabantur Rhætias. Cæterùm, utrosque & Hunnos & Alanos, cùm infestos appareret imminere Galliis, reflecti per Alemanniæ terras Valentiniano placuit.

Juthungi.

B. Ambr. ep. 17.

CLXXIV.

SS. Virginum Ursulæ & sociarum histor.

Admonet me Hunnicæ expeditionis hic primus in Galliam motus, ut ne conjecturas quasdam historicas sileam, quas docti viri, de SS. Virginum Coloniensium martyrio Ursulâ Ductrice facto, in hæc tempora atque adeò in Gratiani & Maximi ætatem derivant. Nam, cùm in obscura memoria, & tenebris longi ævi, difficilis retrò pateat via, ad hujus historiæ fidem eruendam, vestigiis omnibus rem in Ecclesia illustrem, multisque religionibus contestatam, sibi putarunt diligentiùs investigandam. Ac bifariam quidem hujus æquoris oram eos incerto licet cursu legere, perspicio; cùm qui vulgatæ narrationi benè consultum volunt, Gaufridi Asaphensis seu novam & saniorem subjiciunt, & erroris arguunt eos, qui S. Ursulæ & Sodalium virginum passionem ad Attilæ tempora, vel Coloniam Agrippinæ revocant. Quippe, hæc Virginum agmina ex Britannia navigiis Armoricam petiisse, & connubii causâ, quod cum Maximi militibus desponsum habebant, cogitasse Galliam, & nuptialia fœdera. At, obortâ tempestate rejectas in Germanicum littus; ibique à Melga Pictorum & Gauno Hunnorum piratis exceptas, obito martyrio geminam & pudicitiæ & Christianæ fortitudinis reportasse palmam. Magno itaque temporum & locorum intervallo à vulgatis se discrepare fatentur, cùm vel in Rheni * æstuariis, vel apud Agrippinæ Prætorium, in extrema Batavia ora, sub Maximo tyranno, hanc cædem Britannicarum Virginum, statuunt patratam. Sed enimverò, monstratâ vanitate * testium, quibus hæc relatio niti videbatur, nova huic conjectura, non ut vera legitimaque narratio, sed ut ejus obses, dum melior inveniatur, successit.

Duplex de SS. Virginibus narratio.

Cæsar. Bar. ad Martyrol. Rom. in 21. Octobr. & Annal. To. 4. ad hunc annum. Marc. Velser. in explic. tabul. Peutin.

SS. Virgines ubi & à quibus interfectæ.

* Tilæ apud Wahalim portus Lindano, qui tamen palæstrâ Coloniæ figit.

Agrippinæ Prætorium in Hollanda. De Virgin. altera narratio.

* *Gaufridi & Sigeberti testimonia rejecta hic pellea; & in Disquisitione Auberti Miræi Parisf. edit. 1609.*

Nempe

CLXXV. Conjectura de virginũ hist. Auberti Miræi.

Nempe cùm apud Treviros Maximus ageret, Mulierum turbam promiscuam, matronas, viduas, puellas innuptas puerosque, ad maritos, parentes, propinquos mari profectos, quo Rheno Mosellaque adversis, Treviros contenderent. At apud Coloniam Agrippinæ in Hunnos incidisse; Gratiano Imperatori adversus Maximum militantes; ab his, pro Christiana religione, pudicitiaque servanda, crudeliter agmen hoc discerptum ac cæsum; claruisse post mirandis rebus, & ævo consecutum apud posteros justam venerationem. Antiquiores verò scriptores, harum virginum & martyrum non meminisse, quia Maximi partès, licet innocentes, sequutæ, cujus ingrata ob tyrannidem, nec bonis laudata memoria fuit.

Virginum Agripp. cur veteres non meminerint.

CLXXVI.

Hæc de Virginum Agrippinensium sancto Sodalitio ad hunc annum, viri literarum gloriâ clari, quorum sive opinionem, sive conjecturam, hoc loco mihi discutiendam non sumo, sed in medium tamen utramque conferre placuit, quia Hunnos non video seu mari, seu terra Rheni fluminis quod inferum est hac ætate, quicquam attigisse, vel Germaniam secundam adiisse, ex probatis ullis veterum monumentis perspicuè doceri. Nam, quod ad Ambrosianam relationem, unde firmamenta petuntur; in ea Hunnum & Alanum Alemanniam, id est, superioris Germaniæ partem illam, quæ Suevis habitatur, protrivisse hactenus dicitur, ut vicinia mali Gallias tantùm urgeret, non ipsa mali vis influeret. Quamobrem Danubium & alpibus vicinora tunc potiùs spectabant Hunni; quò proclivius mox à Valentiniano in Juthungos conducti, Rhætiarum, ut dixi, provincias Maximi impulsu populantes, eodemque temporis articulo, retro per Alemanniam acti trans Istrum. Juthungos quoque Alemannorum partem Rhætiis conterminos Marcellinus docet, quas idcirco propensiùs infestabant.

Hunni hoc tempore an penetrarint in Germaniam secũdam.

Hunni superiori potius Germaniæ per Alemaniam appropinquarunt.

Jutungi.

CLXXVII. ANNUS CHR. 384. S. Amb. iterum in Treviros legatus ad Gratiani reliquias impetrandas. *Ep. 11. & orat. de obitu Valentiniani.*

Ver dein, hiemis asperitatem anno vertente tum emollierat, cùm Ambrosius iterum legatus ad Gratiani corpus poscendum in Treviros revertit: nam Imperatoris cæsi reliquias Lugduno translatas in Treviros, proclive creditu. Postridie itaque quàm urbem introiisset, Pontifex processit ad palatium: eoque conspecto, & quod adesset comperto, Gallicanus Præpositus cubiculi, eunuchus regius, âdit ad Ambrosium, Redditâ atque acceptâ invicèm salute, cùm privatim Imperatorem adeundi copiam Ambrosius deposcit, flagitat Valentiniani rescriptum eunuchus; quod cùm Episcopus habere se respondisset, affirmat Eusebius sine arbitris, atque adeo nisi in consistorio, Imperatorem conveniri non posse. Negat Ambrosius, morem eum esse sacerdotalem; certè quidem habere, quæ in secessu, remotis arbitris in ipsius privatim aures insinuet. Abit eunuchus, ut hæc Maximo renuntiet. At cùm eadem ad Ambrosium refert, quæ jam ante in sermone jecerat; ibi tum facilè apparuit, ex Maximi ore sententiaque, loqui eunuchum. Quamobrem Ambrosius morem se gesturum etiam in eo, quod alienum esset suo muneri, nec quod suscepisset officium legati, deserturum, pronunciat; siquidem in Valentiniani negotio, & procuratione fraternæ pietatis, non ingrata sibi accidere posset humilitas. Ubi ergo consistorium ingresso Ambrosio, Maximus ad audiendum propalam assidens, advenientem cernit, ilicò assurgit, & osculo legatum excipit. Porrò inter Consistorianos assistentem in plano Pontificem monuêre proximi, ut nihil subterfugiens, unà tribunal ascenderet; sed & comiter invitabat Maximus ipse. Ibi verò tum, Apostolica libertate Præsul, Quid impertiri dignaris osculò eum, cujus cõditionem non agnoveris? Enimverò, si probè me perspexeras, non hic loci utique me videre debuisti. Ad hæc Maximus: Commotus es Episcope. Non, inquit Ambrosius, injuriâ, sed verecundiâ, quod alieno consisto loco. Atqui priore, Maximus inquit, legatione, consistorium ingressus es. Non isthæc mihi sumpta offensio, ait ille; quippe vocantis id, non ingredientis peccatum erat. At cur tamen ingressus es? Quia, inquit, tunc ut inferiori, nunc ut æquali pacem postulo. Tum Maximus: Uide, te quæso, cujusnam beneficio, æquali? Dei omnipotentis, inquit Ambrosius, qui Valentiniano, quod dederat imperium, adhuc conservavit. Nec animum ultra in potestate habuit tyrannus; sed dicto citiùs excandescens, prioris legationis rescindere dolorem, minitari barbarorum arma, perfidiam objectare Præsuli, & Valentiniani duces insectari probris. Inde verò, flexo nonnihil ad mansuetudinem animo, cum Gratiani cadaver postulare pergit, denique redditurum se negavit. Quare rursus ad eum Ambrosius: *Quid illi reliquias germani abnegas, qui tibi adversum se auxilia non negavit? sed vereris, ne exuviarum reditu renovetur militibus dolor? hoc enim allegas: quem viventem deseruerunt, eum defendent peremptum? Quid eum mortuum times, quem occidisti, cùm posses reservare? Hostem, inquis, meum peremi. Non ille tuus hostis, sed tu illius. Ille jam non sentit defensionem. Tuam causam considera. Si quis adversum te hodie imperium in his partibus usurpandum putet, quæro te, utrum te hostem illius dicas, an illum tibi? nisi fallor usurpator bellum infert, Imperator jus suum tuetur. Ergo, quem non debueris occidere, ejus reliquias negas? Habeat Valentinianus Imperator vel fratris exuvias, pacis tuæ obsides. Et quomodo allegabas, quod eum non mandaveris occidi, quem prohibes sepeliri? Poterit igitur credi, quod ei non invideris vitam, cur etiam sepulturam invides?* Hæc ubi prolocutus Ambrosius, ita tunc quidem dimissus est, ut tractaturum se diceret Maximus.

Gallicanus Præpositus sacri cubiculi. *C. Th. lib. 6. tit. 8. de præp. s. cubic.*

S. Ambr. in Ecclesiastica dignitate tuenda magnanimitas.

S. Ambros. cum Maximo colloquium, Treviris habitum in Consistorio.

B. Ambrosii oratio interrita.

CLXXVIII. Priscilliani causa ad Maximum rejecta. B. Ambrosius Treviris vitat Episcopos judiciis se sæcularibus subjicientes.

Hærebat Treviris eo tempore cum suis adhuc collegis, Ithacius Hispaniensis Episcopus; & Priscilliani necem, nil veritus inclinationem Reipublicæ apud Maximum, præterito Ecclesiæ judicio perurgebat. At Maximus, ubi Episcopos, queis impensè cupiebat, vitari ab Ambrosio ceu noxios, nec iis communione sociari velle didicit, graviore effervescens irâ, migrare ilico Ambrosium jubet urbe, nec Treviris consistere diutiùs patitur. Effodiebat sanctissimi viri pectus miseranda sors Hygini Cordubensis Episcopi, quem senem & ærumnosum, in exsilium deportari inaudierat. Ergo Maximi comites, priusquam discedat, adit, oratque ne sine veste, sine lecto patiantur

Hyginus Cordubẽsis Episcopus Treviris miserè habetur à Maximo, tandemque relegatur.

B Ambrosii discessus.

tur extrudi senem, cui nihil jam nisi extremus superesset spiritus; Quâ re vehementiùs exulceratus Maximus, nihil ad discedendum Ambrosio moræ reliquit. Hæc ita Treviris tum accidisse sibi, ipsemet Ambrosius in expositione legationis suæ ad Valentinianum retulit. Addit Paulinus, & ex eo Breviarium usus Romani, ibi tunc etiam ab Ambrosio Maximum pœnitentiam agere sanguinis innoxii effusi recusantem, à communionis consortio segregatum, non vitatione consuetudinis tantùm, ut interpretantur nonnulli, sed illatione quoque censuræ.

S. Ambrosius Maximum excõmunicat. Zosim. l. 4. & S. Ambr. epist. 27. ad Valentinianũ.

CLXXIX.

ANNUS CHR. 385. SIRICIUS PONT. a. 13. m. 1. d. 14.

B. Augustini cõverſio Trevericæ virtutis facibus accensa.

Damasus inde moriens, Siricio locum fecerat, cùm, Arcadio & Bautone tranrhenano Franco consulatum ineuntibus, Augustinus Tagastensis, postea Hipponensium Episcopus Mediolani degens, Ambrosio Duce ac institutore, ex Manichæo catechumenus, ex catechumeno Christianus factus est; cujus tam insigni vitæ morumque conversioni, cùm non parùm adjumento res quædam fuerit hic Treviris, Potitiano narrante, gesta, eam, cùm ad temporum illorum disciplinam, tum vitæ monasticæ illustrandam antiquitatem, intersit; visum, mandare posterorum memoriæ.

CLXXX.

D. Augustinus itaque Mediolani degens, pertæsus jam tum lubrici prioris ævi, cùm incertus animi quam nimirum vitæ viam deinceps insisteret, ingenti fluctuat curarum æstu, Potitianus quidam Afer, præclarâ juvenis virtute atque indole, qui in Valentiniani Imperatoris tum palatio militabat, ad visendum familiariter Augustinum, ejus domum venit; & codice sacro, præter spem apud amicum reperto, ceu re inopinatâ provocatus, gratulatur Augustino, quod inanium rerum studiis valere jussis, animum tandem divinis oraculis curaque virtutis occupet; & mox, de Antonii Abbatis Ægyptii illustri vita sermocinans, cujus tum apud vulgus adhuc per Occidentem fama obscurior Augustinum latebat, multa illi narrare de hominis innocentia ac virtute, ingreditur; productoque in longum sermone, cùm Augustinus, ut fit, totus ab ore narrantis pendet; etiam, quid Treviris sibi moranti contigisset, memoriter narrare incipit adolescens. Aiebat igitur, se tribus aliquando comitatum contubernalibus, cùm Imperator, fuit is uti temporum sanè ratio postulat; Gratianus, pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, animi causâ in hortos Augustis mœnibus vicinos, concessisse prodeambulatum; atque illic, ut fortè bini gradiebantur, digressis aliis aliò, duos in quandam incidisse casam, quam habitabant servi Dei, spiritu pauperes; qui cœlestis vitæ desiderio à cœtu hominum frequentiaque fugientes, in eam se solitudinem abdiderant: atque ibi invenisse codicem, in quo scripta erat vita S. Antonii; quam cùm legere cœpisset unus eorum, hunc & mirari & accendi, & inter legendum cœpisse meditari, arripere talem vitam, & relictâ militiâ sæculi, servire Christo. Fuisse autem eum ex horum ordine, quos dicebant Agentes in rebus; ac subitò tunc, repletum amore sancto & sobrio pudore, iratum sibimet, conjectis in amicum oculis, Dic quæso te, inquisisse, omnibus istis laboribus nostris quò ambimus pervenire? quid

August. l. 8. Conf. c. 6.

Qui ad Maximum, aut Theodosiũ conjecturâ trahunt, faciunt tardius.

Ex B. Antonii vita Palatinorum, Treviris conversio.

De Agentibus in reb. C. Th. l. 6. tit. 27. 28. Turneb. Adverf. l. 13. c. 10. Et Cuiacii nota ad Cod. Iust. Lips. elect. l. 1.

quærimus? cujus rei gratiâ militamus? majórne esse poterit spes nostra in palatio, quàm ut in amicitiam principis adscribamur? ibi verò, quid non fragile, plenumque periculis? & per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? istud porrò quàm diu? amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio. Illud tantùm eum dixisse; & mox turbidum novæ vitæ partu oculos reddidisse paginis; ac denique, his verbis compellasse socium: abrupisse jam se tandem ab illa communi spe, & Deo servire statuisse: idque ex hac hora, atque hoc ipso in loco, se jam aggredi; ipsum, si pigeret imitari, nollet vel saltem adversari: atque alterum ibi mox excitatum pulcherrimi æmulatione facti, respondisse; adhærere se socio tantæ mercedis, tantæque militiæ. Sic igitur ambos ilicò ibi palatinis officiis, & mortalibus omnibus abdicatis rebus, cœpisse ædificare turrim, sumptu idoneo, relinquendi omnia, & sequendi Christum.

c. 8. Guid. Panc. ad Notit. Orientis c. 10.

Palatini duo apud Trev. fiunt Monachi.

CLXXXI.

At verò Potitianus, ut, qui cum alio diversas horti partes iniisset, cùm non multum ad solis occasum jam superesset diei, socios diligentiùs conquisitos, tandemque repertos allocutus ut redirent, quoniam declinasset dies, audiit id modò, fixum iis atque decretum istic manere; rogare, ne sibi molesti essent, si adjungi recusarent. Addebat insuper adolescentes illos habuisse sponsas, hasque comperto, quid amatoribus suis evenisset, protinus etiam ipsas, sacratâ Deo virginitate, reliquisse sæculum. Hæc Potitianus. Augustinum verò, iis, quæ narravimus auditis tantum repentè odium suimet ipsius, fastidiumque cepit, ut, post alternos fluctuantis animi impetus, abreptus tandem, huc ferretur. *Quid patimur? quid est hoc quod audisti? surgunt indocti, & cælum rapiunt; & nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne & sanguine? An, quia præcesserunt pudet sequi; & non pudet nec saltem sequi?* Atque ut scires exempli vis quanta sit in utramque partem, hæc ipsa tum quidem in magnam rerum humanarum despicientiam Augustinum adduxêre. Etenim illam partem orationis, surgunt indocti, sive referas ad Antonium, quem cum Athanasio Tripartita literas nescisse docet, sive ad aulicos Potitiani contubernales, qui monachi facti apud Treviros permoti exemplo & vitâ Antonii, magnam utrinque à vitiis avocationem extitisse, constat etiam apud indoctos in asceticæ vitæ proposito, studio, disciplinâ.

Sponsæ Palatinorum Treviris Deo virginitatẽ suam consecrant.

Lib. 8. Conf. c. 8.

B Augustini inclinatio ex Potitiani narratione facta.

Indocti in via salutis præstant aliquando doctis.

Iul. Nigron. ad Reg. Soc.

CLXXXII.

Porrò sanctissimum Monachorum institutum, hâc tempestate in Treviris floruisse, nec rara per dispersos & circumfusos veteri pomœrio colles moribus hujus sæculi stetisse monasteria, si non aliunde, vel hinc saltem, egregia suppetat antiquæ memoriæ fides. Quod verò vulgatis typo Reginonis exemplaribus irrepsit, B. Augustinum in casa, cujus meminit, notasse monasterium servorum Dei, quod hodie dicitur S. Maximini, cui Joannes Abbas miræ sanctitatis, quem ex oriente secum adduxerat Agricius, initia dederit, id tum loci positio mediâ tunc urbe celeberrimi, & palatio ceu nobili Basilicâ, quod indicant ruinæ, occupati, tum ipsius narrationis adjuncta facilè refutant, quando illa

An per casam seu monasteriũ servorum Dei apud D. Aug. capiendum sit S. Maximini cœnobium?

hortorum

hortorum, tam ampla spatia & casæ vilitas, & murorum veterum ambitus, omnia denique S. Maximini monasterio derogant; accedit & vetustissimum Reginonis scriptum Chronicon, quod Prumia servat, non agnoscere totum illum paragraphum, qui de monasterio servorum Dei, à recentiore quopiam videtur illatus. Et, si quid hic mea conjectura valet, opinioque eorum, qui * S. Eucharii septa, monasterium hodie S. Matthiæ, designari putant, existimem à B. Augustino locum potiùs describi, quà per suburbana colles humiliores, spatiosi ambitus mœnibus olim inclusi, versus Olevjam & S. Crucis excurrunt: nam hortos exprimit muris contiguos, & laxiores, ita ut vagi errantesque vix casam illam Monachorum agnoscerent, vix in diversum ambulantes, ad serum diei seipsi jungerent. Quare, cùm tardiùs in Gallia monachi cœnobium, communisque vitæ disciplinam, quâ nunc visitur formâ, acceperint, Potitiani narratione haud ullum putem cœnobitarum genus, sed monachorum potiùs, exiguo contubernio solitudinem colentium significari. Quod monasticæ genus à magno profectum Antonio, per Athanasium in Treviros non malè suspicer inductum cultumque, donec perfectâ demum & ad summum veniente disciplinâ, monasteria passim surgerent ampliora, cujusmodi, & se Mediolani vidisse ac Romæ B. Augustinus meminit; & S. Martinus primùm apud Pictavos, inde Episcopus apud Turones sibi construxit.

Reginonis M.S. exemplar in Treviris.

Locus suburbanus S. Aug. narrationi accõmodatus.

* MS. antiq. & Ioan. Scheckman. Epitom. gest. l. 2. c. 6.

Monasteria in Galliis quando & quâ formâ primum instituta. Vid. de quibus in Notitia nostra Monaster.

Post monasteria communis vitæ cœnobia.

Lib. 8. Conf. c. 6. De moribus Eccl. c. 33. Sev. Sulp. vita S. Martini c. 5. cap. 7.

CLXXXIII.

Porrò, quia multiplex in solitariis etiam vitæ forma, extra cœtus plurium, non invenio hisce Trevirorum casis accommodatiorem, quàm, quæ à B. Hieronymo ponitur in Tertia classe, quod genus licet infimum censeat & deterrimum, respectu primi & optimi, illud tamen solùm ait, vel primùm, floruisse in Pannoniis, disciplinâ sæpe fluxâ ac degeneri, ob vulgata cum sæculo commercia. Hos autem binos, vel ternos, nec multo plures simul habitasse, suo arbitratu ac ditione viventes, & de labore ac victu, quem manibus expediebant, contulisse partem in medium, ut haberent alimenta communia. Habitasse verò plurimùm in urbibus & castellis, jejunio deditos, crebrisque suspiriis; vestem iis fuisse crassiore textu, laxas manicas, caligas follicantes. Atque hoc genus historia Potitiani prorsus innuit; etsi perfectius in eo quidpiam extitisse, suadeat institutionis origo, & Episcoporum vigilantia.

Ep. 22. ad Eustoch. de custod. virg. ubi appellitat Remoboth monasticorum genus probatum, sed minus rigidum.

CLXXXIV.

Monasteria virginum in Treviris cujusmodi.

Cæterùm Virginum contubernia, in quibus se sponsæ Trevericæ jam tum sæculi abdicatione maritorum fide exsolutæ, Christo dicârunt, an hujus etiam generis extiterint, dicere non habeo quid signatè promam vel adjiciam. Marcellam nobilem & eruditam viduam, in urbis urbium tantâ religione, impensiùs laudat B. Hieronymus, quòd in magna hujus instituti novitate, ipsa per hos eosdem annos primùm velut perfractâ glacie, vitæ monasticæ istic fundamenta jecisset; itaque ut nôris formam, suburbanum agrum, ait, illi pro monasterio fuisse, & rus electum pro solitudine; multoque sic vixisse tempore, ut ex imitatione ipsius, & conversione multarum, gauderet Hieronymus Romam factam Hierosolymam, crebra Virginum monasteria, Monachorum innumerabilem multitudinem, ut pro frequentia servientium Deo, quod priùs ignominiæ fuerat, esset postea gloriæ. Idemque scribens ad Principiam, testatur Marcellam ab Alexandrinis priùs sacerdotibus, Papaque Athanasio, vitam B. Antonii tunc adhuc viventis, Monasteriorumque in Thebaide Pachomii & virginum ac viduarum, didicisse disciplinam. Nec credibile Treviris defuisse nobiles & illustres matronas, quæ studium Marcellæ, Paulæ & Melaniæ complexæ, in simili hic vitæ genere familiam ducerent: in quibus olim numerabimus Bassulam Consularem Sulpicii Severi socrum.

Epist. 16.

Epist. eadem.

CLXXXV.

Maximi rapinæ & avaritia.

Inter hæc Maximus, ut avido & rapaci erat animo, fiscum & vectigalia, incredibili contumaciâ pariter atque avaritiâ exercuit, ita ut sanguinem mittere, & omni enectam succo Galliam diceres perimere; id quod Latinus Pacatus non reticens: *Spes*, inquit, *inter hæc nulla prædonis explendi; nec enim, ut natura fert, copiam satietas sequebatur. Crescebat in dies habendi fames, & parandi rabiem parta irritabant. Vt agrorum sitim potus accendit, ut ignis arentibus non amburitur, sed augetur; ita coactæ publicâ egestate divitiæ, aviditatem jejunæ mentis acuebant. Stabat ipse purpuratus ad lances, & momenta ponderum, nutusque trutinarum, pallens, atque inhians, exigebat. Comportabantur interim spolia provinciarum, exuviæ exsulum, bona peremptorum; hic aurum matronarum manibus extractum, illic raptæ pupillorum cervicibus bullæ, istic dominorum cruore perfusum, appendebatur argentum. Numerari ubique pecuniæ, fisci repleri, æra cumulari, vasa concidi; cuivis ut intuenti, non Imperatoris domicilium, sed latronis receptaculum, videretur.* Atque ea tum tristissima in omni fermè Gallia Reipublicæ facies extitit.

CLXXXVI.

Priscillianistarum motus reliqui. Sulp. l. 2.

Sed neque Ithacius in Priscilliani causâ quietem sibi dabat; non ante explendus, quàm pro amentia sectatores omnes ejus dogmatis, cognosceret sat luisse suppliciorum. Treviris igitur adhuc ipse resistens, denuò per hosce dies Maximi sollicitat animum, ingerens preces in Priscillianum ac socios plenas invidiæ atque criminum. Quibus postremò permotus tyrannus datis ad Præfectum Galliarum atque ad Vicarium Hispaniarum literis, omnes omninò, quos Gnosticæ labis suspicio involverat, deduci ad Synodum, quam convocârat ipse Burdigalam, jubet, quæ, secundùm Prosperi rationes, Arcadii ac Bautonis consulatu habita est. Ita deducti Instantius & Priscillianus; quorum Instantius prior causam dicere jussus, postquam se parùm purgavit, indignus esse Episcopatu pronunciatur. Priscillianus verò, ne ab Episcopis audiretur, Maximum appellavit. Idque graviter ab illo cœtu peccatum est: aut enim in refragantem etiam ferre sententiam oportuit; aut judicium Ecclesiæ reservare, neque committere, ut ad Imperatorem ejus causæ cognitio transiret. Itaque omnes, ad quos illa causa pertinebat, ad Maximum sunt adducti. Secuti etiam Accusatores Hidacius & Ithacius Episcopi.

Burdigalensis cõventus. Prosper. in Chron.

Burdigalensis Synodi errata.

CLXXXVII.

B. Martini in Treviros adventus.

Interea D. Martinus, cujus tum incredibilis erat sanctitatis fama, seu sponte, seu officio admonitus, Trevirim venit. Nam Maximus sæpius

sæpiùs illum accersitum, receptumque intra palatium liberaliter, ac sanctè habuit: in allocutione verò, omnis illi cum sancto Pontifice sermo, de præsentibus, de futuris, de alterius vitæ æquè præmiis atque suppliciis. *Erat ea tempestate* (verba Supplicii Severi sunt) *Treviris puella, quæ dira paralysis ægritudine tenebatur; ita, ut jam per multum tempus, nullo ad humanos usus corporis officio, fungeretur: omni ex parte præmortua, vix tenui spiritu palpitabat. Tristes ad solam funeris exspectationem assistebant propinqui: cùm subitò nunciatur, ad civitatem illam venisse Martinum. Quod, ubi puellæ pater comperit, cucurrit exanimis, pro filia rogaturus. Et fortè Martinus jam Ecclesiam fuerat ingressus. Ibi inspectante populo, multisq; aliis Episcopis præsentibus, ejulans senex genua ejus amplectitur, dicens: filia mea moritur misero genere languoris; & quod ipsa est morte crudelius, solo spiritu vivit, jam carne præmortua. Rogo, ut eam adeas, atq; benedicas: confido enim, quod per te reddenda sit sanitati. Quâ ille voce confusus, obstupuit, & refugit, dicens, hoc suæ non esse virtutis: senem errare judicio: non esse se dignum, per quem Deus signum virtutis ostenderet. Perstare cœpit vehementiùs flens pater & orare, ut exanimem visitaret.: postremò à circumstantibus Episcopis ire compulsus, descendit ad domum puellæ. Ingens turba præ foribus exspectans, quidnam Dei servus esset facturus. Ac primum, quæ erant illius familiaria in istiusmodi rebus arma, solo prostratus, oravit. Inde ægram intuens, dari sibi oleum postulat. Quod cùm benedixisset, in os puellæ vim sancti liquoris infudit; statimq; vox reddita est. Tum paulatim singula contactu ejus cæperunt membra* vivificere, donec firmatis gressibus, populo teste, surrexit. Eodem tempore Tetradii proconsularis viri servus dæmonio correptus, dolendo exitu, cruciabatur. Rogatus ergo Martinus, ut ei manum imponeret, deduci eum ad se jubet. Sed nequam spiritus nullo proferri modo ex cella, in qua erat, potuit: ita in advenientes rapidis dentibus sæviebat. Tum Tetradius ad genua beati viri advolvitur, orans, ut ad domum, in qua dæmoniacus habebatur, ipse descenderet. Tum verò Martinus negat, se profani & gentilis hominis domum adire posse. Nam Tetradius, eo tempore, adhuc gentilitatis errore implicitus tenebatur. Spondet ergo se, si de puero dæmon fuerit ejectus, Christianum fore. Ita, impositâ manu puero, immundum ab eo spiritum ejecit. Quo viso, Tetradius Dominum nostrum Iesum Christum credidit, statimq; Catechumenus factus, nec multo post baptisatus est, semperq; Martinum salutis suæ auctorem, miro coluit affectu.*

Sulpit. in vita S. Martini cap. 15.

B. Martinus Trev. sanat paralyticam

* revivisceré

Cap. 16.

Tetradii proconsularis servum à dæmone liberat.

CLXXXVIII. Tetradius proconsularis fit Christianus, & domum suam in Ecclesiam convertit.

Cap. 17.

Tetradius autem hic, qui vir exstiterit & quantus, proconsularis fastigii amplitudo & insiti viro spiritus arguunt, quos & Ausonius notasse videtur: cùm ad eum scribens sic orditur:

Cur me supino pectoris fastu tumens,
Spernis poëtam consulem?
Tuiq; amantem, teq; mirantem.

Et in illustris Tetradiorum familiæ posteris annumerant Tetradium [illegible] juris consultissimum, ad quem C. Sollii [illegible]donii Apollinaris extat epistola. Quo admirabilior clarissimi viri fuit conversio, qui Christi sacra suscepisse non contentus, iisdem propagandis, sua elargitus est, domo etiam propriâ in Ecclesiam conversâ; quæ S. Martino sacra, nobili post monasterio sedem & originem dedit.

* Epist. 11 L. 4. de adeam comment. Ioan. Savaro.

CLXXXIX.

Per idem tempus hic Treviris, beatus Martinus ingressus Patrisfamilias cujusdam domum, in limine ipso restitit, dicens, horribile in atrio domus dæmonium se videre. Cui cùm, ut discederet, imperaret, quendam è familia, qui in interiore parte ædium morabatur, arripuit: sævire dentibus miser cæpit, & obvios quoscunque laniare. Commotâ domus, familia turbata, populus in fugam versus. Martinus se furenti objicit, ac primùm stare ei imperat. Sed cùm dentibus fremeret, hiantiq; ore morsum minaretur, digitos ei Martinus in os intulit: si habes, inquit, aliquid potestatis, hos devora. Tum verò, ac si candens ferrum faucibus accepisset, longè reductis dentibus, digitos beati viri vitabat attingere. Et cùm fugere de obsesso corpore, pœnis & cruciatibus cogeretur, nec tamen exire ei per os liceret, fœda relinquens vestigia, fluxu ventris egressus est. Interea, cùm de motu atque impetu barbarorum, subitò civitatem fama turbasset, dæmoniacum ad se vocatum exhiberi jubet. Imperat, an verus esset hic nuncius, fateretur. Tum confessus est, sedecim dæmones fuisse, qui rumorem hunc per populum disseminassent, ut hoc saltem metu, ex illo Martinus oppidò fugaretur: barbaros nihil minùs, quàm irruptionem cogitare. Ita, cùm hac immundus spiritus media in Ecclesia fateretur, metu & turbatione præsenti civitas liberata est. At Martinus deinde, cùm Ithacium Hispaniensem Episcopum acriùs, quàm par esset, in exagitando Priscilliano insistere cognovisset, hominem adiens monuit, ut ab hac accusatione desisteret, Maximum etiam, ut sanguine infelicium abstineret, obsecrabat; satis superq; pœnarum inferri, si Episcoporum sententiâ hæretici judicati, Ecclesiis pellerentur: novum, & inauditum esse nefas, ut caussam Ecclesiæ judex sæculi judicet. Denique, quoad usque Martinus Treviris fuit, dilata cognitio est. Et mox decessurus, egregiâ auctoritate à Maximo elicuit sponsionem, nihil cruentum in reos constituendum. Sed postea Imperator, per Magnum & Rufum Episcopos depravatus, & à mitioribus consiliis deflexus, causam præfecto Evodio permisit, viro acri & severo. Qui Priscillianum gemino judicio auditum convictumq; maleficii, nec diffidentem obscænis se studuisse doctrinis, nocturnos etiam turpium fœminarum egisse conventus, nudumq; orare solitum; nocentem pronuntiavit, redegitq; in custodiam, donec ad Principem referret. Gestis ad palatium delatis, censuit Imperator, Priscillianum sociosq; ejus, capitis damnare oportere. Cæterum Ithacius videns, quàm invidiosum sibi apud Episcopos foret, si accusator etiam postremis rerum capitalium judiciis astitisset, etenim iterari judicium necesse erat, subtrahit se cognitioni, frustra calido, jam scelere perfecto. At tum, per Maximum accusator apponitur Patricius quidam, fisci patronus. Ita eo insistente, Priscillianus capitis damnatus est, unaq; cum eo Felicissimus & Armenius, qui nuper à Catholicis, Clerici Priscillianum secuti, desciverant. * Latronianus quoque, Iulianus & Euchrocia, gladio perempti. Instantius, quem ab Episcopis damnatum*

Dæmonem infestissimũ B. Martinus edomat.

Cap. 18.

Dæmones falsorum rumorum geruli.

B. Martini interposita Priscillianistarũ causæ sententia.

B. Martinus in ecclesiastica negotia nihil permittit magistratui sæculari.

Evodius PP. Galliarum Priscillianũ damnat.

* fortè, f. callidus, i. f. p.

Priscillian* Treviris capite damnatus, cum plerisque excellenti doctrina Episcopis.

* al. Matronianus.

S. Hieron. in tal. illust. Eccles. script. meminit Priscill. Matro. & Tiberiani, qui scriptis clari.
* Polemius.

*damnatum antea diximus, in Sylinam insulam, quæ ultra Britanniam sita est, deportatus. Itum deinde in reliquos, sequentibus judiciis; damnatiq; Asarinus & Aurelius diaconus, gladio. Tiberianus, ademptis bonis in Sylinam insulam, datus. Tertullus; * Polamius, & Ioannes, tanquam viliores personæ, & digni misericordiâ, quia ante quæstionem se, ac socios prodidissent, temporario exsilio, intra Gallias relegati. Hoc ferè modo homines luce indignissimi, pessimo exemplo necati, aut exsiliis multati: quod initio jure judiciorum, & egregio publico defensum, postea Ithacius in jurgiis solutus, ad postremum convictus, in eos retorquebat, quorum id mandato & consiliis effecerat. Solus tamen omnium Episcopatu detrusus Nardacius, licet minùs nocens, sponte se Episcopatu abdicaverat. Sapienter id & verecundè; nisi postea amissum locum repetere tentasset. Cæterùm Priscilliano occiso, non solùm non repressa est hæresis, quæ illo autore proruperat, sed confirmata, latiùs propagata est. namq; sectatores ejus, qui eum priùs, ut sanctum, honoraverant; postea, ut Martyrem colere cœperunt. Peremptorum corpora ad Hispanias relata, magnisq; obsequiis celebrata eorum funera.* Hæc Sulpitius Severus.

Priscillianistæ Manichæi.

Errorem autem Priscilliani cum Manichæorum secta videtur confundere Prosper. nam in Chronico, apud Treviros, inquit; Manichæi deprehensi summo Maximi studio exterminati.

Latronianus Poeta.

Latronianum quoque Honorius scripsit, virum fuisse valde eruditum & poëticæ facultate veteribus comparandum, qui multa opera versibus ediderit.

CXC.

Celebravit Priscillianorum pœnas quoque Latinus Pacatus, sed magis ut homo gentilis & profanus, ad invidiam, quàm ad veritatem. Ejus hæc verba sunt. *De virorum mortibus loquor! quum descensum recordor ad sanguinem fœminarum, & in sexum cui bella parcunt, non parcè sævitum. Sed nimium graves suberant, invidiosæq; caussæ: ut unco ad pœnam clari vatis matrona raperetur. Objiciebatur enim, atque etiam exprobrabatur mulieri viduæ nimia religio, & diligentiùs culta divinitas.*

Euchrocia Delphidii Rhetoris conjunx.

S. Hieron. in Chron. Amm. lib. 18. Sidon. Apol. l. 5. ep. 10.

Fuit hæc Euchrocia Delphidii Rhetoris in Aquitania florentissimi, atque eximii Poëtæ conjunx, quam Severus reposuit inter alienas fœminas, quæ turpi sanè pudibundoque comitatu cum filia Procula Priscillianum est secuta; fuisseque tum in sermone hominum, Proculam Priscilliani stupro gravidam, partum sibi graminibus abegisse; meritò, ut ipsi Delphidio viro clarissimo mortem maturam, hisce versibus gratuletur Ausonius, ut, qui hæc uxoris filiæque dedecora non sensisset:

Ad Burdigal. Profess.

Felix, quietis si maneres literis,
Opus Camœnarum colens:
Nec inquieto temporis tyrannici
Palatio te attolleres;
Minùs malorum, munere expertus Dei,
Medio, quod ævo raptus es:
Errore, quod non deviantis filiæ,
Pœnaq; læsus conjugis.

CXCI
Hebidia stirpis Delphidii
Auson. in Prof. Burdig.

Jucunda Delphidii memoria, dignaque literis nostris, ob Hebidiam catam, & divinarum rerum sitientissimam fœminam; quæ ex hoc Apollinari satu Paterarum, Phœbiciorum, Delphidiorum, apud extremos Galliarum in Aquitania, ceu longè pulcherrima viola quædam exorta, religionis integritate studioque, videtur stirpis suæ damna abundè resarcisse.

P. Pitho. ad vers. subs. l. 1. cap. 2.

S. Hieronymum super sacræ script. locis consulit.
Epist. 150.
* Patera.
Hebidiæ majores.

Quippe Apodemio in Palæstinam misso, XII. illa S. Hieronymo quæstiones posuit, quibus cùm respondere parat, non sine gentilitiæ virtutis præconio mulierem affatur: *Majores tui * Paterius atque Delphidius, quorum alter, antèquam ego nascerer, Rhetoricam Romæ docuit; alter, me jam adolescentulo, omnes Gallias prosâ versuq; suo illustravit ingenio, jam dormientes & taciti me jure reprehendunt, quod audeam ad stirpem generis sui quidpiam mussitare: licet concedens eis eloquentiæ magnitudinem, & doctrinam secularium literarum, meritò subtraham scientiam legis Dei.*

An Christiani? De Delphidio nō ambiguum.

CXCII.
ANNUS CHR. 386.
Dial. 3. Sulpit. vita S. Martini.

Anno proximo, qui Honorium habuit & Evodium Treviris agentem, Consules, Maximus Priscilliano jam exstincto, Ithacium ejus accusatorem; cæterosque collegas, regiam opponens auctoritatem, tutatus est, ne quis scilicet vitio verteret, cujusque modi hominem ad supplicium ultimum, solicitando, perductum.

Treviris Episcoporum conventus, qui hæresis extirpandæ zelo lapsi.

Congregati apud Treviros Episcopi tenebantur, qui quotidie communicantes Ithacio, caussam sibi communem jam fecerant, autoresque Maximo facti, ut Tribunos summâ potestate armatos ad Hispanias mitteret; qui & in hæreticos inquirerent, & deprehensis vitam cum fortunis adimerent. Quo facto, non erat dubium, quin plurimos oppressuri innocentes essent, etenim, ut hæc à Sulpitio narrantur omnia, tum soli oculi, cujusque visam famamque penetrabant, cùm quis pallore potiùs aut veste, quàm fide, hæreticus censeretur. Quin & Ithacius, stultitiæ eò usque processerat, ut omnes etiam sanctos viros, quibus aut studium inerat lectionis, aut propositum erat certare jejuniis, tanquam Priscilliani socios, aut discipulos, in crimen arcesseret. Ausus etiam miser est, Martino Episcopo, viro planè Apostolis conferendo, palam objectare hæresis infamiam.

CXCIII.
Trevirense conventiculum Martinum studet arcere mœnibus.

Cæterum Episcopi, qui Treviris ad Ithacii caussam discutiendam coïerant, ubi nec opinantibus nuncius allatus de Martini adventu, fracti mirabiliter animis, atque confusi trepidare, nec satis rebus suis fidere: verebantur quippe, ne consuetudinem ipsorum congressumque defugiens sanctus, labanteis, nec satis in retinenda sententiâ fortes, aciè perstringeret autoritatis suæ, ipsiusque Maximi mentem, pro sanctitatis opinione, flecteret ad mitiora. Ineunt itaque cum tyranno consilium, impelluntque demum, ut missis obviam Martino magistris officialibus, urbem propiùs accedere vetet, nisi se, bonâ pace Episcoporum ibi consistentium affore, polliceatur. At Martinus, incertis implicans responsis, callidè frustratus officiales, cum pace Christi se venturum denunciat. Ad extremum noctu ingressus urbem, adiit Ecclesiam; tantùm orationis gratiâ. Postero die palatium petit, quasi inter alia pro Narsete comite, & Leucadio præside, qui pertinaciùs Gratiani partes sequuti, magnam eâ re offensionem contraxerant, Maximi iras placaturus. At illa tacita suberat cura, ne Tribuni cum jure gladiorum ad Hispanias mitterentur, pariterque fontes

atque innocentes cruentæ dextræ militum haurirent.

CXCIIII. Episcoporum Treviris agitatas adulationes exemplo castigat Martinus.

Inter hæc, cùm cæteri Episcopi, qui ex diversis provinciis Trevirim convenerant, fœdâ circa principem adulatione magis magisque vilescerent in dies, in solo Martino apostolica autoritas permanebat. Nam etsi pro aliquibus supplicandum Maximo fuit, imperavit potiùs, quàm rogavit. Et à convivio ejus, frequenter rogatus, abstinuit; cùm diceret, se mensæ ejus participem esse non posse, qui duos Imperatores, alterum regno, alterum vitâ expulisset. Postremo, cùm Maximus se non sponte sumpsisse imperium affirmaret, sed impositam sibi à militibus, divino nutu, regnandi necessitatem, armis defendisse: & non alienum ab eo Dei voluntatem videri, penes quem, tam incredibili eventu, victoria fuisset; nullumque ex adversariis, nisi in acie, occubuisse; tandem victus vel ratione, vel precibus, ad convivium venit, mirum in modum gaudente Maximo, quod id impetrasset. Convivæ autem aderant, veluti ad diem festum evocati, summi atque illustres viri, Præfectus idemque Consul Evodius, quo nihil unquam justius fuit; Comites duo, summâ potestate præditi; frater & patruus ipsius Imperatoris: medius inter hos, Martini Presbyter accubuerat: ipse autem sellulâ juxta Regem positâ considebat. Ad medium ferè convivium, ut moris est, pateram Regi minister offert: ille sancto admodum Episcopo dari potiùs jubet, exspectans atque ambiens, ut ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus, ubi ebibit, pateram Presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem, qui post se prior biberet: nec integrum sibi fore, si aut Imperatorem ipsum, aut eos, qui ab Imperatore erant proximi, Presbytero prætulisset. Quod factum Imperator omnesque, qui tunc aderant, ita admirati sunt, ut hoc ipsum eis, in quo contempti fuerant, placeret. Celeberrimumque, toto Palatio fuit, fecisse Martinum in regio prandio, quod in infimorum judicum conviviis, Episcoporum nemo fecisset. Eidemque Maximo longè ante prædixit futurum, ut, si ad Italiam pergeret, quò ire cupiebat, bellum Valentiniano Imperatori facturus, sciret se primo quidem impetu fore victorem, sed parvo post tempore, periturum.

S. Martinus Maximi conviva, & sacerdotalis fastigii vindex.

Evodius PP. & Consul.

CXCV. Accubitus Maximi & S. Martini.

Nolim prætereas in hoc Maximi convivio, ritum accumbendi priscorum: qui cùm in stibadio, seu lecto Sigmatis instar hemicyclo jacebant, stibadii duo cornua extrema spectabant maximè. Nam honoratissimus eis locus cornu dextrum, huic proximus partis sinistræ cornu. Ab hoc tertius & quartus ac reliqui sequebantur usque ad ultimum in pleno stibadio, qui primo proximus evadebat. Jam, adspicito sis hic, in dextro cornu, Maximum Augustum; in sinistro, Consulem Evodium; dein, Comites Maximi fratrem ac patruum, & reliquos ordine proceres: inter quos medius accumbit Presbyter Martini. Extra stibadium verò ipse Martinus ad dextram Maximi singularis assidet. Quæ Paulinus numerosè ita cecinit:

Accumbendi ritus, …

Hos inter medios, qua sigma flectitur orbe,
Presbyter accubuit. dextrâ lævâque patentum
Ordo Optimatum lectis super aurea fulcra locatis,
Pressit subjectum pretiosi velleris ostrum.
Ad dextram Regis, simili venerabilis ore,
Consedit senior.

CXCVI. S. Martini convivium à Regina Maximi ei præbitum.

Sed, quia convivia semel inivimus, frugalitatem illius cœnulæ nosse, operæ pretium sit, quam Martino Regina Maximi conjux, Treviris item suis manibus struxit præbuitque, non utique luxu portentosam, ut, cùm illud Ægypti scortum uniones sorbebat; nec strue dapum mensas lassantem; sed ex qua sobrietatem & reverentiam sacerdotalem, Christianæ discerent Principum matronæ. Et primum Reginæ spirantem vide pietatis in Martinum affectum. non illa opes regni, non imperii dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat: divelli à Martini pedibus solo strata, non poterat. Postremo à viro suo poposcit, deinde Martinum uterque compellunt, ut ei, remotis omnibus ministris, præberet sola convivium. nec potuit vir beatus obstinatus reluctari. Componitur castus Reginæ manibus adparatus: sellulam ipsa consternit, mensam admovet, aquam manibus subministrat. cibum, quem ipsa coxerat, apponit, ipsa, illò sedente, eminùs secundùm famulantium disciplinam solo fixa consistit immobilis, per omnia, ministrantis modestiam, & humilitatem exhibens servientis: miscuit ipsa bibituro, & ipsa porrexit. Finitâ cœnulâ, fragmenta panis assumpti, micasque collegit satis fideliter, illas reliquias imperialibus epulis anteponens.

Sulp. Sever. dial. 2. c. 7.

CXCVII. Martini exemplum ab aliis imitandum, nec temerè …

Hæc apud Severum Gallus interlocutor, qui sapienter, ne, se quandoque Martini exemplo sacerdotes tuerentur, qui fœminarum commercia non valdè refugiunt, attendendum hic monet locum, tempus, personam. *Propone*, inquit, *tibi ante oculos Martinum captum, in palatio Imperatoris precibus ambiri, Reginæ fide cogi, temporis necessitate constringi, ut clausos carcere liberaret, exsiliis datos restitueret, bona adempta redderet. Hæc quanti putes constare Episcopo debuisse, ut pro his omnibus non aliquantulum de rigore propositi relaxaret? Videant ergo* (ait) *quia Martino semel tantùm in vita sua jam* * *septuagenario, non vidua libera, non virgo lasciviens, sed sub viro vivens, ipso viro pariter supplicante Regina servivit & ministravit.*

* Septuagenarius …

Martinus an tunc septuagenarius?

Præclarè hæc omnia. sed nodus est in illo septuagenario, quem distrahunt eruditi, quibus ambiguum, Severúsne tam nobilem partem ætatis oscitanter attigerit, an vero lectio sincerior malè perierit? Colligimus enim hinc, B. Martinum, Evodio Consule, quo tempore Treviros accessit ætate fuisse septuagenarium. Ignavus sanè ac supinus error, si Sulpitii ingenio metimur, quique ex scripturæ varietate, quondam interpreti suboluit. At quibus tamen reperiendi veri diversa via placet, arripuere locum hunc, pro gnomone vel charactere temporum. Etenim, si quo tempore, aiunt, Consul fuit Evodius, Martinus tum jam erat verè septuagenarius, ergo repetitis hinc annis, ejus ortus, ad imperii Constantini pertingit annum undecimum. Luculenta certè plaga, Severo hic inflicta; quam nisi evitet, alias accipit longè graviores; nam, ut dudum Victor Giselinus admonuit,

hoc

hoc semel calculo posito, non tam Severo cum aliis, quàm ipsi secum pugna mox oritur inexplicabilis: quippe labefactatis omnibus, quæ ipse, de Martini baptismo, de relicta militia, de convictu & occursu Hilarii, laudatus scriptor, accuratè memoriæ prodidit.

Sed immemorem me propositi mei, penè pietas Reginæ fecit. Nihil dum adhuc Martinus eorum, quæ postularat à Maximo impetraverat; ipseque seu commendare munera sua differendo cuperet, seu, quia jam spe damnatorum opem devocasset, seu denique alia quacunque de caussa, difficilis desideria votaque sancti, primum alterumque diem in suspenso tenebat.

CXCVIII. Martini cum Trevirensi Synodo certamen. Theognisti Episcopi constantia in Trevirensi Synodi procedendi & labefactandis offendit.

Interea Episcopi, quorum communionem Martinus non inibat, trepidi ad Maximum concurrere, prædamnatos se conqueri, actum esse de suo omnium statu, si Theognisti pertinaciam, qui eos solus palam, latâ sententiâ condemnaverat, Martini armaret autoritas: non oportuisse hominem recipi mœnibus: illum jam non defensorem hæreticorum adesse, sed vindicem: nil actum morte Priscilliani, si Martinus exerceat illius ultionem. Postremò prostrati, cum fletu, & lachrymis, potestatem regiam implorant, ut utatur adversus unum hominem vi suâ. Nec multum aberat, quin cogeretur Imperator Martinum, cum hæreticorum sorte miscere. Sed ille, licet Episcopis nimio favore esset obnoxius, non erat nescius, Martinú fide, sanctitate, ac virtute, cunctis præstare mortalibus. Aliâ longè via sanctum vincere parat: ac primùm secretò accersitum, blandè appellat; hæreticos jure damnatos, more judiciorum publicorum potiùs, quàm insectatione sacerdotum: non esse caussam, quâ Ithacii, cæterorumque partis ejus communionem existimet jure damnandam: Theognistum odio potiùs, quàm caussâ fecisse dissidium; eundemque tamen solum esse, qui se à communione interim separarit: à reliquis nihil novatum: quin etiam, ante paucos dies habitam Synodum, Ithacium, pronunciasse, culpâ non teneri. Quibus, cùm Martinus parum moveretur, Maximus irâ accensus, se de conspectu ejus abripit: & mox percussores iis, pro quibus Martinus rogaverat, submittit. Quod, ubi Martino compertum, jam noctis tempore, palatium irrupit; spondet, si parceretur, se communicaturum, dummodo & Tribuni jam in excidium Ecclesiarum ad Hispanias missi, retraherentur. Nec mora intercessit. Maximus indulget omnia.

Maximus Imp. oppugnat Martini constantiam.

CXCVIIII. S. Julianus VC. ex Hispania captivum Treveri è vinculis liberat. L. 1. de gloria Mart. c. 2. Trevericus Imp. Maximus. Brivas &

Juliani Martyris, qui Brivate apud Arvernos, Valeriano & Gallieno A. A. persecutoribus, capite cæsus, ingens hoc tempore fama, à mirificis rebus & multiplici benignitate, quæ in hominum genus plurimarum ab eo profecta in Treviros usque sese diffudit. Repetit ab hujus ætatis memoria rem gestam Gregorius Turonum præsul. Nam Trevericum Imperatorem, quem nisi Maximum appellet? & captivum illustris adest ab Hispania, nos, per eadem vestigia temporum, Trevirim deducens. Is capitis damnatus à Maximo, Trevirii carceribus attinebatur. Matrona captivi, femina primæ sortis ex Hispania maritum prosequuta, conclamato tumuli & funeris obsequia paratum ibat. Sed ad Brivatensem vicum, qui proximè aberat ab Elaveris fluvii ponte, fit certior de Juliani martyris actis & meritis; & quâ cognoscit senes effoetos sepulchri martyris curatores, in viridem juventam reduxisse. Ergo ad martyris memoriam opis caussâ, nec expers religionis matrona supplex accedit, caussas suggerit, casus referat: audit promitti, si martyris sepulchrum subdiale cemento contegat, oratorium ejus honori exstruat, fore, ut qui senum olim frigentia membra vigore dato solvisset, maritum vinculis solutum libertate donet. Voti se lubens pia matrona, & fidei plena, & pietatis à martyre secura, damnat. Trevirim jam venerat; cùm & in gratiam receptum maritum, & absolutum à Cæsare comperit, duplici religionis fructu læta, quod hinc in pœnæ locum gratia successisset, inde sospes maritus, eâdem quâ vota fecerat horâ, absolutus esset. Unde nec auxiliatori ingrata, promissum non liberaliter exsolvit modò, sed cumulavit immensis etiam muneribus. Non venustè magis quàm verè Sidonius Apollinaris virtutem hanc in Juliano martyre suâ dum ætate exsplendescentem, agnovit & celebravit:

Brivatensis Sidon. Carmine 24.

Hispana matrona Treviri maritum recuperat intercessione S. Juliani.

Trebentius ad libellum.

Hinc te suscipiet benigna Brivas,
Sancti quæ fovet ossa Iuliani;
Quæ dum mortua mortuis putantur,
Vivens è tumulo micat potestas.

CC. Ossa SS vivunt. Lib. 1. de gloria Conf. c. 40. S. Illidius Arver. Episc. Treviris Maximi Imp. filiam à dæmone liberat. Aurum spernit. Arverni pendunt tritici & vini tributum Imperatoris comitatui. Tributum frustatim pecunia mutatum S. Illidii intercessione. S. Illidii obitus.

Huc pertinere sancti Illidii Arvernorum illustri sanctimoniâ Præsulis in Treviros adventum & obitum, successio illius sedis sacerdotum abundè testatur. Rem gestam Gregorius idem prosequitur. Etenim Treverici Imperatoris filia, cùm ab immundo spiritu graviter vexaretur, nec inveniretur, à quo sanari posset, Illidium ob sanctitatis opinionem famâ detectum, accersitumque per Imperatoris pueros abusque Arvernis ad Maximi comitatum. Hic ille precibus fusis, cùm in os puellæ digitos immisisset, ilicò nequam spiritum ab obsessa depulit. Miraculum cernens Imperator, immensum auri argentique pondus sancto offert sacerdoti. At is, spreto auro, id popularibus suis impetrasse beneficium contentus fuit, ut Arvernorum Civitas, quæ tributi loco Triticeam ac Vinariam speciem pendedat, inferebatque in penum imperialem, pecuniâ molestam subvectionem redimeret. Atque in hoc ipso itineris curriculo, narrat Gregorius, S. Illidium senectâ gravem migrasse ad Dominum.

CCI. Britonii mors atque sepultura incognita. FELIX II. ARCH. VI. EPISC. 32. Felix Episc. Trev. à Synodo malesanâ ordinatus præsente B. Martino. B. Martini conscientia Synodi Trevirensis communione percussa.

Britonius Trevirorum Antistes jam antea vitam destituerat, Confessoris honore tertio Nonas Maii, venerabilis. Hujus in locum FELIX surrogatus, Martino Treviris tum adhuc degente; unde Sulpitius Severus hæc omnia fusè persequens: *Postridie*, inquit, *Felicis Episcopi ordinatio parabatur, sanctissimi sanè viri, & planè digni, qui meliore tempore, sacerdos fieret. Hujus diei communionem Martinus iniit, satius æstimans ad horam cedere, quàm his non consulere, quorum cervicibus gladius imminebat: compertum enim provisumque sancto, si aditus cum potestate semel in Hispaniam fieret, sontes pariter ac insontes, communi pœnâ, involvendos. Verumtamen, summâ vi, Episcopis interim nitentibus, ut communionem illam subscriptione firmaret, extorqueri non potuit. Postero die, se inde proripiens, cum*

*revertens in via mæstus ingemisceret, se vel ad horam noxiæ communioni fuisse permixtum, haud longe à vico, cui nomen est * Andethanna, quo vastam solitudinem silvarum secreta patiuntur; progressis paululum comitibus, ille subsedit, caussam doloris & facti, accusante ac defendente invicem cogitatione pervolvens. Astitit ei repentè Angelus: Meritò, inquit, Martine compungeris, sed aliter exire nequisti: repara virtutem, resume constantiam, ne jam non periculum gloriæ, sed salutis incurras. Itaque ab illo tempore satis cavit cum illa Ithacianæ partis communione misceri. Cæterùm, cùm quosdam ex energumenis tardiùs, quàm solebat, & gratiâ minore, curaret; subinde suis, cum lachrymis fatebatur, se propter communionis illius malum, cui se ipse vel punctum temporis, necessitate, non spiritu miscuisset, detrimentum sentire virtutis. Sedecim postea vixit annos: nullam Synodum adiit, ab omnibus Episcoporum conventibus se removit.* Hæc de Martino Severus.

* Andethanna, vulgo itinerarium Antonini regione Luxelburgica medio Treviros inter & Divodurum itinere, Epternacum hodie, à quibusdam; ab aliis vicinus ad viam militarem pagus dictus.

CCII. At Methodius interim apud Marianum Felicis quoque memoriam celebravit. *Eâ nimirum tempestate*, inquit, *Felix, tertius post Paulinum Trevericam in pontificatu sortitus est Ecclesiam, Maximo Imperatore tyranno Rempublicam tunc in his partibus gerente, & Trevirim hæreticorum cladibus pulsante. Tunc B. Martinus Trevirim venit, & cum Felice ruit.* Cæterùm, licet Felicem Episcopum, ut qui ab Ithacianis consecratus, & iisdem communione junctus, & nonnulla, ut quidem apparet, Taurinensis quoque Concilii notâ respersus, paulisper hæsisse ad metas, nec communem eam tempestatem, & sanguinis caussam, imminente Maximo, declinare potuisse, non iverimus inficias; haud tamen ea labes sic inusta moribus ejus vitium fecit, ut non ingentibus accensæ charitatis studiis, & pœnitentiæ lachrymis obruta vanuerit, necnon magnitudine virtutum denique perpurgata sit; cùm omnis superior sæculorum ætas, eum in maximâ veneratione habuerit exploratæ sanctitatis. Quo majore contentione, velis remisque, sententiam eam fugimus, quæ commune quoddam Sulpitianæ narrationis secuta judicium, ambiguum facit, locumne suum, in veterum Ecclesiæ fastorum monumentis, jure Felix retineat: quàm meritò Ecclesiasticorum Annalium eximius scriptor, in posteriore Martyrologii editione, tandem mutavit, & recognovit. Et Felicem hunc nostrum, qui inter Sanctos reciperetur, idcirco dignum fuisse commemorat; quia cum Martino lapsus, cum eodem pariter surrexerit.

Methodius in Marian. Scotus l. 2. at. 6.

Censura de B. Felice Treviror. Epis.

Tom. 1. Conc. Taurin. Synodi. can. 5.

Legatos Episc. Galliarum, qui Felici non communicarent, destinarunt.

Felix inter Sanctos retinendus. Martyrol. Rom. 26. Martii Notat. Baronii ibidem, edit. Antverp. 1613.

CCIII. Sub hoc quoque tempus accidisse, quæ de Artemio Gregorius Turonensis olim Arvernensi Episcopo narrat, probabilis est fides. Is primo juventæ flore inter legatos, qui hinc in Hispaniam mittebantur, cùm & mirâ oris venustate, & sapientiâ præditus esset insigni, vi febrium retardatus, concidit apud Arvernos. Habebat verò sponsam ipse Treviris, cui matrimonii societatem addixerat. Cùm interim Nepotianus Arvernorum Episcopus, ad ægrum solandum legati hospitium ingressus, oleo sacro ritè perunctum, celeriùs spe persanat: adolescens & Episcopi piis sermonibus inflammatus, & nec opinatæ valetudinis beneficio lætus, abjecto repentè nuptiarum consilio, non modò, quas possidebat opes ac fortunas omnes sprevit, sed etiam spe repetendæ Treviris, ac sponsæ revisendæ pro Christi amore intercisâ, ad Cleri se sortem aggregavit, ipsique Nepotiano, in Arvernorum sede, postea surrogatus est Episcopus.

Artemii legati Trevir. & Episcopi post Arvernensis religio, morumque conversio.

CCIV. ANNUS CHR. 387. Valentiniano deinde Augusto tertiùm, Eutropioque Consulibus, Maximus parùm suæ consultum amplitudini ratus, si non latiùs, quàm quondam Gratianus, imperii vim explicaret, de Valentiniano regni gubernaculis excutiendo, aut certè illius quàm posset maximam, occupandâ parte, cogitavit. Neque clam ferebat hoc suum consilium Maximus, B. Martino multùm absterrente: sed regnandi dulcedo stimulabat haud modicè validum, Britanniæ, Hispaniæque, & Galliarum etiam opibus accinctum. Atque hunc ejus animum, non siluit Gildas scriptor Britannus. *Nam Maximus*, inquit, *callidâ primùm arte potiùs, quàm virtute, finitimos quosque pagos vel provincias contra Romanum statum, retia perjurii mendaciique sui facinoroso regno adnectens, & unam alarum ad Hispaniam, alteram ad Italiam extendens, & thronum iniquissimi imperii apud Treviros statuens, tantâ insaniâ in dominos debacchatus est, ut duos Imperatores legitimos, unum Roma, alterum religiosissimâ vitâ pelleret.*

Zosim. lib. 4. Theod. l. 5. c. 14.

Maximus in Valentinianum arma parat.

Gild. de excid. Brit.

CCV. Valentinianum, etsi Maximi adparatus omninò fallere non possent, pacis tamen quàm belli cupidior, Domninum legatum hominem Syrum & gratiosum, cujus domi, forisque ingenio maximè nitebatur, ad tyrannum in Galliam de pace misit. Neque enim, quod de sancti Ambrosii legatione quidam in hunc annum referunt, ullo pacto defendi potest, qui iterum se legatum fuisse Valentiniani tam disertè scribit; sed primò, ineunte Maximo, pro salute pueri tum Valentiniani, posteriùs rursum, pro fraternis reliquiis; quorum neutrum in hæc tempora cadit.

Valentiniani legatus ad Maximum. Zosim. l. 4.

Ambr. de obitu Valentiniani.

Cæterùm Maximus, perquàm callido genere consilii usus, venientem ad se Domninum benignè excepit; ac fœdere ad speciem impertito, dimisit; vixque digressum mox cum exercitu insecutus est, comprehensis passim in via custodibus, ne quà suus in Italiam adventus innotesceret. Abiens verò, Victoris filii pueritiam, & Galliarum defensionem Nannieno commendavit, & Quintino militiæ magistris, qui in Treviris ferè domicilium habuerunt. Superatis Alpibus Cottiis, profugiente Thessalonicam Valentiniano, ac nemine obsistente, magnis itineribus, Aquileiam duxit, atque eodem impetu Italiâ, & Africâ ad imperium adjunctis; cùm æs futuro bello necessarium undique conflat, peracerbè fiscum attrivit, & belli oneribus impar, vectigalia publica diripuit.

Victor Maximi F.

Pacat. Lat. Paneg.

CCVI. ANNUS CHR. 388. At anno postero, Theodosius, curis tantisper Orientis posthabitis, seriò pro libertate adnitens, Maximo spes ereptum ire, & acerrimos ubique militum delectus agere; quos ex omnibus conventibus provinciisque conscriptos, transmarinis etiam Scytharum auxiliis augebat. Paratis omnibus ad iter necessariis; cùm futuræ victoriæ certum oraculum

Zosim. lib. 4. Theodosii adversus Maximum tyrannum expeditio. S. Aug. lib. 5. de Civit. c. 26. & Prosp. Aquit.

Digitized by Google

ab Joanne Ægyptio anachoreta pignus haberet, exercitum properè educit: hostemque nactus in Pannonia superiore, duobus prœliis fusum, usque adeò viribus imminutis fregit, ut pars abacti in silvas, pars fœdè concisi, victoris omnia arbitrio permiserint, exitioque perduellium, qui principem suum nefariè prodiderant, Gratiani memoriæ egregiè parentatum sit. Ipse Maximus turpi fugâ elapsus, Aquileiæ se mœnibus frustra inclusit; nam coronâ circundatum, ac vivum in potestatem adductum, cùm supplicem & stratum ante pedes habuisset Theodosius, indumentis Regiis spoliatum, demum occidi imperavit

Maximi mors. *Prosp. Chron. & Marcell.*

His rebus feliciter gestis, & Valentinianus imperio restitutus est; & posteris exemplum reliquit Maximus, tyrannum quàm citò militem & exercitum, tam facilè victorem invenire, destinatamque cladem. Scitè verò S. Ambrosius Theodosii moderationem & pietatem hîc laudavit; quòd Valentinianum non solùm regno reddidisset, sed etiam, quod est amplius, instituisset fidei & pietatis suæ disciplinis.

Epist. 14. ad Theodos.

CCVII. Eodem pænè tempore, ut prodidit Sulpitius Alexander, quem autorem Gregorio Turonensi debemus, dum in diversa tendente Romano, Maximus Aquileiæ obsidetur, interea Franci, Genebaldo, Marcomere, & Sumnone Ducibus, perrupto Rheni limite, in Germaniam secundam, pleno se gradu intulêre, ac pluribus mortalibus cæsis, locisque fertilitate præcipuâ cum pagis ipsis devastatis, ingentem Agrippinensi etiam Coloniæ attulêre terrorem. Quod ubi Treviros perlatum est, Nannienus & Quintinus militiæ magistri, collecto exercitu, convenêre quidem apud Agrippinam, sed irrito belli successu. Franci quippe provinciarum opima depopulati, Rhenum jam transierant, suorum quoque plurimis relictis in Romano solo, ad repetendam populationem. Cum his itaque Romanus æquo loco dimicandi copiam nactus? apud Carbonariam silvam, quam tractus Eburonum plerique statuunt, alii ultra in Hanoniam rejiciunt, acerrimo prœlio congressus, Francorum non exiguam manum ferro confectam, letho dedit. Inde, cùm in deliberationem Duces veniunt, sit ne in Francorum fines ducendus exercitus, victoriæque cursus, in articulo prosequendus; Nannienus gnarus, hostem nec imparatum, nec ab ulla re malè instructũ suis in sedibus repertum iri, aliorum repudiatis, suæmet obsequens voluntati, Moguntiacum rediit. Quod Nannieni consilium, cùm Quintinus ac cæteri vehementer improbassent; ipsi circa Novesium Castellum transgressi Rhenum, invenêre secundis à fluvio castris casas habitatore vacuas, atque ingenti solitudine vicos. Franci namque simulato metu, in remotiora saltuum sese abdiderant, * concædibus, quæ muniendi ratio Germanis Galliisque frequens, per extrema silvarum objectis. Itaque Romanus, ubi in hostem nequit, in tuguria vertens iras, universis eorum domibus exustis noctem sollicitam, sub armorum pondere traducit; ac albescente cœlo, Quintino Duce ingressi saltus, in medium ferme diem per diversos viarum errores, totum pœne nemus pervagati; reperiunt ingentibus tandem roborum septis cuncta præpedita; hinc in palustres campos, qui silvis jungebantur effusi, inter moliendum hostium primo raros conspicantur. Hi concædibus superstantes, velut è fastigiis turrium, sagittas tormentorum ritu effundebãt illitas herbarum veneni, ut summæ cuti, neque lethalibus inflicta locis vulnera, haud dubiæ mortes sequerentur. Dehinc, majori multitudine hostium circumfusus exercitus, in aperta camporum, quæ libera Franci reliquerant, avidè effusus est: ac primi equites voraginibus immersi, permixtis hominum jumentorumque corporibus, ruinâ invicem suorum oppressi sunt. Pedites etiam, quos nulla onera equorum calcaverant, implicati limo, ægrè explicantes gressum, rursus se, qui paulò ante vix emerserant, silvis trepidantes occulebant. Perturbatis ergo ordinibus cæsæ legionis, Heraclio Jovinianorum tribuno, ac pœnè omnibus, qui militibus præerant, extinctis, paucis effugium tutum, mox & latibula silvarum præstitêre. Sigebertus infelicissimi prælii casum memorans: *Franci*, inquit, *Quintinum & Heraclium Romanorum Duces, cum omnibus penè suis, juxta Trevirim deleverunt.* Non obscura Sulpitius Alexander hîc documenta præbet noscendorum finium in quos motis gentibus aliis, Franci sedes jam tum protulerunt, nemorosis ac palustribus locis, ubi quondam Tencteri, Bructeri, Ubii, quæque jam Agrippinensi Præsuli trans Rhenum aut Cliviæ Duci parent, insessis.

Francorum in Rheni limitem irruptio.

Nannienus & Quintinus Romani duces cõtra Francum dimicant.

Carbonaria silva.

*Sigon. caudicibus.

Sulp. 3. hist. l. Alexan. apud Greg. Turon.

Romanorũ clades à Francis illata, legione cum ducibus cæsa.

Heraclius & Quintinus occumbũt.

Sig. in Chron.

Francorum sedes.

CCVIII. Valentinianus, cùm subinde magistratus omnes creatos à Maximo, ut fit in novis imperiis, abdicare coegisset, pro Nannieno & Quintino Cariettonem, & Syrum ad Rheni limitem misit, eorum industriâ, promptaque manu, ad cohibendum Francorum insolentiam, usurus. Nec Theodosius Galliæ curam omittebat, Arbogaste submisso militum magistro, ut Victorem Maximi filium opprimeret. Victor autem patris funere semifractus, non incruento, nec magno tamen certamine superatus est; unoque die imperio juxta ac vitâ exutus.

Sulpi. Alex. apud Tur. Zosim. l. 4.

Victor Maximi F. superatus prœlio moritur.

CCIX. Atque hunc finem Maximi quidem regnum invenit; quem Sulpitius Severus virum fuisse memorat, omni vitæ merito prædicandum, si ei, vel diadema non legitimè tumultuante exercitu impositum, repudiare, vel armis civilibus abstinere licuisset. Sed magnum imperium, nec sine periculo renui, nec sine armis teneri. Maximi & Victoris filii nomismata Treviris eruuntur, labaro & Crucis tropæo spectatissima; plurimumque Victoriola globo insistens manibus hæret signiferi, vertici AVGG. diadema vel sertum porrigens.

Maximi elogium.

CCX. ANNUS CHR. 389.

Sulp. Alexan. apud Gregor. & Paulinus in vita S. Ambros. de Arbogasto.

Valentinianus in ultionem Francorum sumit arma.

Anno sequenti, cùm Francos iterum ex Gallia prædas egisse nunciatur, Arbogastes Valentiniano fit autor, ut pœnas à Francis meritas repetat, quæque superiore anno cæsis legionibus diripuissent, omnia restitui jubeat, autoresque belli ad supplicium unà dedere, in quibus violatæ pacis perfidia puniatur. Probato consilio, mox Arbogastes in prœlium accingi; atque simul pugnæ paratum hostem invenit; collatis cominus signis, haud exiguam manum Francorum fudit atque cæcidit.

Arbogastis victoria.

Valentinianus pacem cum Francorum gente pactus in Treviros venit.

Post paucos deinde dies, Valentinianus Imperator ad Rhenum ipse proficiscitur; & invitatos ad colloquium Sumnonem & Marcomerem pacem accipere cogit; datisque de more obsidibus, in Germaniam dimittit. Ipse Treviros in hiberna inde reversus. Eum verò Trevirim hoc anno revertisse ceu ad incunabula pænè sua, & gratissimam parenti, germanoque sedem, liquet ex Rescriptis, quæ per Junium, Novembremque menses, hinc dedit: in quibus id gravissimum ad Messianum Comitem, quo rem fisci violenter occupatam asseruit. *Plerosque detectum est in rem privatam nostram, quam publicatio celebrata quasiverat, invasisse; quam nos à * retentoribus ereptam sociari jubemus ærario, punientes contumaciùs, quàm decus publicum sinebat * erectos; ut, qui litem inferre potuissent, nollent expectare judicium, ac spernerent victoriam, quam justitia præscripsisset eventus, & amplecterentur, quod dedisset audacia. Gadat igitur lite, quisquis operiri noluerit litis eventum; &, quod recipere lege potuisset, contemptor examinis violentus amittat. Illi verò, quos in tantum furorem provexit audacia, ut, quod jurgaturi apud examinis fidem sperare non possent, ante eventum judicialis arbitrii, illicitâ præsumptione, temerarent; æstimationem rei, de qua litigaturi convenerant, cogantur exsolvere. Quod quidem etiam in privatis observandum negotiis, generali lege sancimus. Illud autem, ab officio magnificentia tua cavendum esse decernimus, ut sacratissima domus nostra litem exspectare, non inferre cogatur; neque expetat, sed patiatur examen. Dat. XVIII. Kal. Jul. Treviris, Timasio & Promoto Coss.* quorum consulatu notavit Prosper, Idacium & * Ithacium Episcopos ob necem Priscilliani, cujus accusatores fuerant, Ecclesiæ communione privatos; non quòd bona existeret Priscilliani caussa, quem B. Hieronymus meritò scripsit, & sæculi gladio, & totius orbis autoritate damnatum; sed, quòd Ecclesiasticæ mansuetudinis obliti, inclementiùs judices sæculi in reorum sanguinem exacuissent.

Cod. Theod. l. 4. tit. 22.

* *retentatoribus.*

* *ereptos*

* Ursacium.

Idacius & Ithacius communione abstenti.

B. Hieron. ad vers. Pelag.

CCXI. ANNUS CHR. 390.

Valentiniano quartùm deinde, & Neoterio, anno Christi trecentesimo nonagesimo, Consulibus; ipse adhuc Valentinianus per æstatem apud Treviros degit, ac decimo quinto Kalend. Quintil. rem vehicularian, cupiditate ac rapinis veredorum afflictam, edictis sublevavit.

Observatum etiam in Disputatione historica de Tungrorum Episcopis scitè & opportunè, hoc tempore Belgicis Ecclesiis, restituto Valentiniano, lucem novam religionis quandam obortam. Quippe circa hunc annum missum Atrebatensibus à Siricio Papa Diogenem Episcopum, qui à Remorum Metropolitano ordinatus, animarum messem non exiguam in horrea Domini convexit.

Ægidius Bucher. ad Gesta Leod. Episc.

Belgicarum Ecclesiarũ lux quędam sub Valentiniano juni.

Diogenes Atrebateñ. Episc.

CCXII. S. Severinus Col. Archie.

Severinus quoque Agrippinensium Antistes sub hæc tempora, cùm præclarè suis vicinisque Tungris pastorali vigilantiâ, pro morum sanctimonia consulit; S. Evergislum Tungrensem in suam cooptans disciplinam, quantus mox indole virtutis is emicuerit, tantum educatione suâ præstitit. Quin & extremi Gallorum hominum Morini, & accolæ tractus Ebruicani S. Victricii Rothomagensis Episcopi ardentem animarum conversione spiritum, vimque sanctitatis ejus ac virtutis experti sunt.

S. Evergislus Col. post Antistes.

S. Victricius Rhotomag. Episc. Confessor sub Juliano.

Adi Epist. 26. S. Paulini.

ANNUS CHR. 391. & 392.

Valẽtiniani calamitas

B. Ambr. in Orat. funebr. Zosim. ut sup. & Oros. l. 7. c. 35.

Sulp. Alexander apud Greg. Turon. lib. 2. Franc. hist. c. 9.

Porrò Valentinianus cùm deinde certior fit, graves in Italiam imminere barbaros, Trevirim nunquam reversurus, Viennam adiit, ut inde ad Alpes, expeditis belli consiliis, propior sibi accessus esset. Hic contractâ cum Arbogaste Comite simultate, cùm is altiùs iras condit, fertque immoderatiùs, quàm subditum decet; brevi tum ibi apparuit, non tam exercitus atque thesauros, quàm veros amicos, certissima regni præsidia esse; quorum inopiâ unus Arbogastes in principali domo tantùm valuit, ut Valentinianum abstrusum clausumque palatii recessu, ac pænè infra privati modum redactum, Francico satellitio cingeret. Atque, ut parùm fidei miseris est, civilia quoque officia mox transgressa in conjurationem Arbogastis; nullusque ex omnibus repertus, qui familiari Principis sermoni aures dare, nedum jussis obsequi auderet.

CCXIII. Valentiniani ad S. Ambros. afflictis rebus perfugium.

Inter hæc Valentinianus, opem præsidiumque supremæ necessitati postulat à D. Ambrosio, quem summâ pietate ceu filius parentem eximiè colebat; & quia sæpiùs in Galliam invitatus Ambrosius, ob Episcoporum crebras tum ibi dissensiones, gravatè quidem istuc accedere se diceret; quò majorem alacritatem injiceret cunctanti, ullius Synodi causâ se vocatum in præsentia negabat, sed potiùs, ut egredientem se sacrâ baptismatis undâ perfunderet. quare, nec Ambrosius ultra expectato, dum viam capessit, interea rebus Valentiniani abscissis omnibus, Arbogastes consilium tandem spei non audacis modò, sed prorsus cruentæ cepit. Corruptis etenim Eunuchis & cubiculo Præfectis, indignissimo mortis genere præcellenti virtute atque indole Principem strangulandum curavit; & quo turpissimæ necis ipse sibi autor videretur, sublimem laqueo suspendi placuit. S. Hieronymum in magna scriptorum varietate * tædium potiùs, quàm interfectoris vim allegantium, audiamus licet: *Adolescens Valentinianus & pænè puer, post fugam, post exsilia, post recuperatum multo sanguine imperium, haud procul ab urbe fraternæ necis consciâ, necatus est; & cadaver exanime suspendio infamatum.*

Valẽtiniani votum baptismatis suscipiendi.

Orat. funeb. & l. 5. ep. 34. ipse Ambros.

Valentiniani indigna mors.

de qua variè narrant scriptores.

B. Aug. de Civit. l. 5. c. 26. & Oros. ut sup. sed satis apertè B. Ambros. in Orat. funebr. D. Hieron. ep. ad Heliodor.

* *Prosp. in Chron. Cassiod. Ruf. Zonar.*

Valẽtiniani desiderium apud Galliæ populos.

Ejus mortem, quanto luxerint desiderio nostræ Galliæ, clarissimis verbis indicat B. Ambrosius, cùm principis funus, quod

Mediolani

Mediolani serò, sed ritè curatum, pro concione laudavit amplissimè: *Flent omnes, flent & ignoti, flent & timentes & inviti, flent & barbari, flent & qui videbantur inimici. Quantos ille de Galliis usque huc, totius tractu itineris, populorum egit gemitus? omnes enim non tanquam Imperatorem sibi, sed tanquam parentem publicum obiisse domestico fletu doloris illacrymant; suaq; omnes funera dolent.* Et Valentinianus profectò, amabilis juventæ respectu, summis provincialium studiis, & amore circumfluxit; tam vicissim indulgens ac propensus in eos, tributorum ut nihil unquam indici passus sit; crebroque jaceret; *præterita non queunt solvere, nova poterunt sustinere?*

B. Ambr. de obitu Valent.

CCIV. *Eugenii tyrannis in Gallia.* Arbogastes porrò dux sceleris, imperio se indignum, & invidiæ, tantisque gerendis rebus imparem haud nescius, summam potestatem relegare ausus est ad Eugenium paganæ superstitionis hominem, qui ex ludo literario ad Palatinos honores emerserat. iis tamen spiritibus, ut moli sustinendæ ingentem exercitum partim ex Romanis, partim ex barbaris conflaret; Galliamque mox ad deditionem adductam, suæ potestatis faceret.

Ea res, ut pernicibus in Italiam & Orientem nunciis est delata, mirificè omnium animos, in primis verò Theodosium afflixit; ubi imperium ad indignissimos recidisse comperit: quare iisdem pænè curis, quibus occiso Gratiano, jactatus, de obterendo tyranno, primo quoque tempore consilium expedit.

CCV. *Sulp. Alexander apud Gregor. Turon.* *Arbogastes Francos depopulatur.* Anno exeunte Arbogastes Sunnonem & Marcomerem regulos Francorum, gentilibus odiis insectans, Agrippinam, rigente jam frigoribus hieme petit, ratus, tutò omnes Franciæ recessus uri vastarique posse, cùm decussis foliis nudæ atque arentes silvæ, insidiatores non occulerent. Transgressus Rhenum, Bructeros ripæ proximos, & pagum Aëtiam, quem Chamavi incolebant, depopulatus est; nemine usquam occurrente, nisi, quod pauci ex Ansuariis & Chattis, Marcomere duce, in ulterioribus collium jugis apparuère. *Bructeri & Chamavi.* *Aëtia.*

CCVI. ANNUS CHR. 393. *Eugenius Italiam bello petit.* Postero, quo Theodosius tertiùm Consul cum Abundantio fuit, Eugenius altiùs jam, quàm pro tyranno literario spirans, & spe animoque complexus Italiam, ubi Germanis fœdere conciliatis, limitem habere pacatum sibi visus, ad Alpes cum exercitu movit. Qua de re certior factus Theodosius, haud cunctandum putavit, quin unà & Valentiniani necem, & servitutem Italiæ, justis armis ultum iret. totus igitur hic annus in rerum adparatu, & instruendis bello gerendo subsidiis, consumptus.

CCVII. ANNUS CHR. 394. *Theodosii contra Eugenium pugnantis divina victoria.* Inde ad Julias Alpes cum copiis omnibus profectus, præsidio ex saltu ejecto, contra hostium opinionem, præruptis montium angustiis, infestum agmen infundit: & quamvis loci naturâ in arctas fauces compellente stationem, fretus tamen divinis responsis, mox pugnæ copiam facit. Hostes, ut virtute & numero facilè pares, prœlium neutiquam detrectare. Quare signo pugnæ dato, infestâ acie utrinque concurritur, intulitque magnam hic, Ambrosio narrante, formidinem, quòd locorum angustiis, & impedimentis calonum, acies Theodosii conflictata paulò seriùs in pugnam sese erigeret; jamque vis equitum hostilium prorumpens cunctantibus occursando, se principiis immergebat: cùm Theodosius, in illa trepidatione nullum constantis ducis ac fortissimi militis officium omittere, equo desilire, & ante aciem solus progredi, cum vociferatione: *Ubi est Theodosii Deus?* & verò ducis excellenti tum fide, tum pietate, prœlii felicissimus fuit eventus. Theodosio namque suppliciter in preces effuso, & divinum auxilium sibi propitium votis, ut tali tempore, flagrantissimis, faciente, præsentis è cœlo subsidii, minimè dubiam fidem cùm alia multa fecere, tum venti tempestatesque, ipsi in medio ardore certaminis obsecundantes. meritò, ut B. Augustinus & Orosius hujus ævi testes locupletissimi, dixerint, tela, quæ vehementiùs intorserat hostis, excepta ventis, impetu quodam supinata ac retrorsum adacta, ipsos infeliciter confixisse, qui irrita miserant. Quare, cùm in exitium infelicis exercitus, cœlum, terra, Deus, & ipsa rerum natura conspirassent, ad extremum, suis confossa spiculis hostilis acies, ad internecionem procubuit. Quod Claudianus, etsi gentilitati ad pervicaciam usque deditus, tamen fateri de Theodosii felicitate coactus, cecinit:

B. Amb. de obitu Theod.

B. Aug. l. 5. de Civit. c. 26. & Oros. l. 7. c. 25. Prosper. & Marcell. in Chron.

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies, revolutaq; tela
Vertit in autores, & turbine reppulit hastas.
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab alto
Æolus armatas hiemes, cui militat æther:
Et conjurati veniunt ad classica venti.

Panegyr. Honorii.

Ipsum verò belli piaculum, Eugenius, captus ante ora Theodosii stetit, & pœnas, arbitrio victoris, capitali supplicio exsolvit. Arbogastes autem mortem anteveniens, suâ se manu feriit. Ita Gallia à tyrannorum dominatione, multo sanguine, vindicata, & Italia in libertatem erecta est.

Zosim. lib. 4. Ecclef. hist. Marcellin. Chron. Paul. Diacon. in Theodos.

Theodosius, ubi imperium Occidentale jam suscepisset, constituta Republica egregiis Christianæ virtutis atque clementiæ documentis, apud Mediolanum XVII., Kal. Febr. anno imperii XVI. diem suum obiit; Arcadio Orientem, Honorio Occidentem relinquens. CCVIII. THEODOSIUS IMP. *B. Ambros. in in orat. de obitu Theodosii.*

Illo ex rebus humanis exempto, dici non potest, quàm altum vulnus orbi Romano impressum; cùm enim liberorum ætas esset imbecillior, quàm quæ tantæ rerum moli sufficeret, immani præfectorum raptu, auaritiâ, luxu cecidit Resp. Enimverò barbaris jam primas in imperio sibi vindicantibus, haud facilè quisquam omnium repertus, quem salus atque incolumitas Principum respiceret. Inter hos ut nuper apud Valentinianum Bauto & Arbogastes transrhenani homines novi, ita jam Stilico Wandalus, cum specie tutelæ vim sibi principatus circumdat; cunctaque in se unum trahens, Rufinum Orientis præfectum munere suo exuere, & æmulis artibus subvertere studet, rebus, etiam inde turbatis, necessitas Reip. scelus ambitûs occultavit. Atque ita suis privatim honoribus atque commodis uterque velificans, ille quidem barbaros in viscera Reip. infudit; hic eos, omni arte ac simulatione in sui spem quæstus, nutrivit. utrumque cum præsentissimo Reip. jam inclinantis exitio.

ANNUS CHR. 395. HONORIUS IMP. an. 28. m. 11. *Imperii necessitates jam inde ab Theodosii morte sese insinuantes.* *Zosim. lib. 4. Oros. l. 7 c. 37. Ruff. l. 2. c. 31.*

Stiliconis & Rufini ingenia, quid imperio Rom. profuerint.

CCIX. ANNUS Chr. 396.

B. Paulinus ex Phrygia transfertur à Felice Treverim.

Basilica condendis B. Paulini reliquiis à S. Felice exstructa cum monasterio.

Per id quoque tempus cùm Felix Trevirorum Episcopus, insigni vitæ castimonià, & variorum depulsione morborum, civitatis obstrinxisset sibi studia, à senatu populoque facilè consecutus est, ut publico provinciæ sumptu B. Paulini decessoris corpus tot regionum fluminumque divortiis ex Phrygia, quò detentum fuerat hactenus, transferret in suam sedem. Postquam verò in Treviros postliminio rediit, exsilii jam squalore deterso, meritis, & victoriarum titulis gloriosior Paulinus, Felix ejus dignà veneratione componendis reliquiis Basilicam eleganti opere posuit in urbe cum monasterio; quam votam dicatamque Virgini beatæ Dei Genitrici, tum Martyrum Treverici Thebæique nominis sacratis ossibus, tanquam gemmis quibusdam distinxit, tum B. Paulini corpore in crypta religiosè catenis suspenso, ceu firmissimo quoque præsidio, communivit. Corpori loculum aptavit æterno; ac, ut reor, cedrino ligno; ignotum sibi genus confessi majores; byssinoque ac sericis induto orbem pectori imposuit argenteum, cum sollenni tunc Christi nominis inscriptione, quod & in capite tumbæ, atque ad Martyris pedes forinsecus expressum:

CCX Sepulchrum S. Paulini situ mirificum pendet in aere.

Et situs, ac veneratio pignori sacro usque ad Normannorum irruptionem inviolata mansit: qui iteratò facibus illatis, cùm sacerdotii magni sacrarium adversus ignium vim stare viderent illæsum, sarcophago manus injicere, & amotis catenarum repagulis, solo parabant affligere Præsulis monumentum; sed novo naturæ miraculo, ferunt, ab ultima vi deterritos, cùm nullo jam retinaculo tumbam ceu ponderis omnis expertem, aëris beneficio ac sponte sublimi pendere cernerent. Atque ita mirificè suspensas in loculo suo per multorum annorum curricula Patroni sui reliquias ætas postera vidit, donec ab impiis quibusdam, non sine gravi piaculo loculus humi depressus est, tam luculentà Dei irà, ut omnes lucernæ passim intra septa templi & monasterii sponte exstinctæ sint, & nebula sacrilegis offusa tantæ caliginis, ut vix pateret iis ad fugam exitus; sequente mox quemque diro proprioque cruciatu, cujus immedicabili dolore, non priùs quàm vità ipsà carere potuerint. Translationis ac depositionis hujus fama celeberrimæ memoriam III. Iduum Maii conservat. Basilicæ veteris molem à Felice collocatam longitudine, aiunt, collegisse quadringentos decem pedes, at latitudine, centum viginti. Atque hæc Paulinianæ veteris origo & ornamenta Basilicæ; quæ varias post hostiles experta clades, nec non crebris afflicta incendiis, priscæ sedis vix ulla vestigia tuetur.

Normanni ... prohibiti à violatione S. Paulini.

Sepulchrum S. Paulini violatorum à Deo punitì.

Prolixitas veteris Basilicæ magnitudo.

Paulinianæ ædes.

CCXI. ANNUS Chr. 397. S. Felix Ep. Trevir. se abdicat magistratu. Mauritius II. Arch. VII. Episc. 33.

Porrò Felix, duodecim in Ecclesia Trevirorum administranda positis annis, Mauritio muneris sui procurationem cessit; seque vitæ qùietioris amore in monasterium, quod condiderat, abdidit; quod reliquum ætatis, in pœnitentia, ab hominum cœtu, & mortalium rerum imagine, procul habiturus.

ANASTASIUS Pont. an. 4. m. 1. d. 13. ANNUS Chr. 398.

Sedere inter hæc Romæ cœpit Anastasius. Nonæ post abdicationem, Felici vita longa contigit. Ubi ergo dies affuit vitæ supremus, in cœlum tendentem palmas, sanctissimis ferunt hortamentis, eos, quos socios vitæ communis habebat, inflammasse, ac, ab Opt. Max. parente Deo cum pace felicem exitum & missionem flagitâsse: nec mora, cœlestibus auditis responsis, accidisse ad aures adstantium voces, ad immortalia præmia & palmam, invitantium. Super hæc visam columbæ formà sanctam migrare suo domicilio animam. Obiit septimo Kalend. Aprilis; eundemque diem in omni memoria festum habuit. Ejus in Basilica S. Paulini corpus depositum; ubi ad dextrum latus odei, sepulchrum magnà veneratione colitur. Titulus autem sepulturæ est:

Epitaphium S. Felicis.

HIC REQUIESCIT S. FELIX TREVIRORUM ARCHIEPISCOPUS, QUI HANC ECCLESIAM SUPRA SEPULCHRA MARTYRUM THEBÆÆ LEGIONIS CONSTRUXIT. QUI ET B. PAULINUM A PHRYGIA TRANSLATUM INTER EOSDEM MARTYRES MARTYREM MEDIUM COLLOCAVIT.

FINIS LIBRI QUARTI.

R. P. CHRI-

Digitized by Google

R. P.

CHRISTOPHORI BROWERI
SOCIETATIS JESU,
ANNALIVM TREVIRENSIVM.
LIBER V.

Annus Christi 398. &c.	Mavritii 33. Trev. Episc. 3. &c.
Anastasii Papæ 2. &c.	Honorii Imp. 4. &c.

Hactenus florentissimæ ac ut potuit beatæ Trevirorum Reipublicæ tempora emensi, quà certè per idoneos autores, proficere licuit; quaque amplitudinem & præstantiam veteris populi, retrò patefactâ viâ indagare & assequi concessum,

I. Trevirim ostendimus, quanta sub Romani nominis auspiciis ad gloriæ maturitatem effloruerit: tum quandam Ecclesiæ Trevericæ Pontificumque priscorum excellentem dignitatem, ad posterorum commendationem, memoriâ circumsepsimus; deinceps, quæ rerum humanarum vicissitudo, consenescentis & ad interitum præcipitantis imaginem, non secus quàm Solem abeuntem, herba solstitialis, intuebimur. In qua conversione, si parciùs & languidiùs seriem Annalium exequimur, dabitur eadem, spero, nobis, quæ naturæ venia. Enimverò, cœlestes illos ignes videmus, licet immortali lege constantiaque devinctos, ut vicibus suis ortus ac luminum incremento terras exhilarant, sic in diversa lapsos omnia sola terrarum opacare tandem, & subtracto negatoque sui velut aspectu, horrore tristitiaque faciem universi confundere; quo per noctis & diei, æstatis hiemisque multiplices orbes, oriendo, majore mortalium gaudio damna reponant, quàm fructum cadendo, variis ereptis humano generi commodis, abstulerunt. Quare accesserit ad brumale signum Romani imperii status; & hæc Phoebe Treverica à solis sui lumine longiùs sese subduxerit, Deo tamen siderum & conversionis hujus Autore ac Principe, inde sensim ascendet in diversam partem; novóque temperamento, pro uno nec stabili nec suâ vi nixo imperio, plura & feliciora regna adducet, referetque pietatis & religionis eam formam, quâ nulla ne expeti quidem potuit pulchrior ac beatior.

Trevericæ Reip. facies senescentis.

II. ANNUS CHR. 398. 399.

Honorius Imperator, ceu signis imminentis in Orientem procellæ acceptis minimè dubiis, per id tempus Stiliconem ad Rhenum misit, quo ferocissimas tunc inhiantes Rheno & Belgicæ gentes, fœdere dato, pacaret; & tristiores inde belli motus, aliam in partem averteret. Id quod Claudianus ad IV. Consulatum Honorii canit:

Claud. de 4. Conf. Honorii.

Hunc tamen in primis populos lenire feroces,
Et Rhenum pacare jubes.
Pergit & hostiles, tanta est fiducia, ripas
Incomitatus adit.

Post hæc: *Iuratur Honorius absens*
Imploratq; tuum supplex Alemannia nomen.

Inter barbaros verò, quibuscum fœdus ictum, expressit Poëta quoque Francos & Sicambros. Unde in Treviros & ad Belgas accessisse Stiliconem non vanè conjicimus. Sed sera tamen hæc nimium fuisse remedia, mox docuit erumpens mali vis.

III. ANNUS CHR. 400. 401. *Barbaries abhinc certatim influit.*

Annorum itaque, sæculum à partu Virginis quartum aperientium periodus, omnium fuit, quos Romana Respublica vidit, luctuosissima; imperio jam, non priscas tantùm non retinente metas, sed impunè persultante omnia, victoris more, barbaro. Et jam tum primùm exteris ferisque nationibus ludibrio Occidens cœpit esse, quarum in dies augescente magis atque magis insolentiâ, Romanis interim velut epotâ mandragorâ consopitis, periit masculum illud robur, quod gentes, populos, provincias attriverat; & velut felicitatis diutinæ crapulam quandam edormiisset, ab inertibus & rigidis Scythis, & imbellibus Wandalis & Alanis, fœdissimè discerptus atque dilaniatus est orbis Romanus.

IV. *Galliarum inclinatio, à barbarorum nimia apud Rom. fiducia.*

Sed Galliarum nos propria cura tangit; cujus certè mœstissimos vultus Apollinaris Sidonius nobis expinxit, in panegyrico, quem Majoriano Augusto dixit; ubi versâ quidem, at verâ oratione Romam introducit Galliæ suæ inclinationem, jam inde à Gratiani Valentinianique fratrum Augustorum casibus, deplorantem, ceu malorum hinc fontem & originem prudens accerseret.

Gratianus autor Theo. imperii, Valent frater.
** Arbogastes.*
** Valentiniano, qui à Bautone & Arbogaste pressus.*
Barbari ante nobilitatem Latialem.
Lib. 3 epist. 8.

Ex quo Theodosius communia jura fugato
*Reddidit autoris fratri, cui guttura * fregit*
Post in se vertenda manus, mea Gallia rerum
Ignoratur adhuc dominis, ignaraq; servit.
*Ex illo multùm periit, quia Principe * clauso*
Quicquid erat miseri diversis partibus orbis,
Vastari sollenne fuit. Quæ vita placeret,
Cùm rector moderâdus erat? contëpta tot annos
Nobilitas jacuit, pretium Respublica forti
Rettulit invidiam.

Et adhæc avaritiæ quædam intestina tabes Reipub. membra fœdè depascebat; cùm, ut idem Sidonius alibi testatur, natio fœneratorum non solùm inciviliter Romanas vires administraret, verùm etiam à fundamentis erueret. Unde nec mirandum fuisse dixit, si nobilium virorum militariumque, & supra vel spem Gallicanæ, vel opinionem partis adversæ bellicosorum, non tam defuerint facta, quàm præmia.

Gallicana nobilitas bellicosa.

V. Hunnorum in Oriétem irruptio.

Harum verò cladium acerbitas in Orientem interea loci sese insinuârat; dum Occidentis inter se commissæ vires, fero & execrabili bello civili distinentur; Eugenio impia in Italiam arma ferente. Ergo ubi fidis legionum auxiliis caret Oriens: *Ecce subitò discurrêre nuncii*, verba S. Hieronymi sunt, *ab ultima Mæotide inter glacialem Tanaim & Massagetarum immanes populos, ubi Caucasi rupibus feras gentes Alexandri claustra cohibent; erupisse Hunnorum examina; quæ pernicibus equis huc illucq; volitantia, cædis pariter ac terroris cuncta complerent. Enarrat alibi, superante jam Hunnorum audaciâ, Antiochiam obsessam, & urbes reliquas, quas Halys, Cydnus, Orontes, Euphratesq; præterfluant; monasteria capta, fluviorum aquas humano cruore mutatas, tractos greges captivorum.*

S. Hier. ep. 30. Idem Claud. in Ruffin. l. 2.

Hunnica sævitia

Ep. 3. ad Heliod.

VI. Gothorum in Græciam impetus.

Auxit Hunnicum terrorem, haud mitior Gothorum inde in Græciam factus impetus, quem Claudianus suo poëmate pinxit magis quàm finxit:

Geticis Europa catervis
Ludibrio prædæq; datur, frondentis adusque
Dalmatiæ fines, omnis quà mobile ponti
Æquor & Hadriacas tellus interjacet undas,
Squalet inops, pecudum nullis habitata colonis.

Ep. 3. ad Hel.

Cujus vulneris acerbitatem sæpiùs etiam contrectans B. Hieronymus: *Viginti*, inquit, *& eo ampliùs anni sunt, cùm inter Constantinopolim, & Alpes Iulias, quotidie Romanus sanguis effunditur, Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Thessaliam, Achaiam, Epiros, Dalmatiam, cunctasq; Pannonias, Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Wandali, Marcomanni, vastant, trahunt, rapiunt. Quot matronæ, quot virgines Dei, & ingenua nobiliaq; corpora, his belluis fuêre ludibrio? capti Episcopi, interfecti Presbyteri, & diversorum officia clericorum, subversæ Ecclesiæ, ad altaria Christi stabulati equi, martyrum effossæ reliquiæ: ubique luctus, ubique gemitus, & plurima mortis imago. Romanus orbis ruit; & tamen cervix nostra non flectitur. Quid putas nunc animi habere Corinthios, Athenienses, Lacedæmonios, Arcadas, cunctamq; Græciam, quibus imperant barbari?* Atque hæc ille priùs, quàm Italiæ invadendæ Gothi consilium explicâssent.

Barbarorû in orbem Romanum sæviens feroci.

VII ANNUS CHR. 402. B Martini Turonensis obitus.

Annus inde quadringentesimus secundus Arcadium & Honorium jam quintùm Coss. extulerat, cùm B. Martinus Turonensis admirabili fama sanctitatis Episcopus, vitâ excedens, cœlum meritorum copiâ dives ingreditur. Cujus quidem transitum cum Prospero in annum conferre præsentem, eâ ratione præsertim Ecclesiasticorum Annalium conditori placuit, quòd anni jam inde à conventiculo Trevirensi effluxerint sedecim, quibus superfuisse Martinum disertè Severus prodidit. Sed, quia S. Martini migratio temporibus sepiendis terminandisque limes venit, & celebrem dat Epocham reliquis ætatibus; res postulare videtur, ut aliorum super hac dissimiles etiam opiniones prodamus. Nam, ut Isocratem in Ephoro ferunt calcaribus, contrà autem in Theopompo, frenis uti solitum; ita, qui ad hunc præsentem annum, mortem sancti Præsulis retulerunt, eos ceu freno reflectendos, qui autem quinquennio citiùs Attico & Cæsario Coss. transisse pugnant, hos calcaribus ultra censent incitandos. Ambigi tamen non potest, si nudam Consulum seriem intueamur, quin Gregorio Turonensi autore, censeri queat migrasse Attici & Cæsarii Consulatu, cùm id non semel Gregorius disertè testatum relinquat, & verisimilius sit, in hisce Consulibus assignandis, majorum autoritatem sequutum, quàm alienis ex fontibus eos hauriendo, deceptum. Sanè Idacius Lemicæ in Hispania Episcopus, scriptor vetustus & laudatus, in suo Chronico: *Martinum virum Apostolicum carne depositâ*, ait, *transisse ad Dominum anno XV. regni Arcadii.* At retro numeratis annis usque ab * eo, quo Arcadius à Theodosio patre XVII. Kalend. Februarii Imperator appellatus est, annus hic regni XV. præter-propter incidet in Consulatum Attici & Cæsarii, vel Christi * CCCXCVII. Verùm qui ex characteribus aliis, & Cyclorum paschalium regulis, accuratiùs Epocham hanc se pervestigasse putant, quia XI. Kalend. Novembris, & die dominicâ S. Martinus ad cœlum abiisse traditur, prorsus obitum S. Martini cum anno Christi CCCC. comparant; idque ex Prosperi & Sigeberti Chronicis, sed ad anni Dionysiani amussim expensis, confici quoque docent. Cùm enim Æram Christi à Dionysio constitutam Prosper triennio quidem, at Sigebertus biennio antevertat, consequens esse, ut qui Prospero CCCCIII & Sigeberto CCII. hic unus & idem sit annus Christi communis & Ecclesiæ usitatus CCCC. Ita eruditè contendit Ægidius Bucherius noster de Chronologia Francorum Regum differens; cujus ego lineas transilire nolim, si scrupulus de XVI. annis jam inde à Pseudosynodo Trevirensi & Evodii Consulatu præterlapsis, eximi possit. Vereor enim, ut ne id eruditis satis probari queat, si Evodii Consulatum, sub quo Priscillianistarum caussa, Martino præsente Treviris acta, à Sulpitio dicamus anno citiùs, quàm honorem is iniisset, digestum; ceu Consulem tantùm designatum appellasset, cùm gnarus ille autor morum sui temporis, sermone haud temerè abutatur, & Fl. Evodii Consulatum cum Honorio Theodosii Augusti F. nobilissimo puero gestum, publici fasti consignent, comparentque eruditiores cum anno Christi CCCLXXXVI. Sed de anni unius vix ampliùs discrimine, in tanta nec comperta fatis annorum, sive labentium, sive completorum fractione & vicissitudine, nimis anxiè laborandum non videtur.

Degebat per hosce dies in Treviris, & monasticen colebat, insigni religione ac pietate, Bassula matrona singularis, & patrimonii dote locupletis olim ambienda. Hujus filiam Sulpitius Severus Aquitanus, egregiâ virtutis, ingenii

Prosper apud Sigeber. Anni vitæ & mortis disceptantur a Baron. tom. 4. & Not. ad Martyrol. 11. Novemb. Scalig. l. 6. de emend. temp. Ægid. Bucher. ad Gesta Episcop. Tung. & Leod.

S. Martinus ex Gregor. Turon. sententia obiit Attico & Cæsario Coss.

Lib. 1. cap. 43. & lib. 2. mir. S. Martini c. 5. Coss. eos ex Prosperi Chronico Gregorium petiisse opinatur Ægid. Bucher. cit.

*Christi en. fuit is 383.

* *Scaligero ob dissens. cum Dionysio, est 395.*

S. Martinus potius obiit an. Christi 400.

Prosperi & Sigeberti Cyclorum ratio ... pag. 10.

Scrupulus de XVI. annis vita S. Martini post Synod. Trever.

Cap. 23. vita S. Martini Trajectus (præterito) idemq; Consule Evodius.

Fl. Evodii & Honorii Cõsulatus indict. XIV

Marcellinus. Prosperi Cassiodor. Sigeb. Oros. Idacius. Baronius

VIII Annus obitus S. Martini Ægid. Bucherio 400 Jac. Gord 401. Baron 402

Bassula cõsularis floret in Treviris.

Sulp. Severum ad abdicationem sæculi perducit.

ingenii ac stirpis claritudine, nuper sibi junxerat, cùm lucis ac fori celebritate spectatus, facundi jam tum nominis palmam obtineret. Porrò, cum fugaci gaudio in ipso juventæ flore rapta conjux Severum immaturâ morte perculisset, Bassula, quæ jam Christi religione inflammata, arduum virtutis iter instituto monastico, ut facilis est interpretatio, carpebat, quod in Paulino suo Therasia, hoc in genero suo Severo præstitit; ita, ut deserendi sæculi non solùm adjutricem, sed ducem ac magistram habuerit Bassulam. Quò promptiùs autem Bassulæ morem gereret Severus, exemplum invitabat Paulini Nolani, quod is stupescenti nuper orbi Romano exhibuerat, & quocum illi fœdus erat, votumque commune, Nolanum agrum, ut idoneum Christo colendo secessum, insidendi. Testatur id adeo Pontius ipse Paulinus, qui & abdicationem Severi collaudans, & præferens suæ. *Tu*, inquit, *frater dilectissime, ad Dominum miraculo majore conversus es: quia ætate florentior, laudibus abundantior, oneribus patrimonii gravior, substantia facultatum non egentior, & in ipso adhuc mundi theatro, id est, fori celebritate diversans, & facundi nominis palmam tenens, repentino impetu discussisti servile peccati jugum, & letalia carnis & sanguinis vincula rupisti. Neque te divitiæ de matrimonio familiæ consularis aggestæ: neque post conjugium peccandi licentia, & celebs juventa ab angusto salutis introitu, & arduo itinere virtutis, in mollem illam, & spatiosam multorum viam, revocare potuerunt.*

S. Ambros. epist. 36.

Paulin. epist. 6.

Ep. 1. ad Sev.

Sulp. Severi admirabilis vitæ cõversio, ejusque dignitas in sæculo.

Bassula ejusdem instituti cum Severo, quem parit in vitam æternam.

Bassulæ verò mox studium tangens & institutum: *Beatus*, ait, *qui corpus & mundum configens cruci, delitias juventutis & vitæ præsentis mala gaudia, pro venenis & luctibus aversatus es, respuens patrimoniorum onera ceu stercorum, meritò socrum sanctam, omni liberaliorem parente, in matrem sortitus æternam.* Sollerter autem, judicio sanè meo, conjectant, qui socrum Severi Bassorum imaginibus Romæ clarissimis inserendam putant. Elucet enim fastis Romanis hâc ætate non obscura Pomponii Bassi, Anicii Bassi, Septimii Bassi memoria; quos & inter Christianos attollit Prudentius, iterum iisdem versibus nobis testis:

Hilar. Gisel. ad Sulp. Sever.

Bassulæ genus.

Advers. Symmach. l. 1.

Non Paulinorum, non Bassorum dubitavit
Prompta fides, dare se Christo, stirpemq; superbã
Gentis patriciæ venturo attollere sæclo.

Bassulæ verò nomen, pro consuetudine Romana blandientium, ita * extenuatum est, ut Drusillæ, Fabiolæ, Blesillæ, Pudentillæ.

* ὑποκοριστικῶς.

IX. Bassula cur in Treviros venerit?

Causa adventus Bassulæ in Treviros, haud difficulter ex ipso colligitur Severo, qui illam, Aquitaniâ relictâ, patrioque solo divulsam, tam longè abcessisse memorat, quò filii molestiis careret, institutum vitæ cursum, ut fieri solet, interpellantis. Neque ambigendum, quin præter religionis exercendæ varias opportunitates, allexerit eam Trevirim quoque necessitudo quædam Aquitanica, crebro tum hîc jam inde à Divorum Maximini & Paulini memoria, qui ambo claris ex Aquitania orti majoribus, vivente clero & nobilitate. Obtulerat hisce diebus, se per quietem Severo, beatus Martinus, dum migraret simul ex hoc sæculo, candidâ prætextus togâ, vultu igneo, stellantibus oculis, crine purpureo, libellum, quem de vita illius scripserat Severus, dextra præferens: qua de re mox ipsum Aurelium Diaconum certiorem fecit. Bassula inter hæc Treviris agens, per Severi notarios, qui in jus ipsius socrus liberalitate transierant, epistolam longissimis itineribus clam intercipit, literisque ad Severum Treviris Tolosam missis, hortatur, quia de transitu B. Martini ad Aurelium scripserit, de ejusdem obitu prolixiùs enarret. Quod quidem ita fecit, epistolâ propriâ ad Bassulam de obitu S. Martini in Treviros missâ; quâ jocosè quidem, nimium adversum se Bassulæ studium, reprehendens: *Nullam*, inquit, *mihi domi chartulam, nullum libellum, nullam epistolam reliquisti, ita furaris omnia; ita universa divulgas. Si quid ad amicum familiariter scripsi, si quid fortè dum ludimus, quod velim tamen occultum esse, dictavi, omnia ad te priùs penè, quàm fuerint scripta aut dictata, perveniunt, nimirum obæratos habes Notarios meos, per quos tibi nostræ ineptiæ publicantur. Nec tamen adversus eos possum moveri, si tibi parent, qui in jus nostrum, ex tua potissimùm liberalitate venerunt; seq; adhuc tuos, quàm meos esse, meminerunt.*

B. Martini transitus Severo exhibetur.

Epist. 2. Severi.

Ep. 3. Severi.

Bassulæ studium erga Severum.

X. INNOCENTIUS PONT. 2 15 m 1 d 10

Prosper. Cassiodor. Claud. Oros. l. 7. c. 37. Prudent. l. 2. advers. Symm.

Alaricus in Italiam incurrit.

S. Paulin. in natal. S. Fel.

Italiæ terror.

Anastasio Pontifici Romæ jam Innocentius successerat, quando cœpit impetus Alaricum Gothorum Ducem, Italiam cum immensis suorum catervis ingrediendi; quem, ubi in durissimum anni tempus irruptionem parare rumor increbuit, ad tam inopinati famam nuncii, universum pænè nomen Latinum contremuit; ac fugæ consilia captans Romanus, ægrè Stiliconis autoritate, suis in sedibus retentus est. Nec mora; Alaricus ingens viribus, armisque, Noricarum Alpium claustris perruptis, obvia quæque oppida in potestatem redigere, ac nemine obsistere audente, Abduam versus, ad urbes Venetiæ populabundum agmen rapere.

XI. ANNUS CHR. 403.

Stiliconis fraus cum Alarico Gothisque colludentis.

Lib. 7. c. 37. & 38.

Posthac Galliarum ac Britanniæ limites, præsidiis nudati; atque omnes inde legionum copiæ ab Honorio ad Gothicum bellum excitæ. Stiliconis verò ductu, atque auspiciis, frequentibus quidem præliis iisque atrocissimis, cum Alarico dimicatum est; sed accidit fraude & culpâ Ducis, ut satis prodit Orosius, quòd Alaricus, cum suis sæpè victus, sæpè conclusus, semperque dimissus sit.

ANNUS CHR. 404. 405.

Eodem tractu temporum, altera barbarorum, Duce Radagaiso Scythâ, in Italiam immanis irruptio facta. Atque inde mox tertia secuta est; quâ Gallia primùm, deinde Hispania, postremò Africa sub barbarorum missæ jugum, atque in omne cladium & ærumnarum genus conjectæ.

XII. ANNUS CHR. 406.

Oros. lib. 7. & D. Hier. ep. 11.

Galliæ à Wandalis infestatæ, captæ à Godegisilo.

Cæterùm Galliam, Arcadio VI. & Probo Consulibus, pridie Kalend. Januarii, à Wandalis & Alanis Germanicarum nationum variâ colluvie permistis, occupatam, fastorum omnia consentiunt monumenta. * Godegisilus Wandalorum Rex, ubi deductis omnibus in Italiam, & de limite Gallicano detractis, necessario tempore, præsidiis, implicatum Gothici belli curis in diversa respicere comperit Honorium, occasionem invadendæ Galliæ, rerum omnium inopiâ stimulante, captans, ilicò ad Rhenum, cum immanibus suorum cuneis affuit; nec mora, pellectis in ejusdem

* al. ut Procopio, dicitur Godigiselus.

Marcellinus Chron. sub cit. Coss. Prosper. Cassiod. Sozom. l. 9. & Procop. de bell. Vandal. lib. 1. Gregor. Turon. histor. Franc. l. 2.

 belli

Digitized by Google

Epist. 11. ad Ageruchiam viduam.

* al. Rhodano, perperam.

Utraque Germania, Galliisque occupatis à Vandalo, Moguntiacum captū atque subversum.

S. Exuperiûs.

belli fortunæque societatem Alanis, Quadis, Marcomannis, Herulis, ac cæteris ulterioris ripæ semper Romano nomini infensis accolis; signa in imperii denascentis limitem convertere; Rhenumque pervectus, cœpit infundere sese in proximam Galliam. Obstabat conatibus ejus, unica tum in citerioris Galliæ sinum recepta, Francorum & Sicambrorum natio, quæ, sive fœderis icti sanctitatem memoriâ conservaret; sive prædam, quam unicam jam olim ipsâ spe voraverat, alienigenis invideret, huic tantæ multitudini occurrere, ac irrumpentes transitu prohibere parabat. Verùm superante Francorum vires hostilium copiarum magnitudine, barbaricæ omnia prona fuerunt ferocitati. Id quod verissimè non minùs, quàm eleganter, innuens beatus Hieronymus: *Innumerabiles*, inquit, *& ferocissimæ nationes, universas Gallias occuparunt. quidquid inter Alpes, & Pyrenæum est, quod Oceano & * Rheno includitur, Quadus, Wandalus, Sarmata, Alani, Gipedes, Heruli, Saxones, Burgundiones, Alemani, &, ô lugenda Respublica, hostes Pannonii, vastarunt. Maguntiacum, nobilis quondam civitas capta, atque subversa est, & in Ecclesia multa hominum millia trucidata. Vangiones, longâ obsidione deleti. Rhemorum urbs præpotens, Ambiani, Atrebatæ, extremiq; hominum Morini, Tornacus, Nemetes, Argentoratus translati in Germaniam. Aquitaniæ, Novemq; populorum, Lugdunensis & Narbonensis provinciæ præter paucas urbes, populata sunt cuncta. Non possum absque lachrymis Tolosæ facere mentionem; quæ, ut hucusque non rueret, sancti Episcopi Exuperii merita præstiterunt. Ipsæ Hispaniæ, jam jamq; peritura contremiscunt. Roma vitam auro redimit.*

Treviris item hac omnibus communi clade pervastata.

Trevericus luxus, & morum lascivia, castigari bellorum malis nequit.

Lib. 6. de gubernat. Dei.

Salvianus testis oculatus & spectator.

Mores Trevirorū corruptissimi.

XIII. Hujus verò repentinæ cladis correpta velut turbine Trevirorum Augusta, convulsis priscæ majestatis ac Reip. fundamentis, tum primum inclinare cœpit, & præceps ferri ad exitium, cùm captis, sive à Franco, seu Wandalo mœnibus, amplissimas & diutinâ pace congestas opes atque divitias, barbarus prædæ avidissimus exhausit; hominúmque vim ingentem captivam fecit. Neque interim hujus mali acerbitas pristinum civitatis luxum imminuit, neque effusam Treverici populi in compotationes, obscœnósque ludos, intemperantiam, castigavit. Unde testis horum temporum, quo præstantissimo in posterum utemur, vivens præsensque Salvianus, presbyter Massiliensis: *Vidi siquidem*, ait, *ego ipse Treviros domi nobiles, dignitate sublimes, licet jam spoliatos atq; vastatos, minus tamen eversos rebus fuisse, quàm moribus. Quamvis enim depopulatis jam atque nudatis, aliquid supererat de substantia, nihil autem de disciplina: adeo graviores in semet hostes externis hostibus erant, ut licet jam à barbaris eversi essent, à se tamen magis everterentur. Lugubre est referre, quæ vidimus; senes honoratos, decrepitos Christianos, imminente admodum jam excidio civitatis, gulæ ac lasciviæ servientes. Quid primum accusandum est: quòd honorati, an quòd senes, an quòd Christiani, an quòd periclitantes? quis enim hoc fieri posse credat, vel in securitate à senibus, vel in discrimine à pueris, vel unquam à Christianis? Iacebant in conviviis obliti honoris, obliti ætatis, obliti professionis, obliti nominis sui. Principes civitatis cibo conferti, vinolentiâ dissoluti, clamoribus rabidi, bacchatione furiosi, nihil minus quàm sensus sui: immò, quia prope jugiter tales, nihil magis quàm sensus sui. Sufficere ubiq; debuerat emendationi prima captivitas, ut instauratio peccatorum, non * instaurasset excidiū. Sed quid plura? Incredibile est, quod loquor: assiduitas illic calamitatum, augmentum criminum fuit. Sicut enim anguinum illud monstrum, ut fabulæ ferunt, quòd multiplicabat occisio, ita etiam in Gallorum excellentissima urbe, iis ipsis, quibus coërcebantur, scelera plagis crescebant, ut putares pœnam ipsorum criminum, quasi matrem esse vitiorum. Et quid plura? Ad hoc, quotidie malorum pullulantium multiplicatione, perventum est, ut faciliùs esset urbem illam sine habitatore, quàm ullum pæne habitatorem esse sine crimine. Igitur hoc in illa. Quid in alia non longè, sed prope ejusdem magnificentiæ civitate? nonne eadem & rerum ruina pariter & morum? Nam præter cætera, cùm duobus illic præcipuis & generalibus malis, avaritiâ & ebrietate, omnia concidissent, ad hoc postremò, rabidâ vini aviditate, perventum est, ut principes urbis ipsius, ne tunc quidem de conviviis surgerent, cùm jam hostis urbem intraret: adeò etiam Deus ipsis evidenter, ut credo, manifestare voluit cur perirent, cùm per quam rem, ad perditionem ultimam venerant, eam ipsam agerent, cùm perirent. Vidi ego illic res lachrymabiles; nihil scilicet inter pueros differre & senes. Una erat scurrilitas, una levitas; simul omnia luxus, potationes, perditiones; cuncta omnes pariter agebant: ludebant, ebriabantur, enecabantur, lasciviebant in conviviis, vetuli & honorati, ad vivendum propè jam imbecilles, ad vinum prævalidissimi. Infirmi ad ambulandum, robusti ad bibendum: ad gressum nutabundi, ad saltandum expediti. Et quid plura? in hoc per cuncta illa, quæ diximus, devoluti sunt, ut compleretur in his dictum illud sermonis sacri: Vinum & mulieres apostatare faciunt à Deo. Nam dum bibunt, ludunt, mœchantur, insaniunt, Christum negare cœperunt. Et miramur post omnia ista, si ruinam rerum suarum passi sunt, qui tanto ante mentibus corruerunt. Nemo itaque urbem illam in excidio suo tantùm periisse credat. Ubi enim talia acta sunt, priùs jam perierant, quàm perirent.*

* instauraret.

Treviris Gallorum excellentissima urbs demersa vitiis.

Maguntiaci Colon. an Agrippin. corruptelæ.

Avaritia & ebrietas pestes ruentis Germaniæ provinciæ.

Eccles. 19.

Epist. 11. ad Ag.

Salvianum potius de Maguntiaco, quàm alia quacunque urbe, capiundū.

XIV. Maguntiacensis urbis cladem & excidium, cùm B. Hieronymo eum intelligere, non obscurum. Enimverò, cùm vicinam Treviris fuisse, & funditùs testetur excisam atque deletam, haud perinde in quamlibet aliam, nominis amplitudine & magistratuum splendore vix illo tempore Treviris concedentem, ea quadrent. Ad Mediomatricorum enim & Agrippinensium urbes, primis irruptionibus, minor harum calamitatum sensus pervênit. Idque adeò judicium nostrum, ipse videtur approbare Salvianus; cùm enim, quod apud eversos jam plerosque populos feralia ludicra, & inhonestæ spectaculorum cessarent voluptates, id ad pœnam atque necessitatem pertinere docet: *Non hoc agitur jam*, inquit, *in Maguntiacensium atque Massiliensium civitate, sed quia excisa & deleta est. Non agitur Agrippinæ, sed quia hostibus plena. Non agitur*

in Trevi-

in Trevirorum urbe excellentissima, sed quia quadruplici est eversione prostrata.

XV.
Greg. Turon. Franc. hist. l. 1. cap. 32. l. 3. c. 1. Sigeb. Chron. ad an. 411.

Atque hæc, de prima Trevirorum urbi illatâ vastitate; cujus memoriam nonnullam ex veteribus se monumentis prompsisse testatur Aimonius cœnobita; quam temporum quoque scriptores, multo quidem rectiùs huic ætati, quàm Valeriani imperio tribuêre, personis & rebus aptè scilicet ad statum Galliarum præsentem congruentibus.

Crochus Wandalorum dux, aliis rex.

Crochi matris consiliũ in omnium rerum excidio tentandum.

Quo igitur tempore, Wandali, junctis sibi Suevis & Alanis, irruptionem in Galliam parabant, Crochus inter illos dux cladium atrocitate terribilis fuit: huic ferunt de matre sciscitanti, quibus maximè rebus nomen suum immortalitati consecrare, & ad posteros transmittere clarissimum posset, hoc admodum responsi à furiali monstro datum: Si orbe toto vagari nominis sui famam in desiderio haberet, magnorum operum molitiones, ædificiaque splendore & tectorũ nobilitate cumprimis illustria, subverteret, urbesque magnificentiùs exstructas, incolis ferro deletis, solo æquaret: neque enim, aiebat, meliora tutè domicilia, quàm veteres, exstruxeris; neque bellando victoriæ trophæa longiùs extuleris. Addunt à filio non surdis auribus hæc accepta, sollertis perinde atque atrocis feminæ responsa; nec paulò segniùs, quàm cœlo missa Crochum imperia capessivisse. Juxta Moguntiacum itaque ponte Rheno superato, primò quidem ipsam urbem miserabili ad sensum clade delevisse: indeque mox agmen ad Mediomatricos vertentem, ubi appropinquatum urbi, nocte, cui dies adventus hostilis procellæ illuxerat, divino nutu sponte prolapsa mœnia, barbaris stravisse viam irrupturis. Deletos igitur ad internecionem pænè cives. Hinc in Treviros conversam barbariem. At illos in arena civitatis, amphitheatrum intelligis, præsidio locato, vim extremam fortiter propulsare conatos; quamobrem, infecto negotio, Crochum Treviris relictis, Arelatem cum copiis abiisse, quam urbem coronâ cinctam oppugnare aggressum, à Mario milite captum, & ad ludibrium tractum per urbes Galliarum, quas everterat, cruciabiliter tandem interiisse.

Arena Trevirensis.

XVI.
S. Nicasii, Eutropiæ & Remensium Martyrum passio.
Martyrol. 14. Decemb. Acta MSS. Baron. tom. 5. ad an. 407.
** Baronio quondoni.*

Ad hanc Wandalorum irruptionem eruditi quoque S. Nicasii Rhemorum Archiepiscopi, Eutropiæque sororis & complurium aliorum, martyrium & gloriosam mortem referunt; quam in illa præpotenti Colonia, cujus incolæ tunc etiam in Germaniam captivi abducti, fortiter pro Christi religione oppetierunt. Nam, etsi ad Hunnorum & Attilæ tempora rejiciunt alii, Wandalos tamen & * paganos exprimunt vetera Martyrologia, quæ & S. Nicasium memorant peracto de more sacrificio à Wandalis, intra Rhemensem Ecclesiam, capite cæsum.

Wandali n. Christiani sed quidni in illa colluvie pagani?

XVII.
S. Exuperii Tolosani mira liberalitas in Monachos Orientis.
Hieron. præfat. l. 3. ad Amos.

At quod de S. Exuperio Tolosano Hieronymus scribit, is ob beneficentiam in egenos & stipem in Orientem quoque profusâ largitione recens derivatam, Christianæ liberalitatis & benevolentiæ famam insignem meruerat; cùm Sisinnio Monacho in Eoas provincias dimisso, ceu Galliæ ejus caritati nimis essent angustæ, non Palæstinæ tantùm Monachis Hieronymi familiaribus largè subsidia vitæ erogavit, sed Monasteriorum Ægypti compertâ necessitate, *nequaquam*, ut S. Hieronymus loquitur, *Æthiopiæ flumine, sed Galliarum largissimis aquis ejus arva sitientia rigavit.* Atque hinc Exuperium divinitùs afflatum prævidisse putant harum provinciarum excidium; aurumque in Christi servorum usus tantis sparsisse locorum intervallis, quo ne crudelis & avarus hostis eo quandoque potiretur. Inscripsit grati ac memoris animi testificatione Hieronymus Exuperio commentarium, quem hoc anno in Zachariam Prophetam elaboravit.

Præfat. in 1. & 2. Zacharia.

S. Exuperius prænoscit Galliarum excidium.

XVIII.
Limenius PP. Galliar.

Limenius hoc tempore Præfectus erat Prætorio Galliarum, Cariobaudes Magister militum; hi cùm, abscissis & perditis rebus, instantium quoque metu trepidant, & super barbarorum victorias, Constantinum quendam Imperatorem à Britannico exercitu salutatum, hostilem in Galliam impetum meditari cognoscunt; diffisi viribus, ac omni auxiliorum spe nudati, Galliis relictis, in Italiam, ad Honorium perfugii causâ, convolant.

Galliæ trepidatio ob Constantini tyrãnidem.

Annus Chr. 407.
Zosim. lib. 6. Renat. Friger. apud Turon.

Honorius autem se septimùm, & Theodosio ex fratre Arcadio nepote, iterum Coss. certior factus de Constantini tyrannide, Stiliconis consilio, Sarum, copiis adversus hostem instructis, in Galliam ociùs ducere jubet. Is cùm Justiniano Constantini Præfecto, quæ prima oblata pugnandi copia, acie congressus, majorem exercitus adversariorum partem concidit; ingentique prædâ potitus, Constantinum pavore metuque trepidum, & Valentiæ se mœnibus defendentem, circumclusit: Sed obsidio mox liberato, per Constantini duces; Saro repetenda confestim Italia fuit. Porrò Constantinum, primo suo in Galliam adventu, adeptum omnia votis suis secunda, Galliarum diœcesim totam sub ditionem & imperium coëgisse, Olympiodorus apud Photium locuples testis; qui cum omni potitum Galliâ scribit, ad Alpes usque, quæ secludunt Galliam ab Italia. Et, quia Britanniâ insulâ, Galliisque domitis, ad integram Prætorii diœcesin, Hispania quoque redigenda fuit, ne hanc quidem per barbaros, quantùm in se, reliquit intactam.

Honorii in Constantinum tyrannum expeditio.

Fl. Constantini imperiũ in Galliis.

XIX.
Ejus Constitutio.
Lib. 3. de concord. Cat. c. 35.

Extat nobilis Constitutio tyranno hucusque, sed falsò, adscripta, quam variè post editam, Nicolaus noster Cusanus, primus in lucem dedit. Ex ea docebant viri eruditi remotioribus provinciis eius studia declinantibus, ipsum imperii sedem Arelatem transtulisse; eamque urbem Viennensis provinciæ clarissimam, non Prætorio modò cohonestasse, sed * septem Provinciarũ fecisse Metropolim.

Arelas Imperii sedes & Metropolis.
Adi Phil. Bert. Pithœ. l. 1. c. 3.
* accipe pro 17.

Et subiere mox ea tempora, quæ Zosimus attigit. cum non Armoricæ tantùm minorisve Britanniæ, sed Belgicæ Germaniæque provinciæ, ejectis magistratibus Romanis, rem suopte Marte gerere, haud scio, quàm feliciter, occœpere. nam Armoricæ Celticarumque gentium defectionem accidisse, disertè prodit, quo tempore Constantinus regnum usurpavit, ipsiusque in primis socordiâ, excitatos ad insolentiùs grassandum barbaros. Ubi igitur hæ provinciæ ope præsidioque destitutæ Romanorum, se tueri ipsas coactæ sunt; opinio ut dixi eruditorum fuit,

Trevirorũ & vicinarũ provinciarũ defectio.
Lib. 7.
Prætorii translatio.
Phil. Bert. Pithœ. diatrib. c. 4.

Arelatem,

NB. Consule hac de re *Additiones infra positas.*

Censura de Edicto Constantini Tyranni super Arelatensi prærogativa.

Arelatem, quos à Tyranno titulos & ornamẽta tulerat, Honorii Principis concessu, retinuisse; & à Treviris eâdem operâ Prætorium, & priscæ majestatis insignia procul in tractum illum Viennensem commigrasse. Verùm Imperatoria illa Constitutio, ad Agricolam Præfectum Galliarum de Arelatensi prærogativa; & agendo singulis annis Arelate conventu VII. Provinciarum, nuper V. C. Nicolai Fabritii Pereschii Senatoris Aquensis beneficio à Sirmondo nostro in lucem edita, agnoscitur non esse Constantini magni, ut Cusanus existimavit, neque Constantini tyranni, ut doctis quibusdam placuit, sed Honorii Augusti, ut cum antiquo Arelatensi codice olim censuit Hincmarus, data 15. Kal. Maias, accepta Arel. 10. Kal. Jun. D. N. N. Honorio XII. & Theodosio VIII. Augg. Coss. Atque in ea cùm & Tyrannorum desidia notetur, & Præfecti Petronius & Agricola laudentur, ipsaque nota Consularis proroget ætatem quam Tyrannus non attigit, facile ab hoc Constantino removetur Edicti autoritas.

Annus à Dionys. vel Christi CDXVIII.

At ramus hic honoris, à Treviris tandem revulsus, etsi cum flore dignitatis ita decidit, pullulabit à stipite tamen redivivum olim regni Arelatensis sceptrum; de quo, Trevirorum Antistes Archicancellarii fructum decerpet.

Arelatensis regni Archicancellarius.

XX.

LEONTIUS ARCH. VIII. EPISC. 34. * Leguntius *vulgo, sed* Leontium *præfero.*

Leontiorum inclita stirps.

Eodem etiam tempore Mauritius Trevirorum diem suum functus, * LEONTIUM nactus est successorem, quem posteri Leguntium appellant. Neque absonè hunc Leontium, ex Pontiorum gente Aquitanica superstitem adhuc, Treverico insertum clero conjicimus, à B. Paulini felici grataque memoria, meruisse sacri magistratus apicem. Habuêre namque Leontii Burdigali & alibi senatoriam familiam. Unde sicut de Pontii Leontii burgo Sidonius dixit:

Carm. 22.

Plus celsos habiturus heros, vernamq; senatum.

ita Venantius noster, in ejusdem stirpis Leontio:

Lib. 4. c. 10.

Nobilitas altum ducens ab origine nomen,
Quale genus Romæ forte senatus habet.

Sed horum testatior memoria, communibus provinciarum involuta cladibus exolevit.

XXI.

ANNUS CHR. 408. *Renat. Frig. Oros. l. 7. c. 40.*

Francorum cum Wandalis pugna.

Postero anno, res apud Rhenum patratæ, Frigerido narrante, planè tragicæ. Wandali namque elati animo ingenti, tótque captis urbibus atque vastatis insolescentes, concitabant ad arma Francorum gentem. Hi, quo tempore palantes ac dispersas vagari socias gentes accepêre, Wandalos solos adorti, atrocissimo cum iis prælio dimicarunt; quo, * Godegisilo rege interfecto, viginti fermè millia barbarorum occubuerunt in acie. Et cuncta Wandalorum ibi ad internecionem deleta natio foret, ni opportuna manus Alanorum, tempori suppetiatum advenisset. Wandali itaque apud Rhenum, imminente Franco se intutos rati, id quod idonei scriptores hujus ævi memorant, in Galliam interiorem, invitatu Stiliconis, omnia tum dolo perdentis, irrumpunt: directoque impetu, ad Pyrenæum usque, nemine obviam se ferente armato, penetrant. Et jam validissimam provinciarum Hispaniam barbaricus terror afflabat, cùm Pyrenæi claustris per Constantini tyranni duces ad tempus coërciti Wandali, per circumjacentes provincias, ut Orosius loquitur, refunduntur. Cujus irruptionis ordinem Salvianus aperiens: *Excitata*, inquit, *est in perniciem ac dedecus nostrum gens, quæ de loco in locum pergens, de orbe in orbem transiens, universa vastaret. Hæc digressa è solo patrio, se mox diffudit in Germaniam primam, nomine barbaram, ditione Romanam; post cujus primum exitium, arsit regio Belgarum; deinde opes Aquitanorum; & post hoc, corpus omnium Galliarum; sed paulatim id ipsum tamen; ut dum pars clade caditur, pars exemplo emendaretur.* Qua de re Prosper, Aquitaniam suam lugens:

* Gogidisco *vel* Godegisco

Oros. l. 7. c. 40. Prosp. Cassiod. Chron.

Marcel. com. in chron.

Stiliconis fraus.

Lib. 7. c. 38. & seq.

Wandalicæ irruptionis progressus. *Lib. 7. de gubern. Dei.*

Germania prima.

Regio Belgarum à Wandalo evastata.

Heu cæde decenni
Wandalicis gladiis sternitur & Geticis.
Non castella petris, non oppida montibus altis
Imposita, aut urbes amnibus æquoreis
Barbarici superare dolos, atque arma furoris
Evaluêre omnes: ultima pertulimus.

Prolog. lib. de Providentia.

Wandalica vastitas.

Wandalis itaque omnibus animi sensibus huc accersitis, ùt Aquitanorum opibus adesis & exhaustis, cujus jam ante spoliis inhiabant, transcenderent in Hispaniam, per opportunos se obtulêre barbarici generis milites Honoriaci, qui à Constantino tyranno, agrestium remotâ fideli & utili custodiâ, in Pyrenæi jugi præsidiis erant collocati. Hi quippe & ipsi illecti prædæ dulcedine, quo magis scelus impunitum foret, prodito Pyrenæi aditu, claustrisque patefactis, cunctas gentes, quæ per Gallias vagabantur, Hispaniarum immisêre provinciis; iisdémque juncti, postquam, actis aliquamdiu magnis cruentísque discursibus, agros, armenta, viros pervastassent, Honorio octavùm, & Theodosio tertiùm Coss. fortitione demum sedes haud diu tamen placituras, in illa bellatrice & viris armisque nobili Hispania, ad arbitrium constituêre.

Ab ipsis Romanis prodita Wandalis Hispania.

Oros. l. 7. c. 40.

ANNUS CHR. 409.

XXII.

Interea, dum nudum undique latus imperii ostenditur, gravis atque luctuosa Gothici belli vis, ceu furiali quodam impetu rapta, in medium Italiæ jugulum se immerserat; quippe Alaricus innumeris stipatus Gothorum agminibus, infesto Romam jam tum animo petierat, & barbaricâ peste, mœnibus ipsis augustis circumfusâ, urbis ad eam diem invictæ portas, obsidione terribili quatiebat; cùm ecce, Franci Wandalorum ac sociarum gentium metu liberi ac soluti, Honorio præsertim per Gothorum arma ab omni Galliarum cura jam averso, Constantino autem socordiâ languescente, in Belgicam hostili animo sese infundentes, urbium populorumque, quicquid obvium fuit, protrivêre. Etenim adorti Trevirim Gallicani imperii principem urbem, haud magnâ mole subjecêre; captamque non vastitate solùm, sed invidiâ felicitatis, flammis ultimis deformarunt & incendiis. Atque hæc altera clades Trevirorum exitialis fuit; qua de Renatus Frigeridus, quem ævo se multo majorem Gregorius Turonensis laudat testem, ita scripsit: *Iisdem diebus Præfectus* * *tyrannorum* * *Decimus Rusticus Agræcius, ex primicerio Notariorum Iovini, multiq; nobiles apud Arvernos capti à ducibus Honorianis, & crudeliter interempti sunt. Trevirorum civitas à Francis direpta, incensaq; est, secundâ irruptione.*

Romæ obsidio.

Trevirorũ Augusta secunda irruptione à Francis spoliata, & incensa.

Hist. Franc. lib. 2. c. 9. & Zosim. l. 6.

* Intellige Constantinũ & Constantem F.

* *Decimus.*

Leontius

XXIII. Autor II. Arch. IX. Episc. 35.

Leontius per ea tempora ad 19. Februarii diem, terris relictis, Confessorum auxerat numerum in cœlis, cùm AUTOR inde pontificiæ curæ munus adeptus, Trevirorum, etsi loliis & infelicibus internascentibus herbis, difficillima tum arva excoluit. Eum autem diversum esse ab Autore Mediomatricum, qui hoc sæculo omnium luctuosissimo etiam claruit, multis, nec obscuris argumentis, si res postulet, edisseri queat. Nam, quòd codices nonnulli veteres de Autore Metensi produnt, post illius urbis cladem, & populi captivitatem, à Treviris expetitum, id nisi de temporaria quapiam inspectione capias, tam longè ab hac ætate remotum est, ut quadraginta & ampliùs annorum intervallo, quibus Attilæ furorem Autor expertus est, vix in hæc tempora competat. Et dies utrique natalis, Trevirensis, inquam, hujus Metensis, & eorum factæ translationes, locis & temporibus discrepant. Ut enim primi Autoris diem Depositionis antiqui statuerunt 13. Kal. Septembris, & corpus narrant Brunswigam translatum in Saxoniam; sic Autori Metensi datur dies 4. Id. Aug. cujus pignus à Drogone sub HLuduico Pio traductum in Mauri monasterium Alsaticæ regionis. & Trevericus secundus Autor in San. Maximiniano Martyrologio, ad 15. Kal. Septembris exprimitur; qui de isto cœnobio illic translatus dicitur; & quiescere apud Tabenam S. Quiriaco associatus.

Autor Metensis Episc. an etiam Trevirensis?

SS. Autorū ejus nominis trium Episcoporū distinctio.

XXIV. ANNUS CHR. 410.

Insequens annus, supra quadringentesimum à Virgine pariente decimus, urbis æternæ captæ, & tolerabili tamen ab Alarico Gothorum duce illatâ clade, cumprimis fuit insignis.

ANNUS CHR. 411. Roma capta. Marcel. comm. Chron. Oros. l. 7. c. 42. Constātinus dux Galliar. Greg. Tur. l. 2. Franc. ex Renato Friger. Prosp. in Chro. Constantinum tyrannum Constantius debellat.

Postero, Honorius ad Constantini tyrannidem in Galliis opprimendam acriùs, quàm antè, viribus omnibus coortus, Constantium Comitem Romæ præcellenti genere natum, ad id gerendum munus delegit; eumque Magistrum utriusque militiæ, magnâ jacentis imperii resuscitandi spe creatum, in Galliam misit cum exercitu. Hic, cùm Arelatem, quò Constantinus se salutis causâ receperat, obsessum in suam redegisset potestatem, deditus tyrannus, moxque deportatus in Italiam; atque ibi, missis ab Honorio obviam percussoribus, supra Mincium flumen, capite truncatus est. Sicque factum, ut unius priscâ virtute Constantii Ducis vigilantiâ, inhærentem atque incubantem Hispaniæ Galliæque tyrannum, extorqueret. Quanquam, Arelate turbato jure sacrorum, victoriam non rectè Constantium habuisse, ex Prospero nonnulli contendant. Quippe Heros sanctus Antistes Martinique discipulus loco pulsus Patroclum successorem sustinuit, amicum & familiarem Constantii, cujus gratiam populus, amoto meliore pastore, & nullis insimulationibus obnoxio, quærebat. unde magnus in Ecclesia motus apud ejus provinciæ Episcopos extitit.

Heros Arelat. Episc. pellitur in gratiam Constantii. Prosper. in Chron.

XXV. ANNUS CHR. 412. Sidon. Apoll. var. epist. & panegyr. Jovinus tyrannus à Constantio oppressus.

Anno sequente Ataulfus Gothorum Dux, Alarici successor, relictâ Italiâ, cum Gothis suis sedium causâ, ex fœdere, in Narbonensem provinciam mittitur. His cum novus tyrannus Jovinus, homo summæ apud Gallos nobilitatis, Sebastiano fratre conjurante sese applicat, Constantii pari virtute, compulsus ad ultima, & oppressus est. Tyrannorum hoc tempore, & imperii Romani incubatorum fœcundæ fuere Galliæ, cùm resectis aliorum atque aliorum capitibus ut Hydræ Lernææ in exitium sui, ilicò plures renascuntur. Præter Constantinum, qui Gratiano in Britanniis successerat, & filium Constantem ex monacho Cæsarem, Orosius enumerat, Geruntium Maximum, Jovinum, Sebastianum, Attalum, queis Dardanum adjungit Sidonius, qui Præfectus Prætorio Galliarum, Prospero teste, Jovinum ad dominatum evexerat. His verò tyrannis, & gentibus aliis exteris Galliam; & orbem Romanum miserè distrahentibus, scilicet ex geminis malis, id vel optabile Christianis maximè bonum divina providentia peperit, ut Occidente toto & Oriente, hisque provinciis nostris, non hominum illustrium modò, sed & universarum nationum memorabiles existerent conversiones. Qua quidem in re præclarè mihi philosophari visus est Orosius, qui, si ob hoc solùm barbari Romanis finibus immissi forent, ut Ecclesiæ Christi Hunnis, Suevis, Wandalis & Burgundionibus diversisque & innumeris credentium populis replerentur, laudandam censuit & attollendam Dei misericordiam, cùm tantæ gentes, etsi cum labefactione populi haud insontis, agnitionem veritatis acciperent, quam invenire utique, nisi hâc occasione nòn possent.

Oros. loco cit. Prosper. Tyranni Galliarum.

Lib. 7. cap. 40. & 42.

Conversio populorum ad Christi fidem.

Loco cit. c. 41.

Præjit etiam, magno raroque tunc exemplo Paganis Gallis, in medio Christianorum, adversus fidem obduratis, Apollinaris Arvernus, avus B. Sidonii præstanti literaturâ sacerdotis, qui ejus memoriæ parentans, hoc facinus, superbis omnibus majorum titulis antetulit:

XXVI. Apollinaris Præf. Prætorio Galliarum conversio.

Lib. 3. epist. 12. ad Secundum.

Præfectus jacet hic Apollinaris,
Post Prætoria recta Galliarum,
Mœrentis patriæ sinu receptus.
Consultissimus, utilissimusq;
Ruris, militiæ, foriq; cultor.
Exemploq; aliis periculoso
Liber sub dominantibus tyrannis;
Hæc sed maxima dignitas probatur,
Quod frontē cruce, membra fonte purgans,
Primus de numero patrum suorum,
Sacris, sacrilegis renunciavit.

Zosimus etiam autor est, Apollinarem Prætorium rexisse Constante Cæsare; sed abdicatum inde, probabile fit; quod, ut vir antiqui moris, cum æquævo Rustico Magistro officiorum & Primicerio Notariorum Jovini, in Constantino inconstantiam, in Jovino facilitatem, in Geruntio perfidiam, singula in singulis, omnia in Dardano crimina simul detestaretur; quæ sancti nepotis ejus verba fidem faciunt, quemadmodum avi invictus animus, & fide jam tum Christianâ communitus, permanserit: *Liber, sub dominantibus tyrannis.*

Lib. 6.

Sid. l. 5. ep. 9. ad Aquilinum.

XXVII. ANNUS CHR. 413. Burgundiones in Galliam traducti à Constantio. Prosp. in Chro. & Sido. Apoll. l. 2. epist. & Greg. Turon. lib. 2. histor. Franc. cap. 9. Prosp. in chron.

Wandalis verò jam tum pulsis, Gothisque partis aliquandiu sedibus in otio fruentibus, Burgundiones supererant, qui prioribus annis sociati Wandalis, ad Rhenum substiterant. Hos Constantius, ne in tanta rerum mole consiliis suis quam moram injicerent, sedibus ad Rhodanum & Ararim attributis, fœdere atque amicitiâ junctos, itidem ab se demisit in Sequanos. * At Franci, qui toties perrupto, violatoque limite victores, partim etiam domi-

* Id factum eodē hoc an-

no Lucio Consule notavit etiam *Prosper* cum Burgundiones ait, obtinuisse partem Galliæ Rheno propinquam.

Ex Salviano & Greg. Turon. hujus narrationis collecta fides cui & allucet *Sigon. in Occid. hist. l. 11.*

Francorum rursus alia in Treviros exitialis irruptio.

cilia in solo Romano longè jam ante quidem acceperant, indignati scilicet gentem Burgundicam, nec genere hominum, nec multitudine ac juventutis robore, sibi parem, in fertilis atque inclytæ glebæ provinciam, seu parto jam longi erroris præmio, deductam, se verò & sobole auctos immensâ & angustioribus, quàm pro tanto numero, sedibus, maximam partem coërceri adhuc; & discludi medio flumine; majoribus nempe animis atque iris irruptionem tentarunt. Ergo, ceu ultimo jam excidio multaturi Belgicam, infesti infensique ritu ferarum prosilire, Trevirorum Augustæ suprema nunc omnia comminari; quod irruptione geminâ necdum fatiscens Rhenoque nimium imminens, cum habitatore nomen adhuc & arma Romana ferret.

XXVIII. Trevirorũ Augustæ luctuosum excidium tertium.

Hujus verò cladis omnium atrocissimæ, & apud posteros multis nominibus meritò lachrymabilis testem damus oculatum; qui ruinis & cineribus antiquæ jam tum Treviris insistens, eius supremum casum tragico prope schemate, pro eo, ac par fuit, luxit & deploravit; cujus utinam hodiéque vocibus in hac tanta nostri sæculi vitiorum licentia, multorum aures quotidie personent: *Excisâ ter continuatis eversionibus summâ urbe Gallorum, cum omnis civitas bustum esset, mala & post excidia creverunt. Nam, quos hostis in excidio non occiderat, post excidium calamitas obruebat: cùm id quod in excidio evaserat morti, post excidium non superesset calamitati. Alios enim impressa altiùs vulnera longis mortibus necabant; aliòs ambustos hostium flammis, etiam post flammas pœna torquebat. Alii interibant fame, alii nuditate, alii tabescentes, alii rigentes: ac sic in unum exitum mortis, per diversa moriendi genera corruebant. Et quid plura? excidio unius urbis affligebantur quoque aliæ civitates. Iacebant siquidem passim, quod ipse vidi atque sustinui, utriusque sexus cadavera, nuda, lacerata, urbis oculos incestantia, avibus, canibusq; laniata: lues erat viventium, fætor funereus mortuorum, mors de morte exhalabatur; ac sic etiam, qui excidiis supradictæ urbis non interfuerant, mala alieni excidii perferebant. Et quid post hæc, inquam, quid post hæc omnia? quis æstimare hoc amentiæ genus possit? Pauci nobiles, qui excidio superfuerant, quasi pro summo deletæ urbis remedio, Circenses ab Imperatoribus postulabant. Vellem mihi hoc loco ad exequendum rerum indignitatem, parem negotio eloquentiam dari: scilicet, ut tantùm virtutis esset in querimonia, quantùm doloris in causa. Quis enim existimare possit, quid primùm in his, de quibus diximus, accusandum sit; irreligiositas, an stultitia, an luxuria, an amentia? totum quippe in illis est. Quid enim aut irreligiosius, quàm petere aliquid in injuriam Dei? aut, quid stultius, quàm quod pietas, non considerare? aut quid tam perditi luxus, quàm in luctu res desiderare luxuriæ? aut quid amentius, quàm in malis esse, & malorum intelligentiam non habere? Quanquam in iis omnibus, nulla res minus culpanda est, quàm amentia. quia voluntas crimen non habet, ubi furore peccatur. Quo magis hi, de quibus loquimur, accusandi sunt, quia sani insaniebant. Circenses ergo Treviri desideratis? & hoc vastati, hoc expugnati, post cladem, post sanguinem, post supplicia, post captivitatem, post tot eversæ urbis excidia. quid lachrymabilius hac stultitiâ, quid luctuosius hâc amentiâ? fateor, miserrimos esse vos credidi, cùm excidia passi estis: sed miseriores vos video, cùm & spectacula postulastis. Putabam enim vos in excidiis rem tantùm, atque substantiam, nesciebam etiam sensum atque intelligentiam perdidisse. Theatra igitur quæritis, circum à principibus postulatis: quæso, cui statui, cui populo, cui civitati? Vrbi exustæ ac perditæ, plebi captivæ & interemptæ, quæ aut perit, aut luget. De qua etiam, si quid superest, totum calamitatis est: quæ cuncta aut mæstitudine est anxia, aut lachrymis exhausta, aut orbitate prostrata: in qua nescias penè, cujus sit sors pejor ac durior, interfectorum, an viventium. Tantæ enim sunt miseriæ superstitum, ut infelicitatem vicerint mortuorum. Ludicra ergo publica Trevir petis: ubi quæso exercenda? an super busta & cineres, super ossa & sanguinem peremptorum? Quæ enim urbis pars his malis omnibus vacat? ubi non cruor fusus, ubi non strata corpora, ubi non concisorum membra lacerata? ubique facies captæ urbis, ubique terror captivitatis, ubique imago mortis. Iacent reliquiæ infelicissimæ plebis, super tumulos defunctorum suorum, & tu Circenses rogas? Nigra est incendio civitas, & tu vultum festivitatis usurpas? Lugent cuncta, tu lætus es? Insuper etiam illecebris flagitiosissimis Deum provocas, & superstitionibus pessimis iram divinitatis irritas? Non miror planè, non miror tibi evenisse mala, quæ consecuta sunt. Nam quia te tria excidia non correxerunt, quarto perire meruisti.*

Lib. 6. de gubernat. Dei. Trevjris urbs summa Gallorum.

Treveris calamitosissima.

Treverica nobilitas in busto civitatis & cadaverum strage Circenses ludos postulat ab Imppi. vel sumptus in eos, vel sublatam concessionem.

Treviri sani insaniunt.

XXIX. Tertium excidium hic opportunè traditum.

Prosper. in Chron. ad consulatum Felicis & Tauri.

Ita de tertio hujus urbis excidio Salvianus Massiliensis: quod haud perperam ab eruditis in Luciani clarissimi viri consulatum confertur; tum, quod irruptiones has tres primas uno temporis ductu continenter factas satis claret; tum etiam, quod Wandalis transgressis, deductis Burgundionibus, Gothisque pacatis, soli gentium trans Rhenum validissimi hostes Franci, in Treviros tum imminebant. quos, & ex Prospero liquet, jam inde, usque ad Ætii nobilissimi Romani ducis adventum, partem hanc Galliarum Rheno propinquam, armis quæsitam insedisse.

Circenses apud Christianos quomodo tolerati.

Christiani editores.

Verùm de Circensium agonum insana cupidine, quæ urbis hujus incolas tenuit, & funere tam acerbo mersos in novum furorem resuscitavit, interfari verbum lubet. Quippe Ludi curules Conso consiliorum Deo aut Minervæ sacri, & ab urbe principe in colonias derivati, etsi à severioribus Christianis bonisque viris haud probarentur, licentiâ tamen ætatis, & dominorum gentilium factionibus, cogebantur municipes Christiani potentiores vel inviti alere agitatores, & greges cursualium equorùm; id est, munera edere, & populo conciliare spectaculi voluptatem. Id quod luculentâ narratione S. Hieronymus exponit in vita B. Hilarionis. Palæstinæ nobili oppido Gazæ municeps Italicus Christianus adversus Coloniæ Duumvirum gentilem, equos nutriebat. Hic maleficio fecerat ad cursum tardiores. Ad Hilarionem Christianus oratum venit, se vel contra improbitatem Antagonistæ communiat, quem lædi ullo modo nolit. At Sanctus, cur non magis

equorum

Curiarium & Municipalium magist. onera. *Leg. 10. C. de Decur. l. 1. de Mun & Hon. de spectac. consule Phil. Berto. l. 1. Pith. c. 10.*

Circenses magnis impensis editi. *Leg 8. de Decur. l. 1. de spectacul.*

equorum pretium pro salute animæ pauperibus eroget? Ad hoc municeps; functionem esse publicam, & hoc non tam se velle, quàm cogi. Certè, quibus curiæ & municipalium magistratuum onera ex Imperatorum rescriptis & legibus perspecta sunt, mecum ii facilè vident, haud inciviliter ab hoc municipe responsum: & meruisse quod rogârat, etiam impetrare. In Circensibus verò præstandis, sumptus fieri consuevisse maximos, imò tantos, ut ne quidem eis pares essent, qui magistratum gererent, testantur Imperatorum leges, quæ prolapsis ad inopiam ob hoc genus munificentiæ, remedium ac opem tulêre.

XXX.

Spectaculis Circensium jam perituræ provinciæ detinentur.

Hinc igitur Trevirorum paucos illos nobiles, quorum res ad restim redierant, fisco jam tum nullo, editoribus & munerariis iis insanis cùm ipsa urbe deletis, non à magistratibus, quod assolet, sed ab Imperatoribus ludos poposcisse, eruditè scripsit Salvianus. Sed hæc insana spectaculorum libido, ne Treviris tantùm virus affricuisse suum videatur, audacior, ut palmes luxurians, in alias quoque Romani Imperii labentis provincias, improbum germen egit; cujus rei indignitas ita pectus Augustini sancti Præsulis effodit, ut de tempore Barbarico scribentis stylum & vocem prope lacrymæ impedirent: *Inter tantas*, inquit, *angustias, & in ipso fine rerum posita est universa Provincia; & quotidie frequentantur spectacula; sanguis hominum quotidie funditur in mundo; & insanientium voces crepitant in circo. O planctus omni tristitiâ acceptior! Lubet flere.*

S. Aug. To. 9. Tract. de temp. Barbar.

XXXI.

ANNUS CHR. 414. *Oros. l. 7. c. 42. Prosp. in Chron. Greg. Turon. lib. 2. Franc. hist. c. 9. ex Renato.*

Castinus in Galliâ pro Constantio mittitur.

Agebat eo tempore in Galliis Constantius, unicum Honorii perfugium, eversis jam prope, & magis atque magis in dies inclinantibus Imperii rebus. Is Romam subitò evocatus, ad amplissimos capessendos honores, anno sequenti Patricius Consulatum iniit; quique pro eo missus in Galliam * Castinus domesticorum Comes egregiam jacenti, ac tantùm non obrutæ cladibus provinciæ nostræ operam navavit. Crebris namque cum Francorum inconditis & dispersis jam in agros atque oppida populis, præliorum contentionibus decertans, eo usque premendo fatigavit, magnum ut horum numerum Galliæ visceribus excusserit, & oppida deserere, ac trans Rhenum ad veteres relabi sedes coëgerit.

* *al. Crastinus*

Francos oppugnat & partim submovet.

XXXII.

Ataulfus Gothorum rex inquietus.

Subinde, Ataulfus Gothorum Rex, quem in Gallia sedes accepisse demonstravimus, pro insita ingenii mobilitate pronus ad occasiones, ac discordiæ semina quæritans, Attalum ejusdem gentis hominem ad resumenda, quæ posuerat Augustalia insignia, perpulit: cujus rei nuncio ad Honorium perlato, ipse Ataulfum, ictum fœdus fregisse nil dubitans, mox, ut hostium fautori bellum comparavit. Huic gerendo bello Constantium ducem armis optimum præficiens, rursus in Galliam abire jussit; isque anno sequenti, castris ad Narbonem, ubi Ataulfus tum agebat, locatis, urbem acri urgens oppugnatione, fatigatos tandem obsidione, ac fame Gothos, magnâ rerum gerendarum industriâ, Narbonâ expulit, atque abire in Hispaniam subegit, intercluso omni commeatu navium, & peregrinorum usu commerciorum. Ataulfus verò, postquam

ANNUS CHR. 415. Constantius Gothorum magnâ vim Gallia pellit. *Oros. l. 7. c. 41. Prosper in Chron. Marius Ivernan. lib. de rebus Gallicis.*

Attalo jam capto; spem belli omnem amisisset, pacem per legatos suppliciter petens, sedes quietas in Hispania; postero anno obtinuit; nec deinceps Romanam societatem orare destitit, ratus hoc obsequio inter effrenes & indomitæ cervicis populos, res suas procul injuriâ fore; quod contra cecidit, spiritu illi à propria gente extorto. Quamobrem Wallia tandem ejus successor, restitutâ Placidiâ Honorii sorore, & lectissimis obsidibus acceptis, pacem firmiorem peperit, conditione, ut Aquitaniâ ad habitandum sibi traditâ, pro Romanis assiduè adversus Wandalos se pugnaturum reciperet. Id fœdus Constantii item operâ percussum est. Atque hunc quidem primi Gothici in Gallia belli tempestas exitum habuit.

ANNUS CHR. 416. *Prosper in Chron. Oros. loc. cit. disertè.*

XXXIII.

ANNUS CHR. 417. 419. ZOSIMUS PONT. a. 1. m. 4. BONIFACIUS PON. an. 5. ferè. *Greg. Turon. lib. 2. hist. & Amoinus l. 1. cap. 5.*

Constantio iterum cum Honorio consulatum gerente, Innocentius Pontifex Romanus decessit; cui Zosimus ex Cappadocia presbyter suffectus. huic nec longè post surrogatur Bonifacius. Quo tempore Gallia variè distracta, ac suis jam cladibus lacera, à tribus præcipuè dominis tenebatur, Romanis, Burgundionibus, & Gothis. Romani, Francis pulsis, à Rheno ad usque Ligerim, jus dicebant, Armoricis tamen civitatibus, quæ Britanniæ minoris postea consecutæ nomen, propriam libertatem, excusso Romanorum jugo, tuentibus. Gothi accolebant cis Ligerim; Burgundiones ultra Rhodanum sedes habebant. Itaque quidquid aut supremis Trevirorum Augustæ cladibus, aut captivitatis & morborum ærumnis antiqui populi superfuit, id ad sepultæ Coloniæ ruinas & busta, recenti velut ab incendio fumantia, urbem enim non dixerim, confluxisse rursus habitandi causâ, vero simillimum æstimo.

Gallia sub diversis dominis.

Treverici incolæ post clades qui, qualésve.

XXXIV.

ANNUS CHR. 420. *Prosp. Chron.*

Anno autem proximo, quem à Christo nato quadringentesimum vicesimum numeramus, Constantius ab Honorio in societatem imperii, cùm ob eximiam virtutem, spectatamque in bellis fidem, tum in sanguinis quoque propinquitatem, junctâ ei Placidiâ sorore, adscitus; quod, ut ad Theodosii nepotis aures accidit, factum non probavit, neque imaginem ejus pro more accipere voluit. Qua de re certiorem factum Constantium, Eustathio Agricoláque Consulibus, usque adeò dolorem non tulisse perhibent, ut sexto post acceptum imperium mense, æger animi consumptus diem suum mœrore clauserit. Vir sanè, cùm de imperio Romano universo, tum de Galliis nostris vel imprimis optimè meritus. Extat ejus, nisi fallit interpretatio, apud Treviros in Pauliniana Basilica epitaphium, antiquis inscriptum literis, quod ejus præfixum fuisse monumento, non pauca sunt quæ fidem faciant.

ANNUS CHR. 421. Constantii Comitis mors, ejusque in Treviris monumentum, cum historia consentiens.

H. JACET * FILIUS CONSTANCIUS VIR CONSULARIS. COMES. ET MAGISTER UTRIUSQUE MILICIÆ ATQUE PATRICIUS. ET SECUNDO CONSUL ORDINARIUS.

* FLAVIUS *Inscriptionis exemplum fortè posteri ex antiquiore monumento, retinuerunt.*

Comes rei militaris par Ducib. Provinc. proximus Magisterio. *Cod. Theod. de Comitibus rei militaris. Am. Marcell. lib. 26.*

Porrò hanc inscriptionem implexis characterum notis ex ruinis antiquæ Basilicæ fortè

Vide de hoc Constantio, & ejus æmulo Ataulpho Rege. *Additiones in fine.*

suscitatam, & in parietem ædis novæ S. Paulini à posteris translatam, falsa quorundam opinio pro Constantii Chlori Constantini patris monumento hactenus subjecit, & eo fortè usurpavit; quia, ut etiam Prosper testatur, Imperatoris titulum gessit.

XXXV. ANNUS CHR. 423. COELESTINUS PONT. a. 8 m. 5. d. 3. *Jornandes lib. de reb. Get.*

Annus hinc jam unus verterat, cùm Honorius Imperator, & Bonifacius Pontifex, vitâ decesserunt. Hujus in locum Cælestinus Diaconus successit. Gothi inter hæc, stabilito in Gallia regno, principum seriem perpetuam successione proferebant, & Walliâ exstincto, mox ejus exceperat Imperium Theodoricus, vir excellenti moderatione, & ingentibus animi juxta corporisque dotibus.

Romanorũ novus impetus ad Gothos Gallia pellendos. Valentinianus III *Marcell. indict. 8. Idac.* ANNUS CHR. 425. VALENTINIANUS IMP. an. 29. m. 5. *Jornand. Prosper Idacius.*

Cum hoc Romani, Theodosio undecimùm & Valentiniano Cæsare Coss. bellum gessêre, consopitum ad tempus Gothicum furorem in se temerè provocantes. Hunnorum quippe immensâ multitudine in auxiliarium loco, ad Gothos è Gallia pellendos adductâ, non jam quasi concessam ex fœdere Aquitaniam, sed velut captam civium suorum libertatem, jure belli repetitum, veniebant. turbaverat námque Gothorum fœderatorum manus, quæ cum Gaina Comite, Constantinopoli amicitiam contraxerat. Theodoricus itaque, priusquam Ætius Comes utriusque militiæ fortissimorum Mœsiorum stirpe, patre Gaudentio, militari viro natus, in Galliam ex Italia cum Hunnis descendisset, Arelas oppidum circumfuso exercitu premendum sibi sumpsit.

Ætius comes Gothos in Gallia reprimit. Arelas, (*mendosè apud Prosp.* Archullas) à Gothis obsessũ liberatur. ANNUS CHR. 426.

At Ætio, homine in bellis exercitatissimo, jussu Placidiæ uxoris Constantii, quæ cum Valentiniano filio tunc rerum potiebatur, mox supervæniente, acri edito certamine, cum damno relinquere obsidionem Gothus est coactus. Quam narrationem Isidorus in Chronico Gothorum illustravit hisce verbis: *Theodoricus post Valliam regnat annis XXIII. qui regno Aquitanico non contentus, pacis Romanæ fædus recusat, exercitum movet, Arelatem nobilissimum oppidum Galliæ obsidet, à cujus obsidione, imminente virtute Ætii, Romanæ militiæ Ducis, remotus, abcedit.*

Theodoric⁹ seu Theodoridus Goth. Rex

Ampliùs addit Sidonius, cùm Ferreolum prædicat, qui ex illustri Galliarum Prætorii Præfecto tandem Arelatensium factus Episcopus, Regem *Gothiæ ferocissimum inflexisse affatu suo melleo, gravi, arguto, inusitato, & ab Arelatensium portis, quem Ætius non potuisset prœlio, removisse prandio. quod eruditus Sidonii interpres ita accipit, ut Theodoricus & virtute Ætii, & humanitate Ferreoli ab Arelate remotus sit, non eodem tempore, sed primùm à Duce vi repulsus, inde cùm iterùm obsidionem molitur, oratione facundi sacerdotis emollitus.

Lib. 7. ep. 12. Ferreolus Arelatensis Epis. Theodoricum Gothorum regem placat. * Gothiæ i. Aquitaniæ, secundæ præsertim.

XXXVI. ANNUS CHR. 427.

Postero inde anno, Ætius Comes cum Theodorico serere prœlia ingressus, ubi Gothorum genti nullum ad quietem dat tempus, denique Gothus jam haud cupidus belli, otiique procax, cùm rebus incruentis regni securitatem æstimat, acceptis ab Ætio legibus, certo se fœdere passus est adstringi. Atque eo in fœdere datus est obses Theodorus clarissimus juvenis Arvernorum, Aviti post Augusti propinquus; de quo in Panegyrico Sidonius:

Theodorus Arver. obses

Variis incussa procellis
Bellorum regi Getico tua Gallia, pacis
Pignora jussa dare est, inter qua nobilis obses
Tu Theodore venis, quem pro pietate propinqui
Expetis in media pelliti principis aula.
Tutus Avite fide.

Paneg. Avito dictus.

Atque hoc modo, Gothici belli secundi motus in Gallia conquievêre.

XXXVII. ANNUS CHR. 428.

Felice posthæc & Tauro magistratum ineuntibus, Franci rursus arma movere. Hæc gens, per varias Germaniæ provincias interioris jam dispersa, cùm, ut multifariam Claudianus ostendit, partim apud Rhenum inferiorem, & Vahalim, Visurgim, Albim, Sicambris & Saxonibus permista, Sidonio teste, coleret penitissimas paludes; partim denique Imperatorum permissu, & ipsâ ferocitate armorum, in hac jam tum sibi Gallia patriam sedesque peperisset, his demum Imperii Romani fluctibus majorem excitavit tempestatem. Nam de confirmandis opibus suis, & finibus aliarum gentium exemplo, proferendis sollicita, Sunnone & Marcomiro ducibus extinctis, regem sibi Pharamundum constituit, virum ad expediendum; quæ toties jam irrito incepto apud Rhenum tentârat, certè promptum & impigrum.

Francorum in Gallia successus. *Claudianus l. 2. de Laud. Stilic. Epithalam. Honorii & Mariæ. Panegyr. ad IV. Consul. Honorii.* Franc. veterũ sedes diversæ, quas vulgus imperitum cõfundit. *[illegible] Venan. Fortun. not. l. 6. Sigeb. in Chron. Aimon. l. 1. cap. 4. & 5. Greg. Turon. l. 2. hist. Franc.* Pharamundus Franc. Rex, cujus initium posuit ex Prosperi MS. ad Christi 421. *Scal. de emend. l. 6. Sigeb. 419. alii 420.*

At hoc item non sine bellicæ gloriæ monumentis vita defuncto, * Clodio filius regnum adeptus est. Hic omnia excelsa fortiaque complexus animo, ut occupata Thoringia, * Dispargum castrum in potestate habuit, à limite primæ Germaniæ, quà Mœnus affluit, ad ulteriora se porrigens, propinquam Rheno Belgicam invasit, pariterque suis aperuit; atque inde præmissis in extremas oras Belgicæ secundæ clam exploratoribus, ipse, ubi comperit, ut in pace ab metu belli, omnia secura, urbem Camaracum adortus, oppresso Romano præsidio, perdomuit; exiguoque tempore istic moratus, eodem belli impetu, provehitur usque ad Somenam fluvium, Carbonarii saltus, omnia circum loca pervastans domansque.

* Clodio rex Franc. vel Clogio. Thoringiã subjugat. * Thuringũ i. Mersburgum. Belgicam II invadit. *Greg. Tur. l. 2. hist. cap. 9. Aimon. l. 1. c. 4.*

At Ætius de irruptione Clodionis in Atrebates nuncio accepto, silenti agmine cum Majoriano, qui post imperium rexit, ad vicum Helenam progressus, Clodionem ibi cum Francis offendit nuptialibus epulis effusiùs sese hilarantem. Ergò expeditis armis, repentino nec expectato prœlio territum, in fugam dedit. Hanc victoriam Sidonius Maioriano, jam Augusto gratulatus, celebravit hisce versibus:

Ætius Clodionem repellit. NB. de hoc duce, & Clodione Francorum Rege, regiaque ipsius sede. *Vide Addit. ones infrà.*

Post, tempore parvo,
*Pugnastis pariter * Francis, quà Cloio patentes*
*Attrebatum terras pervaserat. * Hic coëuntes*
Claudebant angusta vias, arcuq; subactum
** Vicum Helenam, * flumenq; simul sub tramite longo,*
Arctus suppositis trabibus transmiserat agger,
Illic te posito, pugnabat ponte sub ipso
Majorianus eques. Fors ripæ colle propinquo
Barbaricus resonabat hyme, Scythicisq; choreis
Nubebat flavo similis nova nupta marito.
Hos ergo, ut perhibent, stravit.

Paneg. Jul. Valer. Major. Carm. 5. * Francis. * Hinc. * Jo. Savaro interpretatur Hedin de Vieux, qui fluvio adfertur vicus. * Cancerum fluvium, alii Helenam accipiunt [illegible]

Porrò, qui Majorianum per ætatem huic interesse potuisse prœlio negant, certius hæc gesta videri arbitrantur, post annum * Christi CDXLV. quo Clodio tandem Belgicæ II. penitiora domuit. Ætius hinc ad Rhenum primamque Belgicam conversus, pari felicitate hærentem hisce locis Francorum barbariem,

* I. Sirmond. ad Sidon. *Prosper in Chron. Consul.*

velut

velut sententiam quandam exhausisse scribitur, advenarum catervis emigrare, & ad sua redire cum strage compulsis. Hinc in fastis suis, uno velut ore, cum Prospero Cassiodorus senator: *Aetius*, inquit, *multis Francis cæsis, quam occupaverant propinquam Rheno partem recepit Galliarum*. quibus convenienter, Jornandes, *Aetium* addit *Reipubl. Romanæ bono singulariter natum, ut qui superbiam Suevorum, Francorumq; barbariem immensis cadibus, servire imperio Romano coëgerit*.

Franci Belgicæ region. exturbati. Lib. de Geticis rebus.

XXXVIII. Eodem pæne tempore SEVERUS Trevirorum Episcopus in magna virtutis atque eruditionis existimatione fuit. Is Lupo Trecassino admirabili sanctitate atque doctrina Pontifici discipulus operam dederat; qui vir cum Germano Antissiodorensi Episcopo postea, Britannos adiit, ac Pelagiana maculatos hæresi, sanâ imbuere doctrinâ studuit. Disciplinæ verò socios, Polychronium habuit Virdunensem & Albinum Catalaunensem Episcopos, ambos admirandis multis operibus editis illustres. Quæ verò in magno Galliæ mœrore & perturbatione rerum omnium summa fuit & memoranda felicitas, omnes pæne regionum harum provinciæ, excellentibus ornatæ pastoribus, summâ vigilantiâ, curaque in posterum administratæ; & ad absolutæ pietatis decus, institutæ sunt. Castigasse ut fateare, DEUM Opt. Max. per hos assiduos barbarorum incursus, inexpiabilem Romanorum luxum, ambitionémque; & multiplicia jam olim corruptis illorum moribus circumdata libidinum irritamenta, voluisse detrahere.

SEVERUS ARCH. X. EPISC. 36. S. Severus Trev. Episc. Lupi Trecassini discipulus. Bedal. 1. hist. Angl. c. 21. Polychronius Virdu. & Albinus Catalaun. Severi Trevir. condiscipuli. Episcopos Gallia bonos habuit hoc tëpore, quod clarum ex Sid. Apol. variis epist.

XXXIX. Porrò Severi ardorem in Christi fide propaganda, atque in curandis ovium suarum vulneribus, intelligas inde licet, quòd plenus Apostolico spiritu, non Belgicæ finibus eam concludi, sed finitimis perinde Germaniæ populis ac remotis, & in his Britannis ab orbe divisis, operam desudare suam, industriamque, præclarum duxerit. Florentius & Dionysius designati Romæ Coss. quando Britanniæ populi, nuper tetris errorum vinculis Pelagii Britonis filii Severiani Episcopi fraude illigati, opem auxiliúmque à Gallicanis Episcopis implorarunt. Dogmatis nefarii capita, Prosper Aquitanus ejus vindex acerrimus, exposuit. *Gratiam Christi cum primis labefactare studio erat, cùm quemque traderet ad justitiam, satis voluntate propriâ regi, tantumq; capisci gratiæ, quantum omninò meruisset. Adæ peccatum, duntaxat, ipsum læsisse autorem, nec ejus quicquam traduci in posteros. Unde & promptum volentibus, planè omni vacare culpâ. Parvulos etiam omnes insontes et puritate ac innocentiâ nasci, quâ vixere primi parentes ante lapsum: tingi tamen eos sacro lavacro, non ut exuantur ullo peccato, sed, ut honorentur adoptionis sacramento*. Britanni porrò, cùm neque ad suscipiendum perversum hoc dogma quo Christi gratia collabefiebat, flecterent animos, neque interim ad nefariæ persuasionis vim vel oratione refutandam, vel dissrendo convellendam, sat domi suppeteret præsidii, externas opes atque arma accire, è salute sua ac communi tranquillitate censebant. Congregatus hac de re, Cælestini jussu, magnus Episcoporum in Gallia conventus ac de communi Præsulum, & Romani præ-

Beda loco cit. Sur. tom. 4. vita S. Germani c. 19.

Prosper. Beda l. 1. c. 17. ANNUS CHR. 429. Britannia Pelagianum virus evomit.

In Chron. cit. Coss. Pelagianæ heresis capita.

sertim Pontificis sententia, missi, Germanus Antissiodorensis & Lupus Trecassinus Antistes, viri summi, & innocentiâ vitæ juxta ac eruditione orbi admirabiles; quibus assertoribus, Britannia non priscam modo rectamque fidem; circumfremente nequidquam Pelagio, retinuit, sed adversus feroeia & indomita Pictorum & Scotorum arma, incolumis & invicta stetit.

SS. Germanus & Lupus Pelagii causa in Britanniam mittuntur. Constat Presb. in vita S. Germani l. 1. c. 19. Probus in vita S. Patricii. Surber. Prosp. adversus collator. in fine.

Acciditque cum primis id tum memorabile, ut cùm Palladius Diaconus à Cælestino item in Britanniam ad Pelagianorum vires omnes opprimendas amandatur, is tandem, Episcopi affectus honore, non modò Romanam insulam servaret Catholicam, sed etiam vicinam barbaram faceret Christianam, Scotis ad Christi notitiam traductis, imbutisque salutaris doctrinæ rudimento Hibernis.

Scotia universa demùm ad Christũ cõvertitur.

Anno sequenti qui Christi nati quadringentesimus trigesimus erat, Gallia civili ac miserandâ factione egentium, & fortunis suis eversorum hominum vehementer conflictata, haud multò minus discrimen, quàm incurrente barbarie, perpessa est. Præsides namque & magistratus Romani, ut quos rebus integris paverat in multos annos publicus peculatus, tributis apud exsanguem plebem jam infœcundis, & per tot irruptionum damna provincialium attritis demum opibus, & vectigalibus, huc tandem ire, ut res, libertatem, vitamque omnium, qui adhuc ex Romano nomine supererant, nervo & compedibus addicerent, hominesque liberos & ingenuos agerent, ferrentque incivilius, quàm *barbari ipsos inquilinos. Cujus mali perniciem prolatam Salvianus meminit in tantum, ut multi Gallorum & non obscuris natalibus editi, & liberaliter instituti, ad hostes fugerent, ne persecutionis publicæ afflictione morerentur; quærentes scilicet apud barbaros Romani humanitatem, quia apud Romanos barbaram inhumanitatem ferre non possent. Et mox; *Itaque nomen civium Romanorum, aliquando magno emptum, nunc ultro repudiatur ac fugitur, nec vile tantùm, sed etiam abominabile pæne habetur*.

XL. ANNUS CHR. 430. Galliarum intestini motus. Salvianus l. 5. de gubernat. Sigebert. Chron. Magistratuum Rom. in afflictas provincias crudelitas.

* barbaros.

Salvian. l. 5. de provident.

Romani nominis vilitas.

XLI. Ita erant res Galliæ, cùm hominum multò pars maxima, hanc diu, quam dixi servitutem servire, nomine Romano indignum rata, Artone quodam ad libertatem præeunte, perrumpere vincula, & servitiis sollicitatis, obsequium & reverentiam omnem erga magistratus exuere, ac denique rapinis latrociniisque cuncta reddere infesta; atque hæc factio, item Bagaudarum nomen, ut illa, quondam sub Maximiano iisdem causis assumpsit; de qua eximius apud Salvianum locus, quem ad inauditam Galliarum tyrannidem, & judicum inexplebilem avaritiam magis magisque noscitandam, haud prætererim. *De Bagaudis*, inquit, *nunc mihi sermo est, qui per malos judices & cruentos spoliati, afflicti, necati, postquam jus Romanæ libertatis amiserant, etiam honorem Romani nominis perdiderunt. Et imputatur his infelicitas sua; imputamus his nomen calamitatis suæ; imputamus nomen, quod ipsi fecimus. Et vocamus rebelles, vocamus perditos, quos esse compulimus criminosos. Quibus enim aliis rebus Bagaudæ facti sunt, nisi iniquitatibus nostris? nisi improbitatibus judicum?*

Bagaudarũ factio.

Lib. 5. de gubernat.

nisi eorum proscriptionibus & rapinis, qui exactionis publicæ nomen, in quæstus proprii emolumenta verterant; & indictiones tributarias, prædas suas esse fecerunt? qui in similitudinem immanium bestiarum, non rexerunt traditos sibi, sed devorârunt: nec spoliis tantùm hominum, ut plerique latrones solent, sed laceratione etiam, & ut ita dicam, sanguine pascebantur? ac sic actum est, ut latrociniis judicum strangulati homines & necati, inciperent esse quasi barbari, quia non permittebantur esse Romani. Acquieverunt enim esse, quod non erant; quia non permittebantur esse quod fuerant: coacti sunt saltem vitam defendere, quia jam libertatem videbant se penitus perdidisse. Nestorio Mariæ-mastige post hæc, Consulibus Basso & Antiocho apud Ephesum, Cælestini & ducentorum amplius sacerdotum conventûs autoritate confosso, quià Christum ex Maria hominem tantùm, non autem Deum natum impiè defenderet, Xistus tertius, Romanæ sedis gubernaculum accepit. Neque interea loci, Belgicæ, post tot accepta undique à barbaris vulnera, adhuc tueri se contigit; aut respirare ex continuis, quos hactenus perfuncta, laboribus. Quippe Gundicarius Burgundionum Rex, motâ fide fœderum, in hosce fines sese inferens, stragem ac populationes attulit magnas, porròque vastasset omnia, ni Ætius opportunus Hunnorum auxiliis ex Pannonia ductis, bello obtrivisset; quod de Ætio Sidonius * acutè:

Belgam, Burgundio quem trux
Presserat, absolvit.

Nec longè post Gundicarius, ab Ætio memorabili prœlio fusus; & Prospero teste, tota ferè gens cum Rege suo per Ætium deleta.

XLII. Sequentes inde anni Gothorum novâ rebellione, quam sociati Burgundis maturaverant, & multis adversus eos prœliis, & Littorii Præfecti parum felici ductu, satis inquieti; auxiliantibus semper Hunnis. In his, id cumprimis memorandum, quod Littorius fretus Aruspicum responsis, & prænunciationibus dæmonum, ausus apud Tolosam, ubi Gothorum regia, temerè manus conserere cum Gothis, & universo rem experiri certamine, Theodorico Rege suppliciter in preces effuso. Quæ verò Ducem impium secuta merces graphicè Salvianus: *Non ita Gothi, non ita Wandali,* inquit, *qui & in discrimine positi, opem à Deo postulant, & prosperitates suas munus divinitatis appellant. Denique probavit hoc bello proximo infelicitas nostra. Cùm enim Gothi metuerent, præsumpsimus nos in Hunnis spem ponere; illi in Deo: cumq; pax ab illis postularetur, à nobis negaretur: illi Episcopos mitterent, nos repelleremus: illi etiam in Alienis sacerdotibus Deum honorarent, nos etiam in nostris contemneremus: prout actus utriusque partis, ita & rerum terminus fuit. Illis data est in summo timore palma, nobis in summa elatione confusio. Agnovit hoc ille Dux nostræ partis, qui eandem urbem hostium, quam eodem die victorem se intraturum esse præsumpsit, captivus intravit. Nam, quia sine divinitatis auxilio, ac Dei ductu, capiendum à se hostem credidit, ipse captus est: consilii ac sapientiæ summam usurpavit, ignominiam temeritatis incurrit: vincla, quæ aliis paravit, ipse sustinuit. At ipse Rex hostium, quantum res prodidit ac probavit, usque ad diem pugnæ stratus cilicio, preces fudit ante bellum, in oratione jacuit, ad bellum de oratione surrexit. Priusquam pugnam manu capesseret, supplicatione pugnavit; & ideò fidens processit ad pugnam, quia jam meruerat in oratione victoriam.* Præclarè sanè ad posteros Salviani documento, cùm omnium mortalium vita, divino numine invisitur, nullum neque bonum, neque malum facinus cujusquam, pro nihilo haberi: præmiaque bonos malosque juxta in hac etiam vita sequi. Cæterum Littorii ista temeritas magno Reipublicæ Romanæ quinque Galliæ provinciis, stetit; cùm Theodoricus Gothorum Rex hinc ad fœdera rigidior, ab Ætio, qui columen & salus, imò sospitator tunc erat Galliæ & orbis totius Hesperii, nec pace, nec bello inflecti potuit, quominus Gothicæ suæ fines in Ligerim Rhodanumque, qua lubitum, proferret. Id quod eleganter non minùs quàm verè Sidonius in Aviti soceri sui Panegyrico cecinit:

Nil prece, nil pretio, nil milite fractus agebat
Aetius, capto terrarum damna patebant
Littorio: in Rhodanum proprios perducere fines
Theodorida fixum, nec erat pugnare necesse,
Sed migrare Getis.

Quanquam ab Avito, qui Præfectus tunc Prætorio Galliarum, literis tandem flexum Theodoricum Regem, idem Sidonius memoret; autorem cum laudans pacis post victoriam renovatæ.

XLIII. Annus agebatur à Virginis felicissimo partu quadringentesimus quadragesimus, cum Xisto Pontifici hominem exuto, Leo, qui Magni cognomine celebratissimus, successor datus. Enituit per id tempus vel maximè Severi Trevirorum Episcopi virtus, quando ipse, cum Germano Antisiodorensi lucidâ face totius tum Europæ, Britanniam Christianæ rei causâ adiit; nomenque suum in insulam eam intulit, quò fortasse, ni permanasset, nulla apud posteros extaret clarissimi facti memoria; à Beda* namque & Constantio S. Germani laudato præcone, omnis hujus proficiscitur narrationis autoritas. Pelagiana hæresis per eos dies rursum convaluerat in Britannia, virgultis, ut facilis infelicium herbarum ortus est, renascentibus; cùm denuò non sine precibus, in Galliam veniunt nuncii, Germanum Antisiodorensem orantes obtestantésque, ut causam Ecclesiæ Britannicæ, quam semel suscepisset, tueri porrò, atque sopitos hactenus Pelagianorum errores, jam verò cum ingenti Christiani populi periculo, rursùs emergentes, comprimere, & exstirpare funditus vellet. Germanus comperto, hæc omnium esse Britanniæ sacerdotum vota, ut trajecto mari, insulam primo quoque tempore adiret, atque coram ibi cum perversi dogmatis autoribus pedem conferret; non diu remoratus Britannorum desideria, Severum Trevirensem, notâ vitæ sanctimoniâ probatum, sibi comitem, accersit. *Erat autem is*, verba sunt Venerabilis Bedæ, *Discipulus beatissimi patris Lupi Trecassinorum Episcopi: & tunc Treviris ordinatus Episcopus, gentibus primæ Germaniæ verbum Dei prædicabat.* Ergò, quæ tunc idonea se dedit navigandi tempestas, tam prospero

cursu

Margin notes: Annus Chr. 431. Nestorius damnatus. Prosp. in Chron. Marcell. com. — Xistus III. Pont. an. fere 8. — Annus Chr. 433. 434. 435. 436. Gũdicarius Burgundionum Rex, Belgicam infestat. Cassiod. Prosp. — * In Panegyr. — Burgundionum clades consulatu Valentiani 435. — Annus Chr. 437. In Chron. … cum … Prosp. … Idacii Chron. — Annus Chr. 438. 439. Prosp. in Chron. Littorii præfecti ob religionis … contemptum infelicitas & clades. … in Chron. Sidon. in paneg. … Prosp. in Chron. Salv. lib. 7. de gubern. Dei. Gothorum & Wandalorum oratio … — Littorii arrogantia & exitus. — Theodorici Gothorum Regis fere Ariani pietas. — Theodorici Gothorum Regis successus Littorio capto. — Ætius belli & paci impar. — Gothi finium suorum protermi… — Avitus Pr. Prætorio Galliarum. — Annus Chr. 440. — Leo Magnus Pont. an. … — S. Severus Trevirens. cum B. Germano Britanniam adit … — Lib. 1. cap. … Ado. Vienn. … S. Germani … — S. Severus Trevirorũ Epis. in magna vicinarum Ecclesiarũ … & barbarorum in …

Digitized by Google

messe, non Belgas modò, verùm & Germaniæ primæ populos curat.

* Elaphius.

cursu provecti insulam ambo tenuêre, ipsum uti mare conatibus eorum obsecundasse, & jussu solito tranquilliùs, dicerent. Adhuc in alto tenebantur Apostolici viri, cùm toto confestim regno, Cacodæmone spargente, fama circumvolat, venire Germanum. Excitus ad primum hujus rumoris nuncium * Elasius, vir in suâ gente omnium facilè princeps, nil dubitavit properare ad littus, & nullo dum adventus eorum certo nuncio, cum filio, qui florente ævo pede captus erat, obviam se ferre sanctis viris. Hunc cætera protinus secuta multitudo. Ubi exscendêre in littus sacerdotes, mox sollemnis cum faustâ precatione benedictio, & sermonis divini doctrina profunditur. Recognoscunt consentúque populum, quem, ubi sanum & religionis integrum, errorísque culpam paucorum fuisse comperiunt, hos nempe, quos contagium exitiale infecerat, sepositos, damnant; & coram adductos, procul in insulæ mediterranea, ne implicita communi gregi pestis officiat, deportari jubent. Inde * Elasii filio, sub omnium oculis, solo attactu, restituto, admirabiliter in avita fide confirmatis incolarum animis, uterque Britannicum pelagus remensi, unde venerant, sospites incolumésque reversi sunt. Atque hæc admodum, quæ de Severi gestis rebus à majoribus accepimus.

S. Germani & Severi sententiâ hæretici releguntur in alia loca, ne polluat contagio sanos.

* Elaphii.

ANNUS CHR. 441.

XLIV.

Constantius presb. vita S. Germani, lib. 2. c. 5.

Quia verò beati Germani virtutum præstantia, quibus sæpe tacitis cogitationibus sollicitat animum, eas evocat in medium, haud prætereo, quibus artibus ipse Ætii Ducis simul iras placarit, simul Aremoricæ genti pacem salutémque pepererit. Aremorica regio in Gallia ad Oceanum est, maritimæ rei scientia non ignobilis, Britanniæque minoris postea nomen adepta. Eam Curiosolites, Redones, * Ambiarii, Osissimi & Veneti incolebant. a Hi populi, ut libertate hactenus adversus externam barbariem illibatâ degebant, ita cæteris quiddam altiùs spirantes, Ætii Ducis imperia gravatè quidem accipiebant. b Insidebat Rhenum, avidus occasionum Alemannus, vel ut rectiùs alii legunt, Alanus, Eocharicho Rege ac Duce ferocissimo. Huic ergo Aremoricæ gentis ultionem mandat Ætius; & regionem contumeliæ ac rebellionis pervicacem, censet inclinandam barbaro. Et jam hiantes Eocharichi, sociúmque cupiditates Ætii facilitas intenderat, infestaque vis Alanorum Aremoricæ finibus imminebat; cùm è vestigio ab Aremoricis ad beatum Germanum legati, opem auxiliumque pacis & veniæ impetrandæ rogantes. nec mora; fert obviam se proficiscenti hostium agmini beatus senex, & inter ipsos equorum barbarorumque fremitus incedens, ad Regem denique penetrat. Atque hic per interpretem, Aremoricis salutem pacémque supplex orans, ubi cunctantem cerpit Eocharichum, asperius compellat; ac injectâ manu fræno, incredibili quâdam cœlestique virtute totum cum ipso Rege velut obhærens vestigio, sistit agmen. Ibi tum mox in admirationem ac reverentiam vertit ira; & Rex denique; ad sancti preces inflexus, positâ ferociâ, Germanum veneratus est; reique totius arbitrio ad Ætium relegato, hostilia signa retrò convertit. Atque ita Germani admirandâ vitæ innocentiâ, barbaricus furor repressus, & imminens Aremoricæ vastitas ingentis stupore miraculi redempta. * Ipsi verò Aremoricani Ætio fidi, pòst, adversus Attilam, in acie steterunt.

B. Germanus Aremoricanos ab Alemannorû irruptione liberat.

* Ambibates. Aremoricave.

Nota addit. 2. Venant Fortun.
a Zosim. l. 6. & Procop. l. 1. de bell. Gothor.
b Sidon. Panegyr. Avito dicto.

ANNUS CHR. 442.

Eucharix, Evarix, vel Eucharichus Alemannorum seu Alanorum rex.

ANNUS CHR. 443.

B. Germanus exercitum Alanorum reprimit & loco sistit.

* *Iornand. de Get. reb.*

XLV.

Bagaudarû factio repressa.

Prosp. & Sigebert. in Chron. Prosp. Marcell. in Chron. Cassiod. Paul. Diac. lib. 15. Iornand lib. de Geticis rebus. Idacius.

Medio quoque tempore, sopita civilis discordiæ flamma, quam Bagaudarum factio suscitarat, magistratu in arma surgente; cæsis itaque principibus turbarum & Battone, qui inter seditiosos præstabat, captivo facto, Bagaudæ nomen concidit.

ANNUS CHR. 444. 445. 446. 447. 448. 449. 450.

Hunnorum in Belgicam Germaniámque irrumpentium procella, Attila duce.

Consecuti hinc anni sunt, teterrimis Hunnorum irruptionibus, extremis omnia cladibus involventium, funesti; & Galliæ propè Rhenóque supremi, Attilâ, homine ad exitium imperii Romani nato, demum emergente: & Pannoniam Daciámque, præ orbis terrarum imperio, reputante nimis angustas genti suæ sedes. Valentinianus Augustus tum septimum consulatum cum Avieno gerebat, cùm in Theodosii junioris defuncti locum suffecto jam Marciano, Attila ad incursandam Galliam ingentes armorum facere adparatus, & innumera populorum agmina, quibus ceu fluctibus salum, sic solum omne barbararum illuvie gentium inundaret, ab ultima veluti Septentrionis specula in unum contrahere. Sustulerat Bledam ipse nuper, germanum suum, regníque consortem; ejúsque sibi parere populos coëgerat. Fultus itaque fortissimarum gentium præsidiis, quas sub potestatem suam, Macedoniâ, Mœsiâ & Achaiâ pervastatâ, subjunxerat, terrores horribilésque minas jaciens, sese flagellum Dei ac cœlestis iræ piaculum ipse prædicabat; & ad Occidentalis Imperii natum exitium, satis periculi magnitudo docebat. Exercitu, quod produnt * quingentorum millium numero comportato, non irrito metu, ad concussionem Orbis advenire colluviem hominum tantam, jam percrebuerat. Ipséque Attila, quod ex Prisco narrant posteriores, superbus incessu, oculos huc atque illuc circumferens, elatos magnitudine virium spiritus, ipso quoque motu corporis prodebat: belli quidem appetens, ut qui maximè; sed manu temperans tamen: consilio prævalidus pollénsque, supplicantibus exorabilis; propitius in fidem semel receptis; staturâ paulò infra justam, lato pectore, capite grandiori, oculis minutis, barbâ rarâ, & respersâ canis, naso simus, teter colore, nec obscura præbens originis suæ signa.

Prosp. in Chron.

* *quingentorum Iornand. at Paul. Diac. septingent.*

Priscum historicum memorat Iornand. lib. de Get. reb. Paul. Diac. l. 15. ex eodem.

Attilæ effigies.

XLVI.

Junxerant se Attilæ in hujus expeditionis ac prædæ societatem celeberrimi Gepidarum, Ardaricus & Walamir Gothorum Reges; quos sequebantur per nomina populosque, in classes quæque suas tributæ fortissimæ gentes, Marcomanni, Suevi, Quadi, Heruli, Turcilingi, Rugi, Bructeri, Saxones, Franci, aliæque complures, ab ultimis Septentrionibus effusæ nationes. Instructis igitur jam omnibus ad profectionem necessariis rebus, Attila, ubi non satis sibi provisum intelligit, si Gothi gens belli gnara, vilisque mortis, cum Romanis arma virésque jungerent, non barbarâ prorsus, ad dispiciendas vires astutiâ, amicum se Gothis simulans, legatos ad Theodoricum mittit in Galliam, per quos consilium aperit suum; hortatúrque ut communibus armis Romanum oppugnent; victoriâ

Attilæ major astus quàm pro barbaro.

partâ,

partâ, prædam utrique cessuram, imperium orbis æquâ sorte divisui futurum. Pari fraudis obtentu, Valentiniano renunciat, unicos se Góthos, totâ mole belli, petere; certúmque sibi, Galliam, Hispaniámque, pulsis exteris, asserere in pristinam libertatem; ipse interea à Theodorico juvando tantisper animum sevocans, pacem modò coleret, otii securus.

* Mosellam. Rheni ac Belgicæ terror Attila imminente.

ANNUS CHR. 451.

XLVII. At Valentinianum Attilæ dolus minimè fefellerat. quamobrem sanctiore per Ætium Patricium cum Theodorico Gothorum percusso fœdere, obviam eundum ratus perniciosis Attilæ conatibus, egregium & ipse conflavit exercitum. At primi quidem impetûs barbarici turbo, inter Rhenum, * Obrincam & Mosam, valido mox fragore detonuit: & Rheno jam appropinquabat Attila; terrorque latè & inusitata trepidatio ripam utramque occupabat; excidium atque ultimam vastitatem haud dubiè sibi proponentibus accolis. Unde Sidonius:

Paneg. Avito dicta.

Attilæ apparatus.

Subito cùm rupta tumultu
Barbaries totas in te transfuderat Arctos
Gallia: pugnacem Rugum, comitante Gelono,
Gepida trux sequitur, Scotum, Burgundio cogit,
Hunus, Bellonotus, Neurus, Basterna, Toringus,
Bructerus; Vluosâ, quem Nicarus abluit undâ,
Prorumpit Francus; cedit citò secta bipenni
Hercynia in lintres, & Rhenum texuit alvo
Et jam terrificis diffuderat Attila turmis
In campos se Belga tuos.

Salvian. l. 6. Aim. l. 1. c. 6. Sigeb. in Chron.

Treviris Augusta quondam funditus excisa quartâ irruptione.

XLVIII. Trevirim, ut omnium Belgicæ civitatum Rheno vicinam, sic cladi & barbarico furori proximam, & ante omnes injuriis opportunam, quarto hinc & ultimo cum veteribus tradiderim excidio perfunctam; quo casu famæ veteris dignitas omnis atque amplitudo, ceu intercisâ catenâ priscæ felicitatis, ac magnificentiæ, corruit. Atque hæc illa calamitas, uti reor, ipsa est, quam lugens Salvianus, de Trevirorum Augusta, dixit: *Quia te tria excidia non correxerunt, quarto perire meruisti.* En igitur quæ conditio nascentium est, Dux atque Imperator Universi, quas machinas fingit, atque contexit, ut in magnum Reipublicæ corpus & robur adolescant, easdem justis causis diffingit idem, atque dissolvit; quo vel involutæ ruinis suis, ad æternæ labantur Providentiæ suæ metam.

Tungrorũ excidium. MSS. & Gesta Episc. Tungrens.

Colonia Agrippina ab Attilla vastata.

B. Ursulæ & XI. mil. sociarum virginum martyrium.

XLVIIII. Prostrato Treverico solo, hinc in Germaniam secundam, quæ cum hoc agro nostro continens, infert gradum barbaricæ pestis. Excisa Octavia nobilis Tungrorum civitas, ac suis in favillis consepulta. Hinc Agrippinensium magnificentissimæ Coloniæ circumfunduntur Hunnorum agmina; atque ibi tum, quod veterum scriptorum fides, & omnis horum locorum traditio docet, Ursula Britannica virgo comitata multarum virginum choro (& undecim millia exprimunt) ab limine Principum Apostolorum Petri & Pauli, ut aiunt, reversa, cùm prono Rheni flumine descendisset, à barbaris intercepta, gloriosissimum & immortali famâ martyrium obiit. Enimverò ipsa victrix cum universo parthenio cœtu, & reliquo comitatu pudicitiæ sanctæque fidei opulentissimis onusta spoliis, novo & inusitato triumphi genere, deletam ab Hunnis Coloniam sanguine suo velut de novo condidit, & nominis, patrociniique felicis immortalitate consecravit. Virginis Epicinia Wandelbertus Prumiæ nostræ cœnobita, haud olim absurdè inflavit:

Wandelbertus apud Bedam ad 21. Octobr.

Tunc numerosa simul Rheni per littora fulgẽt
Christo virgineis erecta trophæa maniplis,
Agrippinæ urbi, quarum furor impius olim
Millia mactavit, ductricibus inclyta sanctis.

SS. Virginũ historia Trevericis rebus non aliena.

At verò, quia hæc narratio nobis temporum locorúmque fide probatior est visa, quàm illa, quæ rei gestæ seriem ad Maximini vel Maximi tyranni imperium, certaminisque palæstram, ad nescio quod maritimum Romæoburgum vel Agrippinæ Prætorium rejicit; committere jam non debeo, ut absque ratione complexus vetustiora, illam verò, quæ trans mare petita, sententiam temerè repudiasse videar. Et initio quidem, nemo velim virgineæ laudis tam raræ commemorationem Annalibus his velut externam, in tanta rerum vicinia invideat; cùm hinc ad omnes pænè Trevirorum Ecclesias translata teneamus Martyrii pignora; nec acta premere deceat, quarum in reliquis vivere cupimus exemplum.

SS. virginũ acta genuina amissa non posse recuperari videntur.

L. Sed ne quid dissimulem: video in hac historia eruditum juxta ac rude vulgus, & homines in omni veteris memoriæ pervestigandæ studio sagaces, domesticos, exteros, omnia adhuc pertentâsse, & ab ipso usque gurgite, quicquid in alto profundóque latere potuit, expiscari conatos; sed sollicitatis frustra cunctis, cùm hærent vado præcipua hujus gesti monumẽta, vel altâ potiùs silentii nocte premuntur, spem adhuc affulgere exiguam, ut hæc tam densa caligo se in aëra purget apertum. Quare, ut gratiora dictu multa alios narrasse scio, sic vera pro gratis loqui, si quis veterum præiret, optarem equidem. Alberici cœnobii Trium fontium monachi ætate persuasum erat, post priscorum narrationem, nil verius in hoc genere repertum iis, quæ Elizabetha Schonaugiensis cœlitùs admonita de virginum harum martyrio protulisset; quin & ipse, quotquot ante eam scripserunt, errâsse, pronunciare non dubitat. At hic quanta pugna cooritur doctissimorum hominum, vel ea sibi convenire negantium, quæ virgo divina sumpsit ipsa pro certis atque concessis, hominum & temporum definitione manente vel obscurâ, vel implicatâ. Crediderat ipsa ante celebrem illam Martyrum inventionem, quæ in annum MCLVI. incurrit, & quâ plurimorum cum sepulchris ipsis eruti tituli & lemmata veterum monumentorum, agmen hoc tantùm extitisse virginum, nullis permistum maribus; at ubi partim divino instinctu concitata, partim convicta titulorum inscriptionibus ac ipsâ inventionis fide, infantes, conjuges, viros grandævos, effodi, & in iis Episcoporum & Præsulum extare nomina comperit, multa super antiquorum literis & monumentis admirari, multa percontari, & adhibito in consilium Deo, pervestigare cœpit. Perlato igitur ad se Coloniâ recens tum inuento S. Cyriaci Papæ Romani & Martyris titulo, Elizabetha, divinitùs ut solet agitata, Verenæ Martyris & virginis nuper in Schonaugiam translatæ speciem sibi objectam sensit, ex qua de Cyriaco sedulò quæsivit; cum-

Vulgatæ historiæ censura.

Alberici de XI. mil. Virg. historia usus fum MS. Colleg. Mogun.

S. Elizabeth proprio libello de virginali Collegio Britannicarum virginum.

Agmini virginum Episcopi aliqui viri & matronæ martyres interfuere.

que

Is an in sodalitio S. Ursulæ?

que accepisset Romæ in Apostolica cathedra sedisse eum annum unum, & septimanas undecim, & origine Britannum, Martyrii desiderio choro se adsociasse virginum Britannicarum; haud certam eo responso, ad libros issse & catalogos Romanorum Pontificum, nec Cyriaci nomen istic ab se repertum: caussaque injecta ejus taciturnitatis, S. Verenam id factum inquisse cleri Romani indignatione, Pontificis sui desiderium & abitum non tolerantis: surrogatum autem Cyriaco Anterum. Porro hac significatione data, facilè B. Elisabethæ fuit, perspicere vulgatæ jam tum historiæ de Attila Hunnorum principe sub quo virgines passæ tradebantur, derogari; quare & ab aliis submonita, Verenam Martyrem iterum consulere non dubitavit, ex qua sejuncta à corporis sensibus intellexit virgines Martyrium obiisse non sub Attila Hunnorum Rege, sed Maximo & Africano Romæ principem locum tenentibus. De cujus oraculi fide, & reliquo in operta historiæ revelandis afflatu, aliorum malim sequi, quam meum interponere judicium; etsi virginis mentem ita motam sentiam, ut alicubi suopte impulsu, alibi superiore quodam ferri valeatur, ut quod loco proprio clariùs monebimus, uno jam contenti exemplo.

Revelationis S. Elisabethæ Schonaugiensis de quibus Bar. ad Martyrol. Rom. & [illegible]

LI. Inter alios sepulchrorum titulos cujusdam monumenti hanc inscriptionem rogata est Elizabeth, ut explicatam daret.

Ætherii an sponsi S. Ursulæ? titulus sepulchralis.

HIC IACET IN TERRIS ÆTHERIVS. QVI VIXIT ANNIS XXV. FIDELIS IN PACE RECESSIT.

Subscriptum, ait, Rex, ad latus sinistrum literæ C & X. ad dextrum A capitale. Mox in viso cognoscit, hunc Ætherium B. Ursulæ fuisse sponsum, aliaque non idonea ut hic repetantur. Ex quo certè intelligitur imaginem tituli apud veteres Christianos pervulgati, situm in pace quiescendi vel recedendi, symbolon nominis Christi rem adeo claram & certam à Virginis notitia refugisse, & quandam obscuritatis latebram habuisse. Porrò licet hæc ipsa temporum calamitas & Barbarorum vastitas, pleniorem historiæ lucem eripuerit, manere in posterorum animis tamen summa quædam rerum impressa vestigia, quæ propagata scriptis, & prodigiis, visisque cœlestibus insignata, metantur, in Agrippinensium solo gloriosæ dimicationis spatia. Quare vel in primis Gaufridi Asaphensis explodenda mihi videtur narratio; quam cum Balæo Anglo tam avide arripuere Magdeburgici Centuriatores, timens ut hujus historiæ post homines natos idoneum verumque Balæum laudarint, quia scilicet Ursulam ex Cornubia Britanniæ Dionoti principis filiam; ad thalamos jugales animo spectasse prodiderit, cum miles Britannus à Maximo transportatus, spretis Galliarum matrimoniis, ex sua gente conjuges trans mare peteret, & in his sponsalium fœderibus, Ursula Conani Ducis exercitus connubio cederet. Virgines enim ad undecim millia jucundi matrimonii caussa pelagus ingressas; & afflictas tempestate navibus in littus ejectas; hic ab adversæ factionis infesta manu, mox ereptâ per varias leti formas vitâ, cruciatu multiplici interiisse. Hæc vix ille; cum ad probra & contumelias mox transit lingua; squalidarumque virginum superstitiosam Romam usque peregrinationem insectando, Coloniensium eas memorias petulantissimus scurra ludit, quas olim

Historiæ S. Ursulæ certitudo.

Gaufridi, Balæi & Centuriatorum expositio.

Virginitatis propositum hoc agmine virginum contra laudent [illegible]

CLEMATIUS DIVINIS FLAMMEIS VISIONIBUS FREQUENTER ADMONITUS, ET VIRTUTE MAGNÆ MAJESTATIS MARTYRII CÆLESTIUM VIRGINUM IMMINENTIUM,

MS. [illegible]

ab Orientis usque Solis regionibus ad Agrippinensium urbem voti caussa profectus, Basilicâ collocatâ, supplex veneratus fuisse dicitur. Atque hujus profectò Basilicæ solum intemeratâ religione augustum, pro martyrii arena, addito quod circa vicinum est, spatio, coluere majores præter auxilia & cœlestes instinctus, ea quoque re confirmatiores, quòd templi area, à mortuis intacta cæteris, ac pura uni virginum memoriæ, sanctione inviolatâ, custodita sit.

[illegible]

LII. Sed diversis diversa tradentibus, in veteri, germanæque memoriæ bivio, cum posterorum ingenia, ut fit, veris aliquantum detraxisse, quin & miscuisse inania quoque videantur, hinc factum est scilicet, ut eruditorum senatus, ab actis quæ vulgò circumferuntur, tanquam à spuriis refugiens, censoria sibi lege agendum, potiusque non nisi aliquid in iis decreverit, quàm amittere possessionem historiæ universam. Neque in sortem hanc admittimus recipimúsve judices eos, qui maculis ac labe temporum sive personarum, quibus vulgata forte quædam monumenta squalent, offensi, mox fidem rei summæ demptam cupiunt Martyrumque virginum penitus abolescere memoriam & arenam. Hos enim si auscultamus, veterum multa è vestigio teri pedibus, eâdem mox operâ sentiemus. Et qui metuit nimium, seseque observat, ne vitiosum sanguinem colligat, ei accidit sæpe, ut sanum quoque deperderet. Neque enim idcirco pes rei, aut historiæ solum continuò vacillat, quia in propria aut definita quæstione temporum aut personarum adjuncta, aut quicunque demum rei modus haud omninò sit exploratus.

[illegible]

LIII. Manere itaque ceu compertum volumus, virginum & sodalium Martyrum Agrippinensium illos admirabiles cœtus, Ursula Duce, in martyrio sanguine pro Christi nomine fuso pudicitiæ & religionis amore vitam posuisse;

Martyrii locus & ætas qua passæ.

Martyrolog. MSS. Beda in Ephemerid. Eccl. Coloniens. & vicinarum. Publicum usum rituatium. MSS. Trev.

eaque causâ ascriptas cœlo cives, rite coli cùm alibi gentium, tum Coloniæ Agrippinensi meritissimè, quod dignam honore ac requiete suâ sedem jam olim istic adeptæ sint. In palæstra interim pervestiganda quidem seu agonis loco & ætate quâ passæ sunt, etsi excellentissimis ingeniis homines se fatigent, & ab iis inflatæ, non quem optes tibiæ reddant sonum, veterum tamen voces, si facilis audieris, documentorum fateberis satis hucusque superfuisse; quibus ubi vetustiora suppeterent haud temerè aut leviter assentires, cùm accepta traditaque à majoribus præsertim cum fide ac sine fuco posteri reponerent.

LIV.

Coloniæ, & sub Attila passæ cum sodalibus Martyr videntur.

Et vero, qui melius & ad fidem accommodatius in medium adhuc quidpiam attulerit, quod iis anteferas, vix meo quidem sensu, reperies: ut in eo proinde manendum quoque putemus, cladem earum virginum ad Attilæ potiùs, quàm ad Maximi vel Maximini superiora quoque tempora referri. Eodem etiam loco Coloniam Agrippinensem Martyrii certamen obiisse, & pudicitiæ Christique causâ cæsas, ita narravimus, summâ non solùm autoritate permoti vetustæ piæque traditionis, sed tum vestigio loci certo, in quo postremùm Martyres institerunt, sepulti & inventi sunt, tum eorum scriptorum literis, quibus ad hanc ætatem nemo repertus est fide vel ævo superior.

Wandelb. apud Bed. in Ephemerid. MS. fundationis litera. Chron. Agrip. Herm. Histor.

Et certè Wandelbertus ante annos plus minùs septingentos, hanc omninò viam instituit; firmátque, de loco præsertim, sententiam nostram Hermánus eo nomine primus Coloniensium Archiepiscopus, eo in diplomate, quo ante sexcentos annos virginibus sacris Gerishemium incolentibus, quòd ab Hunnis exusta vastatáque esset illarum sedes, & Ecclesiam & monasterium attribuit undecim millium virginum, quæ quidem isto tempore non ut hodie visuntur, mœnibus inclusa, sed sita extra muros erant. Rem totam quoque clariùs aperiunt, ceu quidam antiquitatis interpretes Otto, Sigebertus, Rogerius, & Godefridus Viterbius:

Otto Frisin. l. 4. c. 28. Sigeb. in Chron. Roger. Legenda XI. mil. Virg. Viterb. chro. p. 16. De Sigeb. monet Aubertus Miræus in Gemblacensi peran. tiq. annissum, in aliis tamen MSS. & editis exprimi.

Attila, inquit Otto, *dum ubique terrarum discurrit, undecim millia virginum apud Coloniam Agrippinam martyrio coronavit.* Addunt Sigeberti exemplaria non pauca: *Romá reversas ab Hunnis, Attilâ duce, Coloniam undique obsidentibus, martyrio affectas, novo & mirabili quodam modo triumphasse, & urbem illam sanguine & sepulturâ suâ clariorem reddidisse, atque hanc de Attila temporibus non vagam, sed fixam olim fuisse & receptam opinionem, S. Elizabetha in visionum libello, non diffitetur.*

LV.

Mibrinus. Iacob. de Voragine, Richard. Præmonstra. Polyd. Pontius Virunius.

Prætereo jam his inferiores ætate complures, quos, si lubrica & ancipitia nonnulla demas, sequutum te non pœniteat. Et tamen, si pondus addere origini, & jus historiæ placet usque à capite arcessi, dispicere quoque juvet, an iis quæ diximus, aliquid verò similius, à quopiam annoso teste promatur. Sanè Gaufridus Asapensis Episcopus, præ reliquis, ut audiretur, obtinuit; & vero propiora loqui visus est; sed nihil memorat admodum, aut promit diversum à Balæo.

Genebrard. in Chron. ad an. 449. item T. ... Virg.

Atque etiam, ut ne Gaufridus vetustæ narrationi præjudicaret, diligenter olim caverat Genebrardus, cùm monuit, anilia & fabulosa comminisci utrumque doctum. Literis jam olim consignaverat ætatem Gaufridi Matthæus Parisius, S. Albani cœnobita Britannus, qui ad annum MCLI. Hoc eodem, inquit anno, Gaufridus Arturus factus est Episcopus S. Asaphi in Norwallia, qui historiam Britonum de lingua Britannica transtulit in Latinam. Num quidnam ampliùs? Imò vim & religionem testimonii ipsius confecit censor, usque ad rigorem, æmulus Guilhelmus Neubrigensis; qui,

Rer. Angl. lib. præfat.

post Gildam, inquit, sincerum videlicet Britannicæ rei scriptorem emersisse tandem Gaufredum, cui Arturi cognomen additum, eò quòd fabulas de Arturo, ex priscis Britonum figmentis sumptas auctasque de proprio, honesto historiæ nomine, ceu pallio, velaverit. Inde vero semel universa profundens, libro, quem, historia Britonum, inscripsit, tam petulanter & impudenter per omnia mentitum ostendit, ut qui in eum inciderit, nemo, nisi veteris memoriæ prorsus imperitus, ambigere ea de re debeat. Sed, ut penitùs etiam pictam ab illo, ceu in bono lumine, tabulam inspicias, vide sodes, ut hæreant illa Gaufridi pigmenta, & ad mores, seriemque temporum aptè congruant.

Gaufridi narratio de XI mil. libus Virg. enumerata, & quidem ut ab ... ad ... Offatr. ... proposita.

Maximus an Colonias deduxerit in Aremoricas.

Cùm Maximus proximas Gallias occupasset, ac vicinos Armoricos sedibus expulisset, vacuam provinciam, uberes glebas Britannicis militibus, condendæ novæ coloniæ tribuit; unde & eidem provinciæ comparatum nomen, ut minor Britannia diceretur. Inauditum certè narrat Maximi facinus; & amorem rarissimi in militem exempli; qui in procinctu tot certaminum, quæ novus Imperator, immò tyrannus, non Galliarum modò, sed Hispaniæ, Italiæque dominatum animo complexus, vivo & incolumi vindice Theodosio, haud dubiè volvebat animo; qui, inquam hoc rerum articulo, necdum imperii securus, certus hostium, legionibus velut emeritæ militiæ veteranis, præmia non modò fertilioris glebæ, sed nuptiales quoque tabulas conficeret, & tanquam exhaustâ jam omni, non dico belli materiâ, sed conjugiis Gallia procul in ocio indulgenter, non sub vexillis, sed nuptiarum tædis, novo, & iis temporibus prorsus insolito genere missionis, haberet.

à disciplina Romana.

Zosim. l. 4.

à repugnantibus.

Omitto virginum hæc lectissimarum præpostera vota, & pudicitiæ tam inimica vincula, queis puellas Deo sponsas, & coronis, quàm de martyrio purpuratis, tam de virginitate candidis, veterum sensu redimitas soboli militum gignendæ, narrationis hujus autores ex Britannia deducunt.

LVI.

Nota ad Pomp. Peregr. l. 3.

Sunt enim hæc omni sanè veteris historiæ sensu, usuque alienissima, & si paulò accuratiùs Maximi ingressum expenderes, fortè incredibilia; quippe, quem primò constat, quo tempore imperium invasit, secundis fermè Galliarum animis levique motu, in Belgica receptum. Rursum; classe venientem ex Britannia, longè infra Aremoricos, Gessoriaci portu, littore Bononiensi, cum exercitu receptum. At nullæ interibi caussæ, non dico lædendi, sed lacessendi Aremoricos.

Aremorici veteres nec à Maximo pulsi, nec à Britannis occupati.

Etenim Romanorum passim præsidiis, stationibúsque limitaneis Germaniæ Belgicæque, vel transitione, vel metu novum Imperatorem accipientibus, reliquâ quoque Galliâ, cæso Gratiano, sponte ad ejus partes accedente,

quid

quid afferas, Maximo fuisse caussæ, ut Aremoricos exsiliis fatigaret, adeóque profligatis incolis, hâc novâ militari stirpe obsereret? An fortè, ut ex altera parte Maximo fidus & veteranus miles Britanniam insulam è longinquo custodiret? Quasi verò, Britannia vel in primis, Maximò favente & limite usquequaque tum pacato, uxoriis iis custodibus Oceanus egeret. Quin potiùs tam longè Britannicum omne nomen ab hisce regionibus abfuit, ut à Maximi tyrannide in multa post tempora, patriæ immotâ libertate, avito suo nomine & robore, circumfusis undique etiam Barbaris, manserint Aremorici. Placet veterem memoriam replicemus? Recentissimè Ætio redditi Romano duci, deprecatore Germano; nuper autem, cùm Gothorum læsi viciniâ, gravius quidpiam fuissent passi, scribit in itinerario suo Rutilius Claudius, qui post Stiliconem vixit, quem appellat Proditorem imperii, refloruisse sub Exuperantio Præfecto, nam in Palladii nobilis adolescentis laude, versus hosce ponit:

Zosim. lib. 6. Procop. l. 1. de Gotticis rebus. Iornandes. Sidon. Paneg. & S. Germani vita apud Sur. Metaph. lib. 1. ad Fortunatum cap. 8.

Sub Exuperantio.

Cujus Aremoricas pater Exuperantius oras
Nunc postliminium pacis amore docet.
Leges restituit, libertatemq́; reducit,
Et servos famulis non sinit esse suis.

Procop. lib. 1. Goth. histor.

Quod de Armoricis propriè dictis accipi, consensus eruditorum est; ad quorum recessus intimos penetrâsse barbaros, non tanquam insolens miretur, qui jam inde à Juliani temporibus, hunc velut saltatorium orbem Francos, Wandalos, Gothos, hàc illacque persultando versâsse, quàcunque via patuit animo subjecerit. Nec aliud quàm conjecturam censuerim, ex imperita & perturbata Procopii narratione, quos ille vocat Arborichos, hoc facere Armoricos; & quia Belgæ plerique Germanique secundi Oceano finitimi, scilicet iisdem Aremoricæ gentis quoque tesseram impertire.

LVII. Sed ad Aremoricos nostros redeo, qui à Romana quoque servitute, memores pristinæ libertatis resiliisse visi, cùm Littorio duce, Hunnicorum equitum auxiliis traducti ad obsequium. Unde Sidonius in Aviti soceri præconio:

Littorius Scythicos equites, tum fortè subacto
Celsus Aremorico, Geticū rapiebat in agmen.

Ad panegyr. Aviti Ioan. Savaro.

Frustraque ad Narbonem & Narbonensis Galliæ populos, hanc Littorii expeditionem trahunt nonnulli, cùm Cæsaris, Strabonis, Ptolomæi genuinâ lectione illi Aricomici dicti, Pliniusque disertè testetur, Aquitaniam universam Arecomicæ quondam tulisse nomen. Caussam opinionis suæ promunt, quia Aremorici, aut, ut ipsi volunt, Armoricani ab Ætio fuerint antea debellati. Sed contra, nos ostendimus S. Germani deprecatione fuisse conservatos, integrâ libertate, ac demum Littorio Duci pagano, & Ætii æmulo Hunnorum cuneis oppressos cessisse ad tempus, donec Littorio capto, spes se novarum rerum ostenderet. Nam conditionem fuisse tunc Galliæ populorum eam, ut contra Romanorum Magistratuum tyrannidem & avaritiam ipsi se vindicarent, exemplis benè multis doceri potest; adeò, ut, Orosio teste, invenirentur Romani, qui mallent inter barbaros pauperem libertatem, quàm inter Romanos tributariam sollicitudinem sustinere. Atque ab hac imperii vicissitudine serò quoque Novæ Armoricæ appellationem exortam putamus; cui intra Garumnæ tractum littore Saxonico Tribunus assignatur in Notitiæ libro, dubiâ tamen lectione, an cohortis vel Armoricæ novæ; sed citra dubium, in tractu Armonicano contra Saxones etiam vigilantibus Romanis. Quos igitur populos suis in sedibus præ cæteris Galliarum incolis florentes, & famæ, libertati, patriæque suæ ad hoc usque tempus superstites agnoscimus, eos, quis tam omnis expers memoriæ priscæ, qui jam inde à Maximi ætate in nomen concessisse Britannicum, aut etiam à Maximo sedibus ejectos, vel coloniis obrutos fuisse credat?

Strabo lib. 4. & scholia ... Casaub.

Lib. 4. c. 17.

Galli sub barbaris bene habiti.

Sidon. in epist. passim. Oros. l. 7. c. 41. Zosim. l. 6.

LVIII. Alia itaque noscitanda tempora, quibus inclinationem Aremoricis attulère Britanni; nempe, cùm Picti, Scotique solitò graviores in ipsos Britannos incubuère, transeuntibus Saxonum & Anglorum armis, quos socios accersierant, ad Britannorum hostes. Ipsi ergo præda Pictis hostibus, præda sociis Anglis, ubi quæsita jam & consumpta tandem omnia remedia; exitus Britannorum is fuit, ut alii se Picti, superantibus, Scotisque dederent; alii Saxonibus & Anglis victi parerent; pars demum quotacunque, adversum & vicinum Armoricorum littus, notamque Galliam appeteret. Magnâ itaque confluente insulanorum multitudine, Aremoricos credibile est, illinc instantibus Gothis, hinc urgentibus Britannis, denique partem concessisse finium, advenis afflictis, & legum jurisque Romani societate sibi devinctis. Nam Aremoricos alioquin, insequenti sæculo, compertissimum habemus Britannis quoque receptis, occupâsse quantum erat inter Aquitanos & ipsos advenas intermissi in Rhedonum & Nannetum agris spatii. Unde celeberrimi & controversi limites ii apud Gregorium Turonensem, Nanneticus alter dictus, alter Rhedonicus; quibus novi Britanni coërciti, à Francis & veteribus incolis Romanis, quondam Aremorici possessoribus.

Aremoricorum regio quondam à Britannis infessa. Beda histor. Angl. l. 1. c. 15.

Ven. Fortun. l. 3. poem. ad Felic. ... Nannetinum. Greg. Tur. l. 2. c. 35. l. 5. c. 16. 26. 29. 31. l. 9. c. 18. 24.

LIX. Neque præterit quicquam horum Bedam; qui Pictis cæterisque sempiternis Britannorum hostibus, externâ virtute domitis, arma, memorat, conversa denique in socios: & post ingentem insulæ vastitatem, Ambrosio Aureliano victo, qui pro Britannis dux ultimus strenuè contra Saxones & Anglos pugnavit, Anglos victores indigenarum alios trucidâsse ferro, alios coëgisse petere transmarina. Unde disertè Tiro Prosper ad annum decimum octavum junioris Theodosii: Britanniæ usque ad hoc tempus variis cladibus, eventibusque laceratæ in ditionem Saxonum rediguntur. Ergo hinc errantes Britanni atque vagi, Galliâ totâ fluctuarunt extorres.

hist. Ang. l. 1.

Britanni insulani vagantur per Galliam extorres.

LX. Atque ut Britanniæ minoris clariora jam exordia quoque videas, & simul, quàm fluxæ fidei sit narratio Gaufridi, illustri geminóque testimonio locum hunc concludam. Primum, Sidonii Apollinaris, qui Anthemio imperante, disertè testatur Britannos, tunc necdum Aremorici penetralibus receptos, atque incertas ad Ligeris fluvii ripas habuisse sedes, etsi ex fœdere, non ita tamen firmo, quin Ariovando Galliarum Præfecturâ

Epist. 7. l. 1.

spectatissimo; submovendi viderentur à flumine. Unde inter arcana ejus consilia & capita accusationis refert Sidonius: *Britannos super Ligerim sitos oppugnari oportere, cum Burgundionibus, jure gentium Gallias dividi debere, quod utrumque Gothorum Regi persuasum cupiebat.* Ex quo planius etiam, nihil dum Britannis in Gallia fixum fuisse; nedum in Aremoricis perspicitur, cùm perinde ac Burgundiones, in intima Gallia, sedibus incertis & ipsi vagarentur. Jam illud Arivandus quod cœperat, externum, gravemque populum loco movendi consilium, à Gothis tandem perfectum, satis innuit Gregorius Turonensis; cùm Biturigum finibus pulsos, magnam apud Dolensem vicum, cladem accepisse, non tacet. Eam vero cladem ab Evarige Visigothorum Rege Riothamo Britannorum sive Duci, sive Regi illatam; qui XII. millia suæ gentis ad opem ferendam Romanis classe in Galliam deportârat, Jornandes autor est. Quamobrem rectè & omninò contra quam Gaufridus, tantò vetustior & probatior quispiam apud Aimoinum scriptor: *Britanniâ*, inquit, *majore ab Saxonibus & Anglis occupatâ, magna pars insulanorum mare trajiciens, in ultimis Galliæ finibus Venetorum & Corosolitarum regiones occupavit.* Hinc igitur Britanniæ minoris nomen Aremicorum regiones sortitæ: siquidem Venetorum civitas & Veneticum, Episcopi sede, primorum Comitum domicilio, Francorum clientelâ, jam inde à Britanniæ minoris exordiis, teste Gregorio Turonum, inclaruere. Quod cùm ita sit, quis sine ullo testimonio vetustatis, imò refragante potiùs vetustate, Gaufrido assentiat, Maximi tempore Aremoricos amisso veteri nomine, transiisse in Britanniam.

Hist. Franc. lib. 2. c. 18. Lib. 4. hist. Franc. c. 72 cui consentit Sigeb. in promtu Chronici.

Sidon. l. 3 ep. 9.

Britanniæ minoris exordia.

LXI. Virgines an selectæ pro militibus?

Ursula & sociæ an invitæ desponsæ militibus.

Paneg. Latini Pacati.

Neque hîc repeto, quàm absonè à Gaufrido statuatur, tot undique collecta cujusque generis puellarum agmina, vel sponte venisse in thalamorum & connubii spem, aut si invitæ è parentum & natalis soli gremio ad militum contubernia raptæ: ecquæ major unquam tyrannis in orbe Romano & libero populo, vel fando audita, vel propagata literis ad memoriam posteritatis? Et hanc insuper Maximi tam curiosam & infelicem propagationem veteres siluisse? & qui ad hominis invidiam facta omnia illius exquisitè discussêre, & ab usque ejus in Galliam adventu ad illum Aquileiensem fœdissimum exitum, cuncta literis persecuti sunt accuratè, rem tam novam & inusitatam silentio pressisse? At, inquiunt, Sanctarum Virginum ac martyrum, veteres iccirco non meminisse, quia Maximi tyranni partes essent secutæ; vel earum historia, reverentia Gratiani serius sit in literas relata. Sed tam incliti gloria martyrii, qui ab invidia superari potuit? aut quomodo serioris ætatis autores respectus hic attigit? Et Bedam tacuisse? Sed ne Gildam quidem, qui Maximi discessu spoliatam juventutis robore Britanniam, & objectam irruptionibus barbarorum insulam tantopere deplorat, meminisse eius rei locorum uspiam? Sic enim Gildas, quod ad rem præsentem hîc repetendum ducimus: *Thronum iniquissimi imperii apud Treviros statuens tantâ insaniâ Maximus in domos debacchatus est, ut duos Imperatores legitimos, unum Roma, alterum religiosissimâ vitâ pelleret. Mox exin Britanniam omni armato milite, militaribus copiis, rectoribus licet immanibus, ingenti juventute spoliatâ, quæ comitata vestigia supradicti tyranni domum nusquam ultra redit; & omnis belli usu penitus ignarâ, duabus primo gentibus transmarinis vehementer sævis, Scotorum à Circio, Pictorum ab aquilone calcabilis, multos stupet gemitque annos.* Hæc ille sæculo Christi quinto, non scriptis usus Britanniæ monumentis; quæ tum omnia quidem aut ignibus hostium, tradit, abolita; aut indigenarum extorrium classe longiùs etiam exportata, sed ex transmarina relatione, literis memoriæque mandabat.

Gildas de calamit. & excid. Britan.

LXII.

Nihilo magis, quæ de Melga Pictorum & Gauno Hunnorum piratis addit Gaufridus, explicata sunt; Hunnis eâ ætate, quod observatione temporum & rerum accuratâ liquet, nunquam in Britannicum mare vel insulam transgressis. Nam, quod de Hunnorum piratica, & bello ab iisdem insulæ quoque mediterraneis illato narratur; nullius idonei veteris scriptoris aut fide aut historia sustentatur. Neque enim in omni memoria temerè post Maximi discessum Britannis hostes exortos alios, ex Gilda, Bedaque, Constantio, & aliis clarissimè discas, quàm domi quidem Pictos & Scotos, foris verò Saxones & Anglos, qui Hunnis terrestria persequentibus, Piraticà & rei maritimæ usu, vel inprimis fuêre metuendi. Ut taceam, quam id frigidum sit atque dilutum, de duabus à Maximo in Britanniam, Gratiano etiam tum superstite, legionibus remissis; quæ Pictorum, Hunnorumque incursu insulam liberârint; cùm militem à Maximo transportatum nunquam reflexisse deinceps in patriam, constet; eaque re scriptores consentiant, Britanniam, Maximo Rempublicam invadente, primò quietam, pòst tandem infractam, Scotorum atque Pictorum injuriis magis etiam atque magis in dies factam oportuniorem. Quod igitur apud Sigebertum de Melga legitur, & Gauno belli Ducibus, id cùm parum aptè convenit in rem præsentem, tum ex iisdem Britonum commentis trahi sat apparet, queis tanquam fontibus hortos suos irrigavit Gaufridus: rectéque factum & prudenter à Sigeberto, ut cùm de Melgæ ac Gauni expeditione verba faceret, caussam tamen virginum ab hisce piratis secerneret. Unde, qui illum velut pro Gaufrido facientem ceu testem idoneum sustinet, nihil est quod convenienter veterum traditioni, de sacris hisce virginibus narrantem rejiciat. Et verò Hunni, ut olim expedivimus, qui Gratiani & Valentiniani imperio in subalpinis emersêre, postquam regione transistrum occupatâ, incurrissent in Alanos, visi quidem in Rhætiis seu Mediterraneis Illyrici & Alpium locis, sed, ut B. Ambrosius disertè prodidit, per Alemanniam retrò pulsos procul haberi Valentinianus jussit; accersitos etiam, addit, non Maximi causâ, quod unum Gaufrido patrocinari poterat, sed, ut Iuthungos, qui ex vicinia Rhætios populabantur, iis regionibus propellerent: & hos tamen, ait, Galliæ modo appropinquantes, Valentiniani junioris studio, per Alemanniæ terras, procul aversos.

Cùm

Cùm itaque Gaufridus omnibus antiquæ historiæ præsidiis exutus, quibus ille superior triumphasse de cæteris adhuc videbatur, quantum equidem intelligo, nodo jam latere palpitet, plus etiam ad obscurandam, quàm illustrandam hanc virginum historiam momenti afferat, non possumus omnino à traditionis immobili vestigio pedem reflectere. Quin cùm de fundo montibus, ut in veterum formula erat, non deducimur, obnixius & stabiliore gradu, ne vis fiat, nunc illam prehendimus; statuimusque proximè Coloniam Agrippinensium hoc tempore, cædem eam religionis & virginitatis odio ab Hunnis patratam. cùm in omni præsertim sequutâ posterorum memoriâ, alibi usquam tolerati martyrii nec vestigium nec vola monstrata sint, frustraque in littorum, nescio quo profano, confusis utique Prætorii Agrippinæ lineamentis, aut ignotis marium laciniis hæc instaurari, an deferri sacra postulentur.

LXIII. Crisis de historia S. Ursulæ doctrinaria.

Porro, cùm non tam facilè nobis in mentem venire soleat, quare verùm sit aliquid, quàm quare falsum, latente præsertim in oblivione memoriâ vetustatis, B. Ursulæ, atque sanctarum ejus Sodalium martyrium relinquere Attilanæ persecutioni respondere lectam opinione magis, quàm planè ad veritatem persuaderi censeo, tam multa occurrunt, quæ amissis majorum genuinis monumentis, historiam hanc conturbant, & sine certa judicandi assentiendique nota fluctuare cogunt. Quanquam ad Attilæ tempora adhæsere veteres. Remotiora suasit amplecti Cyriaci tempestas. Maximi ætatem, cum Gaufrido recentiores sequuti sunt. Atque in hoc tanquam sententiarum litigio, præclarè quidam sæculi nostri Poëta:

Ms. ... Epitom. ... ad ... Gilb.

Sive autem Armoricos oppresserit iste, vel alter
Maximus, aut in eos Maximianus iit.
Et seu caussa viæ connubia, seu furor Angli,
Seu visenda forent, quod loca sacra Petro.
Deniq; seu Gaunus devotâ & Melga catervâ
Sustulerint, rabies, Attila, sive tua.
Certũ est pro Christo, causâ & cecidisse pudoris
Servantis, Ursulâ adhuc & præeunte Ducem.
Certum Agrippina, quà celsa Colonia surgit,
Sanguine agris passim commaduisse sacro.
Ossa ubi adhuc numeri, quà plurima honore
Indeq; diversis multa tributa locis. (colitur,

NB. de tempore Martyrii ...

Eruditè quoque ab aliis observatum haud prætereo, vulgari appellatione hunc Martyrum diversæ ætatis, sexûs atque ordinis cœtum numero XI. millium virginum exprimi, quo certus pro incerto, sed permagno & nobilior, potiorque pro universo genere ponatur, cùm ab antiquis Virginale Britannicarum Collegium, & S. Ursula cum Sodalibus, salutetur.

XI. millium Virg. appellatio ...

LXIV.

Tenemus itaque ad incrementum famæ ac sanctitatis hujus urbis natum unicè locum, unde SS. Virginum & Ursulæ Sodalium æquè præsidia, ac monumentorum quidquid extat, in alias nationes populosque transiit. Sed, quia postquam hæc à nobis perscripta erant, locus palæstræ ab aliis etiam vindicatus est, non faciam prolixius, ubi clarissimi viri nomen, quod literæ antiquæ retinent, Clematiique studium indicavero.

Clematius condit Basilicam S. Ursulæ. MSS. S. Ursulæ Colon.

Christe, ô, quem dominum cœli Regemq; Deumq;
Crux jubet agnosci, mortem qui vicit acerbam,
Martyriisq; suis reparavit sæcula cuncta.
Hic ubi virginitate fudit manus impia sanguinem,
Angli seu Christi casta inter funera fusum,
Clematius fuso posuit pro sanguine templum,
Et Diodora simul cara & gratissima conjux.
In tantum meritum cælestia facta resurgunt.

S. Elizabetha Clematium ... Martyres & Virgines ...

LXV. Metis ab Hũno item eversa. Greg. Turo. L. 2. c. 6. ... Autor Episcopus ... Metensium clades à consilii decreto

Hunni eversâ Agrippinensium urbe, ipsa Paschæ vigilia ad Mediomatricum civitatem, cui tum Autor Episcopus præerat, ceu turbine quodam depopulationis acti, opulentam inprimis ac florentissimam Belgicæ civitatem teterrimo incendio vastarunt, ferroque crudeliter sævientes, postquam in utriusque sexus multitudinem grassati sunt, sacerdotes ab aliis perhibent, ante altaria victimarum ritu mactatos; tractum in captivitatem Præsulem Autorem; neque partium cujusquam ætati, honori vel sexui. Cujus quidem cladis apud cœleste Numen tam certa destinatio fuit; ut, Gregorio Turonensi tradente, etiam Petri Paulique Apostolorum Principum voce antea denunciata sit, & adscripta magnis incolarum sceleribus; per quæ fieret, cur fixa tum dominicæ sententia, nec precibus quidem Apostolorum mitigari flectique potuerit.

LXVI. Autor ut ... cladem ...

Nec exempli fructu caret, quod majorum sermonibus jactatum in S. Clementis vita memoriæ prodit Paulus Diaconus. Autorem Episcopum, ceu præscium imminentis mali, insigni præconio Christianis commendâsse Pœnitentiam, & obtulisse Baptismi gratiam, quâ ad robur & animi constantiam, hoc salutari tanquam antidoto gregem suum adversus ingruentis vim tempestatis præmuniret. Hunnum etiam mœnibus succedentem eâ firmitate murorum civitatem vidisse circumseptam, ut ad expugnandum non facili ostensâ viâ, interim ad cingendum Scarboniæ castrum quod duodecim millibus Meti aberat, copiarum partem averteret, cùm medio tempore sponte collapsa Mediomatricum mœnia, & per labem hanc & ruinas hosti patefactus ingressus. Hinc cæde factâ & vastitate plurimâ, quidquid juventâ & robore floridum cladi superfuit, cessisse in prædam & servitutem. Longo agmine à barbaris Christiana plebs cum Pastore captiva ducebatur, donec ventum ad Decem-pagos, qui locus triginta millibus Meti distabat. Hic tum densa caliginis nubes, clarâ luce, offusâ Hunnorum oculis, ut prospicerent nihil, quidve agerent, quòve se verterent, ratique sibi impositum præstigiis, ubi intelligunt adesse Pontificem, cujus virtute, consilioque cæca illa nox profligari, diesque reddi posset, in medium duci jubent Autorem, qui ubi conquisitus affuit, promisit lucem, si captivi natali solo & libertati restituerentur. Quod postquam ope divinâ ab Episcopo perfectum est, incolumes ad sua redierunt Mediomatrices. Hæc Paulus.

Metenses ... Scarbonia ...

Metenses captivi Hũnis caecitate percussis à S. Autore liberati.

LXVII. B. Stephani Oratorium apud Mediomatrices à flammis intactum.

At quod Gregorius Turonensis exsequitur, hauserat omnia tecta latè fusum urbe totâ incendium, uno duntaxat B. Stephani Martyris oratorio, Autoris ope incolumi, inter flammarum mediam perstante voraginem. Erántque qui ante hostilem irruptionem, B. Stephanum in quiete vidisse se dicerent, urbis excidium ab Apostolis Petro, Paulóque deprecantem; &, si ab urbe merenti grave discrimen imminens, scelerum causâ prorsus

Digitized by Google

averti non posset, ut saltem volentes propitii oratorium id, in quo Protomartyris pignora servabantur, à flammis innoxium præstarent. Eâ re gravissimis sumptis ab habitatore corrupto pœnis, factum existimant, ut cùm omnia sacra profanáque flamma feralis amburet, solùm staret augustum id B. Stephani sacrarium, numine præsidióque cœlesti defensum; mansitque posteris inde, præcipuum ac perenne Protomartyris cum prænobili ejus honori demum exstructa Basilica, patrocinium.

B. Stephanus Mediomatricorũ Patronus.

LXVIII. Gravis hæc admodum, & quò festinantior, hoc exitialior Belgicæ Germaniæque secundæ tempestas supervenit. Et licet aliam ab Aureliana & Metensi eversam ab Attila civitatem vix prisci meminerint, disertè tamen Turonicus Gregorius multas cum testatur Galliarum oppressisse civitates. Imò, ne Germaniæ primæ, secundæve Attilam pepercisse credas Idacio, merito scias & justâ ratione Apolinarem Sidonium eundem appellasse RHENI HOSTEM. Nec silet Paulus Diaconus, fulminis instar obstantia quæque perrupisse, & solo æquasse: quod Procopius ad munimenta quoque retulit, quæ passim à Romanis Imperatoribus olim exstructa limiti custodiendo.

Idac. in Chron. Sidon. l. 7. ep. 12. Attila Tricasses & Aurelianum petit.

Cæterùm Attila vastitatem eandem inde circumferens in Belgicam secundam, ad Tricasses ac cæteras urbes Galliæ progressus Aurelianum tandem arripuit; quam urbem non tam armis virisque, quàm B. Aniani Præsulis laudatâ sanctitate precibusque validam, cùm primo impetu expugnare nequit, obsidione terrere cœpit; & indignatus unius urbis oppositu, ruentis exercitûs violentiam retardari, cùm jam omni virium mole ac machinarum pulsu mœnia verberat, fatiscentibus crebrò arietum ictu muris, irruptione quidem terruit, sed plaustra etiam spoliis onusta exportare non potuit. Et exierat urbe supplex hosti Anianus, certusque auxilii supernè promissi, opem pro muris vaticinatus erat; quin Ætium Arelatem ipse profectus invitarat ad opitulandum. Hinc Sidonius Aniani maximi, consummatissimique Pontificis, mores, merita, vitam à Prospero Aurelianensi Episcopo rogatus, mandare literis, operis arrepti fasce se deterritum scribit; præsertim, ubi Attilæ bellum stylo subjiciendum; quo videlicet Aurelianensis urbis obsidio, oppugnatio, irruptio, nec direptio, & illa vulgata exauditi cœlitùs sacerdotis vaticinatio, continebatur.

Jornandes l. de Getarum rebus. Cassiod. Chron. & Greg. Tur. lib. 2. histor. Franc. c. 7. Paul. Diac. l. 15.

Sid. l. 8. ep. 15. S. Aniani elogium.

Aurelianen. urbis conservatio.

LXIX. Itaque jam Hunnorum phalanges intra muros prædæ & spoliis inhiabant, cùm ecce tibi pulcherrimo sociati fœdere Ætius Romanus, Theodoricus Gothorum & Meroveus Francorum Reges, cum suis quisque copiis prodeunt; & Attilam ab urbe in campos oppidi Catalauni ad Matronam flumen protinus avertunt. Ipse Attila pugnæ avidus; pariterque qui contra stabant solo, cui Mauriacus nomen, an in campis Belgicis? signo, quod sueverat, prœlio dato, acie concurrunt; & summis ubique copiis pari utrinque ardore, decertant. Prospectu nimbo telorum & missilium adempto, multa accepta, dataque vulnera. Dúmque concionabundus, per densa suorum agmina vehitur Rex Theodoricus, excussus equo, atque à suis protritus, evomit animam. Pugnæ certè facies & varia fuit & atrocissima; quam nisi nox adveniens diremisset, exitio foret atque internecione copiarum, utrinque certatum. Attila fusus Gothorum impetu, cùm se intra castra deinde curribus & impedimentis circumvallata pavidus abdit, ignaviam quæsitâ latebrâ confessus, victoriam Romanis haud dubiam concessisse visus. Concidisse hoc in prœlio, Jornandes autor est, centum sexaginta duo millia hominum, præter alia nonaginta millia Gepidarum & Francorum, qui nocte, quæ pugnam præcessit, inter se armis congressi, dum nihil pro visu juvant oculi, mutuis vulneribus concidêre.

Catalaunica pugna qua Ætius Attilam vicit.

Attila, Gothis morte Regis sui perculsis, & exercitu Romano, ad partam pænè præsentemque victoriam segni, tutum jam se atque defunctum periculo ratus, prodiit cum suis, ac ducto secum usque ad Rhenum Lupo Tricassino Episcopo, pro viri sanctimonia & integritate, preces ejus apud communem Deum postulavit; nihilque in eum hostiliter decrevit. Eo igitur cum honore remisso, ipse plenus ignominiæ cum reliquiis cladis abcessit. Quippe Ætius Francorum copiis stipatus, Attilæ discedentis vestigia legens, ultra limitem Latialem, unde venerat, quáque Thuringia patet, eum lento agmine insecutus est; ignibus è longinquo ad faciendum terrorem, & majoris exercitûs speciem, excitatis, quo consilium reditus eriperet. Quem flexum, qui de Tungris & Tungria, ceu istuc agmen Hunnicum in reditu inclinâsset, interpretetur, Attilæ viam, & iter ducens in Pannoniam, interjungere prorsúsque distrahere videatur. LXX.

B. Lupus Tricassinus ab Attila abductus.

Ætius Attilam fictè insequitur.

Attila per Rheni limitem & Thuringiam redit in Pannoniam.

Attilanæ verò pugnæ omnium longè celeberrimæ & atrocissimæ stadium, etsi alii ad Catalaunum, quod in Arverniæ montanis, ubi Mauriaci quoque vestigia ostendunt, alii ad Catalanos campos Tolosæ vicinos referant, proniùs tamen & constantiùs ad eos accesseris, qui ex itinerum tractu ductuque Attilæ ex Pannoniis per utramque Germaniam Belgicamque tantum agmen agentis, ultra Aurelianum non pertendisse; fluviis, hoste, metu, & aliis sexcentis objectis incommodis, facilè persuadent; docentque retrò potiùs exercitum in sola devicta traduxisse, & à Ligeris trajectu & ab Aurelianensi urbe repulsum, flexisse versus Catalaunum Belgicæ secundæ oppidum, quod Matrona interluit; atque hic alibi idoneos pugnæ campos eos ingressum, à quibus Campania, cujus Rhemorum civitas metropolis, nomen habet. LXXI.

Attila quo loco conflixerit.

Catalaunici campi inquisiti.

Aurelianum vel Aurelia ad Ligerim.

Catalaunũ Bel. juxtaq; campi.

Campania Belgica.

Atque hic finis Hunnicæ vastitatis fuit, quam Marciano Augusto & Adelphio Coss. omnium acerbissimam Gallia pertulit. Neque tamen fregit barbaros impetus Catalaunica clades: sed ignes majores subdidit. Quippe ipsius Italiæ spe potiundæ inescati lupi Martiales, incendii ritu, parùm fideliter repressi, violentiùs erumpebant. Etenim anno sequenti Attila, quietis atque otii impatiens, de integro auctus majorem in modum copias è Pannonia, trajecto per hiemem Danubio, ad fauces Alpium Juliarum, appetente vere, duxit. Inde Italiam petit, quam regionem LXXII.

ANNUS CHR. 452. Marc. Marcel. Paulus Diac. l. 15.

floren-

Attila Italiam hostiliter vexat.

florentissimam opibus, cupido incesserat ornamentis suis spoliare. Magno igitur cum exercitu Italiæ fines ingressus, cunctis metu trepidantibus nihil Ætio secundùm prioris belli consilia prospiciente; sed ne clausuris quidem Alpium ad arcendum hostem custoditis, multas urbes aut vi cepit, aut metu in ditionem redegit; & terrarum, quod inter Apenninum & Alpes interjacet, omne solum fugâ, populatione, cæde, servitute, incendio permiscuit.

LXXIII. ANNUS CHR. 453. A Leone Pontifice repripitur.

Postero tandem vel eodem anno, Pontificis Leonis magni legatione, nutu quasi divino, cùm alium virum juxta Leonem in habitu sacerdotali astantem & stricto gladio minitantem, vidisse se diceret, ab urbis Romæ excidio in diversum est ablatus; pactoque vectigali annuo, trans Danubium, unde venerat, pedem retulit. Verùm narratione peculiari, quæ vulgatis Prosperi editionibus omissâ:, Leonis Pontificis digna literis legatio, haud paulò secus suscepta traditur, Herculano & Sporatio Coss. *Nam in hac rerum omnium desperatione hoc solum spei suis superesse deliberatum Ætio Duci, si ab omni Italia cum Imperatore discederet. Quod cùm plenum dedecoris videretur & periculi, nihil inter omnia consilia Principis ac senatus, populiq; Romani visum salubrius, quàm ut per legatos pax truculentissimi Regis expeteretur. Suscepit hoc negotium cum viro Consulari Auceo & viro præfectorio Trigetio beatissimus Papa Leo, auxilio Dei fretus, quem sciret nunquam piorum laboribus defuisse. Nec aliud secutum, quàm præsumpserat fides. Nam totâ legatione dignanter acceptâ, ita summi sacerdotis præsentiâ Rex gavisus est, ut bello abstineri præciperet, & ultra Danubium promissâ pace discederet.* Ita unus Leo, fractâ metu Italiâ, desperante senatu populoque, & Valentiniano Principe intra latebras abdito, tam validam* bello manum, solo Pontificiæ majestatis fulgore distinuit, & sine majore damno, cum ferocissimo Rege suo, unde venerat, redire compulit. Atque hunc item irruptio Italica finem sortita est.

Leonis Pontificis legatio. Ex Prof. Chron.

Ætii desperatio.

Pontificis summi majestas & autoritas.

LXXIV. ANNUS CHR. 454. Præfecti Prætorio Galliar.

Præfectos inde Prætorio Galliarum complures in Sidonii monumentis reperias hoc tempore, vacillantia licet jura togæ rexisse; Polemium, Priscum, Valerianum, Avitum, Petronium Maximum, qui ex Clementis Maximi Treverici Aug. stirpe descendit. At Ætius labantis imperii columen, per hosce dies è Gallia, ubi tum agebat, Petronii Maximi falsâ criminatione, ceu adversarius Valentiniani crudeli ministerio Romæ in palatio trucidatus. Unde Marcellinus Comes præclarè ad Indict. VII. Ætio & Studio Coss. Ætius Patricius magna occidentalis Reipublicæ salus, & Regi quondam Attilæ terror, à Valentiniano Imperatore cum Boëtio amico in palatio trucidatur; atque cum ipso Hesperium cecidit regnum, nec hactenus valuit relevari. Ætius itaque homo Reipublicæ Romanæ singulariter natus, altis ingeniis extitit documento, claros præstantesque Duces, cum pro gratia odium inveniunt, esse, fuisseque semper, magna exempla casuum humanorum.

Cassiod. in fastis. Greg. Turon. Franc. hist. l. 2. c. 8.

NB. vide hanc tragicam historiam explicatius in additionibus.

Ætii ducis præclari interitus.

LXXV.

Sed nec ipse diu post superstes Valentinianus, ab assertoribus Ætii ferro confossus, occubuit; eaque mox secuta temporum & Reipublicæ labes, quam nulla deinde succedentium Principum partim ignavia, partim imbecillitas sustinere vel potuit, vel magnopere curavit. Adeo res Romana semel in casum proclinata, barbaris ubique gentium, torrentis instar, cuncta vastantibus, ad exitium ultimum præcipitavit. Id quod Apollinaris Sidonius non uno loco disertè testatur:

ANNUS CHR. 455. Imperium Occid præcipitat.

Paneg. Majoriani sub Romæ & Africæ persona & Paneg. Aviti eadem.

Principis interea gladio lacrimabile fatum
Clauserat Aëtius.

Et mox de Valentiniani nece:

sed non se pœna moratur
Sanguinis effusi, numerum collegerat ergo
Non animum populi, ferri mala crimina ferro
Solvit, & in nostram post concidit ille ruinam.

Sublato igitur Valentiniano, Petronius Maximus imperium arripuit.

MAXIMUS II. IMP. 2. m. d. 27. LXXVI. Francus in Belgicam iterum se concitat. Greg. Turon. l. 2. c. 9. & 12. Childericus Franc. Rex.

At Franci, cognitâ morte Augusti Valentiniani, ut in Galliæ rapiendæ spem assiduè vigiles, repentè & ipsi arma cum animo resumere; & more suo Rhenanas provincias injuriis lacessere. Francorum sceptra Childericus patris Merovei defuncti loco tenebat; is Regni propagandi studio flagrans, per hanc occasionem Germaniam primam, & Belgicam secundam invasit. Quam irruptionem factam, ubi Maximus accepit; Avitum Arvernum ex Præfecto, peditum equitumque per Gallias Magistrum legit, eúmque laborantibus Galliæ provinciis, pro virili suppetias ire jussit. Hinc Sidonius cùm Hunnicâ vastitate hæc, ceu temporum ordine proxima, conjungens:

Auitus Magist. eq. & ped.

Sidon. Apoll. Paneg. Avito dicto.

* Valentin. Placidus dictus à Placidia matre: semivir à luxu.

*Aëtium * Placidus mactavit semivir amens.*
Vixq; tuum impositum capiti diadema Petroni;
Ilico barbaries, nec non sibi capta videri
Roma Getis, tellusq; suo cessura furori.
Raptores ceu fortè lupi, queis nare sagaci
Monstrat odor pinguē clausis ab ovilibus aurā.

Post hæc continuo:

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat cui pelle salum sulcare Britannum
Ludus, & assuto glaucum mare findere limbo.
Francus Germanū primum, Belgamq; secundū
Sternebat; Rhenumq; ferox Alemane bibebas,
Romanis ripis, & utroque superbus in agro
Vel Civis vel victor eras; * sic prodita cernēs*
Terrarum spatia princeps jam Maximus, unū
Quod fuit in rebus, peditumq; equitumq; Magistrum
Te sibi Avite legit.

* civis. * sed

Cæterùm quas res Avitus inde apud Rhenum & Albim, pacandis barbaris, quásque in Aquitania apud Gothos, bono Reipublicæ gesserit, Sidonius gener prolixiùs exequitur. nos eclogam earum perbrevem illustrandis annalibus negare vix possumus.

Ut primum ingesti pondus suscepit honoris,
Legas qui veniam poscant Alemanne furori.
Saxonis incursus cessat; Cattumq; palustri
*Alligat Albis aqua; * vixq; hoc ter mēstrua totū*
Luna videt, jamq; ad populos ac rura feroci
Tenta Geta protendit iter.

* Petronii Maximi imperium vix trimestre, quo hæc gesta.

Et intervallo de posteriore Aviti legatione, quâ Theodoricum juniorem superioris filium super* fœderibus appellavit:

* Cæsaris mandato publico eunti, vel sacris auspicibus.

Rumor succincto referens diplomate Avitum
Iam Geticas intrare domos, positaq; parumper
Mole magisterii legati jura subisse;
Obstupuere duces, pariter Scythicusq; senatus;
Et timuere suam pacem ne fortè negaret.

Avitum

LXXVII. Aviti legationes variæ ad Rhenanos & Gothos Aquitaniæ incolas. Franci Belgicâ utraq; habitare incipiunt permissu Romanorum. Gothia. Burgundia. *Sidon. Apoll. Cassiod. Oros. l. 7. c. 43.* Francia.

Avitum autem Alemannorum Saxonumque motibus sedatis, vero proximum fit, Francos partim in Germania prima, cujus pars quædam est Treverici juris, partim in Belgica secunda, cujus præter Flandrorum omne nomen, Ambiani, Rhemi, Catalauni, Belluaci populi quondam fuêre, occupata, nuper habere sibi permisisse rerum fortunarúmque suarum domicilia; atque ita demum ut Narbonensis Gallia paulatim Gothia, & tractus ille terrarum, qui in Sequanis ad Ararim Rhodanumque pertinebat, Burgundia; ita Galliæ demum illæ provinciæ, quas Francus incoluit, appellari Francia, & trahere Galliarum nomen universum, postremò cœpit.

LXXVIII. *Procop. l. 1. de bell. Vandal. Miscell. l. 15. Prosp. Vict. Turon. Cass. Marcell. comm. Evagrius & alii.* Gensericus Wandalorum Rex Romam vastat.

Interea temporis Eudoxia Valentiniani uxor genialem in thorum Maximi, invita nolensque pertracta, cùm ira, metusque femineum pectus variè distrahunt, comperto denique necis autorem fuisse Maximum, prioris mariti cædem, impigre ulta est. Ab hac quippe solicitatus Gensericus Wandalorum, cujus in Afris, Numidis, atque Mauris latè tum imperium valebat, ingenti copiarum delectu habito, ad trecenta millia armatorum, classe instructâ, in Italiam transmittit, urbemque Romam metu trepidam, ac necessario tum præsidio destitutam, ingressus, quatuordecim dierum spatio fœde depopulatus est, magnâ civium parte vel dispoliatâ, vel in servitutem abductâ.

LXXIX. Petronii Maximi exitus, de quo variè historici.

At Maximus Treverici Maximi ferus nepos, cùm audito Genserici adventu, discessum suis aut fugam edicto commendat, & trepidus ipse cum primoribus abitum parat, ab Eudoxiæ satellitio, & plebe Romanâ lapidibus vexatus, ac membratim discerptus; denique Tiberi mersus, sepulturâ quoque caruit. Ut in eo Sidonius rectè documentum proponat præcipitis & lubrici culminis, quod raptim ascendunt, qui regnis & imperiis delectati, æqua vel inferiora defugiunt. *Nam iste tuus Maximus*, inquit, *quanquam in arcem Præfectoriam, Patriciam Consularemque intrepidus adscenderat, eosque, quos gesserat magistratus, ceu recurrentibus orbitis expletus iteraverat, cùm tamen venit omnibus viribus ad principalis apicis abruptum, quandam potestatis immensæ vertiginem sub corona patiebatur, nec sustinebat dominus esse, qui non sustinuerat esse sub domino ... quod & exitus prodidit novus, celer, acerbus, quem cruentavit fortunâ diu lenocinantis perfidus finis, quæ virum, ut Scorpius, ultimâ sui parte percussit.*

L. 2. ep. 13. ad Serranum.

Sido. in Paneg. Sacerdo Epi...

LXXX. Avitus Imp. m. 10. d. 8. Avitus Augustus fit à Gallis & Gothis. *Tur. l. 2. c. 11. Franc. histor. Sid. in Paneg. Aviti probatur ...* Avit' Ugernensi castro Augustus creatus, aut Vierni *de quo Act. Comment. Ioan. Savaro ad Paneg. Aviti.* * Ugern.

Ubi verò in Galliam de morte Maximi, & Roma capta, tristis nuncius allatus, Avitus, qui pro Maximo in Galliis legatione apud Gothorum Regem Theodoricum, adhuc Tolosæ, fungebatur, Regis partim hortatu belli societatem in Wandalos spondentis, partim acriore Gallorum procerum studio, Augustalia ornamenta sumpsit haud invitus. Quæ res non apud Arvernos, aut Treviros, ut recentior quorundam est opinatio, sed Vierni seu Ugernensi castro VI. Id. Julii, haud procul Arelato gesta est. Unde Sidonius: *fragor atria complet*

* *Vierni, quo forte loco pia turba senatus*
Detulerat vim, vota, preces. locus, hora diesque
Dicitur imperio felix.

Eruit hunc locum Joannes Savaro Sidonii interpres, qui ex Idacii Chronico Avitum docet ab exercitu Gallicano primùm Tolosæ, dein apud Arelatum, Imperatorem salutatum.

LXXXI. Treviri proditi Francis, in eorum leges, abolito Romano jure, concedunt. *Lib. 1. c. 3.*

Hoc item anno superstites adhuc Treviri, amisso jure Romano, ac veteri, quo annis fermè quingentis pace belloque floruerant, eversâ libertate, in Francorum concessêre leges, ritusque vivendi. Quam rem Aimoinus, & Commentarii provinciales, sic accidisse memorant. Post supremam atque feralem Hunnorum populationem, quæ cineres, & ruinas veteris urbis insedêre reliquiæ, in his Lucius homo potens fuit, & ordine senatorio. Quo igitur tempore, Avitus curabat apud Rhenum, coërcendis barbarorum irruptionibus, vel, ut opinantur alii, cùm imperium adeptus, Romam, quò accersitum meminit Idacius, iret, iterque flecteret per Treviros, ipse in Venerem luxumque solutior, provincialium corrumpere matronas; per licita atque illicita turpiter ac nefariè se fœdare. Fortè Treviris agens, Lucii senatoris egregiâ formâ matronam flagitiosè deperibat. Hanc postquam specie morbi, & vera suberat ægritudo, salutationis etiam officio, studioque ad se pellexit, feminæ illustris pudicitiæ illudens, cum probro, ad maritum remisit, ne verbis quidem abstinens prætextatis: *Lucium calidas habere thermas, attamen lavare frigidè.* Quæ verba, sensu non minùs obscœna, quam accendendis offensionibus valida, tam altè in Lucii pectus descendêre, ut privati doloris cupidini, publicâ longè posthabitâ salute, Trevirim Francis, in vicino, proderet, iisque universum traderet jus Mosellæ. Quo facto Franci, territorii Treverici certam possessionem ingressi, nunquam post, Romanis jam opibus collapsis, & prorsùs enervatis, exturbari potuêre. Atque hanc ultimam Trevericæ Reipublicæ conversionem, postquam ita ex Aimoino & provincialibus actis exposui, venêre demum in manus membranæ provinciarum Romanarum pervetustæ, bibliothecæ Cusanæ, quæ hanc Lucii senatoris memoriam & Trevirorum catastrophen ad Hypatii veteris historici fidem relegabant, unde Aimoinum & alios sumpsisse, credibile est.

Iac. Sirm. ad Paneg. Sidonii Aviti dictum. Aviti luxus & intemperantia Treveris exitio. Lucius Trever. senator Trevericû omne solû Francis tradit.

Sido. l. 4. ep. 17. ad Arb.

Hypatius historicus de Trevirorum catastrophe.

LXXXII. Aviti mores Trevericæ narrationi consentiunt luxuriosè agere. *Lib. 2. c. hist. Franc. c. 11.*

Aviti verò laudes, etsi gener Panegyrico florentissimi ingenii, more Poëtarum, immensum extulit, notari tamen eum à Gregorio Turonensi, ceu ob luxum imperii curis imparem, observes; eaque causâ senatui Romano invisum tandem extitisse.

S. Severi Archiepiscopi laus & dignitas.

Severus Trevirorum Archiepiscopus medio tempore vitam propagare desierat, xv. Octobris diem, sanctitatis suæ memoriâ consecrans. Ipse non magis apud Treviros procuratæ, quàm longius extra limitem propagatæ Christianæ religionis laude singulari ornatur, Belgicæ non tantùm suæ populis, sed Germaniæ primæ, non uni loco, vel oppido, sed gentibus, quæ cis Rhenum undique tum frequentes ex barbaris affluebant, veritatis & Evangelii monstratâ luce; magno eam in partem argumento, potestate accinctum, multò supra communem provincialium Episcoporum inspectionem, eminentiore. Pro eo ma-

CYRILLUS ARCH. 41. EPISC. 37. MS. lib. 5. Matthiæ & gesta Trev.

gistratum iniit CYRILLUS, spectatâ morum innocentiâ Pontifex, quem itidem post urbis interitum reliquias collegisse Belgici populi, nec non Francorum gentis nova plantaria Christianis excoluisse sacris, vel ex eo didicimus, quod publicis custoditum propagatumque sit monumentis, cum post urbis excidium, sacrarum ædium damna suscepisse resarcienda, & ad tectorum jacturam quoquo modo reparandam, omne suum contulisse studium; quare S. Eucharii oratorio restituto, non pristinum modò decorem ei reddidisse, sed & monasterium haud procul inde faciundum locandúmque curâsse; cui Pontifex eam quoque dignitatem ac venerationem addidit, ut sacris istuc decessorum suorum, Eucharii, Valerii & Materni pignoribus illatis, augustior deinceps locus & religione visentium colentiumque celebratior esset: indidem & ipse, id quod superstes in votis habuerat, cùm decimo nono Maii purissimam sanctámque conditori suo reddidisset animam, sepulturam adeptus. Incidi in perantiquos versus, queis veteris Basilicæ & à Cyrillo reparatæ monumenta fuisse illustrata, interpretor; ii, ne intercidant, prorsus hâc sunt Annalium memoriâ sepiendi vel asservandi:

B. Cyrillus sacra Trevirorum ex ruinis suscitat.

S. Eucharii oratorium addito monasterio reparat.

S. Cyrillus in oratorio B. Eucharii sepultus.

QUAM BENE CONCORDES DIVINA POTENTIA JUNGIT
MEMBRA SACERDOTUM, QUÆ ORNAT LOCUS ISTE DUORUM.
EUCHARIUM LOQUITUR * VALERIUMQUE SIMUL.
SEDEM VICTURIS GAUDENS COMPONERE MEMBRIS
FRATRIBUS HOC SANCTIS PONENS ALTARE CYRILLUS
CORPORIS HOSPITIUM SANCTUS METATOR ADORNAT.

* MATERNUM omisit, fortè quia seorsim conditus. Expressi versus ex Jovini Epitaphio, quod ad an. 366. recitavimus.

LXXXIII. ANNUS CHR. 456. De Aviti Consulatu Iacob. Sirmond. ad Sidon. Mar. in Chron. Avitus Imp. Epis. factus. Cassiod. in Chro. Greg. Turon. lib. 2. c. 11. Evag. lib. 2. c. 7.

Insequenti anno Avitus Augustus, cùm Kalendas Januarii fascibus suis Consul dicâsset, & Sidonius tunc illi Panegyricum suum dixisset, rebus Galliæ ex sententia constitutis, in Italiam, Gallis eum deducentibus, ad incundam imperii possessionem Martiano non invito profectus est. Postquam autem Romam venit, insidiis inimicorum appetitus, inde profugit in Æmiliam; & Placentiam ingressus, Ricimeris Suevi Magistri militum jussu; ubi tum majestas toties formidata nominis Romani? sceptra & imperii insignia ponere coactus est: unâ re fortunatus, quòd ultrò deinde factus Episcopus, perbrevi vitæ cursu prolixas imperii ærumnas, transiliit: Brivate in natali solo apud S. Juliani martyris conditorium tumulatus.

LXXXIV. JUL. VAL. MAJORIANUS an. 4. m. 4. ANNUS CHR. 457. Procop. lib. 1. Marcellin. Comes. Novell. Majoriani. Sidonii Paneg. Majoriani.

Datus post eum à Leone Augusto Imperator Occidenti, Ravennæ, Julius Valerius Majorianus; vir magnæ quidem virtutis scientiæque in bello: sed, quæ temporum horum sors conditióque, unius fermè magnitudo illa hominis erat, omnibus jam præcipiti casu in pejus labentibus, imperióque moribus, robore, militiâ penitùs exsangui. Per eos dies * HIMERIUM Treviri habuerunt Episcopum: ejus profectò, ut successoris item * EVEMERI, præter nuda eáque vulgò corrupta vocum symbola, nihil à majoribus tradendo scribendóque factum est reliquum. Porrò Himerii vel Emerii & Evemeri, obvia claraque passim in Galliis, in Episcoporum & cleri ordine hâc ætate nomina. Interea Apollinaris Sidonii sancti Sacerdotis clarissimique viri, cùm aliàs illustrandæ huic temporum nocti sæpè, tum primis idonea hoc loco vox suppetit, quâ, si non finitè ac sigillatim, at universè tamen & propriè de hujus nostræ ac vicinarum Ecclesiarum Episcopis, honorificum & præclarum fecit judicium. Nec scio, an conjecturæ locus sit ex Epistola, quam Sulpitio inscripsit, ubi Himerium quendam Antistitem mirificis ornat laudibus; quem attestatur, Lupū Tricassinū suæ tam professionis habuisse Magistrū, quàm dignitatis auctorem.

HIMERIUS ARCH. XII. 38. EPISC. * Vulg. Indic. legunt Jamnesius.

EVEMERUS ARCH. XIII. EPISC. 39. * al. Emerus.

Episc. Mosellæ Rhenique tractus, qui qualesve hoc ævo. Himer. Episc. eximiis virtutibus lib. 7. ep. 1.

LXXXV. De hoc Arbogaste Comite vide Annotation. in fine. * al. Arvogastes & us. Arbogastes Comitis Arbogastis propinquus.

Degebat hâc ætate in Mosellæ tractu alicubi * Arbogastes, vir eloquentiæ laudibus & rei bellicæ peritiâ clarus, quem haud imperitè conjiciunt prosapiam attigisse Arbogastis Franci Comitis, cujus immodica & supra barbaræ originis modum alita provectáque autoritas, Valentinianum Augustum perdidit: ad hunc Sidonius missis literis: *Quirinalis*, ait, *imbutus fonte facundiæ, potor Mosellæ Tyberim ructas. Sic barbarorum familiaris, quod tamen nescius barbarismorum. Pars ducibus antiquis, linguâ manuq.. Sed quorum dextra solebat non minùs stylum tractare, quàm gladium.* *Posthac de Romanæ abolitione linguæ verba faciens: Quocirca sermonis, inquit, pompa Romani, si qua adhuc uspiam est, Belgicis olim sive Rhenanis abolita terris, in te resedit. Quo vel incolumi, vel perorante, & si apud ipsum limitem Latina jura ceciderunt, verba non titubant.* Trevericis autem potiùs quàm remotioribus Mosellæ potoribus sive Leucis, sive Mediomatricis civem Arbogasten adscribi cùm alia hortantur, tum expressa limitis, id est Rheni vicinitas, cui proximus habitator assedit. Nec salutationis hæc formula [DOMINE MAJOR] Sidonio familiaris dissimulanda, quam ille viris illustribus plerunque dedit; & Francorum quoque magistratibus ea perseveravit. At, quia de sacris & divinis rebus Arbogastes Sidonium consulebat, ipse modestiam professus, ad proprii pastoris uberiora pascua famelicam ovem dimittere maluit, Belgicæ Pontificum hujus ævi raram juxta eruditionem atque eximiam sanctitatem ei commendans. Addit itaque: *de paginis sanè, quod spiritalibus vis, ut aliquid interpres improbus garriam; justius hæc postulabuntur à sacerdotibus, loco propinquis, ætate grandævis, fide claris, opere vulgatis, ore promptis, memoriâ tenacibus, omni denique meritorum sublimium dote potioribus. Namq., ut Antistitem civitatis vestræ relinquam, consummatissimum virum, cunctarumq. virtutum conscientiâ & famâ juxta beatum; multò opportunius de quibuscunque quæstionibus tibi interrogantur inclyti Galliarum patres ac protomystæ; nec satis positus in longinquo Lupus, nec parum in proximo Auspicius, quorum doctrinæ abundanti eventilanda, nec consultatio tua sufficit. Proinde quòd super hâc precum parte non parui, benignus quidem; sed & justus ignosce. Quia, si vos imperitiam fugere par est, me quoque decet vitare jactantiam.* Illustre profectò & dignitatis plenum id testimonium est, quo in his Ecclesiæ & Reipublicæ pro-

Lib. 4. ep. 17. Barbari Mosellæ accolæ.

Latina jura apud limitem jam tum cum linguis ciciderunt. Arbogastes Trevericus.

Treverici pontificis elogium.

S. Lupus Tricass. S. Auspicius.

cellis liqueat, ovibus Christi nusquam præstanti virtute & gloriâ pietatis doctrinæque insignes defuisse pastores.

LXXXVI. S. Cyrillus Ep. Trev. celeberrimus.

At consummatissimum illum Antistitem, civitatis utique Trevirorum omnigenâ suâ virtute, famâque juxta celebrem, ego Cyrillum haud vanus, aut supra veri fidem, accepero, qui tanquam reparator quidam Metropolis exhaustæ privatim celebratur, publicisque fastorum monumentis, ob sanctitatis opinionem, cœlo vindicatur. Porrò, ut de S. Lupo Antistite Tricassium, quæ civitas in Senonia seu Lugdunensi IV. Sequanam amplectens, remotior à Treviris, res est clara; ita de Auspicio, an Leucorum Ecclesiæ debeatur, liquidè pronunciare nequeo. Auspicium illi quidem agnoscunt, sed quintum inter Episcopos nascentis Ecclesiæ. Et, quia panchartæ Tullenses parum in Episcoporum suorum recensendo catalogo fideles, hunc iis secundum Auspicium facilè redhiberi quidem paterer, si præs idoneus eam in rem se vadimonio sisteret. Baronius certè, tacito tamen autore, ubi Auspicii Treverici meminit, alium scribit fuisse ejusdem nominis Tullensem Episcopum ordine quintum, sanctitate ac doctrinâ conspicuum, cujus extet insignis Epistola metro scripta ad Arbogastem Comitem; eúmque vixisse temporibus Theodosii Imperatoris à quo diversum, ait, etiam esse tertium hunc, quem Sidonius celebrat. Epistolæ verò Auspicii ad Arbogastem datæ Bedam meminisse volunt; unde pronior quoque via muniatur, potiùs ad hunc Arbogastem Treviris illustrem civem, quàm ad seniorem; & ad hæc tempora, quàm ad Theodosii ætatem hunc Auspicium revocandi: liceatque eum, cui Sidonius * epistolam inscripsit, & quem Arbogasti commendat, non diversum, ut Baronius, sed ut Joannes Savaro & Jacobus noster Sirmundus statuunt, eundem facere cum Tullensi. Etsi, ut in re non satis explorata lectori malim quàm mihimet, veri æstimationem relinqui. Sirmondi quidem nostri ad Sidonium hæc explanatio est; *Arbogastem stylum inter arma tractantem, domo Belgam fuisse; habitasseq́ ad Mosellam non procul ab Auspicio Tullensium, videlicet Leucorum Episcopo, cujus nuperrimè ad Arbogastem edita Epistola, qua hæc omnia confirmat. Docet enim Arigii filium fuisse Comitem Trevirorum è stirpe Arbogastis alterius Franci, qui Comes fuit Valentiniani Iunioris. Barbaros ergo, quibuscum versabatur, Francos interpretor, qui jam tum in Belgica prima dominabantur; Antistitem Civitatis, Episcopum Trevirensem.* Sic ille.

S. Lupus. *Martyr. Vsuar. & Trev.* — Tricassium civitas. — De Auspicio secundo Tullensi Episcopo inquiritur. — * *Annotat. ad Martyr. Rom. 8 Iulii.* — S. Auspicius Trevericus. S. Auspicius Tullens. 5. — *I. Savaro ad est. ep. Sidon.* — * *II. lib. 7.* — *Ad ep. Sidon. supra cit.* — *Ep. 17. lib. 4.* Arbogastis stirps. — Arbogastes Comes Trevirorum. — Franci.

LXXXVII. Gothi rebus secundis insolescunt in Gallia.

Gothi inter hæc sedibus suis omnium minimè contenti, Theodorici regis auspiciis rescisso fœdere, in Romanos iterum arma movêre, & veterũ finium limitibus effractis, domando & imperio premendo vicinos, usque huc moliri, donec Avito connivente, possessionis turbidæ metas, ut loquitur Sidonius, ad Rhodanum protulêre, Lugdunensi provinciâ in suum denique jus & potestatem redactâ. Et verò gens hæc Galliæ longè infestissima, pertinacia dominatus extitit. Ita secundis rebus insolescens liberis populis & civitatibus insultabat. Imaginem habeo vivam Geticæ insolentiæ à Sidonio pictè expressam. *Hi sunt*, inquit ille, *qui novis opibus ebrii, &, ut minimè cognoscas, per utendi intemperantiam, produnt imperitiam possidendi. Nam libenter incedunt armati ad epulas, albati ad exequias, pelliti ad Ecclesias, pullati ad nuptias, castorinati ad litanias. Nullum illis genus hominum, ordinum, temporum, cordi est. In foro Scythæ, in cubiculo viperæ, in convivio scurræ, in exactionibus harpyæ, in collocutionib. statuæ, in quæstionibus bestiæ, in tractatibus cochleæ, in contractibus trapezitæ; ad intelligendum saxei, ad judicandum ignei, ad succendendum flammei, ad ignoscendum ferrei, ad amicitias pardi, ad facetias ursi, ad fallendum vulpes, ad superbiendum tauri, ad consumendum minotauri. Spes firmas in rerum motibus habent; dubia tempora certiùs amant: & ignaviâ pariter conscientiaq́ trepidantes, cùm sint in prætoriis leones, in castris lepores, amant fœdera, ne discutiantur; bella, ne pugnent.* Atque hæc de Gothis; quos Majorianus Augustus primo imperii sui ingressu armis adortus, Basilii Prætorii Præfecti, an potiùs Magni Narbonensis, & aliorum Ducum opera, Rhodani tractu submovit. & Lugdunum eis eripuit: qua in urbe tum captus quoque servatusque fuit, Sidonius Imperatoris Aviti gener à victore Petro sacri scrinii Magistro, viro eloquente: rei gestæ meminit * ipse in Panegyrico, quem Majoriano Imperatori Consularibus * fulgenti tum insignibus sub hujus anni finem, & non, ut Sigonius sensit, anno CDLX. inscripsit.

Lib. 5. ep. 7. ad Thalassium. Geticorum morum insignis effictio. — Gothi Rhodanusia pelluntur. Magnus Pr. Præt. Gall. Basilius fuit Italiæ P. P. Sidonius Lugduni captus. *Ab Sirm. ad Paneg. Majorian. script.* Petrus sacri scrinii Magister. * *& inser. 12.* * Imperium jam Consul habet. * *Petrus.*

*Attamen * hic nuper placidissime Princeps*
Obside præcepto nostræ de mœnibus urbis
Visceribus miseris insertum depulit hostem.
Et quia lassatis nimium spes unica rebus
Venisti, nostris petimus succurre ruinis,
Lugdunumq́ tuum dum præteris, adspice victor,
Ocia post nimios poscit te fracta labores.

LXXXVIII. ANNUS CHR. 460. *Cassiod. & hr. Sidonii vita.*

Perseverasse itaque Majoriani studia in Gothis retro pellendis videntur in annum, supra quadragesimum, sexagesimum, donec iis ex locis, quæ fœdere violato, pervaserant, tandem pactionibus excussit; ac in pristinæ sedis angustias compulit. At cùm nemini jam bono ac strenuo Imperatori datur sceptris diu potiri, ipse cùm quinquennalibus suis Severino & Dagalaipho Coss. Arelate Principis domicilio ludos Circenses edidisset, dolo Recimeris patricii Dertonæ juxta Hiram fluvium, VII. Id. Augusti interemptus est; quanquam Procopius scribat ex morbo decessisse.

ANNUS CHR. 461. Majoriani exitus. *Sid. l. 1. ep. 11. Marcell. Cassiod. Procop. l. 1. Vandal.*

LXXXIX.

Eodem anno etiam Leo Pontifex de vita migravit. Ejus extat, ad Ecclesiarum Galliæ Germaniæque Episcopos rescriptum, quo de Chorepiscopis urbium Galliæ Germaniæque, quorum pravum inolevisse morem intellexerat, ut cùm Episcopis gradu impares, tantum essent presbyteri; Episcopali tamen munere fungentes, altaria sisterent, basilicásque sanctissimo Pontificum ritu consecrarent, id ne in posterum fieret, graviter ipse sanxit ac vetuit. Abusum hunc consuetudo quidem sustulit, nomen tamen penes Archidiaconos resedit. Francorum media correctior ætas, Chorepiscopos dixit, quos jam nuncupamus suffraganeos, veros Episcopos. Sed opportunè monuit Sidonii interpres, multos passim in Gallia Episcoporum nomen tulisse; & hoc insigni album meruisse, qui Proepiscoporum tantum gessêre

Epist. 86. & to. 2. concil. Vide rescriptum in Additione. — Chorepiscopis, vel Coepiscopis presbyteris functiones episcopales interdictæ. *Io. Savaro ad l. 4. ep. 11.* Coepiscopi sæpè dicti Episcopi.

gessere munus. Hinc toties illud à Sidonio usurpari summi Pontificis & sacerdotis nomen ad eorum discrimen, qui functionis hujus modo vicarii extitêre, sive Presbyteri, sive Archidiaconi, sive Coëpiscopi denique nomen usurpârint. Illustre Sidonius exemplum affert in S. Mamerco Viennensi Præsule, qui Claudianum fratrem, dum vixit, muneri suo vicarium adhibuit; quipppe:

Conc. Ancyr. c. 13.

Epist. cit.

Antistes fuit ordine in secundo,
Fratrem fasce levans Episcopali;
Nam de Pontificis tenore summi
Ille insignia sumpsit, hic laborem.

Secundi ordinis Antistites, præceptores, discipuli 70. Sacerdotes. *Epist. 127.*

Itaque primi gradûs & ordinis dicti sunt cathedrales Episcopi, sive Sacerdotes summi; at secundi ordinis eorum Presbyteri, Archidiaconi, seu Coëpiscopi vicarii: quorum dignitas & honor tum invalescens vitiari quoque cœpit. Facitque huc locus S. Hieronymi, qui ad Fabiolam scribens in Mansione VI. hâc loquendi formâ septuaginta duos, & *secundos ab Apostolis discipulos* appellavit, & *secundi ordinis Præceptores.* Quo modo Lupus Servatus S. Wigbertum Fritesflariensis monasterii Abbatem, qui S. Bonifacio in Germaniæ Apostolatu egregiam navavit operam, dixit *secundi ordinis sacerdotem*; & Odo Dorebernicus de S. Wilfrido cecinit: *Ordinis aptatur celebs in honore secundi.* anxiè nobis olim quæsito sensu. Atque hæc de Coëpiscopis, quos istâ ætate frequentes Gallia tolerâsse videtur.

XC. HILARUS PON. an. 6. m. 10. *al.* Hilarius. SEVERUS IMP. an. 3. m. 8. al. an. 5. MARUS ARCH. XIV. EP. 40. S. Marus reparat clade diruta templa.

Leo Romæ successorem hinc nactus est Hilarum, & Severum Majorianus. Sed & MARUS per eos dies Treviris successit Evemero. Is majorum literis, et amissis injuriâ temporum, celebratus, decessoris Cyrilli vestigia institit; & Basilicam Virgini Matri à D. Felice olim exstructam, communi verò post urbis incendio ac populatione Hunnorum corruptam, reparavit, sepulturam in æde B. Paulini operis antiqui nec inelegantis, cum multiplici anathemate, hâc inscriptione illustrem adeptus:

PRÆSVL MARVS DEO
DILECTVS MVLTAS
CARNE * VIVENS EGIT
VIRTVTES *CVNCTA
EIVS VITÆ LIBER
HABET.

* VINCENS

* CÆTERA

Librum eum, ut alia pleraque vetustas abolevit. Sed quantùm vir hic sanctitate præstiterit ac morum innocentiâ, innumera prodidêre ab eo post mortem edita miracula, quibus sepulchrum ejus veneratione plenissimum, omni sæculorum ætate gloriosum extitit. Repositus in divorum numero, colitur die vigesimâ sextâ Januarii.

XCI. S. Mari religio & gratia curationũ.

Rara quædam Treviri privatim, ac publicè apud exteros quondam S. Mari religio fuit, non quòd ejus vim ac patrocinii alacritatem multa sæpè prodigia non declarârunt, sed quòd in difficillimis morbis Arthritide, Spasmo, Paralysi multis ab ipso sæpè præsens est auxilium oblatum: propter quam religionis vetustatem, subdita sepulchro ejus loca supplicum vestigiis ferè contrita cernuntur; eique Trevirensis populus olim, celebri & votivâ coitione festum diem anniversarium egit.

XCII. Childericus rex Franc. ob fœdos mores regno pellitur *Greg. Tur. l. 2. c. 12. Aim. l. 1. cap. 7.* Franci rege populari abdicato, Ægidium Romanum ducem ad imperium vocant.

Iisdem quoque diebus, Childericus Francorum Rex, quem Meroveo patri successisse, cum cæteris autor est Gregorius Turonensis, cùm effrænis atque solutus, libidinis intemperantiæ fræna laxat, à suis regno pulsus est. Franci interea, dum quis in ejus locum idoneus vir legi possit, circumspiciunt, præteritis suæ gentis optimatibus, ad Ægidium, hominem Romano sanguine, qui Magister utriusque militiæ, apud Suessionas imperitabat, deferunt regni gubernacula. Is autem, cùm aliis præclaris animi corporisque bonis vir præstans, tum religione Christi cultâ fuit laudatus; quæ res, barbaræ tum & mysteriorum fidei nostræ rudi Francorum nationi, omnem in partem, mirificè profuit. Cæterùm Childericus profugus in Thoringiam, cùm apud * Basinum Regem metu insidiarum & inopiâ tutelæ diutiùs istic latet, interea octo ipsos annos Francis jura temperavit Ægidius.

* *Vulgo* Bissinus, *vel* Bisinus. Basinus rex Thuringiæ, qui avus S. Radegũdis *de qua passim Ven. Fort. in poëm. suis & ipsius vita apud Sur. in Aug. mens.*

XCIII. ANNUS CHR. 462. *Nota Venan. ad supplem. vel lib. fingen. a Avit. in ho. a Iorn. Greg. Tur. l. 2. cap. 34. Ado. Sigeb. Epist. 1. l. 7. ad Mamertum.* Prodigia Galliarum, quibus permotæ Litanias ferventiùs instauravere.

Postero anno crebris Gallia exagitata portentis atque prodigiis, non obscuro indicio cœlestis iræ, illam in regionem sævientis. Etenim complures tacti de cœlo mortales, atque icti fulmine interierunt. Ipsa Viennensis urbis mœnia frequenti motu terræ fecêre labem, atque hæc inter, tantus nubibus emicuit ignis ut sedisse montes, atque arduas eorum cristas superjectâ favillâ contectas, scribat Sidonius. Quin etiam lupi atq; cervi specubus ac lustris desertis, urbes, conferto grege, petiere; & Viennam ingressi, atque impunè per forum vagati, ingentem terrorem hominibus religione tum suspensis atque perterritis incusserunt. Hisce malis ût obviam iret * Mamertus, incredibili Pontifex innocentiâ, ad orationis atque inediæ expertæ virtutis præsidia confugit: iisque ipsis & imminens populo exitium avertit, & iratum numen ad pacem & misericordiam inflexit. Majore hinc animorum ardore, tota Gallia obitas rogationum ferias, quæ adventante Christi in cœlum ascendentis memoria, passim cum litaniis peragi consueverunt, in Epistola quadam Sidonius ad Aprum amicum suum ita scripsit: *Quicquid illud est, quod vel otio vel negotio vacas, in urbem tamen, ni fallimur, rogationum contemplatione revocabere; quarum nobis sollemnitatem primus Mamercus pater & pontifex, reverendissimo exemplo, utilissimo experimento, invênit instituit, invexit. Erant quidem prius, quod salvâ fidei pace sit dictum, vaga, tepentes, infrequentesq; utq; sic dixerim, oscitabundæ supplicationes: quæ sæpe interpellantium prandiorum obicibus hebetabantur, maximè aut imbres, aut serenitatem deprecatura, ad quas, ut nil amplius dicam, figulo pariter atque hortulano non oportuit convenire. In his autem, quas supra fatus summus sacerdos & protulit pariter & contulit; jejunatur, oratur, psallitur, fletur.* Nec meo quidem judicio, malè de Litania Mamertina sentire videntur, qui exemplar ab ea

* Mamercus. S. Mamertus Viennæ Galliarum Episc. Litanias Rogationum instituit.

Lib. 5. epist. 14.

Mamertus primus Rogationum author.

Concil. I. Aurelian. ep. cit. Sidonii, & l. Sirm. ad illam.

ea desumptum non vicinis modò Galliæ populis, sed hinc transiisse ad exteras quoque nationes, & ad ipsam Romam, quæ Leonis III. autoritate eam recepit, ex ritualium librorum autoribus ostendunt. Ideóque Litaniam Gallicanam appellatam, scilicet eas Rogationes, quæ Domini Ascensionem antecedunt, quia eius institutio è Gallia; & minorem, ut à majore distinguerent, quæ peragitur VII. Kalend. Maii. Autor ergo primus Rogationum Mamertus, non quod ante illum Litaniæ & supplicationes in Ecclesia non extiterint, quarum usus utique longè fuit antiquissimus; sed quod eas, quas dixi, Rogationes primus, ut cum Sidonio loquar, invenit, instituit, invexit

Litania minor & major.

XCIV Post Marum Ecclesiam Trevirorum accepit Volusianus, quo nomine Turonensis Ecclesia hâc etiam ætate præstantem habuit Episcopum. Is, quod veteres diserte laudant, Metropolitæ Galliarum & primatûs dignitatem, qua B. Agricius ab Silvestro, datis & concessis rei stabiliendæ privilegiis, eximiè fuerat ornatus, literis novis ab Hilaro, sive Hilario, Pontifice impetratis, confirmandam instaurandamque curavit; præclarè cavens, scilicet, ne prærogativæ testata dignitas, cum urbis interitu sensim obsolesceret.

Volusianus Arch. XV. Ep. 41. MS Trevir. Primatus & Metropolitanus honor Treverico Archiepisc. cõfirmatus.

XCV. Herminirico dein & Basilisco Consulibus, Severus Imperator XVIII. Kalend Septembris Romæ in Palatio Ricimeris item dolo, si Cassiodoro standum, venenum bibit; Sidonius legi naturæ paruisse scribit. Annum itaque sequentem interregnum tenuit, Ricimere patricio, Arrianorum teterrimo, omnia pro libidine administrante.

Annus Chr. 465. Cassiod. in chro. Paulus Diac. in Leone. Marcellicomm. Paneg. Anthemii.

Annus Chr. 466. Ricimer Arrianus.

Hilarus autem Pontifex, cùm hosce dies conventum agitâsset Romæ celebrem Episcoporum Italiæ Galliæque ad opinionum dissensiones, quibus tum graviter Ecclesia laborabat, tollendas, Fl.* Pusæo & Joanne Consulatum Romæ gerentibus, vitâ descivit; eodemque tempore, Simplicio jam in Hilari locum surrogato, Leo Orientis Imperator, Anthemium Senatûs Romani legatione id flagitante, in Italiam misit ad capessendum Occidentis imperium; id quod tertio ab urbe milliario apud Brontotas, iniit.. nec dubitavit, Ricimeri sive placando sive devinciendo sibi arctius, nuptui dare filiam suam, Martiani Augusti neptem, quibus nuptiis Romæ se intervenisse scribit * Sidonius, cùm ait: *Ricimeri perennis Augusti filiam in spem publicæ securitatis copulatam.* Porrò Anthemius laudatæ religionis Imperator, Kalendis Januarii solenni tunc Principum more alterum Consulatum Romæ iniit, quem scripto Panegyrico Sidonius ëi gratulatus est. Qui verò Anthemii filiam Ascilam appellant, his Gregorii Turonensis locus errorem objecisse videtur, qui in historia alium quendam Ricimerem & Ascilam conjuges Francici generis ex Consularibus celebrat, ex quibus Theodemeres Rex Francorum procreatus sit, ante Clodovæi tempora.

Annus Chr. 467. Marcellin. Cass. in chron. Sidon. in variis epist. * Pusæo Evagr. l. 2. c. 16. Simplicius Pon. an. 15. m. 5. al. an. 16. Anthemi Imp. an. 5. m. 3. Ascila vel Ascella dicitur Anthemii Augusti filia, Ricimeri patricio jũgitur. * Epist. 5. l. 1. Theophanes in Chron. Greg. lib. 2. c. 9. Perperã hæc à nonnullis.

XCVI. Hujus ingressu principatûs, tam fœda Galliam Præfectorum onerabat tyrannis, ut fortunatiores urbes essent, quæ sub barbaris, amissâ libertate serviebant, quàm, quæ speciosâ retenti Romani nominis imagine, eorum dominationem frustra, per fœderum decora & obsequium servile effugiebant; inventis domi raptoribus, qui bona fortunasque miserorum in tributum, libera capita in ærumnas agerent. Hinc de Seronato altero sui sæculi Catilina Sidonius: *Implet quotidie silvas fugientibus, villas hostibus, altaria reis, carceres clericis, exultans Gothis, insultans Romanis, illudensq́; præfectis*; post hæc; *si nullæ à Republica opes, nulla præsidia; si nullæ, quantùm rumor est, Anthemii principis vires, statuit, te autore, nobilitas seu patriam dimittere, seu capillos.*

Annus Chr. 468.

Ad Ecdicium lib. 2. epist. 1. & l. 1. ep. 11. de Panniis.

XCVII. Inter hæc, Ægidius in utraque Belgica, & apud Rheni limitem, Francorum populos tranquillè satis ac justè habebat, si invidia procerum, externam virtutem aversantium, abesset; cùm ilicò Merovei nomen, & præteriti dedecoris oblivio, quamvis æqui & lenis imperii fastidium, attulit. Revocatus est itaque suorum votis ad regnum ab exsilio Childericus, Marciano & Zenone Coss. cùm Ægidius octavum jam annum Francis jus dixisset. Ægidius autem Agrippinensium Coloniam bello deligens, subjectorum levitatem in gloriam vertit; assiduisque cum Francico nomine præliis editis, implacabiles cum fœderum ruptoribus inimicitias exercuit.

Greg. Tur. l. 2. Aim. l. 1. c. 7. Sigebertus.

Childericus à Francis ad regnum revocatur.

Annus Chr. 469. Ægidius Coloniam Agr. sedem belli deligit. Cass. in Chron. Paul. Diac. l. 16. ad Eutropium.

XCVIII. Volusiano per id tempus in Trevirensis Ecclesiæ gubernatione successit Miletus. Festo verò & Marciano dein Consulibus, Ricimer patricius, cùm jam scelerum magnitudo atque infamia pro voluptate ac præmio essent, calcatâ principali reverentiâ, & affinitatis jure violato, tertium Imperatorem Romæ adortus, è vitâ sustulit; atque ita pro Anthemio Olybrius surrexit. Nec diu scelere hinc suo lætatus Ricimer Arrianus, quo, post quadragesimum diem à nece soceri cum Olybrio morte extincto, proximus annus novum principem habuit Glycerium; sed is cùm abdicatus ad Salonitanam Ecclesiam in Dalmatiam transiisset, Julius nepos ejus æmulus, imperium rapuit; quem, licet Anthemio successisse scribit Jornandes, & hujus ævi apprimè callens Sidonius; cùm in epistola ad conjugem Papianillam, appellat Julium Nepotem *armis pariter summum Augustum ac moribus*, & decessorem ejus Anthemium; id ita tamen accipiunt eruditi, ut medios potiùs invasores, quàm Imperatores numerari velint. Quippe Nepotem Nepotiani filium per Anthemii neptem, ipso volente, apud Ravennam imperii auspicia sortitum esse. Ultimi sub hoc in Gallia Latiales Arverni Gothis bella fecère, Ecdicio Aviti Imperatoris filio, Sidonii sororio, periclitanti urbi Arvenæ feliciter non semel ferente suppetias. Verùm, cùm nullæ deinceps hic suppeterent Romanis vires, nulla ab Augusto Nepote sperarentur arma, copiæque belli, Massilia primùm & Arelas captæ; socii Romanorum Burgundiones devicti, ac denique Episcopis inter Evarigem, sive Eoricum Gothorum Regem & Julium Nepotem oratoribus ac pacis arbitris, Arvernorum civitas Gotho dedita, impositusque moderator Victorius Comes cum decem civitatum præfectura. Id quod de Arvernorum civitate, quæ nunc Claromontis nomen obtinet, à me præteriri non debuit,

Miletus Arch. XVI. Episc. 42. al. Meletius.

Olybrius Imp. m. 3. d. 23.

Annus Chr. 472. 473.

Glycerius Imp. an. 1. m. 3. Marcel. comm. Cass. Evagr. l. 3. c. 1. item in Porta Rom. scriba ordinarum Episc.

Annus Chr. 474. Julius Nepos Imp. an. 1. m. 11. Julius Nepos quomodo Anthemii successor.

Arverni ultimi Gallorum barbaris denique cedunt. Iornand. Isid. Sidonii vita, operi præfixa. Sigeb. in chron. Massilia & Arelas à Gothis captæ.

Arverni dediti.

Greg. Tur. l. 2. Franc. histor. c. 20. & 21. Sido. l. 7. ep. 17.

tum

tum quod in hac claudatur imperii Galliarum ultima meta; tum quod urbs prænobilis & fœcunda piis ingeniis, & senatorio semine, illustres Trevericæ, vicinisque inter barbaros renascentibus Ecclesiis, cælestis doctrinæ satores, & benè institutos clericos olim suppeditabit.

XCVIII. Porrò a Julio Nepote destitutum imperium, cùm jam mole sua ad interitum & ruinam procumberet, denique magno rerum humanarum ludibrio, In Orestis Patritii barbari hominis potestatem tutelamque venit; qui illud ab Augusto quondam inchoatum, ac re jam magis quam nomine diminutum transtulit in Momyllum filium, oppidò puerum, atque ideo dictum Augustulum; ad omen tam sinistrum, ingemiscente nequidquam orbe Romano.

Orestes Imp. ANNUS Chr. 475. Momyllus Imp. Augustulus Occidentalis imperii meta.

Et affuit mox ultor tyrannus Odoacer Herulus, qui postero anno Momyllo in exilium pulso imperium eripuit, & Regis nomine, omissa Augustali purpura, contentus, decimoque Kalend. Septembris levatus, annis fermè xiv. regnavit. Quinto regni die Orestem Placentiæ, è medio sustulit.

Odoacer Italiæ Rex anno 476.

C. Victor Odoacris Theodoricus Ostrogothorum Rex; qui Constantinopoli educatus Ex-magister Militum, & Exconsul, Italiam sibi à Zenone Imperatore concessam, tandem tyranno iteratâ pugnâ apud Veronam debellato, Probino & Eusebio Coss. occupavit. Atque hic pristinam majestatem suam imperiosissima Respublica abruptis omnibus jam, & incisis antiquæ dominationis & amplissimi imperii nervis, deposuit. Neque erit posthac in Italia quidquam, quod stili cogitationesque nostras magnopere quidem advertat; cum Treviri à Francis jam oppressi, suam domi Rempublicam ab Italicis rebus sejunctam habuerint; quæ serò demum, subdente novas religione faces, præcellentium virtute Præsulum, emersit & enituit. Nec æstimatu difficile, quod alibi passim sua dum ætate factum prodit Orosius, & hic usu venisse, ut Gothi, Franci, barbari omnes denique, execrati gladios suos, ad aratra se converterint, & reliquos Romanos foverint, ut socios & amicos cum iis, cælesti favente Numine, ubi religio, patria, connubii jura, aliæque necessitudines accessissent, in unum aliquando transituri populum.

Theodoricus Ital. Rex anno 499.

Treviris imperium in Francorum jura transit.

Barbarorum cum Romanis permistio salutaris.

CI. Turbabatur per id tempus adhuc imperium in Trevericæ ditionis finibus, viciniisque Rheni ora, adversus Childericum, Ægidium; & cum fidis Romani nominis, Francorumque, qui secum erant auxiliis, Coloniam Agrippinensem insidebat. At Childericus, objici hæc tanta rebus suis impedimenta indignatus, hoc demum anno majore conatu in Ægidium sese intulit, paratisque copiis, cùm ipsi Colonia prius victa cessisset, cum Ægidio nil recusante prœlium conseruit; editoque ingenti certamine, acie victum in præcipitem fugam dedit, magno Romanorum numero interfecto. Ab hujus prœlii eventu, ceu vis Ægidii una in urbe fracta ac superata fuisset, Franci Coloniæ certam denique possessionem ceperunt.

Ægidius præf. Rom. Childericus Franc. Rex adversus Ægidium pugnans vincit.

Coloniam Agripp. occupat.

CII. Quod itaque memorat Sigebertus, post pulsum finibus his Ægidium, Treviros a Franco sequenti anno rursum occupatos; id utique non temerè repudiandum est; siquidem Ægidium, ex quo tempore volentibus Francis rex assumptus, apparet hucusque omnibus his in locis, vel invito Childerico, rerum tranquillè potitum; ejus autem factione exstinctâ, tam Francos quam Romanos, qui cum Ægidio fecerant, omnes in Childerici tandem concessisse potestatem. Affirmat Sigeberti fidem ipso vetustior Hincmarus Archiepiscopus Rhemorum; qui in B. Remigii vitæ commentario, Trevirim ab Hunnis antea dirutam & afflictam, Francos iterum invasisse testatur. Atque ita utraque Belgica, cum duabus Germaniis, exciso velut ab radice, & everso trunco Romani nominis, in alias omninò leges, instituta moresque migravit.

ANNUS Chr. 476. Trevirorum per Childericum codit.

Childericus Fran. Rex.

Post hæc Childericus rebus ad voluntatem fluentibus, arridentem blandientemque successibus ipso felicitatem haud sibi destituendam ratus, qui flagrantissimus in Regibus affectus est, prolatare ditionis suæ fines, & imperium augere, uti hactenus, perrexit. Anno igitur postero, cum Odoacre Saxonum Duce, qui item exemplo reliquarum gentium in Galliam cum suis spectabat, certamen acre suscepit; quo, profligatis atque oppressis Saxonibus, cùm insulas piraticâ infames iis ademisset, initâ cum Odoacre tandem amicitiâ, junctis animis atque copiis, Alemannum communem hostem pariter adorti, sub jugum miserunt. Hinc proximè subeuntibus annis, quando cum terminis ipsis suas quoque cupiditates extendebat jam Childericus, cura totius potiundæ Galliæ in ipsius pectore vixit. Et vero, exiguo spatio temporis, insignes ejus prœlia contentionesque habuere successus; quod enim literis de ipso prodidit Gregorius, tranquillatis semel rebus apud flumen Rhenum, imperii metas à Belgica mox in Celticam protulit, subjugatâ Aureliâ. Inde tota regio cum oppidis vicisque secundo Ligeri ad ostium usque Meduanæ amnis, qui Andium urbem interfluit, Francicum accipere nomen legesque coacta. Castra post hæc ad Andegavorum urbem metatus, primò per Odoacrem oppidanorum prætentat animos; cùm verò crebris funeribus urbem exhauriret pestis teterrima lues, superveniente demum Childerico, deditio facta. Itaque Paulo cive Romano cum urbis præsidio interfecto, Andium ipse potitus est.

CIII.

ANNUS Chr. 477. Childericus sibi Saxones adjungit.

ANNUS Chr. 478. Saxonum ope Alemannum debellat.

ANNUS Chr. 479. Childerici Franc. regis in Gallia subjuganda felicitas.

Andium urbem seu Andegavũ capit.

CIV. Miletus per id tempus Treviris naturæ concesserat, vitâ innocenter actâ, in Divorum fastis ad undevigesimum Septembris diem venerandus. Suscepit gregem inde Trevericum MODESTUS Episcopus, qui item ob virtutis absolutæ pulchritudinem, Divi dignatione cohonestatus, sertum Kalendarum Martii habet in feriis. Ejus sacri memoriam cespitis, servat B. Matthiæ cœtus. Porrò hinc Ecclesiæ Trevericæ Præfectus Antistes MAXIMIANUS; qui annum circiter quadringentesimum octogesimum attigit, neque interim, ullis ad memoriam claris actionibus hi omnes Episcopi, quos diximus, innotuere: ut fatiget animum successiones has nectere tam crebras, & rerum etiam, quod caput est, inanes, obviâ similitudine & satietate, neque interim, ut vel ad majorum inertiam,

Modestus Arch. XVII. Episc. 43.

Maximianus Arc. XVIII. Episc. 44.

ANNUS Chr. 480.

Digitized by Google

vel temporum injurias culpa transeat, id scilicet agitur.

CV. ANNUS CHR. 481. FELIX PONT. an. ferè 9. CLODOVEUS Rex Francorum. *Greg. Aim. Cassiod. Sigeb.*

Ægidius dein, anno posteriore vitâ migrans, Syagrium filium, regni umbratilis apud Suessionas Belgicæ populos, successorem reliquit. Similiter in Pontificatu Romano Simplicium excepit Felix. Eodem hoc tempore Clodoveus, patre Childerico jam exstincto, regni pace belloque florentissimi exordia feliciter auspicatus est. Et, quia imperio Francico deinceps cum finitimis hisce provinciis paruêre Treviri, ad illorum annos regni præsertim, qui apud Mediomatricos in Austrasia sedem habuêre, tanquam ad Helicen & lucida quædam Septentrionis sidera, temporum cursus omnis dirigendus. Qua in re, ut cætera nos destituant, tamen optimorum scriptorum habebitur delectus. Itaque principia regnandi in Clodoveo annorum diverso titulo & intervallo, Chronologi describunt. Atque ii, qui S. Martini transitum ad Christi annum CCCC assigunt, convenienter hypothemati suo, initium Clodovei adscribunt anno Christi vel ineunti CCCCLXXXII. vel exeunti CCCCLXXXI. aliis biennii Metachronismus arridet, prout character non una ex fonte principioque derivatur. Porrò inter S. Martini transitum & obitum Clodovei annos intervenisse vult Gregorius Turonicus CXII. & ipse Clodoveus annis regnasse xxx. proditur; qui anni dictæ periodo si decedant, primordia regni Clodoveani facilè colligentur.

Clodoveus incipit regnare secûdùm diversos vel an. Christi 481 vel 482. 484.

CVI. *Greg. Turon. l. 2. c. 25.* ANNUS CHR. 484.

Per id quoque tempus Novempopulanæ Galliæ, geminæque Germaniæ, an Aquitaniæ? urbes, quæ ruinis ipsæ suis deformes, raro tum indigena, peregrinitate superfusis jam omnibus agris, habitabantur, ingens ab Ariano furore vulnus accepêre. Quippe Evarix seu Eoricus Gothorum Rex, Hispaniæ sese limitibus non continens, rupto solutoque antiquo fœdere, circumfusis Aquitaniæ Galliarum populis intulerat arma. Is verò non tam Romanis, quàm Christianis insidiatus legibus, tanto repentè Catholici nomibis odio exarsit, ut ampliùs ne suæ gentis, quàm Arrianæ sectæ teneret principatum, relinqueret in ambiguo. Sæviit passim in Catholicorum, nefario præsertim dogmati refragantium, corpora, Gothicus ensis. Et quibus immite ferrum indulserat, hos aut diuturnior & tetrior carcer, aut morte tristius exsilium rapuit, egit, vexavit. Ipsa sacrarum ædium vestibula, spinis & vepribus obsita atque interclusa; quò raritas scilicet ingredientium, & infrequentia cultoris sensim induceret oblivionem fidei. Rem totam hisce verbis ad Basilium Episcopum scribens, prosecutus est Sidonius: *Burdegala, Petrogorii, Ruteni, Lemovices, Gabalitani, Elusani, Vasates, Conuenæ, Auscenses, multoq; jam major numerus civitatum, summis sacerdotibus ipsorum morte truncatis, nec ullis deinceps Episcopis in defunctorum officia suffectis, per quos utique minorum ordinum ministeria subrogabantur, latum spiritualis ruina limitem traxit; quam ferè constat, sic per singulos dies morientium patrum proficere defectu, ut non solùm quoslibet hæreticos præsentium, verùm etiam hæresiarchas priorum temporum potuerit inflectere; ita populos excessu Pontificum orbatos, tristis intercisæ fidei desperatio premit, nulla in desolatis curis diœcesibus parochiisq́. Videas in Ecclesiis aut putres culminum lapsus, aut valvarum cardinibus avulsis, basilicarum aditus, hispidorum veprium fructibus obstructos. Ipsa, prô dolor! videas armenta, non modò semipatentibus jacere vestibulis, sed etiam herbosa viridantium altarium latera depasci. Sed jam nec per rusticas solùm solitudo parochias, ipsa insuper urbanarum Ecclesiarum conventicula rarescunt. Quid enim fidelibus solatii superest, quando clericalis non modò disciplina, verùm etiam memoria perit? Equidem cùm clericus quisque defungitur, si benedictione succiduâ non accipiat dignitatis hæredem, in illa Ecclesia sacerdotium moritur, non sacerdos. Atque ita, quid spei restare pronuncies, ubi facit terminus hominis finem religionis? Altiùs inspicite spiritualium membrorum damna; profectò intelligetis, quanti subripiuntur Episcopi, tantorum vobis populorum fidem periclitaturam. Taceo vestros, Crocum Simpliciumq́, collegas, quos cathedris sibi traditis eliminatos, similis exsilii cruciat pœna dissimilis. Namq́, unus ipsorum se dolet non videre quo redeat, alter se dolet videre quo non redit.* Atque hæc in ulteriore Gallia.

Gothi Ariani sæviût in Catholicos Galliæ, Germaniæque. *Sid. l. 7. ep. 6. ad Basilium Episcop.* Evarix fœdus rumpit. *Sidon. ep. fine.*

Ecclesiarum Galliæ solitudo, & persecutio hoc tempore. Episcopi à Gothis cæsi, vel vita functi.

Successio Episcopor. & cleri hierarchia.

Crocus, Simplicius que exules.

CVII. *Fran. l. 2. c. 25.* ubi geminæ *Germaniæ urbes.* pro quô lege, *Aquitaniæ.*

In Germanias verò nostras, etsi eandem tempestatem incubuisse disertè prodere videbatur Gregorius Turonensis; in ambigua tamen lectione, cùm alii pro *geminis Germaniis*, rectiùs legi censeant, *geminas Aquitanias*, aliunde ejus persecutionis ad Rhenum derivatæ indicia quædam excitari fortè, atque in lucem proferri possint; præsertim, si veterum traditione sublevetur fides recentiorum. Albanum illi præstanti fide, religioneque eximium colunt Martyrem. Hujus ante quingentos plus minùs annos Gosuinus cœnobita memoriam literis comprehendit, cùm ante lacera disjectaque jacuisset; & Sigefridi Moguntini Præsulis nomini inscripsit, dicavitque. Is autem Albani vitæ commentarius lucem neque dum aspexerat, quo tempore hæc scribebamus, sed ad nos perlatus codex non antiquissimus, Albanum loquebatur [a] Theognisti insularis Episcopi apud Philippos Macedoniæ discipulum; qui postquam à Genserico Wandalorum sævissimo Rege Carthaginiensi conventu damnatus, exsilio fuisset addictus, cum magistro sociisque terrâ obierit Italicam, Romæque magno [b] Pontifice salutato, inde Christi nomen religionemque propagando, demum pervenerit Augustam Rhetorum; ubi Urso socio, in Christi asserenda Majestate adversus Arrianos, ponente vitam, Theognistum & Albanum per Sequanos adiisse primùm Augustam Trevirorum; ibique hospitalibus cultos obsequiis à [c] Paulino; multaque super exitiali dogmate collocutos, abiisse, prono Mosellâ, in Germaniam primam Moguntiacum; hic, post acrem fidei consubstantialis defensionem, multa indigna atque acerba perpessos à Gothis & barbaris Arrianâ perfidiâ imbutis; denique Theognistum Altini, quod nos interpretamur, Albanum Moguntiaci, cum Ferrutio, quod ex Rabani Poëmatis assevero, glorioso pro Christi caussa martyrio, abscissis ense capitibus, finiisse vi-

Arriana persecutio in Germaniis.

S. Albanus Moguntinus Martyr.

[a] Theognistus vel Theonestus & Albanus exsules Episcopi; in Germania fidê Catholicâ propagant. *Bed. & Martyrol. Germ. sub Diocletiano passum MSS. quadam sub Attila. Sigeb. in chron. ad an. 425. Adi Baron. ad 21. Iun. Petr. de nat. l. 5. c. 112. lib. 10. c. 97 Nicol. Serar. in Moguntiacis.*

[b] Leone *Beda varrantis oppidò discrepat.*

B. Ursus Martyr.

Theognistus & Albanus Trev. veniunt.

[c] Maximino. *Martyrol. Rom. ad 30. Octob. & Sigeb. ut supra.*

S. Ferrutius Martyr.

* Hunnerico.

ANNUS CHR. 485. S. Albani acta confirmantur.

Dioscoro & Eudoxio Coss. an. 442.

L. 1. de persec. Wandalica. Genserici regis Wandal persecutio.

P. Diac. l. 14.

tam. Atque hæc ita convenienter certè publicorum annalium fidei gesta traduntur, * Honorico in Africa rerum potiente; quem constat, ad Christianæ salutis annum octogesimum quintum supra quadringentesimum pervenisse. Etenim, multos ex Oriente in Africam, seu barbarorum metu, seu religionis dissidio, quasi tempestate ejectos, non pauci sciunt, horum temporum gnari. Ex Prospero quoque & Marcellino discas, quo tempore Hunni, Attilâ duce, Thraciam & Illyricum, sævâ depopulatione quatiebant; exercitum Romanum in Silicia affuisse, paratum in Gensericum & Wandalos Africæ carnifices; sed retractum mox ad salutem Orientis. Hinc Gensericum, ut Victor prosequitur, regnandi ancipitem, tantis iris surrexisse in Catholicos, ut persecutionem intenderet; plurimosque Sacerdotes & Episcopos, levibus aut nullis causis, abjiceret extorres; atque in his vitio quoque non nemini datum, quod transmarinum monachum hospitio suscepisset. Valdè quidem his jam consentaneum, id quod de Martyribus ante narravi: sic enim Theognistum faciamus Hunnicâ populatione, quæ, Paulo narrante, nullis tunc castellis aut urbibus pepercit, profugisse cum suis in Africam: atque ibi, à Genserici arreptum tyrannide, cum cæteris Episcopis extrusum in exsilium.

S. Ursus, ubi passus. *Rerum Aug. Vind. l. 8. ad an. 425.*

Illud primum de Augusta Vindelica aut Rhœtorum, ne beatum Ursum assentiamus ibi consummâsse martyrium, cavit diligenter clarissimus Marcus Velserus Augustanus Duumvir; neque enim ullam istic Ursi retineri memoriam; & iter potiùs ac rerum seriem favere Augustæ Prætoriæ Salassorum, pro qua urbe stent antiquitatis signa non obscuræ: nam perseverare in Ecclesia Burania Venetorum ditione, horum Martyrum cultum: nec longè ab ipsa Augusta Prætoria, quæ ad radicem montis Jovis veterum literis describitur, antiquissimum superesse Monasterium S. Ursi titulo.

SS. Albanus & Theognistus Treviris à Maximiano Epis. excipiûtur.

Deinde missis aliis, quæ in Moguntiacarum rerum libro secundo jam discussa video, sanctos hos exules in Treviris à Maximiano potiùs Episcopo recreatos exceptosque, præter ætatem, ipsa me monet Episcopi Maximiani vox, à Goswino, vel per nebulam usurpata, cùm Paulinum inducit proponentem ad constantiæ exemplum Valerianum seu Volusianum & Maximianum Episcopos; ceu & ipsi atrocia pro Christi fide tolerâssent ab Arrianis. Sunt autem, ut res ipsa docet, Volusianus & Maximianus, Episcopi hujus sæculi. Atque hanc unicam in tam densa caligine monumentorum, veluti naufragio tabulam vicinæ Ecclesiæ olim arripuisse, alii forsan ordinis dispendio, ego quæstui deputo.

CVIII.

ANNUS CHR. 486. vel 488. *Greg. Turon. l. 2. c. 27. & Sigeb. Aim. l. 1. c. 12. Regino. Hincmar. in vita B. Remigii.*

Clodovei in Syagrium Ægidii F. expeditio.

Anno regni sui quinto Clodoveus, cùm universum spe animóque Galliarum raperet imperium, ante omnia duxit Romanos sibi subjugandos, ut quibus victis & expulsis, cæteris videbat haud multò se viribus & industriâ rei militaris inferiorem fore. Quare propinquis suis Francorum Regulis, in quibus eminebat Rachnacharius, ad bellum evocatis, Syagrium Ægidii filium, quem apud Suessiones imperitâsse diximus, aggreditur; qui primo prœlio victus atque in fugam actus, cum demum ab Alarico Gothorum Rege proditus, in Clodovei potestatem venisset, capitali supplicio multatus, vitam amisit. Suessione igitur ac vicinis oppidis ad cæteras parti regni ditiones adjunctis, insatiabili quâdam reliqua perdomandi cupidine, arma ad Ligerim usque omnia subigendo, produxit.

CIX.

ANNUS CHR. 490. *Paul. Diac. l. 16. ad Eutr.* Gothi cum Herulis in Italia commissi. *ut supra.*

Annus quadringentesimus nonagesimus ab ortu Christi salutifero, magnos in Italia bellorum motus edidit, Herulis cum Gotho commissis; qui totius Italiæ brevi tum Theodorici Regis fortissimi virtute, & favente Zenone Imperatore potiturus erat. Quos medios inter armorum strepitus, Felix Romæ Pontifex moriens, Gelasio sedem reliquit.

ANNUS CHR. 492. GELASIUS PON. an. 4. m. 8 d. 19.

ANNUS CHR. 495. *Tom. 1. Epistol. decr. Gela. 11.* Trevirensis Ecclesiæ moderatio in primatu suo.

* dogmatis us.

Qui quarto sui Pontificatûs anno, Consulatu Flavii Viatoris, epistolæ, quam ad Dardanos misit, Trevirorum Ecclesiæ memoriam intexuit honorificam, cùm ejus sacerdotum moderationem Constantinopolitanæ præferens, Euphemii Patriarchæ arrogantiam castigat, quod urbis regiæ conditione insolescens, primatum sibi vindicaret super orientales Ecclesias: *Nunquid apud Ravennam*, inquit, *apud Mediolanum, Sirmium, apud Treviros multis temporibus non constitit Imperator? num quidnam harum urbium sacerdotes ultra mensuram antiquitus sibi deputatam, quippiam suis * dignitatibus usurpârunt?* Non nesciebat Gelasius, uti cæteris, sic & prænobili Trevirorum Ecclesiæ dignitatis aliquam mensuram antiquitùs attributam, imò meminerat fortè, recens Volusiano de novo confirmatam; sed proponit tamen ad exemplum, quod cùm Ravennate & Mediolanensi Trevericus hucusque fastigium intra modum usurpâsset; ut quantum moderationis habitu inferior, tantum quoque depresso jam loci statu, gloriâ superior evaderet, cùm omnibus interim apud suos autoritas quædam esset excellens.

CX.

Thuringos sub jugum compellit Clodoveus.

Exiguo dein temporis intervallo, cùm decimus jam verteretur annus, Thuringos Clodoveus armis illatis, sub imperium suum coëgit; ac mox Crotildim Chilperici quondam Regis Burgundionum filiam Christianam, eximiæ pulchritudinis ac prudentiæ virginem sibi connubio sociavit.

ANNUS CHR. 496. 497. 498. ANASTASIUS PON. an. ferè 2. SYMMACHUS PO. an. 15. m. ferè 8.

Postero anno Gelasius, expleto vitæ die, Anastasio gregem Ecclesiæ pascendum tradidit. Anastasius verò, cùm biennium paulò minùs, id munus gessisset, Symmachum deinde successorem habuit.

Hincmar. in vit. S. Remigii. Sigeb. chron. Greg. l. 2. c. 30.

Tolbiacēsis pugna, qua Clodoveus victor ad Christi fidē pervenit. aliis an. 496. Tolbiacum vulg. Zulch.

Annus Clodovei regni quintus decimus tum illuxerat, qui insigni ab Alemannis apud Tolbiacum vicum in Agrippinensium ac Trevirorum finibus, reportatâ victoriâ, fuit memorabilis. Res autem gesta est ad hunc ferè modum. Alemanni in sedibus suis ab Clodoveo armis appetiti, trans Rhenum impigrè copias adversus hostem instructissimas eduxêre, castrisque positis ad Tolbiacum, quod Coloniam inter & Marcodurum famæ non incelebris oppidum est, summâ alacritate, adventum ibi Francorum præstolari placuit: neque verò Clodoveus, ut animi non solùm vigore, sed corporis etiam viribus præcellebat, ullam certaminis afferre moram; quin hosti ad Tolbiacum occurrens, confestim acie explicatâ pugnandi copiam faceret. Ita prœlio inito, acriter à Francis Alemannisque, sed animis quoque paribus, & æquâ spe

pugnatum

pugnatum est, donec fesso jam & elanguescente exercitûs ardore, & multis utrinque cadentibus, Francorum acies inclinare cœpit; quâ re Clodoveus animadversâ, regressus in memoriam eorum, quæ conjux frequenter per otium inculcârat, vovisse in acie dicitur, si prosperè pugnâsset, se Christi sacra, quæ adhuc, Crotilde licet omnia agente, respuerat, cum universo populo suscepturum. Tunc verò, velut cœleste numen tam piis repentè votis præsens annueret, hostium aciem mox, ceu turbine quodam repentino, disjectam, fluctuare, ac turbatis ordinibus Alemannum, quod contra fiebat antea, Francis terga dare cœpisse, victoriâ, commutatâ belli sorte, transeunte simul ad Francos. Occubuit hoc in prœlio ipse Rex Alemannorum, cujus morte vehementer fractis, & abjectis cæterorum animis, denique pacem à Clodoveo supplices petierunt; quam neque invitus ipse dedit.

CXI. Sigebertus Coloniæ rex. *Greg. Turon. l. 2. Fra. c. 37.*

Porrò Sigebertus Coloniæ Regulus, cùm Clodoveo pugnanti in acie strenuam navasset operam, accepto in pede vulnere, postea claudicavit, quo ex eventu Claudi cognomen adeptus est. At Clodoveus, victor votique reus, cùm ovans domum reversus, uxori Crotildi belli totius eventum aperit, tandem novis feminæ precibus evictus, nihil antiquius habuit, quàm, ut se & populum universum voti religione, quâ tenebatur, exsolveret. Quamobrem insequenti anno, cùm ad Tullum nobile Leucorum, in Belgica prima oppidum, de via flecteret, Sanctum ibi Vedastum, qui postea Atrebatensis Ecclesiæ creatus Antistes, convenit, & pervagatæ famâ virtutis ejus adductus, tum magistrum novæ cælestisque disciplinæ, tum comitem itineris Rhemos profecturus, adscivit. Ibique post paulò à S. Remigio urbis Episcopo, Christianæ fidei mysteriis ritè initiatus, Regificâ pompâ & magnificentiâ, pari cum religionis conjunctâ modestiâ, ipse unà cum Optimatibus, & popularibus suis, cœlesti lavacro expiatus est. Candidatorum, unà cum Rege Christum induentium, ad tria hominum millia, fuisse, Gregorius Turonensis scriptum reliquit. Incredibile memoratu, ex eo die, quanto in rebus divinis ardore constantiâque gens Francorum versari cœperit; eorum ut deinde præstanti religione atque eximiâ pietate, Christianorum vetus disciplina revocata, atque egregiè confirmata sit. Quod dum grato ac memori animo Trevirorum Ecclesia usurpat, tantis se postea cumulatam opibus, ac virorum illustrium gloria condecoratam, nunquam admirari vel prædicare desinet.

Alcimus in vita B. Vedasti. Aim. l. 1. c. 16. Vita S. Vedasti ap. Bedam. ANNUS CHR. 499. S. Vedastus inter catechistas Clodovei.

Clodoveus à B. Remigio baptismo lustratur. *Hist. Franc. l. 2. c. 31. Flodoardus hist. Eccl. Remens. l. 1. c. 13.* Religionis incrementû sub Clodoveo & aliis Francorû regibus.

CXII. ANNUS CHR. 500.

Theodoricus Gothorum per id tempus excisis jam & funditus exstirpatis Herulis, novum in Italia regnùm condiderat; certiorque factus de felicibus his Clodovei successibus, legatos ad eum cum literis, tantam gratulatum victoriam misit. Literæ apud Senatorem extant, Luduino Francorum Regi inscriptæ. Ubi virtutem Regis hoc nomine vel in primis celebrat, quòd gentem Francorum priscâ virtute residem, feliciter in nova prœlia concitasset, & Alemanicos ipse populos victrici dextrâ superavisset; tandem ad moderationem animi, prudentiamque orationem flectens: *Memorabilis*, inquit, *triumphus est, Alemannum acerrimum sic expavisse, ut tibi eum cogas de vitæ munere supplicare. Sufficiat illum Regem cum gentis sua superbia cecidisse. Sufficiat innumerabilem nationem partim ferro, partim servitio subjugatam.* Alemannorum verò reliquiis, Theodorici Regis beneficio in Italia contigisse sedes, Ennodius in Panegyrico meminit: *Et intra ejus regionis terminos*, ait, *sine detrimento Romanæ possessionis inclusas. ut quæ gens populatione grassari solet, fieret Latialis custos imperii.*

Cassiod. vari. l. 2. ep. 41.

CXIII. * al. Vibitius. VIBICIUS ARCH. XIX. EPISC. 45. Vibicii integritas & sepulturæ locus. *MS. Trevir. gesta.*

Per idem quoque tempus, qui Maximiano surrogatus erat * VIBICIUS, apud Treviros in Pontificio munere clarescere cœpit; cujus sanè probatam vitæ sanctimoniam, patrata post mortem miracula prodiderunt; ejus ossa in oratorio, juxta Mosellæ pontem olim tumulata, seu improborum nequitiâ, seu religione Christianorum immodicâ, inde sublata, percrebuit opinione veterum. Præsulis inde perennis in Ecclesia ad quintum Novembris recolenda viget memoria.

Gundobadus & Godigisclus, sic n. legendum pro Gûdobaldo & Godigisilo Burgûdionum reges. ANNUS CHR. 501. *Gregor. Turon. c. 37. l. 2.* Regû Burgundionum sedes Lugdunum, Geneva & Sabaudia eisdem subdita.

Posthæc Clodoveus, ut cui nulla remissio placeret, nisi in armis, contra Gundobadum Burgundionum Regem cum fratre Godigisclo graviter dissidentem, bella gessit; annuumque tributum ab eo, pace datâ, obtinuit. In his Burgundionibus, id dignum memoratu apud Ennodium in vita S. Epiphanii legitur, Gundobadum, qui Rhodani tractui imperans Lugduni sedem habebat, cùm nuper Liguriam hostiliter populatus multa captivorum millia abduxisset, S. Epiphanii legatione & auro placatum, reddidisse captivos; Godigisclum verò qui Genevæ larem sibi statuerat, idem fratris exemplum sequutum. Unde quoque liquet, quod Tiro Prosper in Chronico meminerat, Burgundiones Sabaudiæ tum urbes, quas olim cum indigenis dividundas acceperant, insedisse.

CXIV. Clodovei in Burgundos expeditio. ANNUS CHR. 508. al. 507. Alaricus seu Athalaricus Clodovei adversus Gothos in Gallia dominâtes felices successus. *Isidor. Gregor. Turon. Aimoin. Sigeb.* * Vocladêse prœlium. refertur ab aliis ad an. 507. vel 508. vel 509.

Hinc Clodoveus Alarico Gothorum Regi, sive hæresim illius insectans, Arrianus enim erat, sive regni ipsius potiundi cupidine flagrans, exitiale bellum intulit; faciendi belli undecunque quæsitâ materie. Ergo per fines Turonum innoxium ducens exercitum, ad Pictavorum urbem contendit; atque ibi, decimo circiter ab urbe lapide, in campis Vocladensibus nactus hostem, secundo prælio Gothum superavit; ipsumque Alaricum acie fudit. Prælii à * Voclado castro Pictaviensis territorii celebris, hunc annum ex eo constituunt, quia quinque tantùm annis Clodoveum huic superfuisse, Gregorius autor est. Sunt interim, qui ad Celeris & Venantii Consulatum anni superioris referant, quia tunc Cassiodorus à Theodorico Rege notat exercitum in Galliam pro Gothis, contra Francos immissum. Sed non unius & brevis, sed variæ dimicationis hanc rem extitisse, cum cæteris ostendit Procopius, & in vita S. Cæsarii Cyprianus. Clodoveus autem à duobus Gothis, infestis contis in latera ejus incurrentibus, appetitus, vix armaturâ thoracis benè firmi, & pernicis equi beneficio incolumis evasit.

CXV. *Greg. cap. 37. Procop. lib. 1. belli Goth.*

Secundùm hanc pugnam, Theodoricus Clodovei filius, ducit in Aquitaniam; nec magno negotio, redactâ in potestatem urbium

principe

Cassiod. chron. vita S. Cæsarii apud Surium die 27. Aug.

principe Tolosâ; arma inde ad alia Gothorum oppida, circumtulit, opimis ubique spoliis, etsi non incruentis. Neque otium interea sibi indulgebat ab armis pater; verùm, admotis ad Burdegalam copiis, urbem ilicò suæ item potestati jurique subjecit; atque ibi, actâ hyeme, gazam omnem Gothicam, & detractas Romanis olim manubias, istuc ad se deportari cuncta jussit.

CXVI. Anastasii Imp ad Clodoveum legatio. *Greg. lib. 2. c. 38.* Clodoveo Cõsulatum Rom. offert, declaratque Patricium.

Cæterùm Anastasius Orientis Imperator, admiratione captus tam eximiæ virtutis ac felicitatis in bellis, honorificâ decretâ ad eum legatione, codicillis missis, *Consulatus* & *Patriciatûs* illi honorem detulit, cujus fructum delibâsse quidem, at respuisse titulos videtur, fastis hujus, ut & multorum aliorum nomen occulentibus. Quanquam ampliore, quàm pro veteri consuetudine fastigio, ac ambitione, potuerunt hæc ornamenta extra ordinem Clodoveo Regi bellis famoso, & victoriâ non unâ metuendo cumulari; quando Ricimerem Patricium, patre Suevum, à genitrice Getam, sub Majoriano & Anthemio meminimus, imperii Romani & orbis gubernandi in urbium urbe secundis à Principe habenis, obtinuisse consortium. Unde nobili ætatis illius Poëtæ:

Ricimeris Patricii insignis potentia in Imp. Rom. *Sidon. in Anthemii paneg. Majoriani Novella de sexto imperii. Ennodius in vita S. Epiph.*

Ricimer invictus, quem publica fata
Respiciunt.

Clodoveus Consulari trabea & honore insignis apparet.

Agebat eo tempore in Turonibus Clodoveus, religioni adversus B. Martinum inserviens, cùm ab oriente venêre nuncii. Quare omnibus præparatis ad celebritatem ejus honoris usurpandam suorum animis, ipse præstitutâ die, trabeâ Consulari indutus, caputque gemmato redimitus diademate, prodiit, & sublimis in equo quacunque incederet, stipem auream argenteamque in confertam multitudinem sparsit, acclamantibus Augustum atque Consulem, circumfusis lateri populis, Regique suo honorem eum gratulantibus.

CXVII. *Lib. 2. histor. Franc. c. 40.* Parisiis sedem regni constituit.

His rebus ita gestis, cùm Parisios sedem regni delegisset, Regulis Francorum, qui secum Galliam, Belgicam, Germaniamque obtinebant, removendis, animum advertit, ut unus universo imperio potiatur. Quod ad hunc modum ab eo peractum Gregorius Turonensis edisserit: Clodoveus apud Parisios adhuc degens, clam nuncios mittit ad Clodericum filium Sigeberti, qui Coloniæ Agrippinensium atque adeò in Germania primâ rerum tum potiebatur, hos referre jubet; patrem ætate ac debili crure confectum, & imparem fastigio rerum, vivere jam diu non posse; quamobrem, si quid ei humanitùs accideret, effecturum se facilè, ut ad Clodericum summa rerum, paternique regni decus omne transeat. Accensus his juvenis promissis, dum arctissimæ necessitudinis jura privatæ spei posthabet, Sigebertum patrem Coloniâ egressum observat, ac trajecto Rheno, Buchoniæ saltûs amœnitates secutum, umbriferis in locis alicubi fortè meridiantem, immissis percussoribus crudeliter interimit. Parricidio patrato, simul Clodoveo renunciari jubet, patrem suum diem obiisse, gazamque sibi cum regno universam cessisse, cujus in æquam partem admitti si cuperet, nuncios ad se ejus rei gratiâ legaret. Quo responso Clodoveus accepto, hominibus idoneis ad eum dimissis,

Clodericũ ad Sigeberti Patris Germaniæ secundæ imperantis necem, spe regni fassi, incitat.

Buchonia Fuldensis ditio.

cætera quidem amicitiæ largitus; id unum orat tamen, ut iis, quos mitteret, paternas opes thesaurosque patefaceret, omnia citra vim injuriamque solus tranquillè possessurus. Paruit Clodericus; sed quem alienum fidum inveniat, qui parenti fuerat hostis? dum ergò variis ex scriniis diversa promit, ac ditissimam pariter gazam explicat, denique ad arcam perlatum, quâ condi, infecti factique vim auri à patre solitam affirmabat, rogant legati pro oblata facilitate; quædam uti proferret: atque hic cùm pronus & incautus in arcam totus incumbit, affuit mox à tergo, qui gravem librans bipennem, cerebro Regis illideret: itaque percussus paternæ neci debitum supplicium, suâ morte tandem filius improbus exsolvit. Ejus cæde compertâ, Clodoveus properè in Germaniam profectus, atque injuriam facti, blandâ apud ejus loci populum oratione mitigans, omnem suscepti facinoris suspicionem ab se amolitus, in Clodericum derivavit. Quare, acceptâ satisfactione, summo omnium consensu atque applausu, eum patriæ ac gentis more in scutum attollentes, Regem salutârunt.

Sigeberto sublato Clodoveus percussores Cloderico immittit, ac regnum occupat.

Clodoveus apud Rhenum imperium capessit. *De Irvatione Regum & Imp. P. Pithou adverf. subs. l. 2. c. 6. MS. Trev. & Trithem. in Franc. hist.*

CXVIII. Heribertus Trev. regulus ab eodem Clodoveo putatur sublatus.

Sunt, qui eodem dolo Heribertum Regulum, qui Treviris præfuerit, periisse tradunt, cujus tamen rei apud certos autores, quod equidem sciam, nulla liquentior memoria. Illud constat, auctâ ditione, & imperii finibus longè latèque in omnes Galliæ partes quoquoversum prolatatis, limitem Francici regni ad Rhenum usque propagatum: quin & Agrippinensibus edomitis, ac Alemannico nomine, quod primitùs è Suevia trajecto Rheno in citeriorem Romanorum agrum effusum, mox Sequanorum ferè Maximâ occupatâ, inferis se Rheni ripis circa Coloniam, Moguntiacum, Argentoratum insinuârat, post memorabilem Tolbiacensem pugnam, in servitutem asserto, Germanicas utrasque cum Belgica, Clodovei in potestate fuisse.

Utramque Clodoveus Germaniã Belgicamq; possedit.

CXIX. *Hincmar. in vita S. Remigii (ont. Th. 2.*

Porrò inter hæc assidua bellorum ac certaminum studia, Clodoveus religionis ac disciplinæ Ecclesiasticæ sanciendæ magno inflammatus studio, re cum Episcopis Galliarum communicatâ, Synodum Aureliam ad Ligerim convocari jussit, cujus Antistes atque moderator sanctus fuit Remigius, excellenti doctrinâ atque innocentiâ vitæ, Pontifex, & hujus Ecclesiæ Trevericæ, quam SORORRM SUÆ appellitabat, perquàm studiosus. Convenêre cum in locum, ex omnibus Galliæ provinciis, tum etiam ex Belgica Pontifices; multaque præsenti tum Galliarum statui salubria decreta; sanctionesque præscriptæ, quibus & asylorum in templo securitas, & utraque tam Ecclesiastica quàm cœnobitica disciplina, & feriarum jejuniorumque sanctitas, atque alia multa id genus ad jus officiumque Ecclesiæ conservandum pertinentia, graviter prudentérque defensa, nec non severis præceptionibus, communita sunt.

ANNUS CHR. 510. aut 511. Aureliana Synodus sub Clodoveo triênio à Vocladensi prœlio. B. Remigius synodi moderator.

Evenit illud in hoc cœtu memorabile; quòd arrogans acerque sectæ propugnator Arrianæ, idémque dialecticis artibus præclarè instructus, ingrediente beato Remigio, cùm universus Antistitum consessus veneratione Præsulis assurgeret; solus ipse nec loco se moveret, nec ullum introeunti Remigio

CXX. B. Remigius Arrianum dialecticum miraculo vincit & confundit.

honorem haberet. Ergo in magna certaminis expectatione, cùm omnium oculi atque ora in hæreticum conversa, huc scilicet intendunt; dum quid à Remigio jam compellatus, in medium, tam valente Dialectico dignum proferat, ecce ibi tum apparuit homini excidisse linguam; quare mutus & silentio vecors, ad Remigii sese pedes confestim advolvens, cùm primùm, oris vinculo solutus, loqui posse cœpit, Catholicam veritatem, Christique parem cum Æterno Patre majestatem, asseruit. Et fuit magnus verò hisce diebus opinione famaque virtutis & scientiæ, in omni Gallia Remigius. Mirificam ejus eloquentiam laudavit Sidonius; eique tribuit oportunitatem in exemplis, fidem in testimoniis, proprietatem in empiricis, urbanitatem in figuris, virtutem in argumentis, pondus in sensibus, flumen in verbis, fulmen in clausulis; additque nec vivi cujusquam hominis tum temporis extitisse orationem, quam non superaverit & verborum & sententiarum gravitate Remigius. Synodum autem hanc Aureliani celebratam signavit Sigebertus in Chronico ad annum, qui Christi quingentesimus erat duodecimus, sed suo more lapsus, ut existimant, biennii metachronismo.

Ep. 7. lib. 9. S. Remigius quanta fuerit eruditione.

CXXI. ANNUS CHR. 512.

Porro Clodoveus, plenus jam gloriâ & magnitudine rerum gestarum, domi forisque juxta cantatus, cùm rem Christianam non minùs quàm Francicam, ingenti utriusque incremento in eam amplitudinem, Deo benè juvante, perduxisset, ad quam ne majoribus quidem adspirare licuisset, haud diu pòst Parisus, annis omninò triginta in regno expletis, ab hominum vita demigravit. Atque annus is, Gregorio Turonensi testante, quintus fuit, à Vocladensi pugna, centesimus duodecimus à beati Martini excessu, quem ad Hormisdæ Pontificatum, rectè ac ordine propagâsse videntur, qui epistolam hujus Pontificis datam de Clodoveo ad sanctum Remigium pro genuina ab Hincmaro recitari, & à Flodoardo in historia Remensis Ecclesiæ iterum iterúmque laudari, meminerunt. Quibus & Anastasii narratio favet, qui sub Hormisda aureum illud gemmisque radians diadema, cui Regnum nomen fuit, munus Apostolo Petro à Clodoveo Rêge missum, testatur.

Clodovei mors. ANNUS CHR. 514 vel 512 *Greg. l. 2. c. 45. Hincmar. in S. Remigii vita. Aim. l. 1. c. 25. Sigeb. chron.* HORMISDA PONT. an. 9. d. 10. *Hincmar. in vita S. Remig. Flodoard. l. 1. c. 15. l. 4. c. 1. In Pontific. Rom. & cum cit. scriptoribus Sigebert.*

Cæterùm, quibus hujus epistolæ lemma vel suspectum, vel Hincmari aliorúmque autoritas infirmior charactere ab ipsis defixo, hi mortem Clodovei scilicet anticipant, referuntque ad Novembrem anni DXI. exeuntis; aut, si periodus CXII. annorum ab obitu S. Martini anno rotundo finiatur, different ad annum Christi DXII. Atque hinc illis Epocha nascitur successionis liberorum Clodovei, quorum ætas regnorúmque series tot implicata nodis, ut magno sit opus vindice, ad eos explicandos.

CXXII. Corona Romam à Clodoveo missa, quæ Regnû dicta. Chronologiæ ratio in Clodoveo & ejus successoribus. *Adi Ægid. Bucher. ad Tom. Leod. Episcop.*

Nec omitto virorum Martialium, quorum manibus & lacertis res tantas brevi tempore Clodoveus pace belloq; gessit, ex Sidonio vultus, habitúmque corporû, & arma vel in transcursu meminisse; nam corpora procera, rutilos crines, cæsios oculos, pronas in frontem tonso occipiti comas, tenues raso vultu barbas, vestes strictas & singulos artus exprimites, nudos poplites, latos baltheos; nobis interpres Sidonii graphicè depinxit. Inter arma verò secures & breves hastas, quas Anconas dicebant, & à gente Franciscas. securibus pro usu cominùs vel eminùs sparsis pugnâsse, magnos traxisse comitatus, Comitúmque primus apud Regem locus, & Regum prælio victoriisque validissimos, quibus circundati acerrimi fidissimique Comites. Hæc dignitas, hæ gentis vires, quam Julianus in Constantii encomio Germanorum facit bellicosissimam, & cui Deus Opt. Max. hanc tribuit felicitatem, ut propagini sobolem, hæredes successorésque sufficeret, quo cum imperio nexúque sanguinis religio & fides Christiana se fœcundiùs per subditos victósque populos diffunderet.

Francorum Prosopographia.

Agathi. lib. 1. hist. in Eryth.

Francicæ gentis felicitas.

Et favoris cœlestis argumento Rhemis ampulla sacri olei apud cœnobitas Remigianos asservatur, cælo demissa ac Francorum Regibus divinitùs concessa, quo Rhemensis Archiepiscopus hodiéque Chrismati permisto, in Duodecim primorum seu Parium regni præsentia Regis novi in genua provoluti caput, humeros, utrumque cubitum, ac denique manuum palmas, augusto ac vetere ritu perungit. Qua de re piè non minùs quàm eruditè eximius Poëta:

CXXIII. Sacri olei ampulla Rhemis.

Regum inunctio.

Postquam Roma diu Gallos possederit, arma
In nova, jurabunt Franci Germanica proles.
Si genus inspicias hominum, Troiana propago,
Regnaq; transmisso venient in Gallica Rheno.
Hos inter regale decus Pharamundus habebit
Primus; & hinc veniet series logissima rerû.
Quintus ab hoc Clodoveus erit; qui falsa relinquens
Numina, nostrates primus libabit ad aras.
Hic erit ille, Deus cæli cui mittet ab alto
Cærulei breve vas olei, quo tempora Regum
Gallia perfundat; Pater hoc dignabitur illos
Munere præ reliquis venturi Regibus ævi.

Baptista Mantuanus in vita S. Dionysii, Galliarum Apostoli.

Clodoveo igitur, quem & Luduinum & Hloduicum vetustior appellavit ætas, ad hunc modum defuncto, regnum æquis sortibus, quatuor ejus filii inter se partiti sunt. Hæredi Childeberto cessêre Parisii; Clothario Suessiones; Aurelianum obtigit Clodomiro; Theodorico autem Mediomatrices attributi. Theodoricus is licet maximus natu, quia tamen ex concubina ortus, dignatione cæteros non æquabat; habebátque filium jam ipse maturum annis, & in armis impigrum, Theodobertum.

CL. HL. & L. in Teudisca Frîcorum accêtu modo differunt.

Galliarum sortitio inter Clodovei hæredes *Greg. Turon. lib. 3. cap. 1. & lib. 2. c. 28. Aim. l. 2. c. 1.*

Theodoricus Mediomatricum Rex.

Quia verò Austrasiæ regni tituli, cujus pars deinceps fuêre Treviri, ab Theodorico sumpsêre primordia, quæ scilicet per idoneos autores licebit, pauca de hujus limitibus atque situ delibâsse, in præsentia juvet. Galliam transalpinam Franci, postquam Clodovei auspiciis armisque pœnè totam subjugârunt, à cœlorum cardinibus ventisque sumptis idoneis ex idiomate suo vocabulis, bipartitò secuêre. Partim enim illius, quæ solem cadentem aspiciebat, Neustrasia sive Westria, partim quæ vergebat in Orientem æstivum, secundum Rheni flumen, Austria sive Austrasia, appellata fuit. Constat usus antiquitas ex testamenti, quod extat beati Remigii codicillis, ubi possessiones Ecclesiæ Rhemensis in Austria sive Toringia locatas, & Episcopos Neustriæ à Germaniæ Galliæque diversos

CXXIV. Austrasiæ & Neustriæ situs & origo.

Austria & Neustria in testamento S. Remigii.

exprimit.

ap. Holsard. Rhemens. hist. lib. 3. c. 18. Aimoi. lib. 3. c. 12. & l. 4. c. 58. & 72. Regino variis locis.

exprimit. Porrò Austrasiæ voci notionem haud eam certè subjectam, quam vulgus ab Austro vel Meridie potiùs arripit, docent antiqui rerum Francicarum scriptores, qui incolas Austrasiæ, modò Francos Orientales, modò Galliæ interioris respectu, superiores dixêre. Austrasiæ verò limites, etsi successionum variante sorte, persæpè, jam contracti angustiùs, jam sparsi in longinqua fusiùs, exordio suo vacillârint, intra vagum tamen illum & malè coërcitum ambitum, quamdiu quidem regnum incolume stetit, ea terrarum regio nomen id obtinuit, quæ cisrhenanæ Germaniæ, Lotharingiæ atque Belgicæ Campaniæque Remensis nominibus hodie non est ignota.

CXXV. Austrasiam ergò à Parisiorum regno, Matrona dividebat ad Occidentem; Ab Oriente terminus ejus Rhenus; donec Thuringia & Alemannia quoque in Austrasiorum nomen concessêre: Cæterâ parte, versus Meridiem, objectâ Burgundiâ, finiebatur. Et fuit inde tempus, cum Austrasiæ quoque regnum Alemanniæ nomen tulit: unde posteris ab Alsatiis ad Oceanum usque Rheni fluminis accolas, Alemannos, & inferæ Germaniæ populos, eosdem vocitare mos fuit. Restrictior itaque in finiendo tribuendoque spatia Aimoinus; cæteroqui dissignator, cui libenter concedamus. Gallias namque totius regionem partitus, sedes illi duas modo, Francorum autoritate tribuit: illam, quæ Septentrionem versus excurrens Mosam inter & Rhenum extenditur, Austriam; quæ verò à Mosa Ligerim appetit, Neustriam appellans. Aquitanis interim atque Burgundionibns in hanc sortitionem minimè venientibus.

Aim. l. 4. c. 58. Vesperges. & Herman. contract. in chron.

Aimoi. hist. Franc. lib. 1. proœmio c. 5.

CXXVI. Verùm, ut ad Austrasiam nostram redeamus, palatina civitas & regia prænobilis deinceps facta Mediomatricorum urbs, quæ licet ipso titulo splendoris omnium esset totius Austrasiæ facilè princeps, nomen tamen avitum, quod Divodurum fuisse multi contendunt, amisit; quando Mettis, id est, Matrix civitas hinc appellari cœpit. Methe enim, prisca lingua sonuit idem quod mater. Porrò Methis etiam cum Remorum urbe quandoque gloriam regiæ sedis communicasse visa, Regibus eum locum tam ob incunabula Christianæ fidei, quam B. Remigii desiderio, præcipuè colentibus. Ut autem hæc, quæ de Austrasiæ regni finibus ita nudè proposuimus, veteris & idonei cujuspiam scriptoris testimonio comprobemus, age-dum Venantii Fortunati versus proferamus, quem sub Clodovei nepotibus efflorescentem in novo Mediomatricum regno, Austrasii utriusque ordinis heroës, sanctique præsules Galliarum amicitiis studiisque mirificè ambierunt: clarissimis quibusque viris, ubi ubi aditum ei ad familiaritatem, ultrò patefacientibus. Is itaque Gogonis præstantis in aula Sigeberti Austrasiæ Regis viri, concursationes vigiliasque celebrans, omnes pæne Austrasiorum soli carminibus obit angulos:

Metis seu Mettis Austrasiæ regia. In vita S. Germani Paris. c. 42. & Ven. Fortun. l. 1. poëm. 29.

Fortunati in Austrasia favor & honores. Cap. 3. vitæ operi præfixæ, & Hincma. ad vit. S. Rem.

Lib. 7. poëm. 4.

Loca intra Austrasiæ côplexum antiquitus numerata.

Nubila, quæ rapido perflante Aquilone, venitis
Pendula sidereo quà movet axe rota
Dicite, quà valeat charus mihi Gogo salute,
Quid placidis rebus mente serenus agat?
Si prope fluctivagi remoratur littora Rheni, (Rhenus.)
Ut salmonis adeps rete trahatur aquis.
Aut super uvifera Musellæ obambulet amnē, (Musella.)
Quo levis ardentem temperet aura diem.
Pampinus & fluvius medios ubi mitigat æstus,
Vitibus umbra rigens, fluctibus unda recens.
*Aut Mosa * dulcisonans, quo grus, ganta, anser, olórq;* (Mosa. * dulcisonans.)
Triplice merce ferax, alite, pisce, rate.
An tenet herbosis, qua frangitur Axona ripis, (Axona.)
Cujus aluntur aquis, pascua, prata, seges;
Isara, Sara, Chares, Scaldis, Saba, Somena, Sura. (Rivi complures.)
Seu qui Mettin adit de sale nomen habens? (Salia fluv. Metim alluens.)
Aut æstiva magis nemorum, saltusq; pererrans
Cuspide, rete, feras hinc ligat, inde necat?
*Arduenna an Vosagi, cervi, * capreæ, * Helicis, Ursi* (* capra. * al. Helicis.)
Cæde sagittifera silva fragore tonat?
Seu validi bufalis ferit inter cornua campum,
Nec mortem differt ursus, onager, aper?

Constitutæ adhæc in Austrasiæ regno duæ metropoles; quarum altera * Durocortorum Rhemorum extitit; altera Augusta Trevirorum; hæc enim nuper ferebant vocabula; at ab inclinatione rerum, nomina quoque prisca cecidere. Nam illa Rhemorum, hæc ad hujus ætatis usum, Trever etiam à Salviano dici cœpit.

Austrasiæ metropoles Rhemi & Treviris à quibus institutæ. * Durocortorum. Trever i. Trier.

CXXVII. Porrò novæ hujus diœcesis autorem Hormisdam Pontificem, & Remigium extitisse, conjicimus, quando autoritate majorum caremus. Nam & ille, Remigio vicariam suæ sedis amplissimam potestatem, & in Galliis quoque primatum concessisse traditur; & ipse Remigius aliquod hujus rei vestigium in sui testamenti tabulis reliquit; cùm inter alia capita Regibus legata, per vim aut injuriam intervertentibus, moderatricem adhiberi voluit SORORÉM ECCLESIAM TREVIRENSEM. Atque id ipsum nimirum est, quod in Carolo Calvo Rege constituendo, secutus Hincmarus, cum Thietgaudi notissimis tragœdiis orba Trevirorum fluctuaret Ecclesia, Metim accessit: factique sui rationem, cur scilicet alienus, in hujus Metropolis se negotium immitteret, disertis verbis exposuit; eam majorum fuisse consuetudinem testatus, ut Rhemensis & Treverica Metropoles, consociatâ provinciâ, Synodos judiciaque communi voluntate, indivisâ peragerent; idque paullulum inter utrumque metropolitanum duntaxat interesset, ut illorum uter Archiepiscopus prior consecratus esset, is voce suffragiisque præiret. Qua ex consuetudine facilis fit interpretatio, Rhemorum res Clodovei studio & Remigii autoritate, ad eam amplitudinem adductas, ut Trevericis, etsi pro conditione temporum anteferri possent, exæquarentur tamen duntaxat ob Primatus prærogativam; cedentibus ultro pacis studio Treviris. Quam sanè Trevirensium Episcoporum modestiam, Gelasius Pontifex nuper etiam laudasse videtur, Epistolâ, quam ad Episcopos Dardaniæ mittebat.

Hormisda epist. in S. Remigii vita, & Hincma. ep. 6. c. 15. Flodoardus histor. Rhemens. lib. 1. c. 15.

Treverica & Rhemensis Eccles. sorores.

Metropolitanus honor in utraque Ecclesia quomodo secerni solitus.

CXXVIII. Hoc itaque Austrasiæ regnum adeptus Theodoricus, paternam præ cæteris liberis unus æmulatus bellicam virtutem, armorum quàm pacis magis floruit institutis. Anno secundo regni ejus Dani, Chochilaichi Regis

THEODORICUS I. REX AUSTRASIÆ an. 23. vel 19. ANNUS CHR. 515. 516.

Dani in Austrasiam irrumpunt. Chochilaicus seu Chochilarius Rex à Theodoberto victus.

ductu, finibus suis egressi, & paratâ classe Rhenum invecti, Austrasiæ fines, littoráque infesta habuêre; factâque exscensione, in pagum ditionis Francorum, qui Theodorico parebat, hostili impetu irruentes, multis mortalibus cum pecore atque alia præda captis, ad naves spoliis graves, revertuntur. Sed Chochilaichus, cæteris *vela dantibus, ubi partem copiarum in Gallia retinet, Theodoricus ejus rei factus certior, Theodobertum filium eximiæ tum indolis adolescentem, cum valido exercitu ac magno armorum apparatu, adversus Danos emittit. Is maximâ celeritate eos in fines profectus, navibus conscensis, hostem adoritur. Postquam comminùs ventum, expertique rostra & uncatas lanceas Dani, telis remisque superior Theodobertus, prœlio navali prosperè facto, Regem devicit; exutúmque prædâ, pariter vitâ spoliavit.

CXXIX.

Wandelbertus Frumen. apud Sur. tom. 4. Jul. mense.

B. Goar Trevirorum agrum sanctitatis fama frequentat.

Vibicius adhuc Treverico gregi per hosce dies Antistes erat; siquidem eum Childeberto Clodovei filio, Theodorici fratre regnante vixisse, prodit Wandelbertus in memoria S. Goaris; ubi tamen Felicis nomen, quod nulli veteres Episcoporum indices recipiunt, obliterandum ducimus, genuino Fibitii, ut legêre posteri, substituto. Hujus Episcopatu B. Goar, cujus ob eximiam sanctitatem apud omnes nomen in admiratione postea fuit, Trevirorum tum desertos & squalentes agros, quasi quidam novus paradisi colonus insidere, & multiplici culturâ subigere & repurgare cœpit.

B. Goaris patria & genus.

Is genere Aquitanus, magnáque & vetere prosapiâ, præclaris omnigenæ virtutis ornamentis enituit.

Educatio.

Infans ac per omne pueritiæ atque adolescentiæ tempus, ea futuræ sanctitatis ac innocentiæ documenta de se præbuit; quæ non spem perfectæ consummatæque vitæ, sed prope fiduciam absoluti numeris omnibus exempli, parentibus & amicis offerret.

Trichoriam adit sive Trigoriâ, quia triplicis soli regio: est n. triangularis respectu Mosellæ & Rheni.

Mox enim, ut in sacerdotii gradu collocatus, parentibus ac patriâ valere jussis, asperam & saxosam Trichoriam ad Wocharam rivum, qui locus inter Bodobrigam & Ficœljam ad Rheni ripas interjacet, universis Aquitaniæ delitiis antetulit, eremum istic in Germania prima, atque secessum sibi deligens, oratorium, factâ à Fibitio potestate, Virgini Matri constituit, idque plurimis ipse Divorum reliquiis diligenter excoluit deinde atque ornavit.

Eremum amplectitur in Treviris.

Hic igitur, ab omni strepitu atque tumultu sæculi remotus, acri curâ atque diligentiâ huc scilicet incumbebat, ut cruce ibi defixa, compressis & illisis voluptatum illecebris, puro & ab omnibus libero cupiditatibus animo, solum Christum cogitaret, illiusque amore saucius, velut in humanarum rerum fuga, mentisque recessu, cœlestem quandam in terris vitam ageret. Quare tam uberem etiam virtutum inde frugem extulit, ut cùm in omni alio officio præclarè excelluisse ferunt, tum in hospitalitate, ac sublevandis pauperum necessitatibus, quantùm per opes licuit, propriam ac præcipuam quandam occupâsse laudem.

Convertit Francos & Ripanos gentiles.

Neque in tanto perfectionis ardore, has egregias animi dotes, intra unius umbratilis cellæ angustias concludi est passus; sed in arenam ac pulverem descendens, cùm esset Christianæ fidei proferendæ cupidissimus, ceu quandam gloriæ Christi sitim expleturus, idolis quorum non exiguus ab novis incolis habebatur honos, acerrimum indixit bellum; eorum cultoribus inanem superstitionem eripiens, efficaci præsertim orationis genere, quam admirandis, & omni naturâ potentioribus signis exacuebat. Quibus ille profectò rebus brevi ingentem quoque vim animorum à dæmonis servitute in Christi libertatem asseruit: atque per hæc ferè studia reliquam ætatem exegit.

Vita ipsius interior.

Quotidie sacerdotis solenni ritu faciebat, purissimas majestati hostias, pro Ecclesiæ incolumitate, libans. Sermo ei cum Deo multus ac perfamiliaris. Nec aderat ante precandi finis, quàm psalterii canonem orando totum percurrisset. Ab hisce negotiis & curis, quidquid supererat otii, totum id corporibus pauperum refovendis, ac levandis peregrinorum molestiis, dabat. quos dum satagens ipse, frugali paratáque mensâ reficiebat, interea positis simul iis epulis, quibus pascitur nimirum & gliscit animus, ad studium eos cœlestium rerum invitabat.

CXXX.

** al. Berthaldum. Greg. Turon. hist. l. 3. c. 4. Sigeb. Venant. Fortun. vita S. Radegundis & poëm. de excidio Thuringia.*

Austrasiorum in Thuringiam expeditio, Rege Theodorico bellum inter fratres istic alente.

Anno regni Theodorici quarto, Herminefridus Thuringiæ Rex, cùm * Bertharium fratrem, vi oppressum jam sustulisset, Amalabergæ conjugis dolo, quo tota Thuringia uni sibi morigeraretur, ad Baldericum germanum item evertendum, mentem curasque versat. Missis clam igitur in propinquam Austrasiam nunciis, Theodoricum in auxilium advocat, regnum æquè cum eo sectioni subjecturus, si Baldericus ejus copiis simul acie vinci & tolli è medio posset. Theodoricus, accessionis oblatâ præsenti spe, nihil deliberat; sed contractis in unum copiis, & utrinque fide datâ, suum cum Herminefridi exercitu jungit, atque Balderico similiter nihil recusante, descensum mox in prœlium est. Ubi collatis signis ventum ad certamen, Baldericus, ut qui numero copiarum inferior, confestim suorum sentire damna, & cernere apud se plus vulnerum atque cædium. Attamen intrepidus ille, cùm extremæ dimicationis eventum fortiter expectat, victoriâ inclinante ad fratrem, obtruncatus in acie, cecidit. At Theodoricus victor in Austrasiam reversus, ubi partam tanto certamine sortem Thuringiæ promissam ab Herminefredo non attribui, nec ullum operæ tam strenuè navatæ bello præmium poni animadvertit, perfidiâ ac fraude juxta stimulantibus, capitale adversus illum exinde odium, & animum hostilem induit. Quæ res segetem magnorum posthac tumultuum extulit.

CXXXI.

ANNUS Chr. 520.

Greg. l. 3. c. 18. & lib. 5. c. 5. & 6.

Annus inde quingentesimus & vigesimus subierat, cùm Clodovei liberi, matris Crotildis instinctu hortatuque, ad avi materni aviæque necem ulciscendam, in Burgundiam profecti, consociatis opibus atque armis bellum Sigismundo Burgundionum Gundobaldi filio, justo alioqui pioque Regi allaturi. Sigismundus Godemaro fratre sibi adjuncto committere prœlium ausus, terga vertente germano, primo congressu, cum uxore & liberis, in hostium potestatem redactus est; & Aureliam abductus, in custodiam conditur. Hinc Clodomirus prospero successu inflatior, ubi fratribus jam digressis, Goudomarum ex fuga reparâsse vires, & universam rursus

Greg. ut sup. & Agathias lib. 1.

Digitized by Google

Burgundiam ad obsequium júsque suum traduxisse comperit; interfecto crudeliter cum uxore & liberis Sigismundo, apud Viennam Prætoriam in Allobrogibus temerè ruit in aciem. Sed cùm Gondomarum, fugâ simulatâ, longiùs evectum stolidè insectatur, id quod illi B. Avitus Nutiacensis Abbas eventurum antè prædixerat, pectus, Agathiâ teste, telo transfixus occubuit. Burgundiones è profusiore coma, quàm Francorum Regibus nutrire mos, cecidisse Regem interpretati, caput præfixum conto ad terrorem mox attollunt in sublime; quo spectaculo, tantus irarum ardor Francis injectus, ut instauratâ acie, Burgundionem terga dare, seque totúmque regnum in Francorum dedere potestatem, compulerint. Gondomarus tamen elapsus prœlio, ut postea ex Cassiodoro docebitur, ad Burgundiæ regnum, Gothorum tandem auxilio, rediit.

Clodomirus Clodovei filius occubuit.

Francorum Reges capillati.

CXXXII. Greg. l. 3. c. 7. Sigeb. & alii. ANNUS CHR. 524. JOANNES Pon. an. 2. m. 9. d. 14.

Triennium hinc effluxerat, cùm pro Hormisda, Romæ Pontifice jam creato Joanne, Theodoricus Rex Austrasiorum, odium quod animo penitùs imbiberat, intervallo tandem in perjurum Herminefridum explicuit; multiplicesque injurias Thuringorum in omnium ordinum ætatumque Francos, severè quidem ultus est. Quippe assumpto Clothario fratre, & Theodoberto filio, paratissimas in Thuringiam copias eduxit: Superatis autem quæ objecerat Thuringus, cæcarum fovearum impedimentis, è vestigio captus idoneus conserendo prœlio locus. Francis verò & ultionis ardore & obnixu corporum universâ sese acie fortiter admoventibus, ubi major, nec jam toleranda vis urgebat, Thuringus patenti fusus campo, passim cedere cædique; quem fugientem ad Onestrudem, Eisfeldiæ fluvius is est, insecuti Franci, tantam ibi stragem eorum edidere, ut armis, equis, virisque velut obseptus amnis, calcanda sine ponte terga præberet, debilitatisque & fractis Thuringorum viribus; tota mox ditio victoribus præmium accederet. Atque hujus magnitudinem cladis vel hinc æstimes licet, quod Thuringici regni excidium unâ secum velut ruinâ traxit; revulsâ ceu à stirpe Basini Regis prosapiâ, captâ quoque non ignobili regiâ, & gazis conditisque thesauris ablatis, exustâ. Interiere variis attriti non uno tamen loco vel die casibus, Hermenefredus Basini filius, interfecto Berthario fratre nobis antea memoratus: hujus item filius Hamalafredus, qui prœlio captus; seu sponte post in Orientem profectus, seu Francorum Regum jussu, relegatus est. Amalaberga Bertharii conjux ejúsque filius, quem innocentem primo juventæ flore raptum, flebili carmine Venantius Fortunatus ex persona Rhadegundis germanæ sororis, quæ & Bertharii Regis filia, deplorat.

Austrasiorum altera in Thuringos expeditio.

Thuring. exitiale prœlium.

Thuringici regni excidium.

Thuringi Reges cum stirpe aboliti.

CXXXIII. S. Rhadegundes unica superstes Thuringicæ cladi.

Cæterùm Rhadegundes teneris annis puella, Clothario Regi captiva sorte obvenerat; quare in Veromanduos amandata, villa Atheias regificè habita, & optimis imbuta moribus, regali connubio tandem est seposita: quam in rem evocata Suessiones Clothario licet invita, tandem se sociari permittit. Hinc impetratâ missione, postquam à S. Medardo Noviomi Christo consecrata est, apud Pictavos, monasterio sibi constituto, ea subinde spreti sæculi, ac præclarissimæ sui victoriæ exempla dedit, ut integritatis, abstinentiæ, ac misericordiæ gloriâ prædicabilis, famam cœlo æquaret. Quæ quidem omnia Venantii Fortunati studio innotuere posteris, cæteroqui oblivionis injuriam non evasura. Illius de Thuringiæ regni excidio poëma ex Trevericis monumentis erutum olim publicavimus, quo S. Rhadegundes sic inducitur loquens:

Venan. Fortun. in vita S. Rhadegundis, & poëm. de excidio Thuringiæ.

Conditio belli tristis, sors invida rerum,
Quam subito lapsu regna superba cadunt!
Aula palatino, quæ floruit antea cultu,
Hanc modo pro cameris mœsta favilla tegit:
Quæ steterant longo felicia culmina tractu,
Victa sub ingenti clade, cremata jacent.
Ardua quæ rutilo nituêre ornata metallo,
Pallidus oppressit fulgida tecta cinis.
Missa sub hostili domino captiva potestas
Decidit in humili gloria celsa loco.

Thuringiæ Regum avitus splendor & antiquitas.

Regia stirps captiva.

Mox deinde atrocitatem Thuringici prœlii attingit:

Heu malè texerũt inhumata cadavera cãpum,
Totaq; sic uno gẽns jacet in tumulo.
Non jam sola suas lamentet Troia ruinas:
Pertulit & cædes terra Thoringa pares.

Posthæc captivitatis mœrorem sollicitans, flere pergit:

Hinc rapitur laceris matrona revincta capillis,
Nec laribus potuit dicere triste, vale.
Oscula non licuit captivo infigere posti,
Nec sibi visuris ora referre locis.
Nuda maritalem calcavit planta cruorem,
Blandaq; transibat, fratre jacente, soror.
Raptus ab amplexu matris puer ore pependit,
Funereas planctu nec dedit ullus aquas.

Prosequitur inde de matris germanique casu, & Hamalafredi in Oriente mora; quæ longum sit hîc omnia nectere.

CXXXIV. Hermenefredi Thuringiæ Regis interitus.

Cæterum Hermenefredum prœlio casu, an fugâ superstitem, Theodoricus Rex, cùm ad se, datâ fide securum venire jussum, Tolbiacum invitasset, fortè obeuntem cum Theodorico oppidi mœnia, fuit, qui nec opinantem ex alto præcipitem daret; quo casu elisus & afflictus, simul animam inhospitali solo Rex effudit.

Dum hæc in Thuringia geruntur, interea rumor apud Arvernos increbuit, Theodoricum occubuisse prœlio; qua de re per Arcadium Arvernum senatorem Childebertus frater admonitus, urbem eam properè occupatum it, de consilio Arcadii; diffractisque portæ repagulis, intromissus, ubi sospitem rediisse Theodoricum fama nunciat, urbe è vestigio relictâ, sororis Crotildis vindicandæ, expeditionem in Hispaniam extendit.

CXXXV. ANNUS CHR. 525. Sigeb. in Chron. Greg. l. 3. c. 11. & 12. Marcellin. Chron.

Inter hæc Joannes Pontifex Romanus, cùm Theodorici Gothorum & Italiæ Regis importunitate; Probo & Philoxeno Coss. Justinum Constantinopolim adire cogitur, plenus gloriâ & sanctitate, inde anno sequenti reversus, Theodorici Arriani fraude, carceris squalore periit, ac pro ipso Felix tertius Romæ iniit.

ANNUS CHR. 526. FELIX III. Pon. an. 4. m. 2. d. 18.

Porrò Childebertus Rex Francorum, adjuncto sibi Clothario fratre, rursus in Burgundiam inferre se jam tunc parabat, ejus expeditionis socium optans Theodoricum. At

Digitized by Google

is, quòd cogitationes aliò jam averterat, arma conferre, proficiscique cum fratribus omninò recusavit. Consilium Theodorici, ut immobili pervicaciâ, pauci probabant. Nec deerant, qui palam jactarent, ni fratribus jungi tandem animum induceret, ipso præterito despectoque, expeditioni Burgundicæ non defuturos. Veritus ergo suorum defectionem Theodoricus, Arvernos, qui ipsius tunc potestatis erant, in partem convocatos, promissis onerat; impellitque, ut se secutos quocunque duceret, bellum transferre ne pigeat, præmiaque proponit & ampla spolia, quibus, si pareant, onustos in patriam redituros. Clothario igitur ac Childeberto, prœliis in Burgundia prosperè factis, obsessoque Augustoduno, & Rege Gundomaro in fugam acto, universam insuper regionem, suam in potestatem ditionémque redigentibus, Theodoricus in Arvernos cum suis profectus est; castrisque ad urbem positis, suburbana militi diripienda permisit. Ex his nonnulli licentiâ militari, cùm ne à sacris quidem manus abstinent, divorúmque Basilicas illatâ vi profanant, repentè ab immundis spiritibus correpti, in eam rabiem conversi sunt, ut infestis se morsibus canum ritu lacerantes, crudelissimas de se ipsi pœnas violatæ religionis exposcerent. Urbs atque ipsa tecta Arvernorum Quintiani Episcopi sancto defensa præsidio, excidii cladem evitàrunt. Namque cum mœnibus victor potitus esset Theodoricus, dementatus & ipse, ac mox B. Quintiani ope mirabiliter restitutus, temperavit à clade, edixitque ne cui, intra octo millia passuum, injuria fieret. Inde formare civitatis statum ingressus, Sigivaldum propinquum suum urbi præfecit; spoliorum verò, præter vacuum & inane solum, quod quidem efferre non poterat, nihil Arvernis reliquum fecit.

Theodoricus Rex apud Arvernos victor ob templa violata punitur. *Greg. hist. Fra. loco cit. & in vita B. Quintiani. vita Patrum c. 4. apud Surium 13. Novemb.*

Milites sacrilegi à dæmone correpti vertisque in rabiem.

CXXXVI. ANNUS CHR. 527. Anni incipiunt numerari à Christo nato. *Cassiod. de divinit. lect. c. 23. Beda de temp. c. 25.*

Annus inde Dionysianus prodiit, Mavortii Consulatu insignis; quo, Dionysius Exiguus, abbas Romanæ urbis, abundantissimi ingenii laude, novâ supputandi ratione, cyclum suum Paschalem exorsus, annos hinc ab Incarnatione Domini numerare cœpit. Cùm Theodoricus sub hæc patrata, ut erat eximio in rem Christianam studio, Trevirorum Ecclesiam, adductis è civibus Arvernis quàmplurimis præstanti religione clericis, excolendam suscepit. Hos inter vitæ sanctimoniâ cumprimis postea enituit Nicetius, magno ob famam sanctitatis apud summos infimósque juxta in honore. Hic Gregorio Turonensi autore, clarissimis ostentis, quod vivendi genus in posterum sequeretur inter ipsa nascendi cunabula prodidit: nam, cùm ederetur in lucem, calvo quidem, ut mos nascentium, capite prodiit, attamen raris in orbem pilis, ad eum modum insignito, ut non obscurè coronam clerici, ipsa natura in vertice pueri describeret. Pueritiam primámque adolescentiam per omnem honestarum artium cultum exegit; quibus ab ætate prima decursis, monasterii Lemovicensis, ut opinor, Abbati à parentibus in disciplinam traditur; cujus acri vigilantiâ, tantos brevi in schola virtutis progressus habuit, illi, ut è vita exempto, omnium consensu deinde sufficeretur. Quo in munere Nicetius tam se moderatum præstitit, partim in subjectorum officiis exigendis, erratisque puniendis, partim in subjiciendis ad omnis virtutis pulchritudinem exemplis; ut in dies ad majora nitentibus alumnis suis, non ornamento magis quàm præsidio esset. Porrò apud Theodoricum Regem fama virtutis summam ei venerationem gratiamque peperit; quam ex eo capite etiam crevisse perhibent, quòd omnes adulandi caussas procul haberet. Quare nec regiis auribus unquam ipse serviebat; sed potiùs liberè palamque monebat, sicubi deliquisset; castigatusque Rex ipsius oratione fiebat emendatior. Nicetium verò per hoc maxime tempus in hominum fuisse sermonibus, cùm passim Gregorius Turonensis, tum perspicuè Sigebertus in anno quingentesimo duodetrigesimo, docet.

Treverensis Ecclesia Theodorici studio à clericis Arvern. excolitur. *Annal. Franc. & Greg. Turo.*

Et his B. Nicetius in honore esse cœpit. *Greg. in ipsius vita, & Beda in Martyrol.*

B. Nicetii educatio.

B. Nicetius Abbas Lemovic.

Nicetii apud Theodoricum Regem authoritas.

ANNUS CHR. 528. *In ipsius vita & hist. Franc.*

CXXXVII.

Vibicius etiam Trevirorum Pontifex, hisce diebus terrâ relictâ, cœlestium numerum auxit; quinto Novembris, Confessoris memoriâ colendus. Ejus loco suggerunt Antistitem veteres Episcoporum indices * APRUNCULUM; cujus nominis complures in Gallia floruerunt Episcopi.

APRUNCULUS XX. ARCHIEP. 46. EPISC. * *al. Abrunculus & Aprunculus. Greg. l. 3. c. 24. & Aim. l. 2. c. 3.*

Quo tempore Mundericus civis Arvernus, qui se propinquum Theodorici ferebat, sollicitatis ad defectionem Arvernis, novo bello faces subjecit. Hic enim, cùm dominationis immodicus Arvernorum possessionibus cupidiùs inhiat, quòd sibi peræquè vellet, ac Theodorico regnum istic deberi, nonnullis in partium suarum studia allectis, ex Arvernis civibus; collectâque non exiguâ manu agrestium, impetu repentino castrum Victoriacum adortus, summâ vi expugnat. Hic re Theodoricus acceptâ protinus occurrens, ne quoquam evadat hostis, castrum coronâ cingit; inde ubi Argisili artibus Mundericum flexit, ut Victoriacum, fuorúmque capita, dederet, adductum, contra sacramenti fas percuti jussit; bonáque ejus omnia proscripta in publicum addici. Sed cùm pro magnitudine animi, jus & injuria externa Theodorico curæ sunt, interea domesticum sanguinem nec fideliter retinuit, nec constanti pietate coluit. Ipse namque & Childebertus, etsi fraternæ necessitudinis adhuc memores, concorditer gentibus jura darent, stimulante tamen cœcâ cupidine latiùs imperitandi, usque adeò diffidere paulatim cœpêre, ut, sublatis naturæ legibus, & ortûs obliti sui, infestis nonnunquam exercitibus concurrerent, & finium proferendorum, ut quotâ nimirum terrarum parte gauderent? mutuis cædibus fraternum sanguinem provocarent.

ANNUS CHR. 529. Arvernorũ cõtra Theodoricum regem rebellio.

Theodorici & Childeberti fratrũ regum discordia.

CXXXVIII.

Cæterùm malorum fastigio, cum bellum & fœdera alternâ vice versant, interea aliò atque aliò distracti obsides, primæ nobilitatis ex juventute utriusque regni. In his Attalus fuit nepos B. Gregorii Lingonum Episcopi, cujus memoriam asserti, ob liberatoris eximiam caritatem, celebravêre majores. Hic igitur ad Treviros deductus, in barbari civis mancipium venit, cujus inclementiâ ad equorum custodiam, vile quidem & servile munus adolescens ingenuus, ac cumprimis ortu splendidus damnatur. Gregorius autem ubi Treviris nepotem acerbius exerceri, & tristiorem morte servitutem servire comperit; mox cum muneribus literisque mittit in Treviros, qui

Attalus Lingonensis servit apud Treviros. *Gregor. Turon. l. 3. c. 15.*

oblato

oblato precio nexum redimant, atque è servitute ereptum sibi liberum domi sistant. At barbarus, spreto munere, ceu viliore, adolescentem pronunciat eo loco ac genere, decem, non minoris auri libris, manu missum iri. Illis igitur, irrito itineris labore redeuntibus, Leo, qui antistiti erat à parandis cibariis, Attali conditionem miseratus, tale consilium restituendi adolescentis expedit. Rogat inprimis beatum Gregorium, ut se hujus rei causâ abesse sinat, effecturum pollicitus, Deo benè favente, brevi, ut incolumem ac reducem nepotem, ipse videat. Factâ abeundi potestate, ubi ventum in Treviros, clam juvenem, insciente domino, abducere pertentat; at conatus is postquam irritus, venalitium semetipse cum infimis precibus offert, stipulatus ab hero, ut servum emptor se gratis accipiat; ac mox versurâ quæsito compendio, alteri, quem nominaturus esset, venundet. Annuente emptore, ilicò venitur ad ædes barbari. Ille oblatum sibi mancipium intuitus, solenne illud; ecquid operis nosset; quo, se condiendis epulis scitissimum, respondente, ita ut regio quoque palato sufficiat, aureos statim decem pro precio paciscitur, & novum sibi servum asserit. At hic artis suæ præstantiâ mox domino probatus; habitusque ob fidem benigniùs, rei familiaris administrationem universam promus condus adit. Quo in munere, cùm item fidelis operâ famuli constat, eâ domino fiduciâ, ac servo securitas paulatim crevit, ut spem herilem fugæ consilium exciperet. Annus jam diésque; quam plurimi, in ejusmodi voluntaria servitute, consumpti, cùm Attalum ad solitam equorum curam in prata vicina tendentem, postremum adit Leo, & petitâ silentii fide, fugæ vias aperit. Attalus nil recusat, tam tristis miseræque sortis jam pridem pertæsus. Quare nacti ambo tempus idoneum, quo convivio nimirum frequenti se barbarus herus hilarabat; sub noctis silentio arreptis armis, scuto & hastâ trepidi se dant in viam, ubi ad Mosellam amnem, summâ celeritate ventum, imminere à tergo, qui iter institutum abrumperent; at illi, animadverso periculo, dimissis repentè equis, & veste, parmâ modò sustentati, credere se flumini, atque per noctis silentium, in proximum abdi nemus. Tertia jam nox fugitivos oppresserat, crescebátque cum terrore fames, quam tamen internata spinis silvestria poma sedabant. Ergo confirmatiores, eximente paulatim ipsâ die metum, carpere pergunt viam; sed ecce tibi in ipsa salutis janua, major ac validior trepidatio, ex advolantium sonitu equorum, cùm Dei nutu, fortè rubi oblati densioribus ramis excepti, fefellêre transeuntes. Sublato igitur omni metu, & opinione demptâ supremi periculi, Rhemos perveniunt tandem incolumes; ubi à Paulello noto presbytero, hospitaliter habiti, non sine fausto omine sperati, acceptique beneficii: siquidem sacerdos is per quietem, par columbarum advolare, & in manu sua tandem confidere viderat, Lingones ad extremum sospites ambo reversi; incredibile memoratu, quantâ Gregorii Antistitis gratulatione. Is sanè Leonem pro gratia tanti meriti, fideique libertate donatum, quæ tunc Episcoporum opulentia fuit, agris insuper & prædiis, cum tota familia cumulavit, & locupletem ex egente fecit. At facilè Attalum hunc ad sanguinem retuleris alterius Attali Comitis Augustodunensis; quem * Apollinaris Sidonius Æduæ civitati præfedisse testatur. Sanè Gregorius Turonensis, de Lingonico hoc Gregorio affirmat in ejus vita, Comitatum Æduensem ante cathedram Episcopalem annis rexisse XL.

Leo magna caritate cocus.

Gregorii Lingonen. Episcop. & Attalorum dignitas.
Lib. 5. ep. 18.

CXXXIX.

ANNUS CHR. 530. BONIFACIUS PONT. an. 1. d. 2.
Cassiod. l. 9. ep. 15.

ANNUS CHR. 532. JOANNES II. PONT. an. 2. m. 4. d. 6.

B. Nicetii Pontificatus exordia in hæc tempora debent conferri

Trevirensiû Episcoporum MS. indices castigantur.

* APONOCULUS.

* Apruncuculus & Aponoculus non videntur sejungendi.

Annus inde quingentesimus trigesimus Pontificem edidit Romanum Bonifacium, qui cum Dioscorum gravem adversarium sustinuisset, annum modo in amplissimo munere versatus, humana destituit, Joannem secundum relinquens successorem. Neque non abfuit propè ab his temporibus Nicetii præcellentissimi Trevirorum Antistitis Episcopatus; quem certis licet annis non includant, omnes tamen omnino veterum literæ cum Theodorici extremo regni tempore jungẽdum suadent. Atque hinc etiam Trevirensium Pontificum indices, qui Nicetium Rustico postponunt; vulgò fallere, perspicuum est. Etenim Rusticum emersisse demum, Sigeberto Rege, S. Goaris acta, clariùs pervincent. At verò, Rustico jam alium in locum relegato, uti planè id faciendum apparebit, ecce tibi concurrent, APRUNCULUS & *APONOCULUS; quos equidem persæpe diversos non esse, tum ita geminâ literarum similitudine; tum obviâ passim ejusmodi depravandi copiâ permotus, imbiberam: sed quia tabularum nonnullæ tamen Aponoculi nomen retinebant; sustinere me, nec litem perorare volui, donec clarior aliunde testificatio vel fides alluceret.

CXL.
Greg. Tur. l. de vita prim. c. 6. in vita S. Galli Arvern. Episc.

S. Gallus Arvernus nobili genere; quomodo à Treviris electus Episcopus.

Vectius Epagathus.
Euseb. lib. 5. hist. Eccl. c. 1.

S. Gallus in Austrasia populis convertendis laborat.

Apruncuculus itaque, cùm ad vigesimum secundum Aprilis, quem ille sibi diem in fastis assignatum habet, in lucem sempiternam emigrasset, civitas Treverica de novo substituendo Pontifice, consilio habito, in Gallum denique ex nobilissimo Arvernorum urbis senatore, excellenti virtute monachum, oculos convertit. Is maternum genus ciebat à veteri ac nobili martyre Vectio Epagatho, quem narrat Eusebius illustri prosapiâ sub Antonino Vero, Lugduni, gloriosum pro Christi nomine certamen obiisse. Nec Treviris obscura hominis virtus, quem civitate Agrippinæ norant, vicinisque Austrasiorum in urbibus, à Theodorico accersitum; haud pænitendam in re Christiana operam navâsse, & gentium complures, ab tetra idolorum servitute ad Christi flexisse cultum. Treviri igitur odore virtutis icti, quem offundebat suavissimum rectè factorum magnitudine, missis ad Theodoricum Regem legatis, Gallum præ cæteris sibi dari Pontificem, precibus omnibus exposcebant. At Theodoricus, quòd viri sanctitatem nimioperè coleret ipse, in præsentia renuit certè; quemlibet alium deligendi factâ clero populóque potestate. Quare non morati diu Treviri, quem monasterii rudimentis apprimè probatum in clero norânt, integritatis expertæ virum, hunc esse jubent sibi Pontificem. Is NICETIUS erat, lux futurus & sidus hujus Ecclesiæ; collapsæque veteris Trevirorum dignitatis columen unicum & instaurator. Ejus ingens apud Reges autoritas, & opum

S. Gallum Treviri postulant Episcopum.

S. Nicetius eligitur.

NICETIUS ARCH. XXI. EPISC. 47.

& opum splendor, super vitæ sanctimoniam cumulata, patriæque ac nominis tanta cognatio, sæpè sollicitant ut credam, propinquum eum fuisse magni illius Nicetii Arverni, quem Apollinaris Sidonius, insigni effert præconio: *Flavius Nicetius vir ortu clarissimus, privilegio spectabilis, merito illustris, & hominum patriæ nostræ prudentiâ peritiaq; juxtà maximus*, de quo sanè literis iisdem docemur floruisse Asterio & Protogene Coss. quo tempore Sidonii pater Prætoria Galliarum rexit; ut non immeritò is, post ingentia Nicetii præconia, ob consiliorum prudentiam, autoritatem, & eruditæ facundiæ palmam, Galliæ tribunalia, patrisque Præfecturam fateatur Nicetiano consilio sublevatam & adjutam. Denique illustris familiæ & hæreditatis Nicetianæ, sunt ambo laudatores Arverni, Gregorius Turonum, & C. Sollius Sidonius Episcopi. Nec desunt, qui Nicetiorum familiam scribunt nomen dedisse Burgo, quem in Arvernia superstitem hodiéque vulgus NICER appellat; quémque fundis Ecclesiæ Claromontensis sive Arvernensis accensent. Porrò, quo omnia testatiora posteris ea sint, quæ de Nicetii Pontificatûs exordio, prodidêre majores, Gregorio hæc Turonensi potiùs, quàm mihi credi postulem; qui Nicetium adolescens tum fortè senem videre potuit. Ejus hæc verba sunt: *Tunc etiam Aprunculus Trevirorum Episcopus transiit. Congregatúsque clerus civitatis illius ad Theodoricum Regem adiens, S. Gallum petebat Episcopum. Quibus ille ait: Abscedite, & alium requirite; Gallum enim Diaconum aliò habeo destinatum. Tunc eligentes, sanctum Nicetium, Episcopum acceperunt.* Cæterùm Aprunculus in D. Paulini Basilica conditus, propter odei vestibulum in ipsa B. Clementis ara hunc habet titulum:

Nicet. genius lib. 8. ep. ad Nammatium.

Fl. Nicetius V. illustris.

Floruit anno 449.

Apollinaris Præf. Præt.

Nicetius ejus Adsessor Orator.

Nicetiana familia.

Adi Io. Savaro ad epist. l. 1. 3. Sidonii.

Nicer burgus in Arvernia.

In vita B. Galli, qua in Iulio apud Surium.

Clerus hoc etiam tempore legit Episcopum.

HIC IACET S.ᴬ RECORDATIONIS ABRVNCVLVS HVIVS SANCTÆ SEDIS ARCHIEPICOPVS. CVIVS DEPOSITIONIS DIES X°. KAL. MAII. OBSERVATVR.

Posteriori tamen ævo, Sprinckirsbachensi, tum surgenti monasterio Aprunculus, magnâ ac præcipuâ sui parte illatus; ibi venerabilem in altarium maximo affabrè facto loculo inclusus, sedem quietis habet; patrocinii prærogativâ, non sine notis Divi mira patrantis, ad eum traducta locum.

S. Aprunculus monast. Sprinckirsbachensi conditur.

FINIS LIBRI QUINTI.



R. P.

CHRISTOPHORI BROWERI
SOCIETATIS JESU,
ANNALIUM TREVIRENSIUM
LIBER VI.

ANNUS CHRISTI 531. 532. 533. NICETII TREVIR. EPISC. 2. 3.
JOANNIS II. PAPÆ 1. 2. THEODORICI AUSTR. REG. 18. 19. 20.

I. ICETIUS sive ex Arvernis, seu Lemovicensi monasterio, interea Regis decreto, & summâ cleri populique Treverici voluntate accersitus in Treviros. Et, quia in hac civitate ordinatio parabatur, additus à Theodorico comitatus virorum summo in regia honore principum. Necdum urbem erant ingressi, cùm propinquos tamen sole cadente, nox occupavit. Quare diversorio ibi propè nullo, cùm fixis tentoriis mansiones sub dio locant, fuêre, qui laxatos confestim equos, militariter in segetes pauperum, immitterent. Ubi tum Nicetius, subeunte miseratione pectus, per summum animi ardorem, dicto citiùs pecus abigi jubet; ni pareant, anathemate illigatos sermone congressuque suo ilicò carituros. At illi, suffusâ jam conciti bile; rei quid istuc esset, quidque sibi sumeret; adhuc Episcopum non esse; apicem nondum contigisse, & anathematis minas jacere? Contra, denunciare Nicetius; Regis se quidem autoritate avulsum à monasterio, onus, quod humeris immineat, exploratâ jam numinis voluntate, recusare non posse; commissurum interim nunquam, ut Regi ejùsque clientibus quicquam contra fas, se dissimulante, patrare liceat. Et mox gradum concitans, dominis inspectantibus, equos ipse terret; agit, & pabulo damnoso prohibet. Atque hæc levis quidem argumenti, digna tamen Nicetio præludia, ad igneum illum apostolici spiritûs impetum, quem semper in vita tulit, prodendum; non sui magis quàm regum, tyrannorum, Satanæque victor, ac dominus. Deductus ad urbem, atque in solium de more receptus; ecce tibi rem miram; cervices tanto mox onere premi sentit; ut clam iterum atque iterum manu pertentans, ambigeret ecquid ita caput dejiceret & oneraret; tandem dextrâ levâque converso capite, cùm mirificus odor raræ cujusdam suavitatis illinc afflâsset, subiit mox, oneris suscepti magnitudinem, atque ejus gerendi difficultatem, divino sibi miraculo portendi. Magistratum verò simul atque ingressus est, præ spiritûs insiti vehementia, tam se formidabilem cunctis præbuit, ut paulò graviore se scelere astringentibus, & Dei jussa aspernantibus, cœlestis iræ minas denunciaret, mortemque illis certissimam atque præsentem, haud inefficax aut falsus vates, prædiceret. Jam verò, in omni pontificatu suo ad paupertatis tollendas extremas ærumnas, incredibili animi pietate semper incubuit; cùm & extorribus exsulibúsque benignè subveniret; & captivos liberalitatis obsequiis omnibus coleret, & pauperum inopiam munificè sublevaret, rogantibus etiam in trivio stipes, escas cæteráque victûs necessarii subsidia, largiter impertiret. Adhæc ruinâ stratas, & ævo collapsas ædes sacras, haud minore curâ ac magnificentiâ ad priscum quoque decorem revocabat; munimentis etiam Ecclesiæ adversus vim hostium exstructis.

Nicetius in Treviros veniens specimen edit Episcopalis authoritatis.

B. Nicetii libertas & severitas in castigandis improbis.

Muneris pontificii quantum onus sit, Nicetio divinitus ostenditur.

B. Nicetii virtutes.

Porrò Theodoricus Rex, quanquam multa hactenus documenta egregii principatûs ediderat, clarissimis tamen laudibus suis aliquas quasi sævitiæ maculas offudit. Desideratum enim Virdunensem Episcopum, virum sanctum atque innocentem, Syrivuldi adulatoris concussum primò calumniâ, & mox eversum, per hosce dies non contentus spoliâsse Pontificatûs honore & facultatibus, variis insuper ærumnis atque suppliciis affectum, relegavit. Inde ubi annus post Christum natum trigesimus tertius accessit, cùm undeviginti jam annis regnâsset in Austrasia, crebraque cum Gothis in Aquitania, Theodoberti filii ductu, bella gessisset, denique Amalasuentæ potentis tum Italiæ Reginæ, quæ post Theodorici Gothorum Regis obitum cum filio Athalarico puero, imperium ibi acceperat, arma, in caput suum provocavit; quorum vim priusquam experiretur, in ipsius Gothici belli adparatu exstinctus est; quod, licet à Gregorii Turonensis opinione, & omnium eorum discrepet, qui viginti tres annos & ampliùs eum regnâsse produnt, ac triennio vel biennio altiùs regni exordia repetunt, Cassiodori tamen Senatoris victi quondam sententiâ, prætulimus, qui sanctitate morum doctrinâque suâ squalentem pænè sub barbaris Romanum senatum, hoc tempore præsertim illustravit. Is itaque felicitatem attollens regni Amalasuentæ: *O sæculi*, ait, *beata*

II. Theodorici Regis vitia. Greg. Turon. l. 3. c. 14. & 35.

Desideratus Viridunēsis Episcopus.

Greg. Turon. l. 3. c. 35.

ANNUS CHR. 533.

Amalasuenta & Athalaricus in Italia.

Greg. l. 3. c. 31. Aimo l. 2. c. 14.

Theodoricus aliis 23. aliis paucioribus annis regnavit, priores citiùs annos regni numerant.

Baronius hic finit, orsus ab an. 514. cum Amoi. &c. Consule Baron. tom. 7. ad an. Domini 530. Lib. XI. ep. 1. ad senatum.

fortuna, sub principe feriato matris regnat affectio: per quam totum sic peragitur, ut generalis nos tegere caritas sentiatur. Huic gloriosum præstat obsequium, cui omnia serviunt; & mirabili temperamento concordiæ, antequam possit populos regere, suis jam cœpit moribus imperare. Hoc est profectò difficillimum regnandi genus, exercere juvenem in suis sensibus principatum. Rarum omninò bonum est, dominum triumphare de moribus; & hoc consequi in florida ætate, ad quod vix creditur cana modestia pervenire.

III. ANNUS CHR. 534. AGAPITUS PON. an. 1. ferè. Jornand. lib. de rebus Geticis. Paul. Diac. l. 17. ad hist. Eutropii.

Hæc sanè de Athalarici imperio; quod tamen annos octo solummodo nixum ejus humeris, sequenti proximè, concidit; quo D. Agapitus, eximius Pontifex, sedem Romanam, & Theodohadus Italiam obtinuit. Cassiodorus tamen, ut dicebam, indictione XII. Theodorici Regis nostri mortem, cum Amalasuentæ & Athalarici prosperis successibus contexens, disertè rem eam totam explicat. *Franci etiam, tot barbarorum victoriis præpotentes, quàm ingenti expeditione turbati sunt? Lacessiti metuerunt cum *nostris inire certamen, qui præcipitatis saltibus, prælia semper gentibus intulerunt. Sed quamvis superba natio declinaverit conflictum, vitare tamen proprii Regis nequivit interitum. Nam Theodoricus ille diu potenti nomine gloriatus, in triumphum principum nostrorum, languoris potiùs pugnâ superatus, occubuit: ordinatione, credo, divinâ, ne nos aut affinium bella pollurent, aut justè productus exercitus, vindictam aliquam non haberet. Macte * procinctu Gothorum, omni felicitate jucundior, qui hostem regalem capite cadis, & nobis nec unius ultimi facta subducis. Burgundio quin etiam, ut sua reciperet, devotus effectus est, reddens se totum, dum accepisset exiguum. Elegit quippe integer obedire, quàm imminutus obsistere: tutiùs tunc defendit regnum, quando arma deposuit. Recuperavit enim prece, quod amisit in acie.*

* al. procinctus

IV. THEODOBERTUS REX AUSTRASIÆ an. 14.

Novemdecim igitur summû annis à Theodorico in Austrasiæ regno confectis, filius Theodobertus sceptra patris successor accepit; vir, si demas initia regni, omnibus animi & corporis virtutibus, sed bellicâ fortitudine & religione cultâ, præcipuè memorabilis. Porrò, ex quo magis etiam ratio temporum horum constabit, ipsius sanè Theodoberti Regis voluntate nutuque anno postero, sexto Iduum Novembris, post Consulatum Decii Paulini junioris, Synodus Episcoporum Galliæ Arverni habita; ad quam B. etiam Nicetius, cum duobus provincialibus Episcopis, Grammatio Metensium, & Desiderato Virdunensi, qui Ecclesiæ suæ tunc Theodoberti clementiâ redditus, accessit: ibique, cùm multa graviter prudentérque de re Ecclesiastica probè gerenda, & disciplina cleri conservanda, decreta; tum placuit etiam inter alia patribus, ut Pontificatus honor, quem frequens ambitus, eo tempore fœdabat, non votis posthac magis quærerertur eligentium, quàm digniorum meritis. Sacerdotum quoque cœlibatus atque pudicitia, severis legibus astricta. Atque hæc tum acta apud Arvernos; qui Theodoberti Regis etiam parebant imperio. P. C. Paulini junioris, ut actis Synodi præscribitur; utique ejus, qui ex Deciorum stirpe à * Cassiodoro laudatus, hujus nominis unus fastos occupavit; quique à Baronio cùm Junior appellatur, respectu superioris cujuspiam, non insequentis id accipiamus oportet; nisi cum eodem, Paulinum Juniorem alium, fastis ignoratum, ex actis Synodi Aurelianensis eruamus.

ANNUS CHR. 535. Tom. 2. Concil. Paulini Cõsulatus in 7. an. protractus, dubiã facit chronologiam. Synodus Arverni habita, aliis an. 538. vel 541. S. Nicetius interest Cõcil. Arvern. Greg. in vita S. Galli, & Cassiod. l. 12. variarum. Arvernense Concilium ambitum castigat sacerdotiorũ.

Lib. 9. var. epist. 22. & 23. Est Consul.

V. Theodobertus Rex, cum scandalo adulter.

Cæterùm memorat de Theodoberto Gregorius, Wisigardi à Theodorico patre illi desponsatæ conjugi Deuteriam Biturigem, eximiâ specie ac pulchritudine mulierem superinduxisse, atque ejus marito profugo, justæ uxori antetulisse adulteram. Id cùm non falleret Nicetium, & Theodobertus apud Treviros ageret non rarò, ob loci cùm amœnitatem, tum famam, & multiplex, quod ibi extabat, Francicæ victoriæ argumentum, non dubitavit Nicetius hoc fidentiùs curationem aggredi; quo majore contagio flagitia plura cerneret in ejus aula vulgari, & exempli fœditatem in oculos omnium incurrere. Adit itaque Regem non semel, & liberâ voce tum ob ea, quæ nefariè patrabat ipse, tum quòd perpetrantes non argueret alios, Theodobertum increpat, cujus cùm animum salutaribus monitis, præceptisque nequidquam inflecti sentit, ad extremum omnibus quos obstrictos gravioribus sceleribus norât, communione sacrorum interdicit. Ubi igitur dies adfuit Dominica, quâ die Rex Ecclesiam religionis causâ, de more accedere, & tremendis adesse mysteriis consueverat, fortè in magno Regem per varios usus assectantium grege, unà introière, quos ab orationis, & aliarum religionum commercio Pontifex removerat. Pronunciatis ergo ex veteri Ecclesiæ disciplina sacris lectionibus, ac muneribus super aram oblatis, Nicetius, ut sacris præerat, conversus ad adstantem multitudinem, sacrificium ullum peragi antè posse negat, quàm quos è regia familia communione privasset, hi templi foribus omnes continuò arcerentur. At Theodoberto renitente, neque permittente se, vel familiares suos ab ingressu Ecclesiæ repelli, audita confestim vox pueri à dæmone arrepti, media inter supplicia atque horrendos cruciatus, quæ & sancti virtutes laudibus attollebat, & Regis occulta flagitia palam enunciabat. Episcopum esse castum; regem adulterum: illum timore Christi dejectum atque humilem; hunc amplitudine regni, gloriáque tumidum & elatum: illum proinde ob sacerdotium cum summa vitæ innocentia gestum, præ Rege, Deo ter Opt. Max. longè quidem in posterum cariorem fore; hunc, ni scelerum pœniteat, vel in vestigio ab omnium malorum autore Satana cruciabiliter elidendum. Hanc ad vocem vehementi Rex timore correptus, obtestatur Pontificem, energumenum ut ab Ecclesia prohibeat; cui Nicetius; Atqui homicidæ, inquit, adulteri, incestúque nefario polluti, priùs nimirum arcendi sunt; nec mora, Christus & hunc silere jubebit. Universis igitur, qui sacerdotis sententiâ damnati fuerant, Theodoberti imperio, egredi Ecclesiam jussis, dæmoniacum item ejici Nicetius imperat. At is apprehensâ, quæ juxta fortè stabat columnâ, tam arcto tenacique complexu eam strinxit, ut ne decem quidem viri inhærentem avellerent. Quod Nicetius animadvertens, gloriæ

Nicetii libertas in castigandis Theodoberti & familiarium ejus pravis moribus.

Improbi & nefariæ vitæ Christiani templis olim prohibiti.

Excommunicationis vis, & sacerdotalis autoritas in B. Nicetio.

gloriæ & ostentationis vitandæ, clam sub veste descriptâ manu cruce, mitti obsessum, laxarique jubet. Qui protinus, aliis etiam tum apprehensum in diversa trahentibus, ceu fractis ilicò viribus, concidens, non ita multò pòst, sanus & incolumis surrexit. Peractâ verò jam re divinâ, conquisitus idem diligenter, nusquam inveniri potuit; & unde venisset, quóve abiisset, intelligi verò à quoquam percunctando nequiit. Unde & opinione hominum increbuit, missum divinitus, quo & Regis errata palam faceret, & sancti Nicetii virtutem atque innocentiam magis magisque populo commendaret.

His verò mirificè Treviri patratis rebus, Nicetius tantùm certè in aulico castigando luxu profecit, ut Regem Theodobertum, per vitæ licentioris euntem abrupta, ac plus æquo suorum etiam vitiis indulgentem, ad magnam honestatis frugem perductum, egregiè mansuefecerit, & longiùs progredientem, quasi reprehensionis injectâ securi, de via retraxerit.

VI. Condanes Domestic⁹, qui & Condo, quàm præstans in Austrasia vir.

Porrò Condanis viri præstantissimi virtute sapientiáque, magna palatio per id quoque tempus dignitas morum & disciplinæ gravitas accessit. Is ex regalium Domesticorum cohorte gradatim per aulæ culmina, felicitatis rarissimæ cursu ad summa tendebat, quinque Francorum Regum apud Mediomatricos, Austrasiósve præcipuo favore gratiáque provectus, sub Theodorico militum tribunus, sub Theodoberto comes, & mox Curopalates, sive Domesticus, quem & Domus majorem appellitabant; sub Theobaldo tutor ejus pueritiæ rectórque; sub Clothario rursum Majordomus, sicut & sub Sigeberto, quo regnante, demum plenus gloriâ consenuit. Quam sanè tam illustrem viri memoriam Venantio Fortunato acceptam ferimus, qui ejus de laudibus exorsus:

Curopalates seu Major domus.

L. 7. poëm. 16.

Temporibus longis regalis dives in aula
Enituit meritis gloria Condo tuis.
A parvo incipiens existi semper in altum,
Perq; gradus omnes culmina celsa tenes,
**Theodoricus ovans ornavit honore tribunum,*
Surgendi auspicium jam fuit inde tuum.
Theodobertus enim comitivæ præmia cessit,
Auxit & obsequiis, cingula digna tuis.
Vidit & egregius animus meliora mereri,
Mox voluit meritos amplificare gradus.
Instituit cupiens, ut deinde Domesticus esses.
Crevisti subitò, crevit & aula simul.
Florebant pariter veneranda palatia tecum,
Plaudebat vigili dispositore domus.

*Theodericus

VII. ANNUS CHR. 537. SYLVERIUS PONT. 2. 3. & ampl. B. Aredius Lemovix Theodoberti Regis familiaris à B. Nicetio conversus. Greg. lib. 10. hist. Fran. c. 29.

Per eos quoque dies, cùm Sylverius Romæ Pontifex sederet, S. Aredius Lemovix, matre Pelagiâ nobili feminâ natus, cujus ex ore profecta cuncta, quæ hactenus, de S. Nicetio Gregorius Turonum Episcopus retulit, ad B. Nicetii familiaritatem ac vivendi disciplinam adjunctus est. Hic Theodoberto Regi, ut inter honorarios ephebos & palatinos serviret, à parentibus olim traditus, fortè Treviris cum Rege aderat, quando juvenem in palatio conspicatus Nicetius, simul præclara quædam virtutis atque bonæ indolis indicia emicare, ex ipsius vultu ac fronte pernovit; eum ut se sequeretur cohortatus, facilè ad omnia honesta jam sponte euntem impulit. Aredius itaque mortalibus rebus caducisque spretis, Treviris vitam perfectiorem inchoavit, quæ Nicetii curâ, majorem in modum ibi tunc exculta, refloruit. Narrat enim Gregorius, cellam ingressos Episcopum & Aredium, sermones de rebus divinis habuisse provocandæ pietati: atque ibi adolescentem virtutis ac sanctitatis admiratione captum, vehementer expetiisse à Nicetio, ut se vitæ morúmque præceptionibus imbueret, & unà literarum sacrarum studiis erudiret. Cúmque in hac optimarum artium flagrantia perdurat Aredius, ad clericorum ordinem, denique tonso jam capillo, aggregatum. Atque ibi tum comprobandæ juvenis sanctitati, rem accidisse ejusce modi. Convenientibus de more ad psallendum in æde sacra clericis, advolâsse è propinqua camera leni remigio columbam, & mediis psallentium intulisse sese choris; inde rectâ ad Aredium, ubi in gyrum complosis alis se priùs egisset, super caput ejus resedisse demum immobilem. At illum, ceu pudore suffusum deprehensæ virtutis, abigere eam conatum, sed frustra; cùm rejecta avis iterum atque iterum circumvolans, vel caput, vel humeros appeteret, & seu domi seu foris ageret, per plurimos inde dies, adolescentis assiduè latus stiparet. Quod sanè tam rarum atque evidens ostentum, gratiam divini spiritûs adolescentis animo affusam supernè, docebat; quanquam ejus deinceps nominis fama, insigni quoque miraculorum gloriâ, ac laude sanctitatis longè latéque percrebuit. Certè Venantius Fortunatus; & Aredium Abbatem, & Pelagiam matrem tanti fecit, ut utriusque preces & pia vota carminibus etiam suis lacesseret:

Cleri veteris canonica vita apud Treviros Aredius à S. Nicetio educatur.

Columbæ miraculum, Aredio inhærentis.

Greg. de gloria Conf. c. 93.

L. 5. poëm. 20.

Quæso beate tamen per dulcia pabula Christi
Me quoque commemores, cùm dabis ore preces.
Munera credo Dei tribui mihi, pastor Aredi,
Si Fortunati sis memor almé tui.

Hinc de matre subjicit:

Pro me etiam sanctâ Genitricè care salutans,
Cùm redit iste puer, redde loquentis opem.

Paul. Diac. l. 17. & 18. ad hist. Eutrop. Faustus in vita S. Mauri. Greg. in Dial. S. Benedictus in Italia efflorescit.

Per hæc eadem annorum curricula, insigni tum pietate, ac monasticæ disciplinæ gloriâ, nec non vaticinandi admirabili scientiâ, S. Benedictus effloruit. Is, ubi maturior jam virtutis usu, Cassinum incoluit, sevériores sibi sociísque se secutis leges dedit; scriptísque accuratè regulis, & disciplinâ probè sancitâ, omnibus Occidentem habitantibus cœnobitis præclara absolutáque vivendi præcepta reliquit; quæ, quò latius mox omnem in partem sese diffunderet, Mauri ejus discipuli exemplis institutísque perfectum; quem autor familiæ hoc circiter tempore à Bertigranno Cenomanorum Episcopo rogatus, in Galliam cum Fausto propagandæ religionis ac disciplinæ, ab se dimisit. Atque hæc ordinis D. Benedicti cùm in omni quondam Hesperiæ regione, tum in Treviris præsertim; virtutis omnigenæ læto ac salutari proventu; rerúmque copiâ celebratissimi fuerunt initia; exilia quidem illa atque tenuia, ut omnium fluminum, cùm fontibus adhuc propinqua manant, uberiore ac laxiore mox alveo in cursum solvenda.

Colonias in Galliam deducit.

VIII. B. Maurus S. Benedicti discipulus in Gallia monasticen propagat.

B. Maurus verò, Cenomanorum Episcopi morte immaturâ, spe constituendi in ea regione monasterii depulsus, à Floro excellenti virtute atque prudentiâ dynasta, quo apud Theodobertum Regem is erat loco, facilè impetravit, ut in Andegavensi ditione, apud Ligerim amnem amœno secessu, domicilium locaret, idémque prædiis fundísque necessariis instrueret.

IX. S Theodulphus B. Theodorici discipulus. *Sigeb. ad an. 534. & infra hic de translatione S. Theodulphi ad an. 1240*

S. Theodulphi acta. *Apud Flodoar. hist. Rhemens. Eccl. l. 1. c. 25.*

Sed hoc eodem quoque tempore veterum monachorum sanctitatem vitæque severitatem in Rhemensi diœcesi retulit Theodoricus Abbas S. Remigii discipulus; cujus è disciplina profectus est Theodulphus Abbas, qui in Treviros inde translatus S. Dominici familiæ templum incorrupti corporis sui reliquiis ornat adhuc & illustrat. Mira sunt, nec literis memoriáque posteritatis indigna, quæ de Theodulpho Flodoardus commemorat. Tertium eum Abbatem fuisse Monasterii, quod S. Remigius tribus millibus ab urbe Rhemorum, in nemorosi montis vertice exstruxerat. Natalium splendorem subjugâsse ultimæ servitutis humilitate; monasticæ námque severitatem & disciplinam excoluisse non contentum, juvencis quæsitis & aratro junctis, opus rusticum fecisse; in agresti labore viginti duos annos impigrum & invictum aratorem perstitisse; neque de orationis & Psalmorum pio studio interim detraxisse quicquam, sed pervigilem noctes ipsas sæpè precando fefellisse.

S. Theodulphi mors & elogium.

Decessit nonagenarius, oraculo de felici migratione supernè accepto, &, ut Flodoardus loquitur: *Canitie præclarus, adspectu jucundus, moribus temperatus, charitate plenus, eleemosynis largus, contemptor sæculi gloriosus.*

S. Theodulphi prima translatio; secunda in Treviris non comperta. *Flodoardus l. 4. c. 13.*

Monasterium, in quo quievit, à Clericis post occupatum, & Hungarorum incursione flammis eversum est. Unde Herivæus celebris Rhemensis Ecclesiæ Archiepiscopus, cùm S. Dionysii Ecclesiam extra muros urbis recens exstructam dedicâsset, in eam B. Rigoberti Episcopi & S. Theodulphi Abbatis pignora transtulisse fertur.

X. ANNUS CHR. 538. *Procop. lib. 1. Gothor. hist. Agathias. Evagrius hist. Eccles. Liberatus Diacon. c. 22*

VIGILIUS Pon. an. 18. m. 7.

Anno postero vel paulò seriùs, ardentibus jam tum in Italia contra Gothorum imperium Justiniani armis, Sylverio Pontifici adhuc superstiti, sed Belisarii invidiâ atque suspectione Pataras in Lyciam relegato, Vigilius suffectus.

Arbogasti Presbyteri perjurium

Ad hoc verò tempus, nam annus alioqui certus non proditur, retulero, quod contra perjuros, Theodoberto nimirum regnante, memoriâ dignum Treviris accidit. Arbogastes presbyter è posteris fortè utriusque Arbogastis, quos olim celebravimus, homini Franco litem, qua de causa manet incompertum, intenderat; ac ipso Rege coram, criminando accusandoque injuriam, ut sibi aiebat, illatam, persequebatur; dumque hæc Treviris aguntur, fortè Theodobertus Rex, loca sancta, quæ tum etiam plurima sub urbis ipsius vicis habebantur, supplex & venerabundus obibat;

Theodobertus Rex obit Divorum memorias Treviris

cúmque ventum ad S. Maximini oratorium, ut ignotæ tunc erant genti Francorum litium ambages, ibi tunc, cognitâ causâ, quæstionem Rex decernere, ac jus reddere postulantibus, quasi sub manu cœpit: presbytero verò callidiùs prævaricante, atque inficiando, causæ cognitionem eripiente; tum Rex, idoneæ cognitionis inopiâ, si æqua veraque sunt, inquit, quæ postulas, age verò, super tumulum Maximini Antistitis, quò properamus, sanctissimo sacramento calumniam ejura.

B. Maximinus Trevirensis, perjurii vindex

At ille vanus & intactus ab omni formidine, ubi id & posse se, atque adeo audere respondit, jussus perjurâ dexterâ Divi tumulum contingere; carmen exorsus est. Si falsi reus arguor, aut calumniis inimicum sciens volens ludificatus sum; cujus Divi sepulchrum manibus teneo, ejus me Divi potens pollénsque virtus opprimito. Fremente autem barbaro, & ceu causæ cognitio non rectè foret atque ordine B. Maximino delata, adhuc indignante, ecce, ubi paululum processit, collapsus in vestigio presbyter, & solo illisus, interiit, atque ita perjurii simul & violati numinis gravem sanè debitamque pœnam, manifestis sancti viribus, exsoluit. Laudavit itaque barbarus D. Maximinum jurisjurandi præsentissimum testem, cujus de virtute atque potentia, inexpertus, antè detraxerat.

XI. Archidiaconus Trevir. item ob perjurium punitus à B. Maximino.

Huic non dissimile, quod eodem pæne tempore ac loco gestum, idem autor est Gregorius. Archidiacono urbis adulterii perpetrati crimen inferebatur, excipiente cognitionem S. Nicetio; qui, cùm causam dicere, reo jussisset, is sacramento se ad D. Maximini sepulchrum, quod pia tum consuetudo susceperat, purgari expetiit; atque sic, patefactâ innocentiâ, judicio absolvi. Ingressus itaque primum cryptæ limen, restitit attonito atque stupenti similis; de hinc per ima sensim gradum faciens, ad alterum ostium impune penetrat; cúmque porrò ad exitum properans, tertium accedere tentat, protinus febre arreptus, gradu jam suspenso crimen in discrimine ac vitæ periculo confitetur, orans obtestánsque simul adstantem populum, ut sibi suprema jam omnia merenti metuentíque, vel beati Præsulis, vel Episcopi sui suffragationes pararet. Mox igitur, ut tactus pœnitentiâ susceptum facinus agnovit, in pristinam æquè valetudinem ac gratiam Nicetius eum reposuit.

XII. Purgatio juratorū apud S. Maximini inter canonicas. *C. Presbyter cum 4. seq. d. 4. 4. Valentia 22. diss. 6. q. 7. p. 3. Martin. Delrio. disq. Mag. l. 4. c. 4. q. 3.*

Sollennis eo tempore purgatio apud S. Maximini sepulchrum extitit, qua juratorum discussa fides. Quod explorationis genus, etsi legitimum, cum purgatio canonica jusjurandum fide sacrum recipit, illud hic tamen proprium, quod, qui contra animi sententiam, innocentiæ suæ Deum, præsentémque sanctum Testes appellasset: eum plerunque pœna premeret culpæ comes, & pejerasse coargueret. Maximino singulare itaque hoc fidei justitiæque tuendæ concessum beneficium, ut qui Christi divinitatem, olim adversus Arrianos præclarâ testificatione propugnasset, idem Christi jam testis in cœlo fidelis, eandem impunè violari, perjurio non sineret.

Greg. l. 3. c. 26. 27. Aimoin. l. 2. c. 24.

Juramentum ad SS. reliquias olim usitatum. *Aug. ep. 137. Greg. hom. 32. in Evang.*

Cæterùm Purgatio judicialis per juramentum ad Sanctorum reliquias B. Augustini ætate frequentata Mediolani & Nolæ, tum etiam Gregorii Magni tempore in Orbis urbe, ubi perjuri in Basilica SS. Processi & Martiniani à malignis spiritibus exagitati, violatæ fidei pœnas dedere.

XIII Deuteria Regis Theodoberti uxoris Zelotypia.

Per idem tempus Deuteria Theodoberti uxor insanâ domestici doloris puniendi libidine, detestabili se parricidio contaminavit; quippe filiam, quam ex priore marito susceperat,

rat,

rat, veritane Rex formæ pulchritudine captus, se posthabitâ, connubio jungeret, Viriduni degens, vehiculo impositam indomitis bubus juncto, præcipitem de ponte in Mosam flumen egit; quæ in ipso flumine, aquâ præcludente fauces, miserandum in modum exspirans, impiæ matris Zelotypiæ, immeritas nec inultas tamen pœnas expendit. Enimverò Franciæ optimates, re vulgò improbatâ, tantum in adultera detestati facinus, Theodoberto facti autores, ut Wisigardem in thalamum reduceret à parente desponsam abjectâ Deuretiâ, atque ita repudio probato Deuteria, ex qua Theobaldum filium jam sustulerat, ipse missam fecit; ac Wisigardem justo sibi matrimonio conjugem sociavit.

Deuteriam Theodobertus repudiat

XIV.
ANNUS CHR. 539.
Paul. Diac. l. 18. ad Eutrop. Procop. lib. 2. Goth. & Agath. lib. 1. Greg. Turon. l. 3. c. 32.
Theodobertus cum Austrasiis trans Alpes bellū movet.
Vid. Baron. Tom. 7. annal. ad an. Christi 540.

Anno postero Theodobertus, cognito Gothorum vires à Justiniani Ducibus in Italia haud parum attritas, neglecto fœdere, quod cum Gothis & Romanis icerat, in spem occupandæ Italiæ venit. Memorant hujus irritamentum belli, fuisse Justiniani Imperatoris fastum immodicum, quo titulis suis, se FRANCICUM TRIUMPHATOREM publicè jactabat, qui Francos nè bello quidem unquam lacessisset. Sed quicquid hujus sit, Theodobertus, centum hominum millibus brevi sub signa coactis, omnibusque necessariis, ad expeditionem Italicam comparatis, progressus in Liguriam, Pado transmisso, exercitum adversus Gothos adduxit. Castris collatis, ubi fœderis fiduciâ Francos ceu socios comiter effusi in securitatem, excipiunt Gothi, Theodobertus eorum stultitiam, suam ratus occasionem, admotis ilicò copiis, impressione repentinâ, Gothum castris exuit, & trepidâ fugâ salutem sibi quærere coëgit. Ergo binis ipse castris sed sine milite potitus, etsi rebus omnibus commeatúque essent referta, tantâ nihilominùs hominum multitudine, absumptis brevi cibariis, conflictari fame, & rerum omnium inopiâ premi cœpit. Quare ad insuetas versi dapes & minimè salubres Franci, pervagatum militiæ genus morbi, accersivêre; cujus magnitudine ac labore tertia pars exercitûs consumpta, fœdè periit. Huic expeditioni affuisse Trevericos, & accolas Mosellæ Francos, censeo plus quàm probabile: cùm robur Austrasiæ nimirum circa Rhenum, Mosam, & Mosellam Theodobertus aleret.

XV.
ANNUS CHR. 540.
Sigebert. in Chron. & Gregor. l. 4. c. 28. Anastasius in Silverio.
Theodoberti bellum adversus Clotharium patruum.

Annus allatæ salutis orbi Christiano quingentesimus agebatur quadragesimus, Silverii Pontificis excessu, non obscurus, quando cum Childeberto patruo, adversus Clotharium patruum Theodobertus arma impia signáque tulit. Clotharium ingens fanè belli cura premebat; quamobrem desperatione virium in occultas sese silvas, ac nemora fermè conjiciens, aditus concædibus aliisque operibus obstruebat, reliquum belli, cœlesti præsidio committens. Ubi igitur cum copiis prævalidis affuêre Childebertus & Theodobertus, armis huc illúcque dispersis, obsidêre Clotharium; & totâ undique silvâ circumfundi; consilióque de inferenda illi nece proposito, repentè tum ibi multiplex Dei subsidium sese ostendit; nam subitò coorta tempestas, hostium tentoria disjecit, impedimenta atque alium omnium adparatum bellicum, in diversa raptans agensque. Inde vero coruscante, ac crebro vibrante cœlo tonitru; excussa tandem procella cum grandine, tantum pavorem ac cœlestis iræ formidinem exercitui attulit, ut prostratus humi miles, ægrè se ab violenti turbinis injuria scutis super capita elatis defenderet. Multi denso grandinis imbre saucii, equique cum viris abrepti, procellæ vi, in vigesimo vix stadio reperti. Cœlo verò Clotharius usus tam benigno ac favente sibi, ut ne guttam quidem pluviæ, quo loco castra fixerat, decidisse, fit observatum. Quibus rebus permoti fratres, bello, quod nefarium sanguini propè suo intentabant, omisso, legatos invicem de pace miserunt.

Tempestate Deus missâ pro Clothario pugnat

XVI.
Faustus in Mauri vita.
ANNUS CHR. 541.
Theodoberti Regis in cœnobitas amor & pietas

Annus sequens Theodoberti eximium adversus Christianam religionem & vitæ monasticæ cultores, studium prodidit. Absolutis namque operibus, & fastigio tectis sacris impositо, quæ Flori egregia munificêtia B. Maurus molitus erat, Florus ipse allectus monasticæ vitæ pulchritudine cum filium unicum jam antè Deo consecrasset, ut Mauro jungi solutusque & liber, virtutis studio perfectioris se dare possit, à Theodoberto rogat atque impetrat. Die verò, quo coma cum baltheo militari, quæ tum relicti sæculi argumenta, fuit ponenda, Theodobertus purpurâ atque diademate ornatus, cœnobium iniit; atque ad penetralia progressus, viso Mauro, sodaliumque cœtu, supplex provolutus humi, cœnobitarum preces & orationes postulavit. Posthæc sollennibus incitamentis Theodobertus astans ipse, ubi jam cingulum militiæ in ara Florus posuisset, Rex apprehensam ejus comam, manantibus præ gaudio lacrymis, prior tondere cœpit; quem nobilis secuta dein procerum caterva, pietatis causâ reliquum abrasit. Inde amplissima, quæ Florus domi militiæque munia gesserat, Landranno mandat, gentili ceremoniâ, sceptro regali protento, omnia confirmans. Denique, Ebbone viro sapientiâ præstanti, & Ansebaldo sacri scrinii magistro ad se accersitis, Maurum ejusque cœnobium fundis atque vectigalibus cumprimis opulentis & ditibus, ornat augetque. Quod sane tam raræ pietatis exemplum, in regali, quæ latissimè patet, ambitione, ut non alienum Austrasiæ rebus, ita dignum esse posterorum memoriâ, censuimus.

XVII.
ANNUS CHR. 542.
Procop. lib. 3.
Theodoberti res in Italia gestæ.

Porrò Theodobertus insequentium annorum tractu, quod Procopius Græcus homo suis quoque literis confirmat, cùm nec Romani jam Italiam tueri, nec Gothi cum Francorum tum Justiniani Ducum armis fracti, his utrisque simul bellum facere possent, partim suis ipsemet, partim præstantis manu consilioque Buccellini Ducis auspiciis, Italiam pervagatus, pleraque in Venetis loca cepit, captáque sui juris fecit; ingentesque prædas & opima spolia, ex aliis item Italiæ regionibus, abstulit; quin & Liguriam & Ligusticam oram omnem secúdùm littus Tyrrhenum emensus Buccelinus, cum copiis navalibus penetravit in Siciliam.

ANNUS CHR. 543.
Greg. l. 3. c. 32. Paul. Diac. l. 2. c. 2.
Buccellinus Austrasius dux militiæ.
ANNUS CHR. 544.
Aim. l. 2. c. 32.
ANNUS CHR. 545.
Theodoberti Regis altitudo animi

Hoc verò tam læto rerum successu, mirabiliter ad præclarius petendum decus accensus Theodobertus, Justinianum nequicquam Francicarum gentium ab se devictarum titulis superbientem, armis offensare nihil distulit.

quin

quin etiam belli in Thraciam transferendi, ipsumque caput Orientis Constantinopolim adoriendi, agitasse consilia ferunt; quæ tamen dilata diutiùs, mors interveniens tandem è manibus excussit. Neque aliam equidem causam dispicio, cur Agathias, Regem hunc & audacissimum, & turbulentissimum, & ad omnes suscipiendas capitis dimicationes fuisse promptissimum; Procopius ipsum gentémque fœdifragam, sed Græca dicacitate, Græci ambo memorent.

Greg. Turon. l. 3. c. 34.

XVIII. Desiderati Episcopi erga Viridunensem urbem caritas.

Hoc quoque tempore, desideratus Viridunensium Episcopus, quem à Theodorico per tyrannidem olim sede suâ pulsum, & à Theodoberto restitutum diximus; eximio caritatis studio, populum suum atque civitatem pastor innocentissimus est complexus; ubi námque versari cives in magna rei familiaris difficultate, & arctâ premi cognovit rerum omnium penuriâ, afflictis eorum fortunis, eò vehementiùs indoluit, quòd, cùm ipse in facultatibus esset ut qui maximè perturbatus, mederi civium suorum inopiæ non posset. Quare, cùm gravis hujus rei cura Præsulem angit, subiit tandem, ipsum adire Theodobertum Regem, cujus tum erat in omne genus hominum testata liberalitas; missáque ad eum legatione, exposcere, ut quoniam munificentiæ ac benignitatis ejus fama jam ubique percrebuisset, argentum Viridunensium levandæ inopiæ mutuum daret, pecuniam haud conditurus sterilem, sed solvendam aliquando cum fœnore. Rex, cognitâ Episcopi voluntate, haud difficilem tam pio se postulato præbens, septena aureorum millia, extemplo adnumerari jubet; quam ille summam in usus popularium distribuens, brevi effecit, ut occupatâ pecuniâ, & negotiis insuper mutuisque commerciis supra sortem exauctâ, rerum ad sustentandam vitam copiâ, urbs mox, omnium paulò pridem egentissima, afflueret, atque ex indigente locuples existeret. Cúmque deinde crediti sortem integram Episcopus ad Regem detulisset, quâ erat insigni Theodobertus in suos animi clementiâ, æs omne remisit, nihil opus sibi pecuniâ dictitans, modò constaret, hâc ipsâ pauperum inopiam funditùs levatam.

Civitas Viridunensis egestate liberata.

Theodoberti Regis munificentia.

XIX. ANNUS CHR. 546.

Marcellini com. chron. appendix. Paul. Diac.

Româ captâ Totilas in Fránciam legatos mittit.

Annus subiit hinc regni Theodoberti decimus tertius, cùm Totilas Gothorum Rex, Româ jam fame & diuturnæ obsidionis extremis malis perdomitâ, ad Francorum Regem, quem alii Childebertum, Theodobertum alii interpretantur, deprecatum misit, sibi ut filiam in matrimonium daret; at, is comperto, Totilam, urbem à se magnâ ruinarum strage deformatam, Belisario rursum occupandam permisisse, postulata Gothi repudiavit, Italiæ eum nec esse Regem in præsentia, nec in posterum fore dicens, ut qui urbem caput gentis nec tueri quivisset, eamque direptam, mox hostibus concessisset. Quo responso Totilam, aiunt, irritatum, insequenti tempore, urbem iterum confectis Græcis, qui propugnabant, suæ fecisse potestatis, civibúsque revocatis, restituisse cum mœnibus exsanguem, prope enectum fame populum. Quæ quidem apud Procopium, ut temporum nexu leguntur soluta, sic sciens sum ab aliis diversis etiam annis digeri. Sed

Procop. lib. 3. Papir. Mass. Annal. lib. 2. Cas. Baron. annal. Tom. 7. ad an. 550.

Totilæ victoris in Romanos clementia.

nos Theodoberti Austrasiæ, & Trevirorum principis hic, vestigio tenus, acta prosequimur: cui vita deinceps longior non contigit. Quare, *cùm quatuordecim annis*, verba Fausti sunt, qui cum eo vixit, *strenuè ac nobiliter Austrasiorum regnum gubernâsset, Theobaldo filio solium ac sceptrum post se reliquit.* De ipsius morte aliter nostros, aliter invenio sentire Græcos. Lustrantem quippe saltus, narrat Agathias, immensæ magnitudinis obvium habuisse taurum agrestem, quem è loco superiore infestis cornibus ruentem in se, cùm exciperet objecto venabulo, feram quæsito mox exitu furibundam, in adversam arborem incurrisse; ex ea, diffractum ramum & solo violenter impactum afflixisse Theodoberti caput; quâ plagâ, ceu letiferâ & insanabili consopitum, eâdem die exiisse vitâ. At Gregorius, morbi molestiâ confectum, & medicorum omnium artibus in eo persanando consumptis, morte suâ postremò defunctum tradidit.

Faustus in vita Mauri.

ANNUS CHR. 547.

Theodobertus moritur fine hujus anni, vel sequenti inchoato.

ANNUS CHR. 548.

Lib. 3. c. 36.

XX. Berthoara Theodoberti Regis filia Moguntiæ floruit.

Sidonius Moguntiacensis Episcopus.

Reliquit & filiam Theodobertus Berthoaram, quæ cùm cæteris Rheni accolis, tum Moguntinis Sidonii excellenti pietate Præsulis ope, per hosce dies reflorescentibus, largiter benignéque fecit; & Sidonio in templorum instaurationem tum vigilanti, magna subsidia tulit. Berthoaram Fortunatus, patrémque Theodobertum in versibus, quibus baptisterium Moguntiacense celebrat, non præteriit:

Ven. Fortun. l. 2. poëm. 12.

Moguntiēse baptisterium.

Ardua sacrati baptismatis aula coruscat;
Quo delicta Adæ Christus in amne lavat.
Hic pastore Deo, puris grex mergitur undis,
Ne maculata diu vellera gestet ovis.
Traxit origo necem de semine, sed pater orbis
Purgavit medicis crimina mortis aquis.
Hanc tamen Antistes Sidonius extulit arcem,
Qui domini cultum templa novando fovet.
Struxit Berthoaræ voto complente, sacerdos,
Quæ decus Ecclesiæ cordis amore placet.
Catholicæ fidei splendor, pietate coruscans,
Templorum cultrix, prodiga pauperibus.
Seminat unde metat fruges, spargendo recondens
Terrenis opibus non moritura parat.
Filia digna patri te Theodoberte reformans,
Rexisti patriam, qui pietate patris,
Et comitāte fide revocasti ex hoste triumphos,
Sed capti precio mox redière tuo.
Ecclesiæ fultor, laus regni, pastor egentum,
Cura sacerdotum, promptus ad omne bonū.
Cujus dulce jugum nullus gemuisse fatetur:
Vivis adhuc meritis, Rex, in amore tuis.

Berthoaræ pietas.

Theodoberti Regis dotes.

Multis mihi nominibus hoc poëma fuit usurpandum, quod non vulgarem & laudem & lucem Mediomatricorum regno conciliat; & florescenti in eo sub Sidonio Episcopo, Magontiaci Ecclesiæ decus addit; quam Fortunatus non surrexisse tantùm ad nova templorum ornamenta, sed recenti quoque sobole, ex vicinis & Rheni accolis gentilium populis, Theodoberto rerum potiente, canit auctam. Berthoaram quoque Magontiaci uspiam, virginitate Deo sponsâ, vel in monasterio vixisse, vel religionis causâ ibi domicilium habuisse, in proximo est, ut ex hoc poëmate conjicias. Visitur hodiéque veteris Cellæ monasterium in urbe, perantiqua sedes virginum, in quâ, D. Bilhildis memorabili sanctitate femina,

XXI. Christiani res aucta sub Theodoberto.

Berthoara religioni dedita.

S. Bilhildis.

Franco-

Francorum etiam integro regno claruit. Nec hujus monasterii pauca supersunt vel obscura priscæ magnificentiæ vestigia.

XXII. Theodoberti Regis elogium.

Denique Theodoberti Regis etiam hinc sublego rara domi militiæque fortitudinis, prudentiæ, pietatis ornamenta, & triumphos, quod caput, nonnisi comite fide Catholicâ, quam in gente Francorum Agathias laudavit eximiè, partos. Expeditioni Thuringicæ cum patre victor interfuit; Gothos Aquitaniæ inquilinos, eosdémque Arrianos infestis armis appetiit; Italiæ se terribilem intulit; omnibus ex bellis prædas hominum egit, spolia ampla retulit, captivis Christianam clementiam, quod hic laudatur, impertiit.

XXIII. THEODOBALDUS REX AUSTRASIÆ an. 7.

Theobaldum post hæc, etsi ætate imbecilli, degentem adhuc sub pædagogis, lex tamen patria ad regnum vocabat; quod in Condamis, domestici encomio Fortunatus tangens, sic cecinit:

Theodovaldi etiam cùm parva infātia vixit,
Hujus in auxilium maxima cura fuit.
Actibus eximiis sic publica jura fovebat,
Vt juvenem Regem redderet ipse senem,
Ipse gubernabas velutì si tutor adesses,
Commissumq. tibi proficiebat opus.

XXIV. ANNUS CHR. 549. Greg. l. 3. c. 36. Parthenii parricidæ tragœdia. Parthenius in Treviris magistratū gessit.

Cæterùm regni Theobaldi primo tempore, gravis populi furor in Parthenium stirpe prænobilem hominem, sed Papianillæ conjugis patricidio infamem, invidia exarsit. Res autem Treviris gesta ad hunc fermè modum. Parthenius, cùm nuper apud Treviros tributis acerbissimè exigendis animos Austrasiorum graviter vulnerâsset, magnum sibi apud summos æquè ac infimos odium conflaverat; quod simul atque defuncto Theodoberto, vel ex conscientia sua, vel aliorum minimè dubiis iris præcipere potuit, inito fugæ consilio, & à duobus Episcopis supplex poposcit, ut se ad urbem Trevericam, datâ salutis fide, deducerent, paritérque multitudinis iras deprecando mitigarent. Id quod cùm annuissent illi, inter proficiscendum hospitii parte, dormienti Parthenio, multâ jam nocte, per quietem objecta Papianilla conjux, & Ausonius amicus; quos ille per summum nefas vitâ spoliârat; qui tunc instantes ibi, vim adhibere, & ad Christi rapere tribunal eum velle præ se ferrent; quo ille perterritus visō, cùm exclamâsset; & rem universam deinde sociis exposuisset, denique Treviros, consilii incertus, & inclinato ad futuros casus animo, profectus est. At populus, ubi Parthenium adesse cognoscit, ceu lymphatus; agmine facto, confestim irruere, eúmque clamoribus ad cædem poscere. Tunc verò Episcopi, quorum in tutela latebat, furorem & impetum populi conspicati, quo vim propulsent, sacris ædibus inclusum protegunt, & in scrinii latebras uspiam abstrudunt. At plebis impetus, nullo jam discrimine sacri profanique, ne foribus templi quidem coërcitus, quo minùs penetralia irrumperet. Itaque repertum extractumque è latibulo, magno rerum verborúmque ludibrio, Parthenium onerat; vinctúmque religatis post tergum manibus, ad columnam, pituitosâ aspergine, cœnóque multo tetrum,

Parthenius vulgi concursu Trev. occiditur.

postremò lapidum imbre superfuso, certatim obruit. Atque hunc exitum Treviris, Parthenius invenit; homo domi nobilis, & in Theodoberti Regis aula quondam gratiosus in paucis, quem ut noscitare jam annis gravem, jucundum; ita degenerem morte non suâ raptum, dolori fuit. Etenim Parthenium hunc, ortum è præstantissimis Episcoporum Galliæ Ruriciorum, qui Anicianæ gentis prosapiâ, Lemovicinam urbem illustrârunt, epistolæ docent Ruricii senioris, quas nuper in Germania è Sanctgallensi bibliotheca Henricus Canisius clarus I. C. bono publico vulgavit. Hinc rari ornamenti hanc teximus corollam:

Ruricii Episcopi Nota ad 4. lib. Venant. Fortu. poem. 4. & Tom. 2. Concil. Synod. Aurelian. Tom. 5. antiq. lect.

RURICIUS EPISCOPUS
DULCISSIMIS NEPOTIBUS,
PARTHENIO ET PAPIANILLÆ.

Ruricii lib. 2. epist. 16.

*Postquam pietas vestra discessit, dimidium esse me sentio; quia maximam mei partem, hoc est, interiorem hominem, residente corpore meo, quod hic remansit, manere conspicio. Saluto itaque dulcedinem vestram, & , ut verborum meorum memores sitis, admoneo. quia certum est, vos juxta Salomonis sententiam, posse in bonis, Deo dirigente, proficere, si * Seniorum consilia & amori habeantur & usui * apta. Benè agatis.*

* Seniores, qui in dignitate, & maximè Episcopi. Nota nostra ad S. Godehardū. * al. apte.

XXV. ANNUS CHR. 550. Tom. Concil. 2. Synod. 4. Aurelianens. Onuphr. ad hunc annum.

Annus à Christo nascente, quingentesimus quinquagesimus, Synodo Aureliæ ab Galliarum Episcopis celebratâ fuit illustris, quâ, de paschate ritè colendo, & disciplinâ cleri, pleraque maturè deliberata atque constituta sunt.

Bischoffstein. B. Nicetii castellum, de quo pluribus in Notis ad Fortunat. lib. 3. poem. 10.

Eo tempore Nicetius, quæ tum opes etiam fuerunt surgentis Trevirorum Ecclesiæ, castellum, quod ab Episcopi saxo hodiéque Bischoffsteinium patriâ linguâ nominant accolæ, ad ripam devehentis amnis Mosellæ sinistrorsum in sublimi vertice posuit; undecim fermè millia supra Confluentes versus occasum hibernum. Locus hic tum piscosi amnis subtermeantis, tum agri non infrugiferi, quem editus circa prospectat, amœnitate laudatus, tum operis splendore ac firmitudine cumprimis fuit elegans: hoc ævo nostro, turri duntaxat rotundo fastigio conspicuus, & juxta templo sacelloque tribus dicato Mariis, in quo frequens ad hanc diem puerilium morborum depulsio. Additque vulgus Valetudinario locum serviisse Archiepiscopis leprâ infectis; quod fortè de Chorepiscopis seu Cardonæ Archidiaconis fama sparsit, quibus in hoc castello frequens olim fuit domicilium. Et quia loci topographiam alibi exequuti sumus, hunc modò Fortunatum audiamus, in ejusdem descriptione, uti solet, jucundè prorsus & floridè, versantem.

Castri B. Nicetii topographia.

Mons in præcipiti suspensâ mole tumescit,
Et levat excelsum saxea ripa caput.
Rupibus expositis intonsa cacumina tollit;
Tutus & elato vertice regnat apex.
Proficiunt colli, quæ vallibus arva recedunt;
Vndique terra minor vergit, & iste subit.
Quem Musella tumens, Rhodanus quoque parvulus ambit,
Certanturq́. suo, pascere pisce locum.
Diripiunt dulces alibi vaga flumina fruges;
*Hæc tibi parturiunt * Mediolane dapes.*
Quantum crescit aquis, pisces vicinius offert,
Exhibet hinc epulas; unda rapina venit.

Rhodanus parvulus.

* Vel ad arcis situm, vel vicinum Meginensi solum allusio.

Cernit

Cernit frugiferos congaudens incola sulcos,
Vota ferens segeti fertilitate gravi.
Agricolæ pascunt oculos de messe futura,
Ante metit visu, quàm ferat annus opem.
Ridet amœnus ager tectus viridantibus herbis,
Oblectant animos mollia prata vagos.
Hæc vir Apostolicus Nicetius arva peragrans,
Condidit optatum pastor ovile gregi.
Turribus incinxit ter denis undique collem,
Præbuit hic fabricam, quo nemus ante fuit.
Vertice de summo demittunt brachia murum,
Dum Musella suis terminus extet aquis.
Aula tamen nitiut constructa cacumine rupis;
Et monti imposito mons erat ipsa domus.
Complacuit latum muro concludere campum,
Et propè castellum hæc casa sola facit.
Ardua marmoreis suspenditur aula columnis,
** Quâ super æstivas cernit in amne rates.*
Ordinibus ternis extensaq; machina crevit,
Vt postquam ascendas jugera, tecta putes.
Turris ab adverso, quæ constitit obvia clivo,
Sanctorum locus est, arma tenenda viris.
Illic est etiam gemino ballista volatu,
Quæ post se mortem linquit, & ipsa fugit.
Ducitur in rigidis sinuosa canalibus unda,
Ex qua fert populo hic mola rapta cibum.
Blandifluas stupidis induxit collibus uvas,
Vinea culta viret, quo fuit ante frutex.
Insita pomorum passim plantaria surgunt,
Et pascunt vario, floris odore locum.
Hæc tibi proficiunt, quicquid laudamus in illis,
Qui bona tot tribuis, pastor opime, gregi.

Nicetii agricultura. — Castri fabrica triginta turribus muniti. — Oratorium castelli. — Propugnacula & machinæ. — Aquæ ductus.

Insistere hic paulisper, non transcurrere leviter, optem eos, qui cuncta Ecclesiarum patrimonia nuper iis obvenisse effutiunt, à quibus nescio Ducibus ac Comitibus; & ceu in ultima quondam egestate vixissent, sic Episcopos nostros imperitissimè traducunt. Vel hæc una, ut alia innumera jam sileam, fabricæ tantæ magnificentia, marmoris, columnarum, ac turrium decus, an non satis habent lucis & argumenti, non minùs opum fuisse ac potentiæ, quàm sanctitatis ac virtutis horum temporum Episcopis? Nec dubium, tot cladium, quas pertulerant majores, memorem Nicetium, adversus vim hostilium irruptionum arcem cum tot turribus instruxisse, & balistarum usu communiisse, quorum nihil ab eo fieri sine magnis opibus, viris & armis, potuit. In Rhodanum verò & Mediolanum, aliáque Fortunati, diligentiùs alibi inquirimus.

Trevirensis Ecclesia & Episcoporũ potentia.

XXVI. ANNUS CHR. 551. *Agathias l. 1. & Procop. l. 3.* Theobaldi cum Justiniano Imperatore parum stabilis amicitia.

Anno regni Theobaldi quarto, Justinianus Imperator, Leontio in Austrasiam misso legato, Theobaldum orat, ut secum adversus Totilam Gothorum Regem fœdere communi percusso, conspiret; Italiæque locis cedat, quæ pater Theodobertus in Cottiis alpibus, Liguria & Venetorum finibus, suo regno adjecerat. Theobaldus adhæc, societatem adversus Gothos, nec rectè quidem, nec ullo promerito postulari; neque enim Francis fidem Græcos servaturos, qui Gothis nullâ justâ causâ, eam temerè fregissent. Quod ad Italiæ possessiones, patrem eas nec quemquam violandi studio, aut aliena pervadendi pravâ cupidine, sed armis, ipso prodente Totilâ, quæsiisse; paratúmque, si judicio contendere placeat, rem æquis arbitris committere; deque ea re Legatos Constantinopolim mittere. Itaque * Leudardus jam quartum Legatus cum Leontio, Bizantium missus est.

* Leutharis.

XXVII. ANNUS CHR. 552. Synodus Aurelian. 5. cui interfuit B. Nicetius & Valerius Tullensis. Trium capitulorum status. *apud Baron. discutitur. Tom 7. an. 549.* Misericordiæ munera clero mandata.

Anno postero, qui Childeberti Regis erat tricesimus octavus, quintus autem Theobaldi, Nicetius iterum ad conventum, qui Aureliæ quintus jam parabatur, cum Valerio Tullensi Episcopo profectus est. Damnata ibi trium Capitulorum occasione Eutychetis juxta ac Nestorii prava dogmata. Vindicata præsidum Ecclesiarum autoritas; eorúmque cùm pudicitiæ, tum honestati, præclaris sanctionibus, consultum; servorum etiam libertas defensa. Illud porrò dignum, quod altiùs infigatur posterorum animis; juberi Archidiaconos vel Ecclesiæ præpositos, die quâque dominicâ obire carceres, & à Pontifice per idoneos certósque homines alimenta dari vinctis, de publico domus Ecclesiæ. Ad hæc Episcopos, quantum possint, eniti, ut egentibus tam totâ diœcesi, quàm in sede sua, & prælertim auxilio destitutis ægris, item de domo Ecclesiæ suæ, victum aliáque necessaria expediant. Subnotavit inter alios Nicetius & Valerius Tullensis, quod certè si diligentiùs attendissent, queis Leucorum Ecclesiæ Præsules celebrare, honestissima cura fuit, procul habuisset causas erroris; quo persuasum cupierunt, Ecclesiam eam ob hæreseon clades, duobus hisce sæculis caruisse pastoribus. Ergo & Valerius deinceps nobis procedat in numerum eorum Episcoporum, quos metropolis hæc provinciales amplectitur. Numerus autem annalis Synodi, toto triennio scilicet antevertitur ab iis, qui maturiorem regnorum Epocham dedêre. Cùm itaque Childeberti Regis annum XXXVIII. V. Kalend. Novembris, indictionem XIII. hæc Synodus pro characteribus habeat, opportunius existimant, in annum DXLIX. transcribi.

Stem. Lotharing. Tom. 1. c. 56. — Valerius Leucorum Episc. ordini suo restitutus. — Synodi tẽpus aliis an. 549.

XXVIII. ANNUS CHR. 553. *Agathias & Procop. Paul. Diac. lib. 16. ad Eutrop.*

Post hæc Theobaldus opera atque auspiciis Ducum, gravissimum in Italia bellum, fœdere cùm Gothis propè jam debellatis, renovato, adversus Narsem gessit, exercitu hominum septuaginta duorum millium; ex Francis Alemannisque conflato, atque ea in loca deducto. Cæterùm, ut primo ingressu, blandiente successu, Franci Fulcarem cum exercitu Herulorum acie fusum ingenti affecêre clade, sic mutatis inde deteriori sorte vicibus, Buccellinus & Leutharis Alemanni ambo germani fratres, rem Francicam inclinantes, anno postero in extremum adduxêre discrimen, copiis omnibus, partim morbo, partim infeliciter tentato cum Narsete prœlio, haud longè à Capua, ad ripas Casilini amnis, funditus deletis & absumptis.

Procop. & Agath. loc. cit. ANNUS CHR. 554. Austrasiorũ clades à Narsete eis illata.

XXX. B. Nicetius Parisiis Saphoraci Episcopi causã unà cum aliis discutit.

Per id quoque tempus, Nicetius Pontifex noster, cum plerisque aliis Galliæ Episcopis, Parisios profectus, Saphoraci Lutetiarum Præsulis, audiendæ cognoscendæque caussæ affuit. Hunc verò Saphoracum magistratus perperam gestus in amittendæ sedis ejus periculum haud dubiè vocarat; impositum ergo illi de communi Episcoporum sententia, sanciendæ disciplinæ causâ, dignum meritis piaculum.

XXXI. Theobaldi mors. *Greg. l. 4. c. 9.*

Neque longo post tempore superfuit Theobaldus, anno regni septimo, quod Gregorius testatur, prænaturâ morte sublatus: regnum ejus deficiente prole, non citra certamen, ut meminit

4. Clotharius Rex Austrasiæ an. 8.

meminit Agathias, ad Childebertum & Clotharium patruos majores ex avo Theodorico devolutum. Clotharius verò potior hæres; quod supremo testamento Theobaldi, regnum inire visus.

XXXII. Pelagius I. Pont. a. 8. m. 10. d. 18. Annus Chr. 555. 556.

Faustus in vita Mauri & Aim. lib. 2 cap. 25. Beda in l. tem. Tom. 1. ep. decret. Pelag. ep. 2. ad Narsetem & 4.

Aquileiensis conventus Pelagii Pontificis jussu dissipatus. Annus Chr. 557. 558.

Inter hæc Vigilius Pontifex corporis vinculo levatus, anno sequenti Pelagio locum fecit. Nec mediocres in Occidêtis Ecclesia inde motus exciti, ab Episcopis nonnullis Italiæ, qui ubi Pelagium Synodum V. Constantinopolitanam probare didicerunt, Aquileiæ seorsim habito conventu, eam se recepturos negarunt; tum quòd Chalcedonensis autoritati videretur obrogare; tum quod nihil, præter œcomenica quatuor Concilia ad aures admittendum, crederent. Id, quod ubi Pelagius Papa cognovit, Narseti eximiâ pietate ac felicitate in bellis Duci, mandata dedit, ut contumaces, nec post crebra hortamenta audientes dicto, pro potestatis amplitudine coërceret, & subire judicium cogeret. Narses itaque literis indentidem à Pelagio missis, ad comprimendam illam Ecclesiæ pestem alios quidem Episcoporum, quos redigere licuit, Constantinopolim misit; alios fugâ labentes exilio multavit. Hac ejectus tempestate, delatus hospes in Austrasiam, Vitalis Altinas, in Venetis Episcopus, ad Moguntiensem, ut loquitur * Paulus Diaconus, civitatem pervenit. Porrò Veneti, Istrii atque Ligures, quia Austrasiis Francis dediti, ex quo, regionem eam Italiæ Theodobertus subegerat, eâ causâ Vitalis extremo discrimine perfugium apud Francos, sed frustra quæsivit: siquidem Narses tandem illum in Italia nactus, cùm jam omnia pro arbitratu gereret, in Siciliam deportari jussit.

Vitalis Altinas Episcop. Moguntiæ degit exul.

* *Longobar. hist. l. 2. c. 4. & lib. 18. ad Eutrop.*

XXXIII. Saxonum rebellio cõtra Austrasios.

Greg. l. 4. c. 10. & c. 14. 16. & 17.

Annus Chr. 559. *Greg. l. 4. c. 20. Sigeb. in hoc anno & Onuph. alii.*

Childeberti mors ad an. 560. Childebertus Parisiensium rex moritur. Clotarius totius Franciæ potitur. *Greg. lib. 4. variis locis.* Clotharii vita mala.

B. Nicetius Clotharium anathemate ferit.

Saxones omnibus his annis, jam inde à Theobaldi morte, sumptis armis, & recusato tributo, quod vicinis Austrasiæ Regibus ex fœdere pendebant, hujus regni fines habuerunt infestos; Clotharioque vario successu cum effera gente prœlia miscente, Childebertus frater, interea loci Belgicam secundam exercebat, cuncta circum Rhemos amœna & frugifera loca prædis atque incendiis pervastans, Saxonibusque assiduè stimulos subjiciens ad rebellandum. Et erat Childebertus effetæ tum ætatis ac sine liberis. Clotharius, quanquam viridior; tamen oppido senex, prolêque validus. Itaque moriente Childeberto, Regnum Francorum unum Clotharium respexit. Quod ipse à cædibus atque parricidiis exorsus, ut egregius humani divinique juris erat contemptor, Clodomiri fratris impuberes liberos è medio sustulit; Chrammo filio, uxore atque nepotibus, ob rebellionem etiam, igne crematis. Hinc prolapsus ad graviora, nullum intemperantiæ & effusæ libidinis genus omisit. Quippe multiplici teter incestu, Chunsenam & Ingundem sorores; quin & Clodomiri fratris uxorem, & Theobaldi nepotis ex fratre Waldotradam conjugem, flagitiosis sibi nuptiis junxit. Hâc igitur impudicitiæ ac incestorum infamiâ flagrantem Nicetius Trevericus piorum communione sæpiùs ejecit, & Christianorum conventibus interdixit; illo, nequidquam contra fremente, & exsilium multaque tristia denunciante minaciter Episcopo. Sed eâ erat animi celsitudine Nicetius ut in castigandis quanticunque fastigii improborum flagitiis, neque minis neque vitæ periculis cederet ullis. Mortem enim pro Christo usque adeò optabat, ut eam ultrò pæne quærere videretur. Proinde, tantus in eo vitæ contemptus extitit, ut hostibus sibi infestis, ac stricto mucrone necem sæpe intentantibus, exerto collo cervices ultro præberet; illud interim crebro sermone repetens, libenter se pro justitia moriturum. Quæ res Clotharii animum ita vehementer exulceravit, ut impotens animi Ecclesia spoliatum, & ab ovibus avulsum pastorem, in exsilium tandem ire jusserit; in quo etiam ad mortem usque Clotharii detentus est.

B. Nicetii invicta animi libertas.

XXXIIII. Joannes III. Pont. an. ferè 13. Annus Chr. 560. *Paul. Diac. hist. Longobar. l. 2 c. 4.* Bubonis pestilentia, vel inguinaria.

Joannes III. jam tum Romæ in Pelagii demortui locum successerat, cùm annus subiit quingentesimus sexagesimus, pestilentiâ inguinariâ, sive bubonis mortiferâ clade, luctuosissimus. Ea diritas contagii fomitem in Oriente primùm invenit; inde nullis vel pelagi intermeantis, vel interjacentis terræ claustris coërcita, transvolans, Italiam, teste Paulo Diacono, tanto mœrore ac luctu implevit, ut parentibus liberos, & liberis contra parentes impiè destituentibus, omnes denique mortis tyrannidem aversati, certatim velut agmine facto, purius solum, & alias regiones quæsitum irent. Cerneres ipsa viduata colonis arva, pecora incustodita, passim oberrare, tellurem suos luridam & inanem frustra requirere habitatores. Tanta ubique solitudo, pavorque mortalium omnis ætatis; quique sibi, quique aliorum ærumnis indulgebant. Jacebant ardoris magnitudine, & celeritate cruciatuum, exstincta mulierum juxta ac virorum aggestâ strage cadavera; nec reperiebatur, qui sparsa legeret conderetque sepulchris vel pignora sua, vel amicitiâ aut sanguine quævis proxima; libitinâ passim deficiente. Is quippe vigor mali inevitabilis erat, ut quem pestilentissimus halitus semel afflâsset, huic enascente mox in inguine, atque aliis mollioribus corporis partibus, nucis ad instar glandulâ, perfurête simul calidæ febris æstu, dies ipse tertius finem afferret. Jam verò nec Alpibus illa lues sese continuit, verùm & Boiariam Alemaniámque, & extimas regni Austrasiorum oras pervagata, in Treviros usque pervenit. Ubi ergò plurimo funere, agrum circa Trevericum Nicetius hoc malo depasci, vexarique miserabiliter pestilenti afflatos morbo cognovit; ipse ad misericordiam pacémque Dei irati impetrandam, preces continuas adhibens, ilicò vim cladis compescuit; & propitium placatúmque Numen, oratione suâ præstitit. Enimverò, sanctissimo Præsule in precationis divinæ studio, mente atque cogitationibus omnibus defixo; civibus alto sopore mersis, tantus exauditus nocte circa pontem amnis fragor stridorque, ut terræ quodam haustu urbem ipsam in vestigio diceres absorberi. Territique discusso somno, Treviris incolæ, & impendentis metu periculi vix compotes sui, cùm, ceu mortem minimè dubiam haberent, in lectulis eventum rei præstolantur; accidit ibi ad aures omnium vox in magno fremitu, cæteris omnibus grandior pleniórque. Et quid, hic sodales, jam diutius moremur? Quippe ad hanc portam Eucharius nos observat; ad illam excubat Maximinus;

In Germaniam ex Oriente Italiaque trãscendens Trevirim corripit.

B. Nicetius Treviros inguinaria peste liberat.

Trevericæ civitatis cõtractior jam tũ ambitus. Portæ S. Maximini & S. Eucharii sibi oppositæ à Septẽtrione in Austrum.

medius inter hos interjectus Nicetius. Nihil verò hic ultra jam proficimus. Quin eorum præsidio atque tutelæ hanc urbem permittimus? Missa hæc vox admodum aures jam incolarum occupârat; & ecce tibi confestim omnis istinc sese lues cum voce proripuit, magnique sacerdotis Nicetii merito, inguinaria, ceu amisso aculeo languens, nemini posthac Treviro necem aut noxam ullam attulit.

XXXIV. ANNUS CHR. 561. Clotharii Regis improbitas.

B. Nicetius exsilium tolerat.

Postero anno, Nicetius jam in dies, majore apud Clotharium invidiâ flagrans, cùm & ipse Regum more in summa rerum omnium impunitate fas nefásque trahit libidine, & Nicetius strenui & interriti munus Episcopi minimè deserit, Ecclesiâ suâ deturbatus, in exsilium iit; quod, ubi loci tolerârit, silent veterum monumenta. Profectò, ubi ubi restiterit duriter actum cum Nicetio liquet; omnibus cum cæteris Episcopis deserentibus, atque adulantibus Clothario; unóque duntaxat ex omni clero reperto Diacono, qui prosequi in exsilium Antistitem suum vellet.

Diaconi fides & amor adversus Nicetium.

Ab hoc sciscitatus aliquando Nicetius, ecquid ageret cur non sequeretur & ipse reliquos, quibus quò vellent abeundi potestas esset à Rege facta. Cui Diaconus; ita vivat Dominus & arbiter meus; ut prius hanc spirabilem animam, quàm te, cupio destituere. Tum verò ad eum Nicetius; quia ita & sentis & loqueris, est profectò, ut quæ, Domino revelante, didici, hæc utique te non celem; die namque crastina, & horam ipsam quoque definiebat, simul amissos honores recuperabo, simul Ecclesiæ meæ restituar; qui vero in tam honesta me causa destituerunt, hos insuper magno suo cum rubore, opis & auxilii causâ tandem habebo supplices. Hæc cùm ille solitâ dictorum factorúmque constantiâ, atque oris gravitate asseverâsset, ingenti Diaconus stupore & admiratione confusus, promissum avidè expectabat; neque fefellit dies.

B. Nicetius diem horâque reditus diacono prædicit.

Onuphr. Sigon. & alii in hac chronologia Sigebertum secuti, biennii metachronismo laborant, epocham successionis statuentes an. 564. Greg. Turon. lib. 4. c. 22.

XXXV. ANNUS CHR. 562. S. SIGEBERTUS REX AUSTRASIÆ an. 14. Sigebertus Rex Austrasiæ Nicetiū ab exilio revocat.

Clothario námque interea morte sublato, filii ejus regnum ita distribuerant, ut Chereberto Parisii; Sigeberto Mediomatrices & Austrasii; Suessiones Chilperico; Guntramo cederent Aurelianenses. Illucescente igitur die, quam prædixerat Nicetius, mox affuit legatus Sigeberti Regis cum literis & mandatis, nuncians, Regem Clotharium diem obiisse; Sigebertum Regem alioquin justè partum regnum, cum Nicetii tamen bonâ pace, adire velle. Quo nuncio ille accepto, ad Ecclesiam regressus, magna cum omnium gratulatione suam in sedem restitutus est. Hi verò, quos Nicetium turpiter antea deseruisse diximus, non sine proditæ fidei pœnitentia, illum adeuntes, ubi offensam sermone diluerunt, facilè apud mansueti pectoris Antistitem, pacis veniæque locum invenêre.

XXXVI. B. Nicetii visum de regni Francorum futuro statu.

Et quia semel de prophetiæ dono, quo excelluit Nicetius, dicere cœpimus, addam & alterum in primis memorandum, quod ei de regni Francorum statu ac progressione, per quietem ostendit Dominus. Videre quippe sibi visus, excelsam atque edito fastigio turrim, altitudine tantâ, cœlum ut ipsum propè vertice suo contingeret; illam etiam variis instructam ornatámque speculis atque fenestris: Porrò in his, angelos ordine certo collocatos, atque per intervalla distributos: in cacumine verò consistentem ipsum Dominum conditorem angelorum. Esse verò videbatur ex beatis illis spiritibus, qui ingens manu tenens volumen, Regum annos ederet, queis cujusque vita finiretur, viritim unumquemque velut ad nomen citans, tam eorum, qui tum superstites erant, quàm qui futuris sæculis deinceps regna essent moderaturi. His deinde subjiciebat, quæ regni cujusque futura felicitas, quæ conversio, quis status, & quo denique ambitu temporis, imperium volveret. Jam verò, simul etiam Regis alicujus nomen pronunciatum, auditi quoque cæteri angeli voce subsequi, illaque notissimâ clausulâ, Amen, absolvere sermonem. Neque verò inanis isthæc, vel ad fidem difficilis visio fuit; siquidem procedente tempore, cuncta dies ipsa protulit, quæ eventura Nicetius prædixerat; nec eorum quidquam vel fides, vel eventa, refellerunt.

XXXVII. Fortunati Pictaviensis Episcopi in Treviros iter.

Per idem quoque tempus Venantium Fortunatum Clementianum presbyterum, & postea Pictavorum Antistitem in Treviros cum Clothario ejusque liberis venisse, & amne secundo præter Confluentes ad Antonnacensis castelli regiam, navigio delatum, ipsius Poëtæ consentaneum literis est. Et quia de Trevirorum urbis statu, jam inde ab excidio, præterquam ex Salviano, nihil admodum à quopiam literis traditum habebamus; præclarè sanè factum à majoribus, qui hujus, uti diximus, Poëtæ monumenta, diligenter conservârunt. In quibus Poëmation illud de navigio, silentio præteriri haud debet, tum quia in hac tanta abolitione & jactura rerum omnium, dirutæ Coloniæ vestigiis illustrandis lucem aliquam affert, tum quia fluminis amœnitatem faciémque Musellæ, quo se cultu, & vitium ubertate hoc etiam ævo lætam ostendebat, venustè depingit:

Andernaci regia Austrasiorum Principum.

Trevericæ urbis ruinæ durant ad hoc etiam ævum.

Mettis civitas.

Regibus occurrens, ubi Mettica mœnia pollent,
Visus & à dominis, ipse retentor equo.
Musellam hinc jubeor percurrere navita remo,
Accelerans tremulis pergere lapsus aquis.
Ascendésq; ratem, gracili trabe nauta cucurrit,
Nec compulsa Notis prora volabat aquis.
Interea locus est, per saxa latentia ripis
Littore constricto plus levat unda caput.
Huc prorâ implicitâ rapuit celer impetus actā,
Nā propè jam tumidas ventre bibebat aquas.
Ereptum libuit patulos me cernere campos,
Et fugiens pelagus, ruris amœna peto.
*Gurgite suscipior, subter quoque fluminis *Orna,*
Quo duplicata fluens unda secundat iter.
Inde per exclusas, cautâ rate pergimus undas,
Ne veluti piscem me quoque nassa levet.
Inter villarum fumantia culmina ripis,
*Pervenio, quâ se volvere * Sura valet.*
Inde per extantes colles, & concava vallis
Ad Suram pronis labimur amnis aquis.
Perducor Treverûm, quà mœnia celsa patescūt.
Vrbs quoque nobilium nobilis æquè caput.
Ducimur hinc fluvio, per culmina prisca senatūs,
Quò patet indiciis ipsa ruina potens.
Vndique prospicimus minitantes vertice montes,
Nubila quo penetrans surgit acuta silex.
Qua celsos scopulos prærupta cacumina tendūt,
Hispidus & tumulis crescit ad astra lapis.
Nec vacat hic rigidis sine fructibus esse lapillis,
Denique parturiunt, saxaq; vina fluunt.

Navigatio Fortunati.

* Orna paucis pass. supra Theodonis villam, Mettis versus Mosella recipitur.

* Sura

Treviris urbs, ejus mœnia & nobilitas.

Palmite

Vitium cultura.

Palmite vestitos hic respicis undique colles,
Et vaga pampineas ventilat aura comas.
Cautibus insertis densantur in ordine vites,
Atque supercilium regula picta petit.*

* pallo

Culta nitent inter horrentia saxa colonis,
In pallore petræ vitis amœna rubet.
Aspera mellitos pariunt ubi saxa racemos,
Et cote in sterili fertilis uva placet.
Quo vineta jugo calvo sub monte comantur,
Et tegit umbrosus sicca metalla viror.
Inde coloratas decerpit vinitor uvas,
Rupibus appensis pendet & ipse legens.
Delicias oculis habui, dapibusq; cibatus,
Hæc jucunda tenens, navita regna sequens.
Hinc quoque ducor aquis, qua se rate Contrua*
Quo fuit antiquũ nobilitate caput. (cõplet.
Tum venio quà se duo flumina Cõflua jungũt,*
Hinc Rhenus spumans, inde Musella ferax.

* Contrua torrens supra Confluentes.
* Confluentia.
Mosellæ piscosus amnis.

Omne per illud iter servibant piscibus unda
Regibus & dominis, copia fervet aquis.
Ne tamen ulla mihi dulcedo deesset eunti,
Pascebar Musis, aure bibente melos.
Vocibus excussis pulsabant organa montes,
Reddebantq; suos pendula saxa tropos.

Tubarum & organorum cantus.

Laxabat placidos mox ærea tela susurros,
Respondit cannis rursus ab alpe frutex.
Nunc tremulo fremitu, modò plano musica cãtu,
Talis rupe sonat, qualis ab ære meat;
Carmina divisas jungunt dulcedine ripas,
Collibus & fluviis, vox erat ima tropus.
Quo recreet populũ, hoc exquirit gratia regum,
Invenit & semper, quos sua cura levet.

Al. *quos sua cura jubet.*
Antonnacense castellum.

Antonnacensis castelli promptus ad arces,
Inde propè accedens sarcina pergo ratis;
Sint licet hic spatiis vineta in collibus amplis,
Altera pars plani fertilis extat agri;
Plus tamen illa loci speciosi copia pollet,
Alter quòd populis fructus habetur aquis.
Denique dum præsunt Reges in sedibus aulæ,
Ac mensa officio prandia festa colunt.

Antõnacum Austrasiæ regum palatium
Piscatio Antonnacensis.

Retibus inspicitur, quo Salmo fasce levatur,
Et numerat pisces, cùm sit in arce sedens:
Rex favet in mensa, resilit dum piscis ab unda,
Atque animos reficit, quòd sua præda venit.
Illuc fausta videns, huc læta palatia reddens,
Pascens ante oculis, post fovet ipse cibis;
Præsentatur item mensæ Rheni advena civis,
Turbaq;, quo residens gratificatur edens.
Ista diu Dominus dominis spectacula præstet,
Et populis dulces detis habere dies.
Vultibus ex placidis tribuatis gaudia cunctis,
Vester & ex vestris lætificetur apex.

Trevirorũ mœnia cõtracta.

Mireris hîc Treviris adhuc mœnia celsa describi in funesta & tot ruinis lacera civitate. Sed reparata à Francis, non est quod ambigas, quin & in eam angustiam, quâ cernuntur hodiè contracta, docet ea pars vitæ Nicetii, quâ portæ designantur hinc ad Septemtriones una, cui Maximinus; altera ad meridiem, cui sanctus Eucharius invigilet.

XXXVIII.
Andernaci aula Regũ.
Ecclesia Treviren. diœces.

Raræ quoque observationis est, quod Antonnacum, olim inter claras & celebres Germaniæ secundæ civitates, tunc domicilium & palatium habuit Austrasiæ Regum. Visitur inter alia ibi antiquitatis opera, vetustæ structuræ & elegantis Ecclesia, Trevirorum Episcopo cum omni sacrorum jure subjecta.

B. Nicetii præconium.

Sed ad Nicetium redeo. Fuerunt excellentis & absolutæ virtutis in illo viro ornamenta eximia; quæ nisi publicis olim exornata præconiis ad posteros venissent; majorem in modum commendanda forent. Quid enim perpetuum ejus in omni vita abstinentiæ studium? quid curas edomandi corporis caussâ, vigiliasque susceptas? quid dæmonis multiplices insidias fraudésque per spectra umbrásque teterrimas virum sanctum lacessentis, commemorem? quid denique enumerem labores, ærumnas & crebras capitis dimicationes, quas in redigendis, incredibili spiritûs ardore, ad sanctum Christi cultum hominibus, ille subiit? Contineo namque me ab exemplis, quæ prolixè B. Gregorius Turonum in Nicetii vitæ memoria laudavit. Illa verò admirationis plus habent, quàm exempli: non undas modò Nicetii paruisse nutibus, verùm & piscium greges, ad ipsius imperium subiisse sponte lacunas, & ad mensarum usum everriculis illapsos. Cacodæmonas obsessorum corporibus fugatos, & superstitis etiamnum imploratam opem, saluti fuisse mari periclitantibus. Solicitat verò me tantæ sanctitatis reverentia, ut quarum virtutum sigillatim exequi memoriam non possum, earum universale saltem præconium faciam: *Nicetius itaque*, verba Gregorii sunt, *eleemosynæ, caritatis, sanctitatisq; totius refulsit merito.* atque iterum: *Erat apud urbem Trevericam Nicetius, vir eximiæ sanctitatis, non solùm in prædicando admirabilis facundiæ, verùm etiam in operibus bonis ac mirabilibus celeberrimus habebatur in plebe.* Germen utique lætum & nobile ex Arvernis & Romanæ stirpis origine hucusque fructûs ubertate, frondiúmque honore diffusum, traductúmque, ut quas degeneres ferocesque Germania plantas attulerat, eas virtutum insitione, & Evangelii succo traheret socias radicis & pinguedinis olivæ futuras. Sed nec Fortunatum coævum & familiarem Nicetio poëtam, de ipsius silere virtutibus par est.

De glor. Confess. c. 94. / 20. hist. Fran. c. 39.

Splendor, apex fidei, veneranda mente Niceti,
Totius orbis amor, pontificumq; caput.
Summus apostolico præcellens pastor ovili,
Auxisti meritis quicquid honoris habes.

Nicetii dignitas pontificalis.

Divina insistens operi, terrena relinquis;
Cui moritur mundus, non moriture manes.
Vita brevis cunctis; sed non brevis illa beatis:
Cùm bona non pereant, jura perennis erit.
Dum tibi restrictus maneas, & largus egenis,
Quod facis in minimis, te dare, crede, DEO.

Nicetii liberalitas ergà inopes.

Captivus quicunque redit sua limina cernens,
Ille lares patrios, tu capis inde polos.
Hic habet exul opem, jejunans invenit escas,
Qui venit esuriens, hinc satiatus abit.
Tristibus imponis curas, purgando querelas,
Et sanat cunctos una medela viros.
Pauperis hinc lacrymas desiccas, gaudia præstãs,
Qui prius ingemuit, vota salutis habet.
Te pascente greges, nunquã lupus abripit agnos,
Sunt bene securi, quos tua caula tegit.

Nicetii cura pastoralis.

Tẽpla vetusta Dei revocasti in culmine prisco,
Et floret senior, te reparante, domus.

Templorũ instauratio.

Hinc populis longos tribuas pia vota per annos,
Et maneas pastor, ne lacerentur oves.

XXXIX.

Atque ita quidem Nicetius, cùm omnia occupasset vera atque solida bona, quæ sunt in pietatis ac virtutis arce posita, & ad gloriam Ecclesiæque suæ fructum annos implesset vitæ sat multos; perlevis sanè febricula mor o

Obdormitio S. Nicetii.

dejicitur. Ex quo, cùm jacet, ostenso cœlestibus margaritis præfulgenti diademate, ad sempiternam requiem, à B. Paulo Apostolo atque Joanne Baptista, invitatus, ex hac vita transiit, sanctorum cælituum choris insertus; ad ipsas Kalendas Octobris perenni sanctitatis Apostolicæ, & caritatis invictæ memoria venerandus. Tumulum ipse in D. Maximini æde, loco, quem olim descripsimus, obtinuit; cujus religionem posteris commendans Gregorius: *Ad tumulum*, inquit, *Nicetii, vinctorum catena franguntur; energiam incursionis diabolicæ patientes, sanantur; extrusisq; dæmonibus liberantur. Cæcorum oculi plerumque remotis tenebris implentur lumine: nam de perjuris quid dicam? si quis enim ibi falsum juramentum proferre ausus fuerit, ilico divinâ ultione corrigitur: nec quisquam hoc vel loqui audet, si conscientiâ torquente, reum se esse cognoverit, quod ibi sacramentum præsumat exsolvere.* Pontificatum ipse, ut quod præcisè nequit, infinitè colligamus, supra triginta obtinuit annos: ineunte Sigeberto desinens, cùm salutis annus ageretur quingentesimus sexagesimus secundus, aut quartus.

Miracula solennia ad B. Nicetii olim tumulum frequẽtata.

Lib. de gloria Confess. c. 94.

Plura in historiam vitæ ipsius *vide in Addit.*

XL. ANNUS CHR. 564. B. Nicetio Rusticus ordine ac rectè successor datus. RUSTICUS II AN. XXII EPISC. 48.

Wandelb. in vita S. Goaris.

De B. Magnerici successione quid sentiendum?

Ei, licet vulgo successorem suggerant Magnericum, nos tamen constanti hac freti, rataque serie temporum, nudis sine ratione Pontificum indicibus assentiri non possumus; quare & Magnerico RUSTICUM anteferre in præsentia placuit. Quippe Nicetium ab Theodorico primo Austrasiorum Rege, ad Sigebertum usque Ecclesiam hanc rexisse, clarissimum est: inde verò peræquè testatum, Rustici totum Pontificatum, annos percurrere Sigeberti Regis; quare, nec ab ejus regni ætate divelli potest; cùm præsertim Magnericus sederit diutiùs, quàm ut Rusticum inter & Nicetium possit interjici; & tamen, cùm Sigeberto Rege jungi Rusticus debeat, nî turbatam prorsus & ipsius velimus, & universam B. Goaris presbyteri memoriam. Habebunt fortè, quo fidem moventur historiæ, qui Venantium Fortunatum meminerint, facere Magnericum Nicetii magistrj successorem, cui quidem, fateor, subscribit etiam Eberuvinus Abbas, Nicetio Magnericum in ipsius vitæ memoria subrogans. Quàm vellem de Magnerici Episcopatus ortu progressuque scripsisset uberiùs vir ille, quippe temporibus iis quibus nos propinquior. Sed cùm ipse nihil admodum memorabile promat, quod non ad Gregorium Turonicum, & alios ipso vetustiores revocari queat, legem ab eo nobis imponi haud patimur. Quod itaque Fortunatus, Magnericum Nicetio jungit, id ita capias licet, ut usurpato sermonis genere, etiam intervallo secutum idcirco non negaverit; nam discipulum, atque ex ipsius Nicetii schola profectum, seriùs etiam ad summum id pervenisse fastigium, quid vetat? Jam, si verum est, quod provinciales tradunt historiæ, Rusticum, abdicato sacerdotio, septem ipsos annos inclusum, contractam pœnitentiâ eluisse maculam; negari iterum non potest, ejus Episcopatum, sive ab ipso statim Magnerico, seu quo alio Episcopo provinciali administratum, & ob eam ipsam labem admissi dedecoris, in obscuro fuisse, atque ita rectè etiam Nicetio Magnericum, Rustico præterito, publicè dari successorem. Quanquam, vivo Rustico, quenquam Treviris * Episcopum electum, disertè negat Wandelbertus. Et verò Gregorius, qui Magnerico & amicitiâ fuit, & omni humanitatis officio conjunctus, demum post Sigeberti tempora sub filiis ejus Magnerici celebratissimi tum in Austrasia, res gestas orditur.

* Nam post 7. an. Goar iterum postulatus.

XLI. ANNUS CHR. 565. 566.

Wandel. in ipsius vita.

B. Goar calũniis exagitatur Cleri.

Ceterùm B. Goar, per hosce dies insigni apud Trichoriam Rheni Mosellæque ripis interamnem, virtutis sanctitate florebat. Quod nimirum humani generis inimicus satanas non ferens, artibus sibi notis ad exitium & infamiam grassatus, falsis calũmniis viri sancti gloriam infuscare, & laudabilem anteactæ vitæ cursum ejus abrumpere vel interpellare studuit. Et quia, invidia plerunque in laudibus alienis mortales stimulat; bonosque semper mali insectantur, sceleris administris Albuvino & Adaluvino Rustici Trevirorum Episcopi clientibus usus est. Hi cùm clarissimis B. Goaris actionibus aliter officere nequeunt, fictis criminibus atque accusationibus insontem hoc fere modo concussum eunt. Assiduus Goar erat in hospitibus & peregrinis de via fessis, omni obsequiorum genere sedulò recreandis. Penus & cella unde necessaria promebat, inspectionis erant & diœcesis Trevericæ. Episcopi itaque clientes ad ea fortè loca, ubi Goar sedem hospitalitatis suæ fixerat, profecti; in sancti mores cùm diligenter æquè ac dissimulanter, Rustici jussu, inquirunt, eum observant horariâ precatione, Psalmisque & sacrificio Missæ ritè peractis, inde festinantiùs mox ad mensarum & hospitum curam reverti; peregrinos, ut quisque se offerret, accumbere ordine jussos, hospitalibus omnibus officiis comiter excipere; quin etiam & ipsum hilariore fronte, sublato temporum discrimine, appositas pariter dapes non aspernari. Rati itaque, nec nomen ab eo sustineri creditæ sanctitatis; nec verò probatam vitæ legem tenere, qui neque temperantiam in victu, nec frugalitatem veterum in mensa retineret; animis denique huc eunt, splendidum potiùs convivatorem eum, quàm Christi cultorem esse. Ergò & nomen ejus, Treviros reversi, ad Rusticum Episcopum deferunt: graviter questi, pleraque exempli non boni in Goaris ejus, quem sanctum vulgus habeat, vita notari: quippe hominem esse multi cibi, vinique appetentissimum; & vitia habere honestis nominibus, concionando, orando, aliisque pietatis officiis, occulta. Jam compertum etiam sibi, ventri illum & gulæ dare complurimum, aliáque id genus dedecora suscipere, quæ, si religionem ac disciplinam majorum integram velit, ipsum oporteat severis quamprimùm legibus compescere: considerandum illi pro inde, nî maturè soluta restringat, quanto id nominis sui dedecore neglecturus sit, qui hominem peregrinum & prope ignotum adspiciat sua in diœcesi, opibus ac rebus auctum facere quod velit, cum multorum mortalium pernicie; id ne accidat, positum in ipsius diligentia atque autoritate. Optimum sibi & explicitum ante alia id consilium videri, hominem apud sacra tribunalia sibi sisti, & vitæ anteactæ rationes omnes accuratè ab eo reposci.

B. Goaris hospitalitas.

B. Goar accusatur apud Rusticum Episcopum Treverensem.

Rusticus, quem partim prona in deterius suspicio, partim accusatorum artificia jam

XLII. B. Goar Treviris

occupârant,

ad caussam dicendam ab Rustico Episcopo accersitur.

occupârant, acri in virum sanctum quæstione decretâ, per eosdem delatores evocat ad caussam dicendam. Et Goar venientes ad se accusatores etiam tum more suo comiter & perbenignè accipit, nullaque interpositâ morâ, impetrata Episcopi facturus, ad iter se comparat. Viatico & commeatu necessario instructos, præire jubet quadruplatores: ipse puero comitatus, mediocri intervallo ponè sequitur. At, qui præierant, non ita multùm viæ prægressi meridie fermè, cùm Sol immineret flagrantior, tantâ dejici lassitudine, ac tædio viæ frangi, cœperunt, quantum essent experti nunquam. Subibat hinc sitis intolerantia, ac siti sævior fames: delatique in campum, cui à Paulo nomen, cùm ad notum rivulum levandæ sitis ex itinere diversitant, inveniunt exaruisse divinitùs liquorem: tentatur dehinc viatoria pera, ut escas exprimerent; at vacuam item hanc, dapibus subductis, frustra requirunt. Vexati igitur re tam insolitâ; ac quid secum ageretur, ignari, non sine curarum æstu moliuntur iter. At impar labori Albuvinus dum jumento semianimis defluit, ibi tum Adalvuinus poscere Goarem, & præsentem, arctis rebus, opem implorare: quam profectò ne malevolis & inimicis ipse quidem negavit; ferâ etiam ac cervâ, ad tam mirificæ caritatis obsequium mitescente, quæ pastum lactis, Goaris ipsius nutu evocata, fatiscentibus sponte præbebat. At nihilò magis emollitis accusatorum animis, ventum inde ad urbem est. Quam multo denique die ingressi, cæteri quidem Episcopum: at Goar, quod illi perpetui moris, Ecclesiam adit, uti se, caussamque suam diligentiùs etiam Deo commendet. Rusticus verò, quæ in via acciderant, ignoratione latentis in obscuro virtutis, cùm præstigiis atque magicis artibus cuncta tribuisset; & verò signa resque miras edi ab illo posse pernegaret, qui gulæ ventrique serviens, abstinentiam, labores, vigilias, eaque omnia, quibus sancti claruissent, luxu antè caperet: posterâ die constitutâ caussæ dictioni, clerum convocat, magnaque frequentiâ ejus ordinis, Goarem ad tribunalia citatum venire jubet. Is, ut erat magistratibus apprimè obediens, Pontificis ædes sanè fidenter introiit; nec ullam judicii procellam innocentiâ communitus, subterfugit. Igitur quæstionem illi, atque acre judicium intendere Rusticus, violatique Ecclesiastici jejunii objicere crimen; necnon in cognitionem vocare, victûs & potûs intemperantiam: relatione quoque nonnullâ factâ, de miraculis ab illo editis. Horum omnium, vitæque totius rationem reddere jussus; illud modò sedatè Goar. Deum supremum judicem, ut qui hominum intimos sensus excutiat, & cogitationum latebras habeat apertas, haud fallere; gulænè vitio an caritatis officio, convivium seriùs, an citiùs ineat. Quod porrò capi à se præstigiis quenquam objiciant, nihil sibi cum malis artibus esse commercii; omnia sua uni Deo accepta referre, ejus adversum se pietati adscribere.

B. Goaris accusatores siti fameq; vexantur.

S. Goar cervæ lacte reficit suos hostes.

Accusationis capita.

Rusticus Episcopus S. Goarem onerat falso judicio.

S. Goaris defensio.

XLIII. Hæc cùm pro innocentia sua loquitur adhuc Goar, en tibi ex ordine Cleri adest Leobigius matricularius, abjectúmque à matre partum, ut tollatur, ad Episcopum defert. Hic ignarus Rusticus, quam sibi ipse pestem in caput accerseret; seu lætatus opportunâ re, tentamento sanè quàm autori noxio, probare Goaris sanctitatem, atque experiri constituit, veráne signa Goar ederet. In medio erat infans, & circum in corona Clerus. Monet itaque Rusticus, si constare sibi innocentiam suam, si facessere calumnias omnium omninò velit, hujus infantis parentes edat, illorum nomina prodat; sin recuset, aut præ imbecillitate reformidet, ceu facinorosum ac maleficii compertum, pœnas daturum ilicò legibus.

Rustici Episcopi procaci tentamento ipsiusmet fornicatio detecta.

XLIV. Hic tam perplexo Rustici postulato majorem in modum turbatus Goar, plurimum angi animo; auderétne rem temerè, quæ in solius Dei posita arbitrio; aut pateretur in dubium venire famam, cujus patrocinium sine scelere hîc deseri non poterat: premebat hinc officium, inde gravioris plagæ metus. quid faceret? Non esse hæc satis justa imperia affirmat; signorum editionem propriam esse sanctorum hominum; se verò unum de multis, & erratis vitiisque, ut cæteri mortales, obnoxium. At, cùm ne ita quidem Rusticus acquiesceret, tum Goar, consultò suppliciter per preces Domino, audacter progressus ad eum, qui infantem tenebat; sciscitatur, quot ab ortu noctes infans explêsset? quo tres circiter respondente, subjungit: Trinitas sancta te invoco, atque te, infans, per nomen Trinitatis adjuro, ut parentum tuorum nomina signatè prodas, edásque. Tunc puer manum intendens ad ipsum Episcopum, absolutissimo sermone: *Iste*, inquit, *pater meus est Rusticus Episcopus; & matri, Flaviæ nomen est.* Defixis & attonitis stupore, quotquot aderant rei novitate clericis, paratum viro sancto crimen facillimè, & cum maximâ accusatorum, nec minore judicis ipsius infamiâ, dissolutum est.

B. Goaris modestia in reticenda Præsulis sui turpitudine.

Infans vulgo cóceptus miraculo patré suum prodit Episcopum.

XLV. Itaque, ubi proditum quod in arcanis habebat, & quæ celari posse crediderat, palam jam esse facta sentit Antistes; extemplò ipsius pudore turpitudinis admissæ, & agniti sceleris acri pœnitentiâ tactus, remedium opportunum adhibuit. Frequentissimo namque Cleri conventu, ad pedes D. Goaris abjectus, illum sanctum, gratúmque Deo confessus; se jure merito luere fatetur, & hujus subire publici dedecoris atque ignominiæ notam. Contra Goar flens, crebrisque suspiriis interceptâ voce, detectum publicè crimen vehementiùs dolere; atque ubi ad dignum eâ labe piaculum, sacerdotum judicio suscipiendum, Rusticum hortatus est; ipse etiam sponte septennem alieni criminis expiandi laborem, admirandæ caritatis exemplo spopondit; totidemque sibi Rusticus annos eluendæ noxæ desumpsit, quos in Deiparæ Matris, ac Reginæ Martyrum æde, ad littus Mosellæ, sub mœnibus urbis sanctè piéque traduxisse, res gestæ produnt majorum.

Rusticus fornicationis labem septenni pœnitentia diluit, apud ædem B. Virg. ad Martyres.

XLVI. Inde peracti Treviris judicii & accusationis propè in comœdiam versa fama, Metim in regiam nunciis ac crebris rumoribus, ad aures perlata Sigeberti, sermonem dedit omnium ordinum hominibus. Et Sigebertus, rei à primis clemētis cognoscendę vehementer avidus, per legatos ducendū ad se jussit Goarem: qui cùm

Sigeb. de Rustici lapsu & accusatione B. Goaris factus certior, Goarem ad se evocat.

B. Goar Trevirorum Episcopus salutatur; sed honorem repudiat.

illuc venisset, de miraculis atque Episcopi causa interrogatus; annuit ille quidem, cùm apertè diffiteri non posset; at nihil interim magnificum, nihil de se gloriosiùs in sermone jecit. Capti admiratione modestiæ atque humilitatis regii ministri, & qui coram aderant Antistites; mox secundissimis admurmurationibus Trevirensem eum salutant Episcopum: dignum quippe Goarem, qui tanto virtutum comitatu cinctus, & tot signorum editione clarus, abjecto Rustico, sedem illam capessat. Has voces, cùm ipse Rex Sigebertus approbâsset; tum verò Goar; vitâ carere longè sibi fore jucundius, quàm viventis adhuc Episcopi occupare cathedram. Neque Rustico negandum pœnitentiæ portum, & quando mortalibus errare labique cunctis sit in proclivi, non tam esse facilè deturbandum Ecclesiâ sacerdotem. Regem omnium in cœlis unum esse, atque communem judicem, à quo, ut erratorum ipse veniam pacémque certam expectet, ita nec verum esse, hujus aditu prohiberi pœnitentem Episcopum.

XLVII.

Rex hâc oratione vix ægrè dimotus, cùm persisteret in sententia; Goar ad maturius ineundum consilium, dari à Sigeberto sibi postulat spatium viginti dierum. Atque ita reversus ad sua, cùm acriùs se precationis studio dedens, perattentis, & præfervidis votis magnitudinem oneris deprecatur; ecce prævalidâ febri prostratus, ad languorem se dedit; qui septem ipsos annos tenuit. Atque ita Goar illibatâ sanctitatis ac innocentiæ famâ, & mutuam Rustico in pœnitentiæ laboribus operam præstitit; & oneris magnitudinem incumbentis, patrocinante cœlesti numine, declinavit.

Greg. l. 4. c. 23. Paul. Diac. l. 2. c. 6. 7. & 10. 11.

XLVIII.

Sigeberti Regis contra Hunnos expeditio.

Annus Chr. 567. Sigeb. Chron.

Porrò Sigebertum hinc multiplices excepêre bellorum curæ, quæ in omnes partes animum ejus distrahentes, vix eum passæ consistere. Hunni namque jam inde à Clotharii morte imminentes Austrasiæ, de invadenda Gallia, atque pellendis loco Francis, consilium inierant: post verò Longabardorum exemplo, qui ipsis in Pannonia hactenus conjuncti, tum autem infestis agminibus certatim Italiam petebant, vehementiùs etiam accensi, novo velut impetu capto, ferociùs in Thuringiam incurrêre, & Austrasiorum, ne elangueresceret, exacuêre industriam. Sigebertus itaque, cum universo Austrasiæ gentis robore Hunnis obviam in Thuringiam profectus, apud Albim fluvium insigni editâ pugnâ, nobilem ab infestis hostibus victoriam reportavit.

Paul. Diac. loco cit.

XLVIIII. Longobardi in Italiam transcendunt.

Transcenderant jam Alpes, Alboino Duce Longobardi; & paupertino relicto Pannoniæ rure; pleno gradu arva beata, & divitem petebant Italiam: his prævalida sese junxerat Saxonum, ex intima Germania venientium manus. Quam in occasionem Sigebertus intentus, quo securior à tergo deflueret Rhenus, Suevorum populis vacuos Saxoniæ agros attribuit; atque ita gentem armorum usu & hominum numero pollentem, obnoxiam sibi reddidit. Tetigit rem hanc Fortunatus:

Suevis Sigebertus Rex attribuit Saxonum sedes.

Lib. 6. poëm.

Sigeberte potens, generosis clare triumphis,
Hinc nova te virtus prædicat, inde genus.
Cujus rapta semel sumpsit victoria pennas,
Et tua vulgando prospera facta, volat.
*Saxone *Thuringo resonat sua dāna moventes,*
Vnius ad laudes tot cecidisse viros.
Quod tūc ante aciem pedibus prior omnibus isti,
Hinc modo te Reges, unde sequantur, habes.

* Thuringi

At quò brevior hæc Sigeberto felicitas iret, per Chilpericum fratrem stetit; qui cùm fraterni regni limites cupidine prolatandi imperii, divexatis irruptione Belgicæ secundæ populis, revellit, Sigebertus ab Hunnico prœlio domum reversus, irato animo ad acceptas à fratre ulciscendas injurias, cum victore exercitu in Suessionas contendit; atque urbe in potestatem adducta, Theodobertum Chilperici filium vivum cepit, & in custodia, clementer tamen, habuit. Hinc Childericum bello persecutus, cum acie victum turpiter, cæsúmque profligasset, anno Christi quingentesimo sexagesimo septimo, recuperatis finibus, & Theodoberto nepote restituto, debellatum est: siquidem in Chronico Sigeberti biennio seriùs hæc gesta putant annotari.

Gregor. c. 27. Sig. in hoc an.

Sigebertus Rex cum Chilperico fratre bellum gerit.

L. Brunichildis regina ex Hispania in Sigeberti thalamum adscita.

Per eos quoque dies Brunichildis nova nupta Sigeberti, morum elegantia, & laude Catholicæ pietatis, Mediomatricum regiam ornabat. Sigebertus enim, cùm fratres cerneret, avito majorum spreto sanguine, ad usus publici ferè & ancillaris sortis matrimonia se abjicere, & degeneres hinc, cum damno sobolis, uxores sibi jungere, missis in Hispaniam ad Athanagildum Visigothorum Regem legatis, Brunichildem filiam, eximiâ formâ ac raræ prudentiæ uxorem sibi poposcerat, ejusque Princeps Gogo Austrasiæ procerum longè primus; de quo Fortunatus:

Hæc acta Chron. Sigeberti ad an. 569. Gregor. c. 27. Fortun. lib. 6. poëm. 2. & 3.

Gogo Sigeberti legatus excellēs vir. Lib. 7. poëm. 1.

Principis arbitrio Sigeberti magnus haberis,
Iudicium Regis fallere nemo potest.
Elegit sapiens sapientē, & amator amantem,
Ac veluti flores docta sequestrat apes.
Illius ex merito didicisti talis haberi,
Et domini mores, serve benigne, refers.
Nuper ab Hispanis per multa pericula terris
Egregio Regi gaudia summa vehis.
Diligis hunc tantum, quātum meliora parasti,
Nemo armis potuit quod tua lingua dedit.

LI. Brunichildis Regina Arriana Catholicis adjecta.

Ergo impetrata à patre licet Arriano, Brunichildis, cum magnis ex Hispania muneribus honorificè deducta ad Sigebertum nuper venerat: inde nuptiis ritè summaque procerum lætitiâ celebratis, ad consubstantialis simul notitiam & professionem, Episcoporum ipsiusque Regis opera, traducta; additque Gregorius Turonum: *Per unctionem sancti chrismatis* in Ecclesiæ Catholicæ gratiam redactam, cùm cæteroquin, impositione manus duntaxat, reconciliare solet Occidens. Hæc verò piè, ut omnia alia, celebrans Fortunatus, hos ea de re versus reliquit.

Epist. Greg. ad Quir. &c.

Lib. 6. cit. ad Sigebert.

Catholico cultu decorata est optima conjux.
Ecclesiæ crevit, te faciente, domus.
Reginam meritis Brunichildē Christus amore
Tunc tibi conjunxit, hanc tibi quando dedit.
Altera vota coles melius, quia munere Christi
Pectora juncta prius, plus modo lege placent.
Rex pie regina tanto de lumine, gaude,
Acquisita bis est, quæ tibi nupta semel.
Pulchra, modesta, decens, sollers & grata, beni- (gna,
Ingenio, vultu, nobilitate potens.
Sed quamvis tantum meruisset sola decorem,
Ante tamen homini, nunc placet, ecce, Deo.

Insequenti

LII. ANNUS CHR. 569. Greg. l. 4. c. 29. Paul. l. 2. c. 10. Sig. in an. 571. Sigebertus cum Hunnis icit fœdera.

Insequenti anno, ab Hunnis nova in Gallias tentata irruptio; quam, cum lectissimæ juventutis ac fortium virorum evocato robore Sigebertus, avertere ab Austrasia molitur, Hunnorum præstigiis, objecto terrore, cæsi atque profligati Austrasii, extremum adjêre discrimen. Verùm, ut Sigebertus non fortitudine magis & felicitate mirâ in bellis; quàm ingenii sollertiâ, & arte conciliandi excelluit, Hunnicam barbariem universam muneribus ita placavit sibique devinxit; ut perpetuo cum gente percusso fœdere, securum Austrasiæ ab Hunnis otium, & sibi suisque ex supremo discrimine pepererit incolumitatem.

LIII. ANNUS CHR. 570. 571. 572. Suevos & Saxones cõpescit diffidentes.

Sequentium inde curriculis annorum, cum Saxonum reliquiis, quas Suevi & Alemanni Austrasiorum socii seu clientes, vicinâ suâ premebant, Austrasii crebra miscuere certamina; quorum etsi obscura ac nulla pæne vivat in veterum scriptis memoria, Fortunatus tamen ea in Sigeberti Ducum præconiis non siluit. His enim in prœliis Condanis illius Nestorii senis, qui sub quatuor jam Regibus, Sigeberto denique superstes, summos adhuc honores pace bellóque gesserat, maximè virtus enituit; & ejus duo filii hoc bello desiderati; quos elegis suis Poëta quoque laudavit:

Condanis Domestici laus & ætas.

Quæ fuerit virtus, tristis Saxonia cantat,
Laus est arma truci non timuisse seni.
Pro patria votis, & magno Regis amore,
Quo duo natorum funera cara jacent.
Nec graviter doleas, cecidisse viriliter ambos,
Nam pro laude mori, vivere semper erit.

LIV. ANNUS CHR. 573. B. Goar iterum ad capessendum Episcopatũ sed frustra invitatur.

Inter hæc publicæ molis negotia, septenium jam suum in pœnitentia exegerat Rusticus; cumque ultro sive recusaret magistratum, sive attrito vigiliis & inediâ corpusculo, se minimè agnosceret pontificatûs oneri parem, sedes Treverica novum postulabat Antistitem. Missi itaque ad Goarem à Sigeberto Rege legati, ut Episcopatum vel tum demum acciperet. At is morbi excusatione, qui gravior tum inciderat, purgans absentiam, honores oblatos, animo magno, constantique repudiavit: foreque prædixit, ut ex febri, quâ tum affligebatur, nunquam compos sanúsque resurgeret. Cæterùm Rusticus, solutâ corporis nave, cùm arreptâ quasi secundâ post naufragium tabulâ, melioris æternæque stationis portum felicissimè tenuisset; memoriam in æde B. Paulini apud Evangelistæ Joannis altare consecutus, & in Divorum numero repositus, decimo quarto die Octobris, publicam venerationem simul obtinuit: multis post mortem editis patratisque miraculis, hoc gratius sui desiderium excitavit, quò securius Christianæ pœnitentiæ exemplum reliquit. Interfusa nubilo vitæ dies, ut decus mortis lucidius enitesceret. Disciplinam castitatis ardor libidinis excussit, sed igne caritatis excoctus sacerdos, hujus vestigia flammæ sic obruit, ut in eo nescias, an plus pœnituisse, quàm non peccâsse, profuerit.

B. Rusticus pœnitentia septẽni probe piatus, exiit vita.

Colitur inter sanctos.

LV. MAGNERICUS 23. ARCHIEP. 49. EPISC.

Goare itaque nequaquam flexo, MAGNERICUS ex Nicetii disciplina, vir summâ & apud Austrasiæ Reges autoritate, & opinione virtutis apud omnium hominum ordines multò gratissimus, ad amplissimi Pontificatûs gerendum munus, gradum fecit.

LVI. Sigeberti cũ fratribus funestum certamen. Greg. l. 4. c. 47. & Aimoin. * Charibertus enim octo tantùm annos præfuerat.

Neque interim Sigeberto, ab armis esse quieto licuit; civili pessimo bello inter fratres coorto. Res admodum ita gesta narratur. * Chariberto Clotharii filio, cui Parisios sortem obtigisse diximus, exstincto, distributum inter fratres regnum, varias in portiones cessit. Chilpericus, ut qui, & maturâ jam sobole, & auctâ domo, filiorum felicitati ac successibus apprimè indulgeret, dum Sigebertus Saxonico bello distringitur, Theodobertum filium, qui juratus, fidem, arma nunquam se laturum, patruo dederat, in Sigeberti fratris possessionem immittit. Is itaque consequentibus annis septuagesimo quarto, quintóque hujus sæculi, quo & Benedictus Pontifex Romæ jam tùm sedere cœperat, Turones, Pictavos, & trans Ligerim positas urbes ferociter invadens, populationem, ejus gentis oculis insuitatam, sacris profanisque juxta cremandis atque diruendis, monasteriis abolendis, trucidandisque ferro sacerdotibus, exercuit; iisque rebus, ut par erat, Austrasiorum animos graviter in se commovit; quique rerum ordo est, inde ad ulciscendum, quod fecerat ipse facinus, accendit. Iratus itaque Sigebertus, vim magnam non hujus modò suæ gentis, verùm & trans Rhenum ex Thuringia, finitimisque provinciis cogit, & cum eis ad fines Carnutum eo animo procedit, ut paratis cum Chilperico fratre copiis decernat, ac de summo jure armis disceptet. At Chilpericus tanto fratris conspecto adparatu, cùm maximam solicitudinem, curamque sustinet, ne inter se collisæ fraternæ opes, mutuâ strage concidant; animum ad pacem suppliciter petendam inclinavit. Restitutis ergò civitatibus, quas Theodoberti filii ductu pervaserat, rapueratque, agmen in Austrasiam Sigebertus reflexit, malè firma tamen pace Chilperico fratri relicta.

Theodoberti Suessionũ Regis in Sigeberti provincias expeditio. ANNUS CHR. 574. 575. BENEDICTUS Po. an. 4. m. 1. d. 28. * Benedictus cœpit sedere an. 573. Greg. lib. 4. c. 49. Sigebertus irritatus ducit in Chilpericum & filiũ Theodober. copias.

LVII. Mors B. Goaris.

B. Goar inter hæc, morbo jam atque ætate fractior, cùm adesse summam vitæ diem animus præsagit, Sigebertum Regem per nuncios orat, ut Agrippinum & Eusebium sacerdotes, qui ultimum morienti officium tribuant, istuc ad se in Trichoriam amandet, atque eò venire, interposita regia autoritate jubeat. Iis igitur ad Sigeberti imperium cum honesto sacerdotum ac nobilium virorum comitatu eò profectis, Goar extenuatis effœti corpusculi viribus, plenus ævo atque senectâ sub eorum oculis ad cœleste domicilium migravit, pridie Nonas Julii. Exanime corpus Agrippinus & Eusebius, aliique, qui aderant Sacerdotes, & nobilitate principes viri, splendido cultu, summaque reverentiâ curarunt; atque eodem in loco & Ecclesia, quam ipse ad Rhenum flumen exstruxerat, condiderunt. Ejus verò admirabilem vitæ sanctitatem atque innocentiam præter Wandelbertum, ex quo hæc ferè desumpsimus, in Martyrologio suo, venerabilis etiam Beda celebravit, cujus hæc sunt verba: *Depositio B. Goaris Confessoris, qui in provincia Aquitaniæ ortus temporibus Childeberti Regis Francorum, statim ab infantia verus cultor Dei fuit. Hic postmodum ibi Presbyter consecratus, patriam parentesq. deseruit; & in provincia, quæ ripis Rheni fluminis contigua* * *Trichoria nuncupatur, atq. ad diœcesim pertinet Trevirorum, Deo liberè servire delegit,* usque

S. Goaris exequiæ.

Beda in Martyrol. prid. Non. Iul.

* Trigoria.

Rhabani Martyrol. Tom. 6. antiq. lect.

S. Goaris miracula strictim narrata.

usque in finem vitæ suæ. addit Rhabanus ex Abbate Fuldensi Moguntinus Archiepiscopus: *Hic hospitalis multum fuit & largus in pauperes, & Deo in sacris missis & psalmodiis instanter quotidie serviebat. Fecit enim mirabilia multa in vita sua: hoc est, cervam imperio suo stare fecit, ut quidam lassus, ab ea lactis potum acciperet. De hinc ad Rusticum Episcopum Trevirensem advocatus venit. ibiq; super solis radium per fenestram micantem, ignorans, quod solis radius esset, cappam suam projecit. Quod cum multi magicæ arti deputassent, coram Episcopo positus juxta jussionem ejus, parvum puerum, hoc est trium dierum ætate, loqui fecit, & patrem suum cum matre, quis esset, patefecit; sicq; memoratus Episcopus in scelere suo notatus, pœnitentiam accepit; & prædictus vir sanctus ad locum suum rediens, in pace vitam finivit.* Cæterùm locus, quem incoluit, multis postea miraculis, & convenarum votivâ peregrinatione, & oppido super corpus ejus exstructo, insignis evasit: quod cùm res & usus exiget, clarius & uberiùs à nobis exponetur.

Goar oppidum.

LVIII. ANNUS Chr. 576. Greg. l. 4. c. 90. Aim. l. 3. c. 12.

Sigeberti victoria cõtra Theodobertum nepotem.

Anno postero Chilpericus Rex, cum Guntrammo fratre, clam fœdere percusso, rursus in Sigebertum arma movet; & perpopulando, Rhemos usque bellum circumfert. Hâc novâ injuriâ, vehementiùs flagrans Sigeberti animus, resumptis iris, ad Chilpericum opprimendum festinat: nec ultra expectato, quam dum transrhenanas copias Austrasiorum robori aptat, inde confestim in Parisios dirigit aciem; distributisque in diversa copiis, Theodobertum nepotem, per Godegisilum & Guntramum promptissimos manu consilioque Duces, prœlio superat, & exuit vitâ. Renovato post hæc fœdere cum Guntramo fratre, totum circa Parisios territorium, captis urbibus quàmplurimis, continuato victoriæ cursu, perdomuit. Chilpericus, suis jam diffisus rebus, Tornacum profugerat cum carissimis liberis, & uxore; quare Sigebertus, motis Lutetiâ castris, præmissâ copiarum magnâ parte, Tornacum versus iter instituit, quo fratrem ob salutem contendisse, didicerat. Ubi Victoriacum ventum est, summâ cum exercitûs totius gratulatione, sublatus in scutum, Rex Parisiorum salutatur. Sed dum vindictæ appetentior, injuriam fraternam armis lacessit incautiùs, nec sancto Germano Parisiensium Episcopo periculum vaticinanti fidem adhibet, miserabili mortis genere vir militari gloriâ & religionis cultæ studio memorandus, occidit. Nam in ipso Tornacensis urbis obsidio Fredegonda Chilperici conjux rem non muliebrem ausa, pār sicariorum comparat, & spe largisque promissis onustos, in Sigeberti castra proficisci jubet, simulaturos obsequium. Illi Regem improvidè agentem, cultris validis illitisque veneno fauciunt, interimunt; ex quo regnare cœpit anno decimo quarto adhuc fluente.

Theodoberti Regis interitus.

Greg. c. 91. Sigebertus Rex Chilpericum fratrē persequēs ipse perit.

Sigebertus à sicariis interficitur. alii an. 575. Sigeberti Chro. 579.

LIX. Sigebertus Ecclesiæ Trevir. benefactor.

Episcopos Trevirorū antiquitus non exper-

Sigebertus verò inter Austrasiorum Reges longe princeps, qui afflictam & jacentem Trevirorum multiplicis excidii vulneribus Ecclesiam, possessionibus luculentis, prædiis, hominibus, ipsoque adeò latifundiorum dominatu, ad amplitudinem excitâsse, veteribus Regum donationibus proditur; quanquam & ante illum Mosellæ jus inferioris Ecclesiæ & Episcopis plurimum cessisse ex Fortunato satis jam ostensum. Quid enim aliud, repetere námque juvat, illa prænobilis Nicetio exstructa in Mosellæ ripa moles? quid operis munitio? quid in arce balistarum usus? quid piscatio? quid in basilicarum sumptus, in pauperum ac egenorum annonas, multiplex illa & frequens erogatio? frigidum prorsus ac leve uti sit, à temporariis quibusdam Mosellaniæ Ducibus, tanto post annorum intervallo, primùm emergentibus, quidquam summæ rei ad Ecclesiam hanc manâsse; cùm & ipsi Regibus, & Imperatoribus obnoxii plerunque, omnia dignitatis tuendæ præsidia, ab his pariter expectârint; & horum non suopte arbitratu, provinciam eam rexerint.

tes fuisse dominatus.

Duces Mosellanici temporarii.

LX. Sigeberti in regnando felicitas. Lib. 6. pöem.

Ut autem ad Sigebertum redeat narratio, absque Fortunati præconio esset, ejus præclaras regnandi artes posterorum ætas æquè nesciret:

Nubila nulla gravant populū sub Rege sereno,
Pectore maturo culpas indulget acerbas.
Unde alii peccant, ignoscendo ille triumphat;
Doctus enim, quoniā primū est in principe justo
Esse piū: quia semper habet, qui parcere novit,
Corrigit ipse priùs, quod possit corrigat alter.
Qui sibi censura est, reliquos benè lege coërcet.
In quo digna manet quæcunque à rege requiras,
Solus amat cūctos, & amatur ab omnibus unus.

LXI. 6. Childebertus Rex Austrasiæ a. 21. vel 23.

Childebertus Sigeberti filius patrui victoris manibus Gundebaldi Ducis fide elabitur. Greg. lib. 5. c. 1. l. 5. c. 4.

Filium Childebertum unicum reliquit impuberem; neque sceptris maturum: hic cum matre Parisiis adhuc morabatur, quando de nece patris nuncius illuc allatus. Victor interea Lutetiæ jam appropinquabat Chilpericus, cùm Gundebaldi Austrasii Ducis fide, atque rarâ in principem caritate, puer è manibus ejus ereptus, & ad Mediomatrices furtim perductus; summo ibi Austrasiorum Procerum studio, Rex creatus, paterni regni omnia jura, ipso natalis Christi die adiit.

Childeberti Regis initiū Baron. 579. Sigeberti Chronologia & juxta completos annos 577. alius 576.

Brunichildis item asseritur.

Consimilem pietatem Austrasii Reginæ matri exhibuerunt. Brunichildem námque jussu Chilperici Rhotomagum in exsilium deportatam, regni Mediomatricum patricii, post deinde repetiverunt; ac deditam, honorificè domum reduxêre.

PELAGIUS II Pon. a. 12. m. 2. d. 27.

Villicus Episc. Metensis egregia virtute. Fortunat. l. 3. pöem. fact.

Pelagius secundus hinc Romæ Pontificatum cœpit; quousque cum vita extendisse facta gloriæ sempiternæ plena Villicum Metensem Episcopum provincialem, antiquis consignatum invenio monumentis, quæ Pelagii primi, Joannis & Benedicti Pontificatum cum exhausisse memorant. Ejus laudes, à Fortunato & Villici hospite & familiari cantatas, num attexere pigeat? cùm id & hujus Ecclesiæ & urbis Mediomatricûm, quæ etiam hîc illuminatè à Poëta depingitur, intersit haud parùm:

Mosellæ & regionis Meti vicinæ facies

Salia fl. qui hodie Seila.

Mettis.

Gurgite cæruleo pelagus Musella relaxat,
Et movet ingentes molliter amnis aquas.
Lambit odoriferas vernanti gramine ripas,
Et lavat herbarum leniter unda comas.
Hinc dextra de parte fluit, quâ Salia fertur,
Flumine sed fluctus pauperiore trahit.
Hic ubi perspicuis Musellam cursibus intrat,
Alterius vires implet, & ipse perit.
Hoc Mettis fundato loco, speciosa coruscans,
Piscibus obsessum gaudet utrumque latus.
Deliciosus ager ridet, vernantibus arvis,
Hinc sata culta vides, cernis & inde rosas.

Prospicis

Prospicis umbroso vestitos palmite colles,
Certatur variâ fertilitate locus.
Urbs munita nimis, quã cingit murus & amnis,
Pontificis meritis stas valitura magis.
Villici encomium. *Villicus æthereis, qui sic bene militat armis,*
Stratus humi genibus te levat ille suis.
Orandi studium Villici. *Unde humilis terris te projicis alme sacerdos,*
Orando hinc patriæ ducis ad astra caput.
Fletibus assiduis acquiris gaudia plebi,
Pastoris lachrymis lætificantur oves.
Ictibus invalidis quamvis minitetur iniquus,
Tu quibus es murus, vulnera nulla timent.
Et licet incluso lupus insidietur ovili,
Te custode gregis nil tibi prædo nocet.
Oblectas populos vultu sine nube sereno,
Cunctorumq́; animos gratia blanda fovet.
Villici hospitalitas. *Si poscat novus hospes opem, tu porrigis escas;*
Invenit & proprios ad tua tecta lares.
Dum satias querulum, magis obliviscitur illas,
Quas habet in patriis finibus exul opes.
Qui sua dãna refert, gemitus subducit ab ore,
Gaudia restituens, tristia cuncta fugas.
Protegis hinc nudos, illinc tu pascis egentes,
Nil tibi reddit inops, reddit amore DEVS.
Horrea præmittis, melius tua condita servans,
Quas sic dispendis dat paradisus opes.
Templorum reparatio. *Culmina templorum renovasti, Villice cultor,*
Cum veniet dominus, stat labor ecce tuus.
Commissum video non suffodisse talentum,
Sed magis optatum multiplicatur opus.
Longius extentos peragas tam digna per annos,
Et maneat semper, nomen, opime, tuum.

LXII. Annus Chr. 580. Greg. l. 5. c. 14. Aim. l. 3. c. 15. Austrasia Childeberti iuventa fluctuat. Greg. l. 6. c. 11. Greg. l. 5. c. 17. In conferentiam annum 2. Childeberti. Guntrami erga Childebertum nepotem benignitas. Childeberti cum patruo Guntramo inimicitia attestimulis.

Ab Christi ortu quingentesimus, & octogesimus annus agebatur, cùm Meroveus Chilperici filius Brunichildis incesto toro genus suum dedecorans, ad Austrasiæ potiundæ spem exortus est; sed mox paternis oppressus armis, ubi basilicæ sancti Martini aliquantisper asylo defensus; hinc demum in patris potestatem redactus, attonsus, & ad cleri numerum aggregatus est. Inde Guntramus Childebertum nepotem ex fratre, missis legatis, ad colloquium invitatum, quia liberis carebat, in spem successionis adoptavit; orbumque puerum, & correptis à Chilperico patruo regni thesauris pæne egentem ornans, redditis urbibus, labantem Austrasii regni statum egregiâ suâ clementiâ atque æquitate fulciit. Hæc verò tam insignis ac propensissimæ in orbum nepotem voluntatis gratia, eo usque læta Guntramo Regi mansit, donec nova Chilperici veteris hostis beneficia, sui memoriam, Childeberto expulerunt.

LXIII. Annus Chr. 581. vel 582. Childeberti adversus Guntramum conjuratio.

Annum regni sub tutoribus jam sextum agebat, cùm ruptâ pace, quam cum Guntramo patruo firmam stabilemque sanxerat, Ægidium Rhemensem Episcopum, proceribus ei ex Austrasia junctis, omnium facilè primis, legatum ad Chilpericum misit, Novigenti tum commorantem; atque ibi inita perniciosa adversus Guntramum conjuratione, non pietatem modò debitámque gratiam exuit, sed regno depellendi & communibus armis oppugnandi propinquum Regem, consilia suscipit. Chilpericus, quò Childebertum & Austrasiorum omne nomen habeat obsequentius, quando jam vitio suo prole carebat, Childebertum nepotem regni ex asse hæredem pronunciat; initamque cum eo pactionem, manus suæ & procerum omnium chirographo roborat. Hinc igitur Childebertus, ceu hastâ jactâ, partem Massiliæ, velut à patris morte sibi debitam, ad Guntramum repetitum mittit, additis minis, sequuturi belli si recusaret. Repetit Massiliam. Greg. l. 6. c. 11.

LXIV.

Guntramus hic tam atrocibus & superbis offensus Childeberti postulatis obsideri itinera; & vias omnes, quæ Massiliam ferrent, dispositis per intervalla custodiis, observari diligenter jubet, ne quis Childeberto penetrandi in ea loca pateat aditus. Flagrabat acerbo ac pertinaci tum dissidio clerus Massiliensis; & Theodoro Episcopo suo, innocentiâ & morum probitate longè spectato, calumniis & sugillatione pravâ pestem struebat. Eo itaque pulso, ac direptis à clero simul omnibus & expilatis Episcopi fortunis, Childebertus Theodori restituendi specie, Massiliam suæ potestatis jurisque facit; Dynamium Guntrami Præfectum, in verba sua jurare cogit. At Dynamius fidei datæ prodigus, sacramentis mutatis, ad Guntramum ilico transit; & quo minus integrum ipsi Massiliæ sit imperium, per Theodorum Episcopum stare nunciat. Tum nempe incalescens irâ Guntramus, Episcopum de sede sua detractum, ac servilem in morem pulsatum, exsilio deportari jubet. Atque ea re graviores inter Childebertum & Guntramum posthac inimicitiæ, magno Austrasiæ tum primùm efflorescentis damno, exarsere: quæ tamen regni Childeberti nono demum anno, Guntramo Massiliæ partem nepoti concedente, sopitæ sunt. Occupat fraude. Amittit perfidia Dynamii.

LXV. Annus Chr. 583. vel 584. Greg. l. 6. c. 42. Paul. Diac. l. 3. c. 17. Childeberti in Italiam adversus Longobardos expeditio.

Hinc itaque liberiore à domesticis curis animo Childebertus, ad Italicam expeditionem transit, quam Mauritio Orientis Imperatori & muneribus & precibus devinctus ex fide debebat. Ingens Austrasiorum, & aliarum Francici nominis gentium trans alpes deportata multitudo; magnáque Rex usus celeritate, improvisus in Italiam irrupit; & in alpibus proximè Longobardos exercitum movit. Longobardi tantis se copiis longè conspicati viribus impares, Autharis Regis hortatu consilióque in urbes ac valida sese castella conjicere; certi mœnibus ac propugnaculis adversus Francum fore se tutiores. Childebertus ergo, perspecto, quis singulis adoriendis oppugnandisque capiendus labor, collusione interpositâ, ad suis inserviendum rebus, Longobardis viam muniit. Quare commeantibus ultrò citróque legatis, Childeberto ad pacis tandem studia munerum blanditiis traducto, Longobardi imminentem adultis vix dum imperii rebus procellam avertère, & Francicum terrorem à capitibus suis & urbibus retro egére in Austrasiam. Atque hanc expeditionem adscribit anno Childeberti nono Gregorius. Quo circiter tempore Theodorus Massiliæ Episcopus Trevirim delatus est. Is à Guntramo Rege sedi pristinæ jam restitutus, novâ rursus adversariorum excitatâ in eum tempestate, Ecclesiâ depulsus, & in custodiam datus, calamitosam & plenam ærumnæ vitam exigebat. Belli Italici conatus irritus. Theodorus Massiliæ Episcopus Trevirim captivus adducitur.

LXVI. Gundebaldus stirpem regiam mentitus.

Gundebaldus, qui filium se Clotharii quondam Regis, & Galliarum Monarchæ mentitus, nuper Constantinopoli spe novarum rerum Massiliam advenerat, isque hospitio exceptus comiter, ab imprudente & omnia alia

Greg. l. 6. c. 24.

ſuſpicante Præſule. Porrò Gundebaldum hunc, regio more, comam nutrientem, Sigebertus Auſtraſiæ quondam adeptus, abſciſſa cæſarie, mænibus Agrippinæ Coloniæ clauſerat: unde in Italiam ad Narſem elapſus, & Conſtantinopoli jam uxore & liberis auctus, cum magnis theſauris, ut dixi, redierat in Galliam. Theodorus ergo, ceu hominem exterum, & Romani nominis ſtudioſum hoſpitio tectóve recepiſſet, raptus in crimen majeſtatis; & à Guntramo Boſone Duce, captivus abſtrahitur. Interea Boſo, direptis Gundebaldi theſauris, quos ille ex oriente exportârat, ad Regem Childebertum, cum Theodoro Epiſcopo captivo venit: hunc ille per frequentes deductum urbes, tam arctâ cuſtodiâ habebat, nemini ut viſendi, vel ſalutandi copiam faceret. Poſtquam verò Trevirim acceſſit, Magnericus Trevirorum Pontifex, ut ſtudio charitatis præcipuo quodam excellebat, de ejus adventu certior factus, è veſtigio ad amnem Moſellam properat; ubi cùm clam navi impoſitum mox abductum iri comperit, gravi oratione cuſtodes increpitans; quæ iſthæc rogat, ſit impietas, à fratris fratrem aſpectu avelli? & mutuo ſalutationis officio deſtitui; quibus illi vocibus caſtigati, & autoritate ſimul Antiſtitis permoti, Theodorum in ejus conſpectum adduxêre: quo viſo, Magnericus; confeſtim ruens in ejus amplexum, ſtringensque collum oſculatus eſt: cùm verò nihil, quo recrearet advenam iſthic eſſet ad manum, veſtimenti quidpiam impertiens, non ſine ingenti animi mœrore, ab illo divulſus abſceſſit. Inde ab baſilicam S. Maximini properè contendens, ſolicitus Epiſcopi vicem, ad memoriam Divi ſe ſupplicem abjicit & volventibus per ora lacrymis, fida Divi Maximini præſidia implorat; unum illud ardenti prece poſtulans, ut præſentem Dominus Epiſcopo Theodoro, fratri ſuo, propitius opem ferret. Egreſſus foras, mulierem dæmone correptam obviam habet, quæ procaci illum ſermone ac contumelioſo verberans; ô ſceleſte, inquit, & inveterate dierum; adeon' pro inimico noſtro, atque acerrimo hoſte Theodoro illo, preces fundere ad Dominum juvat? nempe in eo conſumitur opera, ut extorris ille factus omni Gallia hiſce nos tandem incendiis & flammis, queis perurimur indies, eripiat, & tute continentes adhibere preces pro illo non deſines? atqui te præſtabat omnino rerum Eccleſiæ tuæ ſatagere, quàm hiſce precibus ac negligentiâ tuâ committi, ut aliquid pauperibus atque egentibus de ſolenni eleëmoſyna deperear. His dictis ſimul it clamor; væ nobis, qui eum non poſſumus expugnare. Qui ſanè dæmonis cruciatus, ac mulieris voce teſtatus dolor, cùm apertè Theodori affirmabant eximiam virtutem, tum Magnerici in fundendis precibus quæ vis eſſet, & meriti præſtantia, clariùs etiam arguebant.

B. Magnerici ſtudium erga Theodorum Epiſcopum captivum.

Preces B. Magnerici dæmoni inviſæ.

B. Magnericus dæmonibus formidabilis.

LXVII. *Greg. l. 8. c. 12.* ANNUS CHR. 584. vel 585. Theodori Maſilienſis Ep. ſucceſſus.

Anno poſtero, qui decimus fuit Childeberti, Theodorus Epiſcopus miſſus è carcere, incolumis jam ad ſuam Eccleſiam reverterat; vixque ex illa vinculorum jactatione reſpirare licuit, cùm novo mox crimine arreptus, à Guntramo Rege, multa indigna ac permoleſta tulit. Miſſus ad illum Rhadarius Dux Childeberti, qui cauſſam ex jure bonóque cognoſceret. Is autem ab odio atque irâ minimè vacuus, Epiſcopum, poſthabitâ actione, addicto licet vadimonio, circumvenit, Synodum Matiſcone brevi futuram obtentui ſumens, quâ judicium de Epiſcopi cauſſa, exercendum foret. Sed Guntramo Regi deditus, mitiusque ſolito tractatus: qui inde Felicem legatum ad Childebertum mittit expoſtulatum, quod Auſtraſiani ex condicto Trecis non affuiſſent.

LXVIII. Childebertus Rex Cõfluentiæ degit.

Childebertus tum apud Rheni Moſellæque Confluentes, agebat, regio caſtro tunc temporis etiam nobiles. Aderant autem Regi Pontifices Magnericus Trevericus, & Gregorius Turonenſium, autor hujus hiſtoriæ; qui poſtquam cum Rege diligenter de Theodori Epiſcopi ſalute egiſſent; eorum deprecatio tantum in Regis pectore valuit, ut Felicis auditâ legatione, & reſponſo per Gregorium Turonenſium accepto, blandis & quàm potuit modeſtis precibus, à Guntramo patruo Rex contenderit, nullum ut in poſterum Theodoro negotium is exhiberet.

Magnericus & Greg. Turon. ad eum legati.

LXIX.

Quia verò accidit id temporis Magnerico Epiſcopo noſtro, & Gregorio Turonenſi res ad conteſtandam reliquiarum ſanctitatem memorabilis, ne quidem eam prætermitti, inſtituti noſtri ratio patitur. Enimverò Præſules ambo in Confluentium caſtro, cum Rege in ſerum diei commorati, poſtquam rogati in cœnam differuntur, multâ jam nocte recedentes, apud ripam offensâ paratâ tum ſcaphâ, ad trajiciendum ſe flumini credunt. Ibi tum multitudo fortè trajiciendi avida, cùm certatim irruit, & onere ſuo & numero cymbam deprimit, undis ea cœpit dare latus: at quæ mira Dei virtus, cùm labro tenus influunt aquæ, & undique turbatis omnibus, vectorem cingunt fluctus, mergi tamen ſcapha non potuit. Idque tam præſentis è cœlo ſubſidii decus, tum ad beati Martini reliquias, quas Epiſcopi ſecum habebant, tum aliorum ſanctorum venerandos cineres pertinuit, quorum ſuffragationibus ac virtute non dubitarant Antiſtites, ex tam præſenti ſe diſcrimine ereptos. Navigio igitur ad ripam unde venerant adpulſo, expoſitis vectoribus, & exhauſtis undis, Epiſcopi provecti curſum tenuerunt incolumes. Salutato itaque poſtridie Rege, iter porrò faciunt ad Epoſium caſtrum; ubi monaſterio ſancti Wolfilaici eximiâ tum innocentiæ famâ Diaconi, comiter ac benigniſſimè pro hoſpitio uſi. Atque hoc in loco dum morantur unà, igniti in cœlo radii, ac nubes ſanguinolentæ conſpectæ: tantáque & tam coruſca radiorum ac nubium vibrantium vis extitit, ut quaſi quædam prodigia, nec obſcura iræ cœleſtis oſtenta, religionem etiam viris ſanctis incuterent. Guntramus rex graviore de hinc morbo implicitus, dum ſaluti ſuæ conſultum omnino cupit, Theodorum Epiſcopum Maſſilienſem libertate donatum, ad propria denique reverti, paſſus eſt. Qui Maſſiliam, ut revenit, cum magno faventis populi honore exceptus, ac ſedi ſuæ reſtitutus eſt.

Reliquiarũ S. Martini virtus.

Epoſium caſtrum, ſeu Ivodiũ, *de quo paulò infra.*

Oſtenta cœleſtia.

Theodorus Maſſil. reſtituitur.

LXX. Synodus Matiſcon.

Pòrrò eodem tempore, quo Synodus Epiſcoporum apud Matiſconenſem urbem, Guntrami Regis juſſu congregata fuit, Childebertus apud Belſonancum villam, in Arduennæ mediæ receſſu, ſuos in unum convenire

juſſit.

Guntrami Bosonis facinora & exitus.

jussit. Ibi, cum rebus aliis motæ curæ, tum de recenti quodam Guntrami Bosonis flagitio facta quoque relatio. Hic etenim cultus amplissimis honoribus à Childeberto Rege, ubi semel avaritiæ cupidinique fræna laxavit, ad mortuorum quoque busta & cadavera prolapsus, ne his quidem violandis abstinebat.

Sepulchri violatio.

Diem obierat non ita pridem uxoris propinqua; hujus magnis ornamentis auróque multo convestitum cadaver in urbis Metensis basilica magnificè conditum erat: thesauri insidiator Boso mox adornat, qui Basilicam ipso die S. Remigii ingressi, præclusis foribus, & effracto sepulchro, omnem cadaveri ornatum detrahant; nudentque, ut ipse rebatur, auro supervacaneo.

Cod. Theod. de sepulch. violat. lib. 5.

Quod facinus, cùm monachos Basilicæ custodes, minimè fefellisset, ad Episcopum, Ducemque civitatis confugiunt, iisque rem totam exponunt. Interea sceleris ministri, ablatis rebus, trepidare metu, circumspicere latebras & effugia; sed, ut omnis flagitii conscientia metuit & angitur, veriti ne in ipsa deprehensi fuga, summum in cruciatum venirent, regressi ultrò ad Basilicam, omnem quem inde tulerant ornatum, in ara reponunt. Neque interim prodire, pedemque è templo usquam efferre ausi, liberâ subinde voce, à Guntramo Bosone se missos, & instructos, vociferantur.

Guntramus ut sacrilegus appetitur.

Id igitur indicium Childebertus ratus sufficiens appetendi Guntrami, hunc in conventum pertracto, crimen sacrilegii intentat, quâ ille re, ceu inopinatâ, perculsus, certusque damnationis, ob magnitudinem infamiæ, & anteactæ etiam vitæ scelera, fugâ clam inde lapsu, instantia mala quidem vitavit non magis, quàm distulit. Itaque bona ejus, quæ apud Arvernos ex fisci vectigalibus conflârat, in publicum addicta, proscriptáque sunt.

LXXI. Magnericus Theodobertum è sacro fonte suscipit. *Greg. l. 8. c. 37.*

Posthæc, Childeberto Regi filius natus; qui à Magnerico Trevirorum Episcopo in sacro fonte susceptus, Theodoberti nomen tulit. Quæ res usque adeò Franciæ fuit, ipsique Guntramo Regi læta, ut missis repente ad infantem per legatos muneribus, id gaudium publicâ gratulatione duxerit sibi cumulandum.

LXXII. S. Rhadegundis mors. ANNUS CHR. 587. aut 588.

Annus inde consecutus Childeberti circiter decimus Radegundis Thuringici generis præstanti sanctimoniâ reginæ discessu non obscurus: quo nimirum anno, Guntramus Boso adhuc vario periculorum æstu miserè jactabatur. Etenim à Childeberto rege adversa & sæva meritissimè perpessus, nullo magis posthac exterritus est, quàm quòd Brunichildem reginam sine miseratione infensam sibi, & implacabilem haberet. Illam námque Childeberto adhuc tenero rector appositus, contumaciâ ac multis injuriis affectam, graviter exstimularat; quamobrem inexorabilis mortem atque extrema supplicia reo destinabat.

Guntrami Bosonis catastrophe. *Greg. l. 9. c. 8.*

Boso itaque propinquiore jam periculo, offundi pavore; neque loco, neque homini cuiquam, satis credere; postremò, cum primoribus viris circumire domos, orare, quos antea despexerat Episcopos; vocem adversum pericula poscere. Abnuentibus cunctis, cùm diversa prætenderent, eadem formidine Viridunensem Ecclesiam petit, Agericum eximiâ præstantique religione Episcopum ambit, qui flagrantissimâ tunc erat apud Regem gratiâ: hujus fidem obtestatus, poscit opem auxiliumque rebus afflictis:

Agericus Episc. Viridunen. ejus causam suscipit.

Agericus metu labantem verbis primùm firmat; ac dein fide datâ, caput salutemque periclitantis impigrè defendit, oppositâ Childeberti Regis tutela; qui incolumitatem spoponderat hac lege, ut dum judicio postularetur, in potestate maneret Episcopi.

Lib. 9. c. 10.

Die igitur constitutâ causæ dictionis, cum Agerico Viridunum Guntramus Boso, redire jussus. Interea Guntramus Rex de cognitione rei capitis Childebertum, missis legatis, ad colloquium invitat. Childebertus, assumptâ matre Brunichilde, cum conjuge, & sorore, obviam ire patruo, nihil differt. Aderat in Comitatu Regis Magnericus Trevirorum, admotúsque tribunali Boso, cùm magnorum criminum reus tenetur, judicio convictus, capitalem sententiam, Guntramo Rege pronunciante, accepit. Damnatum pœna sequi oportebat, ut à percussoribus interficeretur.

Magnerici discrimen in Guntrami comprehensione.

Cùm igitur nulla superest salutis via, ad Magnerici Episcopi convolat diversorium, consilium capturus ab ultima desperatione. Ergo foribus objectis, removet ab Episcopi latere clericos, cæterúmque comitatum ilicò secedere jubet. Percussores interim diversorio circumsessô, hominem ne elabatur, vallare; omnes perattentè custodire exitus. At Boso furiosi opera edere, arripere ferrum, & mucronem intentare Magnerico, orare, miscere precibus minas, versare in omnem partem Præsulis animum, & quæ natura pavoris est, dum acer & extrema admonens, vertit in rabiem, nî opem salutemque ferat Episcopus, mortem atque omnia tristia denunciat.

Boso salutem desperans S. Magnericum extremè sollicitat.

Et quid jam agitur, inquit, ago; aut quò potissimum infelix me converto? En observatur vestibulò, minacem percussor vibrans gladium, ad meum, ut vides, intentus paratusque hauriendum sanguinem: per sanctitatem itaque tuam, per communia parentum jura, & per illam, quâ certè polles apud Regem gratiam, prohibe injuriam, opitulare, quæso, extremum periclitanti; atque hoc, vitam inter necemque fluctuans caput, supplicii eximito; sin autem, unà moriere mecum, & fuso gladium hunc cruentabis sanguine. Hoc terrore perculsus Episcopus, quippe, qui ferrum ante oculos micare, nullam opem, exclusis jam suis, mortem autem prope imminentem conspiceret: ecquid faciam, inquit, & quàm diu à te detineor? aut quas, obsecro, tuas vis injurias persequar aut prohibeam? si auxilium poscis, & in me salutis spem ullam reponis, sine vel Regem adeam, illiusque misericordiam pro te supplex implorem.

Magnerici Abbates & clientes, *quos * Creditos appellat, Greg. Turon.*

At ille; nequaquam verò, sed Abbates tuos & * clientes interpone, qui hæc mea ad Regem postulata deferant. Missis itaque ad Childebertum pacificatoribus, res sive errore, seu eruditâ fraude, vulgatur; nempe, Bosonem in Magnerici confugisse tutelam, & receptum intra tecta, palam ab Episcopo defendi. Ad ejus famam nuncii irritatus Guntramus, pereat simul Episcopus, inquit, cum autore perfidiæ: quando egredi domo, & vitare periculum non curat. Quod, ubi responsum ad Magnericum perfertur, nuncios ad Regem Guntramum mittit, qui facti rationem sui

exponant; simulque miserrimam conditionem, in qua versetur, aperiant. At Rex aversus irâ, cum præ Bosonis ultione alienum vili pendit sanguinem, conjicere in domum faces, & flammis cremare diversorium imperat. Hanc tam præcipitem & furentem Regis iram, clerus aversatus, factâ manu, certatim concurrit, & effractis ostii repagulis, Pontificem suum vi extractum, è flammis in tutum reponit. Tum Boso vallari se incendio terribili conspicatus, stricto ferro erumpere, & mortem in ipsa morte quærere. Vix autem lymphatus prosiliit ille, cùm è multitudine circumfusa, fuit, qui hastâ in caput ejus libratâ, frontem graviter illisit; quo ille ictu velut in furorem versus, dum cæsim appetit circumstantes, confertis omnium telis, & lancearum cuspidibus, ita latera ejus undique perfossa, ut semianimem labantemque hastilibus, sublimi tenerent, quo minus corrueret in terram. Interfecti ex ejus comitatu plerique alii, omniumque cadavera in campo propalam exposita: ægréque à Principibus impetratum, ut contingeret honos sepulturæ. Hoc itaque tam miserabili & atroci fine, Guntramus Boso, amplam nec seram vexati per omnia injuriarum genera Theodori Massiliensis Episcopi, mercedem retulit.

S. Magnericus ab incendii periculo liberatur.

Guntr Bosonis mors.

LXXIII. Gregor. l. 9. c. 9. & 12. Ursionis & Berthefredi conjuratio.

Per eosdem quoque dies Childebertus ab Ursione & Berthefredo Ducibus atrocem in se conflatam conjurationem, cum horum supplicio, tum aliorum multorum cædibus expiavit; Berthefredo etiam Viriduni in Agerici Præsulis oratorio crudeliter interfecto; quâ re Episcopus graviter commotus, nullis neque Childeberti muneribus, neque blanditiis ad facinoris oblivionem, aut ad animi æquitatem ullam remolliri potuit. Et verò fuit mira, hac ætate Basilicarum sanctitas; & ab his asylis quamlibet facinorosum avellere, rarò tum habitum impunè.

Asylorum reverentia.

LXXIV. Magnerici in templorum fabricas munificentia.

Cæterum Magnericus cleri eximio adversus Pontificem suum amore studióque, ex tam præsenti discrimine ereptus, omnem deinceps curam ad Ecclesiæ suæ dignitatem ornandam augendámque transtulit: quippe, præcipuâ quadam ardens & insitâ penitus religione, Christo cœpit divisque templa collocare. Præcipuè verò Divi Martini veneratione delectatum, oratoria sub ejus nomine felici auspicio variis in locis inchoata, testantur. Ac primum quidem propter amnem Mosellam, quâ respicit occidentem civitas, ædem sanctæ Crucis, quondam à Tetradio senatore, Martino adhuc tum superstite, locatam, jam verò seu communi urbis excidio, seu vetustate collapsam, liberali sumptu restauravit; ibíque monasterium, Beati Martini honori, loco prorsus amœno condidit; adductis è disciplina sancti Benedicti, viris religione præstantibus; quibus & opulenta subsidia ad tolerandam vitam benignè præbuit, & Isingerum, vel ut alii malunt, Ingerum, Abbatem præposuit. Mox etiam aliud in monte Martio, qui Orientem versus, campum Martium olim inclusit, templum B. Martino construxit; quod temporum injuria tamen, jam prorsus excidit. Novissimum Caradoni, perveteri Romanorum castello, eidem Divo templum consecravit. Cæterùm, quòd in Vabrensi pago, hoc munificentiæ genus eidem veteres libri tribuunt, id luce clarioris explicationis indiget. Etenim Ursio & Berthefredus conjurati, cùm à Childeberti exercitu ad pœnam quærerentur, ipsi in Trevirorum fines seu pagum Vabrensem elapsi fugâ, se, uxores, liberos, familiam & fortunas in Basilicam sancti Martini incluserunt. Erat autem illa Basilica recens exstructa apud villam Vabrensem, in ardui montis fastigio, ubi antiquitus castrum stetisse; quod non curâ, sed naturâ munitum fuisse, suo tempore meminit Gregorius Turonicus; ut & Basilicam illam, à Childeberto Rege conditam, innuere videtur. Equidem Wulfilaicum Diaconum mansionibus additis expolitsse, Magnericum fundis additis dedicasse, tradiderim. Nam montem hunc octo millibus passuum abfuisse Ivodio seu Eposio castro, Gregorius scribit; atque in hoc monte à Wulfilaico ædificatum monasterium seu habitaculum Clericorum, quibuscum vixit. Basilicæ verò dotes fuisse prodit, ut Franci eam religiosè frequentantes sanitatem D. Martini patrocinio recuperarent, perjuri non inulti Jusjurandum ibi violarent.

S. Crucis & S. Martini ædes cum monasterio Trevir.

Isingerus I. Abbas S. Martini.

Ædes altera D. Martini in Martio monte.

Caraduni tertia.

Greg. Turon. l. 8. hist. Fran. cap. 11. & 16. Bernol. 9. c. 12.

Basilica S. Martini Vabrensis.

Ejus autores. Vulfilaicus Diaconus monasterii apud Ivodium conditor.

LXXV. Pagi Vabrêsis origo, situs & magnitudo.

Sed jam me pagi Vabrensis monet obscurata celebritas, ut eam quacunque possum in lucem retraham. Sanè primus ad ejus originem Gregorius digitum intendit; qui prodenda Basilica, & Eposini castri vicinitate, pagi vestigia delineavit. Cæterùm hunc pagum districtus olim fuisse Treverici, multa veterum monumenta perspicuè contestantur. Ipse quippe Gregorius S. Wulfilaicum repetit territorium urbis Trevericæ expetiisse; & in monte, qui propè aberat Ivodio, domicilium sibi apud Basilicam sancti Martini collocasse. Ivodium autem, ut loco monebimus, in potestate olim fuit Trevirensis Ecclesiæ, à qua Comites Chimacenses loci dominium adepti, in multos inde annos retinuerunt. Jam verò, ut pagi hujus limites clariùs etiam agnoscas, excurrisse illum ab Ivodio per Chimacum in vallem usque Alisontiam seu Marischanam liquidò constat, cùm veteres tabulæ donationum, quando apud Lutzeburgum Marischium sive Merschium exprimunt, id in pago Vabrense situm confirmant. Adhæc loca, quæ velut triangulo Marvillæ, Montmedio & Virtono circumjacent, non dubitem contribui Vabrensi territorio. Nam Juveniacum, ubi hodiéque Trevericæ Christianitatis sedes est, præclarum habet nobilium Virginum ordinis S. Benedicti monasterium; id quod jam inde à Caroli Calvi ætate in pago Vabrense conditum traditur, quando isthuc Richildis Augustæ ope studioque S. Scholasticæ sororis Divi Benedicti corpus ex Cenomannis importatum est.

In Treverensi territorio.

Ivodii dominus olim Archiepisc. Trev. & Comes Chimacensis.

Mertzarthal.

Juveniaci ornamenta.

S. Scholastica in pagum Vabrensem translata.

LXXVI.

Porrò Magnericus, quò diœcesim suam sanctissimis decessorum legibus, institutis, templorum religione, aliisque id genus præsidiis egregiè communitam, porrò sospitem traderet successoribus; consuetudinem hanc majorum perpetuam retinere instituit, ut si quid in moribus vel Ecclesiastica disciplina, usquam labasset, ejus se corrigendi continuò ducem & autorem præberet. Ergò provinciam ille frequenter obire, cuncta diligenter loca inspicere, & quidquid demum hac in parte

S. Magnerici inspectiones reformādi caussa.

In S. Gangerici actis apud Sur. & MS.

Eberwini.

parte canon jubet Ecclesiasticus; id omne vigili, summaque curâ tueri.

LXXVII. Ivodium & Clerus ibidem à Magnerico visitantur.

Ivodium oppidum ditionis Lutzelburgicæ, Treviris in meridiem distat millia passuum circiter quinquaginta sex. Epoisum ei nomen ex Antonini itinerario, ex Gregorio, Eposium dedimus. Assidet collis imminentis radicibus, purioris soli subjectâ planicie, quam Chares seu Cherreus amnis alluit; qui multâ riparum amœnitate lætus, denique supra Sedanum in Mosam evadit. Huc Magnericus aliquando profectus, postquam sciscitatus, multa super clericorum moribus, ac bonis exemplis inter alios, majorem in modum illi beatus Gaugericus tunc adolescens ac in cleri rudimentis tyro, commendatus est. Illum literis divinis animum apprimè nec segniter imbutum habere, psallendis in templo sacris hymnis sedulum adesse; denique, quem ex Ecclesiæ proventu cibatum acciperet, hunc omnem in pauperes erogare. Quâ commendatione virtutis recreatus Antistes, non sese continuit, quin è vestigio puerum accersiri, atque coram adesse præciperet. Tum vultum, oculos frontémque diligenter contemplatus, cùm jam signa daret & virtutis & ingenii, verbis primum pueri studio egregiè collaudato, suis ipse manibus, fusis ritè super eum precibus, totondit, & clericum pronunciavit: inde & Diaconi honore ad extremum insignivit. Gaugericum autem Cameracensi Ecclesiæ à Childeberto Rege Episcopum, ex actis ejus vitæ constat, cujus quidem honoris * primordia satis convenienter temporum rationibus revocantur ad annum DLXXXVI.

S. Gaugerici adolescentia.

S. Gaugericus Cameraci fit Episc. *Greg. l. 8. c. 15.* * *Ægid. Bucher. ad Tom. 2. Leod. Episc.*

LXXVIII. Wolfilaici Diaconi excellens & severa religio.

Longobardus origine erga S. Martinum pius.

Quia verò Wolfilaicus Diaconus apud Ivodium, Trevirensis & diœcesis & juris quondam oppidum, hoc quoque tempore, singularem opinionem habuit sanctitatis, haud nullius fructus erit, pauca ex iis, quæ magna cum laude pietatis ille gessit, ad memoriam transmittere posteritatis. Hic genere Longobardus, puerilibus etiam annis rerum mirabilium famâ, quæ de S. Martino toto terrarum orbe latè tum percrebuerat, excitatus, eximio ac præcipuo quodam erga sanctum illum studio agi ferrique: nam & pervigiliis illum colere, & si quid pecuniæ redegisset, id omne liberaliter Martini nomine in pauperes solebat distribuere. Crescente itaque cum annis desiderio, postquam prima literarum rudimenta posuit, ad Aredium Lemovicinum Abbatem, qui tum egregiâ sanctitatis laude præstabat, in Galliam contendit: hujus operâ Turones ad beati Martini Basilicam deductus, voto, cujus se damnaverat, ritè persoluto, inde cum Aredio digressus est.

Aredius Lemovix Abbas.

LXXIX. Reliquiarū cultus illustri miraculo contestatus.

Accidit tum ibi proficiscentibus res mira; & ad reliquiarum item honorem venerationémque posteris commendandam, in primis memoranda. Aredius ex Martini Basilica exiguum pulverem (ea tum erat hominum religio) de sepulchro Sancti abrasum, benedictionis ergo sustulerat: hunc lipsanothecæ capsæve inclusum, de collo Wulfilaici suspensum, gestabat, oratorio, quod Lemovici habebat, inferendum. Ad monasterium igitur reversus, posteaquam pulverem reverentiâ, quâ par erat, velle deponere cœpit, usquè adeò sub oculis astantium pulvis ille multiplicari augerique visus, ut confertâ jam capsâ, cùm exuberantem arenam excluderent angustiæ, ubertim efflueret, & elaberetur undique. Hoc tam claro ante oculos suos Wolfilaicus animadverso prodigio, statim mirifico quodam æstuavit abjiciendi sæculi desiderio. Hinc omnes in unius post Deum Martini virtute spes conjiciens suas, agrum Trevericæ urbis expetiit, & in montis quodam fastigio, non procul ab oppido Ivodiensi, Basilicâ Divi Martini nomini primùm positâ, eam, condito ibidem denique monachorum domicilio, ornavit. Ad horum societatem priùs quàm sese adjungeret, divino instinctus spiritu, circumjacentes advenas ibi Francorum populos, fide Christianâ salubriter imbuit; simulachrum Dianæ Colosseum, quod vulgò tum apud agrestes in summo honore erat, evertit; denique ad verum Dei cultum cumplurimos eorum, assiduo labore, revocavit. Eâ re Cacodæmonis invidiâ, diris etiam ulceribus semiustulatus, graves quidem ipse dolores perpessus est: sed cùm ad explorata mox D. Martini præsidia confugeret, simul atque oleo sacro, quod è Turonibus attulerat, ulceratum corpus inunxit ejecto stirpitùs exanthemate, convaluit. Quin etiam rigidum Simeonis Stylitæ, fretus Deo, æmulari institutum, non dubitavit: quippe columnam sibi sub dio uspiam, & frigido cœlo statuens, in hac pertinaci statu summo cum totius corporis cruciatu, nudis humi plantis, perdius atque pernox, seu sol, seu imber esset, longè Socrate major persistebat. hyeme verò, quæ hisce locis incidit asperrima, cum gelu ac pruinis, & omni duritia cœli, molestum ille certamen inibat. Rigescebant artus, & uredo præmortui corpusculi extremas partes, submoto vitali calore usque adeo infestabat, ut pedum ungues sæpiùs vis frigoris excuteret, & barba gelu ac pruinis horrescens, stirias, impexa candelarum instar funderet. Atque in his omnibus tam molestis & acerbis corpusculi vexationibus, præcipua mensa, pusillum erat oleris admisto pane, sitim verò frigida levabat. Cùm itaque per has ærumnas ipse ad pulchritudinem & speciem absolutæ virtutis, vehementiùs quàm cautè properat, hanc demum tam severam, quâ se devinxerat vitæ disciplinam, Episcoporum jussu atque autoritate ponere jussus, injecto velut cursui fræno, cœnobium coluit; vitámque ibi cùm sociis, eodem innocentiæ tenore, si labores eos excipere, sanctissimè traducere perrexit.

Wolfilaici in Treviros adventus.

Monasterium Ivodii condit.

Idolum Dianæ Colossēū subvertit, & adventitios populos convertit.

S. Martini oleo ulcera curata.

Simeonis Stylitæ æmulus.

Frigoris patientia incredibilis.

LXXX. Carilephus & Ingubertus eremitæ.

Sub idem quoque tempus, Carilephus & Ingobertus conjugio virtutum; parique religionis studio Wulfilaico annumerandi, vastam Vogesi montis eremum insederunt. Cæterùm abducunt longiùs, qui Aninsulam monstrât, Carilephi sedem in Treviris, cum diversus hic ab illo Cenomannorum ditionis egregiæ notæque sanctitatis Carilepho, cujus memoria Iulii Kalendas occupat. Quem, ut dignosceres, præter acta vitæ, Nicolaus etiam Pontifex, indicium facit, liberali rescripto, quo sancti Carilephi monasterio immunitatem indulget, quod situm, ait ipse, intra Gallias in pago Cenomannico, supra fluvium Aninsulam, qui loco fortè nomen dedit. Quare etiam olim à me nimium credulo, frustra in

Aninsulæ monasteriū alterius Carilephi. *Martyrol. German. P. Canisio adscriptum. Sur. ad Kal. Iulii. Tom. 3. epist. Pontif. Nicol. ep. 62.*

Aninsula fl.

in Treviris Aninsula quæsita fuit.

LXXXI. ANNUS CHR. 588. vel 589. Childeberti XIII Greg. Turon. legatus ad Regem Guntramum pro Childeberto.

Anno sequenti Gregorius Turonensis, Metim Childeberto Regi honoris causâ obviam progressus, legationem ejus nomine, ad Guntramum patruum suscepit; quâ quidem egregiâ animi magnitudine fideque functus, præclaram operam cùm stabiliendis in amicitia atque concordia Regum animis, tum utriusque regno constituendo, navavit. Agericus autem Viridunensium Episcopus, animi ægritudine atque molestiâ, quam ille partim ex Guntrami Bosonis exitu miserrimo, partim ex Berthefredi Ducis violenta cæde contraxerat, absumptus, per eos quoque dies vitæ finem imposuit: ejus in locum Charimeres Referendarius, Childeberto laudante, suffectus est. Quia verò Agericus Viridunensis Antistes ad Kalendas Decembris sanctorum numero religiosè colitur; ipsius integritatis atque sanctimoniæ testem reddimus Venantium Fortunatum; ut cui omnia hujus æquè ingenii ac virtutis ornamenta præclarè cognita perspectaque fuêre:

Gregor. lib. 9. c. 20. 22. 23. Agerici Viridun. Episc. mors.

Carimeres Viriduneñ. Episc.

Lib. 3 poë. n. 28.

Phœbus ut elatum suspendit in athera currum,
Purus & igniferum spargit ubique jubar.
Effusis radiis totum sibi vendicat orbem,
Montes, plana replens, ima vel alta tenet.
Sic Præsul splendore animi cum sole coruscas,
Ille suis radiis fulget & ipse tuis.
Agerice sacer, cujus sermone calente,
Ecclesiæ segetes fertilitate placent.
Terrenis sterilis rebus, fœcunde supernis,
Humanas spernens, dives iture polis.
Illecebris mundi mundus, lasciva repellens,
Nil cui surripuit carnis amarus amor.
Lubrica culpa perit, neque mors de crimine gaudet,
Cum tua delictis, libera membra vides.
In templis habitando piis, sic purus haberis,
Ut tua corda, pater, sint pia templa Dei.
Eligit in tali Christus se verè recondi,
Quam sibi purgavit, possidet ipse domum.
Non dolus in labiis, nec sunt fera nubila mentis,
Sinceris animus vernat in ore dies.
Doctiloquum flumen, salienti fonte refundis,
Et sensus steriles voce rigante foves.
Ardua cœlorum pandis mysteria terris,
Per quem plus Dominum scit, timet, orat, amat.
Dogmate divino, Præsul fœcunde, triumphas,
Dans pastor montis, ne premat error oves.
Deliciis reficis, quas cælum, arva, unda ministrat,
Et satiat populos hinc cibus, inde fides.
Sumit pauper opem, tristis spem, nudus amictum,
Omnia quidquid habes, omnibus esse facis.
Hic tibi longa salus maneat, licet, inde futura,
Atque diu pastor pro grege vota feras.

S. Agerici Viridú. Ep. innocentia & candor animi. Facundia. Cõtemptus mundi.

Vitæ totius integritas.

Doctrina sacrar. liter.

Munificẽtia & liberalitas in egenos.

Alio item poëmate, sancti Agerici præconem Fortunatus agit, operam quam condendis, reparandisque templis locavit, eximiè collaudans; cujus illud initium elegans:

Poëmat. 27.

Urbs Vereduna brevi quamvis claudaris in orbe,
Pontificis meritis amplificata places.

LXXXII. ANNUS CHR. 589. Argẽtorati, quod tum Stratburgum, regia.

Childebertus regiam Argẽtorati, anno regni decimo quarto, colebat: huc illum tunc adjere Suessiones suæ ditionis populi, Regem sibi postulantes, qui præsens jura præsentibus diceret, atque, hostiles etiam motus præsentium armorum terrore comprimeret. Quorum ille postulatis annuens, Theodobertum, quem Magnericus, ex sacro fonte levarat, Regem illis dedit, comitatuque nobili & peregregio instructum, dimisit Meldos, quod oppidum est Senoniæ ad Matronam flumen.

Greg. l. 9. c. 36. Suessiones Theodobertum Austrasium Regẽ accipiunt.

LXXXIII. Annus madidus & fructu biferus.

Idem hic annus ingenti aquarum illuvie, quâ cum in Gallia ferè tota, tum in Italia præsertim cuncta latè restagnarunt, valde memorabilis. Sed autumnus etiam versus in æstatem, quod insolens atque supra naturam fuit, secundos in Gallia fructus, bifero proventu, reddidit.

Greg. l. 10. c. 19.

LXXXIV. ANNUS CHR. 590. GREGORIUS MAGNUS PON. an. 13. m. 6. d. 9. Ægidii Rhemens. Episc. accusatio.

Anno decimo quinto Childeberti, quò Magnus Gregorius suum Pontificatum inchoavit, Ægidius Rhemensium Episcopus, postulatus est læsæ majestatis, ceu cum Ursione & Berthefredo, Fredegundis materteræ instinctu, doloque, nuper in Regis exitium conspirasset. Hinc cum abripi in vincula, ac Metim continuò ad caussam dicendam, perduci Rex jussit. At verò Episcopi Austrasiani, meritò indignati, Childebertum caussam illam sibi deposcere, Regem, uti par, monuerunt officii, liberè questi, Episcopum ab sua divelli Ecclesia inauditum, & indefensum non oportuisse, multò minus abduci in carcerem; quamobrem causam eam in medium revocare, judiciumque illud universum ad se transferre nihil cunctati sunt. Childebertus itaque Viridunum ad septimum decimum Kalendas Octobris conventum indixit; quo & Episcopos regni sui frequentes adesse placuit. Ubi verò illa dies affuit, seu mutatis Childeberti imperiis, seu interveniente quacunque causâ, Metim, quòd illa civitas opportunior, convenêre Pontifices. Hic, renovatâ caussæ dictione, novis arripitur criminibus Ægidius. Affuêre testes; postulata cognitio; patres, cùm consultandum super re magnâ & atroci dicerent, comperendinato reo, triduum deliberatio tenuit. Atque ubi deinde testibus interiore curâ excussis, & circumspectis diligenter omnibus viis, denique ad ipsum delicti cubile perventum, Ægidius in Ecclesiam progressus, suopte semet præjudicio jugulâsse dicitur, majestatis crimen publicè confessus, nulloque supplicio recusato. Prælecto igitur & recitato ab Episcopis canone quem violaverat; pronunciant dignum videri, qui sacerdotio atque omni exutus honore, in Regis potestatem permittatur; inde, impetratâ vitâ, Argentoratum abit in exsilium; privati more ætatem ibi finiturus. Vir exitu utique meliore dignus, si contentus sacrati functione muneris, aut civilibus omninò negotiis temperâsset, aut parcior capessendæ rei, extra lubrica Palatii in Ecclesia stetisset. Virtutes ejus, nam perinde ut vitia, posteris notas esse convenit, Fortunatus carmine laudavit:

Childebertus Rex sibi sumit Ecclesiasticum judicium. Episcopi Austrasiani id ad se revocant.

Metensis Synodus in Ægidii Ep. causa. Baron. ad an. 590. al. 591.

Ægidius ab Episcopis damnatur majestatis.

Argentoratum deportatur exsilio puniendus.

Lib. 8. poëm.

Clarior effulges, quàm lucifer orbe sereno,
Ille suis radiis, tu pietate nites.
Nil lupus insidiis cauto subducit ovili,
Te pastore sacro pervigilante gregem.
Facundo eloquio cœlestia dogmata fundis,
Ecclesiæ crevit, te monitore, domus.
Pontificis studio correctio plebis haberis;
Ne tenebræ noceant, semita lucis ades.
Cunctorum recreas animos dulcedine verbi,
Qui satias epulis, pascis & ore greges.

Ægidii virtutes. Ecclesiastici muneris sedulitas. Concionandi facultas.

Liberalitas in hospites & pauperes

Infra hæc:

Qui venit huc exul, tristis, defessus, egenus,
Hic recipit patriam, te refovente, suam.
Qui doluit, tollis gemitus in gaudia vertens.
Exsilium removens, reddis amore lares.
Pauper habere cibum, meruit quoque nudus amictum,
Invenit hic semper, quæ bona quisque cupit.

LXXXV. *Guntramo rege moriĕte Burgūdia Austrasiæ jungitur. * Ad gesta Leod. Episc. Sigeb. Chron. an. 593.

Porrò Childeberto hinc Guntrami * patrui excessu Burgundiæ regnum accrevit; & Gregorius Turonicus, cui immensum debet Francorum gens posthuma, libros suarum historiarum absolvit; quem titulum ætatis* Ægidius noster Bucherius Francicæ Chronologiæ diligens investigator, retulit ad annum ordinationis ipsius XXI. Gregorii Pontificis v. Childeberti XIX.

LXXXVI. ANNUS CHR. 594. Galliarum & Austrasiæ vitia Gregorius magn^9 castigat.

Et eo tempore vigilabat cura summi pastoris erga Austrasiæ regnum. Magnus hoc tempore viros Ecclesiasticos avaritiæ & habendi morbus incesserat; nec minor labes ambitionis laicorum pervaserat animos: quare, ut cupiditas & immodica gloriæ sitis, fidem, religionem, cæterasque bonas artes amant subvertere; huc nimirum erant hujus sæculi mores prolapsi, ut sacra nundinari, ambire sacerdotia, atque eadem contra leges annales ad libidinem capere, vix jam nefas censeretur, aut religio. Gregorius itaque certior factus, duobus his majorum generibus vehementer affligtari Galliam, pro eo ac debuit, utrumque scriptis ad Virgilium Episcopum Arelatensem, & Childebertum Regem literis, severè castigandum, & radicitus evellendum ostendit; neque ullo pacto committendum, ut tam fœda labes Ecclesiæ corpori diutiùs insideat. Quibusdam enim narrantibus, percepisse se scribit, in Galliarum vel Germaniæ partibus, nullum ad sacrum ordinem sine pretio, aut commodi gratia, pervenire: *Quod si ita est*, inquit, *flens dico, gemens denuncio*, & iterum. *ubi nam id quod scriptum est: Gratis accepistis, gratis date?* deinde; *alios desfet etiam ex laico habitu per cupidinem inanis falsæq; gloriæ, defunctis Episcopis, tonsurâ affici, fieriq; repentè sacerdotes.* Qua in re jam notum esse, quales ad sacerdotium venerint, qui repentè de laicatu ad sacrum transierint ducatum. *Quam iste suam*, ait, *prædicationem habiturus est, qui fortasse nunquam audivit alienam? aut quando aliena mala corrigat, qui necdùm sua flevit?*

ANNUS CHR. 595. Anno Childeberti 20. Indict. 13. Christi 595

Lib. 4. epist. Indict. 13. c. 95.

Sacerdotia quæstui fuisse deplorat.

LXXXVII.

Cap. 97. locis ut sup.

Cæterùm, quò validius esset ad excitanda bona, contrariaque pellenda remedium, ad Childebertum quoque Regem querimoniæ vim derivat, quem singulari Gregorius amore, ob virtutis fideique Catholicæ propagandæ non segne studium, semper coluit. Sed Virgilio quoque Arelatensium, precibus Childeberti, cui Pontifex ob merita majorum, nihil tum abnuere visus, pallii honore ac gestamine condecorato, vicariam in rebus Ecclesiæ totâ Galliâ constituendis, potestatem, quam jam inde à beati Cæsarii tempore successores obtinebant, permisit. quam tamen in has illi leges demandavit, ut quà pateret Childeberti regnum, conventus indicere, convocare in unum Episcopos, tum etiam, si quid in Ecclesiastica disciplina prisci moris vacillâsset, restituere, & fulcire, atque ad antiquos Synodorum canones, exigere fas illi esset: causas interim graviores, & quæ plus autoritatis postularent, Apostolicæ sedis judicio reservans. Utrumque autem hisce verbis Gregorius ad Virgilium scribens complexus est: *Fraternitati vestræ vices nostras in Ecclesiis, quæ sub regno sunt præcellentissimi filii nostri Childeberti, juxta antiquum morem, Deo autore, committimus. Singulis quidem metropolitis, secundùm priscam consuetudinem, proprio honore servato, pallium quoque transmisimus, quo fraternitas tua intra Ecclesiam ad sola missarum solennia utatur.*

Pallii, seu Phrygii usus.

Virgilius Arelatensis Pontificis maximi in Gallia vicarius.

Cap. 95. ut supra.

LXXXVIII.

Lib. 8. c. 113. Cæsar. Baron. appen. 7. Tom.

Eminuit igitur hoc tempore majore quodam super omnes Galliarum Episcopos, fastigio Arelatensis; idque quod ipse Gregorius testatur, permissu, concessuque Romanorum Pontificum, qui jus tamen Metropolitanis cuique suum integrum servabant, nihil unius honore volentes multorum aliorum privilegiis ademptum. Ut enim olim Remigius, jam Virgilius, ita & aliquando hujus sedis sacerdotes, altiora modo suo sperare sunt ausi, dignitatis capturi incrementum, aliis atque aliis subinde aut rerum necessitatibus, aut temporum conditionibus.

LXXXIX. Patrimoniū S. Petri, in Francia.

Cæterùm Pontifex Romanus, hâc tempestate patrimonium in Gallia divi Petri nomine variis locis multiplex possidebat; quod piorum hominum munificentiâ Apostolorum Principi constitutum, vel indigenti Ecclesiæ subsidio, vel pauperum inopiæ fuit solatio. Id cùm aliquamdiu Dynamius Patricius Pontificis nomine industriè gubernasset, eo abdicato, ob negotiorum & magnitudinem & assiduitatem, sequenti demum anno, rebus gerendis Candidum presbyterum Gregorius imposuit. Quare etiam literis cum ad Brunichildem Reginam, cujus egregiâ tum adhuc pietas & religio constabat, tum ad ipsum Childebertum datis, Candidum vehementer commendavit; petiitque à Rege, uti in curæ partem aliquam juvare, & sicubi provoluta bonis suis Ecclesia, aut detrimentum vectigalibus ejus illatum, hæc omnia sarcire, & ad jus pristinum revocare ne molestum ac grave sibi duceret; addit muneris loco, claves, sancti Petri catenarum reliquiis inclusis, ita affabre factas, ut iis Rex de collo suspensis, contra tristia quælibet, ceu quodam divinitus concesso munere, uteretur. Et Gregorius innuit non obscurè secundos Childeberti successus. *Quanto cæteros homines regia dignitas antecellit, tanto cæterarum gentium regna regni vestri profectò culmen excellit. Esse autem Regem, quia sunt & alii, non mirum est; sed esse catholicum, quod alii non merentur, hoc satis est. Sicut enim magnæ lampadis splendor in tetra noctis obscuritate, luminis sui claritate fulgescit, ita fidei vestræ claritas, inter aliarum gentium obscuram perfidiam, rutilat ac coruscat. Quidquid autem Reges se cæteri habere gloriantur, habetis* Sed ipsi in hac re vehementiùs superantur, quoniam hoc principale bonum non habent, quod habetis.

Reliquias ex collo gestat Childebertus Rex.

Ind. 14. c. 106. Childeberti Regis encomium.

XC. Anglorum ad Christi fidem transitus.

Sub idem quoque tempus Saxones, Angli, cùm emergere è tenebris atque Evangelii lucem cumprimis intueri cuperent, egregiam desiderio suo voluntatem: ac facta deinde haud pretii inania, junxère. Gregorius enim,

cum

cùm in communibus totius Ecclesiæ vigiliis, nullam hàc curâ potiorem, & omnium vero præstantissimam cum animo suo traheret, Augustinum, virum ingenti animarum zelo sanè quàm flagrantem, eoque nomine præ cæteris probatum, mittere in Britanniam instituit. Illum autem, quo rebus omnibus instructior, insulam eam adiret, Theodoberto ac Theodorico Childeberti filiis, & Brunichildi illorum aviæ, postea commendavit; utque divini verbi præconibus in Angliam proficiscentibus, viam iidem munirent, & quâ possent ope, juvarent, per literas admonuit. Quod etiam abundè, & cum ingenti rei Christianæ amplificandæ studio, ab iis perfectum.

Augustinus Anglorum Apostolus regibus Austras. commendatur. Cap. 58. & c. 9. Indic. 14. Indic. 4. c. 56.

XCI. ANNUS CHR. 596. *Trandicum Epternac. l. 2.*

B. Magnerici obitus & memoria in S. Martini monasterio.

Ad hoc etiam vixisse temporis, Magnericum Episcopum apud antiquum scriptorem Epternacensem, reperio. Et sanè eodem hoc anno, vel summum insequenti decessisse, postulat annalium series. Itaque sub vitæ finem, ut veteribus monumentis proditur, levi febriculâ tentatus, & ætate jam laborumque magnitudine confectus, octavo Kalend. Augusti cœlestium numero aggregatur, eximiâ relictâ apud mortales famâ sanctitatis. Corpus ejus in Basilica, quam divi Martini gloriæ nominique inchoaverat, quæque à Benedictinis hodie, sed angustiore quàm olim spatio, cum ipso sacro Pontificis pignore colitur, reconditum; & posterius eum in locum, ubi nunc in crypta subterranea sub odeo asservatur, translatum. Fortunatus autem hoc carmine, quod Eberruino sancti Martini Abbati debemus, præclaras ejus virtutes, atque animi ornamenta cecinit:

Culmen honorificum, patrum pater Archisacerdos,
*Pontificale decus, * proficiensq; gradus.* [* proficiente]
Quem fidei titulus meritis erexit in altum,
Ecclesiaq; caput distribuente Deo.
Discipule egregii bone Magnerice Niceti, [Discipulus S. Nicetii]
*Nominis * auspicio magne canende * tui.* [* al. auspicium canendo. * mihi.]
Clare sacro merito, tanto informante magistro,
Quem reparas operum fructificante loco.
Cujus opime sequax sancta & vestigia servans,
Rite minister agens, ecce magister ades.
Auctorisq; pii successor dignus haberis,
Heredisq; sui frugi-parensq; manet.
Crevit post obitum pater, & te crescere fecit,
*Dum capit ille polum, tum * capis arce locum.* [* Totu]
*Grex alitur per te vice * præcessoris alumne,* [* præceptoris.]
Nec sua damna dolet, dum tua lucra tenet.
Fratribus optandus, jucundus honore ministris. [Gregi carus]
Carius & populis, pastor amore places.
Te panem esuriens, tectum hospes, nudus amictum, [Misericors in egentes.]
Te fessus requiem; spem peregrinus habet.
Hæc faciens intende magis venerande sacerdos,
Ut commissa tibi dupla talenta feras.
Pro Fortunato exorans quoque dulcis amator,
Spem mihi dans veniæ, sit tibi palma pater.

XCII. GAUGERICUS. *An Magnerici successor S. Gaugericus Cameraceni Episc. extiterit. Vita Gaugerici Sur. 11. August.*

Excepisse deinde Magnerici pontificatum Gaugericum eundem, qui Cameracensibus Antistes fuit, posteris persuasum Golscherus cupit, qui Trevirensium gestorum memoriam olim contexuit. Cæterùm, quid hic ejus fidei tribuere, & quatenus assentiri conveniat, accuratiùs etiam investigandum est. Gaugericus Episcopus Cameraci summâ Cleri voluntate à Childeberto Austrasiorum Rege expetitus, at ab Ægidio Rhemensi Episcopo consecratus, literis iis perscribitur, quæ de ejus vitæ memoria jam certè quidem in Ecclesia publicè leguntur. Porrò antiquitatis justum eas habere pondus, vel inde mihi non obscurum, quod ab iis pleraque mutuatus Eberuuinus Trevericus Abbas, in Magnerici vitam propè syllabatim inclusit; eaque omnia inde desumpsit, quæ de Gaugerici educatione & adolescentia, nos olim memoravimus. Rexisse proditur Cameracensem Ecclesiam annis undequadraginta; & ea in sede Pontificem claruisse, hujus sæculi anno quarto supra nonagesimum, haud siluit etiam Sigebertus. At[…]endisse citiùs ad id fastigii, quàm Suessionense regnum, in quo Cameracum erat, Childeberto obveniret, non potuit. Obvenit autem id circa Christi annum quingentesimum octuagesimum quintum. Nec multò tardiùs iniisse Episcopatum credas: cùm Ægidius Rhemensis ipsius Ordinator sub DXC. honore sit destitutus. Cæterùm, neque tamen in ipsius actionibus vitæ, ubi exiliter enarrantur omnia, neque apud Eberuuinum, & Sigebertum, Trevericæ sedis ab illo administratæ ulla penitùs illata memoria; cùm id & in numerum ipsis maximarum laudum procedere, tum ad nonnullam suscepti muneris partem etiam pertinere videretur. Sed jam, sat scio, vetus asylum id subit, non idcircò tamen, ut si ab his nihil traditum sit, esse consequens, ut non fuerit quoque Trevirorum simul Archiepiscopus. At quo interim testimonio utramque sedem eum tenuisse conficiamus, an traditionis? ejus verò non ullum superest vestigium: scriptis libris? at horum nihil meminêre; sed ne Cameracensis quidem, quod oportuit, Ecclesiæ ad ipsum delatæ. Enimverò ab Ægidio Rhemensi Episcopum institutum consentiunt. At, cùm Ægidius Magnerico superstite majestatis reus exsilio damnatus sit, satis constat Gaugericum jam tum ante Cameraci sedisse. Sed quid? temporibus rerum id ne consentaneum, in tanta procerum ambitione, & magistratibus gerendis idoneorum hominum copia, Metropolim, raro ejus ævi exemplo & contra CANONEM SINGULARIS SACERDOTII, divisis administratam imperiis? Hàc equidem ancipiti cogitatione me versans, dum aliud atque aliud subjicit animus, denique rationem disquirere mecum cœpi, quò aliquid certius hac ipsa de re tandem statuerem: reperiebam enim Trevericam Ecclesiam, honoris ac venerationis Episcoporum suorum amantissimam, hujus non ultimæ vetustatis, etsi testatâ claritudine virtutum, nullam neque publicis in ceremoniis fastísve, neque privatis martyrologiis colere memoriam. Sed neque Udonem vel Adonem suo in martyrologio aliter ejus, quàm in Cameracensi Ecclesia noti celebratique meminisse. Ad hæc acriùs, in vetustissimos hujus Ecclesiæ catalogos inquirenti, ne Gaugerici quidem nomen usquam occurrebat.

S. Gaugerici ætas & Episcopatus Cameracensis. Sigeb. in Chron.

Paulinus ep. 5. ad Sympho[…]

Qus

XCIII. Veteres Episcoporum indices MS. non agnoscere S. Gaugericũ Trevirensem Episcopum.

Qua de caussa scriptorem actorum Trevirensium, quod in similibus accidit persæpe, allucinatum ita venit in mentem, ut pro Gunderico, quem apud majores invenerant, Gaugericum supponerent; atque deinde paratum jam illud & obvium ex Magnerici vita, illum Eposio castro oriundum, nec verbum præterea, de ipsius memoria, literis proderent. Quò verò sint etiam hæc testatiora, indicaturam ex catalogo facio, quem in ædis primariæ bibliothecâ Præsulum Trevirensium reperiebam, certè vetustissimum. hic, cum Episcopi notis sanè perantiquis usque ad Brunonem ordine perpetuo signantur, & receptis in Divorum numerum S. literâ miniatâ præfigitur: GUNDERICUS MAGNERICI SUCCESSOR ASYMBOLUS, ET OMNIS EXPERS NOTÆ, PRÆTERMITTITUR; utvel hinc liqueat, Gundericum eos, à Gaugerico discrevisse; neque illum Cameracensis Ecclesiæ proprium pastorem antiquitus sibi vindicasse Treviros. Huic igitur sententiæ, qui calculum adjicient, Gundericum, in ejus memoria, ut item duorum sequentium Antistitum, muti sunt Trevirensium annales, Magnerici probabunt successorem: at, quibus discessionem facere visum, in alia omnia, quà sentiunt ire, & Gaugericum eximiâ sanctitate virum, quem Treviris ipsa nutrivit & extulit, retineant, per nos licebit. Ipse quidem, Cameraci Pontificatum, ubi gerere cœpit, maximum studium ad redimendum captivos, atque egenis opem ferendum contulit. Populum ad omne virtutis ac religionis officium non oratione magis quàm exemplis, & operibus miris edendis, inflammavit. Divorum memorias Petragoricum, Turones, atque alia quoquoversus loca, eximio pietatis ardore supplex obiit; cuncta, quà iter erat, loca, sanctitatis admirandæ suæ gloria complens.

GUNDERICUS 24. ARCHIEP. 50. EPISC.

S. Gaugerici præconium.

S. Gaugeric⁹ claret in Episcopatu Cameracẽsi *Sig. ad an. 594.*

XCIV. ANNUS CHR. 597. *Aim. l. 3. c. 81. & 82. Paul. Diac. l. 4. c. 4.*

At Childebertus inter hæc duorum regnorum vallatus præsidiis, ubi ad patris ac patrui necẽ ulciscendam, quos factione Fredegundis Chilperici uxoris periisse didicerat, fidentiùs quàm cautiùs in Suessiones exercitum ducit, Fredegundis cum Clothario adhuc lactanti filio, obviam se ferens, peritiâ locorum Childeberti copias tantâ strage concîdit, ut, quod Paulus etiam Diaconus non siluit, triginta millibus amissis è suis, Campaniáque Rhemensi horrificâ populatione, humanoque sanguine passim cruentatâ, haud parùm opibus his detractum fit.

Childeberti adversum prœlium.

XCV. Varinorum exidium, *alias Varni, ut Aim. c. 83. l. 3. Tacitus in German. Varinos agnoscit. Paul. Diac. l. 4. c. 7. Sigeb. Hermannus. Sed Bosc. rerum lib. 3. V. C. bd. Velserus*

Inde verò, quiete nullâ concessâ, Varini populi Germaniæ trans Rhenum cùm arma sumpsissent rebelles, adducto in eorum fines exercitu, gentem pænè totam ad internecionem dedit. Mox Tassilonem, ut Paulus Diaconus aliique nonnulli Chronologi volunt, Bavariæ Regem instituit; atque eum adversarium Hunnis & Slavis, qui infesti & graves eo tempore in Austrasiæ fines imminebant, opposuit.

Tassilo aliquot annis citius Rex instituitur.

XCVI. ANNUS CHR. 598. *Sig. Aim. l. 3. c. 83. Paul. Diac. l. 4. c. 12.* Childeberti Regis Austrasiæ mors

Post hæc, anno scilicet regni sui vigesimo tertio, qui à Christo nato numeratur DXCVIII. cum uxore Faleubâ, è rebus humanis exemptus; non sine suspicione veneni: superstitibus liberis Theodoberto natu majore, cui Austrasia, & sedes Metis; ac Theodorico, cui Burgundia ac domicilium Aureliæ obtigit; aviâ Brunichilde, ob nepotum teneram & imbecillem ætatem, regnum aliquamdiu sustentante. Fuit Childebertus Rex multarum virtutum ornamentis, sed religione vel inprimis excultâ, spectatus. De tempore mortis ipsius, eruditi non consentiunt. Nam, qui ex Gregorii Magni epistolis, ad Indictionum characteres litem revocant, Baronio præeunte, biennium annis regni ejus detrahunt; & obiisse pugnant anno Domini quingentesimo nonagesimo sexto. Siquidem eâdem Indictione XIV. quæ annum istum comitatur, epistolam, nunc Childeberto ceu superstiti, nunc liberis & aviæ Brunichildi, ceu, mortuo patre, hæredibus inscripsit. Unde Childebertum jam tum ad plures abiisse, colligunt. Cæterùm Aimoinus interim disertè regno ipsius annos dat tres supra viginti. Et Appendix veteris scriptoris ad Turonensem, obiisse perhibet anno * quarto ab inito Burgundiæ regno. Denique eòdem ducit Sigeberti Chronicon, cùm more suo, biennio præcurrens annum Dionysianum, finem Childeberti, ad initium signat sæculi insequentis. Et annos ejus extendi, bella suadent, & actorum magnitudo, quæ Guntrami mortem insecuta sunt.

7. THEODOBERTUS REX AUST. an. 7.

Childebertus quot annis regnarit. *Cæsar. Baron. ad ann. 596. A. gid. Bucher. de Frãc. regum Chronol. ad 1. Tom. gest. Leod. Episc.*

Aim. & alii qui 23. annis regnasse ferunt, obiit 598. Sig. 600

* accipe de labentibus & non integris.

XCVII. Porrò post Childeberti discessum Chilperici vidua Clotharii mater, Fredegundis, sæva mulier infensaque Childeberti soboli, nefariis acta consiliis, quàm maximas potest armare copias, moliri, parare omnia, quibus Austrasianorum progeniem armis obtereret, atque ab ipsa stirpe revelleret. Exercitu igitur in eorum fines deportato, Theodoberti copias infirmiores, nullo negotio dissipat, & multiplici patratâ cæde, in fugam vertit. At hujus victoriæ lætitiâ non diu exultavit: anno quippe postero improbam vitam multorum sanguine profuso funestam, conscelerata destituit.

Fredegũdis Regina Austrasiam vastat.

Aimoin. l. 3. cap. 86.

ANNUS CHR. 599. *Sig. in an. 601.* Fredegũdis moritur.

XCVIII. *Paul. Diac. l. 4. cap. 12. Aim. l. 3. c. 85.* Hunnorum irruptio in Thuringiã.

Nec minore clade hinc afflicta regum orbitas, Hunnis ex Pannonia acriùs & effusiùs, in Thuringiam sese incitantibus. Ergò multis cum effera gente prœliis editis, graviter attritæ Austrasianorum vires: donec Brunichildis ad extremum auro muneribusque hostilem pestem retrò in Pannoniam avertit.

XCIX. Sæculum à Christo nascente sextum exibat, cùm Gundericus Trevirorum Antistes, in Treverica sede floruit, nec vitam ultra hos annos longiùs extendit. Ei Sebaudum sufficiunt veteres Episcoporum indices; nos verò Severinum præire Sebaudo malimus; quòd ita Modoaldi vitæ memoriâ valdè persuadeamur. Neque hîc dissimulandus error eorum, qui ex Gregorio Turonensi, Severinum hunc Burdegalensem præsulem eundem esse testantur, cui ex Oriente in Galliam profecto Burdigalæ B. Amandus pontificatu cesserit; quo brevi dein vitâ functo, Amandus item ad solita rei Christianæ gerenda munia redierit. Quæ sanè persuasio, ut malè consistat, vident nullo negotio veteris historiæ non prorsus imperiti. Quid enim ex Paulini præcellentissimi Nolani pontificis diversis, ad hunc Amandum datis literis, fieri potuit clarius, quàm annis illum hinc retrò in Gallia ferè floruisse

ANNUS CHR. 600. SEVERINUS 25. ARCH. 51. EPISC. *Steph. Leod. Abbas apud Sur. tom. 3. Gesta Trever. MS. Lib. 2. hist. Franc. c. 13. & de glor. Confess. c. 45.*

Severinum hũc esse diversum à Burdegalẽsi notandum.

S. Amandus Elnovensis. Sig. ad an. 614.

ducentis? Neque Severinum hunc nostrum, ullis annorum curriculis, cum ejus ætate posse copulari? certè, si Amandum Elnovensem post Trajectensem Episcopum nuncupâssent, qui Sigeberti testificatione, jam tunc per Gallias miraculorum & prædicationis gratiâ clarescebat, non tam difficiles haberent explicatus. Neque abhorret à fide cognationem vocum imposuisse parùm attentis, nec vetera cum curâ reputantibus. Severinus itaque hic noster diversus ab illo Burdigalensi; & antiquam habet sanè venerationem sanctitatis, quando ad vigesimum mensis Decembris eum fasti, Severini secundi nomine, recipiunt.

S. Severinus II. colitur 20. Decêb.

C. ANNUS Chr. 604. Indices summi templi & mart. antiq. SABINIANUS Pon. m. 5. d 19. ANNUS Chr. 605. BONIFACIUS III. Pon. m. 8. d. 23.

Anno inde sexcentesimo quarto, indictione VII. Romæ moritur Gregorius, re pariter ac nomine magnus, Ecclesiâ domi forisque egregiè administratâ, temperatâque multis præclaris institutis ac ritibus, excellens. Successorem nactus est Sabinianum diaconum; qui postero mox anno decessit, relicto in sede Bonifacio tertio; qui annum item abhinc migravit, Bonifacium quartum post se relinquens.

CI. ANNUS Chr. 606. BONIFACIUS IV. Pon. an. 7. m. 6. d. 13. ANNUS Chr. 607. Aimoin. l. 3. à c. 91. usq. ad 99. Append. Greg. Turon. c. 37. Theodoberti Austrasii cum fratre Theodorico discordia. Brunichildis mores. ANNUS Chr. 612. Gregor. Turon. append. cit. & 38. Aimoin. l. 3. c. 96. Alesacium, quod olim Tribocci colebant. Suigitensis ager veterum Sequanorum Sungouviæ vocabulo, paret adhuc Ep. Basileensi. Vide Francisc. Guilimanni Habsburg. l. 2. c. 5.

Insequenti porrò tempore Theodobertus & Theodoricus, ambitionis siti, capitalibus odiis inter se distracti, otium Austrasiæ regnique totius perturbare, & seditionibus iraque involvere cœpêre cuncta. Malorum autem stimulus & seges avia Brunichildis, muliebri impotentiâ, & principalis dignitatis ambitu, sortem jam pristinam supergressa. Hæc, ex quo Austrasianorum eliminata finibus in Burgundiam confugerat, ejus nutu cuncta Theodoricus administrabat. Consurrexerant non semel in arma fratres; & cùm Austrasiæ portionem haud contemnendam Theodoricus abrasam sibi pertinaci studio seorsim habet, anno denique regni quinto decimo, qui salutis partæ duodecimus supra sexcentesimum erat, per arbitros atque sequestros copulata concordia, fratri Theodoberto cedit Alesacio, quo tum nomine censebant Triboccorum agrum, & Suigitensi, qui hodiè Sundgouvia, veterum Sequanorum erat; prætereque Turonensi & Campanensi comitatibus.

Append. Greg. Tur. c. 36. & Ionas in vita Columbani c. 21. 23. Sigeb. in an. 614. Austrasii regni perturbatus status.

Sub id quoque tempus pravis artibus Brunichildæ, Columbanus patriâ Hibernus, laudatâ vitæ innocentiâ, Luxovio exactus, is, qui Sequanis & Austrasiis doctrinæ morumque integritate eximiè præluxerat. At fœda ac perniciosa calamitas mox tempestas, quæ sancto Columbano præcognita, totum Austrasiæ regnum pervasit; fraternosque animos non solùm inexpiabili odio atque simultate sejunxit, verùm etiam omnia civili atque impio sanguine cruentavit.

CII. DEUSDEDIT Pon. an. ferè 3. ANNUS Chr. 614. Nasium seu Nancium. Append. Greg. Turon. cap. 38.

Inierat Deusdedit Romæ Pontificatum, cùm maturâ jam Regum fratrum irâ, Theodoricus in Lingones armatus iit, & Nasio castro, apud Mourtam, quod nunc Lotharingiæ Principum nobile domicilium, capto, Tullum processerat. Anno itaque regni decimo-septimo, utrinque viribus collatis, furentes animo fratres, apud Tullum, nobile quondam Leucorum oppidum, acie confligunt; primoque impetu fusus Theodobertus, victoriam Theodorico concessit; qui inde per agrum Metensem, transito Vogeso, Coloniam trepido agmine pervênit; ubi, instaurato ex Saxonum, Thuringorum, cæterisque transrhenanis gentibus exercitu, rectâ Tolbiacum contendit. Theodoricus similiter pugnæ avidus, immensisque itineribus, nullo ad quietem intermisso spatio, per Arduennam Tolbiacum advolat. Ergo distributâ in ordines suos utrinque acie, collatisque signis, atrocissimo prœlio concurritur. Cæsæ ad internecionem Theodoberti copiæ; tantaque hominum occidio facta, ut omnes illi campi & colles vicini stragibus ac fusis corporum acervis repleti, jam vix prolabendi mortuis, & consistendi vivis, locum relinquerent. Theodobertus stupens ad miserandam hanc suorum cladem rebus omnibus jam obtritis, terga vertere: Theodoricus cruore neque dum tanto exsatiatus, fugienti insistere, nec priùs cædendi finem facere, quàm Coloniæ mœnibus appropinquatum, est. Hanc civitatem victor ingressus, cunctos ilico regni thesauros, qui tum ibi servabantur, diripuit, distraxitque. Inde nullo fratri perterrito dato spatio, Bertharium Ducem insistere Theodoberto jubet, qui Regem in itinere paventem nactus, ad Theodoricum & Brunichildem perducit captivum. Atque ibi Theodoricus fratrem ante pedes suos constitui, & coram adesse jussum, res fœda dictu, mox regalibus ornamentis exuit; equumque phaleris atque alio apparatu regio insignem, Berthario donat; denique hortatu Brunichildæ, injectis vinclis ire Cabillonem, attonsumque redigi in ordinem cleri voluit. Quid multa? ne suus desit impio sceleri gradus, imperat extorqueri spiritû, vesanum in omnem posteritatem & detestabile in fraternum sanguinem ausus exemplum. Et hunc quidem in modum Austrasii & Ripani Trevericæ ditionis populi, quos Ripuarios appellavit hæc ætas, in Theodorici potestatem concessêre; postquam Theodobertus regnum paternum annos septendecim, vario ingenio & ad vitia quàm virtutem decliviore, gubernâsset. Ejus liberi, Brunichildis item ferali sævitiâ, Metti in regiâ crudeliter sublati; Meroveo etiamnum puero, & post baptisma recens candidato, ad saxum alliso. Atque hic Tolbiacensis prœlii longè celebris eventus; cujus simulachrum, multo cadentium cruore funestum, sancto Columbano divinitus per quietem oblatum est; cùm in Alemanniâ apud * Arbonam haud procul Brigantio, super quercus putridæ truncum sedebat codicem ad lectitandum manu tenens.

Aim. l. 3. c. 98. & Theodor. Epteyn. l. 1 c. 18. Ionas cap. 27. Tullensis conflictus fratrum Regum. Theodoricus & Theodobertus fratres apud Tolbiacum atrociter inter se confligunt. Coloniam diripit Theodoricus Rex victor. Theodoberti regis Austrasiorum calamitosus exitus. Theodoberti soboles Metensis regia perit. Tolbiacensis prœlium in spiritu vidit & prædixit S. Columbanus. Ionas c. 27. & vita S. Magni vel Magnoaldi cap. 6. tom. 5. antiq. lect. * Arbona.

CIII. S. Theodoricus II. Rex Aust. an. ferè ANNUS Chr. 615. Theodorici mors. Aim. l. 3. c. 100. Ionas c. 28. Theodobertus & Theodoricus Reges Austras.

Theodoricus dehinc Austrasiæ rebus ex animi sententiâ compositis, quod & Columbanus prædixerat, adversus Clotharium anno postero sese egregiè instruit; quia ducatum is, quem ob negatas Theodoberto suppetias, deberi jam sibi diutius nolebat, pervastasset armis. Sed in medio armorum apparatu amatoriis levitatibus usque ad incestum deditus, apud Mediomatricos, ut nonnulli perhibent, aviæ veneno; ut alii, ventris profluvio; ut Jonas Abbas, ictu fulminis, è vivorum numero excessit. Cæterùm Theodobertus & Theodoricus, quod posterorum grata voluntas dissimulare non potest, amplissimis Ecclesiam

Trevericam

Ecclesiam* Trev. locupletarũt possessionibus.

Trevericam prosecuti muneribus, locum in Dagoberti diplomate inter benè meritos patronos, adepti sunt.

CIV. 9. CLOTARIUS II. REX AUST. an. 16.
Aimoin Sigeb. Onuph.
Monarchiæ Clotharii initium
Baron. ad hunc an. 615. & Sigeb. ad Dionysii computum, eo charactere item an. 30. regni qui nobis hunc excurrit.

Exstinctâ itaque ad hunc modum Childeberti sobole, Clotharius trium regnorum factus hæres, nullam sibi moram attulit, quin domesticis ilico motibus sedatis, formandæ Reipublicæ atque Austrasiæ constituendæ se traderet: Austrasiam enim sine tumultu, pactione Arnulphi Ducis, quem sub Childeberto constat summum gessisse magistratum, & Pipini clarissimi viri consiliis, receperat. Verùm egregia Clotharii cœpta atque conatus morabatur Regina Brunichildis; quæ Sigebertum Theodorici ex pellice filium, paterno regno sufficiendum, vel renitentibus Austrasiis, arte muliebri studebat. Et Sigebertus jam Brunichildis instinctu, trans Rhenum apud Thuringios raptim collecto exercitu, in campos Catalaunicos, contento cursu, armatus iter intendebat. Verùm Clotharius illi obviam factus, cùm explicatâ mox acie, infestus prœlium ostentat, ne primum quidem impetum sustinens, confestim dat terga Clothario; tum Warnarii Ducis proditione fractus, quem Brunichildis intentatâ nece priùs exasperàrat, tum cæteris Austrasiæ dynastis ad Clotharium, signa transferentibus. Clotharius itaque constantissimè eum ad * Ararim usque fluvium, qui apud Leucos in Vogesinis Alpibus oritur, persecutus, demum cum fratribus duobus Meroveo & Chorbo Theodorici spuriis, in potestatem redegit. Quartus verò Childebertus pernicis equi subsidio elapsus, nusquam inter vivos postmodum repertus est.

Arnulphus dux.
Append. Greg. Turon. cap. 41. Aim. l. 4. c. 1.

Clotharius Rex Sigebertum spuriosq; Theodorici bello superat.
* Araris flu.

CV. Theodorici soboles suâ quoque pœnâ invenit.
Ionas in vita S. Columbani. Append. Greg. Turon. ad an. XIV. Theodorici.
S. Colũbani vaticinium.

Atque is exitus fuit filiorum Theodorici, quos ad spem regni atque amplissimi honoris fastigium, *ex adulterâ plantatione* Brunichildis duxerat. In quibus Sancti Columbani vaticinium probè veritati respondit: nam Theodorici liberos olim coram se benedictionis gratiâ adductos, nunquam regnaturos divino afflatus spiritu prædixerat, quòd thalamis orti parum pudicis, *ceu è lupanaribus* emersissent.

CVI. Fridiberga Sigeberti Regis sponsa.
Walfrid Strabo vita S. Galli c. 21.

Virginitatē ejus apud Metin probat Rex Sigebertus.

Monasteriũ virg. S. Petri Metense.

Illud verò in Sigeberti rebus ad memorandum illustre, quod Fridibergam sibi desponsam, Gunzonis Alemanorum ducis filiam, quam Sanctus Gallus ab infestatione dæmonis liberaverat, ubi apud Mediomatrices pactam nuptiarum inducias, in sancti Stephani Basilicâ, sanctiore virginitatis proposito, regium thalamum mutasse comperit, regifico cultu, & diademate ornatam, cœlestis sponsi cedere amplexibus maluit, quàm ab aris Basilicæ, quas complexa fuerat, avelli. Quin & magnis cumulatam muneribus monasterio ancillarum Christi, quod in civitate Metensium sancto Petro sacrum erat, monialibus antistitem præesse placuit. Puellæ Ambrosianæ dudum nobilis in sæculo rarissimi exempli pudicitiam hic instauratam à Fridibergâ diceres; quæ, cùm urgeretur ad nuptias*, ad sacrosanctum altare confugit. *Quò enim*, aiebat ille, *melius virgo recurreret, quàm ubi sacrarium Virginitatis offertur?* Rem veterum literis testatam excepit insequentis ævi scriptorum autoritas. Nam beatus Notkerus Sangallensis Abbatiæ literatus in paucis monachus, in hymno, quem Ruodberto, Mettensium Episcopo hinc altero post sæculo dedicavit, factum id sapphicis ita retulit:

S. Ambr. lib. de virginibus sub finem.

Tom. 5. antiq. lect. Wilhelmi Canisii & in indice Metens. Episc. hic.

Est domus Mettis Stephani cruore
Sacra, quæ tandem superesse diris
Posset Hunnorum gladiis, rogisq;,
Sanguine tuta.
Quâ ducis natam medicante Gallo
Liberatam dæmonio furentem,
Regis abstraxit thalamis, amore
Integritatis.

CVII. Brunichildis interit*, *quem Papyrius Masson. in annal. Reg. Franc. mitigat. Mariana de rebus Hisp. l. 5. c. 10. ferè rejicit, ut mendacem, & Fredegundi potius convenientem.*

Porrò Brunichildis post hæc, dignum etiam factis, si sua veteribus monumentis constet fides, exitium tulit; objecta siquidem illi scelera nefanda, ac in reliquis, quòd *decem Reges vel consilio, vel re ad mortem compulisset, Sigebertum, Meroveum, Childericum Clotharii patrem, Theodobertum item cum filiis Clothario & Meroveo, denique Theodoricum cum filiis tribus, quos recens accepta clades attriverat. Quare de communi procerum sententiâ, pro delictorum magnitudine, pœna gravis, atque ignominiæ plena sonti decreta fertur; ut primùm ostentui in camelo circumducta, inde ad equi caudam alligata, laceratàque calcibus, & discerpta membratim, fœdissimo genere mortis vitam finiret. Atque hæc tot unius stirpis funera, anni vix ampliùs curriculo ob parricidiale scelus cœlestis justitia dedit: cujus ut vindex oculus in culpâ graviore quandoque conniveat, hîc maturiùs tamen evigilavit, tam exitialia fratrum odia, tamque cruenta liberorum parricidia inulta non passus: pœnâ spectabili & manifestâ in scelerum autores affatim expetente. Salubri, pariterque formidabili, regibus exemplo, quo scilicet, ut privatim à securi rotâve sicariis, à cruce furibus, itidem regali fastigio, magnisque imperiis, ab inexspectato & cruento fato, suus quoque publicè metus sit. Atrocitatem hujus exempli ab ævo recentiores sunt, qui leniant, alioque invidiam transferant. Sed publicis historiæ quà sacræ, quà profanæ vocibus intercedere, pectoris nescio quàm sit audacis, & vix venialis fiduciæ.

CVIII.

Rebus igitur sic tranquillatis, Austrasia in pace ad dignitatem & gloriam, Clotharii præclaris studiis, deinceps efflorescere cœpit. Ei namque, etsi vitio vertebant nonnulli, immodicæ venationis studium, & faciles nimis aures ad mulierum vota precesque; ipse tamen memor tam insignis beneficii, quo, Deo ter Optimo Maximo favente, & sancto Columbano prædicente trium regnorum, nullo ferè negotio, tranquillam possessionem inierat, multa eaque ad memoriam illustria eximiæ suæ ergà Christum pietatis in posterum edidit documenta. Nam & viros innocentes ac vitæ sanctitate conspicuos, propagandæ rei Christianæ ac tuendæ, plurimos in regno suo aluit; & eorum consiliis regnum domi fo-

Greg. Turon. append. c. 41. 42. 43.

risque fortiter & industriè administratum, multis etiam partibus auxit, non tantùm incolume filiis & nepotibus tradidit.

CIX. Sebaudius 26. Arch. 52. Episc.

In hoc igitur feracissimum virtutis ævum incidit * Sebaudus quoque Trevirorum Episcopus, is, qui spectatâ morum integritate exstincti Severini locum sibi peperit. Ut verò Sapaudi nomen illustre fuit superiore ætate inter Galliæ præstantes oratores, ita & hoc tempore Arelatensis Ecclesia Sabaudium Antistitem habuit. Bonifacius V. interim Romæ sedere cœpit.

* Sapaudus vel Sabaudius, cujus nominis Episcop. hac ætate Greg. l. 4. ep. 52. 54. & superiore, Sid. ep. 10. l. 5.

CX. Bonifacius V. Pon. an. 7. m. 10. d. 1. Annus Chr. 618.

Porrò Clothario Regi Bertrudis juncta, præstanti virtute fœmina; ex qua suscepit Dagobertum; qui, quemadmodum religionis famâ & virtutum maximarum gloriâ, Austrasianorum Rempublicam gesserit; & Ecclesiam Trevericam ditione opibusque cumulârit, sequenti nobis deinceps libro, quod Christi favore Matrisque beatissimæ patrocinio liceat, tradendum est.

FINIS LIBRI SEXTI.

R.P.CHRI-

R. P.

CHRISTOPHORI BROWERI
SOCIETATIS JESU,
ANNALIVM TREVIRENSIVM
LIBER VII.

ANNUS CHRISTI 626.
HONORII PAPÆ 1.

SEBAUDII 52. TREV. EPISC. 9.
DAGOBERTI AUSTR. REG. 1.

I. QUEMADMODUM ii, qui in tenebricoſo aliquamdiu loco, Solis aſpectu jucundiſſimo, perinde ac neceſſario deſtituti, latuere, majore quâdam animi lætitiâ, ac ſenſuum voluptate optatam diu lucem oculis intuentur, arbitrantes ſe alterius vitæ quoddam initium ordiri, ubi in novam ſeſe lucem paulatim immergi, & ex illis abditis ſedibus evadere ſentiunt; ſic mihi ſpatia illorum temporum, quæ cladem urbis atque interitum proximè ſecuta, emenſo, par propemodum voluptatis ac lætitiæ ſenſus offunditur, perinde quaſi è denſis quibuſdam hiſtoriæ tenebris emerſerim, quia nobiliſſimorum ac virtute excellentium Pontificum, quas quidem licuit, res præcipuas; tum regni Francorum in Auſtraſia quoque ſtatum, ad inſtituti noſtri brevitatem, in magna Annalium caligine, & veterum monumentorum inopia, prodiderim. Hinc igitur divinâ ope fretus, ad quem amplitudinis, gradum & dignitatis, Eccleſia Trevirorum creverit, quoſque deinceps progreſſus, atque incrementa habuerit, Annalium monumentis conſecrare pergo.

II. 10. DAGOBERTUS REX AUST. a. 19. vel 18. Annal. Begin. Sigeb. & alii.

Dagobertum eximiæ indolis ac nobilitatis puerum, Clotharius pater, mox à prima ætate, rectis ad omnem humanitatem literis informandum curavit, ac præceptorum Pontificumque humanitate, innocentiâ, & cæteris rebus præſtantium diſciplinâ circumdedit. Quæ ſanè res effecit, ut ſimul ad illum ſumma imperii reſpicere cœpit, regnum ex omni parte, tam belli quàm pacis artibus egregiè floruerit; religio verò Chriſtiana, templis ubique non ad uſum duntaxat, ſed ad decus etiam ſurgentibus, aucta mirificè fuerit atque propagata. Cathedræ Romanæ gubernacula tum tractabat Honorius.

Excedia temporis Dagoberti ſuccitis.

Dagoberti educatio.

HONORIUS Pon.

S. Arnulfus Metenſ. Ep.

• Clarebat apud Mediomatricos, pontificatus honore S. Arnulphus, magiſtratu, depoſito non minus, quàm ad eximium religionis habitum deducto, apud omnes in admiratione. Hic magnâ & vetere proſapiâ, Auſbertum illuſtrem Senatorem Clotharii ſenioris generum numerabat avum; patrem cribat Arnoldum inſigni prudentiâ ac probitate virum: Educatorem habuit Gondulphum ſubregulum ſive Palatii rectorem; ſub quo, cùm militiæ gravitatiſque & prudentiæ civilis rudimenta poſuiſſet, ſex unus ipſe provincias, quas totidem agere Domeſtici ſolent, arbitrio ſuo flexit. Antequam palatini ſatur honoris, pontificatum iniit, ex Doda nobili conjuge, Anſgiſum, & Clodulphum ſive Flodulfum liberos procreavit; quorum hic paterna veſtigiâ reſecrens, etiam Mediomatricum poſtea Pontifex, eam Eccleſiam moderatus eſt. Arnulphum magiſtratu ſummâ vigilantiâ ac fide geſto, aliiſque virtutum experimentis ſibi probatum, Clotharius idoneum arbitratus eſt, quem rectorem filio adponeret; cujuſque prudentiâ ac gravitate fluxam Dagoberti ætatem atque imbecillem adſtringeret; idque eò promptiùs ac lubentiùs, quò idem Arnulphus adhuc Major domus, pueritiam ejus ad omnem virtutem ac regiam diſciplinam brevi informaverat.

B. Arnulphi liberi.

III. ANNUS CHR. 626.

Anno igitur regni ſui, quod Clotharius infans cum ſacro fonte olim Pariſiis luſtrabatur, Guntramni patrui induſtriâ adeptus erat, undequadrageſimo, Dagobertum jam adoleſcentem regni conſortem, adjuncto illi Pipino Majore domus, in Auſtraſiam ad illius regni tractanda gubernacula dimiſit. Adhibitus illi quoque, ſicuti diximus, S. Arnulphus; cujus eximiâ nixum prudentiâ, cum religionis ac juſtitiæ laude conjuncta, regnum, magna tum ex parte ſtabat. Connubii legibus ſolutus Arnulphus, & cathedræ vel nolens impoſitus, religioni tam impensè ſe dedidit, ut in palatii militiâ vitam meditari cœlitum, & divinis humana obruere crederes. Aſſiduo flagrabat precationum & abſtinentiæ ſtudio. Pauperum & inopum querimoniis, ærumnis, promptus & liberalis ſic aderat, ut patrimonio profuſo, palatinis conſumptis annonis, vel Eccleſiæ ſuæ theſauris minimè parceret. Unde ad diſcum argenteum uſque diſtractâ gazâ, Clotharium excitavit, ut diſcum redemptum aureis centum numis, gazophylacio S. Stephani redhiberi vellet. Crebris editis ab ſe miraculis famam virtutis auxit. Leproſum, quem cæteri deſpicerent, ſacro baptiſmi fonte purgatum ſimul à lepra mundavit. Regi, Reginæ in arduis Reipublicæ negotiis ſic operam

Dagobertus in Auſtraſiam regnandi cauſa mittitur, Pipinus Majordomus.

S. Arnulfi elogium.

Pauperum cura.

Miracula.

Conſilia.

probavit suam ut diu noctuque consilia Arnulphi ceu oraculum adirent. Hinc invidia ex virtutis locique splendore nimio exorta, per calumniam, Præsulis innocentiam, ut fit, acriter oppugnabat. Nocendi viam aperuerat factio * Nottonis, qui cùm misso cælitus igne semel correptus esset, tandem cum filio sceleris publici reus, id morte luit.

* Noddonis.

IV. Amor privatæ vitæ.

Inter hæc nunquam non Arnulfus ad vitæ tranquillioris bona magis atque magis adspirare, ac identidem Vogesi secessus, salutandi conciliandique Numinis caussâ, petere. Familiare istic illi rus erat Dodaniacum; ubi multa ei cum Deo in precibus familiaritas. Sæpè etiam Caltiago, suburbanâ Metensi cellulâ se abdebat, & orationis studio vacabat. Quin & epistolis & nunciis inde ad Clotharium missis, crebrò missionem flagitare. Extat pars literarum in sinceriore vitæ memoria, quas Rex super his ad Arnulphum dedit: *Hoc, quod per Epistolam vestram, Domine Pater, rogare voluistis, ut in loco vestro alter substituatur Episcopus, nullatenus nostra præsumptio facere præsumit, sed potiùs omni devotione rogamus, ut, si in bonorum operum exercitio vitam alicubi ducere deliberatis, apud populum vobis commissum, sicut cœpistis, conversando, exemplum ei sitis promerendæ salutis.* Atque ita Arnulphus tam studiosè fugiebat honorem in fructu, quàm alii in damno eum cupidè affectantur.

V. Fines Dagoberto F. à Clothario præfixi.

Porrò, quò ditio regnique Dagoberti amplitudo in certos descripta fines atque regiones, pacatiùs haberetur, Clothario Regi visum est faciundum, ut filio limites præfigeret, Arduennam silvam, & * Vosagi montis juga; ut quicquid hisce duabus, qua * Neustriam, quæ Lugdunensis erat II. ac Burgundiam spectant, tanquam metis coërceretur, id omne esset in Dagoberti potestate atque imperio. Ubi igitur in Austrasiam venit Dagobertus, mirum dictu, quam universi Austrasiæ populi, ejus regno lætati sint; habituros se domi sentientes, à quo jura commodè poscerent, & per quem ad securam pacis tranquillitatem, opibus ac dignitate erescerent. Neque verò illorum spem Dagobertus fefellit: nam & universum regnum Austrasiæ, legibus & otii fructu salutaribus temperavit; denique religioni provehendæ templa magnifica, & monasteria amplissima construxit, & opimis fundis variisque instrumentis, ornavit.

* Vogesi.
* Neustria. B. Rhenano Westrich.

Dagoberti regnum justitiâ & religione clarũ.

VI.

Eodem etiam tempore Sabaudum Trevirorum Antistitem exploratæ virtutis ac sanctimoniæ, cujus solemne XXVI. Novembris in Ecclesiâ peragitur, Modoaldus Treviris excepit. Enimvero Modoaldum Sabaudo, quàm proximè suffectum, nòn publicis modò receptisque ejus memoriæ literis, sed & privatis Ecclesiæ primariæ documentis ostendi potest, quæ in actis Modoaldi eum successisse Sabaudo, disertè testantur. Sed, quia Stephani Leodiensis Abbatis, qui ante annos fermè quingentos Modoaldi res gestas literis propagavit, opus in manibus est; ejus, age, de Pontificatûs Modoaldi exordiis panegyricum proferamus: *Interea venerandus,* inquit, *Antistes Sabaudus Ecclesiæ Treuirensis, rebus humanis excessit. Cui successor non impar sanctitate, dum ab omnibus cum omni affectione quæritur, Dei gratiâ procurante, & certis indiciis præsignante, haud longè Modoaldus dignissimus reperitur.* deinde: *Induitur is ergò stolâ gloriæ, accingitur Zonâ justitiæ, divinis benedictionibus Archiepiscopus Trevirensis consecratur. Iesu bone, quanta fuit lætitia illius diei? quæ exultatio utriq; sexui? quod tripudium universæ ætati, quàm devoto corde, quàm sublimi voce, cuncti laudibus ingeminabant angelicis: Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis?*. Hæc ille.

Modoaldus 27. Archiep. 53. Episc. S. Sabaudi successor Moduualdus.

Sur. Tom. 3. Maii 12.

S. Modoaldus eligitur instituiturque Trevirensi. Episc.

Nos verò priùs, quàm ordinem vitæ prosequimur, pauca supra repetemus. Modoaldus, claris majorum imaginibus ex Aquitaniâ oriundus, multarum fuit & magnarum propinquitatum; veruntamen paternam ejus maternam ve originem nemo licet unus scriptorum evolverit, illud omnium minimè tamen ambiguum, avunculum fuisse S. Gertrudis clarâ vitæ sanctimoniâ feminæ; sororemque habuisse Ittam, ob generis splendorem Pipino primo, illustri viro ac potenti, & amplissimo tum magistratu in Dagoberti aulâ, collocatam; ex qua non D. Gertrudis modò, sed & Grimoaldus paternæ virtutis hæres ac dignitatis, & Begga S. Arnulphi nurus, Ansgisi filii uxor, materque Pipini brevis, qui Caroli Magni proavus extitit, procreati sunt. Quare & affinitate & sanguine prænobilem Carolingorum stirpem trahens Modoaldus, complures illustres agnatione familias amplexus est.

VII. Sigebertus in an. 646. Thes. Eccera & alii. Modoaldi genus.

Pipinus I. affinis S. Modoaldi.

VIII. Modoaldi educatio.

Atqui verò hic tantus natalium splendor, ut Stephanus ait, non mentem ejus animumque in pravum distorsit; sed ad majorem virtutis pietatisque laudem stimulos addidit: siquidem à primâ ætate, cùm liberalium artium studiis, tum maximè rerum cœlestium commentationi operam admovit; idque eâ animi moderatione ac despicientiâ famæ, ut cùm gloriâ cæteros anteiret omnes, neminem unquam superbè premeret, sed æqualium suorum invidiam virtute potius atque obsequio vinceret. Porrò, ne fortè tam eximiæ animi dotes, otio ut fit ignaviâque torpescerent, ætati nequaquam blandiri suæ, non membra quieti, non animum socordiæ aut curis inertibus tradere, sed semper aut sacrâ lectione, aut piis meditamentis exercitum habere. Talibus virtutum studiis sub cælesti magisterio adolescens, ubi in virile robur pectus cœpit extendi, non ætatum gradus opum ac rerum inanium consectatione, sed virtute metiebatur. Non honoribus cum ambitioso, non animi elatione cum superbo; sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocuo simplicitate, cum mansueto patientiâ, cum abstinente parsimoniâ, cum pio charitate & misericordiâ certabat. Videres eum crebris jejuniis & vigiliis carnis voluptatem frangere, pro honoribus contemptum, paupertatem pro divitiis amplecti; nobilium cœtibus consortia servorum Christi, & humilium anteponere; unde animus ejus aut in Ecclesia semper, aut in pauperum ærumnis levandis. Cumque in ejus pectore jam dudum accensa cœlestis vitæ flamma invaluisset, nihil otii, nihil quietis patiebatur, ut ad otium & quietem divinæ contemplationis perveniret. Hæc de S. Modoaldi pueritia & juventâ, sententiis

Modoaldi virtutes.

iisdem

iisdem pænè, quibus sunt commemorata, Stephanus Abbas.

IX. [illegible]

Porrò etiam priùs in votis habuisse dicitur Modoaldus, quàm sacris dederetur, se è medio quàm longissimè amovere, ac cœlestem quandam in eremo vitam meditari; sed spe atque proposito excidisse, procerum regni atque majorum auctoritate, ad officia palatina & amplissimos honores, quanquam renitentem, etiam pertrahentium. Adscitus igitur ad Dagoberti Regis aulam, in rerum omnium opulentiâ, & multiplici vitiorum illecebrâ, tam eximiæ pietatis ac religionis exempla retinuit, ut summos æquè atque infimos in sui admirationem adductos, simul egregiis factis institueret, simul eruditionis & sapientiæ divinæ face præluceret. Ex aulâ deinde, sicut dicebamus, ad Episcopatûs honorem ascendit. Unde Stephanus Abbas florentissima hæc tempora panegyrico sermone depingens:

Aula Dagoberti casta & integra.

Quale, inquit, *quàm sanctum erat illud Palatium, ex quo tam sanctos tamq; illustres suscipiebat Ecclesia sacerdotes? ex quo procedebant sectatores, non Simonis, sed Petri; non mercenarii, sed veri ministri Christi; & qui curias Regum non quærerent, sed potiùs à Regibus quærerentur ipsi; quiq; non honores per ambitionem appeterent, sed magis ab oblatis, per humilitatem refugerent. Ex quorum numero, erant enim plurimi, fuit Arnulphus Metensis, Cunibertus Coloniensis, Tungrensis Remaclus, Trevirensis noster Modoaldus, istis & omnibus aliis, omni virtutum genere conferendus.* Et post hæc: *Tunc certè reverentia impendebatur religioni, amor pudori, honor virtuti. Tunc ambitio cæca, lethali perfossa vulnere, prostrata jacebat, avaritia cupida semper pecuniæ, vires penitùs amiserat, de injuriis autem, de libidine, cæterisq; malis artibus, jam conclamatum erat.*

Episcopi, qui prodiere ex Dagoberti aula.

X.

Quantum ipsi verò Modoaldo Rex honorem honorem habuerit, loquuntur diplomata; quæ, ut postea dicetur, Dagobertus ipse sancivit; queis non contentus Modoaldum salutâsse Patrem, laudat ut Virum Apostolicum. Neque minùs ornamenti, quàm præsidii Trevirorum urbi, licet nullâ magis re tunc temporis, quàm acri & perattento religionis studio, sanctorumque locorum frequentiâ spectatæ, Dagobertus attulit, sacro illam Palatio & regalibus suis horreis nobilitans. Unde, si in historia opinari licet, Palatium quod hodie Pontificum in urbe domicilium est, operè structuràque Romanâ antiquissimum, Dagobertum inhabitâsse crediderim, Episcopis tum ad D. Martini juxta Mosellæ ripam vel prope Basilicam S. Helenæ in curia sedentibus.

Trevericæ civitatis obscuritas à Dagoberto illustrata.

Palatium Trevirense.

XI. ANNUS CHR. 628. Episcopi sedem habuere quo loco D. Martini cœnobium in Musellæ ripa. [illegible] Rodoaldi clari viri cædes.

Cæterùm biennio ferè in Austrasiæ regno exacto, apud Treviros Rege Dagoberto commorante, res ibi tum accidit ad posterorum memoriam, digna literis. Rodoaldum Boium illustri apud Austrasianos bonoque genere, Arnulphi Præsulis ac Pipini majoris domus, consilio hortatuque in amicorum numerum ascripserat Dagobertus; &, quò carum sibi virum ostenderet, haud mediocres honores impertierat. At is brevi secundis rebus, quibus vix par mortalitas, inflatus, & dignationis apud Regem gratiæque copiâ diffluens, cùm ægræ mentis vi multa agere stolidè, multa temerè peccare non cessat, odium & iracundiam Regis acrem in se commovet. Et cupidus certè alieni, suique prodigus, super hæc alto ingenio, ut nobili Boiorum gente, magnum æmulis invidiæ campum aperuerat. Circumspiciebat ergo tempus, & rationem Dagobertus, ut hominem, quâ putabat dignum pœnâ plecteret. Afflavit, incertum unde, sagacis animum, impendentis capiti pestis suspicio. Territus igitur ad Clotharium fugâ pervadit, ejus fidem quæritans, & obsecrans quàm subjectissimè, ne ad ultimum supplicium progredi filium vellet. Clotharius tactus commiseratione supplicis, simul Dagoberti conveniendi copia fuit, Rodoaldum ne perderet, deprecari. Dagobertus, si quæ malè gessisset, ipse verteret ad meliora, animo imperaturum, nihilque duriùs se promittit in ejus vitam consulturum. Sed altiùs descenderat in pectus ultionis cupido, quàm ut promissum verbis initum, re præstaret. Quare cùm Treviros unà cum Dagoberto Rodoaldus ceu vitæ jam suæ securus accedere non dubitat, nullâ interpositâ morâ, jussu Regis ipsius, pro foribus regii cubiculi à Bertario * Scarponensi, caput ei abscissum est. Habuitque Rodoaldus exemplum pervicacioris potentum iræ; quorum quisquis gratiam spreverit, furorem haud metuat.

* [illegible]

XII. Clotharii & Dagoberti filii memorabilis in Saxoniam expeditio. [illegible]

Dagobertum interea ferunt rem impigrè cùm gente Saxonum gessisse, cùm transito Rheno, certamine inito, in capite grave vulnus animosus bellator accepit. Eâ re Patri in propinquo cum copiis agenti nunciatâ, properè filio suppetiatum accurrit. Ad Visurgim propè accesserat, ac detractâ galeâ nudum canumque niveum verticem hosti ad metũ suique reverentiam ostentabat, quando Berchtoldus Saxonũ Princeps, agnito Clothario, non sine convitio, Regem appellat; Jumentum canum & vetulum. Quo maledicto irritatus Rex, non exspectatis copiis, quibus præverterat, cùm filii cohortibus amnem tranat, convitiatorem in fugâ obtruncat; & penetratâ regione, vastatisque tectis & agris, mares omnes delêsse tradunt, quos gladio suo reperisset longiores.

Berchtoldus Saxonum Princeps convitians interfectus.

XIII. ANNUS CHR. 629. [illegible] Dagoberti cum Clothario patre de finibus regni contentio.

Anno postero, Dagobertus Clippiacum, quod Parisiis non longè distabat, à Clothario patre vocatus, cum omni adparatu, cultúque regio adfuit. Ibi Gomatrudem nobilitate præstantem ei feminam in matrimonio nuptiis copulavit. Sed vix tertius inde dies processerat, cùm inter patrem & filium controversia de finibus ac dissensio esse cœpit. Etenim Clotharius non totam illi Austrasiam admensus, partem Arduennæ silvæ in Rhemorum finibus, & quod terrarum interjectum ad Vogesum montem, retinuerat. Hanc ergo reddi sibi flagitare Dagobertus, ac reliquo corpori adjungi. Pater dici à filio sibi leges, obtendique preces parùm justas indignatus, gravatè primùm annuere, votáque Dagoberti frustrationibus ac morâ castigare; hinc nata simultas. Verùm, re tandem duodecim regni procerum judicio, in quibus & S. Arnulphus, permissâ, eorum arbitrio pacatè in has leges transactum est; ut regionibus, quas diximus, Clotharius quidem cederet, ea tamen universa, quæ citra Ligerim & in provincia quondam Austrasiani possident, sibi haberet.

Digitized by Google

ANNUS Chr. 630 631. *Sieeb. Onuph. Baron. Trith.* Regnum Clotharii finiunt in 631. ex quo & ipsum ordiuntur regnum Dagoberti. *alii in 628.*

Sed Clotharius non ita magno temporis spatio interposito, annis 44. in regni administratione, 16. in monarchia expletis, sub annum Domini DCXXXI. naturæ concessit, filiúmque Dagobertum imperii totius hæredem ex asse reliquit.

XIV. Clotharius beneficus in Ecclesiam Trevirẽsem

Fuit autem Clotharius magni vir animi, & religionis laude præstans; eximiáque, quod clerus meritò privatim veneretur, in Ecclesiam Trevirensem munificentiâ; quam fundis beneficiisque variis pro regia liberalitate cumulavit. Dagobertus, compertâ morte patris, fidissimos sibi quosque delegit ex Austrasianis, quos in Neustriam atque Burgundiam conciliandi cleri atque magistratûs causâ mitteret: qui simul in eas venêre partes, magnâ omnium ordinum gratulatione excepti, omnia Regi læta ac secunda renunciârunt; cunctis in Dagoberti imperium sponte atque ultrò concedentibus. Itaque Rhemos ipse profectus, ab universo regni conventu, pari animorum alacritate ingentique lætitiâ, Rex salutatus est.

Dagobertus Rhemis rex Franciæ inauguratur.

XV. Synodus Rhemensis. Sonnatius Rhemensis Archiepisc. *Hist. Rhemens. Eccles. l. 2. c. 5.* Synodi Remensis decreta.

Celebris per id quoque tempus quadraginta & amplius Episcoporum toto Franciæ & Australiæ regno præcellentium Synodus habita, à Sonnatio Rhemensis Ecclesiæ Archiepiscopo; cui illam authoritatem non sine Primæ sedis nutu obvenisse crediderim. Ejus plurima atque saluberrima decreta recenset Flodoardus; de Clericis, si qui rebellionis ausu sacramentis se aut scripturæ conjuratione adstrinxerint, atque insidias Episcopo suo callidâ allegatione confecerint, ut gradu dejiciantur. De hæreticis, ut si quos esse in Galliis, suspicio sit, à Pastoribus Ecclesiarum perquirantur, & si tales esse compertum fuerit, ad fidem Catholicam revocentur. De Judicibus sæcularibus; si quis ex eis cujuslibet ordinis Clericum publicis actionibus inclinare præsumpserit, aut pro quibuslibet causis, absque consensu & permissu Episcopi, distringere, aut contumeliâ vel injuriis afficere fuerit ausus, communione privetur. Et multa id genus pertexit alia, unde disciplinam Ecclesiasticam eâ ætate non obtorpuisse, facilè colligas. Catalogo autem Præsulum, qui Synodo interfuerunt, adnumerat Modoaldum nostrum, S. Arnulphum Metensem, Godonem Virdunensem. Exprimuntur & Chunnebertus Coloniensis; Lupoaldus Maguntiacensis.

S. Modoaldus & S. Arnulphus, interfuêre Synodo.

XVI. ANNUS Chr. 632. *Aim. l. 4. c. 19. Theod. Eptern. MS Appendix Turon. c. 58. 59.*

Dagobertus inde constituendo se regno tradens, dum varia loca ditionis suæ obit, Romuliacum delatus, uxorem Gomatrudem, pessimo exemplo, incusatæ sterilitatis illi probrum ingerens, abjecit. Duos abhinc in uno Dagobertos adspicere te putes, ita, quòd contra fieri solet, adolescentiâ modestè exactâ, perditam luxu virilem ætatem inchoavit. Neque enim post repudium illud, insanæ libidini modus; verùm ultra progressus, pravo quorundam consilio, Nantildem puellam nobilitate & generis claritudine præcellentem, raptam de monasterio justæ uxori superinduxit, ac incestis sibi nuptiis copulavit. Quæ res, partam adhuc Dagoberto laudem, ac bonis artibus quæsitum decus, haud exiguâ profectò labe corrupit; adhærescente factis præclaris turpificati per fœdas libidines animi, tam indignâ Christiano & optimè instituto Rege maculâ.

Dagoberti vita degener & parum casta.

XVII. B. Arnulph. Meten. Episcop. eremũ petit. *Ionas in vita S. Columbani, Paul. Diac. in vita S. Arnulphi.*

Atque ad id usque temporis, aiunt Arnulphi Mediomatricum Pontificis salutari consilio regnum vitámque privatam instituisse; qui, ut Dei monitu, irato licet Rege, studioque religionis magistratu abiit, seque in solitudinem, vitatâ negotiorum frequentiâ, recepit, Dagobertus semel tabulis nuptialibus ruptis, vitam inde licentiùs agere, & multa per luxum & intemperantiam eo fastigio indigna committere. Attamen regnum interea Pipini spectatâ probitate, ac Cuniberti Coloniensium Antistitis innocentiâ, industriè, & magnâ æquitatis laude administratum est. S. Arnulphus autem Goërico, cui & * Abbonis nomen tribuunt, ob eximiam viri sanctitatem, Ecclesiam Metensem in Vogesi eremum proficiscens, *sancto sanctus*, ut vetus autor loquitur, *commendavit*. Hinc monachos vitæ solitariæ cultores secum in Vogesum abducens, Elephantiacis juxta domicilium exstruxit, quibus juge servitium pius heros, insigni caritatis exemplo impendere cœpit, lectulos eorum suis ipse manibus componens, escas & poculenta misericorditer eis & benignè parans, præbensque, ipse viliore interim cibo nec famem explens, & cilicino strato somnum interpellans.

Pipinus & Cunibertus Coloñ Episc. regnum sustinent. *Sur. Tom. 4. vita S. Arnulfi.* * al. Abdonis, Apponis. Guericus Metensis Arnulfi successor. *Beda Tom. 3. S. Arnulphi vita in eremo.* Leprosorũ cura.

XVIII. S. Romaricus comes B. Arnulpho conjunctus. *Surius cit. & Nicol. Serar. in vita Romarici Francis. Guilliman. l. 3. c. 2. Habsburg. ex loc. Merlis.* Monachus fit Luxovieñ. * Avendi castrũ, an inde Habsburgii disputant cit. scriptor. Monasticẽ in Vogeso propagat. *S. Arnulfi vita apud Bedam.*

Nec tacenda hîc B. Romarici opibus ac præcelso palatii fastigio nuper apud Mediomatrices spectati viri morum conversio: qui Romulpho ac Romildâ generosâ stirpe, parentibus ortus, Clotharii aulâ, cunctisque, quæ prima apud mortales in Christi gratiam spretis, S. Amato duce ac hortatore, S. Columbani seu Luxoviensi disciplinæ tunc imbuendum dederat. Eâ postquam ad unguem excultus, Avendunense castrum apud Vogesates inclitum religioni consecravit; sparsisque per vicina loca Sanctorum contuberniis, ceu utriusque sexûs insitâ nobili quâdam propagine, rem monasticam mirè auxit; plurimosque sæculi fluctibus ereptos, in hujus solitudinis tranquillum recepit. Quo promptior etiam in B. Arnulpho complectendo Romarici opera enituit. Quippe palatinis olim curis & honoribus unà ligati, Lirinensem disciplinam ambo cogitârant, quo se vinculis iis absolverent, sed Arnulphus cum Rege Clothario, qui ab ejus complexu divelli non poterat, diutiùs luctatus; denique serius è medio secedens tanquam novus Helisæus duplici ardens miraculorum, & pœnitentiæ dono, in S. Romarici ceu Heliæ sinum, se refovendum, meliore profectu, contulit.

Helisæus duplici ardens miraculorum, & pœnitenciæ dono. *Hist. l. 6. c. 16.*

XIX. Majorumdomus officium.

Cæterùm Pauli Diaconi Cassinatis clarum quoque testimonium est, quod ille tum de regni Francorum statu, dum de Arnulphi præcellentis vitæ morumque egregiâ famâ, reliquit. Enimverò Majores domus, quos vocabant, rei militaris scientiâ, fortitudinisque laudibus & virtute spectatos, ceu regales quosdam, onus regníque curas, suis, ait, sustentasse humeris; & quicquid Regibus agere mos, ipsos item pari propemodum, & æquatâ potestatis amplitudine gessisse; Deo jam inde, viam præmuniente posteris, & ad universam olim rerum summam capessendam, horum nepotibus aperiente locum. In his verò,

S. Arnulphi laus à Paulo Diacono.

Arnulphum, addit, mirâ ſanctitatis opinione floruiſſe, poſtquam, calcato ſæculi faſtu, lubricum aulicæ vitæ culmen Epiſcopali faſtigio mutavit: atque hâc item abjectâ curâ, puriſſimam, & innocentiâ prædicabilem in ſolitudine agere vitam, inſtituit. Exaratum calamo, de Mediomatricum Eccleſiæ Pontificibus, perſanè vetuſtum codicem inſpeximus, ab ipſo Paulo Diacono & Sigeberto Chronographo conſcriptum; eo in libello, Arnulphi Præſulis memoriæ cæterorúmque ante illum Epiſcoporum geſtis rebus evolvendis, præcipuam operam, Magnum Carolum navaſſe traditur. Qui cùm ob ſanguinis propinquitatem cognoſcere de Arnulphi factis maximè cupiiſſet, comperiſſetque nihil admodum literis de eo propagatum; pleraque tamen fideli ſenum memoriâ circumſepta celebrari adhuc vulgi ſermonibus; ilico acceſſiſſe Paulum Diaconum, quem cum Deſiderio Rege nuper ex Italia adduxerat; mandaréque literis eum cuncta juſſiſſe, origine ab ipſius Eccleſiæ repetitâ primordiis; ne denique oblivione vaneſcerent. Itaque factum ab ſe, Paulus ipſe teſtatur; & nos eâ operâ ipſum in commentariolo vitæ S. Clementis primi Mediomatricum Epiſcopi perſunctum, meminimus. Porrò in Surianis monumentis vitæ S. Arnulphi lucubratio, interpolata; apud Bedam verò integrior, ſed vetuſtiore fide in S. Eucharii codice legitur, ubi miraculorum & excellentium virtutum conſperſa floribus, pulchrè diſtinguitur.

Caroli Magni ſtudium in hiſt. ſacra.

Pauli Diaconi Comment. MS.

S. Arnulphi vita MS. & apud Bedam Tom. 3. Sur. in 16. Auguſti. MS S. Maximini.

XX.

Extat autem inter S. Arnulphi res geſtas quiddam à veteri Scriptore, quem Surius in manibus habuit, inter miracula primo loco literis conſignatum, quod ſtudio, an codicis mendo à Surio prætermiſſum, ſed obſervatum ante à Petro Damiani, & inculcatum à Paulo Diacono, nobis haud temerè hic in medium procurrat. Fertur itaque Treviris in illo magiſtratu ampliſſimo, quem ſub Dagoberto gerebat, hoc pœnitentiæ rari exempli documentum edidiſſe. Etenim ob ante actæ vitæ nonnullas offenſiones, acri pectus ſubigente criminum dolore, cùm metum inter ſpemque confuſus, Dei optimi ac benigniſſimi parentis æquè miſericordiam ac juſtitiam, æquiſſimâ ſecum lance expenderet; inſiſtentem fortè Moſellæ fluminis ponti, detractum digito annulum in flumen miſiſſe, & mox converſum ad ſuos dixiſſe, tum noxis demum in vita patratis ſolutum iri, impetratámque veniam crediturum, ubi merſus hic aquis annulus, ad Dominum rediiſſet. Et verò mirabiliter cum Arnulphi voluntate cœleſte conſpiràſſe numen; etenim à Mediomatricum populo raptum vel invitum ad Epiſcopatûs honores, inde oblato divinitùs à piſcatore, quem abjecerat annulo, regreſſum in memoriam facti, reliquum inde tempus omne, pœnitentiæ laboribus in eremo conſecratum habuiſſe. Hoc factum Paulus in vita S. Clementis ſcribit non à mediocri aut vulgari teſte ſe didiciſſe, ſed ab ipſo totius veritatis aſſertore præcelſo Rege Carolo, qui de ejuſdem B. Arnulfi deſcendens proſapia, in generationis lineâ ejus trinepos extiterit.

Epiſt. 5. c. 10.

Annulus in Moſellam miſſus, & Arnulpho redditus.

S. Arnulphi miraculum de Annulo. Paulus ex Carolo M. didicit.

Carolus M. S. Arnulphi trinepos.

XXI.

Cecinit idem factum avorum memoriâ Poëta noſtri ſæculi haud malus:

Richardus Forojulianus.

Annulum Trevir ſtupuit repertum,
Fluctibus, quem tum rapidis Moſellæ
Miſeras, in te micuit ſuperni
Gratia Regis.
Annulo noxam properè remiſſam
Lætus invento profiteris, atque
Gratias imo ſuperis perennes
Pectore ſolvis.

in Odis ad S. Arnulfum.

Id fortè rideant, qui procaci potiùs ingenio ſuo, quàm nutu divino, res Sanctorum æſtimant. nam quod in Polycrate Samio mortalium fortunatiſſimo caſus & temeritas potuit, ut abjectum in mare annulum in præcordiis piſcis inventum reciperet, id in ſanctiſſima voluntate declaranda ſua Dei pollens non poterit providentia?

Cicero 5. lib. de finibus. Strabo 14. Valer. Max. lib. 6. c. 9. Plin. l. 37. c. 1.

XXII.

Geminum illud eſt fermè huic noſtro, quod de S. Attilano Zamorenſi Epiſcopo in Hiſpania narrat Lucius Marinæus; quem ſacerdotio item relicto, annulum ait projeciſſe in flumen, argumento, tum ſe veniæ ſecurum, expiatis probè noxis fore, ubi annulum eum reviſeret. At Dei monitu redire juſſum ad ſedem, atque tunc empti piſcis in ventre annulum fortè receptum.

Lib. 5. de rebus Hiſp. & ad 5. Octob. vita ejus.

Superſtitionis, ſciens ſum, non injuriâ redargui, qui rem ſuam vel abjiciat, vel certis locis eo fine condat, nimirum ut reſciſcat vel impetret, quod ultra naturæ modum, non niſi divinitùs obtineri, cognoſcique poſſit. Quid enim is aliud, quàm Deum Dominum ſuum tentet? ſed hujus mali confinio ſanctorum exempla non læduntur, quos credimus nihil hîc aggredi temerè, ſed ſervire divinæ voluntatis mirè ſeſe inſinuantis imperio; quo, quiſquis ducitur, paret religioni, & illicitis abſtinet.

Superſtitio remota.

XXIII.

Cæterùm Arnulpho in eremum, ceu in quoddam pœnitentiæ ſepulchrum jam incluſo, Abbo, ſive Goëricus ſucceſſor, pari virtutis ſplendore cœpit eluceſcere. Quippe ex ſuperiorum temporum tam funeſtis tot Regum cladibus, rara quædam fœlixque viciſſitudo rerum ſubiit, ut quos vix aſceticæ ſcholæ vel monaſteria perpolitos educerent, hos affatim regia tunc, excellenti ſanctitate florentes Eccleſiæ Præſules daret. Cujus rei cùm toties ex Clotharii & Dagoberti palatio ortos illuſtres viros, teſtes habeamus, tum magno Dei beneficio propè domeſticum, nuper ex Caniſiano theſauro nacti ſumus, Deſiderium Cadurcenſem Epiſcopum; qui præſtantium hominum contubernio clarus, & Clotharii Regis theſaurarius, Dagoberto demum hortante, factus Epiſcopus. Hic, ut pleriſque proceribus Auſtraſiæ, ita Abboni Metenſi perſamiliaris, cum ſatis in epiſtolis indicat, ex regia prodiiſſe ad apicem pontificium. Verba ipſius in hac Annalium ſterilitate, nihil veremur uſurpare, ſæpè nobis profutura. Poſtquam igitur Eccleſiæ ſuæ pauperúmque curam illi commendavit: *Optarem*, inquit, *frequenter, ſi poſſibilitas arrideret, ſacris veſtris intereſſe colloquiis; ut, ſicut nos ſub ſæculi habitu, in contubernio ſereniſſimi Clotharii Principis, mutuis ſolebamus relevare tabellis, ita jam nunc, illa ad plenum depoſitâ vanitate, dulcia liceret Chriſti ruminare præcepta. Sed, quia, ſicut mens anhelat,* * *effectus ſequi non prævalet, hoc ſufficiat dicere; dum favore veſtræ*

ANNUS CHR. 635. 636. S. Abbo Metenſis Epiſc. ANNUS CHR. 637.

Deſiderius Cadurcenſis Epiſc. nuper palatii theſaurarius.

S. Abbo ex palatio ad cathedram eductus.

Epiſt. 9. antiq. lect. Tom. 5.

* *affectus.*

caritatis non mediocriter sum recreatus.

XXIV.

Porrò, cùm missis ad Abbonem iteratò clericis, Desiderius donationis ambiguæ causam, quæ S. Stephani Basilicæ Mettis cesserat, egisse videatur, non abs re, jungimus his epistolam Abbonis, quæ unà cum Desiderii lucubratione lucem aspexit.

Abbonis Metensis Epist. in 13.

DOMNO SEMPER PROPRIO, DESIDERIO APOSTOLICO PAPÆ, Abbo peccator.

LITERAS *gratiæ vestræ, iam per anteriores missos, qui cum filio vestro Chedeno venerunt, quàm, & qui postea cum Babone, accepi. Per quas, præcepisti, ut de vestris conditionibus, juxta quod Deus posse dabat, sollicitudinem gererem. Deo soli sufficit non latere; quia cum integra fide, & promptissima voluntate id adsecutus sum. * Et ordinationes dominicæ infirmatæ sunt, ut de rebus illis, quas * Læva tenebat, præsentaliter Bobilæ vestita esse debeat. Nam, pro vestra gratia, non nobis sine labore constavit. Tamen dum scimus, quod justitia est, credimus de Dei pietate, quod sic pro vestro prudentissimo consilio gubernetur, ut ad bonum * perfectum perveniat. De villa autem, * Rotovallo, sicut scitis, Dominus Dagobertus Rex, ipsam pro ampliùs quàm quingentis solidis in luminaria ad Basilicas Metenses delegavit. quia, scitis, quòd pater Bobilæ Agylenus, hoc fratri nostro * vero Episcopo vendidit, & postea tam ipsam portionem, quàm & illa alia, quæ meorum consortes tenebant, ipse Severus redemit, & Domino Dacoberto, unà cum alia sua facultate delegavit. Vos verò taliter cum Domna Bobila agite, ut exemplaria, quæ * pro filio vestro germano meo direxi, firmare debeat. Vos enim, & in palatio Regis, ubi innutriti fuistis, benè cogniti estis. Quia melius est cum ea compartire, quàm * solus nihil habere. Annis multis de vestra gratia * congaudete; Domne semper meus.* Hæc Abbo vel Goëricus, cujus ex antiquis litteris erutam memoriam Vincentius Speculator olim prælibarat, antequam Surianis supplementis inferrentur. Nam in Aquitania claruisse militaribus factis, intactum à sæculi vanitate & mundi illecebris. Adversus paganos quoties ab iis bellum immineret; primùm in acie stetisse, refutàsse barbarorum vesaniam, sæpè eos vicisse, sæpè opima ab illis spolia reportàsse. Oculis tandem amissis, Metim Angeli monitu adire jussum, ad propinquum Arnulfum Episcopum, atque ibi in sancti Stephani templo, integram exspectare oculorum sanitatem. Id quod cùm ita, ut supernè didicerat, præsente & comprecante Arnulfo, protomartyris intercessione consecutus est: *Arnulfus*, inquit scriptor antiquus, *spiritali mentis intuitu videns Goëricum successorem sibi fore dignissimum, consentiente clero & populo, eum Episcopum constituit, & ipse exiguo inde evolato tempore, cùm crucis signo ingens Metis incendium divinitùs repressisset, diu desideratam eremum petiit.* Goëricus verò in Usuardi martyrologio & S. Arnulfi actis, titulum obtinuit *Episcopi vitæ sanctitate admirabilis, & omnibus sibi commissis amabilis.*

* Sed
* Leva, ut sit proprium.
* profectum
* Rotovallum,
Dagoberti Regis in Basilicas Metenses liberalitas.
* Severo
* per filium v. g. m.
* solum
* congaudere;
S. Goerici vel Abbonis memoria. *Spec. histor. l. 24. c. 74. T. 7. Sur. ad 19. Septemb.*
A cæcitate, S. Stephani ope liberatur.
Eligitur Episcopus. *In S. Arnulfi vita.*

XXV.

Cogitanti jam verò mihi non sine admiratione tacita, unde in hoc artibus ac elegantiâ rude sæculum, tot sanctorum hominum ceu obscurâ nocte faces incubuerint, & Austrasiæ provinciis ubiubi irradiarint, occurrebat tum gentis Francicæ jam nunc invalescentis quædam maturitas, tum Dei salutis hominum cupidissimi provisu, à sancto Columbano, Gallo, Eustasio, & quotquot ex horum disciplina profecti, passim nuper jacta religionis ac pietatis ea fundamenta, ut certatim primores etiam viri, fastidio rerum humanarum, cœlestia arriperent, & velut è mundo ante tempus emigrantes, eremum & solitudinem appeterent.

Sanctorum hominum unde tanta nunc frequentia.

Exierat non ita pridem Luxovio, sexcentorum monachorum coloniâ, Amatus, flexanimo ore ad incendenda amore divino pectora; qui cùm plerasque civitates Austrasiæ concionabundus obiret, tum Romaricum à delicatæ vitæ mollitie ad eremi duritiem flexerat, tum igniculos cœ pietatis passim jecerat, quibus inflammati non pauci, per ardua virtutis, tanquam scintillæ per arundineta discurrerent. Et peregrinæ non magis quàm domesticæ sanctimoniæ gloriâ Trevirense solùm abundabat. Huic ex longinquo se intulerat magno pietatis ardore, sed famâ mirandis editis operibus illustriore, S. Wandalinus, origine Scotus, & regiâ, quod famæ datur, stirpe procreatus; hunc & patriæ cœlestis amore, & soli natalis fastidio, ut quod Christi desiderio postponeret, in illam ferunt Trevirorum regionem delatum, quam Westerreichum seu Occidentale regnum appellamus; ibi viro nobili, præclaro studio vincendi sui, operam locasse pascendis suibus; oblitumque generis ac natalium, haud gravatè personam induisse subulci; tantóque religionis æstu, cultui divino ac reliquis vacasse piæ mentis exercitiis, ut ad inediam, assiduas obsecrationes, & pervigilia, nullum diurni nocturnique temporis spatium intermitteret; postremò, vitæ perfectioris amore inflammatum, Theologiense monasterium ingressum, & rigidæ disciplinæ libenter submisisse collum humilitatis ac suimet abjectionis, ad ultimam usque vitæ metam, observantissimum. Quapropter divinæ placuisse bonitati, nomen famamque viri, maximâ ad posteritatis memoriam claritate splendescere, oppidúmque super sepulchrum ejus atque ædem, exstructum, divi nomine venerandum, ad hoc usque tempus conservare; nam sancti Wendelini oppidum posteritas nuncupavit; parétque Trevirorum Pontifici, cujus etiamnum ditioni subjacet. Porrò locus insigni quondam miraculorum frequentiâ, ac populi religionis istuc ergò concursantis multitudine, clarissimus extitit; tametsi, ex quo gravem vicinis in locis res Catholica plagam accepit, ignibus insuper vexatus, ægre splendorem antiquum tuetur. Decessit S. Wandalinus mensis Octobris die XXI. Elevatum humo corpus ejus, quinto Julii; annus memoriâ annalium excidit.

S. Amatus Romaricū convertit.
S. Wandalinus regia Scotorum stirpe.
S. Wandalinus agit subulcum.
Theologiensis monasterii disciplinam capessit.
Oppidum S. Wandalini.

XXVI.

Quia verò Theologiensis hic cœnobii illata peropportunè mentio, diligentiùs erit de hujus initus ac celebritatis fama, commemorandum. Illustravit eum locum vel inter primos Paulus, Treverensis Eremita; qui admirabili vir integritate, & literarum scientia,

Theologiense monasterium. *Vita ejus M.S. apud S. Martini Eberwinum in Magnorica. Gesta Trevir. Wiltheim Rerum Trevericarum MS. Tractatum.*

S. Paulus Virdunensis Episcopus.

hoc tempore Pontificatum Virdunensem, summa cum laude gerebat. Is etenim in Gallia Belgica, genere ortus clarissimo, cùm artibus omnibus honestis & sapientiæ studiis præclarè imbutus, solitudinis amore quodam exarsisset, antiqua stemmata superbamque nobilitatem aspernatus, cum magno Patriarcha exiit è terra & cognatione sua, quò liber & expeditus ab omnibus humanis curis, Christi solius vacaret amplexibus, & dulcibus ejus alloquiis indulgens, cœlestes factitaret delitias.

S. Paulus apud Trev. eremum colit.

Tradunt itaque domestici scriptores, priusquam Theologiense monasterium iniret, eremi rudimento ponendo, locum eum delegisse, qui in urbis Trevericæ conspectu mons Gebeana antiquitùs, exinde verò ab ipso trahens Paulo cognomentum, Pauli mons appellatus sit; cujus jugum, etsi variis locis interruptum, ad Vogesi ramos pertinere tamen, etiam testes ab hoc ævo supersunt:

Mons S. Pauli.

Mons Vogesus sumit Rhætis ex alpibus ortum,
Et viridi costâ te quoque Trevir adit.

Ebervvinus in gestis Trev.

Atque ita ne cum actis quidem publicis nostra sententia discrepaverit, eremum Vogesi primis annis ingressum eum, tradentibus.

XXVII.
Vita S. Pauli.
Theologiensis monasterii, quod Tabuleium & Doleia, origo.
Trithemius in hist. Franc. & M. SS. ejus loci.

At verò florebat jam tum in diœcesis extremæ finibus Dagoberti Regis munificentiâ, Theologiense monasterium; quod oppido S. Wandalini proximum, loco nemoroso & floridis pratis amœno, situm est. Doleiam sive Tabuleium placet appellâsse veteres, ceu sectis instar tabularum & in quadrum aptis lapidibus ejus prima structura surrexisset; nos verò Theologium, quod frequens ibi de divinis rebus commentatio, tum insignis etiam olim sacris addiscendis literis erecta schola, nuncupatum didicimus. Posita verò ejus cœnobii fundamenta, primis Dagoberti regni annis, Modoaldo Trevirorum Archiepiscopo studium atque patrocinium eam in rem suum conferente; cùm privatis ejus loci documentis, tum publicis etiam literis, quæ B. Pauli res gestas continent, demonstrari potest. Neque prohiberi Virdunensium Episcoporum commentario volumus, quò minus antiquam & receptam à cœnobitis opinionem, testimoniis destituti præsertim aliis, amplectamur.

Richard. Wassebourg. in Gallia Belg. antiq.

XXVIII.
S. Paulus ad Theologiense monasterium digressus, illud virtutibus implet.

Ad hoc itaque cœnobium Paulus divertens, post dura eremi tentamenta, ceu in novam quandam communis vitæ palæstram ingressus est, ibique Abbatis & cœnobitarum summâ voluntate retentus; ut esset nimirùm, unde vivendi præcepta & exempla coram monachi peterent. Et verò sterilis hic ager tam uberes confestim & optatas perfectæ virtutis atque pietatis cœpit efferre fruges, ut ingens mox undique monasticam expetentium, concursus fieret, dedique in Pauli disciplinam jam non de plebe ac trivio duntaxat, verùm & principes viri, clarissimóque genere nati, discuperent.

Vita S. Pauli.

XXIX.
Grimo seu Adalgisilus Dagoberti nepos monasticè amplectitur.

In his Grimo fuit, qui & Adalgisilus, regali sanguine, & Dagoberti Regis nepos. Hic humanarum curarum solutus, cùm ad cœlestia & divina consectanda properat, quo perveniat huc nimirum citiùs, possessiones, quas in Westerrichi finibus habebat, amplissimas, abjecit, & sui monasterii res latifundiis & circumjacentibus agris additis, amplificavit.

XXX.
S. Paulus ... Virdun. ... evocatur Ermenfredus Virdun. Episcopus.

Cæterùm Pauli sanctitas atque eruditio cùm jam celebratior in dies, passim iret per hominum ora; ipse quidem Ermenefredo Virdunensium Episcopo vitâ functo, Dagoberti imperio ex cœnobii umbraculis in clarissimæ sedis lucem extractus, etiam invitus id fastigii subiit; inde verò Ecclesiam suam & novis virtutum ornamentis illustrans, & necessariis opibus cumulans, præclarè de Virdunensi clero mereri cœpit.

S. Pauli templum Virduni.

Quin & templum illi posteritas Virduni statuit, quod ad hoc usque tempus ibidem perdurat, ejus nomini dicatum.

S. Germanus Parif. non fuit Pauli frater.
Richard. Wassebourg. in antiquit. Belg.

Quod verò Bertharius ejus vitæ pervetus autor, fratrem ei fuisse B. Germanum Parisiensem Episcopum tradidit, id rectè scriptor Virdunensis explosit: ejicieturque à nobis haud sine causa, cùm anno sæculi superioris septuagesimo octavo Germanum abiisse vitâ, Sigebertum cum cæteris autorem habeamus; Paulum verò supra quadragesimum hujus, ætatem propagâsse constet. Habet autem B. Paulus venerationis memoriam sexto Idus Februarii.

Grimo Abbas Theol.

Theologiense post eum monasterium Abbas rexit Grimo.

XXXI.
S. Paulus à Desiderio Cadurcensi Episc. invitatur ad dedicationem Basilicæ.
Cadurcum.

Sed S. Pauli quoque venerandæ memoriæ jam reddamus Epistolam Desiderii Cadurcensis, quâ virum sibi morum pietate carissimum ad novæ Basilicæ dedicationem Cadurcum invitat. Est autem Cadurcum Aquitaniæ primæ civitas, quam Oltus rivus ambiens, ferè peninsulam facit, Bituricensi Metropoli accensita.

DOMNO SEMPER SUO PAULO EPISCOPO DESIDERIUS peccator.

Desiderius Cadurcensis S. Paulo Virdunensi familiaris. Invitat eum ad dedicationem.

IAM *credo ad aures tuas perlatum, qualiter monasterium construere cœperim, & Basilicam, mihi, Domino cooperante, consummatam habeam. Proinde rogo atque invito Apostolicam dignationem vestram, ut ibidem ad dedicationem interesse dignemini. Et cùm nos ibidem, in Dei nomine viderimus, aliquantis simul diebus commorantes, de illa perenni ac desiderabili vita, de qua mutuò suspirare solebamus, familiaria colloquia desidero, ut habeamus. Alios etenim plures Episcopos interesse faciemus: qui nos, vel exemplo juvent, vel hortatu roborent. Quorum nos contubernio non mediocriter opinor adjuvari. Veni igitur, carissime; quantum longiùs, tantum velociùs, ut post diutinam corporis absentationem, tandem refocillemur mutuâ confabulatione. Aderit, credo, Dominus de se concionantibus, adstabit orantibus, nec nos deseret unquam, qui passus est pro nobis de sede venire paterna. Orantem te pro nobis patientia Domini nostri Iesu Christi conservare dignetur.* Hæc ad Paulum Desiderius.

XXXII.
Banto & Beatus fratres Eremitæ.
Ebervvinus in vita Magnerici. Trithem. compend. l. 1. Franc. annal.
Trithem. Chro. Hirsaugens.

Cæterùm eodem circiter tempore finitimum Treveris Vogesum insedêre, duo clarissima urbis Trevericæ lumina, Banto & Beatus; ut sanguinis necessitudine atque amore pariter fraterno, sic vitæ beatioris ac cœlestis haud dispari sorte, ambo germani, ambo sacerdotes, ac vastæ solitudinis incolæ, arduum uterque virtutis iter emensi, abstinentiæ laboribus & integritate longè conspicui. Enimverò apud D. Beati sepulchrum expertæ quondam sospitatis remedium sensêre febricitantes.

citantes. Unde Eberuvinus ante annos plus minus quingentos Abbas Theologiensis: *Sed & nos*, inquit, *hoc ipsum beneficium in nobis experti, & fideliter adepti sumus*. Denique eximiâ relictâ sanctitatis famâ, hinc migrarunt ad superos; & Bantonis quidem corpus in oratorio summæ ædi metropolitanæ propinquo, Beati verò in Divæ Genitricis, ad Martyres, decenti sepulturâ sub marmore reconditum; inde quò translati sint, suo nobis loco dicendum servatur. Dies utrique natalis mense Julio, sed illius tricesimo primo, hujus autem sexto colitur & vigesimo.

Bantonis & Beati sepulchra.

MS. antiquissima sūma ædis. Prid. Kalend. Aug. Bantonis Confess. TR.

XXXIII. S Disibodus *Sig. in Chron.* D Benedictus dicitur ob. an. 542. * *Chro. Hirsaug. l. 3. de viris illustribus c. 288.* S. Hildegardis.

Addunt his Disibodum, qui, si is nimirum est, quem* Tritthemius narrat ex Hybernia Pontificatus infulis insignem, peregrinandi cupidine in Spanheimensem venisse Comitatum; ibidemque non multò pòst D. Benedicti decessum, construxisse monasterium, haud ambigas rectiùs ad tempora illum superiora remitti. Memorat idem Tritthemius ejusdem operâ, monachos complures D. Benedicti legibus institutos, illuc adductos, & vitâ castè ac religiosè ibidem transactâ, locum sepulturâ suâ reliquisse nobilem. Sed unde divertit, eò rerum ordo reflectat.

C. Baron. Chronol: à quâ tamen diversi Onuphr. & Sig.

XXXIV. ANNUS CHR. 638. SEVERINUS PON. m. 11. d. 4. *S. Amandi vita Sur. 6. Novembr. Aim. l. 4. c. 20. Sig. ad an. 631.* ANNUS CHR. 639. Sigebertus Dagoberti infans erūpit in vocē. A S. Amādo baptizatur. *alii ad an. 637. Consule Diss. hist. Ægid. Bucherii.*

Anno circiter Christianæ salutis sexcentesimo trigesimo octavo, Honorio exstincto, post annuam ferè vacationem Romæ Severinus iniit. Quo tempore Rex Dagobertus Ragnetrudem in tori communionem adsciverat. Natus igitur illi ex ea filius Sigebertus; quo de, mirum id antiqui scriptores memorant, die quo sacro fonte lustratus est, B. Amando sacris operante, atque aliis, qui astabant de more, parum ad verba Mystagogi attendentibus, infantem disertè ac voce clarâ solennem clausulam, Amen, usurpasse, cunctis stupore pariter atque admiratione vocem tam insolitam prosequentibus. Rem gestam prisci revocant ad annum octavum regni Dagoberti præcipitantem.

XXXV. S Amandus Trajectensis Episc. *Gesta Leod. Episc. & vita apud Surium.* Dagoberti cupiditas. Diploma fundat. *Weissenburg. monaster. in Bruschio. Tritthem. l. 2. Franc. annal.*

Ex quo tempore S. Amandus, condito nuper in Arduenna super Sambram fluvium monasterio, & animis multorum ad virtutem inflammatis, post exsilium amabilis, Trajectensis Ecclesiæ cathedram, sed triennio tantùm, insedit. Jam verò Dagobertus ad cætera illiquefactæ voluptatis incommoda, quæ etiam auxit, dum sordida omnia & humilia spectat, animum quoque turpi cupidine atque avaritiâ deformavit; quæ tantas in illo vires exhibuit, ut non contentus in locupletum fortunas intulisse se avidiùs, Ecclesiæ etiam thesauris inhiârit.

XXXVI Heraclius Imp. Judæorum cōversionē apud Dagobertum urget.

Subinde Imperator Heraclius, Crucis Dominicæ vindex, à Judæis in Oriente gravia passus, per legatos Dagobertum Regem oravit, Judæos uti Christi legibus imbuendos curaret; vel pulsos finibus in exteras oras relegaret; cui sanè petitioni non gravatè Dagobertus assensit, universosque regno Franciæ, qui aquâ salutari perfundi nollent, confestim eliminari jussit. Sed hic fortè locum habeat, quod Tudensis in Chronico de Sisebuto Rege Hispaniarum affirmat; *potestate compulisse, quos provocare fidei ratione oportuerat*.

Aim. l. 4. c. 21.

XXXVII. ANNUS CHR. 640.

Sequenti, qui nonus extitit in regno Dagoberti, Christi verò DCXL. cùm jam pro Severino Romæ Pontifex Joannes IV. creatus esset, B. Arnulfus, ut quidem Suadent Sigeberti rationes, multiplici præfulgens splendore virtutum, ex solitudine transiit in cœlestium omni felicitate circumfluens domicilium. Affuit morienti Romaricus; & justa ei suprema solvit. Aiuntque nec intactum à pristinæ pœnitentiæ curâ, beatum Arnulfum hæc ultima verba Romarico dixisse: *O vir bone, Deoq. amabilis, ora Christum pro me. Iam enim adest dies, in quo judici meo præsentabor.* Eum Ecclesiæ Romanæ fasti decimâ octavâ Julii consecratum recolunt, sanctitate & miraculorum gratiâ illustrem. At Metenses ad decimum sextum Augusti venerantur; vidimusque literarum ejusdem Ecclesiæ monumenta, quibus, sub Constanti Heraclii filio, terras reliquisse traditur, vitâ ejus anno vel biennio longiùs propagatâ. Corpus intervallo annali ex eremo traductum ferunt, in Mediomatrices; atque ibi in suburbano ab Abbone, seu Goërico successore, in Basilica Apostolorum; vel in beati Joannis cœnobium, quod Patiens eximiâ religione Præsul constituerat, reconditum. Qui deinde locus Regum ac Reginarum sepulturâ nobilis, à beati viri pignore novo invento nomine, S. Arnulfi Basilica & Abbatia extra muros urbis, appellatus est, hodie solis ruinis ad meridiem, quâ vitifer assurgit collis visendus.

JOANNES IV. PONT. an. 1. m. 9. d. 6. *Sigeb. in Chron.* B. Arnulphi obitus. *Vita S. Arnulphi apud Bedā Tom. 3. Vita S. Romarici c. 9.*

Martyr. Rom.

MS. Ecclesiæ Metens. Constans Imp. Heraclii F. *Baron. 642. Onuph. 641.* S. Arnulphus Meti sepelitur.

S. Patiens.

S. Arnulphi Abbatia & Basilica. *Ad appendicem vitæ apud Surium. Sigeb. Chron.*

XXXVIII. Doda Arnulphi conjux Treviris monasteriū coluit. S. Clodulphi vita.

Doda verò Arnulfi conjux, cùm filios ex eo Clodulphum jam & Ansigisum suscepisset, humana item despiciens, cogitansque cœlestia, Treviris alicubi, locum enim majores non definiunt, velamine & habitu sacro sumpto, pro Christi amore semet inclusit; & in Dei moderatoris summi obsequio Ancilla numerari voluit, quam frequens clientium turba Dominam antea salutabat.

XXXIX. Clodulphi filii S. Arnulphi insignis memoria.

Porrò Clodulphus, qui vir, quantusque in Metensi palatio floruerit, Desiderii Cadurcensis epistola ei inscripta, nos edoceat, quâ novæ mentis ad meliora impetum, simulque paternæ virtutis famam illi gratulari videtur.

Epist. Desid. 8.

DOMNO INLUSTRI, ET A NOBIS PECULIARIBUS SUSCIPIENDO domino, & in Christo filio * Clodulpho, Desiderius peccator.

* Chodulpho mendosè.

IN *sancti Apostoli Pauli dictis scriptum habetur: quòd ubi abundavit peccatum, superabundabit gratia. Iam quantum me hactenus de gratia vestra dolui contristatum, tantum superabundare me de vestra gratulor caritate. Non enim itineris illius, quo ætate sum gravatâ confectus, jam quâdam doloris memoriâ ducor, dum recolo, quanta erga me dulcedo vestra, est piâ voluntate diffusa. Vnde gratulatione maximâ, præsentem paginam ad dominationem vestram destinavi; per quam, salute uberi fusâ, precor dominum, ut magis magisq. suam in vobis tribuat largitatem pietatis; ac bonis faciat successibus abundare. Et, quia scriptum legimus: Generatio rectorum benedicetur: tu, vir excellentissime, Benedictiones paternas semper memoria vivacitate conserva. &, si qua sunt, vel quod monuit, vel quod egit, quasi ante oculos, præsentaneo retine memoratu. Multa enim sunt de ejus gestis, tuis auribus recolenda, quæ,*

S. Arnulphi præclarum elogium.

Ad cujus imitationē filium extimulat.

si gestis

Hinc colligis scripsisse post obitum S. Arnulphi.

si gestis adjicias vitæ hujus, & intentâ meditatione conserves, ille orationibus donabit utique nunc favorem, quo probabiliter probè polleas, & istinc cursu feliciter auspicato, paternis muneratus præmiis adjungaris. Cætera quæ nectit omittimus. At, quæ in Episcopatu Clodulphus B. Remaclo familiaris, & S. Trudonis institutor, præclarè gesserit, acta ejus vitæ, quæ lucem brevi adspicient, luculenter testantur.

XL. B. Glodesindæ Mettẽsis virginis acta

Hic me memoria beatæ Glodesindæ sollicitat, quæ inclyta apud Mediomatrices miraculorum famâ, pudicitiæ adversus parentum & propinquorum insidias vindicandæ illustre virginibus exemplum reliquit. Nam Wintrone Duce & Godilâ matre generosæ domus procreatâ stirpe, cum Deo desponsa renitens in thalamos jugales abstrahitur, primus maritus * Bobolenus die nuptiarum reus in palatium pertractus, & annuâ detentus custodiâ, tandem capite luit. Jam alter inde sponsus invitæ parabatur, cùm virgo propositi tenax, æmula Frideburgæ Alemannæ fugâ vim eludens, Mettin ad S. Stephani Basilicam convolat, & quem apud penates desperabat, apud Protomartyris aram castimoniæ portum quærit. Septem dies jejuna foris insidiantibus propinquis, Glodesinda superos assiduis fatigans precibus, intra hoc asylum abdita, nec minus secura latebat, cùm adstitit angelico vultu vir humanâ specie augustior, quem venusti duo ceu ad ministerium prompti cingebant pueri; isque inspectante populo, & parentibus, velum sanctæ religionis in caput virginis mittit; moxque ab oculis sublatus, velatam apud altare Glodesindam coram multitudine reliquit. Parentes cæterique spectatores rei admiratione & novitate stupefacti, veneratione & plausu ferri in virginem, indulgentiam & veniam ab ea poscere, quam ut crudelem & impiam paulò antè incesserant.

* Obolenus.

Pudicitiæ studium.

Velum sacrũ ab Angelo ei traditum.

XLI. Rotlindis Treverica Sanctimonialis amita & Magistra B. Glodesindæ.

Erat B. Glodesindæ Treviris amita Rotlindis spectatâ morum integritate virgo Deo sacrata, ac Contubernii quoque virginei antistita. Ad hanc, parentibus reconciliatis, profecta, sacram ab illa monasticæ regulam didicit, eamque vivendi normam, quam Sanctimonialibus ipsa tradere mox cogitabat. Quare Mettin inde rediens, ea in civitate, freta parentum opibus, Monasterium, quod subterius appellabant, exstruxit, &, centum virginum adlecto cœtu, cohonestavit. quibus cùm sex annis præfuisset, & annos vixisset triginta, cum magna opinione sanctitatis terris demigrans, primùm in S. Arnulphi vel Apostolorum cœmeterio humata, atque inde in sui monasterii novum templum translata, illud luce quâdam miraculorum & olei ex sacro virginis corpore manantis salutari liquore illustravit. Eam à Sigeberto gnarus sum ad superiores annos relegatam; sed cùm ejus vitæ memoria Childerici secundi temporibus, qui Dagoberti nepos ex Clodoveo fuit, floruisse testetur, huc eam scilicet differre maluimus. Wintronis autem B. Glodesindæ parentis sepultura patrum ætate in S. Arnulphi Basilica monstrabatur; unde, cum aliis Heroum corporibus, imminente obsidione eversoque monasterio, Francisci Lotharingi Guisiæ Ducis operâ, Wintronis, Amalherii Trevirorum Archiepiscopi ipsiusque S. Arnulphi reliquias in urbem translatas, scriptores Gallici memorant.

B. Glodesinda Mettis monasteriũ virginum exstruit.

B. Glodesindæ ætas, mors & miracula.

Sig. in an. 615.

Theod. Cornu. virens lib. 3. rer. gest. Henrici II.

XLII. Sclavicum bellum. *Aim. l. 4. c. 23. Cedrenus aliiq. tradunt Hunnicæ fuisse originis. sed adi Polon. M. Cromer.*

Et religio quidem hos in Austrasia progressus habebat, cùm Dagoberti interim auspiciis arma in Sclavos & Winidos, gentem Bohemici, Polonici & Hunnici generis, & trans Rhenum variis tum incertisque sedibus vagam, Ducibus Austrasianis atque Alemannis, lata sunt. Alemanni, prœliis fermè prosperè factis ingentes avertêre prædas; Austrasiani, dum hostem * Vogastro inclusum, negligentiùs custodiunt, in magnum adducti vitæ sunt salutisque discrimen; quare veriti, ut irruentium molem sustinerent, desertis turpiter castris, ac munitionibus, omne posuerunt in fuga præsidium. Hâc victoriâ * Winidi inflati, in Thuringiam, & circumjacentes Orientalium Francorum agros, infesto exercitu ducto, omnia terrore ac fugâ complent, totamque latè regionem, populationibus effusè factis, ingenti clade pervastant.

** à Vogesi nomine similitudine.*

** Winidi, Wendi, & Venedi.*

XLIII. ANNUS CHR. 641.

At postero, accepti memor incommodi Dagobertus, justâ sese irâ suscitat. Quare ex Mediomatricûm & Mosellæ regione, ingenti militum robore coacto, Metti tunc exiit; & per Arduennam ac Treviros Mogontiam adiit, ut inde Rhenum trajiceret: atque hic, dum ultionem in hostem parat, legatis obviam missis, omni illum penitùs curâ Saxones levant, polliciti se Winidos impigrè ulturos, conatusque illorum armis repressuros, si tributi, quod Franciæ olim Reges ipsis imposuissent, gratiam faceret; quorum postulatis Rex de consilio Austrasianorum annuens, tributum, quod hactenus quingentis annuè vaccis exsolverant, totum illis remisit atque condonavit. Verùm, onere isto Saxones exempti, fidem, quam Regi dederant, & more gentis sollenni super arma adjuratione firmârant, posthabuêre promissis.

Saxones Francorũ tributarii. *Appendix Greg. Tur. c. 74. Aim. l. 4. c. 26.*

XLIV. *Tom. 5. antiq. lect. epist. 12.*

Ad hæc quoque tempora retulerim S. Pauli Viridunensis Episcopi Epistolam, quæ apud Desiderium legitur.

DOMNO SEMPER SUO DESIDERIO PAPÆ PAULUS peccator.

S. Pauli Virdunens. epist.

Apices sanctæ dominationis vestræ, redeuntibus fratribus Frodoleno & Ruccone, de Mettis, accepimus, ubi nos per singula pietas consueta instruere dignavit. Unde omnipotenti Domino gratias agimus, quod vos, juxta nostrum desiderium, incolumem cognovimus. De Regis conditione innotescimus. Nuper per Viredunum Remos perrexit: ibiq. nativitatem Domini exspectat. Inde Laudunum accedet, & inde Mosaam; ac post, ripâ Rheni perget. Cognoscatis Chainoaldum Episcopum ictuatum, etiam fati munus implesse. Hinc gratiis pro beneficentia solutis, Dominum, inquit, indesinenter oramus, ut ipse vobis pro nostra parvitate æternus tributor existat, & cœlestia bona in perpetua beatitudine concedat. Oratio me vestra sublevet, beate & venerabilis Papa.

Regis Dagoberti iter.

An hic Ghagnoaldus qui Luxovio ad Lugdu. Ep. Ionâ teste, pervenit?

XLV. ANNUS CHR. 642. THEODORUS Pon. an. 7. m. 5. d. 20.

Dagobertus inde, Theodoro Romæ Pontificatum obtinente, apud Mediomatricos agens, consilio cum Episcopis ac regni

proceribus

Append. Greg. c. 75. Aimon. lib. 4. c. 26. Regino, &c.
Sigebertus Rex in conventu Mediomatricũ instituitur.
* *Epist. 19. Winidi.*

proceribus communicato; filium Sigebertum puerum ac pænè infantem, Regem Austrasianorum declarat, nominatis duobus illi educatoribus; Cuniberto Episcopo, & Adalgiso Palatii rectore, quibus Pipinum adjungunt alii. Horum virtute atque industriâ effectum, ut cùm Sigebertus præsens suis jura daret, Winidi, qui, ut sanctus * Bonifacius loquebatur, fœdissimum & deterrimum genus hominum, transrhenanos populos assiduis incursionibus fatigabant, Austrasianorum armis, alacriùs quàm ante retunderentur.

XLVI. ANNUS CHR. 643.
Append. Greg. c. 76. Theodor. Eptern. l. 1. c. 11.
Clodoveus Dagoberti filius ex Nantilde.
* Addulam.
Regentrudis, Irmina & Adhila ejus filiæ.

Anno autem regni duodecimo, filium alterum Dagobertus ex Nantilde suscepit, cui Clodoveo nomen indidit; quæ item à domesticis scriptoribus tres ei filias, quod hoc loco admonere commodum, peperisse dicitur, Regentrudem, Irminam, & * Adhelam. Porrò Clodoveum hunc Neustriæ regno ac Burgundiæ postea præposuit; qui deinde cum matre ad regni illius gubernacula sedit.

Tabula Conradi Cæs. & Freder. I. & judicia apud. in Episc. doc.
Dogobert' B. Maximini monasterium donis afficit.

Tum etiam Dagobertus intellectâ monasterii D. Maximini, quod in Trevirorum suburbano jam pridem veterum Principum beneficio Episcopis subjectum parebat, cùm antiquitate, tum nobilitate, privilegiò illud novo, non solùm decorâsse, verùm illustribus fundis atque possessionibus auxisse scribitur, quas Memiliano tunc temporis Abbati tradidit.

XLVII.
Monasterii S. Maximini antiquitas & celebritas

Cæterùm, quia non nova à nobis cuduntur, sed olim tradita renovantur, non prætereo, quid mihi diligentiùs in hujus monasterii res, temporum clade alioquin obscuras, inquirenti, lucis affulserit. Enimverò, cùm à Reinero Antistite loci, quæ quidem adhuc vitam ducerent, fuissent exhibita veterum literarum documenta, inveniebam sæculorum illud intervallum, quod ab usque Constantino ad Dagoberti ætatem defluxit, magno literarum caruisse præsidio, adeoque ex prisco habitu loci, præter scedas arundini involutas, quarum tamen sententiam ob vetustatem posteri non ad liquidum eruerint, vix tum superfuisse quidquam.

Relatio sive traditio de origine monasterii S. Maximini.

Ad hæc in Dagoberti privilegio parùm exploratam à Memiliano Abbate repeti observabam narrationem; quæ talis admodum. Se Dagoberti Regis jussu, in sui monasterii vestiganda origine versatum; reperisse autem antiquis in scedis, ita traditum. Monasterium id regalem quondam Constantini Magni Basilicam extitisse: jussu verò ejusdem Imperatoris, ab Agricio urbis Episcopo B. Joannis Evangelistæ honori dicatum. Addit inde; Helenæ Augustæ matris munificentiâ atque autoritate, aggregatos eundem in locum Orientali disciplinâ monachos, Christi pauperes; hisque Joannem Antiochenum, quem Agricius sibi junxerat, impositum Rectorem. Denique Constantinum * Merchedictum Curiam cum suis appendicibus, & quidquid infra milliare bannitum ea Ecclesia teneret, addixisse & dedisse S. Maximini Præbendariis; & sanxisse loci tutelam. Hæc ibi Memilianus.

* Merchedictum Constãtini curia.
S. Maximini Præbendarii, an clerici

XLVIII.
Citatur à Casp. Brusc. Monast. Ger. Centuria, & diplom. S. Maxim.

Porrò Dagobertus, narrationem hanc altiùs repetitam continuans, profitetur, locum hunc prædiis augendum curâsse, quorum nomina, Cannis, Crassiacus, Longich, Riodola, Vallis, Pollich, Bedeliacus, Talevanck, Lovana: quæ loca ad Regiam Curtem, quæ dicitur Decima, affirmat pertinere; quamque Curtem cum omnibus eo spectantibus, & quidquid prædii visus sit obtinere à fluvio, qui vocatur Rovera, usque ad silvam, quæ dicitur Jeder, se S. Maximino in perpetuam tradidisse hæreditatem, hac lege, ut centenorum ibidem Monachorum semper summa maneat. &c. Datum Prid. Non. Aprilis, anno regni XII.

Dagoberti prædia, quæ in fastis sic exprimũtur Chenne, Chriske, Budelach, Lova. Decima jã Detzem pagus, Riodola, Taciti Rigndulũ, Vallis Vell.

Cæterùm hanc decem villarum amplissimam certè possessionem non diu penes cenobitas mansisse, Regum inde secuta licentia docuit, qui ipsum cum fundis Monasterium sui juris fecêre, tum nova ab S. Hildulpho Monasterii facta instauratio fundatióque; tum denique Ottonis Magni liberalis erogatio, de quo ad Nonas Maii Ephemerides: quod DECEM CURTES VALLIS, ET DECIMAM CUM SUIS PERTINENTIIS DIU ABLATAS, S. MAXIMINO RESTITUERIT.

XLIX. Dagoberti morũ mutatio.

Sub illud quoque tempus optimus Rex Dagobertus vitæ anteactæ pœnitentiâ, & magnâ earum rerum detestatione, quas corruptelâ malæ consuetudinis, & regiâ licentiâ, hucusque patrârat, edomitus, de superûm pace veniáque conficienda, acrem certè cogitationem suscepisse fertur. Et sanè ad redimendas eleemosinâ vitæ præteritæ noxas, cùm omnibus aliis benignè fecit, tum illustria præsertim suæ erga Trevirorum Ecclesiam liberalitatis ac magnificentiæ edidit documenta.

Ejus in Trevirorum Ecclesiam munificentia.
Modoaldus virginum monasteria condit.

Etenim Modoaldus amplissimis ab eo muneribus affectus, ut erat magno suæ Ecclesiæ propagandæ atque ornandæ studio, Christo Divisque templa sistere, monasteria inchoare, cœtus cogere virginum. Primam igitur D. Genitricis nomini Basilicam ponit; apud quam domicilio constituto, filia Dagoberti Irmina, aggregatis à S. Modoaldo in vitæ communionem virginibus, velum ornatumque monasticum sumpsit; appellatusque locus est ab horreis regalibus, quæ in eam rem Dagobertus contulerat, HORREA: quo nomine in agro Campano Italiæ, Paulus * Diaconus locum quendam celebrat.

S. Irmina.
Horrea. Parthenon.
* *lib. 6. c. 17.*

L. Palatioli monaster. virg.
* Addela Dagoberti filia.

Aliud item monasterium, in antiquo Palatio, quod prædium tunc erat Majorumdomus, condidit; in quo * Adhelam, alteram Dagoberti filiam viduam, monastico item cultu postea sumpto, vitam sanctissimè traduxisse, reliquisque Abbatissam præfuisse, tradunt. Locus is Canonicorum collegio, à quo hodieque colitur, postea attributus, distat ab urbe passuum circiter tria millia in Septentrionem, Trevirorum suburbano quondam annumeratus, & Episcoporum habitatione illustris: nunc mœnibus auctus, ac præterlabentis Mosellæ jucundus adspectu; nomen Palatioli à veteri palatio retinet.

Vide plura de utrâque Virgine in Addition.
Palatiolum oppidum.

LI. D. Symphoriani Parthenon Severa Modoaldi soror in an. 646.

Ad hæc tertium, in ripa Mosellæ amnis ad urbem Parthenonem Modoaldus exstruxit; ac D. Symphoriani martyris nomini vovit ac dicavit; huic sororem suam Severam præstanti religione feminam præposuit; quæ, ut Sigebertus refert, fraternæ virtutis haud degener, excellentibus istic Christianæ perfectionis exemplis effulsit. His tribus locis ita constitutis, & cum aliis ornamentis, tum opimis

possessioni-

Modoaldus omnibus his monasteriis D. Benedicti leges dat.

possessionibus, & à Dagoberto Rege, & ab ipsis quoque virginibus instructis, Modoaldus animum ad formandos sacrarum virginum cætus, & legibus instituendos, adjecit; cunctisque inter ipsas ut animis, sic juris ejusdem communione sociatis, accuratam D. Benedicti disciplinam servandam tradidit.

LII. Res item Ecclesię suæ confirmat.

Ratus deinde ad fidem dignitatemque Ecclesiæ suæ pertinere, autoritatem Episcopali sedi maximam addere; &, quò labantem disciplinam faciliùs etiam posteri sustinerent, monasteria in Episcopi potestatem adducere, Dagoberti Regis aures adiit, obnixè postulans, donationes à superioribus Regibus concessas, instituto majorum Ecclesiæ D. Petri confirmari, ac cuncta prædia Monasteriaque eidem S. Petro jam olim subjecta donataque novo sibi Diplomate sive Præcepto, ut vocabant, sanciri. Quod pius tunc Rex non prolixè modò præstitit, ac liberaliter, verùm multò clariora, Modoaldo præsenti, & successoribus ejus beneficia detulit, quæ etiam diplomate amplissimo in hæc penitus verba complexus est:

Dagobertus majorum dona possessionesque [illegible]ate cōstabilit. Domestici & Agentes officii nomina.

D*agobertus Rex Francorum, viris illustribus, Ducibus, Comitibus, Domesticis, & omnibus Agentibus, tam ultra quam citra Rhenum, vel ultra Ligerim, tam absentibus, quàm præsentibus. Illud ad augmentum vel stabilitatem regni nostri, sine dubio in Dei nomine, credimus permanere, si Sacerdotum, vel Ecclesiarum Dei rectis petitionibus annuentes, id quod nostris auribus patefecerint; perducimus ad effectum: Ideoq; vir Apostolicus Pater noster, domnus Modoaldus Archiepiscopus Ecclesiæ Treverica, Præceptum afferens ad nos, præceptionibus prædecessorum anteriorum Regum parentum nostrorum Sigeberti, Theodoberti, Theoderici, imoq; bonæ recordationis Hlotharii gloriosi Regis genitoris nostri, manibus roboratum; in quo erat insertum, quod non solùm idem Genitor noster, verùm etiam præfati prædecessores ejus, Reges videlicet Francorum, omnes res, quascunque boni & sancti viri pro divina contemplationis intuitu ad partem S. Petri Trevirensis Ecclesiæ delegaverunt, suorum præceptorum autoritate confirmârunt, quatenus eorum regnum superno auxilio tueretur, & postmodum ipsi, in æthereo regno, cum Christo sine carente gaudere possent; itaque pro rei firmitate idem præfatus præsul Modoaldus deprecatus fuit sublimitatem nostram, ut paternum ac prædecessorum morem sequentes, hujuscemodi nostræ auctoritatis Præceptum, ob amorem Dei, & reverentiam S. Petri, de eisdem rebus juberemus fieri; cujus * petitionis libenter assensum præbuimus, & hoc nostræ auctoritatis Præceptum erga ipsam Ecclesiam, pro divini cultûs amore, & animæ nostræ remedio fieri decrevimus; per quod præcipimus atque jubemus, ut omnes res, vel facultates ad Ecclesiam S. Petri Treverica urbis pertinentes, scilicet Cellam S. Hilarii, quæ nunc appellatur S. Maximini, quæ est in prædio S. Petri constructa, & Cellam S. Paulini & S. Eucharii & Monasterium S. Mariæ, quod idem præfatus Pontifex Modoaldus in territorio S. Petri nuper à fundamento construxit, & vocatur Horrea, Basilicamq; S. Martini sitam in pago * Maiginensi; & cæteras Basilicas, castella, vicos, villas, vineas, silvas, homines, vel quicquid, largiente divinâ clementiâ, deinceps ad eandem augmentandam Ecclesiam tribuetur, circa Rhenum & Ligerim fluvium in regno nostro consistentia, omnia sub jure & potestate S. Petri Trevirensis Ecclesiæ, ejusq; Pontificis perpetualiter mancipata, permaneant. Præterea pari modo etiam statuimus, ut nullus ex publicis Iudicibus, vel aliquis ex judiciaria potestate, in monasteria, Ecclesias, castella, vicos, vel agros, loca, seu reliquas possessiones prædictæ Ecclesiæ, tam ultra quàm citra Rhenum, vel Ligerim fluvium, in pagis vel territoriis, quæ infra potestatem regni nostri memorata possidet Ecclesia; vel, quæ deinceps in jure ipsius sancti loci, voluerit divina potestas augeri, ad causas audiendas, vel * freda aut tributa, aut conjectos aliquos exigendos, aut mansiones vel * paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ distringendos, vel injustas exactiones inquirendas, vel teloneum exigendum, * nostris & futuris temporibus aggredi audeant; vel ea quæ supramemorata sunt, nequaquam penitùs exigere præsumant. Sed liceat memorato Præsuli, suisq; successoribus, omnia præfata monasteria, villas, vicos, & castella, cum suis adjacentibus integrè perpetuo tempore, pro remedio animæ nostræ, seu parentum nostrorum, sicut in Præcepto pijssimi Genitoris nostri continetur, quieto ordine possidere, & nostro fideliter parêre imperio. Sed, ut hoc nostræ auctoritatis Præceptum, pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostris videlicet præsentibus, & futuris temporibus veriùs credatur, & diligentiùs à successoribus nostris conservetur, manu id propria cum Luidis nostris subterfirmavimus, & annuli nostri impressione, signare jussimus. Dagobertus Rex Francorum * * * * * Cunibertus gratiâ Dei Coloniensis Archiepiscopus, Abbo Metensis Episcopus, Principius Spirensis Episcopus, Pipinus Majordomus.*

Præceptum & decretum sive tabulæ donationū.

Antiquitas facultatum & dominationis Ecclesiasticæ.

S. Petrus Trevirensis ejusque pars.

* petitioni

Cella S. Hilarii .i. Monast. S. Maximini.

* Monasterium Mainfeldiæ.

Imperiū & jurisdictio penes Episcopum.

Amplitudo possessionū, quæ usque ad Ligerim pertinebāt.

* Fredum genus mulctæ fisco vel judicio debitæ, Wolf. Lazium de Commer. l. 3. in diplom. Ottonis II.

* collectas al. ex

* adparatas Laz.

Luidi & Leudi quos appellant homines, & thontes addictos

Datum anno Regni XII. Signū.

Atque hæc duntaxat veteris Ecclesiæ dominatus possessionumque, ut ex ipso liquet diplomate, confirmatio quædam fuit; quæ sanè quàm in omnem partem ad Ligerim in Celticam usque tum latè fuerint propagatæ, cernitur.

Tradit hic nobis ornamenta sua Ecclesia Trevirensis commemoranda. Quid enim hoc fructu regalium munerum, aut veteris nobilitate patrimonii ad stabilendam prisci juris dignitatem illustrius? aut ad perstringendos noctuarum oculos vibrantius? Explica Basilicas, monasteria, castella, vicos, homines, ut amplam relatu materiam, sic ingratam malè sanis cupidorum erroribus; nihil tamen in his speciosius, quàm, quòd eas opes meruerit, invenias. Ac super hæc etiam à Dagoberto, novos denuò fundos, regiasque facultates ejusdem ope veteribus agris accessisse, postea clariùs docebitur.

LIII. Franc. Rosieres initio T. 1. Stem. Lotharing.

Porrò, quòd Stemmatum illustrandorum subsidio atque ornamento recentiores hoc aliaque diplomata ex Treveris, ut ipsi aiunt, petita, speciosiùs, alioque orationis filo, quàm in vetustis ea membranis concepta & tradita à majoribus accepimus, evulgârunt, id quò ne cum historiæ & publicæ fidei jactura gliscat ad famam posteritatis, hîc in articulo opprimendum duximus, ut ab unius corruptelâ

exempli

exempli, lector faciliùs agnoscat cætera. Ergo in procemio ficti Præcepti, nominatur Arnulphus Dux Austriæ Mosellanicæ; & additur erutum exemplar ex Monasterio S. Hilarii, sive S. Maximini. Hinc, repetito fundorum veterum seu monasteriorum stabilimento, à Dagoberto, patrimonii S. Petri datur Protector, Rector & Advocatus Arnulphus sanguine regio natus, scilicet Dagoberti parens & Dux Austriæ: ac denique annus exprimitur Dominicus DCXXIII. IV. Kal. Augusti. Si à vertice, quod aiunt, usque ad extremum unguem hæc conferas, nihil, meâ quidem sententiâ, hîc sani reperies. Quis veteris historiæ utcunque sciens hâc ætate vel fando vel scribendo audiit usquam, Duces nominari Austriæ Mosellanicæ? Arnulphum Domus-majoratu & opum ac ditionis in Austrasia non minùs quàm sanctimoniæ splendore clarum agnoscimus. Sed, qui, eundem Trevirensis Ecclesiæ vectigalium, ceu fundorum Rectorem & Advocatum fateamur, cùm in diplomatis germani textu, ipsius, ut nulla fit mentio, ita Regem nominatim constat exceptionem & immunitatem Modoaldo sancire, à cujusque alterius præterquàm Regis summâ potestate? Jam etiam, ut in D. Maximini reliquis monumentis nulla hujusmodi diplomatis vola vel vestigium, ita insolens huic ætati subscriptionem signare annis Domini. Etsi se ipse Diplomatis autor gladio suo jugulet, cùm subscriptioni adserit *Abbonem Metensem Episcopum, quem constat in S. Arnulphi locum suffectum, quando is sæculo & Episcopatu relicto Eremum petiit, ut longè tum ab ejus conditione fuerit procuratio tutelæ Trevericæ Ecclesiæ. Denique, quem arbitratu suo affingit annum Domini, is ordine temporum emendatiore, ne Regem quidem Dagobertum habuit, nedum Præcepti talis autorem. Sed subduco; ne prudens in flammam mittam manum: illud unum publici testimonii loco numeroque proposuisse contentus, has Dagoberti Modoaldo, ut & ejusdem ferè tenoris Magni Caroli Weomado traditas tabulas, interjecto haud exiguo ætatis intervallo, tempore scilicet Lotharii, Conrardi & Friderici I. multâ lite super Cella S. Hilarii seu S. Maximini Monasterio exortâ, eo quo hîc à nobis recitantur verborum nexu in publicum judicium adductas, rebus manifestissimis, omni dispulsâ & remotâ obscuritatis nebulâ, controversiæ modum fecisse.

Apologia Diplomatis Dagoberti.

* Attonem mendosè.

Adi an. Christi 1157.

LIV. ANNUS CHR. 644. aut 645.

Annus posthæc illuxit, regno Dagoberti XIV. cùm ipse Vasconici belli curâ perfunctus, aliquando tandem è bellorum salebris ad securam pacis tranquillitatem emersit. Multis itaque nationibus subactis, florentissimum pace regnum adeptus, morum diversa jam induere; & quo mala præterita, vita castigatior obliteraret, toto deinceps pectore in Christianæ pietatis officia cœpit incumbere. Ergo gratissimi simul erga Deum animi monumentum, ob tot parta divinitùs beneficia erecturus, opum vim maximam in piorum alimoniam profudit, atque universas pænè, ut Aimoinus refert, Galliæ Ecclesias, patrimonii sui hæredes nuncupare instituit. Frequenti itaque filiorum atque amicorum conventu in * Bigargio, id loco nomen, coacto, orationem hujuscemodi habuit; ut diceret, existimare se causam convocandi illos cùm honestam habere, tum maximè fructuosam; neque mirum id cuiquam videri debere, si in negotio, quod ad sempiternam animæ suæ salutem plurimum facere arbitretur, judicio stare suo, sententiáque nolit. Adhæc, magnam omnibus excolendæ virtutis, ni dissimulare velint, impositam esse necessitatem; corpora quidem caduca, animas tamen habere immortales. Quapropter etiam vereri, si parùm in res deditus salutiferas, ab officio se removeat, ut corpus non hic modò vermibus, tellurique consumendum, verùm animam quoque perpetuis inferorum cruciatibus, atque suppliciis mactandam objiciat. Hinc secum quando reputaret, & justis amplissima à Deo proposita præmia, & ingentia supplicia decreta sontibus; mala etiam, quæ in vita gessisset, subjiceret animo, testamentum scribere decrevisse; quo cunctas regni sui Divorum Basilicas, quarum aliquod nunc jam decus nomenque sanctitatis extaret, omnium eorum, quæ cumulatè ac liberaliter olim iis detulisset, hæreditate donaret. Atque in eam rem quatuor omninò se cupere fieri uno tenore exemplaria, eaque manu non solùm propriâ, sed & filiorum Sigeberti & Hludovici, quos Reges etiam in posterum declararet, necnon procerum utriusque ordinis autoritate, & subscriptione firmari. Horum autem unum Lugdunum in Gallia; Parisios verò alterum; tertium Metim in thesauris Ecclesiarum custodienda perferri placere; postremum id denique, quod ipse tum in manibus habebat, in tabulariis regni cupere adservari. Adhæc, per Christi æquè sanctissimum atque venerandum nomen, omnes eos Antistites, qui locis Præcepto inscriptis præessent, obtestari, atque rogare etiam obnixiùs, uti post vitæ suæ exitum, ubi hæc ipsa legata in eorum potestatem venissent, memoriam sui ter quot hebdomadis per sequentes inde annos recolerent, ac pro felici animæ post hanc vitam obtinendâ quiete, puras divinæ majestati hostias libarent; denique nomen suum in beneficorum album relatum, gratâ ac perpetuâ recordatione usurparent.

Dagoberti pietas & in Christi pauperes misericordia.

Aimoinus l. 4. c. 30.

* Bigargium.

Cum ordinib. regni de testamento conficiendo deliberat.

Dagobertus post mortē jubet pro se Deo preces offerri.

LV.

Hæc, cùm dixisset, omnibus benignè atque comiter salutem precatus, conventum dimisit; & paulò post, vitæ cursu peracto, sedecim quod nonnulli, aut quatuordecim, quod malumus, in regni gubernatione positis annis, mortuus est, filiis duobus Sigeberto & Hludovico, post se relictis; illo quidem in Austrasia, hoc in Neustria atque Burgundia, regni hæreditatem adeuntibus.

Dagoberti mors.

Append. Greg. & Aimoin. 16. Sigeb. et tomo 14. annis tribuit post mortem patris.

II. SIGEBERTUS II. REX AUST. an. 10.

Fuit autem Dagobertus Rex, etsi plurimum vitâ lubricus, præcipuâ tamen religionis laude præstans; atque inter omnes Franciæ Reges hoc uno nomine maximè memorabilis, quòd amplissima Dei sanctorumque Ecclesiis munera & subsidia opulenta præbuit, cunctas passim in regno suo Basilicas, donariorum multitudine, ac variis sacrorum instrumentis exornans; monasteria alia augens, alia in altum erigens, omnia denique Christianæ religionis officia, quàm diligentissimè procurans. Quibus sanè laudibus summis atque clarissimis, nisi crebriores quasi maculas

Dagoberti dotes.

[illegible]culas nefariæ libidinis offudisset, omnium profectò virtutum illibatâ gloriâ, nomen ejus ad posteros cumulatum poterat pervenire; quippe, qui non minùs pacis studia quàm belli, ut res tulit, ingenti animi magnitudine sapienter moderatus est.

LVI. Jussis igitur Dagoberto Regi magnificè Lutetiæ in B. Dionysii Basilica, quam adornârat, persolutis, Pontifices bonorum, quæ legaverat Ecclesiis, inivêre possessionem. Quare etiam Præceptum à Rege Dagoberto B. Petro Trevirensi sancitum, ad Modoaldum Pontificem Trevirorum perlatum, idque à priore diplomate longè diversum, satis certâ probatione colligitur. Etenim, priore scripto confirmatæ tantùm res olim possessæ; at sanctione Præcepti novæ prioribus facultates adjectæ: quo facit & lapis egregius marmoreus, qui in æde D. Paulini ad nostram usque ætatem hâc inscriptione illustris adservatur.

Dagoberti liberalitas in Eccles. Trevir.

Sanctuarium seu conditorium S. Modoaldi. Alii Principis ... aliter, & ... fuisse ...

HOC EST SANCTVARIVM DEO DILECTI TREVIRORVM ARCHIEPISCOPI MODOALDI, CVIVS SANCTITATEM CHRISTO DEVOTVS REX DAGOBERTVS, SICVT IN PRÆCEPTO EIVS DE ECCLESIA TREVERENSI CONTINETVR, VERBIS MAGNIFICAVIT, ET *CITRA RHENVM ET FLVVIVM LIGBRIM, REBVS MAGNIFICE DITAVIT.

* CIRCA

Lapis autem hic, cujus inscriptio ab æmulo scriptore malignè dissimulata, post Nortmannorum cladem templo S. Symphoriani disturbato, creditur, ex tumulo D. Modoaldi translatus ad Paulinianam Basilicam.

Xylander, par. 2. fol. 71.

LVII. Huic porrò donationis titulo consentit & vetus scriptor Theodoricus Epternacensis, qui de supremo vitæ tempore Dagoberti, atque suscepta delictorum ab eo pœnitentia, verba faciens: Inter innumera, quæ in Dei Ecclesias ipse postea contulit, donâsse S. Petro Treviris memorat, Altam-regiam, Withelichum, Platenam, Roram, Marangium, Noviantum; S. Paulino, Sulmenam, Rulam, Mienam, Nuvilam; S. Maximino, Pollichum, * Decimamque cum appendicibus suis; cujus sanè donationis novo diplomate, factam confirmationem, ambigi non debet.

Lib. 2. c. 24. Dagobertus quæ singulatim loca donaverit Trevir. Ecclesiæ.

* Decem-vill.

LVIII. Sigebertus deinde, ut Austrasiæ gubernacula tractare, ac summæ rerum accingi cœpit, ad pacis studia animum transferens, nihil habendum antiquius ac prius fraternâ concordiâ sibi duxit; hanc, ut æquitate, atque animi moderatione sustentaret, majore regni parte Ludovico fratri matrique concessâ, tametsi major ipse natu, triente duntaxat paternæ gazæ, arbitrio procerum egit contentus, idque negotium Cuniberto & Pipino dedit, ipsi, ut Compendium profecti ad regiam villam, de hæreditate cum Ega Majoredomus Ludovici decernerent; quod impigrè, concorditer, ac summa cum fide illi præstiterunt. Quippe auri argentique facti infecti, & omnis pretiosæ supellectilis thesaurum inde Metim, negotiis transactis, ad Sigebertum deportârunt: qui, quantum patrimonio inferior, tantum inde gloriâ superior evasit.

Regni Sigeberti exordia. Append. Greg. c. 85. Aimoin. l. 4. c. 26.

Sigebertus & Hluduicus regni hæreditatem partiuntur.

LIX. Nec defuêre Sigeberto stimuli à monitoribus, tum iis, qui exempli gravitate; tum, qui morum præceptis, per epistolam ejus sceptra fulcirent. Sub exordia regni, hanc à Desiderio datam reor epistolam, quam gloriosissimo, triumphali, & sanctæ Ecclesiæ Catholicæ filio Regi Sigeberto inscripsit. Ubi inter alia hæc parænesis: *Præsumimus commonere celsitudinem gloriæ vestræ, ut semper progenitoris vestri memoriam intimiore corde retineatis. Semper cogitetis, quid post regni sceptra futuri estis, & ad qualem remunerationem, pro operum qualitate, venietis. Nos pro epistolæ paucitate, modicum quid monemus: vos taliter in omni opere, in omni causa, in omni judicio, vosmet ipsos exhibete, ut quando perfidi Reges cum iniquis damnabuntur, vos pro bonis operibus æternam remunerationem percipiatis.*

Sigeberti monitores.

Desiderius Cadurcensis epist. 3.

LX. Anno autem insequenti, Pipinus de Landis vir clarissimus, atque omnibus corporis animique virtutibus præcellens, cum ingenti desiderio totius Austrasiæ, decessit; summo magistratu sub tribus Austrasiæ Regibus, magnâ justitię atque religionis laude gesto, sanè quàm inclytus. Filium ex Itta D. Modoaldi sorore post se reliquit Grimoaldum, juvenem egregiis naturæ adjumentis, qui & ipse summo fastigio proximus, eminentem in aula Dagoberti & Sigeberti filii locum obtinuit, patrique defuncto Majordomus suffectus est. Ejus indolis ac animi specimen, non uno loco Desiderius adumbravit. Primò adjutandi monasterii templique fabricæ, quam explicabat, patronum quæsivit apud Sigebertum Regem, misso ad palatium in Mediomatrices, opinor, Lupo Abbate, quem orat, *Grimoaldi industriâ, gloriosi Principis Domini Sigeberti Regis obtutibus repræsentari.* Alteram epistolam, his tituli ornamentis præscriptam dedit.

ANNUS Chr. 646. vel 647. Theo. Eptern. Append. Greg. c. 85. Sigebertus. Pipinus moritur.

Grimoaldus Modoaldi nepos Pipini F. Majordomus. Epist. 2. &c. Desiderio Cadurcensi patrocinatur.

Lupus Abbas Cadurc.

DOMNO INLUSTRI TOTIUS AULÆ, IMMOQUE REGNI RECTORI, Grimoaldo Majoridomus, Desiderius exiguus servus Dei.

EX literis, quod juvet, inserimus: *Et, quia cupio me vestris animis eo ordine commendare, quo parentum vestrorum affectu sum amico devinctus, precor, ut illam gratiam genitoris vestri erga me tenere dignetis, quæ me vobis faciat placabilem, & vestram mihi præstet semper optabilem. Conditionculas etiam Ecclesiæ nostræ, & pauperum suorum singulari mercede, studete (curâ) habere; easque per omnia habete commendatas. Nos quoque in sinu gratiæ vestræ, non ut meremur, sed ut optamus*

Pipini studium erga Desiderium.

Grimoaldi pietas & liberalitas.

atque confidimus, paterno confovete affectu. Felix tali patrono Palatium; cujus aures non perversorum ambitus & adulatio; sed pauperum, & Ecclesiæ causæ, pulsarent.

LXI. Nivigella seu Nivella Brabantiæ monasterium Itta Modoaldi soror & S. Gertrudis à B. Amando sacratur.

S. Amandus inter hæc Trajectensi Ecclesiâ Landoaldo Archipresbytero commendatâ cùm Vasconum & Gandensium populis lumen Christianæ doctrinæ præfert, & multos alibi ad virtutis amorem accendit, Modoaldi nostri prosapiam S. Gertrudem cum matre Itta Nivellæ in Brabanto moniales Christo sacravit.

LXII. ANNUS CHR. 648. 649. MARTINUS PON. an 6. m. 3. d. 12.

Sigeberti adversum cum Thuringis prœlium. *Aimoin & Greg. Turon. appendix.*

Annorum inde sequentium successu, quo & Theodorus Pontifex Romæ mortuus, atque in ejus locum Martinus, domo Tudertinus, evectus, Radulphus Thuringorum Dux, Sigeberto domino, bellum & arma rebellis intulit, icto prius cum Winidis fœdere, acerrimis tum hostibus regni Mediomatricum. Ductis itaque in Buchoniam coactis ex omni Austrasiacorum clientela, & ex populis trans Rhenum pagatim, quàm potuit maximis copiis, Sigebertus, re parum prosperè gesta, Bodone Duce, ac viris compluribus fortissimis amissis, dum hostis se apud Unstrudam fluvium castri muniti præsidio tuetur, & Moguntiacenses fidem fallunt, inde in Austrasiam reversus est, non mediocri cladis acceptæ & detractæ sibi provinciæ dolore æstuans.

LXIII. Ansgisus Pipini F. ANNUS CHR. 650.

Floruère per ea tempora, quæ quinquagesimum annum hujus sæculi consecuta sunt, Ansgisus Pipini filius, Beggæ D. Modoaldi nepti connubio junctus. Itta D. Modoaldi soror, quæ, ut dixi, salutaribus præceptis atque consiliis B. Amandi instituta, nobile monasterium Nivigellas sibi filiæque Gertrudi condidit: Eximiæ quoque Asceticæ vitæ laudes, & aliarum virtutum præstantia Remaclum commendabant, ut qui S. Eligii discipulus Solonniaco monasterio præclarè olim sacræ militiæ tirocinium posuisset. Quo nomine præ aliis S. Amandus censuit idoneum, cui Trajectensis Ecclesiæ gubernacula traderet.

S. Gertrudis S. Remacl. fit Trajectensis Episc.

LXIV. ANNUS CHR. 651. Grimoaldi industria in Regis animo componendo Sigeberti Regis pietas. Ejus magnificentia in exstruendis monasteriis.

Inter quæ Grimoaldus Majordomus, fidus in Austrasiæ regnum memoriâ parentis, Sigeberti animum ad omne virtutis & honestarum artium officium accendere; quo studio, nimirum apud eximiæ indolis principem, tantum brevi profecit, ut is, suscipiendæ prolis omni præsertim spe sublatâ, opes suas Christo, ejusque sectatoribus liberaliter dicare, templa erigere, monasteria ædificare, religionem demum quovis officii genere, diligenter imposterum exornare cœperit. Ac duodecim quidem monasteria variis in locis, hujus instructa vectigalibus ac impensis, non sine ingenti piorum hominum lætitia, per id tempus surrexisse, autor est Sigebertus. In quibus præcipuum decus ac splendorem ad hoc usque tempus retinent * Stabuletum & Malmundarium; utrumque in Arduenna locis amœnis atque nemorosis, apud gelidos ac perennes fontium liquores B. Remaclo Trajectensium Episcopo loca designante, ac describente; Grimoaldoque Domusmajore de publico ministrante sumptus. Qua ex re non minus profectò splendoris, quàm utilitatis in vicina Trevirorum arva redundavit.

Sigebertus & ejus vita c. 7. Sur. Harigerus in Tongr. Ep. c. 55. 56. * vel Stabulaus.

Stabuletum & Malmundarium B. Benedicti monasteria.

LXV.

Post tam illustria religionis amplificatæ monumenta, plurimum quoque Modoaldo eximio Præsuli superfuit, non quo Treviros modò suos domi locupletaret, sed quo alienam etiam apud remotos inopiam levaret. Præclarum antiquitatis ornamentum à Desiderio Cadurcensi reliquum est, quo illud jam disertè testemur.

S. Modoaldi beneficentia.

Epist. Desid. Cadurc. 7.

DOMNO SEMPER SUO
* MODOALDO PAPÆ
Desiderius peccator.

* Modoaldo.

SI *gratiarum jura beneficiis vestris recompensare voluero, non satiam,* * *propter illa scilicet supereminentia bona, quæ anno præsenti erga nos largitas vestra, deseminare studuit, pro impensis videlicet superfluentibus**, *pro itinerantium multimodis necessitatibus. Nec solùm famulantium opportuna subsidia non pauca misistis, sed etiam nosmet & expensis, & muneribus, ampliastis. Implesti, beate pater, largitatis officium, sustinuisti peregrinationem nostram, compassus es laboribus nostris; & longè à solo patrio positos ita paterno affectu fovistis, ut nec regionis ubertatem, nec parentum dulcedinem, ex inopia desiderarem. Dominus noster Iesus Christus, in cujus amore id impendisti, tibi pro nostra extremitate retributor existat. Nunc igitur famulatus mei jura persolvens, supplico, ut quem tunc beneficiis consolastis, nunc orationum beneficio juves. Latorem præterea præsentis officii, filium communem Claudium Abbatem recipite, per omnia commendatum; & munuscula, quæ ex nobis intulerit, grato animo habetote. Cùm se* * *denuò opportunitas obtulerit, de vestra & Domini Regis, vel fratrum ac filiorum vestrorum mereamur incolumitate, rescripti serie, consolari.*

* pro

* impensis f. perfluentibus, &c.

Claudius Abbas Cadurc.

* de mundo. S. Modoaldus quo loco in regia.

LXVI. ANNUS CHR. 652.

Anno deinde à Christo nato DCLII. perhibent Ecclesiam Trevirensem, ab Hattone quodam obscuri nominis homine, non mediocre damnum accepisse, quippe, quem perditorum manu stipatum cellas DD. Maximini atque Eucharii hostiliter pervadentem, aiunt, ea sibi loca contra jus & æquum nil veritum usurpare. Quâ injuriâ permotum Modoaldum Aquas, ubi Sigebertus tum degebat, adiisse, querelasque apud regem de illata sibi suæque Ecclesiæ injuria exposuisse, obtinuisseque patens diploma, quo veteres possessiones ad Ecclesiam more majorum novo privilegio sint revocatæ, atque in hanc sententiam à Sigeberto confirmatæ:

Possessiones Ecclesiæ Trevirorum ab improborum injuriis vindicatæ.

LXVII. ANNUS CHR. 653. *MS. citatum à Sirigonio ... Lotharingæ.*

IN NOMINE DOMINI AMEN. *Sigebertus, divinâ favente gratiâ Francorum Rex. Quoniam adoptionem filiorum Dei præstolamur, ad quam per pacem attingitur, teneamus pacem invicem, & in omnes. Beati enim pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Ubi enim altercationis invicem dispendium incurrit, ibi pacis residet dissidium, quæ Ecclesiarum gratiosam fovet & incrementat quietem. Igitur noverit omnium fidelium nostrorum præsentium, & futurorum notitia, qualiter de cellis beatorum Hilarii, quæ modò cella S. Maximini dicitur, ac B. Eucharii, in prædio S. Petri Treverica urbis ædificata, quas dominus genitor noster Dagobertus Christianissimus Rex, prædecessorum suorum mores sequens, ad Ecclesiam*

clesiam S. Petri Treverica urbis, regia potestatis jure tradiderat, ac perpetua stabilitate firmaverat, Modoaldus ejusdem Ecclesia venerabilis Archiepiscopus in generali palatio nostro querelosis se precibus proclamavit, plangens eas ab malis grassatoribus, quorum Dux quidam nomine Hattus est, contra libitum suum suorúmque fidelium usurpatas, ac de supradicta Ecclesia violenter abstractas. At nos per omnia omnem prafati Hatti ac suorum per ordinem recolentes fallaciam, jam calliditatibus detectis, querimoniam illius veram esse agnovimus.* Atque post hæc: *Vt autem prasens nostra reformationis scriptum inviolabile, per succedentia tempora in Dei nomine obtineat stabilitatem, propriâ manu cum Duce* Martino ac Cuniberto Archiepiscopo Coloniensi, ac Remaclo Episcopo Trajectensi, subter eam firmavimus, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus. Data Aquisgrani Idibus Maii, anno dominica Incarnationis* DCLIII. *Sigebertus Francorum Rex. Cunibertus Archiepiscopus Coloniensis, Remaclus Episcopus Trajectensis.*

* Hatto.

* Nonnulla quæ Stem. autor hic attexit de Mosellaniæ D. irrepsisse videtur à recẽtiore manu, ut & titulus Annalis.

Martinus an Dux Mosellaniæ? an certè partis Austrasiæ? res dubia.

LXVIII. ANNUS CHR. 654. Martini Põtificis obitus

Anno sequenti Martinus Pontifex, cujus sanctissimos cineres Fuldæ in Basilica Salvatoris inventos memini, cùm nuper Theodori Calliopæ impio ministerio captus, & Constantis imperatoris jussu Chersonam in Pontum fuisset legatus, ibi ob Catholicam fidem ærumnis confectus, pridie Idus Novembris cessit è vita, quem antea sustinuerat, anno postero demum nactus legitimum successorem Eugenium; at eo mox quoque decedente, Vitalianus summæ rerum impositus.

EUGENIUS PON. m. 6. VITALIANUS PON. an. 14. m. ferè.

LXIX. ANNUS CHR. 655. Sig. Onuph. & Theod. Eptern. Alii regnasse an. 16. vel 17. obiisse 654. Ægid. Bucher. ad Gesta Leod. Episc.

Sigebertus inter hæc, veram dignamque Grimoaldi stirpem ratus, Austrasiorum orbo quandoque suscipiendo imperio, cùm Childebertum Grimoaldi filium jam tum in spem regni sibi adoptâsset, paulò post auctus est prole, præter spem, cui Dagoberti nomen imposuit. Sed vita inde Sigeberto haud longa superfuit; morientem namque decem annis in regno consumptis, reliquisse Austrasiam fratri Clodoveo, nonnulli pugnant; sed alii aliter. Exactum enim post obitum parentis Dagobertum, ac projectum à suis in Scotiam; atque ibi in monasterio usquam degere compulsum, sollertiâ Grimoaldi; cujus etiam filium Childebertum, Regem salutatum Austrasianorum. Quâ rei indignitate accensum Clodoveum, Parisios ad se adductum Grimoaldum, habuisse in vinculis, atque extinctum denique ibi horrore situque carceris. Cæterùm hujus quidquid congruat, Clodoveo nihil tam cordi fuit, quàm, ut filium Childericum Austrasiæ regno imponeret; quod & assecutus est.*

Dagoberti secũdi casus.

CHILDEBERTUS 2* Sigeb. Aimo. Childebertus Grimoaldi filius R. Austras.

Grimoaldi fortuna non felix juxta quosdam.

12. CHILDERICUS REX AUST. an. 22.

LXX. Sigeberti Regis sanctitas. Sigeb. in Chron. ad an. 656

Nam Sigebertus interea, & vitâ innocenter actâ, & re Christianâ mirabiliter auctâ, sanctæ domicilium animæ relinquens, & ad beatorum cœtus civium evolans, sceptro coronaque cœlesti donatus est; sepulturâ conditus apud Mediomatricos, in cœnobio, quod ipse B. Martino, apud Mosellam ante urbis regiæ mœnia posuerat. Ejus post mortem, quàm crebris supra mortalitatem editis signis testata virtus, ab Ecclesia Mediomatricum Rex dignus cœlo, annuaque veneratione ad Kalend. Februarii judicatus: extatque jam publicè memoriæ iis inserta monumentis, quæ ad Surium, auctuarii loco, demum accesserũt; cujus si verus sit is, qui præfertur titulo scriptor, haud sanè non mirandum, eum à chronici sui rationibus sic procul abire, ut sexennio toto, quod regno Sigeberti accumulat, secum ipse diffideat. Miracula porrò sancti Regis, Gemblacensem literis mandâsse in confesso est.

ANNUS CHR. 656. MS. Metensis Ecclesiæ vita ejus tom. 7. Sur. Febr. 1. Sigeb. Gembl. producit autor vitæ, qui in Chron. obiisse

tradit an. 650. in alia anno 662.

LXXI.

B. Modoaldi mors & Severæ sororis.

Grimoaldo hinc Pipini filio Majoredomus extincto, Childericus Austrasianorum regno sceptrisque securè potiebatur; quo tempore Modoaldum, nobilem Trevirorum Antistitem abiisse vitâ, non ambigua fides. quorsum enim alioquin evadat subsequentium pontificum series? Et Severa quidem ejus soror, virgo excellenti religionis studio per omne vitæ tempus clarissima, fratri viam ad beatam vitam munit; priorem namque decessisse tradit Abbas Stephanus.

LXXII.

Porrò funus Modoaldi autor idem est, incredibili cum Austrasianorum mœrore ductum, pari apud omnium ordinum homines sui relicto desiderio. Et verò tot tamque illustria dedit hic Pontifex, cum virtutum maximarum, tum ornatæ inprimis atque auctæ religionis exempla, ut memoriam ejus meritò omnes excipiant anni consequentes. Sepultus in æde est, quam ipse D. Symphoriano Martyri inchoaverat ponè Mosellam; qua via fert ad Martyrum; & sanctuario, seu tumulo conditus marmoreo, cujus antea epigraphen dedimus. Verùm posteris reliquias tanti præsulis haud fuisse pluris, sanè dolendum: cùm, ut suo loco narrabitur, & sanctuarium hoc, thesauro suo, ossibusque D. cunctis spoliari, & in Saxoniam transmitti S. Modoaldum, magno jam pignoris sacri desiderio, passi sunt.

B. Modoaldi grata & salutaris memoria.

B. Modoaldi sepulcrum.

S. Modoaldi translatio in Saxoniam.

LXXIII.

Quàm efficax verò hujus Divi in cœlis apud Deum suffragatio, & quàm flagrans olim majorum extiterit erga hunc Antistitem venerationis studium, utrunque nimirum disertè exposuit idem, quem sæpe laudamus, Stephanus. *Atqui celeberrimum*, inquit, *habetur hodieq́; certisq́; indiciis compertum, sanctitate & meritis Modoaldi, omni circa regioni salutem frequenter à Deo concessam, si quando divina ultionis animadversione, aut aëris inclementiâ, vel fame, aut gladio, vel cujusque mali metu incumbente, patrocinium ejus incola fideliter implorâssent*; UNDE PATER, ET SINGULARE PERFUGIUM MISERORUM A CIVIBUS APPELLATUS; *ejusq́; depositio quarto Idus Maias, maxima cum pietate, & festivâ totius regionis gratulatione ad laudem & gloriam divina majestatis celebratur.* Hæc ille.

Steph. Abbas in vita ejus apud Surium. S. Modoald. patrociniũ adversis rebus efficax.

Ejus festus dies olim ferias habuit ab opere.

LXXIV. NUMERIANUS 28. ARCHIEP. 54. EPISC.

Inde cura Pontificia ad NUMERIANUM translata; quo de nihil equidem præter epitaphii memoriam, veterum monumentis traditum reperio, ut vel hinc alluceat, haud in longum Ecclesiæ curas protulisse. Eum rara & excellens virtus in Divorum ordinem, consentiente vetustate, cooptavit, memoriâ ei consecratâ V. Julii. Corpus in B. Helenæ suburbano veteri pago quiescit, æde, quam ante quingentos annos Archiepiscopus Udo D. Helenæ Augustæ dicavit. Ut igitur hic omnia simul complectar, illius incisum sepulchro monumentum ita olim habuit:

ANNUS CHR. 657.

B. Numerianus in Jura, seu Uhren pago, Treviris vicino, sepultus.

* Indicatur à primæva sepultura quædã facta trãslatio.

HOC * RECOLLECTA IN LOCULO SUNT PIGNORA SACRA
PRÆSULIS ALMIFICI TREVIRORUM NUMERIANI,
QUI SUPEROS ADIIT, DUM TERNAS JULIUS AMBIT
NONAS, PERPETUO CUM SANCTIS JUNGITUR ÆVO.

LXXV. Australiæ res nutant bonorum magistratuum inopiâ.

Res quidem Ecclesiæ Trevirensis cursu utique non pœnitendo sic ibant, cùm Austrasiorum regni gubernacula parum à Regibus feliciter deinceps haberi, quæque majorum inclyta justitia & artibus steterant belli * præfectis impellentibus omnia, cerneres jam ruere, & in pejus labi. Neque enim ejus regni status diuturnus esse potest, ubi religionis contemptus, corporis gaudia, Veneris & otii cupido, plurimùm sibi vindicant. Ea, namque horum temporum ex alta pace sive labes sive mollities extitit, ut cùm Reges adolescentiæ abruptum iter ingressi, quà juvaret, in hanc nimirum partem se ferrent, & luxu atque otio toti diffluerent, prisca illa Francorum fortuna, belloque parta gloria, sensim marcesceret, & Reges ceu pupilli, jussis alienis obnoxii, non modò imperii nihil attingerent, sed luxui & saginæ velut sepositi, turpissimè simul servirent. Aversis itaque his ab omni publicæ disciplinæ sensu, res & facultates Ecclesiæ præda cedebant cupidis; & pessimis artibus religio obterebatur.

Regum luxus & inertia.

Aimoin. variis locis. Sigebert. & Theod. Epter.

Ecclesiæ res proterũtur.

LXXVI. S. Theodardus martyrio afficitur. *Sur. tom. 5. in Septemb. Sigeb. Chron. ad an. 658.* ANNUS CHR. 659. *Anselmus in gestis Traject. Episc. qui juxta veteres refert ad an. 659. Baron. in Martyrol. 655.* ANNUS CHR. 660.

Trajectensis vel Tongrorum Ecclesia graves nuper injurias ab invasoribus perpessa, cùm à Theodardo loci Episcopo, magno justitiæ zelo vindicatur, circundatus is percussorum furore, in Alisacii pago, haud longè ab urbe Nemetum crudeliter laceratus, & membratim propè concisus, martyrii palmam meruit. Pro eo novum Eburonum Ecclesiæ sidus irradiavit, S. Lambertus inclytus Leodiensium patronus; cujus pectus Rex Childericus agnovit domicilium sancti Spiritûs; & organum veritatis, ipsius, dixit, esse linguam.

At Childericus, qui suorum passus manus, & sacerdotis, & innocentissimi viri Theodardi sanguine contaminari, dum sceleri favet, scelus admisit. Regnum itaque posthac ex omni parte, hinc atque inde in se trahentibus, ac lacerantibus aulæ magistris, non mediocriter sanè labefactatum atque convulsum est. Et verò usque adeò brevi tempore crevit potentia Majorumdomus, ut apud Reges crinigeros coma & purpura, at penes hos unos, rerum omnium pænè gerendarum potestas resideret & arbitrium.

LXXVII. ANNUS CHR. 664. aut 665. Clotharii mors. *alii in an. 664. Sigeb. 666.* * Vulfradus. Childericus Rex Franciæ. *Append. Greg. & S. Leodegarii vita apud Surium 2. Octob.*

Obibat magistratum illum sub Childerico in Austrasia * Ulfoaldus. Jamque Clotharius Childerici frater natu maximus decesserat: Childericus igitur à Francis ex Austrasia ad sceptra capessenda evocatus. Erat illi frater Theodoricus, minimus natu; hic suasu impulsuque Ebroini, hominis tum in aula validi, regnum ambiit, leges successionis, præposterâ dominandi libidine pensi nihil habens, modo confunderet. Verùm non ita conatus hic illi profuit, quin à proceribus Childericus ipsi antelatus, rerum summam auferret; quare etiam Theodoricus posthac oculis subtractus, in monasterio S. Dionysii apud Sequanam se continere jussus, tonsione comæ; & Ebroinus Majordomus Luxonium abiens, monastica item inclusione multatus est. Scio hæc mitiùs omnia in actis B. Leodegarii tractari, sed, ut utriusque tanta vitæ mutatio non nisi pristino errori, sic virtutis incrementa, debent moribus subsecutis imputari.

Papyr. Masson. Annal. Franc. regum lib. 2. Theodoricus pro regno monasterium accipit.

LXXVIII. ANNUS CHR. 669. ADEODATUS PON. an. 7. m. 2. d. 17. ANNUS CHR. 670. BASINUS 29. ARCH. 55 EPISC. *pro quo aliqui malè surrogant S. Hildulphum, de quo infra.* Basini genus MS. Mediolacens. Gunza Basini soror. Geruinus Dux in Austrasia.

A Christo nascente annus supra sexcentesimum undeseptuagesimus agebatur, cùm Vitaliani Pontificis Romani sedem accepit Adeodatus. Eodem propè tempore, BASINUS ex Abbate S. Maximini factus Episcopus Trevirorum, vir sanè generosa & nobili stirpe, nec minore famâ religionis ac sanctitatis. Non desunt, qui fratrem ei fuisse tradunt B. Clodulphum, quibus ut non assentiri omnino, sic neque fidem abrogare velim. Id verò certis testibus compertum, duntaxat habemus, sororem illi fuisse Gunzam, genere splendido virginem, quæ Gerwino præclaro Duci tum in Austrasia, atque ut antiquus scriptor loquitur, in Gallia Belgica regnante Cilderico, collocata fuit; vixisseque Basinum usque ad Childeberti tempora secundi, & eodem adhuc rerum potiente devita decessisse.

LXXIX. DOMNIO vel DOMNUS PON. an. 1. m. 5. AGATHO PON. a. 5. ANNUS CHR. 673. 674. 675. 676. 677. 678. Childerici Regis interitus. *Et Sigeberti Chron. tribuit a. 22. alii, qui tantum 12, obiisse volunt, an. 687.* 13. THEODORIC' II. AUST. REX a. 14 vel 16. *Sigeb. Chron.* Alii an. ipsi 19. imò & 24 assignãt.

Inter hæc Adeodatus, septennio in Pontificatu exacto, diem obierat, Domno successore relicto, qui Constantinopolitani concilii curas injecerat: at, ubi post eum mox Agatho Christi circiter anno DCLXXIIX. inire cœpisset, Childericus viginti & duobus annis, famâ cõtinentiæ, ac regii decoris parum secundâ, partim in Austrasiæ, partim in Occidẽtalis Franciæ regno transactis, indignatione procerum inter venandum in Lauconia silva sublatus è medio est: respexit itaque regnum denuo fratrem Theodoricum, quem relegatum in monasterium, attonsumque, antea diximus. Ulfoaldus verò Majordomus, cognita Regis cæde, è vestigio in Austrasiam se retulit.

ANNUS CHR. 680. Agatho Põtifex Cõcilium indicit advers. Monothelitas. Acta 6. Synodi Constantinopolitan. *Paulus Aquileiens. eo misc. & script. Græci* Concilium id Constantinopoli celebratur. ANNUS CHR. 681. *Epist. Agathonis in 6. Syn. act. 4. Bed. l. 5. c. 20.* Synod. Galliæ adversus Monothelit. Cõcil. Rom. sub Agatho.

Annus jam salutis partæ DCLXXX. advenerat, cùm Agatho Pontifex, excitatis quampridem in oriente de duabus Christi voluntatibus, à Monotheliarum secta motibus; obviam ire constituit, & Concilii frequentissimi judicio, refrenare otium Ecclesiæ turbantes. Actior illa cura vigebat, quòd ipse Imperator Orientis Constantinus & faveret, & pacem Ecclesiæ communem obsequio studioque sollicitaret. Evocati itaque primùm ad Synodum Romanam ex omni parte Christiani orbis Episcopi; legatique sedis Apostolicæ Romæ decreti, qui Concilium Pontificis vice Constantinopoli moderarentur. His porrò omnibus, cum magno Episcoporum & cleri numero navibus in Orientem profectis, tandem VII. Idus Novembris in ea parte Palatii, quæ Trullus vocata, cœtus ipse coiit; consilioque in annum sequentem deliberationibus rebúsque disceptandis exstracto, V. Nonas Martias, si quid ex actis colligi potest, Græci dedêre manus.

Cæterum priùs, quàm Constantinopolim Occidentis Antistites adirent, habitæ passim Pontificis jussu Synodi, & controversiæ noscitandæ delecti judices idonei: quare & in Galliarum provinciis coacti cœtus Episcoporum; & ex horum sententia decreta quoque legatio. Præstabat insigni tum scientiæ juxta

ac vir-

Adeodatus Leuco. Epis. ANNUS CHR. 683. 684 685. 686 687. VI. generalis Synodus in act. 4. Adeodati Tullen. subscriptio. LEO II. Pon. m. 10. d. 8. BENEDICTUS II. Pon. m. 10. d. 27. JOANNES V. PONT. an. 1. d. 11. CUNO Pon. m. 11. d. 23. SERGIUS Pon. an. 13. m. 8.

ac virtutis fama Adeodatus Leucorum Episcopus Trevericæ Metropolis; hic Francorum Austrasiorúmque communi voluntate visus est is vir, cui legationis Gallicanæ curam universam imponerent, quique provinciam eam tueri cum laude posset. Affuit igitur is huic Concilio Romano, quòd VI. generalis Synodi acta præcessit; idemque subscribendo firmavit hisce verbis: *Adeodatus humilis Episcopus sanctæ Ecclesiæ Leucorum, legatus venerabilis Synodi per Galliarum provincias constituta.*

Ab ortu inde Christi anno sexcentesimo octogesimo tertio, salutatus Romæ Pontifex Leo II. cui deinceps Benedictus secundus, huic Joannes V. Joanni Cuno; Cunoni denique Sergius, continuatâ pæne annorum serie successit.

Ebroini Majoris domus egressus ex monasterio & motus. *Sigeb. ad an. refert 680. Bar. 685. Æg. Bouh: 668.* Leudesius Majordom. interficitur.

Ebroinus interea mutatione temporum non Luxoniensis monasterii septis includi se diutiùs passus, sed erectus spe summi recuperandi magistratûs, cum lectissimorum manu egressus, pulso, ac post etiam trucidato Leudesio, qui amplissimum munus Præfecti domesticorum in Francia tum gerebat, in pristinum se ipse honoris locum, apud Regem Theodoricum reposuit.

LXXX. Ulfoaldus Maiordom. Austrasiæ. Austrasiani ab Regum ignavia se vindicant.

Exemptus per eadem tempora humanis rebus Ulfoaldus, Majordomus Austrasiæ. Quamobrem Austrasiani jam pridem ignaviæ Regum pertæsi, novis imperiis studere, atque omnem deinceps potestatem ad Duces ex suo corpore creatos, deferre constituunt. Clarebant per id tempus, antiqua stirpe nobilitatis famâque cum prudentiæ, tum bellicæ laudis in Austrasia Pipinus secundus, cognoménto Heristalius, & Martinus ambo patrueles; ille Ansgiso, hic Clodulpho Duce, satus: hos igitur dignos arbitrati Austrasiani, quibus copias & exercitum ad profligandam Ebroini tyranni manum crederent. Profecti illi in campum Laudunensium universis copiis parum prosperè cum Ebroino dimicarunt; ipseque Dux Martinus fraude ac perfidiâ hostis in colloquium adductus, interiit. Pipinus verò in Austrasiam fugâ evasit.

Pipino & Martino Ducibus cũ Ebroino pugnant. *Aimoin. Theo. Eptern. & reliqui omnes.*

Ebroinus hoc tam secundo prœlio elatus, nil jam pensi vel moderati habere, opes & fortunas nobilium iniquè pervadere, per tyrannidem opprimere subjectos; donec Ermenefredo nobili ac patricii generis viro facultates se erepturum minando, extremum sibi ipse exitium struxit. * Ermenefredus namque periculi depellendi, ac servandarum opum anxius, nocte impetu facto, tyrannum vita per insidias exuit, fugitque patrata cæde ad Pipinum in Austrasiam.

* Erinfredus.

LXXXI. Ebroinus cæditur. ANNUS CHR. 688. Pipino rerũ summa defertur. *Alii hac altera decennio anticipant.*

Sub id tempus Austrasia pæne tota ad Pipinum defecit; rerúmque illi potestas omnis omninò delegata; præoptabant scilicet sub strenuo Duce parti virtute decoris famam retinere, quàm sub ignavis Principibus, otio atque turpi desidiâ languescere. Ebroino interfecto, Warazo Majordomus Franciæ sufficitur; is qui fœdus cum Pipino percussit: hunc * Gillemarus filius in ipsam naturam iniquus, evertere conatus est sæpe, sed incassum. Quare iracundiâ, quam in patrem exercere didicerat, in Pipinum conversâ, discordias litesque eò usque fovit, ut ad bella quoque civilia sit utrinque ventum. Nam apud castrum Namurcum contra Pipinum copias de improviso ostendens, cùm de pace agi cœptum, rupto, quod dederat, sanctissimo jurejurando, magnam nobilitatis stragem edidit; sed inde reversus, ut Theodoricus prodit Epternacensis, in Franciam, à Deo percussus interiit.

Warasto vel Warazo Majordom. *Theo. Eptern.* * Gullemar.

Gillemarus Pipini æmulus apud Namurcũ stragem edit.

LXXXII. *MS lib. de Franc. regum gestis.* Berthariũs Majordom. pro Warazone.

Neque hujus pater Warazo, diu inde summo illo magistratu potitus, sed intervallo vitâ functus, Berthario genero locum fecit. Berthariusquietè fastigium habuit, dum Audoenum ac Reolum Patricios & æmulos expertus est eosdem, & necis autores. Hi etenim, cùm Bertharii imperium, Francici nominis universi in eo judicium voluntatémque secuti, recusarent, legatione ad Pipinum decretâ, atque obsidibus datis, facilè incenderunt Austrasianos, ut arma contra Bertharium sumerent. Pipinus itaque conflare copias, rapere delectus, atque educere militem adversus Theodoricum Regem & Bertharium; profectusque cum suis in Belgicam secundam apud Veromanduos, exercitum Francorum cum suo junxit; indeque Textricum locum vicinum petens, prœlio cum hoste inito acerrimo, tantâ contentione dimicavit, ut Rege ipso, atque Berthario turpi fugâ, quâ quisque potuit, dilapsis, reliquis etiam copiis fusis atque attritis, insigni victoriâ potitus sit. Neque elabi è manibus tam prospera sibi passus, è vestigio terrorem proferens, & omnem latè circum regionem Laudunensium ac Remorum bello domitam fractamque subegit. Berthario deinde frequenti conjuratorum multitudine oppresso, jus summum rei domi forisque gerendæ ad Pipinum, etiam volente Theodorico Rege, devolutum est. Isque victor regias gazas, sed & ipsum Regem jam inde in potestate habuit. Verùm, quod transrhenani belli incendia in medio civilis discordiæ strepitu exorta, abesse domo Pipinum, & Austrasiæ curam deponere non sinerent, aulæ præfecturâ gazæque custodiâ, Nordberto amico mandatâ, ipse remeavit in Austrasiam. Porrò Pipinus uxorem habuit Plectrudem rarâ prudentiâ ac primâ nobilitate fœminam, Hugoberto clarissimo Duce natam; ex ea Drogonem & Grimoaldum filios sustulit. Drogonem verò ceu natu maximum, Campaniæ Ducatu cumprimis decoravit.

Pipini prœlium adversus Berthariũ & Theodoricũ Regem apud Textricum vel Textricium. *alii ad an. 687. Sigeb. Chron. ad 690. 691. qui Dionys. 687. 681. si tamen utrasque anticipatio duret.*

Cãpaniam subjugat Pipinus.

Pipinus æmulorum victor, Theodorico rege volente dominatur.

Nordbertus Pipini vicarius

Pipini junioris uxor Plectrudis, quæ & Pilitrudis.

Drogo & Grimoaldus Pipini filii.

LXXXIII. ANNUS CHR. 690. Adhelæ testamentum an. 12. Theodorici Reg. * Addula Palatiolẽsis Ecclesiæ documenta.

Per eos quoque dies * Adhela, ut fama fert, traditióque majorum, Dagoberti filia, gravis jam ævo & religione matura, cùm æternitatis spatia complectitur animo, mortalia jam omnia exuere, & ne steriles post se regales opes relinqueret, hæredem bonorum omnium Palatiolensem Ecclesiam scribere instituit; cujus testamenti sententiam hîc subtexere, permagni ad retinendam beneficentissimæ Reginæ memoriam, interest. * *Adela in Christo Domino sacrata Abbatissa, Dagoberti Regis quondam filia. Cum pervulgatum notumq. bonis omnibus sit; quemadmodum nos Monasterium in villa, quæ dicitur Palatiolum, in ripa positum fluminis Mosella, quod ipsum à Pipino Majore-domus Treviris permutatione quæsivimus, honoriq. sanctæ Mariæ virginis genitricis Domini nostri Iesu Christi, & beatorum Petri & Pauli cæterorumq. Sanctorum jam dudum ad*

* Addula

 proprii

Monachæ Palatiolêses.

proprii monasterii usum extruximus, in eoq; monacharum cœtum disciplinâ & regulâ S. Benedicti viventium aggregavimus; faciendum denique nobis visum est, ut has vitæ degendæ necessarias opes, quas de propriis hactenus largitæ sumus, testamenti etiam præsenti paginâ confirmaremus. Legamus itaque & donamus, huic quod diximus Monasterio, villam nostram, quæ dicitur Palatiolum; in qua cœnobium esse constructum videtur; idq; cum omni integritate tam domibus, ædificiis, additamentis, casis, curtibus, mansis, mancipiis, quàm vineis, campis, pratis, silvis adjacentibus, farinariis aquis, aquarúmve decursibus; & omnibus iis, quæ ad ipsam pertinere villam constat. Addi volumus his prædium Scripnasium in pago Mosao situm, ad ipsius Mosæ fluminis ripam; omnesq; possessiones ejusdem villæ, uno duntaxat quadraginta jugerum agro excepto, quem Insulæ nomine appellatum jam ante dulcissimo filio Alberico donavimus. Similiter à Deiparæ matris hoc monasterio, possideri prædia ea omnia mea volo, quæ in Bietbergis, Bestancioq; sita; quæq; à dulcissima germana mea Regentrude, dato pretio, comparavi. Rursus portiones meas villarum Enchiriaci, Vrsiaci, Caimetarum his adjicio, quæ ad Mosellam omnes sitæ sunt; quibus adjungi res item eas facultatesq; placet, quæ in prædio Regimoseti à Feronio filio Tullonis justæ mihi venditionis titulo, quondam obtigêre. Accedunt etiam his possessiones Baldelingis, quæ in pago sitæ Bentensi, & à Ganciofrido & Wigerico emptæ, in jus peculiumq; meum redactæ sunt; item quæ in prædio Machariaco à Bertonio mihi donata, hæc omnia tribuo donoq;. Ad extremum, id quoque de sententia congregationis memoratæ statuimus, ut quidquid opum possessionumq; in monasterium hoc ipsum contulimus, id in Archiepiscoporum Ecclesiæ Treviricæ semper sit arbitrio atque tutela. Datum Kalen. April. anno XII. Theodorici Regis.

Mosaus pagus. Scripnasium. Bietbergi fortè Biethargum & Bestancium. Enchiriacum. Vrsiacum. Caimetæ. Regimosetum. Bentensis pagus. Machariacum, forte Machera.

LXXXIV. S. Arnulphi Basilica Nogareto donatur.

Quo eodem tempore Basilicæ Arnulfianæ monumentis adscriptũ, Pipinũ & Plectrudem SS. Apostolorum propè Mediomatricum urbem congregationi, cui Romulus Abbas tunc præerat, donâsse prædium Nogaretum in pago Vabrensi situm, felicis memoriæ causâ, quam S. Arnulpho avo, cujus ibi positæ exuviæ, debere volebant.

ANNUS Chr. 692. Theodorici Regis jun. mors & sepultura Atrebati. 14. Clodoveus II. Rex Austr. an. 2. Aimoin. l. 4. c. 48. duobus, Sigeb. quatuor Theodorici jun. Regis Anii. Chronologia. Annus obitus diversus.

Biennio hinc vertente, Theodoricus Rex vitæ modum imposuit, sepultus Atrebatibus in æde D. Vedasti. Occœpit eodem tempore regnum filius Clodoveus: annisque duntaxat * duobus, vel ut aliis visum, quatuor tenuit. Atque, ut temporum ordo hic mirè titubat, ita munus esse annalium scriptoris vix arbitror curiosè vel anxiè rationem inire de singulis, tametsi mediocris diligentia fortè fastidiri non debeat. Theodoricum Regem hunc juniorem annos regnâsse XIV. statuo cum scriptore Appendicis ad Turonensem, & Sigeberto, qui vulgaris anni cursum in multis deinceps sequi videtur. Et idem Theodorici exitum intervallo brevi scilicet unius anni nostris rationibus posthabet. Jam etiam, si autoritas pervetusti Elogii, quod incisum in antiquum lapidem prompsit in annalibus suis Papirius Massonus, non est repudianda, Theodorici mors ad annum DCXCIV. omninò prorogari debet: de qua sic scribitur:

Epitaphiũ.

*In decies nono cum quinquagies duodeno
Anno defunctũ sciat, huic, qui quatuor addet.*

LXXXV. ANNUS Chr. 693. Liberorum ejusmatre regni. Ægid. Bucher. in Annal. ad Chronol.

Nos interim descriptis annorum lineis inhærentes, si fratri Clodoveo successori biennium modò relinquimus, facilè cum iis redibimus in gratiam, qui ex charactere subscriptionis Eusebiani Codicis ceu certum & exploratum tradunt, Childebertum Clodovei fratrem inchoâsse regnum anno Christi DCXCIV.

ANNUS Chr. 694. 15. Childebertus Rex Austr. a. 17. vel 18. Pipini res gestæ adversus barbaras gentes.

Pipinus interim liberatâ servitute Franciâ, & Regibus severiore disciplinâ, ad pacis atque moderationis studia traductis, Saxones Suevosque variis prœliis fatigavit; copiisque in citeriorem Frisiam ductis, Radbodum Frisonum Regem, * Batavoduro castro, quod vulgò jam Dorestatum, prœlio devicit, & opimis inde spoliis reportatis, in Austrasiam revertit.

Batavodur.

LXXXVI. S. Willibrordi Apostolatus.

Florebant tum in Anglia præstanti virtute atque insigni famâ sanctimoniæ celebres viri; qui cùm pleni spiritu Apostolico nihil animarum communi salute ducunt priùs; sanè quàm optabant religionem Christianam barbaris ac feris nationibus infundere, populosque ad Creatoris sui notitiam omni operâ traducere, nullum denique ejus rei gratiâ, capitis recusare periculum. In his facilè princeps erat Willibrordus; qui, venerabili Bedâ teste, monitis ac salutari consilio Egberti, magno in rebus divinis ardore succensi sacerdotis, ex Britannia, fido duodecim comitum agmine stipatus, in Austrasiam ad Pipinum venerat, ratus viam expeditiorem ad conversionem Frisonum patefactum iri, si studia sua apud excellentissimum Ducem professus, cum eo cuncta, quæ de augenda inter homines Christi gloria secum animo volvebat, antè communicasset. Pipinus itaque, qui pius, juxtaque civilis erat Principis animus, ad se venientem, non modò omni humanitatis & officii genere percoluit, sed insuper mandata, propositis præmiis, ad Frisonas dedit, ut quod inprimis Willibrordus expetebat, evangelium illis oris sine impedimento liberè inferret.

Monacho, in vit. S. Suitberti, Vener. Beda l. 5. c. 11. Alcuin. in vita S. Willibrordi, & MS. Epternac. Willibrordus cum Pipino de Christi fide augenda cõfert. Pipini ergarem Christianam animus.

LXXXVII. Drusianæ fossæ Isala. Frisones B. Willibrordus cõvertit.

Insidebant tum loca transrhenana cis ultraque fossas Drusianas, quæ Isalæ jam ferè nomen obtinent, Germanicæ gentes eæ nimirum è quibus Saxones & Angli, qui in Britanniam nuper migrarant, originem ducebant. Erant in his Frisones, sublato jam tum discrimine finium, antiquum genus Saxonum, qui ad superiorem partem diœcesis Ultrajectensis pertinebant. Ad has nationes Willibrordus cum sociis, quos ex Britannia secum adduxerat, profectus, re Christianâ ibi præclarè gesta, ingentem brevi tempore barbarorum vim ad Christi sanctissima sacra perduxit; & mirifico baptismi lavacro, indomitas & elatas subducere cervices docuit.

LXXXVIII. ANNUS Chr. 696. MS. vetera Epternac. Eccl. B. Willibr. institutus Ultraject. Episc. Romam adiens à Sergio consecratur.

Anno deinde DCXCVI. Pipinus ipse non minore studio flagrans amplificandæ, quàm conservandæ, religionis, jacta fideliter à Willibrordo Christianæ fidei fundamenta, fulcienda legibus, atque Ecclesiastico magistratu stabilienda curavit; Willibrordo namque ut Romam ad Sergium contenderet, ab eoque legibus acceptis, Frisonum Archiepiscopus creari vellet, autor fuit. *Ordinatus est autem,* inquit Beda, *in Ecclesia S. martyris Cæciliæ,* die

Lib. 5. c. 12. Marcellin. & Alcuin. in Ecclesia S. Petri.

die natalis eius imposito ei à Papa Sergio nomine Clementis; ac mox remissus ad sedem Episcopatûs sui, id est, post dies XIV. ex quo in urbem venerat. Donavitq; ei Pipinus locum cathedræ Episcopalis in castello suo illustri, quod antiquo gentium illarum vocabulo Wiltabourg, id est, oppidum Wiltorum, linguâ autem Gallicâ, Trajectum vocatur. In quo ædificata Ecclesia, Reverendissimus Pontifex longè lateq; verbum fidei prædicans, multosq; ab errore revocans, plures per illas regiones Ecclesias, & monasteria nonnulla, construxit. Ita Venerabilis Beda. quæ eò allata promptaque sunt, vt viri, cujus & in Ecclesiam Trevirorum studii atque amoris egregia extant etiamnum monumenta, cujusque non minùs eluxere quondam in hac urbe virtutes eximiæ, clarior apud posteros memoria, famaque vigeret.

Wiltabourgum vel Ultrajectum.

LXXXIX. Pipinus hinc Alpaide pellice Plectrudi seu Pilitrudi conjugi superinductâ, duas res dissimillimas ingenti pretio famæ junxit; quâ tantâ indignitate, vir omnibus imperandi artibus præcellens, & fœdissimam vecordis animi, & ad libita mulierculæ projecti, maculam contraxit, & odiorum eam quoque sementem fecit, quibus subversus denique præstantissimus periit Episcoporum Lambertus. Ille namque, cùm & crebriùs & graviùs Pipini libidinem coarguit, quàm adulteræ possent ferre propinqui, denique versâ in Antistitem irâ, crudeliter à Dodone pellicis fratre cæsus, suoque purpuratus sanguine, ad palmam evolavit pro justitiæ ac virtutis amore capiendam. Sed præproperâ vindictâ martyris sanguis, & amplissimi sacerdotii violatio expiata, cùm percussorum alius aliâ morte; Dodo sequenti anno, informis leti genere, consumptus à vermibus interiit.

Sigeb. Chron. Falcus & Onu. ad an. 698.

Pipini lapsus.

Marian. Scot. Sig. in Chron. Vita apud Sur. & in Gestor. Leod. Episc. Tom. 1.

S. Lamberti martyrium.

ANNUS CHR. 697.

Gesta Leod. Episc. Molan. ad SS. Belgii. Sur. Tom. 6.

At quò ne nobilis Ecclesia pastore tam eximio orbata diu lugeret, Sergius Papa effecit, qui B. Hubertum, ex Aquitania præstanti stirpe generis ac opinione virtutis Trajectensibus mox Episcopum dedit.

XC. Per id quoque tempus, ad IIII. Nonarum Martii, Basinus Trevirorum Pontifex diem clausit extremum: vir ob summam vitæ integritatem, & illibatæ sanctimoniæ laudem, divi dignatione cohonestatus. Sacrum ejus pignus in S. Maximini Basilica repositum est; ut quem locum in vita signatum, impressumque sanctitatis suæ vestigiis reliquerat, illum ne mortuus quidem desereret. Porrò S. Basini tumulus occurrit ad dexteram ingredienti cryptam, quæ sub principis aræ vestibulo latet; cui ad lævam respondet sepulchrum Weomadi Præsulis.

Basini mors.

Sepulchrũ.

XCI. Willibrordum Basinus magnoperè coluit; sanctissimosque conatus viri, quantum in ipso, quibusque rebus potuit, producere semper voti fuit. Willibrordus enim in Frisiam, ac loca finitima evangelii lumen intulisse non contentus, reliquos item in Austrasia, qui cœcâ adhuc superstitione in tam varia gentium colluvie fascinati, salutaris lucis radium nondum aspexerant, adjungendi ad Christum, magnâ flagrabat cupidine. Multis itaque provinciis obitis, atque earum gentium moribus exploratis, gratam quieti, condendoque monasterio sedem invenisse visus est, cùm in amœna quædam Trevirorum arva delapsus, Epternacum, seu Andethannam olim Romanum vicum, postea regale prædium Dagoberti, jam verò tum Horreensis monasterii, Pipinique possessionem, ad monasticam degendam vitam gratissimum ibi secessum, legit.

S. Willibrordi studia erga Austrasios.

Absternacũ & Asternacum seu Epternacum, Andethannam legit monasterio sedem.

XCII. Erat in humanis adhuc Irmina Dagoberti, virgo posthabiti Christo sponsi Hermanni nobilissimi Comitis, & pudicitiæ constanter, pieque cultæ, gloriâ præcellens. Hæc luculentis prædiis cùm patris Dagoberti magnificentiâ, tum ex dote, quam sponsus tactus religione obtulerat, largiter ditata, veris pretiis fortunas æstimans, quò tutiùs reponeret, cum religiosis viris eas sibi communicandas didicit. Cùm igitur apud Treviros D. Willibrordus degeret, monasterium novem circiter ab urbe passuum millia in Suræ fluvii ripa, Irminæ provocatus liberalitate, condere in primis optabat, & rebus necessariis ad usum habitationémque cœnobitarum, instruere. Huic rei non parùm adjumento futurus sperabatur Basinus Episcopus; sed morte oppressus, nîl præter optimam voluntatem, quam moriens reliquerat, ad inchoatum à Willibrordo perficiendum opus, afferre potuit.

S. Irminæ beneficio.

Epternacẽsis monasterii origo.

XCIII. Inter hæc, Trevirensis Ecclesia pastore vidua, sedulò circumspicere, quemnam sui curâ tuteláque dignum, & idoneum virum inveniret, consideratis diligenter omnibus & personis & rebus, denique decernit se LUTWINO, quem Leodowinum appellavêre veteres, spectatæ virtutis & prudentiæ viro, tradere, eique gregem commendare suum. Erat is nepos Basini ex Gonza sorore, sanguinis regii, & celsissimo Ducis munere, apud Childebertum Regem, in illustri positus. Nuper verò splendidis istius fastigii titulis, & magnis insuper opibus spretis, pulchritudine virtutis, studioque captus sapientiæ, in præclaro Mediolacus monasterio, quod ad amœna Saravi fluenta sex millibus supra Saraburgum inclytam arcem, aquilæ se inumbrantis miraculo, condiderat, monachum cœperat profiteri. Sed cùm tantam ejus virtutem Deus Opt. nequaquam vellet in privatæ vitæ quasi tenebris delitescere, ad editissimum culmen, ut luceret omnibus, illum evocavit. Summâ itaque omnium ordinum consensione Lutwino, ut Antistes esset, delatum; eodem scilicet anni relucente die, quo monastica olim insignia sumpserat. In quo sanè munere, per omnem vitam atque adeò posterorum memoriam, insigni floruit prædicatione virtutis, & morum innocentiæ.

LUTWINUS 30. ARCH. 56. EPISC.

B. Lutwinus seu Leodowinus ex Duce monachus: hinc Abbas, ex Abbate Episcopus.

Mediolacẽsis monasterii conditor Lutwinus.

XCIV. Ac primis quidem Pontificatus initiis, beatam Irminam, ut sancto Willibrordo luculẽtas possessiones quasdam confirmaret, non assensu modò nutuque, sed cõsiliis etiam induxit. Donationem, quo lux nimirum major affulgeat rebus, ut veterum consignatam monumentis invenio, sic integram, verbis paululùm deflexis, reddo: *Ego Irmina in Christi nomine Deo sacrata, etsi indigna, gratiâ Domini Abbatissa, sanâ quidem, Deo propitio, mente, sanoq; consilio testamentum perscribendum rogavi; idq; negotium fratri in Christo meo Huncioni presbytero mandavi. Dono itaque in præsentia tam pro remedio animæ meæ, quàm pro nonnulla mercedis etiam hujus in illis sempiternis gaudiis*

ANNUS CHR. 698. B. Willibrodo favet.

Thiodfridi & M. SS. Theo. Epter. deflexis paululũ verbis.

Donatio S. Irminæ.

gaudiis accessione, Basilica sanctæ Trinitatis, B. Genitricis, & SS. Petri & Pauli Apostolorum honori consecrata, quæ est in prædio nostro exstructa, Epternaco ad amnem Suram; ubi Dominus, & pater noster in Christo, Willibrordus Episcopus rector & gubernator esse videtur; donatumq; esse jubeo, quidquid id est, quod ex patris & matris successione crevi, domos, ædificia, casas, mansos, vineas, prata, campos, silvas, & horum omnium appendices, Baidelingum, Matholfingum, portionemq; nostram in Oximuillario, cuncta, inquam, hæc lego, cum pastoribus, bubulcis, subulcis, opilionibus, armentariis, horum item greges, armenta, & eorum promiscuum, omne peculium; quibus tamen libertos annumerari non volo, quos per epistolas meas manumissos, ingenuos pronunciavi, Gararium, Cuntoaldum, Archildem, Theodfridum, & alios complures. Iterum dono quidquid ad ministerium loci, quem diximus, subsidiumq; paratum hactenus, & à me conquisitum est, tam in auro, quàm argento, gemmis, vestimentis, altarium velis, cortinis, utensilibus, tam aneis, quàm ferreis, ligneisq; omnia verò de sententia consilioq; tam virginum, quæ mecum unà congregatæ vivunt, quàm Apostolicorum virorum Basini & Lutwini Episcoporum. Ego Huncio in Christi nomine presbyter, rogante & jubente Dominâ meâ Irminâ, hoc testamentum perscripsi; & ipsa subter manu propriâ, unà cum testibus firmavit. Ego Irmina hoc testamentum meum relegi. Ego Basinus Episcopus. Ego Lutwinus Episcopus. Ego Theodfridus, &c. subsignavimus. Actum Treberi, die Kalendarum Decembris, anno quarto regni D. N. Childeberti Regis. Atque ad hunc modum regia virgo S. Willibrordi vota, piaque desideria provehens, eadem omni genere liberalitatis exhauriebat.

Baidelingū. Matholfingum. Oximuillarium.

Basinus & Lutwinus Episcopi viri Apostolici.

XCV.

Theofrid. in actu B. Irminæ ex ipso & Thrithemius.

B. Willibrordus Horreense monasterium peste liberat.

Sed sub idem tempus, referendæ gratiæ, ac collocati in Willibrordum beneficii compensandi, hujuscemodi se dedit occasio. Pestiferum morbi genus, virgines Horreensis monasterii incesserat; quo per contagionem latè sparso, ita conflictabantur, ut quascunque vis ea morbi corripuisset, è vestigio prosterneret, & velut morituras doloribus exanimaret. Non procul degebat Willibrordus, ut qui recens tum Trajecto in Treviros fortè venerat. Accersitus itaque ad parthenona sacrum, & opem quam adferre cunque posset, rogatus; ante omnia, rem divinam ibi ritè fecit, ac dein jacentes saluberrimâ cohortatione in spem salutis erigens, aquam consecravit; quâ simul infectæ domus aspersi parietes, omnis ilicò pestilentis aëris contagio fugata, evanuit. Miraculum id Alcuinus Flaccus, cujus nuper secundus liber de vita S. Willibrordi, magno Ecclesiasticæ historiæ bono prodiit, ita descripsit, ut Treviri præstanti viro meritam hoc nomine gratiam debere velint:

Alcuin. Flac. l. 2. vita Tom 6. antiq. lect.

Treviris urbis species.
Turres Treviricæ.
Monasteriorum frequentia.
Horreense monasteriū.

Est antiqua potens muris, & turribus ampla
Urbs Treviris, necnon sacris circumdata Cellis;
In quibus unatim populorum turba piorum
Laudibus invigilant Domini nocteq; dieq;
Has inter fuerat sacrarum Cella sororum,
Quas subito nimium quassavit pestis acerba;
Ex vita rapuit perquam mors ultima multas.
Semineces quadam longo jacuêre dolore,
Terror mortis erat nimius; sed & omnibus idem.
Spes fuit in famulo Christi; vocatus & ille
Cum lacrymis, citius fessis succurrere rebus.
At pius ille pater, complevit vota sororum
Adveniens, illas jam nec spes alma fefellit,
Sed precibus sancti mox pestis acerba recessit,
Et Domino laudem reddunt pro sospite vita.

Visitur juxta Horreense collegium antiquæ religionis parœcia S. Paulo sacra, & monasterio contributa; hanc etiam D. Willibrordus sacerdotum duodecim proventu, ab Irmina locupletatam, sollemni ceremoniâ, cōsecravit.

Theofrid. in vita S. Irminæ.
Parochia S. Pauli in urbe Treviri.

XCVI.
ANNUS CHR. 701.
JOANNES VI. PONT. an. 3. m. 2. d. 12.
ANNUS CHR. 705.
JOANNES VII. PONT. an. 2. m. 7. d. 17.

Sæculum Christi septimum jam evolutum primordia sequenti dabat; cum Sergius Papa gloriosè pontificatu vitaque functus, Joanni VI. locum aperuit, & is triennio post Joanni VII. decessit.

Lutwinus interim omni cura ac vigilantia in Ecclesiam intentus, & sarciendis Divorum ædibus, & monasteriis liberali fundo ditandis, egregiam operam præstabat. Cùm autem plures Ecclesias, rebus ad cultum & ornatum spectantibus instruxit, tum S. Paulini monasterium prædiis magnificis amplificavit. Sic enim habet Diploma, ducentis amplius annis post ab Egberto Archiepiscopo datum: *Lutwinum Ducem in monachum conversum; & postea hujus sedis sacrum Episcopum, in* Brambach & in* Byrkenueldt, in Ecclesiis, & omnibus appendicibus, fratribus DEO & S. Paulino servientibus, multa contulisse.* Porrò submissionis animi, mansuetudinis, atque ducendi gregis peritiæ Lutvinus inde tot abundavit ornamentis, ut non intus modò domique præstans, sed in luce, atque oculis hominum, magnus ubique sit numeratus. Quamobrem longè latéque diffusa viri laus, excitavit Rhemenses, Belgicæ secundæ olim Principes, Trevirorúmque germanos, & Laudunenses his finitimos populos, ut de eo in locum Episcoporum, quos mors abstulerat, subrogando, quisque pro virili quasi certamen quoddam iniret. Atque utriusque tandem Ecclesiæ temporariam inspectionem amoris divini, non honoris ac divitiarum, quas spreverat, procurasse, consensio est. Et traditum memoriæ ab antiquis Lutvinum olim Rhemos ad ordines clero de more impertiendosq; profectum, cum clericis initiandis in æde Rhemorum operam dat, supervenisse Laudunenses, atque urgente quâ necessitate, vehementer poposcisse, idem apud se munus eâdem luce, si fieri posset, obire vellet; illum annuisse postulatis; & conversum in preces, id à præpotente Numine impetrasse, ut merito fidei noctem etiam averteret, diesque perseveraret, donec iisdem Lauduni sacris ritè perfunctus esset.

Lutwini liberalitas in S. Paulini Basilicam.

B. Lutwinus Rhemensem item & Laudunensem sedem gubernat.

Vide infra in anno 717.

Rhemis & Lauduni eodem die sacros ordines impertit.

Annus regni Childeberti currebat duodecimus, quando Pipinus S. Willibrordum apud Treviros etiam tum agentem, novis beneficiis cumulavit, & monasterium Epternacense, luculentis possessionibus, auxit. Formam donationis in hanc sententiam recitat Theodoricus:

XCVII.
ANNUS CHR. 706.

Theofridus MS. & hist. Theodorici Epter. MS.

Donatio Pipini.

EGo in Dei nomine illustris vir Pipinus, filius Ansgisi quondam, necnon illustris Matrona mea Plectrudis, filia quondam Hugoberti, reputantes varios nobiscum humanæ fragilitatis casus; quo nimirum & præterita vita possimus abluere sordes, & donante Domino, ad æterna gaudia pervenire; donamus monasterio

in loco.

in loco, qui cognomentum gerit Epternacum, pagoq; Bedensi ad Suram amnem exstructo, cui virum strenuum & Dei cultorem Apostolicum Willibrordum Episcopum, cum turba monachorum imposuimus, illud Epternaci dimidium, quod Theodharius quondam Dux ibidem obtinuit; & postea filius ejus Theodhardus, nobis quondam tradidit; iis tamen facultatibus exceptis, quas Irmina in ipso Epternaco possedit. Actum Gaimundis III. Idus Maias, regni D. N. Childeberti anno XII. Pipinus & Plectrudis, item Chudbertus, Bernarius, Chanibaldus, Constantinus, Iosephus, Winetharius subscripsere.

Quin & Lutwinus nihil de pristina in suos liberalitate remittens, prædiis amplissimis Mediolacense monasterium, unde prodierat, eodem quoque tempore instruxit, ac privilegia de more de iis sancivit. Cæterùm, quidquid in eum locum beneficii contulit, semper esse in potestate S. Petri, omnesque possessiones atque adeò ipsum monasterium, ut posteritati consuleret, ab Antistite Trevirorum flecti regiique voluit.

Sigeb. Chron. 710. & MS. ejus vita qua 3. Novemb.

XCVIII. ANNUS CHR. 707. SISINNIUS PON. d. 20. CONSTANTINUS PONT an 6 m 1.

Sisinnius hinc, vicariâ Christi potestate in terris ornatus, anno præterlabente moriens, cessit Constantino. Nec longè post Irmina ad optati sponsi thalamum, cui illibatam in vita pudicitiam amorémque tribuerat, evocata, nono Kalend. Januarii supernarum mentium sese choris immiscuit; manifestis apud mortales relictis sanctimoniæ vestigiis. Sacrum ac virgineum ejus corpus, amplissimum Weissenburgense monasterium excepit, quod ad Vogesi montis radices, propter amnem Lutharim in Spirensium diœcesi à Dagoberto fundatum, hodiéque celebri oppido, & fertilissimâ regione loci, clarum visitur; porrò ad ædis summæ lævam, magnificum est in abside Mausolæum, quo reconditam Irminam perhibent: caput ejus in monasterio Spanheimensi olim ostendebatur. * Tritthemius privata monumenta secutus, B. Irminæ in sacrarum virginum regimine subjecit sanctam Modestam cœnobii Romarici, quod apud Mosellam nunc simul oppidum Lotharingiæ, alumnam, & filiam sororis S. Modoaldi. Post hanc, Anastasiam; quarto loco Basilissam, omnes in sanctis posterorum memoriæ consecratas.

B. Irminæ obitus, sepulchrum. ANNUS CHR. 708. *Fisinerein. & Tritthemius. *Bruschius in catalogo Monaster.*

S. Irminæ caput in Spanheimensi monasterio.

B. Irminæ successio ordinis non certa. ** Compend. l. 1. Annal Franc. MS. gesta Trevir.*

XCIX. ANNUS CHR. 709. D. Lamberti translati Leodium memoria. *Anselm. c. 21. & alii. Tom. 1. gestor. Leod. Episc. citati.*

Annus inde septingentesimus nonus succedit; qui S. Lamberti sacro Leodium translato pignore, memorabilis. Hubertus namque Tungrorum, mirâ vitæ probitate Pontifex, multis & illustribus visis, divinisque significationibus permotus, ad eum denique locum Martyris beatos cineres sibi transferendos intellexit; ubi sub manu carnificum, innocentissimam Lambertus animam effuderat; itaque Trajecto, ubi hæserat hucusque, anno Pontificatûs * duodecimo, XXVIII. Aprilis Leodicum, exili tum quidem nomine famâque vicum transtulit; & in Basilicam, quam novis operibus augustam decessoris honori collocârat, intulit. quo ex tempore, studium mirificum Lamberti colendi, in Austrasianorum animis exortum, & Leodicum seu Leodium, convenarum votivis & religiosis frequentatum peregrinationibus, in eam inde dignitatis amplitudinem caput extulit, ut primo quidem publici vici atque municipii titulo surgeret; hinc à posteris Francorum Regibus vicino domicilio, moxque à clero acerrimis Ecclesiasticæ disciplinæ studiis, urbs exornata, inde gradibus incrementi ad justæ Reipublicæ formam perducta; denique Notgeri munificentissimi Præsulis, aliorúmque infinitis operibus eximiæ civitatis decus, & præstantis inter primas tulit. Atque hæc de Leodio, ut in Austrasia communi quidem tunc imperio ac lege cum Treviris devincto; quanquam, si insequentis ævi tempora respicimus, & egregios constat hanc Ecclesiam Pontifices illi quondam sedi submisisse, nec pœnitendos ab ea vicissim Episcopos accepisse.

Translationis annum & diem investigat. *Ægid. Buch. Dissert. hist. c. 5.* ** Completo. hinc quidam 13.*

Leodii dignitas & amplitudo cum martyris honore crescit.

Regino. & alii. Ansel. Notgeri fortuna. & recensiores.

Abr. Ortel. Itiner. Belg.

Trevirorũ & Leodiensium Ecclesiæ mutua merita.

C.

Willibrordus etiam tum apud Treviros agebat; quo jam tempore Anastasia virginibus in Horreo præposita Divæ Irminæ, ut mea fert opinio, successerat; quo de Theodoricus ex veteribus testamentorum codicillis: *Sanctus Willibrordus, inquit, & domina Anastasia Abbatissa puellarum in Horreo, fecerunt inter se commutationem vinearum, & dedit dominus Willibrordus dominæ Anastasiæ, vineæ * petituras duas in monte Paginse juxta flumen Rhenum, cum vinitore, & omni peculio suo, quæ sibi illustris femina Irmentrudis filia Pantini, consobrina S. Irminæ dederat. Et recepit ab ea alias duas * petituras, in monte * Cabracensi super flumen Mosellæ, cum vinitore & omni peculio.*

S. Anastasia Horreensis Abbatissa, quæ videtur præponenda Modestæ. ** pedaturas.* quod in S Remigii testamento legatur Vitium *pedatura.*

S. Willibrordus rem familiarẽ propagat. *pictura s. i. petitura. * pedaturas, * fortè Characensi vel Grachtensi.*

Childebertus hinc, duo deviginti plus minus annis justitiæ magnâ laude in regni gubernaculo consumptis, vitâ abiens Dagobertum, non autem, quòd Sigeberti temporibus irrepsit, Clodoveum, successorem habuit.

CI. ANNUS CHR. 711. 712. Childeberti II. Austrasiæ Regis mors. *Aim. l. 4. c. 5. Sigeb. Chron. ad an. 715.* 16 DAGOBERTUS II. REX AUST. an 5 vel 4.

Hucusque columen & decus Austrasiæ Pipinus Heristalius fluctuantem in salo regni Francici navem, felicibus suæ gentis auspiciis gubernare potuit. Diploma vetus inspeximus, quo ipse in villa Bagoloso, regnante jam tum Dagoberto, jacens ex morbo, S. Willibrordum prædio Suvestra donat, quod prædium ipse ad rivum cognominem in pago Mosariorum situm esse confirmat; atque, ut in nepotum Grimoaldi & Drogonis filiorum sit tutela, cavet. Denique cùm propter morbi magnitudinem, subnotare non potuisset ipse * Plitrudi conjugi dat negotium, ut ipse donationem subscribendo corroboret.

Pipini mors *Sigeb. Chron. & alii 714.* Præfectura ejus 27. an.

CII. ANNUS CHR. 714. Pipinus etiã sub Dagoberto II. vixit, & Suuest S. Willibrordo donavit. ** alii Plectrudi.*

Cæterùm, incredibile dictu, quantum, amisso gubernatore, discrimen res Austrasianorum adierit, quæ jam inde usque ad exstinctas & revulsas ab stirpe sua Meroveodarum familiæ reliquias, huc illucque variè jactata, fluctuare cœperat. Sed tantæ tunc imminentis Franciæ conversionis, præclarique Ducis interitum portendisse tum alia videbantur, tum ipsa quoque luna opposito sui corporis clariorem Solis lucem tristi adspectu inumbrans. Status certè per hosce dies Austrasiæ perturbatus erat, atque luctuosus. Etenim ut effœtâ jam generosæ stirpis sobole, Franci, exstincto Dagoberto, ex cleri ordine Chilpericum ad regale fastigium evexerant. Grimoaldus Pipini filius, ut victima, Leodici Eburonum, nullâ sacrati loci reverentiâ, ante aram D. Lamberti crudeli cæde à Rangario mactatus, nuper oppetierat. Gesserat ille summum magistratum in aula Childeberti

Austrasiæ status Pipino mortuo cõturbatur. *Theod. Epitern.* ANNUS CHR. 715. CHILPERICUS REX an. 6. Grimoaldi filii Pipini cædes. *Epitern. Aimoin. l. 4. c. 49.*

Regis, Nordtberto suffectus; iterque habebat ad patrem, qui Jopivillæ ad Mosam viribus æger, morbo tum incumbebat; sed immisso ab Radbodo Frisonum Duce, sacrilego percussore, morte qua diximus, occubuit. Ejus itaque filius *Theodobaldus, imbecillâ etiam tunc ætate ad regiæ præfecturæ culmen, Pipini auctoritate evectus; eâque res turbarum ac seditionū fertilem deinde segetem extulit.

Jopivilla.

* al. Theudoaldus. Majordomus.

CIII. ANNUS, CHR. 716. GREGORIUS II. PON. an. 16. m. 8. d. 20. Ragenfredus Majordomus.

Gregorio II. amplissimus jam pontificatus honor obtigerat; cùm Theodobaldus prælio victus, summisque rebus evolutus, fugâ salutem quærere cogitur, Ragenfredo Procerum voluntate ejus in locum suffecto. Porrò victores Patricii nullâ pæne ad laborem quiete captâ, Theodobaldum, jam omnium invidiâ flagrantem, perditum ire; eùmque insecuti per Carbonariam silvam, quæ Arduennæ pars, ducto exercitu; non prius quàm ad Mosam fluvium ventum est, omnia incendendi vastandíque finem facere; quoque faciliùs omnem Pipini sobolem everterent, Frisonum odia, fœderibus ictis illuc provocata, acerrimo hoste Radbodo.

CIV. Caroli Martelli exordia.

Annal. Franc. Fuld. Richardus antiq. Belg.

Per id tempus Carolus Martellus Pipini ex Alpaide filius etiam adolescens, egregiis factis niti ad gloriam, & summum occupare studebat Reipublicæ decus. Sed Pilitrudem novercam ante omnes sentiebat adversantem conatibus suis, quæ cùm enixè Theobaldum nepotem restitutum cuperet, omni ad honorem aditu Martellum interclusum; adeóque in vinculis spe nimiâ calentem, Aquisgrani habendum curavit. Sed ille brevi custodiâ lapsus, in Ripuariam se conjecit, arma cum animo resumpturus. Erant Ripuarii ex iis gentibus, quæ Rhenum transgressæ, sedes in Trevirorum ditione, subactâ à Francis Galliâ, collocârant: quapropter, societate cum Francis initâ, legibus utebantur à Salicis non admodum discrepantibus. Fines regionis eorum triquetri pænè à Confluentibus Mosellæ ac Rheni, per ripas ad Mosam usque prolati. Hos igitur cùm Carolus sciret, gentium, usu rei militaris haud postremos, quàm maximas potuit, ex iis manus virésque contraxit, queis ad negatos honores, ac patriæ libertatem sibi viam patefaceret. Dum igitur hæc molitur, interea Radbodus Frisonum Dux, ex antè præparato consurgit adversus Carolum. Hic spatia morandi abrumpens tyronem exercitum audacter veterano objicit. At Radbodus concitatâ in Austrasiacos acie, adolescentuli Ducis copias non mediocriter attrivit. Nec ita perterritus infausto belli primordio Carolus, dissipatum fugâ militem conscriptum in tutum recipit, ad novam rei gerendæ occasionem vigilans, intentúsque. Super hæc vim principatus ipse complexus, ad Clotharium quendam nomen relegat, Austrasiæque Regem cum salutat. Quâ re intellectâ, Chilpericus & Ragenfredus, Radbodóque Frisius, exercitu in unum locum coacto, de communi sententia, infesto agmine in Austrasiorum fines irati undique incedunt; ingressíque Arduennam, populationibus effusè factis, ipsa denique Coloniæ Agrippinæ mœnia subeunt.

Ripuarii qui & ubi siti?

Caroli cum Frisiis adversa pugna. Annales Pithœani Franc. Aimoi. Sigeb. &c.

Sigeb. Chron. Aim. l. 4. c. 51. Tilius in Chronologia Reg. Franc.

17. CLOTHARIUS REX AUSTR. an. 2.

At hic tum, quòd Pilitrudis maritalis potentiæ fortuna degeret, ut domum hostis reverteret, populandique finem faceret, magnis oblatis muneribus effecit. Pilitrudis verò per id tempus Coloniæ sedem pietati atque excolendo religionis studiis animo, delegerat: & egregio parthenone Deiparæ matris honori constituto, aiunt eam virginibus in societatem allectis, cultui se divino totam deinceps consecravisse.

CV. Pilitrudis Coloniam hostili incursu liberat. MS. nô. Pilitrudis seu Plectrudis religio, ejusq; Monasterium Coloniæ institutum.

In eo autem virginum contubernio, præcipuo virtutis ac pudicitiæ amore, tum enituit Noitburgis ipsius Reginæ neptis; hæc à Grimoaldo & Drogone propinquis ad ingratos persæpe Hymenæos solicitata, ubi ne quidem in monasterio, amicorum hâc improbâ carere molestiâ potuit, celerem & maturum à Deo precata exitum impetravit; atque ita ab infelicibus hujus vitæ & jugalis thori fluxis liberata gaudiis, ad æterni sponsi læta evolavit amplexus. Testata insolito luminarium fulgore, virginis castimonia; quâ re & in Agrippinensium civium magna veneratione fuit. Ejus denique gloriosum corpus inde translatum ad Confluentes, istic hodiéque propè quiescit in montis S. Beati Carthusia.

CVI. S. Noitburgis.

S. Noitburgis amorem pudicitiæ ante vitam ponit.

Noitburgis reliquias Confluentina Carthusia asservat.

Martellus posthæc, reparatis majore curâ viribus, cum Chilperico pugnâ * Vinciacensi; non procul Cameraco, antiquo Belgicæ oppido, atrociter dimicans, acceptam antea cladem impigrè ultus est. Quippe hostem Lutetiam usque Parisiorum insecutus, magnâ prædâ partâ, in Austrasiam se recepit ovans, itinere Coloniam verso; quo, cùm victor pervenisset, mœnibus à Pilitrude non receptus; denique ut portæ sibi patescerent, incolis persuasit. Ingressus, nihil aliud, quàm cum Pilitrude de Patris Pipini thesauris disceptavit; quorum etiam in partem non ægrè tum, recenti victoriâ metuendus, admissus est. Prælio Vincianensi interfuit Milo D. Lutuini filius; operámque Martello suam in illa dimicatione egregiè probaverat.

CVII. ANNUS CHR. 717. Martelli pugna Vinciacensis apud Cameracū. Aim. l. 4. c. 52. Append. Turon. Annal. Franc. Pithœi in a. 717. * Vinciacum vel Vinciacū pagus Cameracensis. Initium principatus Martelli. Coloniam occupat. Milo futurus Trevir. Episc. Martelli commilito.

Magnis morum & virtutum insignibus, Flodoardo teste, Rhemensem Ecclesiam tunc adornabat Rigobertus Episcopus, ortus ex Ripuariorum pago, nobili prosapiâ. Hunc Martellus, quod adversus Childericum moventi, portas sibi clausas tenuisset, ubi gradu submovit, Milonem ad eum honorem prorsus indignum evexit. Quod quâ injuriâ S. Præsulis Rigoberti, quoque Caroli ac Milonis nostri utrunque dedecore, peractum sit; & vita Pontificis edita docet, & fragmentum epistolæ Adriani Papæ, quam Flodoardus laudat, ad Tilpinum postea Rhemorum Antistitem datæ; cujus illud membrum attexímus: *Tua fraternitas nobis retulit, quia, faciente discordiâ inter Francos, Archiepiscopus Rhemensis nomine Rigobertus, à sede contra Canones dejectus, & expulsus fuit, sine ullo crimine, & sine ullo Episcoporum judicio, & sine ullo Apostolicæ sedis consensu, vel interrogatione; sed solummodo, quod antea non consensit in parte illius, qui postea partem illam de illo regno in sua potestate accepit, in qua parte Rhemensis civitas est: & donatus atque magis usurpatus contra DEUM, & ejus autoritatem fuit ille Episcopatus simul cum alio Episcopatu, & aliis Ecclesiis, à sæcularibus potestatibus Miloni cuidam, solâ tonsurâ clerico, nihil sapienti de ordine Ecclesiastico.* Hæc ibi.

CVIII. Maurus præf. ad vitam S. Remigii. Flodoard. hist. lib. 2. c. 12. Rigobertus Rhemensis Archiepisc. exsul. Milo Rhemensis infessor.

Sur. Tom. 1. Flodoard. alterum cap. 33. Tilpinus Rhemens. Archiep.

Milonis ingressus.

Per

CIX. ANNUS CHR. 718. B. Lutwinus moritur Rhemis.

Per eos autem dies B. Lutuinus, Rhemorum in urbe degens, ad vitam beatam Kalend. Octobris evocatus est; vir omni sanctitatis laude circumfluens; & ob instauratas Divorum ædes, & amplis possessionibus auctas, tum verò, quod præstabilius, ob ingentem prodigiorum, quâ post mortem claruit, virtutem, assiduâ memoriâ recolendus. De Ecclesiæ Rhemensis ab eo procurata diœcesi, quod ex domesticis scriptoribus supra commemini, id opportuniùs ad hoc retulero tempus, quo Rigoberti abdicatione, sedes ea destituta fuit.

B. Lutwinus quãdo Rhemẽsem Ecclesiam procurarit.

Surrogatum illi D. Clodulphum Mediomatricum Antistitem, obscuri quidam hariolantur; sed habet difficiles illa res explicatus: cùm enim Clodulphus maturæ jam vir ætatis Ducis officio, anno circiter D. CLI. functus sit, indeque eremo lustratâ, Metensem Ecclesiam adierit, sequetur id, quod aptè necti non potest, octoginta fermè annos fuisse Episcopum. Addo vetustos Pontificum Trevirensium indices, & in iis templi primarii, Clodulphi nomen non agnoscere: denique ipsa de D. Lutuino graviter, & ab antiquo scriptore literis prodita vitâ, adeoque diploma Caroli Magni, testatur manifestè, Milonem patri successisse, quod inscitè abnuere voluit, vel rejicere protervè, scriptor hæreticus. At enim, quod ex B. Gertrudis Nivellensis insigni claritudine virtutis Antistitæ memoriâ colligas, Clodulphum huic præfuisse sedi, quia Trevirensis Episcopus ibi prodatur, non ultra suadet, quàm Trevirensem eum appellari à metropoli; & suffraganeos, matricis Ecclesiæ sequi interdum appellationem, vulgò nimium quàm usurpatum. Jam verò, quæ de B. Gertrudis obitu, ac Modesta Horreensis cœnobii Antistita memorantur, etsi nostris quidem atque Sigeberti rationibus vix copulari queant, potuit fortasse tamen ad Milonis initia pervenisse Clodulphus, & in magna boni moris inopia, Treverici magistratûs aliquam attingere partem. Sed contra Mediolacensis scriptor antiquus, disertis verbis: *Lutuino, inquit, filius erat* MILO, *qui, ut perhibent nonnulli, nimis degener, à paterna virtutis directa semita aberraverat, tramite malo, quamvis relinqueretur hæres rerum, & successor honorum: nam patri succedens, Trevirensium & Rhemorum pariter Episcopatum, per quadraginta annos tenuit.* Porrò Hincmarus Rhemensium Pontifex ante annos plus minùs octingentos, ita hac de re scriptum reliquit: *Caroli Principis tempore propter discordiam & contentionem de principatu, inter eum & * Ragenfredum, frequentia ac civilia, immò plusquam civilia, quia intestina & parricidialia, bella; in Germanicis, Belgicis ac Gallicanis provinciis, religio Christianitatis penè fuit abolita; ita ut Episcopis in paucis locis residuis, Episcopia laicis donata, & per eos à rebus divisa extiterint; adeò, ut Milo quidam tonsura clericus, moribus, habitu & actu irreligiosus laicus, Episcopia Rhemorum ac Trevirorum usurpans in simul, per quadraginta annos pessumdederit.* Nec ab Hincmaro diversum eunt Flodoardus, aut privata Remensis Ecclesiæ monumenta; in quibus & Milonem * Abbatis nomine cohonestari, observes.

S. Clodulphus nõ fuit Trev. Episc. *Medulla Gest. Trevir. Sigeb. in Chro. an. 640. Rich. Wassеb. antiq. Belgic. lib. 2.*

Diploma id in Bremm. Lotharing. Kyriander comm. Aug. Trevir. pag. 9 fol. 77. Sur. Tom. 2. in Martio Sigeb. an. 650. & 654.

Sigeb. S. Gertrudem obiisse tradit an. 664. Modesta Irminæ & Anastasiæ postponẽda.

MS. Mediolacensis MILO 31. ARCHIEP. 57. EPISC.

Præfat. ad vitam S. Remigii & epist. 6 Hincm. cap. 19. Flodoard. l. 2. hist. c. 12. & 13.

* *Majord. domus.*

Ecclesiastica res in Austrasia bellis vehemẽter attrita.

Milo Trev. Epis. profanus & militari spiritu.

Elenchus Archiepisc. Rhemens. ad Flodoard.

* Milo Abbas

CX. B. Lutwin⁹ Rhemis in Treviros ad Mediolacũ transfertur. *Vita MS.*

Hæc inter, vehemens illa Treviros cura mordebat, ut nimirum Antistitis Lutuini; qui, deterrimâ comparatione successoris, desiderium jam sui auxerat, venerandum corpus, Remis ad se, majorum exemplo transferrent; cujus se rei arbitrum, Milo, stimulante paternâ pietate, obtulit. Remis igitur exportato corpore, simul ventum ad eum locum, ubi Saræ amnis supra Treviros à Meridie Mosellæ miscetur, ferunt, attonitis omnibus immotam stetisse cymbam: eâque causâ, quidnam prodigium id portenderet, consulto suppliciter Deo, numinis exploràsse voluntatem. O res mira! navim, quæ gubernaculi impatiens, secundo amne, nec remigum nec vectorum propelli ministerio poterat, versâ puppi, atque inflexo cursu, niti adverso flumine ac retexere viam cœpisse: donec undâ nequidquam obluctante, Mediolacum, cujus loci fundatorem Lutuinum fuisse diximus, incolumis appulsa, se ripæ applicuit; ut quem olim locum, à sæculi fluctibus portum vitæ tranquillioris acceperat, eundem haberet sepulchrum. Et sanè, quemadmodum in posterum magnarum rerum atque admirabilium gloriâ locum quietis illustraverit, ubi res exiget, à nobis non reticebitur. Conditorium habet eminenti opere, sacrario seorsim illi ab æde præcipua posito. Amplitudinem memoriæ, versus approbant antiqui sepulchro incisi; probi quidem illi, si fide metiaris; at, si numero cultúque, squalentes & hispidi. Sed, turpe profectò, sic aurium sensu verborúmque lenociniis duci, ut veritatis fideique simplicitas, horum quasi delinimentis refringatur.

S. Lutwini sepulchrum in Mediolacu, & Elogium.

HIC PATER INSIGNIS LUITWINUS FONS PIETATIS.
CUJUS IN HAC TUMBA REQUIESCUNT PIGNORA SACRA.
QUONDAM DIVITIIS CUM POLLERET COPIOSIS,
EST FACTUS MONACHUS; MULTIS POST FORMA FUTURUS.
VIRIBUS HIC TOTIS FRANGENS INCENDIA CARNIS.
ARCHIMANDRITÆ POST HÆC PIGNUS SUBEUNTE
URBIS TREVERICÆ GREGIS ET SORTITUS OVILE
PASTOR AGENS VITAM PLENIS VIRTUTIBUS IPSAM.
TANDEM CUM PALMA FELIX MIGRAVIT AD ASTRA.
OMNIBUS EFFECTUM TRIBUENS POSCENTIBUS IPSUM;
UNDE PRECES ILLI PROFUNDITE MENTE FIDELI,
PESTIS UT ASSIDUE PROCUL ABSIT SOSPITE CIVE.

CXI. *Vit. S. Bonifacii Vita S. Wulfra. à Iona apud Sur. Tom. 2. Sigeb. in chron. Adrian. Iunius in Batavia.* Radbodi Frisonum nequitia, dũ baptismo se accingit.

Radbodus Frisonum Regulus, Austrasianorum, ut quis alius infestissimus hostis, per hosce dies innocentium plurimo sanguine teter, & horrenda insuper in oblatam baptismi gratiam effutitâ blasphemiâ, conscеleratus abiit è medio; nam, si Sigeberto & vetustiori scriptori Jonæ fides adjungenda, à S. Wulfranno Senonensi Episcopo, ut sacris initiari Christianis vellet, inductus, ubi mystico par-

tu renascituri corpus undâ proluendum fuit, pedem alterum aquæ immersum in articulo revocasse dicitur, & ad Episcopum; Utriubi majorum suorum plures ille versari censeret, apud inferosne, an superos; cùm, plures, apud inferos audiisset; tum verò sapientem cogitationem abjecisse, & præsentem agnitamque repudiasse sacramenti gratiam.

Eptern. MS.

CXII. Sub idem quoque tempus, Carolus Martellus in Fidiaco vico degens, D. Willibrordo, ejusque fratrum usui, Epternaci, hæreditarium sibi prædium Bollunvillam, liberali dono attribuit.

Bollunvilla, *nunc Bolledorf* Epternaco donatur an. 1. Clotharii.

Willibrordus autem propagandæ rei Christianæ nullũ interea officium prætermittebat; ejúsque hæc tam constans ac diuturna in Treviris mora, haud levi nobis indicio, functum Apostolico sibi concesso munere, fugientem è Milonis bellicosi viri pectore, religionem ac pietatem conservasse in hac Ecclesia; & præceptis atque exemplis, ab Epternaco vicino præbitis, etiam revocasse. Quod certè testatum habemus, ædem Martyrum, quæ sub mœnibus ferè Trevirorum ad Mosellæ ripam nunc à Benedictinis incolitur, ex profani capitolii ruinis, ut volunt, excitatam, in monasterii formam redegit; multisque ornamentis ad hoc ævum illustribus, locum cum, sacro martyrum Trevirensium cruore respersum, condecoravit. Ostenditur magnâ istic religione viatoria vel subductilis ara; quâ, ipse Willibrordus, dum varias Evangelii causâ terras circumlustrat, usus fertur, sacris operans; ejus inscriptio est:

Monaster. Trevir. ad Martyres. *MS. ejus loci.* S. Willibrordus administrat Trevir. Ecclesiam.

B. Willibrordus sacrificii causa altare secum portat.

HOC ALTARE WILLIBRORDUS IN HONORE DOMINI SALVATORIS CONSECRAVIT, SUPRA QUOD IN ITINERE MISSARUM OBLATIONES DEO OFFERRE CONSUEVIT, IN QUO ET CONTINETUR DE LIGNO CRUCIS CHRISTI ET DE SUDARIO CAPITIS EJUS.

CXIII Asservatur ibidem in sacrorum pignorum thesauris, pretiosa Deiparæ Virginis MARIÆ admirando opere contexta vestis; colore candido, sed ob vetustatem tamen jam flavescente. Eam vestem Sergii Papæ donum, hic perhibent aræ portatili inclusam, à S. Willibrordo venerationis ergò relictam: & octo propè sæculorum intervallo productam è tenebris in conspectum anno MDXII. cùm in frequenti Procerum senatu, qui à Maximiliano Cæsare Treviris coactus, Uriel Moguntinus & Wilhelmus Argentinæ Præsules extra ordinem hæc remotæ vetustatis arcana, patefactis arulæ penetralibus sibi pandi voluissent. Provocarat Episcoporum studium Epigraphe versuum, qui extimo plano tabulæ inscripti.

B. Mariæ vestis. *Medull. Trevir. lib. 3.*

Ara S. Willibrordi, & ejus reliquiæ

Ioan. S. Wendalinus in narrat. inventa vestis Dei Genitricis.

INTUITUM FLECTES VENIÆ QUO GAUDIA SPERES.

Ducens id vile me dignum laudis honore,
In me magnifica potius veneranda reposta.
Quæ lucent meritis divino numine claris.
Horum mirificis contemptâ morte triumphis,
Victrices animæ Sanctorum glorificatæ,
Virtutum stolis Christum comitantur in albis,
Quæ sibi perpetuam vitæ meruêre coronam.

Subjiciuntur inde reliquiarum tituli:

SANCTÆ DEI GENITRICIS MARIÆ VESTIS. CAPUT ET BRACHIUM CUM COSTIS S. PONTIANI MARTYRIS, &c.

Excitant me præclara à S. Willibrordo tum in Treviros, tum inferi Rheni accolas profecta merita, ut hujus generis, quæ vel Trevericis affinia, vel illustrandis eisdem conducant monumenta, delitescere diutiùs in tenebris haud patiar.

Embrica Rheno adjacens in Cliviæ frequens & elegans est oppidum. in hoc nobilis & ampla Basilica visitur S. Martini titulo, & collegio sacerdotum perveteri instructa. Hic suæ pietatis S. Willibrordus gentis Apostolus, luculentum quoque vestigium reliquit. Arcam ostendunt seu capsam, argenteâ fronte, auro gemmisque prænitentem, à tergo viliore metallo tectam. Capsæ peripheriâ literis aureis inscripta: CXIV.

Embricæ arca à S. Willibrordo relicta.

HAC IN CAPSA SUNT RELIQUIÆ QUAS S. WILBRORDUS IPSE A PAPA SERGIO ACCEPIT.

Reliquiæ, item à Sergio.

In hac verò capsa, quia immortalis honoris & memoriæ Corpus Domini nostri asservatur, in capsæ medio sub crucicula, quæ insistit loculamento, cui hostia sacra imponi solet, legitur:

JESUS NAZARENUS
REX JUDÆORUM.

Seorsim adhæc tabellæ inscriptus reliquiarum indiculus, in quo exprimitur: Corpus Christi venerabile, quod propriâ manu idem Antistes imposuit. Crux facta de ligno Domini. De veste B. Mariæ. De sanguine S. Pauli. Os de B. Martino. Additi quoque rythmi:

Corpus Christi asservatum à tempore S. Willibrordi.

Antistes primus hic Willibrordus, bene scimus
Consecrat in missa corpus Christi, quod in ista
Arca servatur, à cunctis & veneratur.
Actum D. duo CC. quando DEVS incola terræ,
*Adde * quasi numero septuaginta dies.*

Versus, ut apparet, mendosus. * forte *quater.*

Anno postero, qui, ut pontificiis rescriptis, & Mariani Scoti Chronico traditum invenio; Leonis Imperatoris tertius, & Christi fuit 700. undevigesimus, D. Bonifacium Roma Gregorius II. cum Apostolica potestate in Germaniam, populos ad Orientem Rheni littora accolentes, ad Christi religionem traducendi, Episcopum legavit; literis in eam rem ad Carolum Martellum, Episcopos, clerum, Duces, populúmque Germaniæ universum, & nominatim ad incolas Thuringiæ, datis. His instructus, ut in Austrasiam venit, Carolus pro eo ac debuit, piis conatibus ejus, ac præclarissimis studiis fautor affuit, consilioque & autoritate, in re Christiana capessenda, promovit. Ille igitur ardens singulari quâdam salutis animarum cupidine, in Thuringiam, Hassiam, aliasque barbaras oras, intrepidus iter convertit; & infatigabili studio ingentem mox animarum vim à spurcissima superstitione ad Christi liberatoris notitiam,

CXV. ANNUS CHR. 719. Vita S. Bonifacii. *Marian. Chron. Sigeb. Guespl.* S. Bonifacii in Germaniam adventus *Epist. Gregorii II. & vita S. Bonifacii apud Serarium, qua & Othloni. Tom. 5. antiq. lect. & lib. 3. Moguntin. rerum*

fideique

[i]demque nostræ sanctissimam disciplinam [tra]nstulit.

CXVI. S. Grego[rius] Ultrajecten[si]s Antist[es] Treviris se Bonifacio adjungit. * S. Gregorius non e[st] ordinatus Episc. *Adi vitā ejus editam à nobis ex MS. Fuld.*

Porrò in hujus itineris procinctu, Bonifacius apud Treviros agens, Gregorium excellentis virtutis fastigio Ultrajectensem aliquando futurum ordinis * secundi Antistitem Palatiolo volentem abduxit; & ad conversionis gentium quamlibet aspera rudimenta, pœnè puerum assuefecit. Cujus rei fidem pervetusto Codici debeo Fuldensis bibliothecæ, quo S. Ludgerus primus Monasteriensis Episcopus Gregorii præceptoris sui acta memorat. Gregorium namque, scribit, prænobili Francorum stirpe satum, genus suum superâsse nobilitate morum, & sapientiæ documentis. Aviam ei fuisse Addulam, quæ nobis olim laudata, ex veterum sensu Dagoberti Regis filia: patrem Albricum, quem in donatione sua pro filio, item Addula agnovit.

S. Bonifacius Palatioli degit.

Addula, vel Adhela Abbatissa.

Verba S. Ludgeri sunt: *Post tredecim annos, dum admonitus à Deo Bonifacius, ad Hassos, & Thuringios, Orientales regiones Francorum, iter agere cœpisset; lucrandorum DEO populorum caussâ, pervenit ad Palatiolum, monasterium virginum propè Treviris civitatem in ripa fluminis Mosellæ: cui tunc præerat Abbatissa nomine Addula, religiosa valde ac timens Deum. Quæ cùm vidisset athlêtam Dei peregrinum, & egentem, gratulabunda recepit eum in hospitium suum.* Hinc cætera prosequens Bonifacii officia, ab ipso collocata in re procuranda divina, & quotidie Deo ter Opt. Max. sacrificium incruentum offerendo, & inter mensarum condimenta, sacram scripturæ lectionem adhibendo: *Tunc, ait, quæsitus est lector, & juxta Dei providentiam, inventus est electus puer Gregorius, qui per idem tempus nuper à schola, & palatio reversus, sub laico adhuc habitu, quasi decimum quintum agens ætatis annum, Dei instinctu, venit ad aviam suam, id est, ad matrem patris sui Albrici Dei timentem Addulam Abbatissam: datusq; ei est liber: qui acceptâ benedictione, cœpit legere.* Quid multa? adolescens ex lectionis occasione S. Bonifacii sermonibus inflammatus, ilicò & sæculi deserendi propositum, & Bonifacium imitandi consilium, parentis, aviæ amori, omnibusque cæteris delitiis mundi, antetulit.

Gregorii conversio.

Ejus præconium.

Atque hic ille Gregorius est, comes successorque Bonifacii, qui post Thuringiæ Hassiæque domitam barbariem, Ultrajecti sede belli novi locatâ, vicinis Frisonum & Isalanorum arvis, victricia Christi signa intulit; ac septuagenarius, ætate gravis, ubi numerosissimi monachorum gregis Abbas, & sapientiæ cœlestis usque ad extremum spiritum magister indefessus XXXII. annos in Ultrajectensi Ecclesia moderanda posuisset, multiplici victoriâ lætus, tandem die, quem sibi præstituit, in medio discipulorum cœtu, ante oratorium S. Salvatoris, spiritum Deo tradidit XXV. Augusti, perennem in Ecclesia Divi memoriam adeptus.

Mors.

CXVII. *MS. gesta Brunonis Treviren. Archiepisc.* S. Bonifacius Remos & Treviros moderatur.

Non desunt etiam, qui lustrâsse S. Bonifacium obiisseque Trevirorum & Rhemorum postea Parœcias, Pontificis jussu, memoriæ tradunt: quod ita esse, tum amplitudo potestatis, quam in Gallias quoque protulêre Romani Pontifices, tum ipse liquidò Hincmarus testatur, in epistola, quam ad Nicolaum Pontificem scripsit: *Ecclesia Remensis*, ait, *excepto Romano, nunquam superiorem Episcopum tulit, nisi, cùm expulso per tyrannidem Milonis, Episcopo suo, sicut & Trevirensis Ecclesia, B. Bonifacio commissa est.* Memorandum & illustre profectò dignitatis Ecclesiæ Trevericæ testimonium.

Epistol. hæc MS. citatur in actis Trev. Ad[i] & vitam S. Bonifac.

B. Bonifacio commissa Trev. Eccl. *Præfat. vit. S. Remigii.*

CXVIII.

Constat certè Milonem parùm secundis auspiciis utrùmque gessisse Pontificatum; nihiloque Bonifacii consilio factum deinceps emendatiorem; memorat namque Hincmarus de Rhemensibus suis diserte, omnem fermè pretiosam supellectilem, templique cultum hujus Milonis ævo direptum istic atque aversum; ædes sacras dirutas ac profanatas, neque monasteriis suam stetisse libertatem, neque cathedris Episcoporum; quibus & possessiones ademptæ. Magnum quoque Ecclesiam Trevirensem, accepisse sub hoc Milone vulnus, priscis item docemur literarum monumentis; quippe, ut cænobitarum complura domicilia, collegiáque expilata atque omnibus rebus exinanita, sileam, ædes D. Medardi, & Ecclesia Martyrum, quæ in monte Confluentibus vicino, nunc sacrosancto Carthusianorum instituto sublimior eminet, solo æquata, & fundis exuta ab hoc ipso Milone; repetitum ab hac ætate Gregorii IX. bulla, proditur. Per hæc igitur ac ejusmodi, acerba sanè ovibus à pastore data damna, ingratum Milo nomen suum ad posteritatem transmisit.

Eccles. Trev. detrimenta sub Milone.

Mōs S. Beati in quo Ecclesia mart. apud Confluentes.

CXIX.

Nec interim vir cæteroqui bellorum procax, & cui Martius ille pulvis scilicet, præ quietis templorum spatiis arrideret, sic omnem religionem exuit, quin non interdum alicubi, beneficium pro crimine reponeret. Fatentur namque cœnobitæ Mediolacenses, Milonis erga se, monasteriúmque beneficentiæ famam, haud constitisse vulgarem, & vestigia superesse benignitatis, assentiente diplomate Caroli Magni. Quin illustre quoque documentum, in pervetusta & inedita B. Hildulphi vitæ historia reperio, non omnem Ecclesiæ suæ prorsus exuisse curam, sed B. Hildulphum eximiâ probitate & doctrinâ virum, rerum sacrarum habuisse collegam & adjutorem; quod sanè Bonifacii consilio, & operâ perfectum, facilè interpretor, etsi Hildulphum eo in munere perstitisse, neget electionis series. Verba, quæ ibi leguntur, sic habent: *Milo Reverendi Lutuini filius, perpendens hunc virum scientiâ fultum, discretione mactum, conversatione angelicum: cœnobio abstractum, secum retinere voluit; atque * secundam à se sedem ei indulsit; quatenus vice illius, pastorale administraret officium, sarcinam perferendo sibi creditarum ovium.*

MS. Mediolacens.

Paul. Diac. lib. 6. c. 42. Sigeb. in Chro. MS. Epter. & S. Maxim. S. Hildulphus.

Milo per B. Hildulphū regit Ecclesi.

** quod antiqui, in secundo ordine.*

CXX. Milo S. Rigobertum reducit Rhemos. * *l. 2. hist. c. 12.* Milo legatus ad Vascones.

Huc quoque spectat, quod de S. Rigoberti reditu * Flodoardus memoriæ tradidit. Milonem legatione functum pro Carolo Principe ad Vascones; exsulem istic fortè reperisse Præsulem Rigobertum; eique autorem fuisse, ut unà rediret in Franciam, additâ sponsione, Episcopatum ei se restituturum, si reveniret in Campaniam. At Rigobertus ubi Rhemis affuit, flagitare cœpit Milo, ut quæ nuper ipse Ecclesiæ Rhemensi donâsset, hæc sui peculii jurisque, translatâ donatione, faceret. Quod cùm nullo modo Rigobertus annueret,

Milonis cupiditas.

S. Rigoberto permittit sacrificium. & *fortè* Ordinationes.

Gerniacum in Campania sedes S. Rigoberti.

annueret, id unum à Milone impetravit, ut sacrificandi causâ Deiparæ matris altare ei in Remorum civitate concederet. Ipse interim Gerniacâ Corte vitam degens, inde Remos excurrere, & Divos patronos sæpè salutatum venire solebat, Gerniaci reliquum omne tempus in humilitatis Christianæ studio, parsimoniâ, vigiliis, orationum & eleemosynarum assiduitate consumens, nusquam hic à Milone interpellatus.

CXXI. * Regenfridus.

Caroli Martelli bellum cum Raginfrido æmulo.

Ingens tunc cum * Raginfredo æmulo Duce Carolo certamen fuit; is, quo Chilperici diadema, resque suas stabilire pergeret, Radbodi Frisonum peropportunâ tunc operâ destitutus, Eudonem Aquitaniæ Ducem sibi adjunxerat, magnisque contractis in Celtica, Neustriaque copiis, infestus jam cum Chilperico in fines Austrasiorum imminebat. At Carolus, præparatis ad confligendum suorum animis, ubi pugnæ copia facta, tanto ardore in adversarium agmen pugnavit, ut ingenti hostium editâ strage, Ducibus, ut excederent acie, fugámque capesserent, vix ægrè fuerit locus. Quâ tantâ prœlii offensione fractus Eudo, invisam superis Chilperici caussam non dubitavit abjicere, & cum diademate Regem in suam cogere potestatem. Quare, cùm de Clotharii morte nuncium accepisset, honorificâ ad Carolum decretâ legatione, Chilpericum, per nuncios missum in Austrasiam, Carolo dedidit; qui Theodorico accepto successore, non diu hinc superfuit.

Chidericus rex redactus in potestatem Caroli [illegible]

18. Theodoricus III. Rex Austr. an. 21.

CXXII. ANNUS Chr. 722. [illegible]

Martellus Franciæ & Austrasiæ potitur.

ANNUS Chr. 723.

Raginfredus à Carolo debellatur.

Atque in posterum, Martellus non Regem ipsum modo, sed omnia jura sceptráque utriusque regni in potestate habuit. Cæterùm per Raginfridi mobilitatem adhuc stabat, quo ne integro & tranquillo eo honore frueretur. Itaque anno, qui proximè hinc successit, armatum in campo rursus adeptus Raginfredum, tam turpem in fugam conjecit, ut trepidans is pavénsque, mœnibus Andegavensium receptus, & arctâ obsidione clausus, denique in gratiam ac misericordiam Caroli sese permiserit; eáque civitate ad amissæ speciem dignitatis quandam retinendam, egerit contentus; alio scilicet hominum, Regisque supremi transeunte favore.

CXXIII. Carolus Martellus apud D. Maximini memoriam [illegible] sanatur. [illegible]

Secundùm hanc victoriam Carolus veniens Trevirim, memorabilem atque cœlestem B. Maximini adversum se benignitatis opem experitur: tenaci quippe & validâ febre usque eo conflictato, dum omni restinctâ cibi potúsque cupidine, vitæ extremum periculum adiisset, D. Maximinus se per quietis speciem obtulit, hortatus eum, ut ad memoriam sepulchri euntem se, si sanus esse vellet, ilico sequeretur. Hac cum experrectus Martellus, puerum, qui fortè assidebat, percontatur, beatum ne Maximinum secum paulo ante verba facientem attendisset? quo negante; Carolus, atque ilico jam, inquit, egreditur jussitque è vestigio se sequerer, si compos salutis esse vellem. Ad Basilicam itaque lecticâ perlatus, priùs quàm accederet, arctiorem in somnum animo profuso, eadem rursus obversata species; monebatque sanctus in posterum, uti ne vitiis sese dederet, sanitatem jam adesse divinitus illi impetratam. Mox igitur atque somno se solutum sensit, in sacrarium secedens, dapes offerri sibi poposcit, quas, ipsos triginta dies pœne omnes respuerat, refectis itaque cibo viribus, quietis imaginem non minus habuit recuperatâ valetudine efficacem, quàm salutari monito optabilem. Carolum verò constat hinc grato ac memori erga sanctum animo, locum quietis ejus honestissimis prædiis auxisse, ac D. Maximini monasterium * Petrasala, Comiciaco, & aliis id genus latifundiis, exornasse. Neque S. Petrum Trevirensem immunem suæ liberalitatis esse voluit, cui per idem quoque tempus villam Andaclanam obtulit. Hæc ita tum quidem Treviris hoc eodem anno, Leonis Imperatoris nempe septimo, gesta, cum Lupo vitæ S. Maximini autore, prodit * Theodoricus Epternaci non vulgaris industriæ scriptor.

Caroli in Trevirensem clerum liberalitas.

* Petrasala.

CXXIV. ANNUS Chr. 723. 724. 725. [illegible]

Carolus deinde ex hoc morbo recreatus, ad militaria rursus omnia munera impigrè obeunda sese transtulit; quâ in re, per insequentes hosce annos, tam mirificâ Ducis acerrimi vigilantiâ enituit, ut occupante per regalis prosapiæ fucum diadema segnitie, atque desidiâ, & Austrasiæ & Franciæ incolumitas Martelli unius fortitudine staterit, & præclaris institutis. Nam hinc Saxones Austrasiæ proxima perrumpentes, & novis rebellionum motibus turbantes fœdera, magnâ clade repressit: inde Boiarios ferociter invadentes, pari virtute, atque animi celsitudine à finibus suis prohibuit; ac inter hæc, ut nosceres incrementa dignitatis, quo fonte surgant, in collustrandis evangelii luce Thuringiæ, Saxoniæ, Hassiæ, Wederaviæ, & Loganam nostram quoque accolentibus populis occupato Bonifacio, autoritate, re, consilioque præsto fuit.

Caroli egregia [illegible]

Germaniæ inferioris conversio.

CXXV. ANNUS Chr. 726.

S. Pyrminius [illegible] Metensis Episc. an Meldensis?

Hoc tempore Pyrminius, quem Metensem aut Meldensem Episcopum fuisse perhibent, vitæ sanctimoniâ traditur Alsatiam & Alemaniam implesse; cùm peregrini more, turba cinctus discipulorum, religionem latè proferens, inter alia complura, quæ illustravit vel reparavit, quæque nos in ipsius vitæ memoria recensuimus, amplæ celebritatis duo monasteria & cumprimis opulenta condidit: alterum ad Vogesi montis aditus, in Alsacensi pago, cui Vivarii peregrinorum seu Murbaci nomen obvenit: alterum Augiæ divitis vocabulo famosum, in Acronii lacus insula. Theodorici Regis legitur diploma, quo suis temporibus, *venerabilem virum Pyrminium gratiâ Dei Episcopum, Deo inspirante, pro Evangelio Christi peregrinationem suscepisse*, testatur. Treviros ipsos Westrasiâ tenus adiisse Theologiense monasterium sive Doleyam disciplinæ causâ lustrasse & insedisse, autores habeo. Quin & in Hundesruchi tractu milliario ab arce & oppido Biponte Hornebacensi monasterio Metensis diœcesis spiritum deposuisse Walafridus Strabo in Augia sua prodidit, ubi quoque loci nominis sui oppidum reliquit. Et meminimus nos ex Hornebacensi domicilio Wernesuillerium surrexisse Cistereiensis familiæ phrontisterium à Wernero Saræ werdæ Comite autore, sic appellatum. Quod verò antiquis Metensis Ecclesiæ panchartis inter Episcopos receptum non apparet, id sunt, qui interpretantur ibi fortè natum, aut inde profectum, accepisse titulum, etsi quoque Meldensibus eum alii adscribant. Sed Episcopum

Murbacum & Augia divites conditæ. [illegible]

S. Pyrminius Doleyam excoluit.

Monasterium Hornebacense. [illegible]

Wernesvillerium Ord. Cisterc. ex Hornebacensi [illegible]

fuisse

fuisse ordinis secundi, & è Mediomatricum potius confinio, quàm procul è Meldis, qui in Senonia apud Matronam flumen, ad lacum Bodamicum advenam accessisse, pronior mihi, licet non certa videatur, conjectura, præsertim cùm in Metensi diœcesi floruisse, & tumulum accepisse constet. quanquam ex alia parte diversus vitæ scriptor Othlonus, Meltis castellum appellet, unde profectus sit in Alemaniam. In Sintlacis Ouvam sive Augiam, quâ insulâ Tiberium Cæsarem volunt pro arce, bello Vindelico usum, venisse, Contractus meminit anno DCCXXIV. inde Theobaldi Suevorum Ducis injuriâ, quia Martelli favore Pirminius niteretur, pulsum anno DCCXXVII. qui scilicet annus S. Hubertum Leodiensis Ecclesiæ velut alterum conditorem cœlo transmisit.

Meltis castellum. *Scholia nostra ad vitam S. Pyrminii.* Sintlacis Ouva, sive Augia ante Murbacum

S. Hubertus Leod. Episc. moritur. *Vide dissert. Ægid. Bucb.* * *vol XIV.*

CXXVI. ANNUS CHR. 731. GREGORIUS III. PONT. a. 10. m. 9. d. 12. Carolus Alemannos domat.

At Carolus * quinto decimo principatus anno, quo & Gregorio II. mortuo, tertius ejus nominis Pontificatus onus atque munus suscepit, Alemanniam ingressus, prœliis eâdem, quâ solet felicitate, cum Landtfrido gestis, nationem edomuit, atque in Francorum jus victos, deinceps concedere coëgit.

ANNUS CHR. 732. Aquitaniâ incursans Eudonem Ducē pacat.

Sequenti verò in Vasconas arma transferens, ingentem Aquitaniæ terrorem intulit, Eudonemque Ducem, tum in novum rursus bellum consurgentem, ad obsequium fidemque redegit.

CXXVII. ANNUS CHR. 733. *alii ad an. 726 Paul. Diac. l. 6. c. 46.* Caroli adversus Saracenorum illuviem victoria.

Anno verò jàm trigesimo tertio ineunte, & septingentesimo, Saraceni ex Hispania cum liberis & uxoribus ingenti hominum colluvie habitandi causâ in Galliam sese exoneraturi, Garumnâ flumine superato, obvia quæque proterere, & sacra profanaque, urentes Ecclesias, vastare, atque demoliri, atrocitate barbaricâ. Hoc nuntio Carolus accepto, copiis, undique quas potuit, ilico contractis, infinitæ barbarorum multitudini, Dei fretus auxilio, obviam ire nil dubitat; & certè Francorum disciplinâ, auxiliisque Eudonis tam atroci clade protrita cæsaque sunt incondita barbarorum agmina, ut unius congressu prœlii trecenta hostium ac septuaginta quinque millia occubuisse, Anastasius & Paulus Diaconus, alii plures quoque cecidisse sint autores. Atque hanc victoriam à Carolo partam, anno regni decimo septimo, clarissimè in suis temporum rationibus tradidit Regino. Quare, ut simul editionis vulgatæ labem abstergamus, anno principatûs sui decimo octavo, Westrasiam iniit, partem eam ditionis Trevirorum, quam Saravus interluit clauditque mons Vogesus, propè Alsatiorum fines, ejûsque loci incolas imperium detrectantes, parere docens.

Anastasius in Gregor. II. Paulus Diac. cit. Eginartus in vita Caroli. Regino. Sigeb. & cæteri MS. Eptern.

ANNUS CHR. 734. Westrasiam pacat Carolus. *Regino. Sigebert.*

CXXVIII. ANNUS CHR. 735.

Mox impatiens otii, anno vertente, cùm exercitu impiger provolat in Burgundiam; atque ibi Lugduno, aliisque compluribus locis captis, atque in potestatem adductis, virtuti prona omnia sensit. Raginfredum Agrippinensium Pontificem, eâ tempestate cum D. Willibrordo mancipia, quæ frequentibus hisce Caroli bellis venum ibant, commutâsse legimus: prono indicio, ad Baptismi usus & religionis Christianæ lac instillandum, hunc Willibrordo tunc placuisse mercatum.

Raginfredus Coloniensis Epis. & Willibrordus mancipia redimunt.

ANNUS CHR. 736. *Regino. Anastas. cit.*

Saraceni verò iterum tentare Galliam, atque irruptione factâ, Narbonem usque penetrârunt: sed repressi virtute Caroli, cum ignominia & clade, retrò abiêre in Hispaniam. Exhaustâ itaque tandem pestilenti hominum sentinâ, & liberata Gallia, Carolus inde constituendis & pacandis Aquitaniæ sese rebus dedit.

ANNUS CHR. 737. 738. Saracenorū incursu liberatæ Galliæ Aquitaniæ res pacatæ.

CXXIX. ANNUS CHR. 739. *Theo. Eptern. MS. & vita.* S. Willibrordi obitus. Epternaci moritur ac sepelitur.

Interea quæsitæ salutis anno septingentesimo & undequadragesimo, indepti verò Pontificatûs quadragesimo quarto, ætatis uno & octogesimo, vir sanctissimus Clemens Willibrordus, in Treviris monasterio Epternaco spiritum Deo reddidit excellentissimum, in cœlis de Frisiis, Flandris, Alemannis, Ripuariis, aliisque indomitis gentibus, dæmonum excusso jugo, in Christi libertatem assertis, acto triumpho. Ibidem & sepulturæ commissus est; coliturque Idibus Novembris, magno sanè Trevirorum ac vicinæ nationis præsidio. Ei, quod verius splendidiúsve præconium adscribamus, quàm, quod ejusdem instituti S. Bonifacius, illi collegio & Apostolico spiritu suppar impertiit? *Tempore Sergii Apostolicæ sedis Pontificis, venit ad limina sanctorum Apostolorum presbyter quidam, miræ abstinentiæ & sanctitatis, generis Saxonum, nomine Willibrord, & alio nomine Clemens vocatus; quem præfatus Papa Episcopum ordinavit, & ad prædicandam paganam gentem Fresonum transmisit in littoribus Oceani occidui, qui per L. annos prædicans, præfatam gentem Fresonum, maxima ex parte convertit ad fidem Christi; fana & delubra destruxit, & Ecclesias construxit, & sedem Episcopalem, & Ecclesiam in honore S. Salvatoris constituens in loco & castello, quod dicitur Trajectum, & in illa sede & Ecclesia S. Salvatoris, quam construxit, prædicans usque ad debilem senectutem permansit: & sibi Coëpiscopum ad ministerium implendum substituit; & finitis longævæ vitæ diebus, in pace migravit ad Dominum.*

Elogium S. Bonifacii de S. Willibrordo in epist. 97. edit.

Fresonum conversio.

Ultrajectensis Episcopatus.

CXXX. *Tom. 4. antiq. lect. l. 2. de vita S. Willibrordi.*

Jam etiam, quia nuper renati Alcuini Flacci versus, hos tanquam sancto tumulo flores suaveolentes aspergere lubet, quo & gloria funeris, & funus sequuta prodigia, clarius innotescant:

Mores S. Willibrordi.

Vir fuit iste Dei patiens, moderatus, honestus,
Moribus egregiis, & in omni strenuus actu,
Corde pius; humili mitis; rigidusq; superbo,
Solator miseris; & inops sibi; dives egenis.
Qui postquam vita meritis perfectus in annis,
Bis octona pius complevit lustra sacerdos,
Ter quater & menses, mensis jam jamq; Novembris
Idibus octonis, cœli migravit ad aulam.

Ætas.

Post hæc de funere:

Funus Epternaci curatum.

Quem fratres studio curarunt condere sancto,
Psalmodiis, hymnis, magno cum laudis honore.
Sarcophagum brevius fuerat, sed corpore patris,
In quo tunc fratres voluerunt condere corpus,
Effecti nimium tristes, mirabile dictu,
Ecce repente lapis se protelare locelli
Cœpit, & ad formam se aptavit corporis almi.
Inter & exequias, miri fragrantia odoris
Ambrosio Ecclesiam perfundit nectare totam;
Perspicuè angelicā monstrans venisse catervā,
Ad patris officium, lætis concentibus almi.
Iste pater sanctus, pastor, patriarcha, sacerdos,
In propria pausat felix Afternaco Cella,
In laudē Domini, quam jam construxerat ipse,
Inqua signa Deus faciet nunc usque salutis.

Afternacum Cella nunc Epternacū

Ex olei

B. Willibrordi miracula. Oleum S. Willibrordi.

Ex olei tactu multi sanantur agroti,
Quod solet ad corpus magni lucere patroni,
Vincula rumpuntur per se properantibus illuc.
Qui sua cum lacrymis veniunt mala crimina flere,
Et lati redeunt Christo donante soluti.
Inq; loco sancti quo stant sacra lectula patris,
Sapius atherium lumen venisse videtur.

Cæterùm inter admiranda, quæ contexit, non premam sacrilegi ministri pœnam, qui crucem, quâ S. Willibrordus in peregrinatione sua consuêrat uti, Epternacensi templo detraxerat:

Crux S. Willibrordi.

Altaris juvenis, corruptâ mente minister,
Cùm rapuit quadam sancti donaria templi,
Tollitur, ac sævo quadam Crux aurea furto,
Quam Christi famulus secum portare solebat,
Dum pius egit iter, Christo comitante viator,
Reliquias propter multas, quas condit in illa.
Mox tormenta luit sceleris præsumptor iniquus,
Vitio consequitur peccatum justa nefandum;
Et perit infelix crudeli peste peremptus.
Mortis in articulo pandit tamen omnia furta.
Et quò quæ tulerat latuissent omnia, monstrat,
Quo pereunte, tremor crevit cum laudibus ingens
Fratribus & populo, cernentes omnia, Christo,
Quæq; sui servi fuerant, servante, tueri.

Crucis fur punitur.

CXXXI. S. Willibrordi testamentum.

Carolus Scribanius Orig. Antverp. c. 6.

Placuerat Epternacensis Monasterii famæ, & laudatissimæ S. Willibrordi memoriæ, reverendas testamenti tabulas, ut eas Theofridus Abbas, olim literis mandavit, asserere; sed quia munus id occupavit, Originum Antverpiensium scriptor, ex eo & Epternaci iterata encomia, & viri Apostolici Willibrordi piam in posteros providentiam, discas licet. Ipse ibi *Custos vel Gubernator monasterii* amat dici, *& si Christo placet, corpus istic suum jubet requiescere.* Fundorum autem & prædiorum quicquid uspiam piorum munificentia quæsivit, *tradere, atque transfundere* se testatur, *ad illam Casam Dei Epternacum: vel ad illam sanctam Congregationem fratrum ibidem Deo servientium.* Cæterùm Thiofridus, qui Henrico IV. Imperatore vixit, vitam hujus sancti uberiore stylo, ut & varias illustrium hominum donationes Epternacensi monasterio factas, literarum memoriâ prosequutus est.

Epternacû Casa Dei.

Thiofridus Abbas vitæ S. Willibrordi & Epter. rer. scriptor.

CXXXII. S. Willibrordi ætas.

*al. XX.

Sanctum verò ad superos migrâsse scribit, anno DCCXXXIX. Indictione VII. Anno Ordinationis XLVI. Ætatis LXXXI Caroli Ducis * XXVI. VII. Idus Novembris. Ejus Mausoleum ingentibus posthac & omnium excedentibus numerum signis & prodigiis, ait fuisse nobilitatum; atque ante Basilicæ primæ incendium ejus rei indicia superfuisse pro foribus Oratorii suspensa vincula ferrea, quæ per S. Willibrordi merita de pœnitentium corporibus confracta dissilierant, indultâ eis peccatorum veniâ; item compedes, manicas, captivorum insignia, nec non ærumnosorum & languentium bacillos, vehicula, cunas & scabella: denique ceram in diversas membrorum formas effictam, quantum vix fortium boum par aveheret.

S. Willibrordi miracula apud sepulchrum ejus.

Vita S. Willibrordi c. 24.

Et, quia Epternaci longè celeberrimâ famâ panegyris postridie Pentecostæ saltantium choro & agmine supplice hodiéque peragitur, operæ pretium ex eodem Thiofrido ejus moris pandere originem. Testatur enim ipse in adventu Paracliti Spiritûs celeberrimâ Pentecostes hebdomade, non modò ex tota circumquaque vicinia, sed ab universa Galliæ & Germaniæ provincia ritu perpetuo & quasi lege à progenie in progeniem transmissâ, innumerabilem cleri & populi conventum & frequentiam cum oblationibus & Litaniis summa cum devotione Sancti trivisse limina, ob divulgata & enarrata filiis à patribus miracula, quæ ibi in tanta solennitatis lætitia, omni vertentis anni orbitâ revolvente ostensa sunt, ante altare consecratum in septemplicis Pneumatis honore & gloria. Hæc Thiofridus.

Panegyris Epternacensis ad feriam 2. Pentecostæ.

CXXXIII.

Anastasius in Grego. Aimoinus l. 4. c. 57.

Recentiores nonnulli rejiciũt in sequentem.

Carolus à Gregorio Pontifice in Italiam contra Longobardorum injurias invitatus, abscensomnia tranquillat.

Eodem etiam tempore, Pontifex Gregorius obsessus à Luitprando Longobardorum Rege, Carolum, cujus non militaris solùm virtutis, sed Catholicæ quoque pietatis egregiam esse laudem didicerat, ad opem sibi atque affectis Ecclesiæ rebus ferendam, missis legatis, invitavit. Erant ii Anastasius Episcopus, & Sergius presbyter, qui, ut legationem coram, junctis insuper augustissimis muneribus, exposuerunt, summâ Principis gratulatione sunt excepti. Fœdere Carolus cum Ecclesia percusso, legatos extemplo cum sociis remisit, additis item muneribus, quibus Pontificem ornarent, & mandatis, quæ Luitprando super Romano bello darent. Jucundè Luitprando eam legationem, aiunt, accidisse, Carolique precibus, ut Romanâ ditione, quam armis & infesto exercitu premebat, sine maleficio cederet, haud gravatè indulsisse.

CXXXIV.

Res Christiana passim in Germania Bonifacii studio amplificata.

Epist. in vita S. Bonifac. Marian. Ad Cæsar. Bar. de chronologia.

Dup. 1. l. 16. Thiod.

At Gregorius de Evangelii, & Christianæ religionis felicissimo in Germania successu, Bonifacii subinde literis certior factus, ubi, ex arido, & moroso novali Christianæ fidei lætissimum emicuisse germen, & ad centum hominum millia partim assiduo Bonifacii labore, partim ipsius etiam Caroli Principis operâ, ad Christi se cultum convertisse didicit, hâc tam mirificâ gregis accessione, pastor exhilaratus, quarto Kalend. Novembris, imperii Leonis XXIII. literis item Româ in Germaniam missis, eam populorum conversionem Bonifacio, Carolóque gratulatus est, utriusque pietatem honorifico judicio suo collaudans.

CXXXV. ANNUS Chr. 740. Annus rebus variis prosperè gestis lætus.

ANNUS Chr. 741. *Sig. Regino, Marian. Aimoin. l. 4. c. 17. Sigeb. Onuph. C. Baron. To. 9.* Carolus Martellus vitam deserit.

Insequens autem annus DCCXL. ut Marianus observavit, Gothis in Aquitania, pœnè ad gentis internecionem deletis, Saxonibus debellatis, devictis Frisiis, perdomitis & expulsis Saracenis, provincialibus denique receptis, memorabili pace, tametsi non perpetuâ, lætus fuit; quemadmodum & proximus, ut res humanæ sunt, trium potentissimorum Principum morte lugubris; Leonis Imperatoris, Caroli Franciæ proregis, Gregoriique Pontificis. Carolus XI. Kalend. Novemb. Principatus à Vinciacensi victoria initi anno XXV. vitâ cedens, três filios reliquit, Grifonem, Pipinum, Carolomannum; Parisiisque in æde D. Dionysii tumulatus est. Et licet inter initia regnandi, famâ sacri patrimonii liberius contrectati, sit usus ambiguâ, religionis tamen cultæ, & Reipublicæ domi militiæque præclarè gestæ; & ultra Rhenum Danubiumque prolati regni gloriâ, demum evasit celebris.

CXXXVI.

Pipinus deinde pro patre magistratum iniit, Majorque domus salutatus est; sed nec inferior

illi

19. CHILDERICUS AUST. REX an. 10

Pipinus & Carolomānus rerum potiuntur.

Aimoin. lib. 4. c. 57. Otto Frisin. l. 5. c. 20. & Tritthemius.

illi potentiâ, vel viribus Carolomannus; quocum nimirum jus & imperium tanquam cum fratre consorte ex æquo divisit. Theodorico autem Rege vitâ functo, ad vacua sceptra vocatus est Childericus, regno majorum amisso, quàm administrato notior. Hic annum modò Regis nomen gesserat, cùm Pipinus & Carolomannus apud Pictavos, partitis inter se provinciis, novam Reipublicæ faciem dederunt; convenitque, Carolomannus ut Austrasiam, Alemanniam, Thuringiam; Pipinus verò Burgundiam atque Neustriam in Occidente capesseret. Et quanquam non planè constet, quis gerendæ Reipublicæ singulis quibúsque civitatibus ordo, quæve ratio extiterit, non desunt tamen, qui urbes provinciasque per Duces & Comites, ut ævo posteriore, administrâsse, memoriæ mandârunt; ejusmodi autem rectores nihil pro arbitrio, sed autoritate nutúque principum, cuncta gubernâsse.

Austrasiæ politia.

CXXXVII. Austrasiæ loca frequentiora.

Regino. Aimoin. Sigeb. epist. Zachariæ Pontif. & vita S. Bonif.

Porrò nova, tum etiam in Austrasia locorum nomina usurpari cœpta, & veteribus incognita; ut immutatâ sæpè Reipublicæ facie, innovatas quoque voces, & aliter inflexas, haud miretur posteritas. Sed, quæ vel principum habitatione, vel scriptorum monumentis urbes sedésque illustres feruntur, sunt ferè; Maguntiacum, & infra hanc urbem in Rheni conspectu, Palatium Ingelheim; Wormatia apud Vangiones; Aquisvilla, Colonia, Spiratia, quam & Spironem appellabant, apud Nemetes; in Treviris, Anternaha, & castrum Confluentium, * Vasalia, & ipsa Trevirorum Metropolis; nec Attiniacum in Rhemis cis Mosam, & Carboniacum, Amblaviáque in Arduennæ saltu fuerunt obscura. Leodicum verò publicus vicus, Haristalium, & Jupevilla, necnon Sarcinium in Hasbania, quo in loco S. Eucherium Aurelianensem Episcopum nuper exilium tolerâsse, & in S. Trudonis cœnobio finiisse vitam, literis etiam proditur. His contributa, eodem pœnè regionum situ, Tassandria, Tungria; jam verò Tolpiacum & Duria in Menapiis non procul ab Agrippinensi Colonia; apud Mediomatrices autem, Theodonis villa; Noviomagum in Betasiis sive Batua, ut Regino cum hoc ævo dixit; locisque finitimis, Wiltaburgum, quod Ultrajectum hodie, Durestatum: Salmoniacum & Cerisiacum in Belgis. Sed in Elisatio villa Slezistadium, ut chirographo claret antiquo Reginonis, & Strasseburgum, Hattone vel Heddone Pontifice tum nobile. Atque hæc in Austrasia veteri loca, vel præcipuo studio, frequentique cultu terebantur à Regibus.

* Vesalia.

Sigeb. in chro. an. 723.

Eucherius Aurelianeñ. Episcop. in Sarcinio Hasbaniæ vixit exsul. *Sigeb. chron. ad an. 723.*

CXXXVIII. Hatto Strasburgi Episc. qui aliis Heddō ex S. Pyrminii discipulo Abbas Augiæ. *H. Contract. & F. Guilł. Episc. Argent.*

Carolomanni studio, & ope D. Bonifacii Austrasiæ mores formantur.

Vita S. Bonifacii apud Surium & Othol. l. 1. c. 4.

S. Bonifacius Austrasiæ clerum reformat.

Cæterum Carolomannus, cui hæc provincia obtigerat, ne regnum parentis tantâ dimicatione partum, disciplinæ contemptu sensim flueret, & tanquam arcus nervo remisso se solveret in luxum; faciendum sibi putavit, ut legibus adstringeret temperarétque salutaribus; atque in primis Bonifacio autore, fluxos Ecclesiasticorum mores, quibus sanciuntur in publicum exempla, ad normam redigeret sinceræ pietatis. Cùm namque Bonifacius ad eum de corruptis quibusdam clericorum moribus, & frequenti divinarum humanarumque rerum abusu atque inscitia retulisset, curæ suæ atque officii esse ratus, laboranti rei Christianæ, quam posset maturè opem adferre, missis ultro citroque legatis, conventum Episcoporum Maguntiacum advocavit; in quo præter abolitum errorem Clementis & Adelberti, luxumque cleri coërcitum, multa in posterum Ecclesiæ salutaria decreta proposita sunt; atque inter alia, ne qui patratæ cædis crimine teneretur, Episcopus esse posset; neu Sacerdotes vel Diaconi turpi se feminarum consuetudine implicarent; quin & venatione discursúque vago excutere cubilibus feras, & silvestrium ritu oberrare silvas, sed etiam ad aucupii oblectamenta falcones domi nutrire atque accipitres, clericis interdictum.

Synodus Maguñ. ads l. 2. rer. Mogunt. Serar. 21.

Clero aucupia & venationes interdictæ.

CXXXIX Gervilio seu Gevilibus Mogun. Episc. abdicatur.

Epist. 6. c. 19.

Bonifacius Moguntiæ factus Episcopus.

ZACHARIAS PON. an. 10. m. 3. d. 10.

Moguntia fit Metropolis.

Gervilio demum seu Geviliebus Moguntinæ sedis Antistes, quòd patris interfectorem vindex ferro sustulisset, aucupióque & canum alendorum studiis impendio deditus, parum divina curaret, damnatus sententiâ Episcoporum; ejusque in locum Bonifacius, qui Hincmaro teste, annis XXV. sine fixâ certâque seu cardinali sede, populis Germaniæ sacra jura dederat, subrogatus. Bonifacii verò autoritas; quo apud cunctos ejus loci Episcopos, esset sanctior, Pipinus & Carolomannus ad Zachariam, qui tum Pontifex Romæ sedere cœperat, decrevere legationem, quâ peterent, Moguntiacum ad Metropolis evehi dignitatem, eíque complures Germaniæ sedes parere. Legati benignè auditi: postulatis ob illustria Bonifacii adversus Ecclesiam Romanam merita, haud gravatè Pontifex concessit. Sententia diplomatis extat; itáque clauditur: *Autoritate B. Petri Apostoli sancimus, ut supradicta Ecclesia Moguntina, perpetuis temporibus tibi & successoribus tuis in Metropolim sit confirmata, habens sub se has civitates, Tungros, Coloniam, Wormatiam, Spiratiam & * Trajectum, omnes Germaniæ gentes, quas tua fraternitas, per tuam prædicationem Christi lumen agnoscere fecit.* Constitutæ per idem quoque tempus sedes Wirtzeburgi, & Erpheforti, Franciæ Orientalis atque Thuringiæ castris.

Sedes olim Moguntinæ suffragātes.

* Traiectum Hollandiæ al. Tredis.

Wirtzeburgum. Erphefortū.

CXL.

Fuldēse clarissimū monasterium.

Eodem anni cursu, postquam Bonifacius cum aliorum hominum piorum operâ, tum Carolomanni præsertim benignitate subnixus, per Sturmium notæ sanctitatis Abbatem egregium in Buchoniæ saltu, Fuldense monasterium inchoasset, Lullum Presbyterum Romam ad Zachariam amandat, cui hoc negotium datum, ut de cæremoniis ac sacris varia ex pontifice coram sciscitaretur; tum etiam consilio cùm eo communicato, opportuna remedia quæreret tot malis, quibus jam inde à civili discordia, finitimæ Ecclesiæ premebantur: cùm enim homines profani, ac militari ingenio tum pro Episcopis se gerentes, correptis in prædam sacris thesauris Ecclesiæ bona, nulla sacri profanique curâ, fœdè compilarent; Bonifacius jussu Gregorii revocare cunctos ad saniora, & armorum necessitate licentiùs vitam agentibus injicere pœnitentiam, nonnullos etiàm submovere, sed frustra conatus est. Cernens itaque quam parum inde in degeneri clero proficeret, tutiora præferens audacibus, ab eorum se communione secrevit, satiusque putavit intra conscientiæ tranquillitatem se tenere,

Episcopi quales Bonifacio moderante Germaniæ sedes.

Bonifacius cedit iniquitati malorū Episcoporū.

quàm exasperare malos, quos cùm maximè premeret, comprimere tamen non posset.

CXLI. *Zacharia epistola in vita S. Bonifacii.*

Miserat Zacharias in Austrasiam supplementa ad rem Christianam gerendam, viros præstanti religione nonnullos, atque idoneis ad Episcopatus munera gerenda concesserat, veteri instituto, pallia, ornamentum, quo jam inde à nascentis Ecclesiæ primordiis Archiepiscopi à Pontifice Romano honestari solebant; sed vel victi metu proceres, vel dissimulatione ficti in his promovendis, dejiciendisque iis, qui per tyrannidem sacerdotia occupabant, animo esse remisso, & servire tempori, ita ut nihil horum, quæ Pontifex in votis habebat, cederet effectui. Exemplo fuit Abel, Rhemorum civitati à Bonifacio datus Episcopus, à Zacharia Pontifice pallio donatus, qui tamen, ut Adrianus ad Tilpinum rescripsit, ibi manere permissus non est, sed magis contra Deum ejectus; & Rhemensis Ecclesia per multos annos sine Episcopo fuit. Atque ad hoc genus pertinere S. Landeolum, quem monumenta Constantiensis Ecclesiæ Trevirensibus Episcopis accensent; nisi concedamus, non video quò, domesticis alioquin aut fastis, aut annalibus ignotum revocemus. De eo Manlii Appendix, in catalogo Sanctorum Vindonissensis & Constantiensis Diœcesis: *S. Landeolus studiosus Monasterii S. Galli Archiepiscopus Trevirensis, de nobili Suevorum genere ortus, Vindonissa ejusdem fuit hæreditas, in Cappella S. Petri ad sanctum Gallum requiescit.*

Pallii usus.

Abel Rhemensium Episc. à S. Bonifacio datus, sed ejectus. *Flodoard. l. 2. hist. c. 18.*

S. Landeolus dictus Archiepisc. Trevir.

Io. Manlii Chron. Const.

Martyrologia hujus non meminerunt.

CXLII.

Zachariæ Pontificis de Milone Trevirensi sententia.

De Milone interim infessore, Bonifacius hujusmodi à Pontifice rescriptum tulit: *Miloni, ejusq; similibus, qui Ecclesiis Dei plurimum nocent, ut à nefario opere recedat, juxta Apostoli vocem, opportunè & importunè prædica. Si acquieverint admonitionibus tuis, salvabunt animas suas: si verò non obedient, ipsi peribunt obvoluti peccatis suis.* Hæc Zacharias.

Aquitanicũ bellum. *Aimoin l. 4. c. 59 & 60 Regino. Sigeb. Annal. Franc. Pith. edit.*

Interea novi Principes, postquam junctis atque sociatis armis, Aquitaniam unà jam validà irruptione concussissent, limite communis regni, quod ad eam diem simul administrârant, in veteri Pictavio, fixo, ad sua uterque munia, domum reversi sunt. Carolomannus in Austrasiam veniens, ubi Grifonis molitione gentem Alemannicam, sumptis armis, exuisse imperium, & rebellare comperit, Alemanniam iratus, infesto cum exercitu ingressus, ignem, ferrumque cum incolarum atroci clade circumtulit.

Carolomãni & Pipini res gestæ. Alemanni vastantur.

CXLIII. ANNUS CHR. 743. Odilo vel Utilo dux Boiariorum. *Adi M. Velf. Boiar. rer. l. 5.*

Postero autem anno, Dux Boiariorum Odilo, qui Grifonis erat factione ac studiis imbutus, in bellum coortus, Austrasiæ fines infestos habebat. Carolomannus igitur ac Pipinus, adunatis rursum copiis, in hostem profecti, edito apud Lycum amnem prœlio, Odilonem fusum fugatumque, cum exercitu profligârunt. Ab hac pugna victor Carolomannus, in Saxoniam malè pacatam, conversis signis, capto & expugnato Hoscoburgi castello, pacem deditionemque genti extorsit. At vero ut in posterum tempus, Saxone rebelli, & parere nescio, nil usquam fuit mobilius; ita deditionis fructus, Theodorico obsidum nobilissimo fallente fidem, vix anno toto constitit. Quare & insequenti, ambo fratres, majorem contumaci genti vim copiarum adhibentes, Theodoricum captivum factum retraxêre, & obsidis denuò sortem sumere coëgerunt.

Saxones pacati.

ANNUS CHR. 744.

CXLIV. ANNUS CHR. 745. Carolomannus posito diademate monasticen amplectitur. *Alii ad an. 747 Eginhar. &c. Regino, & Bonifacio.*

Proximo inde anno, Carolomannus pulchritudine captus religiosæ vitæ, ac honorum splendorisque publici jam satur, aspernatus rerum humanarum inconstantiam, & vanitatem, ad cœtum alicubi monasticum sese adjungere, & purpuram atque diadema regium, vili mutare indumento constituit, idque meditatum jam ante consilium, per hosce dies Pipino fratri aperuit. Is autem, intellectâ fratris voluntate, ab hujus sæculi nostri ingenio tantum studia sua sejunxit, ut collaudato fratris instituto, totum hunc annum belli solennis expertem, in otio duxerit, dederitque Carolomanni votis ritè explendis. Rebus igitur Austrasiæ ex animi sententia constitutis, Carolomannus ad egregium maximéque laudandum facinus aggressus, cùm jam extructam haberet animo altitudinem excellentiamque monasticæ virtutis, anno sequenti, summis opibus paupertatem, regnique fastigio humile cœnobii tectum antetulit. Posito itaque regno, atque ejus omni curâ in fratrem rejectâ, honestissimo Comitatu sumpto, Romam iter intendit, multisque eximiis ibi muneribus apud Lateranensem ædem D. Petro relictis, posteaquàm à Pontifice initiatus, in monte Soracte, condito sibi monasterio, vivere cœpit, ut assiduis prætereuntium Francorum vidit officiis offici quieti suæ, Cassinum adiit, ac monachus ibi factus, D. Benedicti arctum institutum complexus est.

ANNUS CHR. 746. *746. Regino. & Sigeb. vel 747. Scoto & Paulo Diacono.* Carolomannus Romam proficiscitur.

CXLV. Pipinus Austrasiæ jus adit.

Rediit itaque summa imperii ad Pipinum; Austrasianique jus ab eo deinceps acceperunt. Cæterùm ut Carolomanni in rebus humanis abjiciendis animi celsitudo quædam admiranda enituit, sic, in Grifone fratre haud paulò flagrantior dominandi cupido, insequenti biennio exarsit; cujus ambitione Pipinus ex tranquillo in maximas inde turbas conjectus, cum Saxonum gente varium & multiplex certamen habuit, Grifone in externæ atque barbaræ fidei tutela delitescente, & ad arma concitante Saxones. Inde verò, ut inquietum est malum ambitio, Grifo Saxoniâ ad defectionem pellectâ, non quietus, mox in Boiariam; horum iras atque arma exacuit; illâque provinciâ totâ, Saxonum ope, sub potestatem subjunctâ, ad magnam consilii inopiam Pipinum redegit. Is interim nequidquam contrahens animum, parato cum exercitu mox affuit; primoque ingressu non Boicam modò devictam recuperavit, verùm & ipso, ut apparet, favente Utilone, Boiarios, cum fratre in potestatem jusque suum redegit, & duodecim Grifoni assignatis comitatibus, proficisci, & ire in Neustriam jussit.

Grifonis motus Saxones & Boiarios concitantis. *Annal. Franc. Pith. Aimoin. l. 4. &c.*

ANNUS CHR. 747. 748.

Pipinus Bavariã coërcet armis. *Annal. Franc. teste M. Velser. referuntur ad annum insequ.*

CXLVI. ANNUS CHR. 749. De regni titulis in se transferendis agitat. *Annal. Franc. Eginhard. Aimoin. l. 4. Regin. Marian. Scotus & alii.*

Ubi itaque ad hunc modum in Austrasia debellatum est, Pipinus anno postero, cùm jam Regum inanium omnes fastidium caperet, de ornamentis regni titulisque cooptandis in familiam suam curas animo versare. Merovei namque posteritas, usque eo tum desidiâ luxûque marcida conciderat, ut ex ea stirpe Rex, quasi non jam hominibus, sed saginæ ac inertiæ natus esset, totum fermè annum intra parietes inclusus, velut in umbraculis delitescens, omne negotium secors domi forisque

relegaret

relegaret ad aulæ præfectos. Ipse itaque Rex Kalendis demum Maii in campum Martium plaustro bubus juncto vectus, atque pro tribunali, barbâ submissâ, crinéque profuso sedens, sollemnia, quæ à populis ferebantur, dona suscipiebat, & quæ deinceps eo anno agenda essent, ad procerum voluntatem, populis edicebat. Rege verò ad solitum otium reverso, Majordomus cuncta pro arbitrio gerebat. Hanc, inquam, inertiam non ferendam, rati optimates, populúsque Francorum, Pipino autore, Burchardum Wirtziburgensem Præsulem, & Fulradum Franciæ Archipresbyterum ad Zachariam Pontificem Romam legatos mittunt exploratum, uter ipsi Franciæ sceptro, coronáque dignior videatur, isne, qui delitiis & otio inerti diffluens, nihil neque in consiliis de regni salute capiundis, neque in populorum re tuenda, prosit, an cujus in regno protegendo cura, ac labor assiduus pace bellóque sudet? Quibus Zacharias, omninò satiùs sibi videri respondit, illum & esse dicique Regem, qui pro potestate cuncta in regno gereret, populorúmque propulsandis periculis & regni fortunis exaggerandis, pro virili serviret: rogatúsque ab legatis, sanctionem apostolicam interposuit, quâ regnum Chilperico, ut parùm idoneo adimi, & Francis parendi religione exsolutis, ut Pipinum ejus in locum sufficerent, pro potestate, imperavit.

Aimoin. l. 4. c. 61. Omnium histor. fontes in hac re consensus.

Pipinus à Zacharia Francici regni plenum jus petit. Burchardus Episc. & Fulradus legati.

CXLVII. Pontifex Pipinum regno Franciæ donat. PIPINUS REX AUST. a. 17 vel 18. ANNUS CHR. 750. Annus hic à plerisque script. assignatur aliis 751 vel 752 Chilperico abdicato Pipinus Rex salutatur. ANNUS CHR. 751. *Dnupher. kalend. Mart. Adi Megunt. rer. l. 3. not. 39.* Pipinus cũ Saxone belligerat.

His igitur perlatis in Galliam, Franci, Austrasiique anno, qui ab ortu Christi septingentesimus illuxit quinquagesimus, Chilpericum abdicantes, regalibus ornamentis exuunt, & Pipinum Regem, Pontificis imperio freti, consentientibus omnium studiis ac voluntate, salutant: quem, ubi Suessione Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus ritè consecravit, Chilpericum regno decedere, & amplecti monasterii secessum placuit. Atque ad hunc modum, feliciori propagine insita in Franciæ regnum Pipini soboles; Merovei autem gens velut emortua ab stirpe interiit. Pipinus posthæc, regiis insignibus ac diademate ornatus, ad augendas regni vires, ac potentiam amplificandam, gravia cum Saxonibus, quos acuendæ Francorum industriæ velut cotem habebat, bella suscepit; ex quibus victor reversus, Theodonis villam, quæ, Treviris XXIV. passuum millia distat in Meridiem, hodieque diœcesi subjecta Trevirorum, diem ibi Christo natalem peregit.

CXLVIII. ANNUS CHR. 752. STEPHANUS PON. l. 4. cujus ratio non est habita, quare & seq. STEPHANUS II. vel III. Pôt. dictus fuit, an. 5. d. 28. Pipinus Epternacense monasteriũ ditat.

Zachariæ anno postero, ex hac mortali vita erepto succedit Stephanus secundus, cujus in locum porrò Stephanus alter Diaconus Romæ Pontifex substituitur. At Pipinus, per hosce quoque dies in comprehendendis majorum exemplo regiâ munificentiâ atque liberalitate cœnobitis, documentum satis illustre dedit, tabulis post se relictis, queis Epternacensi florentissimo eo tempore in Treviris, monasterio, donationem suam esse ratam voluit; quas tabulas, cùm ob alias res Annalium memoriâ dignas, tum Bonifacii innocentissimi, ac de Germania nostra optimè meriti Præsulis in hac ornanda Treverica diœcesi planè noscitandam industriam, proponendas, omninò censuimus:

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Pipinus Rex Francorum: notum omnibus fidelibus esse cupio; locum in nostro regno, quem * *Epternachtam vocant, ubi spiritalis ac sanctissimus pater noster Willibrordus hoc tempore, ævi scilicet nostri Pipini & patris Caroli memoria, collatis ei ab his aliisq. viris illustribus in hanc rem prædiis, monasterium exstruxit, atque illatis eo, quas Roma deportarat, Sanctorum reliquiis, honori sanctissimæ Trinitatis, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum dedicavit; ubi quoque monachos inter & ipse monachus, angelicam vitam omniq. sanctitate præditam ducens, plenus virtutibus & insigniis miraculis ante hos paucos annos in pace quievit, & ibidem sepultus, quid apud Deum meritis possit, evidentibus quotidie signis ostendit. Huic, inquam, tam sacro loco strenuissimi viri Bonifacii Archiepiscopi in primis consilio, inde Alberti Abbatis etiam rogatu, Ecclesiam, quæ in Crovia sita, cum omnibus ejus redditibus, decimas etiam partemq. silvæ, quæ Contella dicitur, tradimus atque donamus. Telonio etiam monasterium regno nostro toto laxamus. Datum 3. Nonas Maias ... Anno Incarnat. Domini DCCLII. Indictione V. anno verò D. Pipini Regis III.*

* Afternacum & Esternach-th.

Bonifacius etiam res Trevericas procurat.

Croviæ Ecclesia pervetus apud Mosellam. Contellæ nemus.

CXLIX. ANNUS CHR. 753. Stephanus Pontifex in Franciam venit. *Anastas. biblio. in Steph. aliiq. scriptores hu. hoc.*

Sequenti, ad Pipinum in Franciam, Italia relicta, Stephanus Pontifex venit. Aistulphus namque Longobardorum Rex nuper in locum Rachis germani suffectus, avidus Italiæ sub imperium redigendæ, Græcis Imperatoribus Latium omne jam cum Ecclesia Romana deserentibus, Ravennam invaserat; atque magnam Flaminiæ partem armis subactam, opibus etiam suis adjecerat; inde ipsius Romæ mœnibus cladem ultimam atque omnia hostilia intentans, nî & ipsa Longobardicum imperium acciperet. Stephanum denique Pontificem huc deduxit, ut consilium caperet eundi in Galliam, atque opem à Pipino præstantissimo Rege implorandi, adversus potentiam & vim Longobardicam.

CL. Chrodegandus Metēsis Episcopus.

Pipini in Rom. Pontificem observantia.

ANNUS CHR. 754.

Pipinus itaque de Pontificis ac populi Romani periculo, necnon de Longobardorum insolentia factus certior, Chrodegandum prænobilem tum & excellentem Metensis Ecclesiæ Præsulem, & Autharium Ducem in Italiam misit, qui Stephanum ad iter ineundum invitarent, & omnia suo nomine officia prolixè Pontifici deferrẽt. His itaque invito licet Aistulpho deducentibus, præcipitante jam ad exitum anno, Stephanus in Galliam Pontigonẽ versus, ubi tum Pipinus degebat, processit: quò cùm venit Rex ipse ad tria millia passuum obviam ei profectus, & stratoris munere, frænum equi toto itinere, quo Pontifex vehebatur, manu suâ moderatus, incredibili significatione pietatis, & erga sedem Romanam observantiæ, Stephanum excepit. Rogatusque anno ineunte, à Pipino, ut quando ad tempus in Francia manere certum ei esset, se interim ac filios Carolum & Carolomannum, & uxorem Berthradam, sollemni Ecclesiæ ritu inungeret, tum demum justè se regni gubernacula tractare existimaturum, ubi summi Pontificis assensus, authoritasque sacrosancta, spectabili id cæremoniâ ratum fecisset. Pontifex, ut nullum officii atque benevolentiæ genus in Regem prætermisit, ita neque Rex humanitate vinci se à Pontifice

quàm exasperare malos, quos cùm maximè premeret, comprimere tamen non posset.

CXLI.
Zacharia epistola in vita S. Bonifacii.

Miserat Zacharias in Austrasiam supplementa ad rem Christianam gerendam, viros præstanti religione nonnullos, atque idoneis ad Episcopatus munera gerenda concesserat, veteri instituto, pallia, ornamentum, quo jam inde à nascentis Ecclesiæ primordiis Archiepiscopi à Pontifice Romano honestari solebant;

Pallii usus.

sed vel victi metu proceres, vel dissimulatione ficti in his promovendis, dejiciendisque iis, qui per tyrannidem sacerdotia occupabant, animo esse remisso, & servire tempori, ita ut nihil horum, quæ Pontifex in votis habebat, cederet effectui.

Abel Rhemensium Episc. à S. Bonifacio datus, sed ejectus.
Flodoard. l. 2 hist. c. 18.

Exemplo fuit Abel, Rhemorum civitati à Bonifacio datus Episcopus, à Zacharia Pontifice pallio donatus, qui tamen, ut Adrianus ad Tilpinum rescripsit, ibi manere permissus non est, sed magis contra Deum ejectus; & Rhemensis Ecclesia per multos annos sine Episcopo fuit.

S. Landeolus dictus Archiepisc. Trevir.

Atque ad hoc genus pertinere S. Landeolum, quem monumenta Constantiensis Ecclesiæ Trevirensibus Episcopis accensent; nisi concedamus, non video quò, domesticis alioquin aut fastis, aut annalibus ignotum revocemus.

Iac. Manlii Chron. Const.
Martyrologia hujus non meminerunt.

De eo Manlii Appendix, in catalogo Sanctorum Vindonissensis & Constantiensis Diœcesis: *S. Landeolus studiosus Monasterii S. Galli Archiepiscopus Trevirensis, de nobili Suevorum genere ortus, Vindonissa ejusdem fuit hæreditas, in Cappella S. Petri ad sanctum Gallum requiescit.*

CXLII.
Zachariæ Pontificis de Milone Trevirensi sententia.

De Milone interim insessore, Bonifacius hujusmodi à Pontifice rescriptum tulit: *Miloni, ejusq. similibus, qui Ecclesiis Dei plurimum nocent, ut à nefario opere recedāt; juxta Apostoli vocem, opportunè & importunè prædica. Si acquieverint admonitionibus tuis, salvabunt animas suas: si verò non obedient, ipsi peribunt obvoluti peccatis suis.* Hæc Zacharias.

Aquitanicũ bellum.
Aimoin l. 4. c. 59 & 60 Regino. Sigeb. Annal. Franc. Pith. edit.

Interea novi Principes, postquam junctis atque sociatis armis, Aquitaniam unà jam validà irruptione concussissent, limite communis regni, quod ad eam diem simul administrârant, in veteri Pictavio, fixo, ad sua uterque munia, domum reversi sunt.

Carolomãni & Pipini res gestæ. Alemanni vastantur.

Carolomannus in Austrasiam veniens, ubi Grifonis molitione gentem Alemannicam, sumptis armis, exuisse imperium, & rebellare comperit, Alemanniam iratus, infesto cum exercitu ingressus, ignem, ferrumque cum incolarum atroci clade circumtulit.

CXLIII.
ANNUS CHR. 743.
Odilo vel Utilo dux Boiariorum
Adi M. Velf. Boiar. rer. l. 5.

Postero autem anno, Dux Boiariorum Odilo, qui Grifonis erat factione ac studiis imbutus, in bellum coortus, Austrasiæ fines infestos habebat. Carolomannus igitur ac Pipinus, adunatis rursum copiis, in hostem profecti, edito apud Lycum amnem prœlio; Odilonem fusum fugatumque cum exercitu profligârunt.

Saxones pacati.

Ab hac pugna victor Carolomannus, in Saxoniam malè pacatam, conversis signis, capto & expugnato Hoscoburgi castello, pacem deditionémque genti extorsit. At verò ut in posterum tempus, Saxone rebelli, & parere nescio, nil usquam fuit mobilius; ita deditionis fructus, Theodorico obsidum nobilissimo fallente fidem, vix anno toto constitit.

ANNUS CHR. 744.

Quare & insequenti, ambo fratres, majorem contumaci genti vim copiarum adhibentes, Theodoricum captivum factum retraxêre, & obsidis denuò sortem sumere coëgerunt.

CXLIV.
ANNUS CHR. 745.
Carolomannus posito diademate monasticen amplectitur.
Alii ad an. 747 Eginardus. Regino, & Franc. script.

Proximo inde anno, Carolomannus pulchritudine captus religiosæ vitæ, ac honorum splendorisque publici jam satur, aspernatus rerum humanarum inconstantiam, & vanitatem, ad cœtum alicubi monasticum sese adjungere, & purpuram atque diadema regium, vili mutare indumento constituit, idque meditatum jam ante consilium, per hosce dies Pipino fratri aperuit. Is autem, intellectâ fratris voluntate, ab hujus sæculi nostri ingenio tantum studia sua sejunxit, ut collaudato fratris instituto, totum hunc annum belli solennis expertem, in otio duxerit, dederitque Carolomanni votis ritè explendis.

ANNUS CHR. 746.
746. Regino & Sigeb. vel 747. Scoto & Paulo Diacon.
Carolomannus Romam proficiscitur.

Rebus igitur Austrasiæ ex animi sententia constitutis, Carolomannus ad egregium maximéque laudandum facinus aggressus, cùm jam extructam haberet animo altitudinem excellentiamque monasticæ virtutis, anno sequenti, summis opibus paupertatem, regnique fastigio humile cœnobii tectum antetulit. Posito itaque regno, atque ejus omni curâ in fratrem rejectâ, honestissimo Comitatu sumpto, Romam iter intendit, multisque eximiis ibi muneribus apud Lateranensem ædem D. Petro relictis, posteaquàm à Pontifice initiatus, in monte Soracte, condito sibi monasterio, vivere cœpit, ut assiduis prætereuntium Francorum vidit officiis offici quieti suæ, Cassinum adiit, ac monachus ibi factus, D. Benedicti arctum institutum complexus est.

CXLV.
Pipinus Austrasiæ jus adit.

Rediit itaque summa imperii ad Pipinum; Austrasianique jus ab eo deinceps acceperunt.

Grifonis motus Saxones & Boiarios cõcitantis.
Annal. Franc. Pith. Aimoin. l. 4. c. 61.

Cæterùm ut Carolomanni in rebus humanis abjiciendis animi celsitudo quædam admiranda enituit, sic, in Grifone fratre haud paulò flagrantior dominandi cupido, insequenti biennio exarsit; cujus ambitione Pipinus ex tranquillo in maximas inde turbas conjectus, cum Saxonum gente varium & multiplex certamen habuit, Grifone in externæ atque barbaræ fidei tutela delitescente, & ad arma concitante Saxones.

ANNUS CHR. 747. 748.

Inde verò, ut inquietum est malum ambitio, Grifo Saxoniâ ad defectionem pellectâ, non quietus, mox in Boiariam; horum iras atque arma exacuit; illâque provinciâ totâ, Saxonum ope, sub potestatem subjunctâ, ad magnam consilii inopiam Pipinum redegit.

Pipinus Bavariã coërcet armis.
Annal. Franc. cum M. Velser. referunt ad annum insequ.

Is interim nequidquam contrahens animum, parato cum exercitu mox affuit; primoque ingressu non Boicam modò devictam recuperavit, verùm & ipso, ut apparet, favente Utilone, Boiarios, cum fratre in potestatem jusque suum redegit, & duodecim Grifoni assignatis comitatibus, proficisci, & ire in Neustriam jussit.

CXLVI.
ANNUS CHR. 749.
De regni titulis in se transferendis agitat.
Annal. Franc. cit. Eginhartus. Aimoin. l. 4. Regin. Marian. Scotus & alii.

Ubi itaque ad hunc modum in Austrasia debellatum est, Pipinus anno postero, cùm jam Regum inanium omnes fastidium caperet, de ornamentis regni titulisque cooptandis in familiam suam curas animo versare. Merovei namque posteritas, usque eo tum desidiâ luxúque marcida conciderat, ut ex ea stirpe Rex, quasi non jam hominibus, sed saginæ ac inertiæ natus esset, totum fermè annum intra parietes inclusus, velut in umbraculis delitescens, omne negotium socors domi forisque

relegaret ad aulæ præfectos. Ipse itaque Rex Kalendis demum Maii in campum Martium plaustro bubus juncto vectus, atque pro tribunali, barbâ submissâ, crinéque profuso sedens, sollemnia, quæ à populis ferebantur, dona suscipiebat, & quæ deinceps eo anno agenda essent, ad procerum voluntatem, populis edicebat. Rege verò ad solitum otium reverso, Majordomus cuncta pro arbitrio gerebat. Hanc, inquam, inertiam non ferendam, rati optimates, populúsque Francorum, Pipino autore, Burchardum Wirtziburgensem Præsulem, & Fulradum Franciæ Archipresbyterum ad Zachariam Pontificem Romam legatos mittunt exploratum, uter ipsi Franciæ sceptro, coronáque dignior videatur, isne, qui delitiis & otio inerti diffluens, nihil neque in consiliis de regni salute capiundis, neque in populorum re tuenda, prosit, an cujus in regno protegendo cura, ac labor assiduus pace bellóque sudet? Quibus Zacharias, omninò satiùs sibi videri respondit, illum & esse dicique Regem, qui pro potestate cuncta in regno gereret, populorúmque propulsandis periculis & regni fortunis exaggerandis, pro virili serviret: rogatúsque ab legatis, sanctionem apostolitam interposuit, quâ regnum Chilperico, ut parùm idoneo adimi, & Francis parendi religione exsolutis, ut Pipinum ejus in locum sufficerent, pro potestate, imperavit.

Aimoin. l. 4. c. 61. Omnium histor. scriptores in hac re consensus.

Pipinus à Zacharia Francici regni plenum jus petit. Burchardus Episc. & Fulradus legati.

CXLVII. Pontifex Pipinum regno Franciæ donat. PIPINUS REX AUST. a. 17 vel 18. ANNUS CHR. 750. Annus hic à plerisque script. assignatur alii 751 vel 752. Chilperico abdicato Pipinus Rex salutatur. ANNUS CHR. 751. Ompho. kalid. Mai. Adi Mogunt. rer. l. 3. not. 39. Pipinus cũ Saxone belligerat.

His igitur perlatis in Galliam, Franci, Austrasiique anno, qui ab ortu Christi septingentesimus illuxit quinquagesimus, Chilpericum abdicantes, regalibus ornamentis exuunt, & Pipinum Regem, Pontificis imperio freti, consentientibus omnium studiis ac voluntate, salutant: quem, ubi Suessione Bonifacius Moguntinus Archiepiscopus ritè consecravit, Chilpericum regno decedere, & amplecti monasterii secessium placuit. Atque ad hunc modum, feliciori propagine insita in Franciæ regnum Pipini soboles; Merovei autem gens velut emortua ab stirpe interiit. Pipinus posthæc, regiis insignibus ac diademate ornatus, ad augendas regni vires, ac potentiam amplificandam, gravia cum Saxonibus, quos acuendæ Francorum industriæ velut cotem habebat, bella suscepit; ex quibus victor reversus, Theodonis villam, quæ Treviris XXIV. passuum millia distat in Meridiem, hodieque diœcesi subjecta Trevirorum, diem ibi Christo natalem peregit.

CXLVIII. ANNUS CHR. 752. STEPHANUS PON. d. 4. cujus ratio non est habita, quare & seq. STEPHANUS II. vel III. Pôt. dictus fuit, an. 5. d. 28. Pipinus Epternacense monasteriũ ditat.

Zachariæ anno postero, ex hac mortali vita erepto succedit Stephanus secundus, cujus in locum porrò Stephanus alter Diaconus Romæ Pontifex substituitur. At Pipinus, per hosce quoque dies in comprehendendis majorum exemplo regiâ munificentiâ atque liberalitate cœnobitis, documentum satis illustre dedit, tabulis post se relictis, queis Epternacensi florentissimo eo tempore in Treviris, monasterio, donationem suam esse ratam voluit; quas tabulas, cùm ob alias res Annalium memoriâ dignas, tum Bonifacii innocentissimi, ac de Germania nostra optimè meriti Præsulis in hac ornanda Treverica diœcesi planè noscitandam industriam, proponendas, omninò censuimus:

*IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Pipinus Rex Francorum: notum omnibus fidelibus esse cupio; locum in nostro regno, quem * Epternachtam vocant, ubi spiritalis ac sanctissimus pater noster Willibrordus hoc tempore, ævi scilicet nostri Pipini & patris Caroli memoria, collatis ei ab his aliisq; viris illustribus in hanc rem prædiis, monasterium exstruxit, atque illatis eo, quas Roma deportarat, Sanctorum reliquiis, honori sanctissimæ Trinitatis, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum dedicavit; ubi quoque monachos inter & ipse monachus, angelicam vitam omniq; sanctitate præditam ducens, plenus virtutibus & insignis miraculis ante hos paucos annos in pace quievit, & ibidem sepultus, quid apud Deum meritis possit, evidentibus quotidie signis ostendit. huic, inquam, tam sacro loco strenuissimi viri Bonifacii Archiepiscopi in primis consilio, inde Alberti Abbatis etiam rogatu, Ecclesiam, quæ in Crovia sita, cum omnibus ejus redditibus, *decimas etiam partemq; silvæ, quæ Contella dicitur, tradimus atque donamus. Telonio etiam monasterium regno nostro toto laxamus. Datum 3. Nonas Maias... Anno Incarnat. Domini DCCLII. Indictione V. anno verò D. Pipini Regis III.*

*Aftemacum & Eftemachta.

Bonifacius etiam res Trevericas procurat.

Croviæ Ecclesia pervetus apud Mosellam. Contellæ nemus.

CXLIX. ANNUS CHR. 753. Stephanus Pontifex in Franciam venit. Anastas. biblio. in Steph. alii q; scriptores hoc.

Sequenti, ad Pipinum in Franciam, Italia relicta, Stephanus Pontifex venit. Aistulphus namque Longobardorum Rex nuper in locum Rachis germani suffectus, avidus Italiæ sub imperium redigendæ, Græcis Imperatoribus Latium omne jam cum Ecclesia Romana deserentibus, Ravennam invaserat; atque magnam Flaminiæ partem armis subactam, opibus etiam suis adjecerat; inde ipsius Romæ mœnibus cladem ultimam atque omnia hostilia intentans, nî & ipsa Longobardicum imperium acciperet. Stephanum denique Pontificem huc deduxit, ut consilium caperet eundi in Galliam, atque opem à Pipino præstantissimo Rege implorandi, adversus potentiam & vim Longobardicam.

CL. Chrodegandus Metésis Episcopus.

Pipinus itaque de Pontificis ac populi Romani periculo, necnon de Longobardorum insolentia factus certior, Chrodegandum prænobilem tum & excellentem Metensis Ecclesiæ Præsulem, & Autharium Ducem in Italiam misit, qui Stephanum ad iter ineundum invitarent, & omnia suo nomine officia prolixè Pontifici deferrét. His itaque invito licet Aistulpho deducentibus, præcipitante jam ad exitum anno, Stephanus in Galliam Pontigonê versus, ubi tum Pipinus degebat, processit: quò cùm venit Rex ipse ad tria millia passuum obviam ei profectus, & stratoris munere, frænum equi toto itinere, quo Pontifex vehebatur, manu suâ moderatus, incredibili significatione pietatis, & erga sedem Romanam observantiæ, Stephanum excepit. Rogatusque anno ineunte, à Pipino, ut quando ad tempus in Francia manere certum ei esset, se interim ac filios Carolum & Carolomannum, & uxorem Berthradam, sollemni Ecclesiæ ritu inungeret, tum demum justè se regni gubernacula tractare existimaturum, ubi summi Pontificis assensus, authoritasque sacrosancta, spectabili id cæremoniâ ratum fecisset. Pontifex, ut nullum officii atque benevolentiæ genus in Regem prætermisit, ita neque Rex humanitate vinci se à Pontifice

Pipini in Rom. Pontificem observantia.

ANNUS CHR. 754.

passus; caussaque B. Petri & Reip. Romanæ adversus Longobardi potentiam susceptâ, armis Aistulphum ad ea, quæ Ecclesiæ ademisset, restituenda, se coacturum promisit.

CLI. Pôtifex Parisiis Pipinum filiosque Reges inungit.

Interea Pontifex gravem in morbum ac periculosum incidit, ex quo simul recreatus est, Parisiis in templo B. Dionysii, celebri pompâ oleo sacrato Pipinum, & Carolum ac Carolomannum filios, conjugemque perfudit, sacramento simul illigans circumfusos Francorum proceres, ne quando ad alios, quàm superstitem ipsorum progeniem, regni culmina præcipitarent. hanc quippe Dei nutu accersitam ad Catholicæ Ecclesiæ vindicandam à contemptu autoritatem; summique pastoris arbitrio, manuque inauguratam. Universâ interim, quæ astabat multitudine, congratulante, atque ad tam inusitati spectaculi voluptatem sese erigente.

CLII. Ber. 1. Mart. S. Swiberti approbatio sanctitatis. Bonifacio & Hildulpho commendata. S. Hildulphus Miloni adsistit.

Cæterùm quod in S. Ludgeri Monasteriensis Episcopi quadam epistola legitur, quo tempore Pontifex apud Parisios æger jacuit. Pipinum ob famam rerum mirabiliter gestarum, cupiisse Swibertum Werdensem Episcopum, Sanctorum adscribi numero; ejus, constat, muneris curam Stephanum inde ad Bonifacium Moguntinum, & Hildulphum Trevirorum Archiepiscopos, præcipuè relegâsse, ut Hildulphum suppetias tunc Miloni tulisse, vel Pontificiam functionem administrâsse, probabilis vel inde conjectura fiat.

CLIII. Pipini in Italiam expeditio.

At Pipinus posthæc, quàm maximis potuit toto regno copiis armatis, eas cœpit trans Alpes portare, dejectóque primùm ex alpibus Longobardorum præsidio, in ipsas dein nascentis Italiæ fauces signa convertere: porrò nemine resistente, cuncta circumquaque loca fugâ ac terrore complens, tandem ad pacis consilia Aistulphum Papiæ inclusum adduxit; acceptisque obsidibus, re prosperè gestâ, reversus est.

CLIV. S. Bonifacius martyrio coronatur in Frisia. ANNUS CHR. 755.

Sub idem tempus S. Bonifacius, cùm infatigabilem spiritum pro Christi nomine in Frisonum salutem prodigere non dubitat, postquam illorum mentes multiplici captas errore, Evangelii luce circumdedit, & plurimis expeditam ad cœlum viam patefecit; demum anno sequenti DCCLV. in territorio Frisonum Ostrache, vico Doccomio, impiorum scelere, cum suis circumventus, Non. Junii, quod dudum optabat, sacrum in martyrio sanguinem fundit. Vir cùm propter eximium ac gloriosum hoc obitum pro Christo certamen, tum maximè ob singulare ejus in universam Germaniam Ecclesiámque Trevirorum studium, immortali memoriâ venerandus.

S. Lullus Bonifacii successor.

Sublectus illi apud Moguntiam, quem Pipino favente in vita destinaverat, Lullus, cujus beneficentiam Treviri religionémque magnis quoque rebus sunt experti.

CLV. Pipinus iterum in Italiam rem gerit. Anast. in Stephano & litera ipsius Stephani apud C. Bar.

Pipinus inter hæc Stephani rursum ultimis deprecationibus excitus, trajiciens Alpes Aistulphum fidei ac pactorum immemorem, direque Romanum in agrum sævientem, ad eam rerum suarum desperationem compulit, ut Exarchatu & Pentapoli, quæ loca vi S. Petro extorserat, in manus ejus traditis, oratores de pace mitteret, fœdúsque datis obsidibus, ac jurejurando, confirmaret. Pipinus verò compos voti, Exarchatum & Pentapolim, quod sanctè promiserat, B. Petro & successoribus ejus, perpetuum possidenda tradidit.

CLVI. ANNUS CHR. 756. Organum raræ artis donatum Pipino.

Inde, in Franciam rediens, anno postero, à Constantino Græco Imperatore, amplissimâ legatione cultus, & novo musici instrumenti genere donatus est; quod, quia dispositis in ordinem aptè fistulis tibiisve, multiplices canendi sonos efficit, ministrantibus animam follibus variè temperatam, organum appellant puta pneumaticum cultui divino in templis vulgò jam adhiberi solitum.

ANNUS CHR. 757. 758. PAULUS PON. a. 10. m. 1. Milonis Episcopi interitus & sepultura. Erangium vicus ad Gelbim.

Eodem temporum tractu, Paulo jam ad Romani Pontificatûs fastigium evecto, Milo Trevirensis, dum studio venationis intentus, feram incautiùs persequitur, apri fulmineo dentis ictu percussus, interiit, passuum ab urbe quatuor millia, non procul à vico Erangio ad Gelbis ripam; metuendo sanè posteris Episcopatûs perperam gesti exemplo. Vigilâsse ad pœnam, Numinis oculum, ac, ubi cœlestibus humana præferuntur, quæsiisse piaculum iræ dicerem, nisi pium hunc magis, quàm utilem Milonis memoriæ affectum, sentirem: cui alioqui satis odiosum reor, quod celebre nomen saltui, in quo occubuit, ab hoc eventu dedisse volunt, vulgóque Milowaldt ceu Milonis silvam dicas, perpetuo casûs vestigio tam atrocis, nuncupari. Sepultum ferunt Erangio vico ad ingressum saltûs haud procul Palatiolo.

Milowaldt

CLVII. Dei providentia in cõservanda Trev. Ecclesia sub discolo Præsule.

Memorabilis in hanc sedem cœlestis indulgentiæ posteri teneant exemplum, cùm in tanta, tamque diuturna fluctuatione gubernaculi, à Deo Opt. Max. sapienter, magnóque bono publico provisum, ut aliunde peritissimi gubernatores, Willibrordus, Bonifacius, Hildulphus, ceu de cœlo missi subvenirent; nec eorum officia æquè necessaria ac oportuna, Milo recusaret.

HILDOLPHUS 32. ARCHIEP. 58. EPISC. MS. S. Maximini.

Cæterùm post Milonem ad Episcopatûs honorem, sed successu longè feliciore quidem, ascendit HILDOLPHUS; quod e, quàm potero verissimè ex scripto manu codice, qui reperiri potuit omnium antiquissimo, haud parum secus, quàm adhuc vulgo proditum, narrare aggredior. Fuit Hildolphus claro ortus * Noricorum, seu Boiorum genere; non Scotico vel Nervio, ut visum recentioribus; fratremque habuit Ehrardum, quem alii Eberarhdum dicunt & Arionardum, ambo in pueritia Ratisbonæ præclaro D. Emmerani Martyris monasterio instituti; ibique cum in adolescentia egregia dant maturescentis virtûtis argumenta, totóque pectore arripiunt artes honestas, omnium mox in se oculos atque studia convertêre. hinc uterque in cleri ordinem cooptatus, nec exiguam sustinebat expectationem vitæ morúmque probitatis. De Hildulpho certè ejus vitæ scriptor: *Vir erat nobilitate generosus, religione præcipuus, consilio cautus, operibus famosus.* Et alibi: *Scientiâ eruditus, linguâ urbanus, vitâ Deo placitâ, hominibus approbatâ.*

* Nerviorum mendosè pro Noricorum.

B. Hildolphi educatio & præclaræ dotes.

CLVIII. B. Hildolphi ad Trev. sedem ineundam adjumenta.

Ac tum quidem Trevirorum sedes Milonis obitu vacua: quare, cùm sedulò disquirere ac circumspicere incipiunt Treviri, cui meliori viro Ecclesiam suam credant, tam fœdâ hactenus tempestatis procellâ, sub imperito, ne dicam pravo gubernatore jactatam, placuit,

Pipinum

Pipinum tota de re facere certiorem. Clara virtutis & innocentiæ apud Treviros Hildulphi jam tum erat opinio, usuque cognoverant, cùm in Treviris munus pro Milone gereret, consummatæ sacerdotem virtutis, ac super generis splendorem excellere studiis sacrarum literarum, atque eloquentiæ. Quod in caussa fuit; ut Pipinus, qui Ecclesiæ Trevirorum inprimis cupiebat, maturaret comitia, & accersitum ad se Reginesburgo, & quod vetus scriptor ait, ab Histria, Hildolphum, Treviris in solio collocandum, populi clerique nutu, curaret. Et verò, autoritate Pipini, & spectatâ populi Trevirensis pietate, Hildolphus ab eremo, quam mente jam dudum agitârat, abstractus est; usque eò vir hic ambitionis atque honoris caussas procul habebat. Nec deest ratio, cur in publico alicubi deprehensum conventu suspicemur abreptum. Nam in ejus legitur actis: *Fit conventus totius regni, accurrunt Principes cum Episcopis, cœtus clericorum monachorumq; tum populorum turbis; una omnium acclamatio. Hildulphum esse honore Episcopali dignissimum: cùm vir Dei è diverso se omninò reclamaret indignum.*

Ratisbonâ à Pipino Trevirim accersitur. *Histria, Danubii tractus.*

Exordia Pōtificatus B. Hildulphi.

CLIX

Summis itaque omnium votis, faustisque acclamationibus Trevirorum Antistes salutatus, nihil antiquius habuit, quàm collapsa sacrarum ædium tecta sarcire; sed & in clero, si quid rectoris lubrici ductu à semita prisca in devium abiisset, id reducere, & ad tutiora morum inflectere. Memoriam etiam D. Maximini, tum crebris editis signis ubique celebrem, reficere, locúmque, seu ævo, seu injuriâ tempestatis deformem, novis substructionibus excolere aggressus est. Id ut faceret, hortabatur aquarum illuvies, quæ usque ad cryptam Sancti defluens, atque in pavimento ad cubiti staturam restagnans, introeuntes quidem arcebat, sed miro intuentium stupore, undis in latera se dividentibus, sepulchrum, ceu parietibus undique cinctum, linquebat in arido.

B. Maximini cœnobiū novis operibus variè exornat. *MS. & acta S. Maxim.*

S Maximini sepulchrum mirè ab inūdatione cōservatum.

CLX.

* *MS.* Chorepiscopis.

Convocatis igitur è propinquo * Episcopis, Clemente atque Cudtberto, re maturè cùm iis deliberatâ, statuit tandem, ex oratorio veteri in alium transferre locum, sacra D. Maximini ossa, marmori ac cupressinæ tumbæ inclusa. Interea ponè D. Hilarii cellam, ædem S. Joannis Evangelistæ nomini sacram, Pontifex à fundamentis novam maximis impensis exsuscitat; huc, simul maturum fuit, celebri pompâ cùm D. Maximini, tum trecentorum Martyrum Thebææ legionis, queis Bonifacius olim Dux militiæ fuerat, venerandas reliquias infert; atque eas sepulturâ cum Agricio, Nicetióque communi afficit.

B. Maximini & SS. Thebæorū translatio.

Sed non contentus his operibus exornâsse locum, insuper monasterium recenti ac eleganti structurâ, frequentiâ Monachorum, atque opulentissimis tum ex suo, tum D. Petri peculio datis fundis, ad insignem amplitudinis gradum perduxit; idque adeò præter antiquissima ejus vitæ monumenta, corroborant literæ, anno MCXLVI. pridie Non. Junii à Conrado Romanorum Rege Alberoni Episcopo, ea de re datæ. Ad hæc revocatâ veteri Monachorum disciplinâ, centum instituit numero cœnobitas; voluitque penes Antistitem Trevirorum loci jus esse & arbitrium.

Idē cœnobium quà fundis, quà disciplinâ reparat.

M. SS. Maximini & Trev. gesta.

CLXI.

His rebus ita constitutis, incredibile memoratu, quantum inde locus is efflorescente in dies habitatorum pietate, cœlestibus cœperit prodigiis illustrari, hominibus opis atque sanitatis caussâ, ad D. Maximini præsidium ultrò citróque commeantibus. Atque adeò ipso Pipino clericum suum quendam, cui Brunco nomen, à malo dæmone obsessum per Hellarium Archidiaconum ad D. Maximini tumulum jusso perduci, cœlestem hunc Divi favorem experiri, cupido fuit. Obierat clericus is varias, sed incassum, Divorum memorias; igitur, ut bonæ spei fideique plenus, hujus cryptæ limina tetigit; ilicò versipelli fugato spiritu, cuncta tristia facessivêre.

S. Maximini memorię celebritas. Pipini religio erga memoriam Sanctorum. Brunco Pipini clericus à dæmone liberatus Varia miracula patrat S. Maxim.

CLXII.

Ericus Alemannus S. Maximini ope à maligno spiritu vindicatus. *De illo in Propaþasceve Trevir. antiq.*

Altior jam Pipino cura venerat, cùm Ericum Alemannum genere illustrem virum, cujus memoriâ nostrâ titulus sepulchralis erutus, eodem item malo conflictatum, ad fida ejusdem memoriæ patrocinia amandavit; qui, ut catenis, quibus erat vinctus, se aliquoties exemit, tandem sacrâ hostiâ ad Deum pro afflicto homine cum supplice prece, missâ, D. Maximino patrocinante, ab infesto spiritu liber, pristinam quietem adeptus se suáque S. Maximino lubens meritò consecravit.

CLXIII.

Cunibertus Pipini nepos.

Post hæc, Cuniberto quoque Pipini Regis ex filia nepoti, dum à dæmone affligitur, multorum alibi nequidquam solicitatis auxiliis, denique S. Maximini ope abacto dæmone, prior incolumitas rediit. Sed ne quis pellendi modò dæmonis Divo Maximino virtutem affuisse crederet, opportuna atque cœlestia quoque navigantibus subsidia præbuit, terrâ maríque venerationem multiplicans, Ibbo natione Frisius, laudatâ illorum temporum consuetudine, se D. Maximino religionis ergo sacraverat. Porrò in rei familiaris procuratione ac tutela, ubi is mare ingressus est, inter navigandum vi subitæ tempestatis, naves omninò sex, quibus vehebatur, usque eo quassatæ fluctibus, ut compagibus solutis, fusisque armamentis, carinæ simul fatiscerent. Salutis spes jam in humanis nulla supererat. Quod igitur reliquum, Ibbo salubri celeusmate nautas hortatur, ardenti cum prece D. Maximinum, cujus ille caussâ profundo se salo credidisset, in vota vocarent. Nec mora, procul videt hominem sydereum, ceu solis splendore perfusum, siccis vestigiis calcare pelagus; qui, ut accedens propiùs, bono naufragos animo esse jussit, subitò disparens, malaciam ac summam illis tranquillitatem reliquit; ac denique incolumes ad portum optatum perduxit. Hæc sunt, quæ hoc ævo memoratu digna de S. Maximini virtutibus, Lupus Episcopus memoriæ mandavit.

B. Maximinus naufragis opem fert.

Ibbo Frisius mari S. Maximinum experitur auxiliarem.

Acta S. Maximini.

CLXIV.

Pipini sollenne bellū cū Saxone.

Crebra deinde adversus Saxones Pipinus prœlia secundo eventu fecit; multisque ex ea gente bello domitis ac devictis, trecenos annuè caballos tributi loco imperavit.

ANNUS CHR. 760. Prumiense monasteriū à Pipino conditur. Wandelbertus ejus tēporis cœnobita Prumieñ. in vita S. Goaris.

Anno autem à Christo nascente sexagesimo supra septingentesimum, ad evehendam Christi religionem, Trevirorumque diœcesim ornandam, sanctæ atque excellentissimæ conjugis Bertradæ rogatu, monasterium operis magnifici regiis impensis; triginta quinque circiter passuum millibus à Metropoli, versus Septemtrionem, Arduennæ vel Eifliæ tractu apud Proneam rivum, Ausonio poëtæ cogni-

tum, irriguo atque amœno loco, construxit. Id jam inde, inflexa nonnihil voce, Prumiense monasterium dici, claráque nobilissimorum hominum tum eruditione, tum fervidæ B. Benedicti disciplinæ famâ, præcellentium illustrari cœpit. Ut verò religionis hic fundamenta Pipinus jaceret altiùs, præfectum monachis dare placuit Assuerum, virum absolutæ virtutis laudibus abundantem; qui ejus loci cœnobitis, annis omnino XLV. miris sanctimoniæ præluxit exemplis. Atque idem tum eo nomine apud Pipinum eam venerationem, paríque gratia junctam autoritatis vim obtinebat, ut non gravissimis modò consiliis arbitrum sæpenumero adscisceret, sed quacunque ipsi terrarum iter per regnum Austrasiæ Franciæque foret, accipiendi è regio fisco, quos vellet commeatus, perliberalis ei à Rege copia fieret.

Assuerus primus Abbas Prumiensis.

ANNUS Chr. 761.

ANNUS Chr. 762.

CLXX. ANNUS Chr. 763. S. Goaris cella quemadmodum Prumiensi cœtui tandem donata.

Fortè per id tempus Assuerus in Vangionum fines, incertum qua de caussâ, cogitans, dum oram Rheni legit, in S. Goaris ædem incidit, quam supra Bodobrigam passuum millia novem, in fluminis ripa, locatam, diximus. Erat tum locus is in tutela regia; clericique, qui ibidem morabantur, hospitalitati ex D. Goaris instituto, dabant operam. Sed Herpingus, qui loco præerat, parùm comiter Assuerum exceperat; atque adeò poscenti annonæ nihil præbuerat. Factum id parùm humanum, Reipublicæ magis, quam suâ causâ, animum Assueri pupugerat. Sed nubem hanc molestiæ ad reditum usque dissimulans, Pipino postea coram exposuit, iniquum esse dictitans, eo præsertim loco hospitalitatis jura violari, omnémque Christianæ caritatis laudem obsolescere, quem olim locum S. Goar, cum virtutibus aliis eximiis, tum velut miraculis quibusdam hospitalitatis, illustrasset. Ad hæc, Rex benignè operam suam pollicitus, facturum se brevi respondet, ut simul tempus atque occasio faverent, hæc in integrum omnia restitueret; atque ita tum Assuerum spem præsenti beneficio mox superaturus, ab se dimisit.

CLXXI. Chrodegãdi vel Chrodegangi Metẽsis Episcopi elogium
MS. Metens. Ecclesiæ Vener. Beda Martyrol. ad prid. Id. Iunii. Paul. Diac. in S. Clemente.

Chrodegandus vel Chrodegangus per hosce dies Metensis Episcopus & magnus in Austrasia rebus gerendis & Ecclesiastico cultu monasterisque liberalitatis inito secum ipso quodam certamine, mirabiliter amplificandis ornandísque, præclarum Metropoli suæ decus addidit, noménque in Ecclesia Metensi propter meritorum amplitudinem, reliquit immortali laude dignissimum. Quo majore studio fuit adnitendum, ne tanta virtus diutiùs in tenebris jaceret. Et exteris quidem hujus vix cognitum observo nomen, etsi Anastasius bibliothecarius, in Stephano, *sanctissimum eum Episcopum*, distorto nomine tamen salutet. Fluebat hujus sæculi annus sexagesimus quartus, cum Chrodegandus ob Ecclesiæ suæ negotia apud Paulum Pontificem Romæ degens monasteriis templisque partim à Sigibaldo decessore inchoatis, partim ab se & inceptis & ad fastigium jam perductis, nova sacrorum pignorum præsidia atque ornamenta comparabat. Pontifex verò Paulus, & pro Chrodegandi summa tum in Ecclesiam Romanam voluntate, & rei Catholicæ toto Austrasiæ regno propagandæ flagranti studio, ipsius religioni liberaliter indulgendum, nihilque adeò sanctissimis desideriis Episcopi abnuendum, putavit. Ergò, quod neque Bedæ monumentis siletur, anno postero lectissima Martyrum corpora tradens, in Gallias ea transportanda dedit, Gorgonii videlicet, Naboris, & Nazarii. De Gorgonio publicis fastorum Ecclesiæ monumentis proditum, honores amplissimos apud Diocletianum Augustum cum sociis adeptum, postquam persecutoris tyrannidem detestatus est, Nicomediæ ipso præsente tyranno jussum appendi, & flagris toto corpore laniari; mox visceribus cute nudatis, aceto & sale perfundi; sicque torreri in craticula; atque ad extremum laqueo finiisse vitam. Nabor autem & Nazarius ejusdem Diocletiani milites, Romæ, viâ Aureliâ, sub Aurelio præfecto ob Christiani nominis confessionem detrusi in carcerem, & scorpionibus lacerati, ad extremum capite cæsi. Hæc itaque corpora sanctorum martyrum Chrodegandus, quâ par fuit religione in Mediomatricos traducens, quò nimirum sanctimoniæ fructus latiùs pertineret, sic ea distribuit, ut B. Gorgonium cœnobio suo Gorziæ conderet, quod ad hanc memoriam usque nostram in Lotharingia inclytum famâ stetit. In Hilariaco autem monasterio Novæcellæ, quod Sigibaldus inchoarat, S. Naborem sepulturâ religiosissimi cultus affecit. Nazarium denique transtulit in Germaniam in monasterium* Loraszam, quod nuper beato Stephano Metensi conditores in Vangionum ditione voverant.

ANNUS Chr. 764.
Sig. in Chron. ad hunc an.

Chrodegandus Romæ degens, corpora Sãctorũ auferẽda cõquirit, in Austrasiã.

ANNUS Chr. 765.
Beda prid. Id. Iunii annum hunc exprimit, at Sigeb. habet in superiore. Martyrol. Bedæ & Rom. ac Usuardi 9. Septemb. Euseb. hist. Eccl. l. 8. c. 5. & 6. Niceph. l. 7. c. 2. & 5.

CLXXII. SS. Gorgon & Nabor ac Nazarius in Austrasiam Roma transferuntur.
Paul. Diac. in S. Clemente. Martyrol. Rom. Iunii 12. Vide Sigebertum.

Gorzia cœnobium Lotharing.

Hilariacum sive Nova cella jam S. Naboris oppidum.

* recentiore voce dictum Lorisheim, quod veteres vocant Lorsch vel Laurissam.

Etenim *Chillismundis vidua Ruperti, & Crangor filius Rhenensis pagi Comites in insula quadam, feraci regione loci, & famosissimi nominis olim futura, haud procul Wormatia Laurissam sedem religionis exstruxerant, auctamque fundis & opibus obtulerant Protomartyri Stephano. Porrò Chrodegandus eorum tam piam promptámque beneficentiam S. Nazarii illato pignore, compensavit, ut qui clerum Metensem in B. Stephano venerati facultatibus auxerant, pro horum salute cleri vota ac Nazarii patrocinium excubarent.

*Chilismund. Crango.

CLXXIII. Monasteriũ S. Petri PP. Benedictin. in pago Mosellensi.
Paul. Diac. in S. Chrodeg. MS. Codices Eccl. Metens. Sigeb. Chron. an. 758.

Condidit adhæc S. Petri Apostolorum Principis honori monasterium S. Benedicti in pago Mosellensi ac Prætorio S. Stephani, & opimâ possessione fundorum amplificavit. Cæterùm Chrodegandus his pietatis operibus perfunctus, à Sigeberto hoc eodem anno hominem exuisse proditur. Obiit certè pridie Nonas Martii, sepultus in Gorziensi monasterio, quod ad insignem ipse amplitudinem, novâ additâ structurâ atque liberalitate, ex humili tenuique nuper evexerat. Nobilitate Chrodegandus facilè fuit in Austrasia princeps: Hispaniæ namque pago genitus, clarissimo ac regio satu, patrem habuit * Sigrannum, matrem * Landradam Pipini Regis excellentissimi sororem; atque ita materno genere Carolum Martellum avum ciebat; cujus in Palatio à puero enutritus, claritudine virtutum, & animi vigore, præstantiáque, Referendarii munus adeptus erat. Per hunc verò magistratum, ut Cassiodorus scriptum fecit, tum principi caussarum ordines exponebantur, tum interpellantium vota cognoscebantur, & ipse responsa dabat princeps, ut

* Sigramnum.
* Landrage.

L. 6. Form. 17.

cujusque

cujusque negotia, atque rerum usus postulabat. Clarior hujus muneris etiam ex eo dignitas; quod cum uno nomine vel crebriùs vel familiariùs suos princeps affatus misceret. Hoc itaque munus in aula Caroli cùm aliquandiu præclarè sustinuisset, à patruo deinde Pipino Rege, ad Ecclesiæ Metensis Episcopatum accersitus est. Hujus Ecclesiæ quamdiu magistratum gessit, gessit autem complures annos, omnes ejus actiones vitæ, cum iis studiis mirificè conspirârunt, quæ non nisi ab excellenti indole ac virtute proficisci solent: atque ut ea bona prætermittamus, quæ modicæ quædam numerantur virtutis accessiones, eximiam formæ totius dignitatem, & corporis statum habitumque decentem: hoc specimen animi dotium excellens, quod inerat facundiæ laus præcipua, quâ patrii, latinique sermonis copiâ, pro captu horum temporum, sic abundavit, ut cùm ad hæc ornamenta bonorum, malorúmque magnus delectus accederet, Pipinus Rex cùm in aliis Reipublicæ gravissimis negotiis, tum in illa, qua de nuper meminimus Stephani Pontificis afflictâ causâ, nihil sine Chrodegando publicè gesserit, nihil domi susceperit. Ipse itaque in Italiam Pipini jussu profectus, Pontificem in Gallias evocavit; ipse ad Regem perduxit.

Crodegandus Caroli Martelli Referendarius.

Crodegandi dotes publicæque functiones.

CLXXIV.

Opera ab eo exstructa & disciplina cleri formata.

Sed quæ ejus privatim in Mediomatricum Ecclesiam extant merita, longè quidem ea sunt his, quæ diximus, ad posterorum commendationem illustriora. Basilicam regiis vectigalibus ac Pipini patrui munificentiâ adjutus, prænobilem eam B. Stephano inchoâsse putatur, cujus eximiam pulchritudinem, laxitatem, ac structuræ in sublime surgentis magnificentiam à posteris expolitam, jure merito jam omnes suspiciunt advenæ. Quæque nominatim ipse opera absolvit, vetus scriptor hæc admodum literis propagavit. Aram ante omnia Protomartyri Stephano posuit, & exedras in odeo pro clericis ac presbyteris; opusque consimile in D. Petri æde molitus est. Ad hæc ambonem auro argentoque collucentem, & arcus in orbem juxta thronum ante ipsum altare.

CLXXV.

Canonicorum veterū institutum Chrodegandus revocat. S. Ambr. epist. 82. ad Vercell.

Quod verò cumprimis hîc memorandum, vitam eam Clericorum, post florentis Romani imperii sæcula reduxisse traditur, quam adeò S. Ambrosius testatur ab Eusebio Vercellensi præclaro Pontifice, in Italia diligentiùs excoli cœptam, ut quem duo pariter à clero suo exegisse memorat, *monasterii videlicet continentiam, & disciplinam Ecclesiæ; ut & in civitate positus, instituta monachorum teneret, & Ecclesiam regeret jejunii sobrietate.* Ipse itaque Chrodegandus, quod antiquæ literæ loquuntur, disciplinâ ex urbe Romana petitâ, raro tum Austrasiæ exemplo, Clericos regulares in unam, communémque vitæ societatem aggregavit; eosque cœnobii legibus adstrictos, excitatis circa B. Stephani ædem seorsim domiciliis, ceu claustro monastico coërcuit: & ne parandi victus quenquam cura tangeret, omnia indivisa ad vitam degendam necessaria, largiter in commune præberi jussit. Inde cantum Romanum, legésque, quas ibi acceperat, iis tradidit; & illius Ecclesiæ, ut religionis omnia sanctissima jura, sic accuratè ceremonias retinere atque observare voluit. Et multa certè in actis Chrodegandi concurrunt, quo conjecturam facias, eum normæ vivendi ac disciplinæ, quam Canonici deinceps in Austrasia passim tenuêre, extitisse vel autorem vel vindicem.

Cantus Romanus in Metensi Ecclesia.

Chrodegandus pro amplitudine nominis pallium adeptus variis locis consecravit Episcopos.

Quod verò pallium extra ordinem adeptum ferunt, id satis cùm Antistitis ipsius excellentia, tum horum conditio suadet temporum, Treverica tum etiam Ecclesia nec rectè constituta, & Hildulpho solitudinis ac tranquillæ vitæ delitiis, mirabiliter ardente. Sed id præterea in Chrodegando ceu insusitatæ superlationis, & suspexisse animadvertimus, & mirificè collaudâsse majores, quòd Episcopos ipse complures per diversas civitates, consecrârit, presbyteros ac Diaconos instituerit, & cæteros Ecclesiæ ministros, Romano instituto, quatuor anni quibusque temporibus initiaverit, potestate, quàm pro consuetudine haud paulò quidem ampliore. Singularis denique ejus beneficentiæ virtus, in orphanis ac pupillis tuendis recreandisque, in viduarum injuriis propulsandis & procurandis commodis, enituit. In cœnobitis autem Deique servis ornandis ac reficiendis, cum munificentia curam memorant præstitisse paternam. Atque hæc, de Chrodegando Metensi, quæ quidem hactenus scriptorum silentio obscura, at innexo tamen provinciæ cum Metropoli commercio, hîc illustranda potiùs quàm tacenda; cùm omne præstantium virorum decus, crebrâ memoriâ ad exemplum in seipso revirescat.

CLXXVI.

Eginhartus in Caroli vita. Pipini Regis studia.

Eodem tempore Pipinus, ab Aquitanico bello respirans, quod cum Vaifario præfecto per continuos novem annos hucusque gesserat, conversus ad opera pacis, & Austrasiæ populis jura dicenda, Atiniaci, ubi nobile palatium habebat, anno ferè toto sese continuit, formandæ Austrasiæ plurimùm intentus. Cæterùm, cùm frequentiorem istuc advocâsset Austrasianorum conventum, venit fortè tum eò, cum reliqua multitudine Assuerus Abbas Prumiensis; quem admonitus promissi memoriâ Pipinus, cùm ad se benignè seorsim vocari jussisset, multus ei cum Abbate super S. Goaris domicilio sermo fuit; ac postremò, ut Assuerus deinceps ejus loci curam & administrationem capesseret, volens fuit. Quia verò sedes illa beneficentiæ famam & liberalitatis in pauperes commendationem haud vulgaris obtineret, daret operam, monebat, omnia istic hospitalitatis jura revivîscerent, quæ ipse coli remissiùs quàm pridem expertus esset. Atque ad hunc modum D. Goaris cella Pipini Regis voluntate, Abbati tunc Prumiensi, at beneficii, seu fiduciario jure tantùm, cessit.

S. Goaris cella Assuero traditur.

CLXXVII. ANNUS CHR. 766.

Porrò Assuerus onus id ratus, quod facilè in præsens declinare non posset, illud beneficio potiùs æstimans alieno, quàm fructu suo, quâ par fuit alacritate subivit; mentémque confestim & cogitationes ad restituendos in primis formandósque Clericorum istic degentium mores transtulit; tum etiam, quæ ædes ibi antiquæ religionis frequenti populi concursu celebres erant, has vetustate laborantes, resarciendi ac renovandi consilia agitavit. Visebantur per id tempus Ecclesiæ ibi duæ,

non

S. Goaris memoriam Assuerus disciplina & operibus aliis excolit.

non magno intervallo, quarum minor, corpus vulgò credebatur habere Divi Goaris; sed necdum certis argumentis comperta fides. Confusus itaque & incertus animi Assuerus, denique in eam mentem ingreditur, hic novæ Basilicæ fundamenta jacere: muris veterem ædem ita circumplexus, ut dum hi attolluntur, illa interior atque ambitu angustior, velut includeretur; quàm non antè etiam demoliri certum erat, quàm inchoatum templi opus explicuisset. Sed inter hæc, ingenti miraculo sancti viri studia à Deo probari cœpta: etenim toto eo tempore, quod condendæ novæ Basilicæ datum, nullus ibi cœlo imber decidit, ut propinquis locis densissimus etiam is caderet, pluviâ tantisper in vicinum Rhenum atque imminentem loco montem, cum stupore mortalium, quasi de industria semper aversâ.

Imbres miraculo ab novi templi structura deditis operis aversi.

CLXXVIII. Inter hæc Paulus Pontifex Romæ diem obiit; cujus sedem Constantinus injquo jure occupavit. hinc nata ortáque inter Romanos est factio; annóque sequenti adversus Constantinum Philippus Pontifex declaratus est; sed hoc item brevi amoto, legitimis demum suffragiis Stephanus ejus nominis quartus successit: quo annuente & potestatem faciente, tradunt S. Materni reliquias, Otgeri Decani auspiciis, cum aliorum Sanctorum exuviis Treviris Leodium translatas, quæ inter alia pompæ sacræ fercula illic per agmina supplicum traduci solent.

ANNUS Chr. 767. CONSTANTINUS Pon. Vacat. an. 1. ANNUS Chr. 768. STEPHANUS III. vel IV. Pon. an. 3. m. 5. d. 28.

S. Materni reliquiæ Leodium Trev. translatæ Tom 3 Leod. Episc.

CLXXXIX. Per idem quoque tempus Hildolphum Trevirorum Weomado locum fecisse, contra quem in Deodati memoria proditum, domestica monumenta probatiora docent. Veteris scriptoris verba sunt: *Cùm primùm rumor ad aures vulgi detulit, scilicet Hildolphum quietem sibi parare secessu, quasi barbaris insequentibus, omnis ætas, omnisq; sexus in urbem ruit; visoq; viro Dei, clamor in cælum tollitur, & quasi omni provinciæ exitium immineret, unus omnium ferebatur luctus. Cur, pater, gregis tibi commissi custodiam derelinquis?* Et mox. *Vir sanctus, ut erat pietate plenus, in lacrymas resolvitur, conversusq; ad plebem, hæc tantùm præfatur. Vos populus Dei, & oves pascuæ ejus estis: ipse vos custodiet, qui vobis promittit, dicens: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi: nam custodia mea hactenus nulli profuit, qui meipsum minus circumspexi. Si quid autem deinceps mihi superest temporis, sinite ut expleam, quo mihi, & vobis prosim. Obfirmatus igitur adversus lugubres querelas gregis se prosequentis, quasi tenacioribus vinculis, quæ libertatem animi ejus sibi subigere tentabant, disruptis, Weomadum sibi successorem, ovibus verò suis designans pastorem, post ultimum vale, animum, oculos & pedes, cœpto itineri restituit.*

Weomadus 33. Archiep. 59. Episc. Extracta S. Hildulphi probatissima & S. Theodati memoria. S. Hildulphi abdicatio & secessus in eremo.

Weomadum sibi surrogat.

CXC. Hildulphus itaque solitudinis amore captus, in eam se eremi partem abdidit, quam Vogasus, Vogesúsve montes, quà Mourtam amnem effundunt, diverso nemore undique claudebant. Abundabant eo tempore saltus illi Elisacio finitimi, nobilibus ascetis: & licet, complures beatiorem eam vitam ibi meditarentur, omnium tamen facilè studia vincebat Deodati Nivernensis quondam Episcopi inclyta fama, virtus, morúmque sanctitas. Is namque cunctas ejus deserti rimatus opportunitates, postquam à Girbaldo eximio Leucorum Præsule, laxa atque spatiosa loca vallium atque montium adeptus, sedibus sedes subinde convertisset, Mourtæque lapsum secutus, monasterium in valle sibi constituisset, quæ Galilææ nomen inde tulit, Hildulphus Jacobum Tullensium Præsulem adiens, cujus tum provinciæ saltus illi montesque contributi, sibi suisque spatia petiit ad vitam ibi monasticam excolendam; quo cuncta prolixè ac liberaliter offerente, secessit. Atqui verò Hildulphus ea in Episcopatu, atque toto antea ctæ vitæ spatio jam tum dederat argumenta virtuti, ut eremi appareret quamlibet dura rudimenta veterano nullum allatura terrorem. Abhorruit siquidem adolescens & ab omni sceleris contagione, & blandimentis iis, quibus infirmior hæc ætas capi solet.

Vogasi eremus.

Deodatus Nivernensis Episc. eremum Vogesi colit.

Girbaldus Tullensis Episc.

Deodatensis monasterii initia.

Jacobus Tullensis Episc.

B. Hildulphus in eremum abit.

B. Hildulphi mores.

CXCI. His igitur subsidiis ad cœlestia ceu quibusdam alis è terra subvectus, mox inde ad stabilioris virtutis culmen evolare cœpit. Quid enim memorem, quoties illum lux noctu apud Divorum memorias supplicare Deo ingressum, quoties nox oppresserit, cum luce cœpisset? Adhæc frequens eum delectabat inediæ studium; pernox oratio, & in pauperes egenósque prona benignitas. Cumque rem divinam quotidie accuratâ religione peragebat, tum proponebat etiam in dies sibi sanctorum hominum exempla, quorum actiones studiáque vitæ noscitando, animum corporis commercio languentem, impelleret, & ad majora nitendi robur adderet; omne adeò id tempus effluere, atque perire sibi dictitans, quo non perattentè rationes neglectæ servatæque legis divinæ duxisset; atque in ejusdem diligenti commentatione, curam posuisset acerrimam. Hæc in Episcopatu; at ubi solitudini eremita insuevit, profudêre se simul omnes virtutes, quæ adultæ jam & odore suo blandientes, mox ire cœperunt per ora vulgi. Ergo loca pura atque innocentia captantem, ac soli sibi, Deoque vivere cupientem ingens etiam gloria comitabatur; quæ sanè avelli à latere ejus, dum splendor virtutis emicabat, difficilè poterat.

Et magna ad eum in solitudinem populi undique fiebat coitio; eoque frequentior, quò cunctis ægritudine, vel alio quovis mali genere tentis, cœlesti quâdam fretus virtute, paratius atque præsentius remedium afferebat; quippe cæcis oculos, ingressúmque claudis restituebat, ac eâdem curandi felicitate ab hominibus infessis, dæmonis tyrannidem propulsabat. Sed offensus denique fremitu multitudinis, ejúsque frequentiam vitare in primis optans, domicilia hinc & inde, sparsit, quibus advenas & peregrinos excipiens, intimâ solitudine procul haberet. Atque cùm ad excitandam hominum religionem in viridi & opaca ripa fluvioli, quem à cursu *Rapidum appellabant; templum Deiparæ matri, VIII. Kalend. Martii, & alterum item XVII. Kalend Novemb. D. Petro Apostolorum Principi dedicasset, inde extra secreti septa, novam rursus D. Joanni ædem posuit, religioni serviens affluentis istuc ad se majore numero multitudinis.

* Rabodo.

Porrò

CXCII. Porrò non defuerunt ex advenis his, qui solitariâ vitâ delectati, ad S. Hildulphi disciplinam sese adjungerent, normamque ab eo vivendi & regulam poscerent. Ex his, ad posteritatis memoriam claruere Spinulus, germanique fratres Joannes & Benignus cœnobitæ, ut fama fuit, omnes Treverici, ex B. Maximini monasterio Hildulphum eousque prosecuti; quorum ardens & incredibile studium pectora occuparat vitæ purioris: & inerat rerum humanarum summa despicientia.

Spinulus, Joannes & Benignus Eremitæ.

Medio tempore consurrexit apud Deiparæ matris Basilicam intra montium Vogesi claustra peropportunum excolendæ monasticæ domicilium, explicatis ab Hildulpho laxis ad usum habitationibus. Id monasterium Medianum appellari placuit, quia inter duo non obscuri nominis alia staret medium; alterum Senoniense, quod Gundelbertus Senonum Archiepiscopus sibi nuper extruxerat; alterum Deodatense, quod condiderat Deodatus Nivernensis Episcopus, olim Canonicorum mutandum collegio. Et quia, irriguæ juxta convalles, parum aptam efficiebant mortuis tumulandis sedem, æde rursum nova S. Gregorio Magno Pontifici dicata, collem occupavit Australem vicinum, officio non magis aliorum, quàm ipsius Hildulphi sanctis cineribus, qui in hanc usque diem malignis spiritibus istic tremendi, consecrandum. In hac item operum molitione, congruit, Thebææ cohortis Ducem Bonifacium existimare, translatum esse Treviris in montana Vogesi, quandoquidem ejus translationis celebratur autor Hildulphus, qui Medianis eum sedibus intulit.

Mediani monasterii in Vogeso exordia, al. vulgò Meyenmunster.

Senoniense monasterium.

S. Deodati collegium & oppidum.

S. Bonifacii Thebæi ducis translatio.

CXCIII. Porrò, crescente sub hæc indies convenarum cœtu, & cellis domiciliisque multiplicatis, auxit & numerus eorum, qui Hildulphi disciplinam vitæque genus æmulati, in hanc solitudinem è mediis mundi fluctibus, ceu in portum quendam, adspirante Deo, felici se cursus aurâ incitabant. Quamobrem Hildulphus monasterio Mediano probè jam constituto, quò vacuum ab interventoribus haberet sanctæ contemplationis otium, ipse se curâ regendi exonerans, summam universam in Leutbaldum, divinarum rerum justa atque humanarum scientissimum transfudit, eúmque monachis Abbatem præfecit.

B. Hildulph. Mediano monasterio constituto Abbatis munus Leutbaldo tradit.

Interea Reginoburgo Eberardus tum Ratisbonensium Pontifex, seu fraternæ necessitudinis, ac eremi desiderio, seu famâ & magnitudine permotus rerum ab eo gestarum, ad fratrem in ea deserta transivit, quæ jam pridem ipse cùm Hildulphi germani assiduâ curâ, tum aliorum innocentium hominum jugi solertiâ probè subacta, ad fructuum cœlestium ubertatem, in dies magis atque magis didicerat efflorescere. Vegetando itaque divinis studiis animo sedibus in propinquo locatis, aliquammultis annis remotus à sollicitudine & curis solitariam cum fratre vitam duxit.

Eberardus Ratisbonensis Episcop. Hildulphi frater.

Eberardus unà cum fratre secessum amplectitur.

CXCIV. Atque hîc, dum unà degunt ambo, accidisse veteribus Hildulphi vitæ monumentis proditur, ut * Hethiconis Ducis Elisacii, & Bersvindæ filia ab ortu destituta luminibus, istuc ad eos à parentibus adduceretur, submissâ prece postulantibus, filiæ ut oculis restitutis, sanitatis munus impertirent. Sed ubi gentilium inani superstitione puellam magis etiam occæcatam inveniunt, oculis mentis priùs ornandam statuunt, quàm corporeis cœcitatem expellerent. Ergo Christianis sacris imbutam, & in baptismo renatam mystico partu, filiam reddidêre parentibus, lumine non oculorum modò, sed & animi, quo pulchritudinem Christianæ virtutis cerneret, in integrum restituto. Visum quoque tum illis, novum indere puellæ nomen, Odilia in posterum ut appellaretur. Atque hæc illa celebris puellarum ac virginum decus in Alsatia Odilia est, quæ sociatis sibi postea spectatissimi moris indolisque virginibus, patris munificentiâ florentissimum in excelsa minacique rupe Vogesi, cui Hohenburgum iccircò nomen datum, Collegium instituit; illudque divinis quibusdam editis signis mirificè exornavit. Felix illud olim & geminum pietatis præstantiâ contubernium, sed Germaniæ pervagatâ clade, ævóque lacerum jam horret ruinis, & ædem duntaxat exiguam, attamen augustam exhibet, cum oratoriis, aliisque non obscuris avitæ pietatis argumentis.

S. Odiliæ curatio.

** al. Eticonis & Hecticonis Alsatiæ ducis.*

S. Odilia & fidei Christianæ & oculorum, quo carebat lumine, pariter donatâ.

S. Odiliæ Parthenon in Alsatio.

B. Odiliæ memoria.

CXCV. Cæterùm fama miraculi hujus, per vicina rura discurrens, multos de novo mortales excivit, atque in eam solitudinem traxit. Inter quos * Bigo fuit homo locuples & divitiis affluens, qui cùm Hildulphum omnibus officiis ambit, usumque pecuniæ non magnitudine, sed ratione metitur, prosequi eum muneribus in dies, perspectâ magis magisque viri sanctitate, non destitit. Cellam itaque, uti priscis cænobia vocare mos, fundis atque prædiis dotatam erexit, quæ hodiéque Bigonis cellæ nomen retinet; partémque Vogesi legavit eam, quam Folchodi rupem ætas illa nuncupabat; hanc deinde, templo S. Cruci inchoato, decoravit; eique Hildulphus Spinulum præesse voluit. Qui, cùm aliquanto post vitâ discessisset, id coætanei mirum in funere ejus accidisse memorant. Hildulphum quippe, per visum admonitum, ut in vetus monasterium, ubi antea degerat, Spinulum transferret; illum nihil cunctatum, ilicò quod jussus egisse; cùm igitur sollemni ritu, monachorum agmine prosequente, cum accensis cereis atque funalibus ad cellam Spinuli procedit, quanquam vehementer tum in ea loca incumbente Boreâ, ut vi procellæ quercus etiam atque abietes à radicibus avelleret, stupentibus tamen cunctis, luxisse faces, nec flatui ventorum cessisse cereos, quos exstingui par non erat, cùm splendorem sanctimoniæ perennem ac lumina quædam emeritæ virtutis sempiterna referrent. Sed & humo vix reddito corpore, tantis mox illustrari Spinulum cœpisse miraculis, ut malo quisquis conflictatus, opem à Divo poposcisset, curationem minimè dubiam reportaret. Ergo contractâ rursus & invitatâ morborum solatiis in eremum multitudine, quò sibi suisque necessitatem aliquid contra animum faciendi, penitùs eximeret Hildulphus; à mortuo Spinulo precibus impetrâsse fertur, animabus quàm corporibus deinceps mederi mallet: neque committere, ut ubi solitudinem expetissent, istic frequentiam invenisse viderentur. Sublato miraculorum fructu, repressum unà populi concursum.

** al. Bugo vel Bigo nuncupatur in monitis.*

Bigonis cella.

Folchodi rupes in Vogeso.

Spinuli funus miraculo lucentium candelarum inter ventos celebratur.

Hildulphus miraculorũ bono, virtutis securitatem anteponit.

CXCVI.

Ms. S. Erhardi ad Ratisbonã reditus.

Abcesserat jam Ratisbonam Ehrardus, atque oratorio S. Apri honori constituto solitudinem eam honestaverat. Enimverò Ehrardum, conspicuâ morum innocentiâ, & honore, Episcopi fratri exæquatum, lego adiisse illum, in eremum; de cujus reditu liber antiquus: *Beatus autem Ehrardus Rheno transvadato, Regensburg civitatem, sedem suam, tam sancto Præsule celebrem futuram, subiit; in qua non post plurima temporum curricula, VI. Idus Ianuarii de morte ad vitam transivit.*

Hildolphus interea pari mentis ardore connisus ad omne virtutū officium, ne ex cœlestium rerum nimia copia, ut in fecundis, efferret animos, semet tanquam in gyrum rationis ac modestiæ redigebat, & votivæ paupertatis longè cupidissimus, etsi fatiscente jam ætate corpusculo, manibus tamen ipse suis, & operum certo penso, quotidie victum & cultum expediebat. Exequi longum sit, quàm severas sibi vivendi leges indixerit; quàm discipulis Joanni & Benigno, salutaria morum præcepta reliquerit. Sanè tunc Theudoaldus vir procerum regni cumprimis illustris, consecratâ religioni conjuge, cum Abbone filio, militare cingulum posuit, ac novum sub Hildulphi vexillis militiæ genus suscepit. cujus & monumentum pietatis laudatur, Basilica Divæ Genitrici ab illo posita in prædio Berchemio, quam Mediano monasterio, cum possessionibus cedere voluit. Atque hæc quidem, quòd nullâ annorum digestâ serie legerem apud veterem scriptorem, si non concinnâ methodo, at optimâ fide tradere conatus sum; gnarus quàm erubescendo genere scripta de Ehrardo, Hildulpho, & Othilia circumferantur, quorum fidem autores minimè vindicent. Ad connexum jam redeo temporum ordinem.

Theudoaldi illustris viri pietas.

Acta S. Othiliæ & S. Hildulphi, Append. Metrop. Salisburg.

CXCVII.

Annales Mett. & c. 67 annal. Franc. Regino, Eginhardus, Aymoinus, Pipini mors.

Carolomannus 1. Rex Austrasiæ 3 ferè. Pipini in Ecclesiam Trevirensem munificentia.

Pipinus eodem hoc anno, octavo Kalend. Octobris, pro quo perperam notis Reginonis exemplaribus irrepsit VIII. Idus Augusti, morbo aquæ intercutis, ex vita mortali subtractus est; sepultusque in B. Dionysii templo, Parisiis. Carolus & Carolomannus filii regnum deinde inter se sic partiti, ut Carolus Franciam regnumque Pipini patris, Carolomannus autem Austrasiam provinciásque Carolomanni patrui sortiretur. Cæterùm, ad Pipini summam id laudem pertinet, non solùm, quæ ipse munificè ac animo regali tribuit; sed quæ majores, ipso tribuente, senserunt, commemorari; nam, cùm multa atque præclara in Ecclesiam communiter, tum privatim in diœcesim Trevirensem illustria beneficia collocavit; omnésque superiorum Regum largitiones, eximio diplomate in hanc sententiam Weomado Antistiti scivit: Ut SS. Maximini, Paulini & Eucharii Cellæ, Horreense monasterium, & S. Martini Ecclesia in pago * Ambitivo constructa, in æterna D. Petri Trevirensis, ejusque Ecclesiæ Pontificis maneant possessione: ne judicibus publicis vel cui alteri eâdem potestate prædito, in monasteria, Ecclesias, castella, vicos, agros, saltus, homines ultra citráque Rhenum & Ligerim, ullum jus sit; neu cuiquam vectigal, sumptus, impensas, & quæcunque ejus generis onera, Ecclesiæ imperare liceat; demum, quò liberior deinceps ibi Dei cultus vigeat, precesque cùm pro regni, conjugis, & prolis incolumitate, tum parentum salute defunctorum ardentiùs fundantur, quicquid de rebus Ecclesiæ jus regii fisci exigere posset, id omne, integrum in perpetuum remitti. Cætera communia cum diplomate Dagoberti. Signum Pipini excellentissimi Regis.

* Ambitivo

Joseph Subdiaconus ad vicem Ulfradi recognovit, Data hæc xv. Kal. Junii, anno nono, regnante Pipino inclyto Rege. Actum Tulpiaco, in Dei nomine feliciter.

Annus Car. 769.

CXCVIII.

Pipini ornamenta.

Tomo IX. Stemmat.

Exemplar diplomatis Pipini præfixum Stemmat. Tom. 1.

Hic iterum monemus, has Pipini Regis tabulas, quæ in pervetustis Gestorum Trevirensium libris leguntur, proferunturque ex iis ab Autore Commentarii Augustæ Trevirorum, longè quidem diversas ab iis esse, quas ad Lamberti Mosellanorum Ducis stirpem eruendam, fronti Stemmatum Lotharingiæ præfigi placuit, ceu Weomado datas, & ex monasterii S. Maximini scriniis depromptas. Enimverò, ut de earum multiplici aberratione & fide dubia, nil commemorem gravius, authenticis nobis multum has repugnare, nec majorum sustinere autoritatem, satis per se manifestum est: neque ulla res Privilegii vim, quod quidem in Treviris incorruptum legitur, magis enervat, quàm, quod contra veterem scripturam, asserit autor, datum à Pipino Ecclesiæ B. Petri Trevericæ urbis, & fratribus Cellæ B. Hilarii, Protectorem, Rectorem, Advocatum illustrem dominum Lambertum Austriæ Mosellanicæ Martini ducis filium: quorum nihil in universæ Trevirensis Ecclesiæ, ne dum in S. Maximini antiquitatibus extat. Nec his majorem fidem ejusdem Lamberti diploma mereri putamus, quòd in favorem monasterii S. Eucharii Roberto Abbati, antequam is locus Abbates haberet, reliquisse scribitur: quodque post à Carolo Magno, Weomado Præsuli concessum Loheri Ducis incertæ originis mentione illatâ, audacter interpolatur. Denique quicquid eorum attigeris, ulcus est: ita malè instituta narratio fidem reperire non potest.

Lambertus Dux Mosellanicæ Austriæ incertæ originis. Lamberti Ducis diploma rejectũ.

Caroli M. ... diploma, &c.

CXCIX.

Sanè Pipinus, quam industria virtutem pepererat, propagatione quâdam in filium traduxit. Ut igitur illi non in sacris religio, non animus in novo regno tutando, non gerendæ Reipublicæ consilium, non bello ac pace firmandæ defuit; ita Carolum has dotes in se omnes augendi studium mirificum incessit. Sed juvenili in pectore vigebat in primis rei bellicæ cupido. Hincipsis regni primordiis, susceptum confectumque eodem propè tenore felicitatis Aquitanicum bellum, quod variâ fortunâ pater administrarat. Collectus in eam expeditionem Francicus miles ex agro Coloniensi; cujus magnam quoque partem ve-

Caroli Magni exordia.

Eginhar. vit. Caroli. Regino in Chron.

terum

terum instituto in novas sedes ceu Coloniam transscripsit.

CC. Berthrada conjux Pipini in Italiam transit.

Berthrada Pipini conjux sub idem tempus transgressa in Italiam, nuptias filiæ Desiderii Longobardorum Regis, cum Carolo filio pepigit; & salutatis Romæ DD. Petri & Pauli Apostolorum liminibus, in Franciam haud utique intacta à religione tanti patrocinii, rediit.

CCI. ANNUS CHR. 770.

Reges ut antiquitus festos dies colerent.

Anno septingentesimo septuagesimo, Wormatiæ Synodum Episcoporum Carolus habuit, quâ dimissâ, ad peragendum Christi Natalem, adiit Moguntiam. Is quippe mos jam apud Reges Francorum obtinebat, ut in communi Ecclesiæ lætitia, festis Paschalibus atque Natalitiis, alicubi captâ quiete, resisterent, animumque à negotii, & fori strepitu vacuum tantisper traderent religioni.

CCII. S. Goaris inventio. Wandelbertus in actis B. Goaris.

* Basilius Spiræ & Megingoz Wirceburgi Episcopi.

B. Lullus Moguntinus ædem B. Goaris consecrat.

Sub id tempus B. Goaris sacrum pignus humo elevatum ut tradamus, multa sollicitant. Assuerus enim Abbas Prumiensis Basilicam, uti diximus, novam nuper ædificare jam cœperat; imposito igitur operi fastigio, Carolus Lullum Moguntiæ Archiepiscopum, * Basilium Nemeti & Megingozum Wirtzeburgi Antistites, ex S. Bonifacii disciplina & creditâ vitæ sanctitate illustres, ad dedicandam sollemni ceremoniâ Basilicam evocat. Ubi verò ad hunc locum Præsules accessêre, sacratâ ritè Basilicâ, visum est Assuero B. Goaris reliquias antiquâ sede motas, transferre in tumulum honoratiorem. Quod viri consilium sic Episcopi probârunt, ut ad divini Numinis explorandam voluntatem, tres omninò dies abstinendum largiore cibo decernerent. Convenerat eò, præter clericorum ac monachorum cœtus, quos Episcopi & Abbas eò duxerant, magna vis omnis generis hominum; triduoque per inediam consumpto, Lullus Archiepiscopus in antiqua æde, fuisse etenim duas supra memoravimus, fodere, molirique terram, suis præcepit: sed omni circum solo penitùs defosso, ac frustra opere pertentato, nihil usquam sacri pignoris apparuit. Consternatus itaque Lullus, & apud se demirans, ad Assuerum conversus, nuncubi clerici istic loci degerent, sciscitatur; illo autem sex ibi agere affirmante, hos accersiri ad se imperat, eosque coram adductos monet, diligenter in divinæ precationis studium incumbant, & pro inveniendo patroni sui corpore, Deo ardentiùs supplicent. Atque ita tum, irrito conatu, discessum est. Clerici interea, verborum Archiepiscopi non immemores, reliquis abeuntibus, in oratione perstiterunt. Erat inter eos Madelbertus debili crure, ac manu dextrâ captus; is rarâ fiduciâ, sumpto in manus ligone: Jam, inquit, si Deus ita volet, ubi dominus meus Goar reconditus sit, brevi palam fiet. Progressus itaque paullulùm extra ædem, inde propter Orientalem parietem, ut ligone terram movere cœpit, mox laterem ictu levat; quo sublato, per angustum foramen manum inferens, holosericam vestem, quâ religiosè tegebatur sarcophagus, fortè trahit; simulque vitalem quendam diffundi per manus vigorem, inopinatò sentit. Quæ res, ut ad aures Episcoporum, totiusque cleri perlata, ilicò fit gratulatio inter eos, atque omnium animi ad lætitiam, & grates Deo offerendas, excitantur. Conveniunt deinde Episcopi eum in locum; & perspectâ diligenter re, sacrum pignus intra sarcophagum plumbeo locello inclusum, reperiunt. Tum verò, incredibili mox voluptatis sensu perfusi, ad Deiparæ matris oratorium istinc transportandum, ut inde porrò in novam Basilicam mittatur, constituunt. Placuit etiam, ut quoniam propter loci angustias, nam Rheno inde, & hinc editissimo monte clauditur, multitudo coire non poterat, sparsim circum radices montis funderetur: & ita venerandæ reliquiæ, propter frequentiam & desiderium multitudinis, paulò longiùs exportatæ, obitâ montis crepidine, in Ecclesiam novam, sollemni pompâ, traducerentur. Re probatâ, cùm tollere feretrum Episcopi & jam ilicò subire parant, tantum onus experti sunt, ut loco movere tumbam ullâ ratione non possent. Attonitis igitur cunctis, & res ea, sibi quid vellet, admirantibus, tandem versus ad populum Archiepiscopus, ita disseruit, ut diceret S. Goarem in vita popularem gloriam & inanes hominum plausus præ amore bonorum perennium sprevisse; nec minùs apparere jam mortuum eadem aspernari, satiùs proinde se ducere, si intermissâ pompâ, ad ædem rectà contendant, quàm ut ad voluntatem, nutúmque populi, longâ ambage feretrum circumducant. Vix dicendi finem fecerat, cùm motum è vestigio feretrum tantâ facilitate levari cœptum, ut oneris habere nihil, tum quidem omnes manifestè perspicerent. In ædem itaque novam, tacitâ quâdam religione, per manus Episcoporum & Abbatis, sacræ reliquiæ traductæ, ac summo cum honore reconditæ sunt.

Precum assiduitate indicatur B. Goaris memoria.

CCIII. Pallium B. Goaris efficax virtute.

Porrò autem Pallium, cujus attactu Madalberti dextram esse contanatam diximus, multis post annis super ara positum, invictum ab ævo, ut à corruptione telluris permansit; multáque ad pellendos morbos salutaria in se remedia habuit. Sed miracula dehinc, ad horum temporum lucem insignia, quia multa divinitùs ibi edita sunt; testésque, unde ad posteros ea manarunt, seu præsentes certò cognovêre, seu ab his porrò mox accepêre, pauca de multis proferam, ut instituta nobis annorum series integra decurrat. Etenim, hoc ferè tempore, Widonis nobilis viri servus pede claudo, ut susceptis ad D. Goaris ædem votis, opem religiosè poposcit, ilicò sanatus, ac manumissus à domino, clericus & deinde sacerdos factus est.

Miracula à B. Goare crebra dehinc patrata.

Claudus sanatur.

CCIV. Waltharius illustris à dæmonis infestatione liberatur.

Waltharius etiam natus illustri loco, & gravissimâ dæmonis ac furiarum incursatione vexatus, ita ut corio insutus, ad D. Goaris ædem deportaretur; cum exiguo istic tempore sancti favorem captat, incredibilis è vestigio lymphatum mansuetudo consecuta; ipse manus supplices sancto tendere, ac sese suaque omnia D. Goari liberâ voce dicare; ejectóque malo dæmone, feraci cumprimis vineâ B. Goaris Basilicam, gratâ ac memori voluntate donavit. Reginarius autem hujus patruus, cùm propter insitam animo ferociam, utpote barbarus & impiis moribus, universum nomen Romanum, quo Christiani Franciæ gentis sacerdotes & cœnobitæ tum censebantur, ita exosum haberet, ut neminem ejus generis,

Reginarii erga clericos odium.

Romani dicti Christiani & Ecclesiastici.

vel æquis unquam oculis adspiceret; Latinos etiam, sicubi in eos incurrisset, odio quodam immani ac gentilitio malè multaret; tum verò Assuerum, ejusque comites, atque adeò D. Goaris memoriam usque eo detestabatur, ut quoties istac iter ei esset, viâ decederet, vitaretque Romanorum hominum, ut loquebantur, Assueri scilicet & comitum ejus, adspectum. Fortè, quo tempore Abbas, cum suis in Cella B. Goaris degebat, necessarium illac Reginario iter fuit: appropinquans itaque servum jubet à via, quoad fieri possit, ita deflectere; ne Basilicam vel monachos ejus loci invitus cogatur adspicere. Atque ea quidem barbari tum erat stoliditas. Ut igitur appropinquare loco cœpit, monet, uti jussus erat servus, ut, si locum non adspicere penitus sederet, caput obnuberet pallio tantisper, dum præteriisset; quo morem gerente, propinquior jam factus, instat, urgetque ne oculos ullo modo reflexisse velit. Nec mora, vix pedem inde Reginarius tulit, cùm effusis mox intestinis, acerbo deinde ventris dolore cruciari cœpit; quo paucis etiam post diebus, miserè exstinctus, ostendit, quàm indignus hominum societate, communique luce fuerit, qui morum asperitate quâdam & immanitate ferinâ, conspectum vultúmque piorum hominum ferre nequivisset.

Reginarius osor monasticæ plectitur à Deo.

CCV.

Frecolphus Major Vesaliæ, à mentis ....

* alias Ficœtia.

Frecolphus etiam, eâ tempestate quidam fuit Major, dignitatis id apud Francos nomen, regiæ villæ, quæ ad Rhenum octo circiter passuum millia supra D. Goaris cellam posita, * Vesalia tum dici cœperat; is mente captus, insaniáque laborans, ut ad venerandam memoriam deductus est, mentis valetudinem suffragatione Divi recepit.

Herivinus comes, Euphemia Metensis Abbatissa puniuntur.

Sed & Herivinus Comes, & Euphemia ex Mediomatricum urbe nobilis Abbatissa, cùm prætervecti oratorium, preces de more ibi fundere neglexissent: ille quidem delapsus equo, & graviter corpore laceratus est; hæc graviore casu, fractâ tibiâ, equo item decidit. Igitur ad Ecclesiam ambo deportati, meritis beati viri, sanitatis beneficium adepti sunt. Atque hac certè tam cœlestium operum laude, apud omnes antiquæ veræque pietatis cultores florebat memoria B. Goaris.

Regino, Eginhartus.

CCVI.

ANNUS CHR. 771.

Carolomanno Austrasiæ Rege mortuo Carolus potitur rerum solus.

CAROLUS MAGNUS REX FRAN. ET AUST. ubi ann. 44.

Sequenti anno, Carolomannus Caroli frater, naturæ concessit, portione regni germano relictâ, atque ita Austrasia ad Carolum recidit. Uxor autem Carolomanni cùm filiis parum rata superesse sibi honoris ac dignitatis, potiente rerum Carolo in Francia, ad Desiderium Regem in Italiam confugit; ac se filiosque suos ejus amicitiæ fidéique commendavit; reliqui verò proceres, demptis qui ad Desiderium cum Regina profecti, ad Caroli sese partes applicârunt.

CCVII.

ANNUS CHR. 772.

Carolus adversus Saxones pugnat.

HADRIANUS PON. an. 23. m. 10. d. 16.

Anno postero Stephanus Pontifex mortuus est; illique substitutus Hadrianus; quo tempore Carolus, iterum Wormatiæ Synodum celebravit; factáque dein irruptione in Saxonum fines, nobilissimo eorum fano disturbato, ingenti eos clade affecit; ac denique in deditionem, acceptis obsidibus, venire coëgit.

CCVIII.

ANNUS CHR. 773.

Sextus jam regno Caroli annus illuxerat, cùm Weomadus Trevirorum Pontifex, quem complures è D. Maximini, alii autem è Mediolacensi monasterio Abbatem exiisse memorant, partim à majoribus Ecclesiæ suæ decora atque ornamenta non satis existimans huc usque conservâsse, ni auctiora quoque, & principum tabulis confirmata transmitteret ad successores. Carolum namque Principem nactus, cùm omni regiæ dignitatis ac virtutis cultu ornatum, tum quod caput est, præclarâ, inprimis avitæ religionis laude florentem, non difficile illi fuit, id quod cupiebat, impetrare. Is autem in * Aristalio Leodiensis provinciæ tum æstiva habebat. Quo Weomadus ad eum adiens, hasce, quas verbo tenus proferimus, tabulas inde retulit:

MS. perg... ...

* Heristallio

Caroli M. diploma Weomado traditum, quod ... Lib. I. ...

IN nomine Domini Dei æterni, & Salvatoris nostri Iesu Christi. Carolus divinâ ordinante providentiâ Rex Francorum. Si liberalitatis nostræ munere, locis Deo dicatis quiddam conferimus beneficii: & necessitates Ecclesiasticas ad petitiones sacerdotum nostrorum relevamus juvamine, atque regali tuemur munimine, id nobis & ad mortalem vitam transigendam, & ad æternam feliciter obtinendam, profuturum liquidò credimus. Proinde noverit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quàm & futurorum sagacitas, quia vir venerabilis Weomadus sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopus, obtulit obtutibus nostris Præceptum domini & genitoris bonæ memoriæ Pipini Regis, in quo erat insertum, quòd non solùm idem genitor noster, verùm etiam prædecessores ejus, Reges videlicet Francorum, omnes res quascunque boni & sancti viri, pro divinæ contemplationis intuitu, ad partem S. Petri Trevirensis Ecclesiæ delegaverunt, suorumq; autoritatibus confirmaverunt, quatenus eorum regnum, superno auxilio tueretur, & postmodum cum Christo Rege Regum regnarent in cælis. Pro rei verò firmitate, idem præfatus Præsul postulavit celsitudinem nostram, ut paternum, seu prædecessorum Regum morem sequentes, hujuscemodi nostræ autoritatis Præceptum, ob amorem Dei, & reverentiam S. Petri, de eisdem rebus fieri juberemus. Cujus petitioni libenter assensum præbuimus, & hoc nostræ autoritatis Præceptum erga ipsam Ecclesiam, pro divini cultûs amore, & animæ nostræ remedio, fieri decrevimus, per quod præcipimus atque jubemus, ut omnes res, vel facultates ad Ecclesiam S. Petri Trevericæ urbis pertinentes; ut scilicet Cellam S. Maximini, quæ est in territorio S. Petri Principis Apostolorum constructa, & cellam S. Paulini, & S. Eucharii, & monasterium S. Mariæ, quod dominus Modovaldus Pontifex ejusdem Ecclesiæ in territorio S. Petri à fundamento construxit, quod vocatur Horrea, & Ecclesiam S. Martini sitam in pago Meginensi, & cæteras Basilicas, castella, vicos, villas, vineas, silvas, homines, vel quidquid, Deo donante, ad eandem augmentatur Ecclesiam, circa Rhenum & Ligerim fluvium, omniaq; in regno nostro consistentia, sub jure & potestate S. Petri Trevirensis Ecclesiæ, ejusq; Pontifices perpetualiter mancipata permaneant. Præterea, pari modo statuimus, ut nullus ex publicis judicibus, vel aliquis ex judiciali potestate, in monasteria, Ecclesias, castella, vicos, & agros, loca, seu reliquas possessiones prædictæ Ecclesiæ, tam ultra quàm juxta Rhenum vel Ligerim fluvium, in pago vel territoriis, quæ infra potestatem regni nostri memoratæ

Cellæ SS. Maximini, Paulini, Eucharii.

Horreensis monasterii conditor S. Modovald.

Ecclesia S. Martini Miginensis.

Ecclesiæ Trevericæ exemptiones.

possidet

*possidet Ecclesia, vel, quæ deinceps in jure ipsius sancti loci voluerit divina potestas augeri, ad causas audiendas, vel * freda, aut tributa, aut conjectos aliquos exigendos, aut mansiones vel * paratas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ distringendos, aut injustas exactiones requirendas, vel telonium exigendum, nostris & futuris temporibus ingredi audeat, vel ea, quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat; sed liceat memorato Præsuli, suisq; successoribus omnia præfata monasteria, villas, vicos, & castella cum suis adjacentibus, in integrum, perpetuo tempore, pro remedio animæ nostræ, seu parentum nostrorum, ut in præcepto piissimi genitoris nostri continetur, quieto ordine possidere, & nostro fideliter parere imperio. * Vt hoc itaque nostræ autoritatis Præceptum, pleniorem in Dei nomine obtineat vigorem, & à fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ, nostris videlicet præsentibus & futuris temporibus, veriùs credatur, & diligentiùs à successoribus nostris conservetur, manu propriâ firmavimus, & annuli nostri impressione signari jussimus. Signum Caroli gloriosissimi Regis.*

* multas, vulg. fraud.

* adparatas

Suavis ad vicem Ercanbaldi recognovi. Data Kalend. Septembr. Anno VI. regnante Carolo piissimo Rege, Indict. XI. Aristalio palatio, in Dei nomine, Amen.*

CCIX. ANNUS CHR. 774.

Regino, cui consentiunt annales alii.

Inde Carolus in hiberna concessit Theodonis villam; ubi cùm degit, Petrus legatus ab Hadriano Pontifice missus, eo venit oratum, ut avi patrisque exemplo, laboranti graviter Ecclesiæ, ac sævam Desiderii tyrannidem sentienti re quâ posset, opitulari vellet: Longobardum jam pridem Italiæ perniciem atque servitutem anhelantem, nunc oppidis Ecclesiæ ademptis, ipsi etiam urbium Urbi pestem exitiúmque comparare; neque interim ullam quamlibet æquam pacis conditionem, accipere. Hujus* tam præcipitis amentiæ atque in Ecclesiam Romanam odii caussam, haud quaquam esse in obscuro. Id unum nempè omni conatu studióque pugnare Longobardum, ut Carolomanni liberos Pontifex vel invitus Franciæ gubernaculis admoveat. Quod sanè quanti publicè privatimque interesset, facilè ipsum intelligere. * Carolus, ut in asserenda Catholica pietate impigrum semper animum præstiterat, itâ periclitante capite, nihil priùs antiquiusque sibi duxit, quàm summi Pontificis perspectâ voluntate, acerrimum se deinceps injuriarum ejusdem ostendere vindicem. Legato igitur cum benignissimis responsis dimisso, ne quid temerè suscipiat & inexploratum, è vestigio suum legatum subsequi jubet; qui Desiderium de restituendis D. Petro possessionibus, commonefaciat. Eo verò cunctante, ac in dies deteriora quoque

Almoinus & Anastas. in Adriano.

moliente, iterum Carolus mittit, qui numeratis solidorum quatuordecim millibus, iratum mansuefaciant; at his item nihil omnino proficientibus, ad extrema denique consilia Rex descendit. * Quippe Theodonis villæ agitato negotio, consentientibus procerum omnium studiis, sententiisque bellum decretum est. Multóque id maximum fuit, quo Longobardici nimirum imperii in Italia excisæ vires, parsque orbis nobilissima in arbitrium cessit victoris. Sanè delectus ubique in regno acerrimè agi, atque majore curâ parari copiæ, ut manifestò jam liqueret, Francos se non tam ad Ecclesiæ subsidium, quàm tyrannidi Longobardorum finem adferendum accingere. Exitus itaque belli is fuit, ut profligatis fusisque Desiderii copiis, ipse demum Papiæ inclusus, cùm diutinam obsidionem ferre nequivisset, cum uxore, liberis, ac regno, deditione in Caroli potestatem veniret. Quapropter non omnia modo bello rapta Ecclesiæ reddita, sed Corsica, Sardinia, Sicilia, aliisque novis provinciarum id genus ipsa muneribus, affecta: Felicius igitur largitione suâ Caroli donum. olim námque possedisse, jacturæ dolorem habere potuit; tantum restituisse, lætitiâ carere non potuit. Id quod innuit Anastasius in Adriano, & ipse Adrianus aliquanto post ad Constantinum Græcum Imperatorem scribens: *Carolus Dux Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum, Apostolicæ Dei Ecclesiæ ob nimium amorem, plura bona in perpetuum obtulit possidenda, tam provincias, quàm civitates, seu castra & cætera territoria, & patrimonia, quæ à perfida Longobardorum gente detinebantur, brachio forti eidem Ecclesiæ Dei restituit.*

Bellum decretũ Theodonis villæ adversus Longobardorum Regem Desiderium.

In Caroli vita Eginhart cæterique scriptores Franc.

Confectum cum insigni Ecclesiæ Romanæ emolumento.

CCX.

His ita perpetratis, Carolus victor, liberator & vindex Italiæ, ferreâ coronâ, quam Modoëtiæ in Italia, more eo in posterum sancito, acceperat, redimitus, & extraordinario Patriciatus & novi regni titulo insignitus, simul Desiderium cum uxore ante ora captivum ducens, triumphali decore, suorúmque cuncta, uti quidem erant, pro egregiis accipientium, applausu, rediit in Franciam. Et Longobardorum Regem certè Leodium Carolus, perpetuo istic exsilio cum conjuge victurum deportari jussit; eúmque reperio tum ibi hospitio perliberali Agilfridi Præsulis ad tempus usum. At verò Paulum Diaconum Desiderii latere Rex demovit; hominémque magnis apud Longobardum honoribus, ut cujus arcana tractaverat, perfunctum, ob ingenii doctrinæque præstantiam in suum palatium adscivit; ubi magnâ cum Agilramno Mediomatricum Antistite, necessitudine contractâ, mutuo demum amori studium hoc dedit, ut cohortante simul Carolo Rege, Metensium Præsulum acta, repetitis retro sæculis in codices mitteret, ac literis ad posteritatis famam propagaret. Verùm annotatis, quæ præsens traditio, atque superstitum etiam tum hominum memoriâ suggerebat; nihil admodùm supra Hunnicas cæterasque barbaricas urbis florentissimæ clades, * de Episcoporum veterum gestis rebus, proditur assecutus. Theodonis villæ se commoratum, de Scritobinis maritimis Germaniæ populis agens, non dissimulat; nam, ubi discriminis pro situ climatum,

Desiderius Rex captivus Leodiũ deportatur.

Agilfridus Leodiensis Episcopus.

MS. Metens. & Leodiens. Ecclesiæ & ipse Paulus in hist. Longob. l. 6. c. 16.

Paulus Diaconus in Caroli palatiũ assumitur.

Metensium Præsulum acta mandat literis.

Scritobini populi maritimi.

Theodonis villæ degit.

Lib. 1. c. 5.

tum, dierum noctiumque causas attingit, quia scilicet quò magis à solis linea disceditur, hoc umbræ excrescant longiores, se in Gallia Belgica constitutum, loco, qui Theodonis villa dicitur, circa Domini Natalem horâ diei sextâ, umbram, ait, staturæ suæ dimensum, & comperisse pedes habere novendecim ac semissem. De eodem id memorabile item accepimus, conditionis licet haud paulò quàm ejus domino obtigerat honoratioris, pertæsum tamen, evasisse fugâ in Italiam, atque ibi magnos, qui ab Adelberga Desiderii filia deferebantur, contemptis honoribus, & mundi vanitate atque inconstantiâ despectâ, Casinensi impetrato cœnobio, monachum induisse.

Cōfugit palatio spreto ad monasterium.

CCXI.
S. Lullus serò pallium impetrat ab Adriano.
Bibl. Pat. t. 2. [illegible] c. 15.
Tilpinus Remensis, Weomadus Trev. Possessor Episcopi inquirunt in vitam S. Lulli.
* [illegible]
Weomadus Trevir. Adriano Pontifici notus.

Ad hoc quoque tempus retulero Adriani Epistolam, quâ, raræ observationis argumento, Lullum Maguntinæ sedis Archiepiscopum, legitur ab Adriano super ordinationis suæ ingressu conventum, seróque nec citra discussionem, impetrasse pallium. Etenim cùm, hisce diebus Tilpinus ex monasterio S. Dionysii exortus, Remensis Ecclesiæ cathedram obtinuisset, Caroli Regis & Fulradi Abbatis Franciæ Archipresbyteri rogatu ac commendatione, luculentum ab Adriano rescriptum tulit, quo & Pallium illi, ac veteres Ecclesiæ istius exceptiones & privilegia concessit. atque insuper ipsi ac * Weomado nostro negotium dedit, ut in Lulli ordinationem, vitam, ac mores, inquirerent. Quippe de Lullo ad se quædam perlata scribit, quamobrem cupiat, ut Tilpinus Weomado & Possessore Episcopis assumptis, unàque adhibitis Caroli legatis, diligenter de ipsius ordinatione, fide, doctrina, conversatione, quæstionem exerceat: quo, si dignum amplissimâ illâ functione reperiat, Pallio de more ei transmisso, ordinationem ratam habeat, & in eadem sancta Ecclesia Maguntina Archiepiscopum constitutum esse velit, & jubeat. Id quod ab Adriano ita curatum sedulò quidem reor, quia Lullus à Bonifacio superstite dum successor designatus, Pipini potiùs consensu, nutúque, quàm summæ sedis autoritate pro temporum præsenti necessitate, & idoneorum hominum inopiâ, munus id capessierit, Pallii interim seu petendi, seu impetrandi, Longobardorum armis alísve casibus exclusus opportunitate.

Cur Lullus ordinatus serò confirmatus.

CCXII.
Ingelheim vulgo patria Caroli Mag. [illegible]
Saxones à Carolo coerciti.

Carolus inde profectus in vicum Ingelheimium, ubi ob palatium exstructum crebriùs egit, & illic fuisse editum in lucem vulgi canit fama, exiguum sibi tempus ad quietem sumpsit. Nam certior factus, Saxones per absentiam suam malè quietos sumpsisse bellum, quatuor militum turmis in eorum fines immissis, potitus victoriâ, ingentem prædam in Franciæ regnum avexit.

CCXIII.
Cantus Ecclesiastici formandi studiū Carolus Mag. suscipit.

Walafridus Strabo.
Ex legibus Caroli c. 27. & Sigebert.

Eodem anno, cùm non minore bellicæ laudis, quàm pietatis excolendæ studio teneretur, cantum Gallicanum, cujus in Ecclesiis tum frequens usus, ad tuendam religionis concordiam, emendandum, Romanáque gravitate condiendum putavit. Id jam pridem Stephanus Pontifex, Pipino rogante, negotium susceperat; qui cantum etiam in Gallia receptum, quòd à Romano nimium dissonaret, antiquaverat. Carolus proinde, ut discordiam omnem ab Ecclesiis in futurum tolleret, easque ut uno Latini sermonis vinculo nexas, ita convenienti ac gravi vocum harmoniâ temperatas, inter se devinciret, clericos Romam misit, qui antiquum ibi, & autoritatis plenum cantum perdiscerent; porróque Gallos deinde & Francos omnes edocerent. Per hos itaque primùm omnium Metensis Ecclesia, ut quam Chrodegandus ad eas vocum flexiones jam ante instituerat, ac Gallia deinde universa, cantum accepit Romanum. Providè verò gravitérque factum à sapientissimo Rege, ut minutis etiam rebus suis ille discordiæ labem non pateretur, haud ignaro, quàm sensim degeneres ritus illapsi clericorum animos, pravis studiis, malísque doctrinis, repentè totas Ecclesias confunderent. Et verò, si multarum civitatum in Græcia quondam interfuit, antiquum vocum conservare modum, utpote, quorum mores lapsi ad mollitiem, pariter cum cantibus immutarentur: quid ni in gravissimis istuc item Reipublicæ Christianæ curis sit, dare operam, ut ubi severitas amœnitásque cantûs cecidisset, auribus mutatis, ne morum mutationi simul locus esset? Altiùs nimirum hæc, & ab ipsis Gregorii Magni moribus accersita consuetudo; erátque palam, Galliarum & Germaniæ Ecclesias vocum inconstantiâ plurimum laborare: cùm restitutâ sæpiùs arte, & subinde identidem Româ cantoribus, jucunda & suavia omittentes, vitio quodam insito, grandia & sine nitore sonantia redderent.

Romanus cantus per Galliam usurpatus & Germaniā.

[illegible]

Vita Chrodegandi [illegible]

CCXIV.
Joan. Diac. l. 2. vita Magni Gregorii c. 7.
Germanici Gallicique cantus vitia.

Errati causas non siluit Joannes Diaconus: In Gallicis namque Germanicisque corporibus, bibuli gutturis asperitas offendit: quare, cùm inflexionibus & repercussu suavem edere cantilenam nituntur, nativo quodam fragore, voces agrestes & horridas jactare, ceu plaustra per gradus confusè sonantia; sicque aures animósque audientium strepitu & clamore magis exsurdari, quàm blandioris soni dulcedine permulceri. Cæterùm hujus instituti Carolini fructum & laudem, Sangallensis quidam cœnobita in actis Caroli Magni sic expressit; ut ex Metensi Ecclesia propagatâ canendi genuinâ normâ, per totam Franciam; inde testetur Ecclesiasticam cantilenam, dici cœpisse Metensem.

[illegible]

CCXV.
Annus Chr. 775.
Saxonicum bellū atrocissimum.
Eginhard. Annal.

Hinc Saxonicum bellum, quod intermissum aliquamdiu, ut majore mole gliscerer, exarsit; quo, ut in Caroli vita scriptum fecit Eginhardus, nullum neque diuturnius neque atrocius Carolus aut suscepit, aut administravit. Præter insitam namque transrhenanis etiam tum populis barbariem, Saxones supra modum efferati, ut in summa veri numinis ignoratione, dæmonum nefando cultui ad insaniam usque dediti, fallere pactorum ac fœderum religionem, humana juxta atque divina jura proculcare, & dummodò pax ac libertas etiam dolo provenirent, nihil pensi habere. Suberant & alia his non minora belli momenta; regionum termini utriusque gentis pœnè ubique in plano confines, & mutuò hærentes, ubi mutabilibus in diem causis, cædes, rapinæ, & incendia vicissim fieri sueta. Quibus adeò Francorum irritabantur animi, ut jam non paria faciendo ulciscendi cupidinem amitterent, sed justis expeditionibus triginta trium annorum, atrocissimas à

feroci

feroci gente pœnas reposcerent. Donec non suum magis, quàm Christi jugum accipere coactam, incredibili fortitudine atque animi invictâ constantiâ Carolus universam denique nationem debellavit.

CCXVI. ANNUS CHR. 776. Saxonici belli majora incremẽta. Marcodurũ jam tum Duria.

Porrò sequenti anno, Marcoduri, qui locus Duriæ villæ vocabulum tunc ferebat, consilium gerendi belli Saxonici, convocatis in unum proceribus, agitavit: nec mora; cum deliberatione res ipse copulat; exercitum in Saxoniam deportat; excisisque momento, quæ obstabant, munitionibus, ad Visurgim arma prolata, & utraque fluminis ripa Austrasianorum frænata præsidiis. Ad extremum, obsidibus acceptis, ingenti Saxonum editâ strage, Carolus victor, prædaque variâ lætus, in Elisatium redit, ad infantiæ Christi lætitiam Slezistadii exigendam.

CCXVII. Elisatium petit Carolus, ubi Slezistadium.

Carolus in Italiam fert arma.

Jam verò, ut Carolum disjunctissima quæque rei gerendæ mirabili quadam alacritate velut admovere diceres, Rotgandum Forojulianum Ducem, genere Longobardum, certior factus res moliri novas, copiis trans Alpes portatis, Forojulium ingressus est; ubi Rotgandus simul in aleam pugnæ sese committit, fusum acie captumque securi plecti rebellem jubet. Paschate jam Tarvisii peracto, Wormatiam adiit sospes; frequentissimum ibi regni totius conventum celebrans. Inde mox, in Saxonem, dubiâ cervice contumacem, vertit signa; atque instar procellæ, obvia quæque vastans trahensque flammâ & ferro, supplicem ad * Luppiam amnem innumeram habuit Saxonum omnis ætatis atque sexus multitudinẽ, ejus generis, quos Westfalvos appellabant, baptisma Christiano ritu poscentium.

Mox Saxonibus imminet.

* al. Lippiam.

Westfalvi Saxones.

CCXVIII. ANNUS CHR. 777. Paderesbrunna.

Natalis inde, proximè Leodium Haristalio peramœno vico transactus; & injectâ Saxoniæ constituendæ magnâ spe, Carolus Paderesbrunnam usque progressus, atque eum in locum venire ad consilium gentem universam coëgit; desideratus inter proceres, unus Wittichindus; is, qui æterno quodam Franciæ gentis odio, magnorum deinde motuum & defectionum autor caussaque fuit.

Wittichindus Saxonum dux.

ANNUS CHR. 778. Caroli in Hispaniam adversus Saracenos expeditio. Eginardus & alii.

Succedente jam novo anno, quæ Caroli memorabilis extitit, & propria ferè in rebus moliendis efficiendisque velocitas, cùm Mauros sive Saracenos armis suis opprimere Hispaniam, & in Vasconum fines eam hominum pestem redundare didicisset, copiarum ex toto regno & auxiliorum ingenti contractâ manu, ardua Pyrenæi juga superavit: multisque castellis expugnatis, aut deditione captis, Saracenum in Hispania adortus est; profligatâque nefariâ gente, exercitum victorem inde reportârat, nî Vascones in Pyrenæi saltu positis insidiis, extremum agmen malè in reditu excepissent. Non taceo de hac Hispanica expeditione legi diversam narrationem, ut & libellum de Caroli Magni vita fabulosa, Turpini nomine vulgatum; quem editores immeritò Rhemensi Episcopo Tilpino affingunt, cujus ab ævo & ingenio ista de Rolando & Guenilone vana commenta eruditi longè relegant.

Tilpini vel Turpini libellus de Carolo Magno, improbatus.

CCXIX. Surius tom. 7. in Deodato.

Fuisse tum adhuc in humanis B. Hildulphum Trevirensem olim Archiepiscopum, jam verò in Leucorum solitudine Vogesi montis eremicolam, actis S. Deodati traditum invenio. Et unà aliquandiu vixisse, documentis monasterii vallis Galilææ seu Deodatensis, confirmant, quod ipse monasterium variis item beneficiis affecisse traditur. Cùm verò Deodatus, annô postero ad XIII. Kalend. Quintileis, beatam & ornatissimam virtutibus animam Christo diutiùs debere nollet, affuisse ferunt morienti Hildulphum, & ejus adversus colluctatoris humanæ salutis petitiones, Christianis præsidiis ritè muniisse pectus. Pro qua etiam sententia loquitur Hildulphi vitæ commentarius, cum tricesimo demum sexto anno commorationis in eremo, quadragesimo autem translati ab eo in novam Basilicam S. Maximini, vitâ defunctum affirmans. Nos verò, ut hujus temporis, sinè quàm vacillantis rationes, in medio relinquimus, ita Trevirensium gestorum opinionem damnamus, quâ, procul in secessu degente Hildulpho, persuasisse volunt, pro eo neminem, dum viveret, iniisse sedem, quod, ut narravimus, planè ipsius vitæ monumentis adversatur, quæ discedenti mox Weomadum subjiciunt successorem. De morte verò, sic tradunt; devectum ad ultima vitæ spatia, cùm socii fletu ac summo mœrore, desiderium testarentur proficiscentis, frigente jam parte corporis, assurrexisse; & porrectâ ad benedicendum manu, pacem, veniamque precatum ab adstantibus; efflâsse sanctam animam, quinto Id. Julii, quæ dies est ejus etiam memoriæ in Ecclesia consecrata. Rarum specimen honoris pro sanctitatis admiratione, & extincti desiderio impertitum funeri, effuso discipulorum examine, ad pompæ frequentis obsequia. Illatus in D. Gregorii Basilicam, non diutiùs ibi quievit, quàm cœlestium prodigiorum ac miraculorum quasi voce monuit, se capaciore ac augustâ magis sede, recipi posse. Quare in Virginis Dei matris translatus ædem, Mediano monasterio dextrorsum sub eleganti fornice tumulum accepit, venerabilior beneficiorum amplitudine, quæ dæmonibus fugandis, aliisque signis patrandis, extremis Lotharingiæ populis, fidus hodièque patronus offert.

S. Deodatus in Vogeso solitariam degit vitã.

Monasteriũ Vallis Galilææ Deodatensis.

B. Hildulphus non sine successore reliquit sedem vacuam.

B. Hildulphi Trevirorũ Archiepiscopi mors.

Funus & sepultura.

Medianum monasteriũ in Vogeso.

CCXX. Joannis & Benigni fratrum mors.

MS. acta vitæ.

Memorabilis hinc mortis exemplum B. Hildulphi acta promunt duorum fratrum, quos dies viginti & unum magistro superstites, raro divinæ concordiæ argumento, una eademque lux & eremo dedit, & vitæ carceribus emisit, pridie Kalend. Augusti. Fuêre illi Joannes & Benignus Treverici ex S. Maximini familia, quorum iste presbyter, hic Diaconus, assiduam Hildulpho in tremendis mysteriis operam dederant. Supervixit Benigno Joannes tantisper, dum suprema de funere mandata daret. Rogantibus itaque de sepulturæ loco cœnobitis, qui lectulo adstabant: *Absit*, inquit, *ut fratres vel in hac vita, vel altera separemur. Unius nos genitricis uterus in hanc lucem effudit; sub uno Magistro solitudinis artem meditati sumus, unus nos uni DEO commendat ab hac vita discessus; unus, obsecro, recipiat ambos, claudatque tumulus, donec veniens resuscitet Dominus.* Quæ totidem ibi pœnè verbis: additurque in B. Gregorii æde conditos uno monumento.

CCXXI. ANNUS CHR. 779.

Eodem fermè tempore, cùm solemnem Carolus expeditionem in Saxonum fines molitur,

Controversia Weomadi Archiep. cum Assuero Abbate de Cella S. Goaris.

litur, Wormatiæ interim religioni indulgens, adit eum Weomadus Trevirorum, & Assuero Prumiensi Abbati litem intendit, de dominio Cellæ S. Goaris, eam ex jure dictitans, in Ecclesiæ suæ possessionibus numerari, Assuero contra, hæreditariam obvenisse Carolo contendente, nec quicquam ejus esse Trevirorum Ecclesiæ: adhæc à glorioso Pipino Rege fidei commissam suæ; igitur appellare se ad clarissimi Regis hæreditatem, & jus, quòd in eum competat, successionis. Porrò autem, iis diu multúmque de loci possessione altercantibus, cùm res peragi amicè, privatâ disceptatione nequit, placuit controversiam summo jure experiri. Ventum itaque in jus est. Et sanè Carolus non semel, verùm iterum ac sæpiùs fidelissimos legatos Trevirim destinatos, judicia actionibus eorum cognoscendis dedit; qui cognitâ causâ ac diligenter exploratâ, Regii, non Ecclesiastici juris esse possessionem, invenerunt. At verò Weomadus hîc minimè acquiescere; sed legibus agere, sibique porrò dominium vindicare. Ubi igitur res ita convenire non potuit, anno septingentesimo octogesimo, Carolus frequenti procerum ordinis utriusque conventu, in Saxonia, ad * Luppiam fluvium, jus ipse dicere, & secare litem parat; caussáque discussâ & contestatâ lite, ab Assuero testibus adhibitis duodecim, postquam Ratbertus monasterii patronus testésque jurati contenderunt, Cellam regii juris esse; proceres unanimi consensu, litem addixêre Carolo. Sententiâ pronuntiatâ Weomadus ultrò cedere visus. Carolus ne rem egisse propriam, & litem in sua appareret transtulisse commoda, mox suorum consilio, monasterio Prumiensi Cellam donavit, edito donationis ejus privilegio, quo, Wandelberto autore, testatus est, se pro amore Christi & eleëmosyna parentum suorum Pipini Regis & Reginæ Berthradæ, Cellam ipsam hâc lege, jam dicto monasterio subdere, ut omni deinceps tempore Rectores ejusdem monasterii eam tenere, & rebus etiam liberâ conditione in usus suorum Deóque servientium fratrum necessarios, uti; ac sine ulla cujusque contradictione, quæ utilitati communi competerent, de ea facere & ordinare possent. Neque rebus solummodo, quas eo tempore Cellæ dominium retineret, sed & illis, quæ futuris successionibus acquisivisset, jure firmissimo uterentur. Atque hoc caput juris est optimi, quo Cellam & oppidum B. Goaris, Prumienses Abbates ac præsides ad hanc nostram usque memoriam possederunt.

Wandelbertus in actis S. Goaris.

Regino.

ANNUS CHR. 780.

* Lupia, & Lippia.

Cella B. Goaris Prumiensi cœnobio donata.

Wandelbertus in actis S. Goaris.

Prumienses Abbates Cellæ S. Goaris possessores.

CCXXII.

Regino aliisque.

Dum hæc in Treviris aguntur, Carolus assiduo contra Saxones bello implicitus, cum haud facilè Italiam absens tueri ac retinere in officio posset, Pipinum filium Reipublicæ admovit, Regemque Italiæ, partitâ curâ, constituit. Itaque è bello Saxonico, anno jam senescente, reversus, cum Hildegarde uxore & Pipino ac Luduico filiis religionis causâ Romam pertendit; annóque postero urbem ingenti Pontificis lætitiâ introiit. Ibi tum Adrianus veterum ac recentium beneficiorum memoriâ gratus, Carolo nihil se poscenti denegaturum ostendit. Ipso namque paschali die, magnâ omnium, qui frequentes aderant, approbatione ac studio, Pipinus Italiæ, & Luduicus Aquitaniæ Reges appellari, & sacerdotali à Pontifice unguento perfusi; alterque Pipinus baptismatis fonte ab eodem & tinctus, & levatus est.

ANNUS CHR. 781.

Pipinus & Ludovicus Romæ ab Adriano, consecrati Reges.

CCXXIII.

S. Weomadus moritur.

Post hæc, in humanis esse desiisse Weomadum, fit constans postulat insequentium Antistitum ordo, tametsi de ætate, præter conjecturam, nil suggerant majores. Eum vitæ laudabiliter purèque transactæ constantia, cœlestium ordini adscripsit; estque à posteris etiam Sanctus appellatus, quâ tametsi laude nullâ possit major excogitari, amplius tamen aliquanto dici putamus, si facultatibus Ecclesiæ suæ propagandis non modò tuendis impigrum; ab religione procuranda, plus quàm strenuum, fuisse repetimus. S. Castorem decentiori tumulo collocavit, populo cleroque Carodonam usque Pontificem comitante, ac tridui abstinentiâ, propitiante Numen. Gesta hæc Martii insigni pietate sacerdotis ductu & autoritate; qui à B. Castore inter quietem, constanti viso, ac recurrente tertiùm, de loco sepulchri admonitus, latentem denique è tenebris eruit, ac favore operâque Weomadi, sanctissimis ad eam rem adhibitis ceremoniis, tanslatum è Virginis Matris templo, in æde D. Paulini Cardonæ reposuit. Sed Weomadus VIII. Novemb. decedens, in Basilica D. Maximini sepelitur, juxta decessorum suorum monumenta, & in amplissimo sacerdotii gradu post eum RICHBODUS Mediolacensis Abbas, Archiepiscopus datur; quo de, præter nomen, memorabile apud antiquos vix reperias quicquam. Ita languent in hac memoria, qui in Assyriorum ætate sunt diserti.

Ejus vitæ sanctitas.

Elogium.

Acta S. Castoris.

A S. Weomado B. Castor levatur & transfertur.

Martius S. Castoris Caradonæ sacerdos.

RICHBODUS 34. ARCHIEP. 60. EPISC.

Anno itaque postero Carolus, ut etiam deinceps sequentibus, prætervectus Coloniam, & coacto apud Luppiæ fontes procerum conventu, curâ, quàm unquam aliàs accuratiore, in bellum Saxonicum incubuit; & è vestigio, quòd jam rebellaverant, in eorum fines illatus, cruentâ cum iis acie conflixit, duobus prœliis secundissimo eventu factis cæsisque ad internecionem pænè ac deletis eorum copiis. Inde tantisper ab armis quietus, dum mortuæ Bertradæ matri, quam summâ pietate coluit, justa facit, & in defunctæ locum Hildegardis Suevicæ stirpis, Fastradam gentis Orientalium Francorum novis sibi nuptiis jungit.

CCXXIV.

ANNUS CHR. 782.

ANNUS CHR. 783.

Carolus Saxonica bella prosequitur.

Eginard. Regin. ann. Fra...

Anno sequenti, ubi idoneum belligerandi tempus affuit, Carolus eodem impetu, cum filio partitis copiis, exercitum per Thuringiam in Ostphalos, & per Agrippinensium fines, ducit in Westphalos. Sed Westphali furore præcipites, apud Luppiam vico Dragino, instructâ ad pugnam acie, filio Regis audacter occurrunt; neque segniùs Franci, ut quæsito diu prœlio, alacriores se discrimini offerunt; primóque impetu, fusis hostibus, victoriam haud ignobilem reportant. Atque his sanè tam frequentibus prœliis, Carolus tantùm pavoris, ac trepidationis barbaris, tum ferociâ pœnè invictis, attulit, ut jam veluti fractis ac debilitatis animis, postero anno securè cum exercitu fines eorû ingrederetur, latéque vastatis agris, nemine obsistente, incolumes inde suos reduceret. Animosos itaque Saxonum spiritus omnino jam contusos ratus,

CCXXV.

ANNUS CHR. 784.

Ostphali Westphali

Carolus ... aestralia Saxonica ... matus, e... rum duc... ad pacis f... dera invi...

consilio

Saxonum conversio, Wittichindo & Albione præeuntibus
Annal. Franc. Pithœi edit. Regino & alii hac scrip.

consilio Paderesbrunnæ habito, Wittichindum & Albionem pacis bellique artibus præstantes tum in Saxonia Duces, missis legatis, ad se accersiri jussit, præstitâ sacramento fide incolumitatis. Qui, acceptis obsidibus, ac Dei Opt. Max. nutu impulsi, ad Carolum Attiniacum venêre, ubi cùm positâ barbarie, condocefacti, salutarem divinæ lucis radium clariùs adspexissent, sacrosancto ritu Christianorum, vitalibus undis abluti, atque in Ecclesiæ Catholicæ gremium sunt recepti. Hos reliqua deinde multitudo secuta, in jus atque ditionem Francorum universa concessit.

CCXXVI.
Antiq. Fal. l. 1. Alcuinus Flaccus familiaris Richbodo Archiepisc.
Epist. num 17. Tom 1. antiq. lect. V. C. Henrici Canisii.

Alcuinus Flaccus, quem alibi laudavimus, hâc ætate Doctor eximius in Gallia Germaniáque, apud Magnum Carolum, & omnes literarum & scientiæ cupidos, florebat. Hunc, recens *editæ epistolæ monebant, cum Richbodo Trevirorum Antistite fuisse amicitiâ & sapientiæ studio copulatum; sed pereunte, quam requirimus, epistolâ, sola vitam retinuit epigraphe.

AD PONTIFICEM RICBODUM TREVIRENSIS CIVITATIS & * Conventum.

** Synodalem interpretor.*

Angilramni Metensis Episc. dignitas.
M. S. & Paulus Diacon.
Romæ degens ab Hadriano Papa accipit Angilramnus canones.
Tom. 3. Concil. Venet. edit.

Sed Angilramni Metensium Præsulis longè quidem viridior gloriæ palma, pro illius Ecclesiæ tunc & urbis amplitudine in excelsum surgebat; cùm ipse in Caroli Magni palatio Archicapellani honore sublatus, mox etiam Apocrisarii Romanæ sedis munus, in Austrasia gessit. Et Romæ quidem per hoc tempus magnum utique negotium sustinuit; quando Adrianus Pontifex controversiæ noscitandæ, Angilramnum, insigni canonum adparatu muniit, quo Episcoporum judicia caussæque regi & administrari solent. Quod in conciliorum actis disertè sic narratur: *E Græcis & Latinis canonibus, & Synodis Romanis atque decretis Præsulum, ac Principum Romanorum hæc capitula sparsim collecta sunt, & Ingelramno Mediomatricæ urbis Episcopo à beato Papa Hadriano data, sub die decimo tertio Kalendarum Octobris, Indictione nonâ, quando sui negotii causa agebatur.* Atque hæc Indictio sibi vendicat annum Christi supra septingentesimum octogesimum sextum.

ANNUS CHR. 786.

CCXXVII. Italiæ motus per Carolum repressi.

Regino. & Annal. Fran. Eginard.
ANNUS CHR. 787.

Vix motus Saxonici sopiti, cùm in Italia, sequenti anno, exorta nova rursus bellorum incendia. Aragisus Dux Beneventanus, fastu supra conditionem elatus, defectionem moliri jam propalam, & infesta portare arma in Pontificem Romanum cœperat. Quod ut Carolus per nuncios Hadriani Pontificis didicit, confestim idoneis ad id equitum pedi̇ûmque copiis paratis, tantâ celeritate Alpium prærupta, ineunte hyeme, superavit, ut priùs arma, quàm adventum Regis, Italia sentiret; Romámque ad visitanda Apostolorum limina ingressus, consilia rei gerendæ cum Pontifice communicavit. Inde in Campaniam deportato exercitu, ubi Capuam belli sedem delegit, Aragisus tum demum intelligens, quàm impares adessent adversus tanti Regis potentiam vires, datis obsidibus liberis, deditisque populis, pacem ultrò poposcit, id unum flagitans, ne in conspectum Regis ipse venire cogeretur.

Aragisus dux Beneventi compescitur.

CCXXVIII. Austrasianorum conjuratio detecta
Sigeb. in Chron.
ANNUS CHR. 788.

Secundùm hæc in Caroli exitium, autore Harderico, conjuravêre Austrasiaci; sed indicio priusquam erumperet, patefacta conjuratio, multis necem ac mutilationem membrorum, aliis etiam exsilium attulit. Pari deinde armorum felicitate, & crescentis imperii Francici gloriâ, anno ineunte novo, Tassilò Boiariæ Dux malè quietus, rerum summâ ac dominatu exutus, sub jugum missus est; factáque tum Boiaria, Comitibus traditâ gubernatione, Caroli instituto provincia; atque ad Francici regni amplitudinem adjuncta. Porrò Tassilo hinc evocatus, & ad Carolum perductus, imminutæ majestatis nomine accusabatur: die igitur Ingelhemii constituto caussæ dictioni, auditis procerum sententiis, capitis eum supplicio plecti oportebat; sed damnato pœnam Regis clementia eripuit; quare ultrò Dux piaculi gratiâ, Laurisham Mediomatricum monasterium, tractûs Rhenani introiit, atque ibi cum Theodone filio per tonsionem sacram initiato, necessitas, quæ honesti non rara conciliatrix, virtutis & modestiæ officium attribuit.

Boiaria Tassilone subacto, Franciæ adjecta.
Annal. Franc. Aimol. l. 4. c. 10. Regino. Mar. Velser. Boic. rer. l. 5.
Tassilo Boiariæ Dux Laurisheimio includitur.

CCXXIX.
ANNUS CHR. 790.
Sigebertus.
Cantus iterum restitutus.

Anno DCCXC. Carolus, cùm non rei bellicæ tantùm, sed religionibus quoque tuendis, ubiubi posceret usus, expromit industriam, labantem iterum in Ecclesiis Austrasianis rectè sciteque canendi morem, ad Romanorum instituta præceptáque revocat. Nam Gallicanam Ecclesiam, constabat, musicas leges, varietate modorum interpolâsse; Metenses verò, à quibus hauriri disciplina sincerior poterat, item à tradita cantûs moderatione desciverant. Ab his itaque per cantores ab Adriano Pontifice Româ sibi denuò missos, corrigendi initium Rex fecit. Magna etiam tum subsidia pauperibus domi forisque præbuit; cumque insigni, ac Regiâ liberalitate, omnium egestati promptè subvenit; tum in transmarinos Christianos, Afros, Syrios, Ægyptios, & qui loca sacra insidebant Hierosolymis, abundè stipem erogavit; quódque ad ejus gloriam commendatius est, barbaros Reges ob id modò obnoxios fidósque sibi fecit, quò Christianis pacatè sub iis vivere liceret.

Caroli in pauperes munificentia.
Eginard. in ipsius vita.

CCXXX.
ANNUS CHR. 791.
M. Caroli in Hunnos expeditio.
ex. script. & Eginard.

Anno proximo Hunnos sive Avares, qui Pannoniam tenebant, eruptione copiarum validâ adortus est; quòd ii, juncto nuper cum Tassilone fœdere, priores in Boiariam irrupissent, & sacris olim Christianorum afflictis, templisque profanatis, ingens Ecclesiæ damnum intulissent. Priùs igitur exercitu ritè lustrato, & ad pietatem composito, Pannonici belli, quod in octavum annum per filium & legatos Comites administravit, auspicia ipse cœpit. Ergò Pannoniam ingressus, ubi profugum hostem, neque paci, neque prœlio paratum offendit, præsidiis undique dejectis, excisisque castellis, ac totâ depopulatâ regione quoquoversus, sese recepit incolumis.

CCXXXI.
WAZZO 35. ARCH. 61. EPISC.
ANNUS CHR. 792.
Eginardus annal. Marianus, Scotus, Sigeb. & Regino.

Ad hunc modum Carolus pace belloque regnum florentissimum habebat, cum WAZZO Trevirorum Archiepiscopus, pro Richbodo defuncto, creatus est. Anno autem insequenti, cum in Boica hybernans, contra Hunnos vigilat Carolus, Pipinus simulato morbo clam secedens, nefariè adversus patrem conjuravit, avito malo, regni cupidine illectus.

Fastrada Caroli conjux crudelior. *Eginardus in vita Caroli.* Pipinus Caroli nothus in Prumiense monasterium includitur. Ad bonam frugem perducitur.

Socios conjurationis habebat potentes homines in Francia, qui Fastradæ Reginæ muliebrem ferociam, quâ & Carolum alioqui mansuetum exacuebat, ferre ultra se posse negabant; sed, patefacto scelere, Pipinus pro gratia meritorum, solemni Principum pœnâ attonsus, & in Prumiense monasterium apud Treviros inclusus est; conjurati partim exsilio, nonnulli morte etiam affecti.

Cæterùm Pipino ex concubina nato decor oris erat, & apta generi forma, sed dehonestamento gibbi fœda. Traditus in disciplinam est Assuero Abbati Prumiæ; cujus industriâ atque pietate, ad omnem monasticæ virtutis honestatem cultumque traductus, vitæ tempus istic in ascetica, & virtutis Christianæ militia posuit. Nam, quod prudenter Eginardus annotavit, eum Carolus detonsum, religiosæ vitæ, jamque volentem, vacare permisit.

CCXXXII. ANNUS CHR. 793. *Sigeb. in Chron.*

Annus tum verterat, cùm Saxones, ut ipsorum erat ingenium, fidei ac fæderis immemores, iterum novis rebus studere, atque ad defectionem inclinatis animis, præcipiti se bello illigare. Rex autem priusquam se moveret, nihil faciendum sibi antè putavit, quàm omne periculum à sacris Christianæ fidei dogmatis propulsasset, & enata nuper Felicianæ hæresis semina maturis consiliis oppressisset.

Feliciana hæresis Caroli studio oppressa.

Origo istius mali à Pyrenæis montibus, quò primus eam Felix Orgellorum Episcopus, natione Hispanus intulerat. Is, ubi doctrinam exitiabilem palam profiteri ausus, proximè in Arrianorum partes ibat, ac intermortuam pæne perfidiam ab inferis revocans, volebat Christum Dominum adoptivum, neque naturalem esse Dei filium. Hujus rei itaque causâ ad Carolum in Boiaria versantem adductus, Episcoporum judicio, quos Carolus ibi congregaverat, hæreticus probatus est; missusque inde Romam ad Adrianum Pontificem, in Basilica S. Petri errorem pœnitentiâ retractavit.

ANNUS CHR. 794. Synodus Francofordiensis.

Interim Carolus, dum communis exigendæ paschalis lætitiæ Francofordiæ moratur, frequens eo concilium Episcoporum à Francia, Germania, atque Italia advocat; cui Theophilus & Stephanus Episcopi Pontificiæ vicis Legati interfuerunt, præfuerúntque. Eorum sententiis Feliciana doctrina, quæ cum Arriana faciebat, repudiata; atque in ejus damnationem Episcopi omnes subscripsêre.

Gabriel Vasquez de Adorat. Baron. tom. 10. Bellarm. tom. 1. lib. 2. c. 8. Synodi offensio.

Cæterùm, cùm hujus concilii in jugulanda secundæ Nicænæ Synodi authoritate, gravis animadversa fuisset offensio, jure merito Pontifex Adrianus eam partem postea damnavit, quâ pravè de Nicæna sentire videbatur. Frustráque & imperitè jactitant hostes Ecclesiæ, ceu cultum imaginum Synodus, unàque religiosissimus Rex Carolus improbâssent, cùm & imagines eum in magno semper honore habuisse, nec usquam in ipsius regno, ut impiè fit hodie, ex Synodi præcepto detractas, manifestè liqueat. Id itaque mãdandum animis errorem oblatum, imperitiâ dolóque partium Francofurtensi cœtui, ceu decresset Nicæna Synodus latriæ cultum imaginibus adhibendum; eoque promptiùs in eam iisse sententiam, ut legitimam eam Synodum fuisse, negaret. Error itaque Francofurdiensis ad facti, quod aiunt; non autem ad juris controversiam pertinebat.

Abstersa hæreticorum sæculi nostri calumnia.

CCXXXIII. *Regino & Wandelber.* Fastradæ Reginæ mors. A B. Goare dentium dolore liberatur.

Eodem circiter tempore Fastrada Caroli conjux vitam reliquit; femina, cui tametsi crudelitatis & sævitiæ notam adscribat Eginardus, pietatis laude clarissima. Hæc in vita magno dentium dolore vexata, cùm ad D. Goaris Basilicam remedium doloris oratum venisset, continuò, ut supplex facta est, præsenti incommodo caruit. Sepulta est Moguntiaci in æde D. Albani, ante aram B. Genitricis Dei Mariæ, in aquilonari vestibulo, cùm jam Richolphus Archiepiscopus Lulli successor, eodem in loco monasterium inchoâsset. Cæterùm Reginæ, candido marmori insculptus sepulchralis hic positus olim titulus:

Marian. Scot. & Megan. MS. N. Arm. Richolphus Mogunt. Archiepisc.

INCLYTA FASTRADÆ REGINÆ HIC MEMBRA QUIESCUNT,
DE MEDIO QUAM MORS RIGIDA FLORE TULIT.
NOBILIS IPSA VIRO CONJUNCTA ET JURE POTENTI EST:
SED MODO COELESTI NOBILIOR THALAMO.
PARS ILLI MELIOR CAROLUS REX IPSE REMANSIT,
CUI TRADAT MITIS TEMPORA LONGA DEUS.

Hæc de Fastradæ Reginæ titulo ex probæ notæ veterum monumentis, cœnobitæ ejusdem loci memoriæ mandavêre, cùm fortè Moguntiaci primariam ædem inspiciens, epitaphium ab hoc longè diversissimum reperiebam eidem Fastradæ positum, quod adscititio tamen cultu fucatum, literarumque peregrino quodam ductu, ac ipso denique metri sono, huic se ætati sponte subtraheret. Ponetur hic, ut penes alios ista quoque sit dijudicatio: nam priori olim subjectum fuisse, ex clade quapiam vel conflagratione ædis, interpretor.

FASTRADANA PIA CAROLI CONJUNX VOCITATA.
CHRISTO DILECTA JACET HOC SUB MARMORE TECTA.
ANNO SEPTINGENTESIMO NONAGESIMO QUARTO,
QUEM NUMERUM METRO CLAUDERE MUSA NEGAT.
*REX PIE, QUEM GESSIT VIRGO, LICET HIC CINERESCIT.
SPIRITUS HERES, SIT PATRIÆ QUÆ TRISTIA NESCIT.

A ☧ Ω

* Christe, quem Virgo peperit.

Adjiciuntur deinde sæculi nobis proximi versus hi:

Quæ Fastradana coram monumenta tueris,
Haud isto primùm fixa fuêre loco.
Aede sed Albano sacra, cæsisq; propinqui
Martyribus claro vertice collis erant.
Nunc ea quòd periit flammis hostilibus ædes,
Mota locis zelo sunt monumenta pio.

Porrò extra hujus urbis mœnia stant horridi ruinis parietes, solásque cladis ingerunt reliquias, ubi nobilis quondam Basilicæ facies enituit, vel hoc nomine visenda, quòd saxa retinet cum veteribus ab hoc ævo notis, quæ Riculfum Antistitem loquuntur conditorem.

Carolus

CCXXXIV. Nassovia S. Goaris, *al.* Nassonia.

Carolus deinde grati ac memoris animi officio, Nasoviâ villâ Cellam B. Goaris locupletavit. Ipse verò cùm peregrinarum linguarum esset longè scientissimus, per hæc tempora duodecim ad Lunæ cursum descriptis mensibus, ea nomina indidit, quæ hodiéque Germanicus usus, & quod Sigebertus affirmat, ipsi Carolo proprius, usurpat; ventos etiam duodecim, cùm quatuor duntaxat antea commodè possent, novis inventis vocabulis aptè significavit. Inde literas majestate imperii exæquans (tantum liberalibus ipse disciplinis tribuebat) Grammaticam scribere patrio sermone aggressus est. Parùm prosperè tamen, meminit Eginardus, successisse laborem hunc præposterum, & serò inchoatum.

Carolus M. usus vernaculo sermone Germanico seu Teudisco.

Carolus M. artes ingenuas discit & excolit.

CCXXXV. ANNUS CHR. 795. *Eginhardus. Sigebertus.* Carolus rem sacram ornat.

Anno verò, qui sequitur, & reliquo deinceps tempore, Basilicis ac Divorum ædibus ornandis, & publicis operibus ad decorem & usum, exstruendis, animum curásque commodavit, loca quàmplurima sacris vasis ac multiplici veste cohonestans; cavit etiam edicto, ne vel janitoribus in Ecclesia habitu profano ministrare fas esset.

Aquisgranũ & Aquisgranensis Basilicæ origo.

Cæterùm, cùm vehementer ipse caperetur amœnitate loci, qui Rhenum inter & Mosam, nemorum frequentiâ, & calentium lympharum scatebris hilarescit; atque iccircò Aquarum sive Aquisgrani ad hunc usque diem fert nomen, Basilicam ibi magnifici operis, ac Regali sumptu Deiparæ Matris nomini posuit; cui exornandæ perpoliendæque tantum studium adhibuit, ut non ex finitimis modò locis & Treviris nostris, quicquid ibi prisci marmoris ex ruinis supererat, sed & Româ Ravennâque magnam ejus partem evehendam curârit. At D. Petro Trevirensi hac de causa magna invicem munera eum impertivisse, libri testantur provinciales. At hujus magnificentiæ Regiæ monumentum ipse apud Aquas reliquit; cujus fragmentum hoc, spectatus ejus loci clerus nuper in lucem protulit. IBIDEM (Aquensi civitate) MONASTERIUM S. MARIÆ MATRI DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, OMNI LABORE ET SUMPTU, QUO POTUI ÆDIFICAVI, LAPIDIBUS EX MARMORE PRETIOSIS, &; ut supplet Eginardus, AUROQUE ET ARGENTO, ET LUMINARIBUS ATQUE EX ÆRE SOLIDO, CANCELLIS, ET JANUIS ADORNAVI. ITAQUE TAM EGREGIO OPERE HUJUS EXIMIÆ BASILICÆ, NON SOLUM PRO VOTO ET DESIDERIO MEO, VERUM ETIAM EX DIVINA GRATIA AD UNGUEM PERFECTO, PIGNORA APOSTOLORUM, MARTYRUM, CONFESSORUM, VIRGINUM A DIVERSIS TERRIS, ET REGNIS, ET PRÆCIPUE GRÆCORUM, COLLEGI, QUÆ HUIC SANCTO INTULI LOCO, UT EORUM SUFFRAGIIS REGNUM FIRMETUR AC PECCATORUM INDULGENTIA CONDONETUR.

Treviris ad eã marmor evectum.

ANNUS CHR. 796. *MS. gesta Trevir. Episc. de SS. reliq. invitatorio ann. 1608.*

Basilicæ Aquensis clerus.

Structura.

Reliquiæ.

Sanctorum suffragia.

CCXXXVI. Coronæ Basilicæ Aquensis inscriptio.

Addit Eginardus illustrem inscriptionem in margine coronæ lectam, quæ inter superos & inferos arcus interiorem Basilicæ partem ambiebat; cujus in extremo versu: PRINCEPS CAROLUS exprimebatur, observatumque eodem, quo decessit anno, literas, quæ Principis nomen exprimebant, sic funditus inductas, ut penitus non apparerent.

LEO III. PONTIFEX an. 20. m. 5. d. 17. Leo Pontifex legatos & munera ad Carolum mittit.

Exiguo inde temporis spatio interjecto, Hadrianus excellenti ac rarâ virtute Pontifex, diem obiit; munusque amplissimum Leo III. excepit. Qui missis è vestigio nunciis, officii sui esse duxit, Carolum ea de re facere certiorem; quem, ut arctiùs etiam sibi Ecclesiæque Romanæ devinciret, cum aliis eximiis muneribus affecit, tum claves confessionis S. Petri, & Romanæ urbis vexillum, per legatos illi obtulit. Quæ quidem legatio tam jucunda grataque Carolo accidit, ut aliquanto post cum bello Pannoniis illato, oppressisque ducibus eorum, orbis terrarum spoliis, quæ jam inde Hunni ab imperii Romani excidio, ut ferebatur, asservarant, Pipini virtute potitus esset, eorum magnam partem Romæ, velut in Apostolorum sinum infunderet, cætera piis hominibus ac benè meritis ducibus confestim erogaret. Ita, quod Carolus privatim possidebat, id regiâ prorsus munificentiâ, quasi commune mox omnium patrimonium efficiebat.

Eginardus Annal. Pit. Regino. & Aimoinus. Hunnorum spolia Carol. partitur cũ Ecclesia Romana.

CCXXXVII. ANNUS CHR. 798. Romanorũ seditio. *Anastasius in Leone probant, Regino. Marian. & recentiores. Blondus. Sigonius.* ANNUS CHR. 709. Leo Pontifex impiè violatur.

Annus abierat, cùm Romanos, auditum, longâ pace, ut fit, deteriores, priscâ quâdam, sed detestabili, usos in sanctissimum Pontificem licentiâ. Quippe Leo orbis pastor ab Adriani necessariis ac factione seditiosorum, quos ira præceps agebat & audacia, in ipsa, quam religiosè sequenti anno ducebat, supplicatione, graviter violatus est. nam ex insidiis in terram datus, raptusque per ora vulgi, eas plagas, ac vulnera accepit, ut semianimis, ac suo cruentatus sanguine, furentium & sæviora minitantium ægrè manus evaderet. Cùm itaque præclarè intelligeret Leo, quàm parum firmi superesset sibi Romæ præsidii, in tanta flagitiorum ac scelerum impunitate eripere se præsentibus contumeliis, atque ad Carolum unicum tum Ecclesiæ columen, salutis causâ, in Austrasiam contendere, non dubitavit. Eum igitur ut ad se venientem Carolus sensit, agebat is tum fortè Saxoniæ pacandæ intentus Paderesbrunnæ, exemplo Pipini patris, universi Christiani gregis pastorem omnibus censet honoris officiis colendum excipiendúmque. Cùm igitur adventum Pontificis Rex eo, quem dixi, loco, præstolatur, * Hildebaldum Archiepiscopum, Pipinumque filium interea cum lectissima procerum manu obviam mittit: hic denique venerabundus ipse occurrens, Pontificem adventantem, amplissimi religione, sacerdotii, moribus, queis assolet, adoravit. Inde verò, ubi Pontifex Angelicum hymnum: *Gloria in excelsis Deo* exorsus, cuncti simul præsentes clerici, consentiente voce reliquam partem retulerunt. Idoneam postea colloquendi opportunitatem Leo nactus, gravi oratione Romanorum in se injurias exposuit, rebusque præsentibus, opem atque remedium à Carolo poposcit; quibus cognitis, Carolus Pontificis

Qvis causa in Austrasiam venit.

* *al.* Gildivaldum.

animum in spem erexit; ostenditque quàm molestè sibi ea injuria accidisset: simul pollicitus operam daturum se, ut autoritate adducti, finem contumeliis Romani faciant.

CCXXXVIII. [Leo Pontifex Prumiensem Basilicam consecrat.] Posuit æstatem eam apud Austrasianos Leo, mirificis vicinorum Pontificum cujusque generis studiis, officiisque cultus. Inchoatam Aquis à Rege Basilicam XVII. Julii D. Genitrici; Prumiæ verò in Treviris, Salvatori ac B. Matri aliisque Divis, VII. Kal. Augusti prisco ritu ceremoniaque dicavit. [Horreensi Parthenoni privilegium dat; cujus annum & Pontificem temerè Kyr. IC. carpit.] Sed & amplissimo Horreensi monasterio in urbe Treviri privilegium à Modoaldo profectum sancivit: Virginibus potestatem creandi Antistitam ex suo corpore faciens; &, ne alienam ambitionem sustinerent, pace Metropolitani, extraneam induci vetuit. Privilegii tenorem à posteris, uti reor, interpolatum Annalibus infero, ut ejus dijudicatio sit penes lectorem.

PRIVILEGIUM LEONIS III.

EGo Leo Vicarius S. Petri Principis Apostolorum, meritis quidem impar, vice tamen ipsius dignitate Romani [* fungor] *fungens Præsulatûs, Cœnobium Horreense, à Modovvaldo Trevirorum Archiepiscopo, subministrante B. Modestâ,* [S. Modesta neptis B. Modoaldi.] *filia sororis ejus, è regalibus horreis,** [* à quo] *à quibus & nomen accepit, ad divini cultûs officium restauratum, post discessum B. virginis Irminæ,* [S. Irmina Horreæ inchoatrix.] *quæ prima hunc locum provehendum suscepit, tantâ reverentiâ & honore adprimè donatum (accepimus) ut Matre istius Congregationis vitâ excedente, nulla ab extraneis quocunque modo, sed una ex ipsis subrogetur, Principibus Ecclesiæ Trevirensis ex consulto faventibus sororibus electione* [* petitis;] *potitis; ipso quoque Præsule devotè annuente. Quod tanta autoritate subnixum, in æternum stabile permaneat & fixum; ut in nomine Iesu Christi D. N. sanctiâ, Præcessoris Petri, & omnium Electorum Dei, æterno servetur damnandus judicio, si quis Prælatus tanto hic commorantes exinanierit privilegio.* **** *Fiat. fiat. Amen. amen.*

[Regino. Chron.] Præcipitante ad exitum æstate, Leonem Carolus de procerum sententia honorificè in Italiam remittit, additque vindices in eos, qui reverentiæ sacerdotalis obliti, violentas Christo domini manus injecissent. Romam igitur cùm Pontifex, ingenti populorum lætitiâ, suis se reddidit, subsecuti mox Episcopi, Comitesque Francorum, qui Regis autoritate quæstionem de conjuratis exercuêre: eosque, cùm objecta non refellerent, catenis onustos, miserunt in Franciam.

CCXXXIX. ANNUS CHR. 800. Inde verò Christi nascentis anno octingentesimo, concilium totius regni Carolus Moguntiæ indixit; quo dimisso, multæ res eum hortabantur, quare transeundum sibi jam quartùm in Italiam duceret. [Carolus in Italiam cogitat.] Angebat eum Grimoaldi Beneventani Ducis defectio, & Henrici Forojuliensis Præfecti cædes; tum insignis exstimulabat Leoni Pontifici nuper irrogata injuria. Quibus omnibus rebus, quàm maturrimè, pro regia dignitate ac præclaro suo in Ecclesiam Romanam studio, occurrendum existimabat. Autumno itaque jam adulto, cum Pipino fauces Alpium ingressus, inde in Italiam trajecit; & exiguo spatio negotiis dato, Romam iter vertit; ubi, cùm miris laudum acclamationibus in urbem introductus est, septimâ ab adventu luce, explicito consilio, cognoscendæ Leonis causæ, diem edixit. [Carolus Romæ Leonis causam cognoscit.] Ea dies ubi advenit, in pleno Episcoporum conventu disceptari cœptum; at subornati accusatores cùm invalida fide, crimina quæ in Leonem congesserant, nullo vel teste vel argumento probarent, Episcopi Apostolicæ sedis hîc agi dignitatem cernentes, jus dicere recusârunt, causam rati integram ipsi Pontifici relinquendam; id namque rerum naturam recipere, ut cui amplissima in omnes data potestas sit, is de se solo, Deo vel teste, vel judice, decernat. [Summa Pontificis cathedra non habet judicem.] Quocirca Leo palam, universâ inspectante multitudine, ambonem ædis D. Petri conscendens, sanctissimo jurejurando Trinitatem obtestans, atque sacri Evangelii attacto codice, integrum & omnis se criminis expertem pronunciavit. Idque ratum habuerunt Antistites; ac meritò, quæ quæstioni incertæ tribui nequiit, innocentiæ data est absolutio. Ad eum itaque modum, beneficio & autoritate Caroli, Leo Pontifex ab iniquorum calumniis vindicatus, & Ecclesia otio ac legibus suis restituta est.

Sed, quia hactenus jam inde à Dagoberti regno exorsus, quonam pacto Rempublicam domi forisque Reges Austrasiæ, & sacerdotium Episcopi, quâ animi puritate & candore gesserint, ut quidem in hac inopia licuit, exposui, injuriâ etiam & oblivione temporum paululum quandoque liberius altiùsque procedens, deinceps metis ac spatiis arctioribus includi haud ægrè me patiar; ut, cùm emergere è tenebris magis magisque, ac luce splendere propriâ Annales cœperint, parciùs usurpem ac moderatiùs publica vel externa. Interim, dum ad ortus & incrementa recentis imperii mens atque cogitatio delabitur, provehat & sospitet ea, quæ jam inchoavimus, Deus Opt. ter Max. cujus, ut inter homines gloriæ majorem in modum propagandæ flagrâsse desiderio, voti est; sic conatus nostros omnes, favoris est, cœlesti ejus providentiâ, benignissimè refoveri.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

R. P. CHRI-

R. P.

CHRISTOPHORI BROWERI SOCIETATIS JESU,

ANNALIVM TREVIRENSIVM.

LIBER VIII.

Annus Christi 800. & 801. Wazonis 61. Trev. Ep. 9. 10.
Leonis III. Papæ 4. 5. Caroli Magni Imperat. 1.

I. ANNUS CHR. 800.

Orientalis imperii vitia.

Imperium Occidentis quam vario rerum statu floruerit, aut conciderit, atque iterum malis emerserit, ex quo vel Herulorum, Vandalorum, Gothorumve dominatum Romani, aut Græcorum & Longobardorum jugum vicissitudine quâdam experti sunt, erubescendo magis, quàm utili egressu repetunt, qui cladium istarum commemorationi prolixiùs indulgent. Attamen cùm variis intestinæ discordiæ casibus Italiæ populi sæpè agitati, tum non graviora unquam vulnera acceperunt, quàm cum Thracibus, Isauris, atque adeò Macedonum, Cappadocúmque mancipiis submisêre fasces, ac à Numine ducti, seu temporibus victi, iis servire coacti sunt, qui benè sibi suisque nunquam imperârunt. Enimverò, ut pudenda quorundam origo ac vitæ probra sileantur; tantus in his veræ pietatis plerumque contemptus extitit, totque hæreses ab iis vel cum summa rei Christianæ pernicie, vel cum præsenti etiam Romanæ sedis discrimine & excogitatæ fraudulenter, & pertinaciter assertæ, ut ex quo Romanis Pontificibus mortem atque exsilia, universo Latino nomini interitum, Italiæ perniciosa dissidia creare non destiterunt, nunquam defuerint, quibus voti fuit, abjicere sævos atque vecordes, & ad melioris frugis fortunæque viros, imperii decus atque insignia transferre. Id quod Leo Pontifex demum laudabili apud omnem posteritatem instituto, sibi quidem reique Romanæ tempestivè, at Reipublicæ pœnè serò consilium explicuit. Is quippe, cùm nomini Romano ducem assertorémque dare constituisset, cujus in tutelam quandoque proculcata, desertaque res Christiana deveniret, neminem sanè magis gentium usquam idoneum reperit, quàm eum, cujus præter inclytam justitiæ religionisque famam, & cuilibet superiorum Imperatorum, quà bello, quà pace, parem industriam, ingentia tum extabant cùm in universum Christianum nomen, tum verò præcipuè, in Romanam sedem promerita.

Leonis Papæ Consiliū de transferendo imperio.

II. ANNUS CHR. 801.

Diem itaque nascenti Christo sacram huic operi præclarissimo destinat; quæ dies, ubi illuxit, Carolus cum Pipino filio nuper accersito Romæ tum adhuc unà degens, Vaticanam ædem primo diluculo introgressus; cùm, fusâ suppliciter, ad confessionem D. Petri, obsecratione, surrexisset, Pontifex, qui ornandi potentissimi atque optimi Principis causâ jam accesserat, purpuram imperatoriam, & ingentis pretii aureum diadema imposuit; quo facto, subsecuta mox læta, & identidem repetita, populi Romani acclamatio.

Anastasius in Leone. Regino & Francici script. omnes Imperium Rom. Leo à Græcis transfert in Carolū M.

Carolus Francorum Rex coronatur Imp. Rom.

CAROLO PIISSIMO
AVGVSTO A DEO
CORONATO MAGNO
PACIFICO IMPE-
RATORI VITA
ET VICTORIA.

Super faustas verò gratulantium voces, ad Deum cœlitesque preces ritè adhibitæ, ac deinde, Romanorum Imperator Carolus; Pipinus autem Italiæ Rex salutatus & odorifero Chrismate perunctus est; anno, ex quo invicta illa quondam Roma à barbaris fœdè vastata, à Græcis malè defensa, suo casu Occidentem trahebat; plus minus trecentesimo.

Carolus autem hinc, deposito Patricii, Leonis munere, suscepit Augusti appellationem, & mox ad Reipublicæ curam versus, accusatores Leonis, ipso intercedente Pontifice, vitâ & incolumitate donatos, levi exilio mulctavit. Ut autem imperii senectus, jam quasi redditâ juventâ, non novis tantummodò titulis atque ornamentis, sed legibus etiam & optimis institutis reviresceret, huic etiam parti, pro viribus, novus Imperator consuluit.

III. Reip. Trevirorū forma ex ho-

Sed priusquam ad illa recentis imperii stabilimenta gradum facio, pauca de Reipublicæ statu, quæ Trevirorum & omnium ferè com-

rumtemporum usu, quam confundit Kyriander in comment. Trev. pag. 7.

munis tum fuit, atque inde in futurum tempus diu apud posteros hæsit, ex historia temporum, veteribus tabulis, hujusque ævi monumentis, ac ipso denique rerum usu; quâ fide possum, exequar. Austrasiæ fines antiquis non dissimiles, nisi quod novis quibusdam oppidis, arcibus vicisque, ad decus atque regionis amplitudinem per hoc tempus excitatis; urbibus etiam ad cultum, Basilicis templisque Divorum passim surgentibus, auctiores ipsi quoque redditi, & ornatiores.

Cæterùm Treviris, etsi jam tum ex ruinis emergens suis, ad habitum aliquem Reipublicæ caput attolleret, juris regii tamen ita mansit, ut à legato & Comite regeretur nomine Principis summam sibi potestatem reservantis. Libertas autem & immunitas urbis, legibus stabat & institutis Francorum consuetudine receptis, quam Salici & Ripuarii invexerant, quorum leges versantur in eruditorum manibus. Porrò ut clientelæ & beneficiarii juris, nec non mancipi hominum, sive fiscalium sive censualium, magnus tunc usus, ita non ambigas horum laboribus, periculis, atque commodis fuisse pleráque attemperata.

Legatus & Comes magistratus præcipui.

Legatus æquè atque ipse Comes Imperatori erat sacramento fidelitatis obnoxius. Alios magistratus civitas, alios Imperator creabat: nam illi plerunque cùm essent annui, horum imperium diuturnius, ad arbitrium Principis, nunc prorogatum in plures annos, nunc contractum in pauciores, evasitque non rarò perpetuum, adeoque vel Principum liberali decreto, vel meritis eorum, quibus contigit administratio, sæpe Legatus in urbis vel loci possessionem missus, cui præerat.

Legatorum incrementa. *Leg. Franc. & Dipl. MS.*

Quomodò jus atque potestas omnis Trevericæ civitatis jam pridem, ut in Weomado observavi, ad Archiepiscopum Legatum transierat, penes autorem recognoscendi muneris & obsequii prærogativa relicta.

IV.

Quoniam autem jus in omnibus pænè alicujus dignitatis vel nominis urbibus, duo præsertim magistratus; Missi & Comites, cum suis uterque publicorum negotiorum curatoribus, administrarunt, non abs re fuerit horum conditiones atque officia, ad liquidum habere explorata.

Missus Dominicus.

Missum vocavêre Dominicum Legatum, quòd functionem eam obiret vice sacrâ, vel Imperatoris, cum amplissima potestate: is plerumque Metropolis cujuspiam Archiepiscopus, ex sententia Principis, de controversiis publicis privatisque cognoscebat; creabat magistratus, imperabátque vectigalia; excipiebat à populo sacramenta; & concilia conventusque omnium ordinum indicebat.

Ex leg. Caroli M. c. 26.

Itaque Comites & Episcopi hujus etiam parebant imperio.

Missorum sumptus.

Porrò Missus, cùm amplissimum id officium non tueri, nisi variis itineribus per provinciam faciundis, nec itinera sine impensarum emolumentis contexere potuit, comitatum, stipendium, viaticum & cætera generis ejusdem, perinde atque Imperator de publico, id est de Salica terra, mansisque Dominicis, sumebat.

Annonæ & commeatuum varia genera. Parata, Angariæ Mansionatica.

Erant autem vectigalia publicè non in profectiones hujusmodi solùm, sed in expeditiones etiam Imperatorum constituta; eaque Foderum, Parata, Angarias & Mansionaticum Franci appellabant. Foderum is frumenti commeatus, qui advenienti Legato vel Imperatori debebatur. Parata vel Angariæ, onera & sumptus in transferendis impedimentis, in reficiendis pontibus viisque sternendis, aut muniendis, quà transiturus vel aditurus Rex erat. Mansionaticum, locus, qui publicè parabatur, ubi Princeps Seniórve diverteret; huc lectum, tectum, cæterúmque cunctum hospitalem adparatum, referebant.

MS. Prumiensis liber cum glossa Cæsarii Abbatis. Visceratio Hostilitium * Matselide.

Atque hujus generis jura erant, quæ in originibus inclytæ Prumiæ Cæsarius Abbas observavit ab hoc ipso ævo, aut etiam superiore nata. Hostilitium solvere, quod appellabant * Matselde, cùm boves aut minora pecora villici mactabant, alimento dominis futura, si placuisset uti; sin minùs, pretium pro bubus offerebant.

V. Parafredus & Heriperret, equus militaris à Mansionarius præberi solitus. *Recent. Palafredus. & Paraveredus.*

Dare Parafredum; cùm tres mansi collato sumptu seniori curiam Imperatoris, vel Longobardicam, aliamve meditanti expeditionem publico, vel rei suæ familiaris bono, equum militarem subministrare cogebantur; quem Heriperretum vulgo nuncupabant, addito mancipio, quod equum curaret, qui dominis tandem restituebatur. Meminit Cæsarius ætate sua ab mansis obnoxiis, parafredi tributum binis solidis Coloniensibus annua pensione redemptum; & fas Mansionariis fuisse parafredum, vel ejus pretium sistere seniori; quod senis solidis præstari potuit.

Scara & Scararii Ministeriales.

Scaram facere, domino scilicet honesta jubenti servire & nuncium ejus mandatum seu literas perferre, quocunque vellet. Scara autem hæc vel pedestris erat, vel navigio & caballo fiebat. Unde Scararii, qui postea dicti Ministeriales, voce non minùs obviâ, quàm vulgò incompertâ.

VI. Camba vulg. Compa Pistrinum & Cervisiaria officina.

Aperire Cambam, seu apertam habere dominicam villam, in qua vicatim ac tributim panis, ac potus ex hordeo coquebatur, lucro domini. Tributo autem, quod Legatus cogebat, Heribanno nomen fuit, sive agrarium illud esset, sive pascuum, sive ex vitibus peculióve collectum.

Leg. Franc. c. 25. * Pecuniariæ exactiones, *de quibus Lazius in Migrat. gentium.*

Huc Fredum mulctæ genus, quod fisco vel judici pendebant, * Werigeldum, Nuyngeldum & Triungeldum, & id genus pecuniariæ exactiones pertinebant.

Missatica seu Missorum sedes.

Sedes porrò atque domicilia Missorum, quæ Missatica nuncupabant, fuêre Bisontium, Moguntiacum, Treviris, Colonia, Remi, Senones, Turones, Lugdunum, quibus in locis omnibus, Archiepiscopi legationis munus, cum suo quisque Comite administrârunt. Singula verò deinde Missatica, suos habuêre Comitatus & Episcopatus, qui Missorum judiciis decretisque parebant.

VII. Archiepiscopi Trevirens. dominatus.

Trevirorum igitur Antistes, quâ hoc tempore potestate, quantum in hoc omne territorium & in urbem cujus monetam, telonium, vectigalia possidebat, valuerit, nemo, nisi qui nescire vult, vel ex iis, quæ jam diximus, ignorare potest. Enimverò, quod ex tabulis, Regúmque donationibus, toties liquet, oppida, castella, vicos, prædia, saltuum usus ac proventus, navigationem fluminum, atque piscatum, insuper homines, servos, vectigalium fructus, omnia denique jura dominationis habuit; unam duntaxat regalium ditionem, Principi summo beneficii titulo acceptam referens.

Regalia.

Jam etiam, quorum operâ

in diœcesi

in diœcesi sua, vel adversus hostes, tuenda, vel continendis in officio subditis, optimâ fidelissimaque fuisset usus, his, ut pares cum Republica rationes haberent, amplissima officia mandabat, conciliandæque gratiæ, ac promerendæ voluntatis, non iis dignitates modò, sed prædia possessionésque transcribebat, quibus ipsi præmiis beneficiisque devincti, clientes fiebant, sive beneficiarii, quos posteri nuncupârunt Feudatarios, Ligios, Vasallos homines ac fideles.

Feuda & Clientelæ.

Feudum verò, quod & Hominium & Homagium, nil aliud, quàm jus fuit, quod Imperatores Regésve, vel Principes hórum etiam genere atque copiis amplissimi clientes, his ipsis impertire solent, quorum operâ forti in injuriis à se, fortunisque suis propulsandis, uti cupiebat, ornantes eos non luculentis modò fundis, sed & aliarum dignitatum incrementis; quorum omnium beneficiorum ipsi atque ipsorum hæredes, se posterósque suos autores, perpetuum agnoscerent, ac pro justis dominis observarent; fidémque demum astringerent, ut quoties usus posceret, pro capite ac salute dominorum jurati propugnarent.

VIII. Trevericæ civitatis magistratus. *Leg. Franc. & Ripuar.*

Qui verò Treviris ad regendam Rempublicam & temperanda jura magistratus sunt adhibiti, eorum partim ex plebe, partim ex nobilitate, antiquo Franciçæ Reipublicæ more allecti, Comitum, Centenariorum, Scabinorum seu Judicum, Radtzenburgiorum sive Cōsiliariorum, ac denique Constafolariorum sive assessorum judicii, qui à Stapfolo, seu tribunali, in quod gradibus ascendebatur, sic appellati, officia muniáque gerebant. Nam, quod nonnemini arrisit, magistratûs illius, quem Romanæ consuetudinis umbrâ nonnullâ perstricti Consules, pertinaci cacozeliâ latinè, vulgò Burgimagistros appellamus, ne tenue quidem in hac civitate nunc vestigium, sed anno demum 1442. publicæ tranquillitati datum, ut nomen & functionem ante id tempus inconcessa, civitas Archiepiscopi bonâ pace sumeret, eadem poneretque, summam obtinēte Scabinorum collegio.

Constofler.

Consulum seu Burgimagistrorū origo.

IX.

Etenim hic non diu vivente Comitum potestate, suffectus ei tandem Vicarius Advocati sive Comitis, qui Prætor, sive Schulthetus dici, crearique ab Archiepiscopo solet, Scabinis ex corpore universo civium liberæ & ingenuæ conditionis, ejusdem Archiepiscopi arbitrio, quatuordecim allectis, qui pariter rem communem dicendis sententiis, consiliisque, unde & Consules dicti, juvarent. Ut enim * Schulthais frequens vocabulum apud Paulum & in Longobardorum legibus à debiti & noxarum exactione, sic Scabinos ab * expediundis negotiis rectè deducunt.

Paul. Diac. l. 6. c. 24. leg. Longob. 115. §. 1. & Luit-pran. tit 30 § 1. * *Schultbais* * *Scheffen*, Prætor, Scabinus. *Iun. in Batavia. Lexicon lgrsu, &c.*

Atque ad hunc modum Reipublicæ administratio mixta atque temperata tribus hisce formis, quò longius ab unius tùm quidem imperio discedebat, eò propiùs abesse à libertate videbatur. Sed enim ex quo tempore jus vectigalium atque civitatis ipsius pleniùs ad Legatum sive Archiepiscopum, universum recidit, & advocationis quæsitum munus ab Archiepiscopis Præsidi, quem Majorem domus Ecclesiæ Trevirensis appellabant, vel Vicedomino mandari cœpit, hæc quam diximus, Reipublicæ facies, haud parùm immutata, alium atque alium habitum induit.

Major domus Ecclesiæ Trevirensis, & Vice domino sub Ruotberto & Poppone

X. Leges Caroli M. vel revocatæ à majoribus, vel de novo perlatæ. *Eginard. in vita Caroli.*

De legibus superest promissum exsolvamus, queis animum atque robur infundunt magistratus. Has namque distributas bipartito, ut res æquè sacras atque profanas comprehenderent variis Episcoporum Principumque conventibus, Carolus pertulit; atque ut cum Eginardo Sigebertus testatur, aliquam earum partem, anno etiam sequenti, in certa quædam capita redactam publicavit; unde ea nuncupârunt Capitula, & decreta, vel Dominica Capitularia; quæ primùm quatuor libellis, mox septem digesta sunt; quorum collector Benedictus Levita, testatur ea à summis Pontificibus accepisse momentum & robur; ne in res sacras plus quàm par, Carolum & Luduicum filium Capitulorum conditores, sibi sumpsisse crederes.

ANNUS CHR 802. Ex Capitularibus & leg Caroli, *quæ in Francor. consue.* Capitularū libri & Capitula Caroli Magni & Luduici Pii.

Ergò Carolus cùm multa quidem de Ecclesiasticorum omnium ordinum officio præclarè à majoribus olim instituta, sancivit; tum decrevit etiam, ut quibusque rebus gerundis Metropolitani consilium & autoritatem adhiberent suffraganei, neque insciente, vel non probante, novi quidquam attentarent. Perinde Metropolitanus suffraganeorum operâ consilióque uteretur; nec his non antea consultis temerè quidquam innovaret. Clerici verò præter Episcopi sui tribunal nusquam aliud requirerent, nec se cui alteri sisterent; solos etiam judices Episcopos suos agnoscerent, neminem præterea sacerdotem canones ignorare voluit; uti neque fas iis esse licitúmque, feminam habere domi, præter matrem aut sororem; vel eam, cui ulla sinistri rumoris aura afflari non posset. Ut in ædibus sacris cuncta supellex, vasa, atque ipsa altaria ornatu pariter ac munditie suâ niterent; ut hujus generis, quæ prosequi sit infinitum, plurima publicè commendavit, de honesta vivendi ratione, clerique officio, de templis eorúmque censu, terminis, decumis, mansis, collationibus, mancipiis. De monasteriis item, pueris tondendis, seu velandis puellis; necnon de jure à Missis, Comitibus, Comitumque judicibus dicendo; de vectigalibus, pœnis & damnis fontium.

XI. *Leg. Caroli M. cap. 61.*

De scholis porrò sic scriptum fecit, ut ludi legere discentium puerorum aperiantur, Psalmos, notas, cantus, computum Grammaticum, per singula monasteria vel Episcopia; librosque Catholicos, benè & emendatè legere norint, sæpè enim dum Deum benè aliquid rogare cupiunt, per inemendatos libros, malè rogare.

Ita Carolus non belli solùm, sed pacis artibus imperium undique cumulans, dubium reliquit, virtutem animi fructuosiùs sibi percoluerit, an efficaciùs apud alios accenderit. Etenim famâ nominis ejus exciti, ab Oriente ad illum Persæ quoque legati, venerunt. Princeps ejus legationis Isaac; qui cum elephante atque eximiis aliis donis, quæ à Rege Persarum mittebantur, Aquas X. Kal. Augusti ingressus, omne officium, Regis sui nomine, Imperatori ampliter detulit. Pari Carolum studio, Irene Græcorum Imperatrix, missis Constantinopoli Aquisgranum legatis, hoc anno prosecuta.

Persica & Constātinopolitana legatio Aquisgrani Carolum colit.

Jam

XII. ANNUS Chr. 803.

ANNUS Chr. 804. Annal. Franc.

ANNUS Chr. 805. Leo Pontifex Germaniam petit.

Jam etiam sequenti, cùm Pipinus otii & securitatis amœna secutus, ex Italia ad patrem excurrisset; anno postero, ceu summa majestas in terris, Caroli imperio quoque cederet, nuncium perlatum est, Leonem Pontificem cupere cum eo congredi ubicunque loci vellet; Natalitiaque trans Alpes, ritu sollemni colere. Quod, ut compertum Carolo, Cognominem filium obviam ei ad S. Mauritium mittit; atque ipse interim non minori Pontificis accensus studio, Remos pariter in occursum ejus, iter intendit; ibique exceptum, primò Carisiacum, ubi Natalitia peracta, deinde Aquas & ad alia loca perduxit; octiduóque, ut volunt, labente, regiis muneribus honoratum per Boiariam in Italiam, addito lectissimo comitatu, Ravennam usque deduxit.

XIII. Wandelbertus in vita S. Goaris apud Surium.

Confluentis castrum.

Caroli liberorumque in D. Goaris memoriam pietas.

Incidit in hæc tempora res ad declaranda, sive eximia B. Goaris apud Deum merita, sive Caroli Augusti filiorúmque præclaram erga Sanctos religionem, imprimis memoranda. Imperator cùm è Palatio Ingelheimo, quod in ripa Rheni construxerat, infra Moguntiam, amne secundo ad Confluentis castrum navigio iter facit, ut propè D. Goaris ædem flumine subiit, Assuerus Abbas ex composito obviam ei profectus, interpellare cursum, atque ut exscensione factâ, apud se esse, & pro charitatis officio divertere vellet, comiter simul & benignè invitare. Sed Imperator, nescio quid feriæ occupationis prætexens, ubi adpelli vetat, naviganti seorsim Carolo filio, exporrectâ palmâ innuit, appulsâ navi ad Ecclesiam precatum ut egrediatur. Is tunc cum Pipino fratre, incertum quibus causis, graviter dissidebat. Ipso itaque in littus ilicò descendente, Pipinus, qui porrò sequebatur, appulsam ripæ navem eminùs conspicatus, & ratus eam esse parentis, fortè exscendit; fratrique vel imprudens nec admodum volens in Ecclesia sociatur. Atque ibi tum, inopinatò, mentes eorum sauciæ occultis aliquamdiu simultatibus, adspirante Deo, & Confessore sanctissimo opitulante, in fraternæ necessitudinis jura coïerunt. Fusis igitur ritè precibus, ac cibo recreati, prosperâ navigatione cœptum iter prosequuntur. At Imperatori jam progredienti subitò coorta tempestas, & incertis procellis agitati fluctus, ita omnem prospectum ademerunt, ut expertus in amne mare, neque regimen tenere nauclerus, nec quorsum inflecteret agerétque navim, competeret. Ergò residuo die in illa fluctuatione agitati, non antea tenuêre ripam, quàm in siccum descendens Imperator, & culpam serò voti reus agnoscens, D. Goari supplicare nulli rei posthaberet. Porrò sereno tandem & tranquillo crepusculo, spatiis exclusi passuum à destinato loco ampliùs tria millia, in magna commeatûs penuria duxêre noctem. Illucescente jam die, Carolus publicâ voce testatur, incommodum illud omne negligentiore Divi memoriæ adhibito cultu accersitum, jure iccircò & meritò pœnas repetivisse S. Goarem. Quod ad se attineret, nihil recusare jam, quin voti damnetur, & obstrictus perpetuâ sponsione, precum immunis Basilicam eam nunquam prætervehat: didicisse reapse, maloque comperisse suo, Divûm, quâ voluerit ultione impios vexari, hanc scilicet impetrare de cœlo. Atque cum his votis, ô dispares hujus sæculi mores, continuò ad Cellam piaculi causâ, libras argenti vicenas, & pallia holoserica duo deferri jubet: dumque Comes vita fuit, nunquam temerâsse votum, fama est.

Caroli junioris & Pipini mira reconciliatio.

Carolus navigandi periculo ad colendum accuratiùs B. Goarem eruditus.

Carolus vel contemptæ religionis speciem expiare studet.

XIV. ANNUS Chr. 806. Carolus Theodonisvillæ testamentum condit. Annal. Franc. ad vitam Caroli ex Pith. bibboth. pareg.

Caroli in Romanam sedem observantia.

Hyemavit inde cum Luduico & Pipino filiis Theodonisvillæ, ubi & anno postero conventum habuit procerum regni; condiditque ex eorum consilio de herciscunda inter liberos regnorum hæreditate testamenti tabulas, quibus hæredes æquis ferè partibus reliquit filios, Pipinum, Carolum, & Luduicum. Hinc à proceribus juratis, acceptâ fide, ad Leonem eas Romam deferri voluit, ut is nimirum, qui imperii autor fuerat, arbiter idem novissimæ voluntatis, tabulas eas esse sanctas juberet.

XV. Tom. 3. Concil. Synodus Theodonisvillæ.

Synodi Theodonisvill. decreta.

Per eosdem quoque dies Synodum eam Episcoporum Theodonisvillæ peractam tradiderim, quâ nunciatâ crudeli cæde Joannis cujuspiam Vasconum Præsulis, dignitati atque privilegio cleri aliquammultis capitibus consultum, variisque compuncti animadversionum notis, qui Episcopos aut sacerdotalem ordinem, vi injuriáque lacessere aut violare telis fuissent ausi. Atque ad hanc Synodum, à Leone Pontifice approbatam, pertinere constat, quæ in VI. Capitularium libro hisce verbis concipiuntur: *Capitularium Dominicum datum anno Incarnationis D. N. IESV Christi DCCCVI. ad Theodonisvillam anno imperii Domini Caroli VI. I. ut lectiones in Ecclesia distinctè legantur. II. De cantu. Vt secundum ordinem & morem Romanæ Ecclesiæ fiat Cantatus. III. De Notariis. Ut unusquisque Episcopus, & Abbas, & singuli Comites suum Notarium habeant. IV. De cæteris Ecclesiæ disciplinis; ut secundùm Canones & Regulam fiant. V. De Medicinali arte. Vt infantes hanc discere mittantur. VI. De Ecclesiis sine honore manentibus absq; officiis & luminariis. Et de his, qui decimas assumunt, & de Ecclesiis non curant, ut hoc omnimodis emendetur. VII. De Altaribus, ut non superflua sint in Ecclesiis. VIII. De * Computo, ut veraciter discant omnes.* Interfuit Synodo cum suis suffraganeis Wazzo; cujus in locum * Hetto per errorem, exemplaribus irrepsit. Annumeratur & * Astulphus Moguntinensis Archiepiscopus, quem extremis imperii Caroli annis, sedem illam iniisse, legimus.

* Ecclesiastico.
Fortè veteres affini dialecto scripserint
* Watto.
* Hestolfus.

XVI.

* Tacit. an. l. 2. principium agri Batavi juxta Rheni divortium describit: nomen apud Priscos etiam agro mansit. Regn. Chron. Egenardus.

ANNUS Chr. 807.

Persarum alia ad Carolum legatio.

Cæterùm Carolus filios inde in regnum quemque suum proficisci jubens, ipse conscensâ navi, Mosellâ in Rhenum devectus, secundo cursu Noviomagum in * Bataviam ad ripam Vahalis contendit; ubi & condito Palatio, totam quadragesimam exigens, gloriosæ Resurrectionis festum diem celebravit. Hinc proximus qui recurrit annus, per deliquia Solis Lunæque mortales exterruit, & miræ magnitudinis acies in cœlo conspectæ.

Affuit & per id tempus Persarum legatio, quæ Carolum Aquis morantem adiens, amplissimis & Regiis muneribus affecit. Comites legationis monachi Hierosolymitani, inter quos Gregorius gente Germanus, Abbas montis Oliveti.

Insequen-

XVII. *Wandelb. in actis B. Goaris.* Isuardus cleri vexator à B. Goare punitur.

Insequentibus porrò annis, Isuardus fisci Regii procurator, B. Goaris familiam vehementer afflixit, clericos non onerasse modò contumeliis, sed exuisse fortunis accipiens pro læto. At injurias suorum vindicare suetus S. Goar, adstitit per quietem homini rapaci, duroque sermone increpitum, plagis ita lividum & afflictum dedit, ut die postero non firmare gressum, non pedem figere compos, navi ad Ecclesiam haud intactus à suscepti sceleris dolore, volens deduceretur. Atque hic aliquantisper decubans, integram denique sanitatem, excepto genitalium pondere, ut stimulus pœnitentiæ maneret, dignatione Divi obtinuit.

XVIII. ANNUS CHR. 809. Ada Caroli M. Soror, quæ Trevir. in æde B. Maximini sepulta.

Per idem tempus concessit mortali vitâ, insigni pudicitiæ ac religionis famâ nobilis Ada, Pipini Regis filia, soror magni Caroli: quæ, ut in æde D. Maximini monumento insculptæ produnt literæ, generis opulentiam & mirificè tunc inclarescentes parentum imagines, Christo pauperi posthabuit; brevissimo duntaxàt nominis sui elogio in candido marmore relicto; si quidem tantæ virtutis altitudinem non angusti sepulchri sinu claudi, sed spatiis cælorum æquari, par erat.

ADA ANCILLA CHRISTI SOROR CAROLI MAGNI.

Ex MS. D. Maximini.

Spretis itaque cunctis gaudiorum mundi ac voluptatum illecebris, Christi sese obsequio Treviris alicubi mancipavit; Deique famulos, nullo non officii ac liberalitatis genere coluit. Fortunas D. Maximini, datis & assignatis fundis, circa Vangionum, Nemetum, & Moguntiacensium urbes auxit, & majorem in modum protulit. Asservatur in D. Maximini monasterio codex Evangeliorum membraneus, Evangelistarum præscriptus iconibus, & aureâ notarum liturâ, operimento perquam eleganti, quod gemmâ, variis emblematis, atque parergis nitet, affabrè factis. Venerabile id munus Regiæ virgini, cui vivens hos ipsa versus verè aureos, si ferream hujus sæculi latinitatem reputes, inscribi voluit:

Evangeliorum Codex D. Maximino ab Ada donatus.

Hic liber est vitæ Paradisi, quatuor amnes
Clara salutiferi pandens miracula Christi;
Quæ prius ob nostram voluit fecisse salutem.
Quem devota Deo jussit perscribere mater
Ada ancilla Dei; pulchrisque ornare metallis.
Pro qua quisque legis versus, orare memento.

Ejus vetustissimo memoriarum codice apud D. Maximini signatum obitûs diem legimus, his pœnè verbis:

IIII. IDVS MAII OBIIT ADA ANCILLA CHRISTI, PIÆ MEMORIÆ FILIA PIPINI REGIS, SOROR MAGNI CAROLI IMPERATORIS, QVÆ MVLTA BONA CIRCA ET INFRA MOGVNTIAM ET WORMATIAM ET IN PAGO NACHOWE S. MAXIMINO CONTVLIT, ET POST FINEM VITÆ HIC SEPVLTA QVIEVIT.

Nachowe seu Nagowe pagus ad Navæ fluminis districtum.

Fuisse Carolo Magno alteram item sororem reperio * Effeciam, cujus egregiæ pietatis monumentum, etsi clade propemodum ac vetustate abolitum, ostendit tamen, quæ inter Theodonisvillam & Treviros visitur Rutilensis Carthusia. Illius quippe monasterii fundamenta perhibent eam ad fastigium perduxisse; monachisque Benedictini instituti cum amplis possessionibus inhabitandum dedisse; sed raro cultore, fessâ tum disciplinâ ad annum MCCCCXXXI. omnia cessère Carthusianis; qui Treviris istuc novi primùm Coloni deducti, auspiciis Lotharingicæ domus, pietatis ac religionis laude immortalis. At Effeciam ibi in oratorio D. Stephani sepultam, ædémque à Leone III. B. Xisto Papæ dedicatam, constans est & temporum serie propagata traditio.

* Officia vel Effecia Caroli M. soror.

Monasteriũ Rutilense.

Ex MS.

XIX. Aquisgranensis Synodus super appendice symboli, filioque.

Epist. Smaragdi ad Carolum *apud Baron. Tom. 9.*

Eodem hoc anno, Concilium Aquisgrani Episcoporum coiit, sedandæ controversiæ, quæ tum in Galliis exorta, ob additum symbolo Nicæno sive Constantinopolitano quadrisyllabon FILIOQUE; quod recens à Francis in Palatio quoque cani cœperat: cumque non facilis negotio reperiretur exitus, missi in urbem ad Leonem Pontificem Legati percontatum, Jesse Episcopus Wormatiensis, Bernharius, & Adelhardus Abbas Corbeiæ; reque disceptatâ, visum Pontifici ad leniendam rei novitatem, in præsens paulatim omisso cantu, recitatione contentas esse Ecclesias, exemplo à Palatinis inchoato. Ita enim utrunque fieri posse, ut quod jam nunc à quibusque priùs nescientibus rectè creditur, credatur, & tamen illic ita cantandi consuetudo, sine cujusque fidei læsione, tollatur.

Recepta tandem an. 883. *ubi Baro. T. 10. conjectat.*

XX. ANNUS CHR. 810. Wazzo moritur. Amalherius 36. Archiep. 62. Episc.

Sub Christi annum decimum & octingentesimum Wazzo Trevirorum è vivis abiit; cujus res gestæ silentio Annalium, manent incompertæ. Successorem nactus est Amalherium cognomento Fortunatum, quem sanè ad indipiscendum honores pro hujus sæculi more laudatum à Carolo, haud multum est quod abnuam, virum absolutâ doctrinâ, & rituum sacrorum usu, religionumque scientiâ hâc ætate longè clarissimum. Namque & Latinæ, Græcæque linguæ peritiâ, vel in orando facundus, vel in scribendo promptus ita fuit, ut, quod loco suo tradiderimus, experimenta ad cujusque communem utilitatem etiam publicare, postea non dubitârit. Puerum sub Alcuino prænobilis tum famæ in Gallia Magistro liberales disciplinas hausisse, testari de se ipse videtur. Id quod apud Turonas accidisse, haud temerè traditum est ab illustratore divinorum officiorum, cùm &

Alcuinus magister Amalherii. *Lib. de ord. Antiph. c. 58. Præfat. ad scriptores divin. offic. lib. 4. c. 17.*

Luxovienſe monaſteriũ Amalherii Gymnaſiũ.

Alcuinus iſtic apud D. Martini Abbatis munere functus ſit, & ipſe Amalarius obſervationes rituum promat, quas præſens in Eccleſia Turonenſi perceperit. Egreſſus autem eſt maturior è ludo Burgundiæ, Columbani diſciplinâ celeberrimo monaſterio Luxovienſi; & comite virtute ad graviſſimas Eccleſiæ functiones adhibitus, poſtremò ad Trevirenſis Eccleſiæ gubernacula proceſſit. Eum in actis B. Swiberti iis Epiſcopis annumerari obſerves, qui Leonem Pontificem annis ſuperioribus Auſtraſiæ partes obeuntem, & paſſim templa dedicantem, ſint officii & honoris gratiâ proſecuti; attamen quâcunque ſpecie dignitatis in Leonis comitatu fuerit, haud vanis argumentis adducti fecimus, ut his demum annis ille nobis Archiepiſcopus prodiret. Nec erroris immunes Francorum Annales nuper editi, cùm ſeptem hinc retrò annis, Ribittonem neſcio quem Trevirenſem Archiepiſcopum, inter mortuos reponunt; niſi pro Wazzone aut Rabadone is obrepſerit.

Surius Tom. 2. quo tamen egent cenſura.

Annal. Pith. ſeu Fuld.
Ribitto an Archiepiſc. Trevir.

XXI.
Vita S. Ludgeri ex MS. Fuld. à nobis edita.

Neque tacitum fero illuſtre monumentum, quod de S. Ludgero Fuldenſis bibliotheca ſuppeditabat; cùm in ejus memoria vitæ, ei, antequàm Eccleſiam Monaſterienſem obtinuiſſet, à Magno Carolo Trevericam Cathedram oblatam, disertè vetus quiſpiam ſcriptor ſic meminit: *Occidentalibus Saxonibus Doctor erat datus Bernardus; qui cùm brevi migraſſet ad Dominum, ægrè in Francorum regno repertus eſt, qui ad prædicandum Barbaris Evangelium ſeſe offerret. Res ea Caroli animum curis implebat. Eo tempore Treviris civitati Epiſcopus quærebatur. Obtulitq; Ludgero Carolus illius Eccleſiæ Pontificatum. Reſpondet ille. Eam Eccleſiam ſe Epiſcopo minimè indigere; in qua perplures eſſent, ſe doctiores; & eo digniores honore. Quin potiùs ſe rudibus quibuſlibet meliùs poſſe præfici; &, ſi Regi placeret, in Saxonum populo voluntarium ſe ſubiturum laborem.* Ita B. Ludgerus in Occidentali Saxonum provincia, animarum cauſsâ ærumnoſum vitæ genus ſplendido antetulit. Atque hæc accidiſſe, Leone Pontifice, ipsâ narrationis ſerie, approbatur.

S. Ludgero Carolus M. offert Trevericam cathedram.

Treverẽſes Clerici docti.

S. Ludgerus præfert rudium inſtitutionem Epiſcopatui.

Amalherius an Metenſis Epiſcopus?

Porrò, haud ſcio, an fidei autoritatem tueantur, ſive Honorius, cùm in illuſtribus ſcriptoribus Hamelarium tradit Metenſem Epiſcopum, qui ſub HLuduico ſcripſerit quatuor libros de divinis Sacramentis; ſive alii, qui Amalarium non Epiſcopum Trevirenſem, quo modo vulgò nuncupetur, ſed Diaconum, qui Epiſcopo ætate ſuppar Luduici Imperatoris juſſu id opus contexuerit, extitiſſe, ſecuri veritatis aſſerunt.

An tantùm Diaconus ſub Epiſcopo?
I. Sirm. Notis ad Enno. Tic.

XXII.
Pipini mors.

Eodem anno Pipinum filium excellenti virtute, & animi magnitudine nequaquam degenerem Carolus amiſit, cujus partim deſiderio ſaucius, partim confectus ævo, dulces pacis æquè ac religionis artes poſthac colere, impenſiùs cœpit. Et fœdus quidem, cum Nicephoro Græcorum Imperatore Octobri menſe à legato rogatus, Aquiſgrani percuſſit; ipſeque viciſſim per primores, eam in rem delectos, Conſtantinopoli pacem ſancivit, cùm inſequenti anno & ſenectâ ſimul & morbis ingraveſcentibus, alterum de rebus mobilibus teſtamentum condit, & gazas theſauroſque Regios diſtribuendi, ejuſmodi conſilium capeſſit. Quicquid in cultu ac veſtimentis & reliqua ſupellectile ſplendens ac pretioſum eſſet, id omne pii muneris loco, vel indigentibus, vel miniſteriis aulæ, vel Eccleſiis regnorum ſuorum, Metropolitanis, quæ una erant & viginti, legavit; quarum quatuor tum numerabantur in Auſtraſia; Moguntia, Colonia, Juvavium ſive Saltzburgum, & Treviris; legata verò hæc ſingula in trientem ſive tres ita portiones diſtribui rurſus voluit, ut deductas inde partes duas ſuffraganei tollerent.

ANNUS CHR. 811.
Eginh. in vita Caroli.
Marian. Scot. Sigeb. Regin. &c. in Chron.

De teſtamen. Caroli conſule locū.

Caroli M. legata in Metropoles Germ.

XXIII.
Subſcripſit Walfarius Rhemenſis Archiepiſc. antea miſſus Dominic. in Campania.

Subſcripſit huic teſtamento inter alios Wulfarius Remenſis Archiepiſcopus eminenti apud Carolum gratiâ, & ſummâ vir authoritate, qui ante Epiſcopatum, Miſſi Dominici titulo, totam Campaniam jure dicundo, & ſacra civiliaque negotia pro Caroli voto æquabiliter temperando, laudem eximiam retulerat. De hoc Flodoardus meminit, cùm Frotharius quidam Trevirenſis Eccleſiæ presbyter Epiſcopus ordinandus eſſet, juſſu Imperatoris Magni Caroli, Trevericæ urbis Archiepiſcopum Amalarium cum Adalmato ipſius Coepiſcopo, & Herilando, convocatum ad ordinationem paruiſſe, ceu, æquali ſubſerviiſſe, aut adſtitiſſe majori, infra Primatis dignitatem fuiſſe, diceret.

Lib. 2. hiſt. Rhemen. Eccl. c. 18.
Frotharius Treviren. presbyter fit Epiſc.
Amalherii *vel* Amalarii Archiep. ſuffraganꝰ Adalmatus.
Aimon. l. 4. cap. C.

ANNUS CHR. 812.
Caroli fœdera cum Græcis.

Cæterum Carolus Imperator prid. Non. Decemb. cùm Aquas in hyberna conceſſiſſet, triſti iterum de obitu Caroli majoris natu filii ictus eſt nuntio. Atque per idem tempus, Nicephorus Imperator Orientis, quocum Carolo fœdus erat, dimicans contra Bulgaros, mortem infeliciter oppetierat, imperio ad Michaëlem generum tranſmiſſo; hic itaque fœderis inſtaurandi item Oratores de pace ad Carolum miſit, qui Aquis cum Imperatore congreſſi, tabulis ſanctæ pacis de manu ejus in Eccleſia acceptis, Græcâ linguâ perorârunt, Imperatorem eum & Baſilium appellantes; cumque Pontificem inde ſalutatum Romam iiſſent, pacis ejuſdem tabulis in Vaticano à Leone Pontifice receptis, ne ſuetâ levitate fœderis ſanctitatem confeſtim exuerent, metus ſuberat.

XXIV.
ANNUS CHR. 813.
Amalherius Conſtãtinopolim Legatus à Carolo mittitur.

Ergò Carolus ineunte vere, Amalherium Trevirorum Antiſtitem, addito ei Petro Abbate Nonantulano comite, cum honorifica legatione Conſtantinopolim ad Michaëlem pro eadem ſocietate ac fœdere, miſit. Quod Amalherio ſanè munus ob id vel maximè contigiſſe crediderim, quòd is nimirum vir eſſet, ut in illa quiſquam ætate, conſilii moderatione, ingeniique præſtantiâ, agendi peritiſſimus.

Degebat adhuc Conſtantinopoli Archiepiſcopus, ubi abdicante Michaële, interea Leo imperium obtinuerat, cùm Carolus in dies ſenectâ & mole negotiorum infractior, Luduicum filium in rerum conſortium ex Aquitania accitum, venire jubet; conciliòque interim Aquis indicto XV. Kalend. Decembris, Luduicum præſentem in regni ſocietatem cooptans, Bernardo ex filio Pipino nepoti abſenti regnum Italiæ defert. Quæ res ingenti pompâ ſpecieque in Deiparæ Matris, quam ipſe conſtruxerat, Baſilica, ad hunc fermè modum peracta. Diadema auro, gemmiſque interſtinctum ex compoſito ſuper aram maximam jacebat, & circumfuſa aſtabat

Luduicus ſummæ rerum admovetur.

Theganus & Francor. annal. & Carol. Sigon.

Luduicus coronatur Aquiſgrani

regni

regni primorum cohors lectissima. Itaque Carolus, ipsâ ætate & canitie verendus, progressus in medium, ubi ante aram cum filio fusus in preces, orandi finem fecit, Luduicum compellans, cunctis audientibus monuit, ut Deum conditorem suum amaret juxta, timerétque; propinquis pietatem, sacerdotibus honorem, Ecclesiis tutelam, cœnobiis pauperibúsque misericordiam impertiret. Qui, ubi paternis jussis promptè morem se gesturum respondisset, jussit Carolus, ut manibus suis diadema ex ara sublatum, capiti ipsemet imponeret, eáque re memoriam hujus supremi jussi apud se conservaret. Quamobrem divinis peractis officiis, ambo pater ac filius diadematis ac imperatorio paludamento fulgentes, raro procerum comitatu ad palatium reducti sunt. Ferunt autem, morem hunc deinceps apud Francorum Reges obtinuisse, ut plurimum in vita superstites, adhuc, cum filiis tum imperium ex æquo dividerent, tum impares quoque, nec principis loci capaces, regnorum hæredes instituerent. Quare cùm nascendi conditione, non morum delectu nititur rerum summa, opes Francorum sub Carolo amplissimæ, interdum extenuatæ, mox afflictæ, demum præcipiti gradu ad perniciem prolapsæ.

XXV. *Sigeber. Regin. Annoin* Caroli M religio ejusque tuendæ præclara studia.

His ita gestis, à Carolo, cùm religionis deinceps, velut assidua quædam in ejus pectore cura insidet, quo ante discessium, præsidiis quibus exstruxerat imperium, iisdem emigrans obvallaret, omnia publica privatáque jura, sacra, leges, quæque alia Reipublicæ impósterum salutaria forent, ad conventus Episcoporum, variis in locis hoc anno detulit, ipsorúmque scitis hæc cuncta sic integra subjecit, ut decernendi quod in rem foret, autoritatem illis plenissimam relinqueret. Quo facto tantam ille sibi gloriam decúsque peperit, ut Patres ad Synodos quoquoversus evocati, certatim euntes in gratulationem, quasi novis eum honorum præconiis cohonestarent. Et certè, qui Moguntiaci convenêre, Christianissimum, veræ religionis rectorem, defensoremque S. Dei Ecclesiæ, pronunciârunt; & qui Remis congregati, ab his piissimus; ab Arelatensibus verò, Princeps, & Imperator orthodoxus consalutatus est.

Synodi diversis in locis.

Moguntia.

Rhemensis Arelatensis. *De Rhemensi Synodo adi Frodoard. l. 2. hist. c. 18.*

Adhæc igitur & ejusmodi consultanda procurandaque, Caroli mens in senili corpore vigebat, & adhuc se porrigens ad ulteriora, in incremento virtus erat, cùm egregia cuncta mors intercipit, & neque dum exsatiatæ laudi metam statuit. Aquis quippe hibernans, febri simul & acri pleuritidis dolore, Januario mense correptus, & V. Kal. Febr. morbi magnitudine superatus migrat è vita, sepultus in æde D. Genitricis Aquisgrani à se constructa; ibique ab omnibus ut cœlitum unus colitur.

XXVI. Caroli M. mors.

ANNUS CHR. 814. *Egenard. & cæteri Franc. Scriptores.*

Aquis sepelitur & colitur.

Encomium

Vir, cum admirabilis justitiæ, & religionis laude æternus, tum cuivis uni superiorum Imperatorum belli, pacisque & artibus & gloriâ par; tamque non absimilis Constantino, quàm omnium famâ pariter cum illo virtute factisque magnus. Bonarum artium studia ab ætate prima cupidè fovit & amplexus est ipse; adhæc insignis adversum Ecclesias & monasteria in eo pietas & beneficentia incredibilis, cujus apud Treviros inter innumera alia extant * Levicanum & Serviacum non obscura liberalitatis argumenta, quæ anno regni quarto & tricesimo D. Petro Trevirensi donavit; S. Maximini Trevirorum Antistitis celeberrimi memoriam insigni pietate semper coluit; suæque in loci præsides & custodes munificentiæ perpetuum extare documentum, voluit Steinsale, Wimariskirche, * Comiciacum, luculenta prædia.

MS. Trevir. Eccles. commemorat hæc. * Leucke apud Saram Sytff.

MS. B. Maximini. * Compezihe

Quin & Saxones ab se devictos Episcopis & Ecclesiis tributarios fecit, eorumque jumenta & arva decimavit, quòd intelligeret gentem efferam religione mitigari, armis non condocefieri; ita Pontifices & proceres Austrasiæ, quorum consiliis armisque Saxones vicerat, probabile est ab eo non relictos immunes, & Regalis beneficentiæ expertes. Septem & quadraginta regnavit annos, quatuordecim imperavit, vixit autem septuaginta duos.

XXVII. Saxones Episcopis tributarii *Adami Chron. & Kranzius lib. 2. Saxon.* Austrasiaci Episc. à Carolo M. ditati.

At Luduicus interim in Aquitania de parentis morte accepto nuntio, nullam sibi moram attulit: sed è vestigio contendit Aquisgranum, quâ potuit celeritate: atque ibi sanguini patrio par, mox secutus Principum favor; atque ex omni multitudine consentiens vox ratum ei imperium effecit. Inter ipsa regnandi initia, summa illi cura quæ testamento pater mandaverat, diligenter exequi, legataque Pontificibus, egenis & aulæ servitiis, ex æquo bonoque distribuere. Versus hinc, ut par erat, ad ordinandum Reip. statum, conventum Aquas indixit.

XXVIII. LUDUICUS PIUS REX FRANC. an. 27. Luduicus paterna regna capessit.

Interea Amalherius noster Constantinopoli reversus, lætum pacis nuntium attulit, Christophorum * Spatharium & Gregorium Diaconum legatos, secum Aquisgranum adducens. Hos ad Carolum Leo Imperator firmiori vinculo pacem adstricturos mittebat. Igitur à Luduico benignè auditi, & honorificè dimissi sunt. Mox etiam Nordtbertum Regiensem Episcopum, & Richonium Pictavii Comitem, pro ejusdem fœderis instauratione eorum subsequi vestigia jussit. Amalherius inde sacris dedere animum, atque opus illud de divinis officiis, quo nominis sui memoriam apud posteros consecravit, meditari cœpit; ipseque Constantinopoli degens pro more suo Græcorum ritus, sacra, cæremonias, diligenter observarat; unde & Lectiones in Orientis Ecclesia prodidit duodecim decantari solitas; utpote senas Latinè, & item Græcè senas, qui mos etiam apud Romanos olim obtinuerat. Sollertis & istuc inquisitionis apud illum extat argumentum, cùm in Oriente, novaque Roma usum signorum ligneorum adhuc suo tempore durasse scribit, queis ad sacra convocati fideles. At in urbium urbe, sanctioribus feriis dumtaxat, ut hodieque in Galliæ & Germaniæ Ecclesiis assumptum. Audire eum est operæ pretium ob ritus vetustatem: *Omnis salutatio deest in istis tribus diebus sive noctibus ad vitandam salutationem pestiferam, qualem diabolus Iudas exercuit. Nec non etiam altitudo signorum quæ fiebant per vasa ærea, deponitur, & lignorum sonus usquequaq. humilior æris sono, necessario pulsatur, ut conveniat populus ad Ecclesiam. potest & in hoc humilior usus Ecclesiæ Romanæ designari anti-*

XXIX. Amalherii Trevirens. ex Oriente reditus. * Protospathariû qui τὸν σπάθαν ensem Imp. gestabat.

Opus ejus de divinis offic.

Lectiones nocturnæ.

Lignea signa * pro Campanis in Oriente.

Lib. 4. c. 21.

Campanæ

*quis temporibus, quàm nunc sit, & præcipuè tunc, quando latitabat per cryptas propter persecutores. Nam adhuc * junior Roma, quæ antiquis temporibus sub uno domino cum antiqua Roma regebatur, usum lignorum tenet, non propter æris penuriam, sed propter vetustatem.*

* Constantinopolis.

XXX. Amalherius bis Romam adiit.

Lib. 3. de Eccl. offic. c. 42.

Porrò Amalherium in hujus itineris longissimi cursu, Romam unà tunc primum adiisse, rectè docuit operum ejus editor Melchior Hittorpius, quandoquidem de idonea sacrificandi hora disserens, ubi tertiam maximè probari scripsit Telesphoro Pontifici; quia in ea Christus apud Marcum legatur crucem ascendisse, addit, amotâ proterviâ, locum quoque dari feriæ necessitati; atque ita Leonem se vidisse Apostolicum diluculo intrare ad missam: sed necessitatis id causâ intercedente, an solâ fretus autoritate fecerit, egisse ambiguum.

Leonem III Pontificem Romæ vidit.

XXXI. Amalherii modestia in studiis doctrinarum.

Multifariam quoque Amalherius habitum animi modestiâ, suique despicientiâ præclarè ornatum exhibuit; doceri, quæque ab aliis didicisset, promere juxta facilis. Hinc, quid Gregorium Pontificem, quid Theodorum S. R. E. Archidiaconum interrogando, profecisset, quid ab iis percontatus esset; quid à magistris principis Ecclesiæ, quid à Gallis, qui eos magistros audierant, quosque Romani cantus sui melodiam primum docuerant, hausisse, nusquam dissimulavit, quin candidè, & sæpè laudans, commeminit.

XXXII.

Cæterùm, quia Amalherio per publicæ legationis, & alia regno debita obsequia, non facilè fuit assiduam Ecclesiæ sui facere copiam, adlegit in muneris sui consortium præter *Adalmatum & Herilandum, quos supra memini, rarâ ut in paucis doctrinæ & probitatis opinione virum, Theganum Chorepiscopum, qui nobili satus ortu Francorum, flagrantis sapientiæ studio, & acres ad virtutem stimulos per hoc tempus huic Ecclesiæ subjecit, & præclara scientiæ suæ ornamenta Trevirensi populo, pro concione impertiit. In magno is honore apud Augiensis monasterii cœnobitas extitit, quorum prædicatione & ingeniorum monumentis ab oblivione certè vindicatus est. Etsi opusculum ejus recens exiit, quo Luduici pii res gestas, æqualis ipse descripsit: cujus elogium, ut ne rarescat, Walafridus Strabo familiaris ipsius, præfatione cavet. Nam quod in quibusdam sententiis videatur effusior & ardentior, id dolori adscribit, quem amor justitiæ, & in optimum Principem affectus expresserit. Virum quippe nobilem & acris animi, vilium personarum injurias nescisse concoquere. Addit Walafridus; novimus & nos virum, multâ lectione instructum, sed prædicationis & correctionis studiis occupatum. Extat poëma Walafridi Strabi, quod oppidò adolescens, ut apparet, Tattonis magistri sui jussu, quem in Augia præceptorem habuit, in gratiam Thegani lusit.

* Adalmarii

Theganus Amalherii suffraganeus quantus vir. Annal. Pith. Franc.

Luduici Imp. acta scripsit. Ads Pith. annal. Franc.

Concionator & custos disciplinæ.

Tom. 4. antiq. lect. V. C. Hen. Canisii.

AD DEGAN CHOREPISCOPUM TREVIRENSEM in persona Tattonis.

His tibi versiculis Doctor sanctissime Degan,
Tatto humilis mittit verba salutis ovans.

Et post hæc:

Non potuêre unquam laudum miranda tuarũ
Dignè proferri, sunt quia multa satis.

Theganii ingenium.

Miramur meritò sapientis munera mentis,
Doctrinam, mores, carmina, dicta, animũ.
Nec minùs exterius miramur sancta staturæ
Incrementa tuæ, membra, manus, faciem.
Nos parvos humiles, murẽ sibi forma subegit;
Vosq; gygantem esse, gloria molis habet.

Corporis statura.

XXXIII. ANNUS CHR. 815. Wocaræ Trigoriensis territorii mirabilis exundatio.

Anno postero, Rhenus Alpinis imbribus tumens egressus alveum, per plurima loca, non sine gravi arvorum detrimento restagnavit; atque eodem pœnè tempore, Wocara rivus apud D. Goarem, imbribus item assiduis, & ex edito ruentibus aquis exundans, cùm incidentium mole clausus, amissum quærit iter, perrupto, quo destinebatur obice, magnâ passim ædificiorum, & operum agrestium clade, irrupit in Rhenum. Habitúmque pro miraculo est, cum campanis turriculam, prorutis & æquatis solo domûs ipsius parietibus, stetisse contra vim torrentis, quodque opinionem hominum auxit, post vastitatem obviis undique locis illatam, in imo turriculæ binas cum oleo repertas ampullas, quas qui posuisset quærendo, nunquam potuerit etiam invenisi.

Sub Trancrado Abbate Prumień. qui an. 810. cœpit.

XXXIV. ANNUS CHR. 816. STEPHANUS IV. al. V. Pont. m. 7. d. 3. Conventus Aquisgrani. Ex actu Synodi & Omp.

Insequenti anno, Leo Pontifex morbo extinguitur; eique non multis diebus interjectis, Stephanus Diaconus subrogatur. Inde Luduicus, cui religionis summum studium, Pii cognomen meritò peperit, conventum Episcoporum Aquis habuit; in quo, cùm multa salubriter de cleri moribus sancita, tum Canonicis etiam vivendi regula præscripta est. Plurimum Synodo Imperator adjumento fuit, quidquid usquam veterum librorum reperiri potuit, undique conquirendo. Cúmque acta Synodi publicè prolata, & omnium assensu comprobata sunt, tum ipse Luduicus & Episcopi præsentes, Deo gratias acclamârunt. Amalherium huic interfuisse conventui, ut credam, facit summa, quâ fuit apud Luduicum autoritas, nec minor eruditionis ejus, quâ præcelluit, opinio.

Amal. c. 105. & seq.

XXXV. Luduicus à Stephano Papa Rhemis coronatur cum Hermingarde conjuge.

Stephanus Pontifex huic rei Christianæ causâ magnis itineribus in Belgicam secundam venit, atque exquisitis honoribus passim exceptus, ubi Metropolim Remorum adiit, Luduicum & Hermingardem conjugem, Principum populique frequenti concursu & gratulatione, coronis impositis, illum Augustum, hanc Augustam consecrârit. Adventum Stephani, & Luduici occursum congressúmque quantâ maximâ potuit erga Pontificem honoris significatione peractum, Theganus Trevirensis Chorepiscopus accuratè descripsit, & ex eo Flodoardus, qui & hujus celebritatis hoc monumentum pinnaculo Remensis Ecclesiæ cum Stephani & Luduici imaginibus insertum, ab oblivione vindicavit.

Stephani Papæ & Luduici Pii cōgressus in Campania. Lib. 2. hist. Rhemens. Eccles. c. 19.

Luduicus Cæsar factus coronante Stephano
Hac in sede Papa magno: tũc & Ebo Pontifex
Fundamenta renovavit cuncta loci istius,
Urbis jura sibi subdens Præsul auxit omnia.

XXXVI. Ebo vel Ebbo Rhemēsis Ecclesiæ celebris Archiepisc.

Ebonis eximii tum cognatæ Trevirorum Ecclesiæ Remensis Archiepiscopi fama intemeratæ virtutis longè maxima fuit; eamque sedem templorum ac possessionum novis incrementis mirificè cohonestavit & extulit, ut cui Luduicus Imperator ceu collactaneo & condiscipulo petenti ferè vix quidquam negaret. Ortus ipse trans Rhenum Germanico solo; unde in ipsius actionibus vitæ, istuc in

Ebbonis patria, educatio.

laude

laude præcipua ponas; quod, ut Flodoardus de illo scriptum reliquit, consilio Luduici Imperatoris & autoritate Paschalis Pontificis prædicandi gratiâ ad terminos usque Danorum accessit, Comite Alitgario Episcopo Cameracensium; ac multos ex iis fide Christianâ imbutos, salutaris undæ lavacro regeneravit. Et ab Eugenio quoque Nortmannorum sive Danorum Apostolum fuisse destinatum idem commemorat. Sed cùm rariùs Ecclesiæ suæ obterit, quàm Palatii limina, velut casibus alienis impeditum, notissima post tempestas arripuit, & causæ unde non emergeret, involvit.

Danos seu Normanos convertit. *Adam Chron. Annoin l. 4 c. 3. Flod. cit.*

Aula illum perdit. *Flodoard cit. in Radumi visione.*

XXXVII.

ANNUS CHR. 817.

PASCHALIS PONT. an. 7. m. 3. d. 16.

Porrò Stephanus Pontifex magnis datis acceptisque muneribus, & honorifico comitatu in Italiam deductus octavo Kal. Feb. insequentis anni, tertio mense quàm redierat vix dum exeunte, extremum vitæ diem obiit. Ei comitiis cleri populique Romani Paschalis sublectus est.

Luduicus Imp. fermè ruinâ opprimitur.

Exiguum temporis medium, quando Luduicum Aquisgrani degentem sanctioris hebdomadæ die, quo cœna Domini peragi consuevit, anceps vitæ periculum circumstitit: nam è templo sacris ritè factis domum euntem, ligneâ quâ transibat porticu procumbente, desuper unâ cum optimatibus viginti; subitâ ruinâ haud parùm attrivit, atque adeò universos solo afflixit. Sed Imperatorem casus ille sollicitâsse magis, quàm læsisse videatur; cùm cæteris afflictis, ipse licet pectoris lævâ parte contusâ & aure perstrictâ, tum femore dextro etiam ruentis ligni pondere colliso, medicorum tamen industriâ, intra viginti dies sanitati redditus. Quamobrem etiam Noviomagum profectus, honesto venationis oblectamento, post quassati corporis illam molestiam, liberiùs indulsit: & mox inde Aquas revertens, omnium Principum populorumque conventum egit. Ibi, cùm multa imperio moderando salutaria præcepta dedit, tum in primis Lotharium maximum natu filium imperii consortem adscivit; cæteros Reges appellatos Pipinum Aquitaniæ, Luduicum Boiariæ præficiens. Hinc dimisso conventu, Vogesum venandi causâ peragrare cœpit: sed ab Leonis Imperatoris legatis è via retractus, ad Ingelheimum palatium, cum iis unà reflexit; ibique aures faciles pacem orantibus dedit.

Annoi. c. 105.

Lotharius imperii consors.

XXXVIII. Bernardi Regis motus.

Bernardus interim, quem à Carolo Magno Regem datum Italiæ meminimus, de divisione regnorum factus certior, multis eum ad imperium stimulantibus, quòd Pipino majore Caroli filio natus esset, res moliri novas, atque Luduico patruo regnum Franciæ eripiendi tentare vias. Quod cùm Aquis degens trepido nuncio Luduicus didicit, confestim magnum in Francia, Germaniaque exercitum scribi jussit; quem raptim ac summâ celeritate collectum vix ducere in Italiam occœperat; cùm Bernardus magnitudine, famâque copiarum perterritus, & suorum quotidie defectione sollicitatus, ultrò fit supplex; & positis armis, Luduico apud Cabillonem se ipse dedidit. Inde Aquas in hiberna reversus, paucis post Pascha diebus, criminum cognitionem, & leges in conjurationis autores exercuit. Et Bernardum quidem,

ANNUS CHR. 818. *Annoi c. 106.* Luduicus Aquis punit

Bernardum & conjuratos.

cùm reliquis in affectatione imperii judicum sententiâ capitis damnatum, nihil amplius quàm luminibus orbari passus est. Episcopos autem novarum item rerum manifestos, Synodi decreto alios monasterii septis & parietibus inclusit, alios pro cujusque merito, aut exilio aut leviore pœnâ coërcuit.

XXXIX. Wandelb. in actis S. Goaris.

Sed quando tempora hæc B. Goaris cœlestibus virtutibus egregiè illustrata sunt, par videtur in hac tenuitate literarum, nihil eorum, quæ memoriâ digna, præterire silentio. Tancradus jam tum Abbatis munus in Prumiensi monasterio gerebat; isque pro potestate D. Goaris clero propositus, non rarò ea in Cella, ut usus poscebat, obversabatur. Fortè ibi tum eo præsente Maximinus Abbas monasterii S. Gereonis apud Agrippinensium urbem, quod jam mœnibus inclusum, in collegium canonicorum abiit, è Vangionum finibus onerariâ vini plenâ, non paucis comitibus descendebat. Qui cùm S. Goaris monasterio propinquus, admonetur, ut appulsâ paulisper navi, oratum ad S. Goarem exeat. Ille, in præsens nihil opus admodum esse, frustraque sibi moram hanc festinanti injici, nec defuturum quandoque tempus, id officium cumulatiùs præstandi: pergerent modò, & cœptum iter bono animo insisterent. Dictis Abbatis parent vectores: sed ecce tibi cùm oratorium superare parant, navis allisa in occulta saxa, quæ pluribus ibi locis prodeunt undæ repercussæ, præsentissimum discrimen adit. Itaque cùm crebri se fluctus jam invehunt, aquis propè demersa navis fundere simul vasa cœperat. Tum clamare omnes sublatâ voce, & auxilium frequenti obtestatione cum gemitu poscere; ipseque Abbas admissi neglectûs culpam, in se jam ultrò vel serò provocans, opem Divi implorare, & obtestari per omnia sanctitatis ejus merita. Hanc rem Tancradus ex edito fortè speculatus, cùm quo in loco esset, quantoque in periculo cuncti versarentur, perspicit, confestim suos laborantibus subsidio mittit, & imperat ad celeritatem nihil reliqui faciant. Deducuntur itaque naves, & undique Tancradi studio, mergentibus jam & omnia extrema metuentibus, succurritur. Factúmque est opitulatione Divi, ut omnibus vasis receptis, & integris mercibus navis ad littus rediret incolumis. Egressi vectores, cùm gaudium metusque juxta solicitant, ardentes incipiunt ad B. Goarem pro tanto beneficio fundere preces, & gratias, quantum in ipsis, referre maximas.

Maximinus Abbas S. Gereonis monasterii Coloniense.

Naufragiũ ob sui memoriam neglectam S. Goar miraculo discussit.

Sed & mulier, quæ exponi se in littus orationis gratiâ poposcerat, cum relicto in navi infante, templum ingressa, paulò diutiùs quàm bilis festinantium ferret, moras illa trahit, subit vectoribus, tædio moræ navim remis propellere, & destituere cunctantem. Vix itaque provectos, ab voragine raptâ submersaque naviculâ, impetus amnis abstulit, vorticibusque suis implicuit. Porrò fœmina ab oratione revertens, ut fluitantes super aquam ollas, quibus onusta cymba fuerat, ferri conspexit, suspicata id quod erat, mersos unà cum navi vectores, incerta spem inter metúmque fluctuare cœpit, & dum solicito pectore gemebunda littus oberrat, mortuumque

que plangit infantem, mœsta vultum huc illucque circumferens, en tibi manifestâ, & altâ quadam curâ Numinis, parvulum undarum dorso sublatum, velut nave non fluctibus veheretur, appelli leniter cernit ad ripam. Quem illa jam appropinquantem, obviis ulnis excipiens, ubi incolumem sustulit, atque diligentiùs omnia circumspexit, tanta miraculi claritas enituit, ut umbilico tenus infantem modò respersum aquis, reliquo semper corpore fluctibus invenerit enatâsse superiorem. Atque tanti apud Deum fervida fuit D. Goare interposito precatore supplicatio.

Naufragiū evadit infans spectabili prodigio.

XL. Longum ac spissum nimis sit enarrare, quot ejusdem ope Divi oculis reluxerit dies, quot aurium & cæterorum membrorum item restituti sint officiis. Illud certè ad loci religionem exemplum proditur in primis memorandum. Badoartus negotiator, ædem Divi prætervehens, servum supplicii metu fugitantem, atque aram D. Goaris prensantem, flagitare; atque dum preces nihil valere sentit, invitum ab asylo retrahere moliebatur: ibi tum orante, qui fortè aderat, ne violâsse sacra vellet, Herrardo Cœnobitâ, & precibus denique imperium miscente, ille efferatus rabie, & puniendi libidine accensus, raptum ab ara servum super violatam augusti templi religionem, pro foribus Ecclesiæ verberibus plagisque subjicit. Magno sanè isthæc ei violatio sacrati soli stetit. Quippe haud longo interjecto spatio temporis, correptus à dæmone sacrilegus herus, cum ingenti ibi cruciatu animam efflavit.

Asyli violati pœnam severè B. Goar reposcit.

Humfrido item clerici servo hoc ipso tempore B. Goaris patrocinium saluti fuit; is enim, cùm ob maleficium, religatis ponè tergum manibus trahitur ad pœnam, impendentium malorum metu propè exanimis, ut ad fugam nihil sibi spei reliquum videt, tollit ad ædem D. Goaris oculos, caputque submittens, tacitâ religione templum è longinquo veneratur. Res mira; quippe tam prompta affuit Numinis istic opitulatio, ut è vestigio sponte defluentibus atque solutis vinculis, tutissima fugiendi via monstrata sit. Quare etiam ad D. Goaris altaria ceu ad expertæ virtutis asylum confugiens, paratum sibi evasit supplicium; tactusque religione dominus, devotum sancto caput retrahere, ac pristinam servire servitutem non sustinuit.

XLI. ANNUS CHR. 819. *Armorm. Scot. & Sigebert.* Aquisgran. Synodus.

Atque hæc ad posterorum memoriam sanè quàm illustria tum divinitus gerebantur apud D. Goari; cùm anno vertente, Luduicus Imperator Episcopis atque proceribus regni Aquas convocatis, de cleri formandis moribus acrem cogitationem suscepit, consiliumque saluberrimum iniit, quo meliorem Ecclesiis, monasteriisque statum imponeret. Synodo namque congregatâ, multa sapienter de communi procerum & Episcoporum sententia ordinavit; tum novis etiam legibus vetera instituta cumulavit. Inde animum ad nuptiarum solemnia transferens, Welphi Comitis filiam Judithâm formâ egregiâ, & spectatâ prudentiâ virginem in thori communionem ascivit. Ex ea Carolum deinde sustulit, qui Calvi cognomen cum imperii titulo gessit. Nuptiis peractis, iterum conventus procerum, mense Julio apud Ingelheimium palatium habitus: quo dimisso Imperator Crucinacum, deinde Bingiam veniens, flumine secundo Confluentes usque per Rhenum navigavit; inde Arduennam solenni more, venationis causâ percursans, reversus demum Aquisgranum ibi per hiemem substitit.

XLII. ANNUS CHR. 820. Pannonicū bellum Luduicus suscepit.

Successit inde annus ab ortu Christi DCCCXX. quo Luduicus concilio Aquis indicto, bellum in Pannoniam inferiorem Liudeviti Ducis rebellione, tum malè quietam decrevit; idque sanè tantâ animi alacritate atque apparatuum impensis, tribus ut exercitibus tribus in partibus Pannoniam sibi lacerandam sumpserit. Ineunte igitur verè, simul atque pabuli copia fuit, ex omnibus Austrasiæ, Germaniæque populis ducti diversis viis in Pannoniam exercitus, cùm dispartitis viribus latè bellum circumferunt, cædibus, prædationibus & incendiis totam fermè regionem pervastarunt, & nullo insigni detrimento accepto, domos quisque suas incolumes repetivêre.

XLIII. Per idem tempus novus Imperatori hostis exortus; qui terrore nominis sui, & mole manuque totam latè Franciam complevit, in diésque magis audaciâ, ac virium magnitudine crescens, omnibus quas armis infestavit, regionibus ultimam denique vastitatem attulit. Fuit hæc Nortmannorum illuvies Danici generis, ut Einhardus in Carolo Magno prodidit, gens ut in Oceano nutrita, præter viros armaque, classibus potens, & assiduis Aquilonibus, reliquisque nativi soli frigoribus ad omnem laboris patientiam indurata; eáque re naturâ ferox & immitis, ut planè crederes, à Deo immissam ad hominum scelera expianda, per efferatæ crudelitatis cædes & urbium strages. Hi igitur populi hoc anno cum classe tredecim navium finibus suis egressi, cuncta Flandrici maris littora, piratarum more infestare cœperunt; sed insigni virtute, ab iis, qui relicti præsidio illis locis fuerant, repulsi; nihil ferè tum, præter ignominiam & iras, reportârunt.

Nortmanni qui? Danicæ originis. Luidpran. l. 1. c. 11. rerum per Europ. gestarum.

Normanni Flandricum littus infestum habēt.

XLIV. Idem annus, sævâ pestilentiæ clade, frugum corruptione, & crebris eluvionibus aquarum, tum denique lugubri deficientis lunæ aspectu, multa mortalibus tristia portendit. At posteri senescente jam vere, Luduicus Noviomagi, coacto procerum concilio, regnorum partitionem inter filios, annis superioribus constitutam recognovit; aoipsorum optimatium, qui convenerant, ut ex æquo bonóque fieret, sacramento confirmavit. Post paucos inde dies, cùm Aquas iter reflexisset, ad Arduennam conversus, Treviros rectâ contendit; ibi tum, quid ab eo gestum constitutúmque sit, Annalium memoriâ excidit: sanè non diu commoratum, argumento, quod Metim extemplo profectus ad consueta venationis oblectamenta, & amatum, aptúmque secessui Vogesum; ubi æstate in otio ferè jucundè transactâ, Octobri mense conventum habuit apud Theodonisvillam, magnâ populi & principum frequentiâ; in quo etiam Irmingardem Hugonis Comitis filiam Lothario majori natu filio nuptum dedit; quæ sanè nuptiæ eò fuerunt auspicatiores, quòd amplissimâ legatione Paschalis Pontifex, missis per Theodoricum Primicerium ac Florum magnis Româ muneribus, eas prosequi, splendidum

ANNUS CHR. 821.

Annal. c. 109. Luduicus Treviris venit.

Theodonisvillæ celeberrimus Regū conventus. Thegan. histor. Lud.

Lotharii nuptiæ & Paschalis Papæ favor.

didum utrinque duxerit. Affuêre quoque in communi omnium gratulatione Duces, qui, depopulatâ, atque evastatâ Pannoniâ, nullâ belli materiâ istic ab hoste præbitâ, domum irritâ pugnandi spe redierant.

XLV. Luduici Imp. clementia.

Inter hæc summa piissimi Imperatoris eminebat clementia, morúmque facilitas, ut, qui omnes, quos cum Bernardo sceleris coïisse societatem norat, ad se perductos, quamvis addictos jam exsilio & fortunis ejectos, magni tamen æstimavit servare omni modo, donatâ non solùm vitâ, sed revocatis etiam facultatibus, quæ redactæ in publicum, jam tunc aversæ fuerant. Atque hæc dum acta apud Theodonisvillam municipium pagi Mosellensis.

XLVI. ANNUS CHR. 822. Attiniaci.

Postero anno mense Augusto rursus in Remorum finibus Attiniaci in medium consulitur. Hic Luduicus prompto & exquisito clementiæ ac pietatis genere, omnia quæ vel à parente, vel à se graviùs per iram in capitis sui insidiatores consulta fuerant, susceptâ publicè pœnitentiâ diluit, & qualem qualem, ea ex re, sive excitatam invidiam, sive maculam sævitiæ contractam, obruere funditùs studuit.

Lotharius in Italiam abit.

Inde Lotharium filium, cum imperio in Italiam, ad capessenda regni insignia, & populorum Italiæ res constituendas, misit: eique cùm cæterorum omnium, tum inprimis Romanæ Ecclesiæ salutem ac dignitatem commendavit: ipse verò cùm autumnali venatione, corporis torporem excussisset, trans Rhenum hibernatum abiit Francofurtum; ibi in Orientalium populorum rebus constituendis, evocatis ad se ejus regni optimatibus, totam hiemem posuit; urbemque illam, novis tum ædificiis ad cultum, tum legibus ad æquitatem, ordinare cœpit.

Francofurti amplificatio.

XLVII. ANNUS CHR. 823. *Aimoin. l. 4. c. 111.*

Porrò insequentis anni Maio mense alterum ibidem conventum egit; cui Saxones tantum, Alemanni, Boioarii, Burgundiones, & finitimi Rheno populi interesse jussi: ad cæteras verò Reipublicæ curas Luduicus ibi cùm regni Wilzorum, qui gentis Slavorum apud australem sinum maris Germanici, dicti quoque Luitiei, controversias minuit; tum autor clero populóque Metensi fuit, ut Drogonem fratrem suum Caroli Magni ex * Roheda concubina filium, qui Luxovii liberalibus disciplinis imbutus canonicam hactenus vitam egerat, Antistitem communibus suffragiis in Gundulphi locum eligerent. Angilramnus namque jam tum ex hac mortali luce ereptus, Pontificii muneris præclarè gesti, post se memoriam reliquerat in Hilariaco seu Novæ-cellæ monasterio, quod apud Mediomatrices ipse construxerat, humatus. Drogonis conditionem non siluit Theganus Trevericus; nam Luduici jussu, ait, ad discordiam mitigandam, tres fratres, Drugonem, Hugonem & Theodoricum attonsos, liberalibus disciplinis traditos imbuendos, ac deinde honorificè eductis, Drogoni Episcopatum; Hugoni obvenisse monasteria.

Marti. Cromer. Polon. orig. l. 2. & 3.

Drogo Meteñ. Episc.

* Regina.

MS. Mediomat. Agilramnus Meteñ. Eps. vel Angilramnus.

Sepelitur in S. Naboris monasterio, *ut jam monstratur.*

XLVIII. Prodigia varia.

Non etiam, hoc anno defuêre, quæ curas hominum variè sollicitarent prodigia. Quippe Aquense palatium motu terræ quassatum, & multa passim ædificia igni de cœlo tacta conflagrârunt; hominesque & pecora fulminum ictu multis in locis exanimati. Sed in Leucorum agro provinciali, villa Commerciaco, puella annorum ferè duodecim, ipsis Paschalibus sumptâ de manu sacerdotis sacrosanctâ hostiâ, ab eo tempore primo quidem, per decem omninò menses pane, atque deinde, adeò, omni cibo abstinuit, donec transacto per inediam toto ferè triennio, demum ad vitæ communis usum pastúmque rediit. Secuta deinde fœda pestilentiæ strages, his forsitan portentis prænunciata, quæ per totam longè latéque Franciam immaniter adeò sæviit, ut innumeram pœnè hominum omnis ætatis & sexûs multitudinem contactu polluerit extinxeritque.

Sigeb. in Chron. Scot. & Aimoi. ut supra

Puella expers cibi vivens apud Tullenses.

XLIX. ANNUS CHR. 824. EUGENIUS Pon. an. 3. m. 2. d. 20.

Paschali Pontifice Romæ defuncto, sequenti anno Eugenius, etsi non absque voluntatum & studiorum dissidio, sublectus. Inde Luduicus gloriosæ Resurrectionis die Aquis celebrato, arridente vere Noviomagum proficiscitur, ut per amœna sylvarum feras retibus, & jaculis illiget. Deinde utili temperamento pacis artium Aquas ad concilium, quod proceribus indixerat, iter convertit; auditisque Bulgarorum ibi legatis, & conventu dimisso, ingressus est de more Vogesum. Et sequentis anni medio circiter Maio Aquis exiens, ad Kal. Junias Ingelheimum accessit; habitóque frequenti procerum ibi concilio, ex diversis terrarum partibus, legationes audivit.

ANNUS CHR. 826.

Thega, &c. Franc. script. Regino,

Harioldus Danus cum suis Moguntiæ baptizatur.

Eodem tempore Harioldus Nortmannus conjuge magnáque cinctus Danorum multitudine ex Frisia Moguntiacum iter faciens, apud S. Albani cum his, quos unà secum adduxerat, salutaribus undis ablutus, Christo nomen dedit; quæ sanè res incredibilem Imperatori lætitiam, & coram spectantibus non minorem voluptatem effecit: quamobrem ingentibus etiam à se donatum muneribus Luduicus per Frisiam, quâ venerat, ad propria honorificè deduxit.

L. *Marian. Scot. Sigebert. Luitolf. presbyt. MS.*

Otgarius Moguntinus Archiepisc. Hilduinus Virduneñ. Episcopus.

Gerebat eo tempore Moguntiacensis Ecclesiæ magistratum Otgarius, qui in Aistulphi locum nuper successerat; vir clarus, præstánsque publicis administrandis negotiis. Virdunensem verò sedem occupabat Hilduinus, pari industriæ laude in imperio spectatus.

S. Severi Ravennatis Episc. Vincentiæ conjugis, Innocentiæque filiæ cineres in Germaniam exportati.

Lotharius per eos dies Ticini in Italia degens, accendendis offensionibus callidorum pravâ machinatione, ut Luitolfus Presbyter, in S. Severi Ravennatis Episcopi memoria prodidit, acerbitatis in parentem, nescio quod virus imbiberat; quare Luduicus ad eos, quos diximus Antistites, sarciendæ concordiæ atque amoliendæ invidiæ munus relegans, in Italiam mittit, additis Warino & Adalgiso Comitibus; ubi uterque Ticinum adiens, cum Lothario diligenter egit, de tuenda patriæ necessitudine, & retinendo concordiæ bono. Affuit ibi tum * Felix homo non ignotæ sollertiæ, qui S. Severi Episcopi, & uxoris Vincentiæ, Innocentiæque filiæ pignora ex monasterio, quod Ravennam inter & S. Apollinarem visebatur, fraude sublecta fortè in Otgarii Archiepiscopi hospitium intulit. Is verò, ut ea tum ætas reliquiis undique conquirendis avida, fas nefásque miscebat, thesaurum cum clam interverteris, cœnobitis nequidquam ablata sacra repetentibus, ingenti

* Felix clericus Italus. *idem videtur qui in aliis Arabani celebratur à Rodolpho Fuld.*

gratula-

gratulatione in Germaniam rediit; venerandosque cineres Moguntiæ in D. Albani templum importatos, loculis magnificè condidit; inde autem lapsis post aliquot annis B. Severi reliquias in Thuringiam, ad municipium regale, quod Erphefurtum hæc ætas nuncupabat, traduxit.

Erphefurtũ seu Erfordia Metropolis Thuring.

LI.

Aimoin. c. 114. Sigeb. & Lamber. Chron.

S. Sebastiani ossa in Franciam Româ translata.

Subinde etiam Hilduinus Abbas S. Dionysii Lutetiarum, monachos ad Eugenium misit, oratum beatissimi Sebastiani martyris sacrata ossa: cui petitioni Pontifex annuens, ut deportarentur, concessit; & ab eo V. Id. Decemb. in Belgica secunda apud B. Medardi corpus Suessionibus recondita sunt; tantaque mox cœlestium virtutum gloriâ nituerunt, ut famâ prodigiorum, conversis ad stuporem mortalibus, nullum non poscenti salutare præsidium ferrent. Quod eo commemoratum à nobis, quia hujus postea Divi caput in monasterio Viridisaugiæ, diœcesis Trevirorum ordinis S. Benedicti, ab ejus loci fundatore repositum, docet Tritthemius. Sed & Epternaci reliquiarum ejus votiva & percelebris extat memoria, Cæsaris Maximiliani primi religione illustrata. In Arnsteiniano quoque apud Loganam amnem illustri Præmonstratensis familiæ monasterio S. Sebastiani verticis partem eleganter & affabrè argento inclusam, olim venerati sumus.

Caput & pars cranii in Treviris.

Tritthem. in Chro. Hirsaug.

Ad hunc annum Sigebertus exportata quoque SS. Marcellini & Petri ossa ex urbe meminit. Quam translationem, etsi malâ fide furtoque procuratam, satis veterùm literis constet, Deo cordi tamen fuisse Martyrum honorem, Eginardus ipse quatuor libris de mirifico reliquiarum in Germaniam adventu, patratisque apud earum feretrum, primùm in æde Michilunstadia inter Nicrum & Mœnum ac mox in Basilica Seligenstadiensi, prodigiis, memoriæ tradidit.

Tom. 7. Surii ad 2. Iunii.

LII.

Martyrolog. Germ. & Inmenso adservati solitum ad 17. Ianuarii.

At justâ nos hic censurâ in eos Sanctorum fastos animadvertendum putamus, qui Martyrum horum levationem in Treviris Valenderiæ pago haud procul Confluentium civitate factam, publicè prædicant. Sed, qui Eginardi commentarium adibunt, quo partium quarundam in Valentianas Hannoniæ ad Schaldim oppidum transmissionem ad S. Salvii memoriam, & miracula eam consecuta, ex Georgii Presbyteri Veneti relatione celebrat, erratum hoc historicum facilè vindicabunt. Porrò Georgium hunc eo tempore Eginardi beneficio reliquias in extrema Belgarum evexisse, quo, ut ille ait, ad corroborandam Christiani populi fidem, propalam in Aquisgrani Palatio Imperatore, aulaque totâ spectante, ad Martyrum patrocinium, opera supra naturam complura sunt edita, literis iis præclarè mandatum est, quibus & annus insequens, exprimitur, scilicet quartus decimus imperii Luduici Augusti, quo simul Eugenius mense Augusto decessit; cujus in locum Valentinus veniens vix in pontificatu mensem explevit: quare Gregorius presbyter S. Marci mox ei subrogatus, quarti cognomen tulit.

SS. Marcellini & Petri reliquiæ nõ in Treviros, sed Valentianas missæ ab Eginardo

Eth. 4. c. 10.

ANNUS CHR. 827. VALENTINUS. GREGORIUS IV. PON. an. 16.

LIII.

Helisachar Abbas S. Maximini

Floruit eo tempore magnâ apud Luduicum gratiâ, & non minore publicis imperii gerendis negotiis industriæ laude, Helisachar Abbas S. Maximini, qui turbato nuper Aizonis perfidiâ Hispaniarum limite, & Saracenis, Maurisque in exitium Gothorum, Hispanorumque cum transfugis Francis conspirantibus à Luduico in fines Aquitaniæ missus est, adjunctis ei Donato & Hildebrando Comitibus, ad motus Hispanicæ Marchæ componendos. Testis est Aimoinus, Helisacharem Presbyterum & Abbatem istic multa tum & propriâ industriâ & sociorum consilio prudenter administrasse. Quanquam invalescente motu, ad limitem pacandum tuendamque Hispaniam, Pipinum filium tandem Luduicus eo cum validis copiis misit; quæ, priusquam se in Hispaniam insinuarent, Saracenus Abumarna vastatis Barcinonensium ac Gerundensium agris, villisque incensis ac direptis, incolumem exercitum Cæsaraugustam reduxit.

Luduici Imp. Legatus in Aquitania.

Prudenter in Hispaniæ Marcha rẽ administrat. *Aim. l. 4. c. 13.*

Saraceni & Mauri Hispaniæ partem vastãt.

Eodem anno Amalherius Trevirorum, Sigeberto teste, quatuor de officiis Ecclesiasticis libros in publicum emisit, ac Imperatoris Luduici nomini inscripsit: ut vel hinc facili negotio errorem coarguas, qui Vocuandum hâc ipsâ ætate ignotum Trevirensi Ecclesiæ Pontificem affingit; cujus erroris, venia quidem facilis, nisi donationis amplissimæ tabulas ab Luduico hujus ope subjicerent impetratas. Cæterùm, quæ diximus ingenii monumenta, Amalherii nostri præclaram æquè testantur eruditionem, atque eximiam hominis in religione colenda, tuendâque castitatem; ut quæ præter egregiam undique relucentem in Deum pietatem, exactam continent veterum cæremoniarum disciplinam. Procemio librorum his ille verbis Luduico, & Judithæ Augustæ, rebus integris tum adhuc florenti, felicia, faustaque acclamat: *Divo Hludovico vita, novo David perennitas, & ipsi novo Salomoni felicitas. Iudith orthodoxa nobilissima, atque prudentissima Augusta, salus per multos annos. Lumina pacis, Domine, serva. Lumina mundi, Domine, serva, vita vestra tutela omnium est. Vestra fides Ecclesiarum est gloria. Piissimos Dominos nostros imperiales natos, Hlotharium gloriosissimum coronatum, & fratres ejus Christus conservet.*

LIV.

Amalherii l. 4. de offic. Ecclesiast.

Jam verò in disciplina chori moderanda, cæremoniis cum cantu certis per annum statisque temporibus attemperandis, universâ denique sacrorum officiique divini procuratione ritè constituenda ordinandâque, ejus præter cæteros id ætatis nobilitata vel inprimis cernitur industria; adeòque pro more habuit psallere in choro, ac unà assidere cum clericis, Deòque laudes & hymnos, ut ipse de se testatur, concinere. In magna verò hujus temporis ob Nortmannicum incursum rerum omnium disperditione, liber extat in Metropolitana bibliotheca excerptorum ab erudito monacho Eugipio, hortatu Marini Abbatis, ex operibus B. Augustini, quæ, ut præfatur ipse, rarò tum apud singulos integra reperiebantur. Hunc itaque librum Archiepiscopus cùm in præcipui loco beneficii ceu quantivis pretii cimelium apud Ecclesiam S. Eucharii deposuisset, muneris commendandi, manu suâ nomen paginæ libri cum solemni adjuratione sic præscripsit:

LV.

De ord. Antiphonarii. l. 1. c. 19.

Amalherius assiduus in choro.

AMALHERI EPISCOPUS CIVITATIS TREFORENSIS,

QUEM

QUEM ADQUISIVI PARVITATE MEA, TRADO PARTIBUS ECCLESIÆ S. EUCHARII TREFORENSIS. SUCCESSORUM, QUISQUE FUTURUS SIS, SIVE POTENS IN SÆCULO, SIVE PAUPER, SIVE SCHOLASTICUS, SIVE IDIOTA, TE PRECOR PER DOMINUM CHRISTUM, QUI NOS JUDICATURUS EST, UT NE AUFERAS ILLUM A SUPRADICTA ECCLESIA. ET UT FIRMIUS COGNOSCATUR, MEA MANU SUBSCRIPSI, ET IN PRINCIPIO ET IN FINE LIBRI.

Atque ita veteres illi Germanique Trevericæ sedis Antistites, docti & exculti sanctissimis literis, in exquisitis bibliothecis & præstantium virorum monumentis, non tantùm in civilibus negotiis curam & oblectamentum habebant.

LVI. Aquisgranense palatium à Luduico ornatur.

Eginard. de transl. SS. Marc. & Petri l. 4. c. 3 & 16.

Luduicus Imperator florens publicâ dum tranquillitate, in exornando Aquensi palatio regificum prorsus animum ostendit, ab usque Rhenis in eam fabricam operis accersitis. Sed & Georgium Presbyterum Venetum, sollertem artificem ex Italia præmiis evocârat, qui in eodem palatio organum mirificâ arte, ut loquitur Eginardus, quod Græcis Hydraulica, composuit.

ANNUS CHR. 828. Aquisgranensis conventus.

Cap. 12.

Suberat hiems, quâ jam adultâ frequens procerum conventus Aquisgrani coibat: in quo, cùm Eginardus ex Cancellario tum Abbas Seligenstadianus beatorum martyrum Marcellini & Petri, rarâ miraculorum exorientium luce gloriaque lætus adesset, submissus ei à Mœno libellus supernè dictatus, salubrium præceptorum plenus, quo Imperator ad jus fasque colendum impentiùs extimulabatur. Oblatus is ab Eginardo quidem Imperatori, lectusque, sed neglectim habitus, monitáque ad animum non pervenerunt, ut ipse futuri providus, significat Eginardus.

Tom. 3. Concil. & ex eo Baron. ad hunc an.

Edictum pœnitentiale.

An verò edictum id, quo Luduicus & Lotharius filius ob regni clades publicam professi pœnitentiam, jejunium, & quatuor Synodos, totidem locis imperii indixerunt, ad hunc annum pertineat, despicient eruditi. Sanè, quod Metropolitani nostrates in Moguntiacensi urbe convenire jubentur, & inter eos Hetto, vel Hetti, ut interpretor, Trevirorum, temporum ratio vix patitur, ita ut in posteros annos prorogari oportere id edictum, vix habeam ambiguum. Interim conventu Aquis peracto, lustratis Vangionibus, Theodonisvillam itum est. Atque inde Lotharium cum magnis copiis ad Hispanicam Marcam adversus Saracenos tuendam Imperator misit.

LVII. Nortmannorum irruptio.

Per idem tempus Nortmanni repentinâ irruptione Harioldi, quem baptismatis fonte renatum ostendimus, turbati, rupto, quod cum Francis habebant, fœdere, eos in Egidoræ fluminis ripa sedentes de improviso adorti, castris exuerunt, & Francis in fugam actis cum opimâ prædâ, transito flumine, se receperunt, nullo prorsus incommodo damnóve accepto.

Annon. c. 116. Pluit annona.

Kalēd. Julii objecta soli tellus cōdidit Lunæ nitorē, delecitque iterum sidus, mediâ nocte natalis Domini. Nunciatum inde Luduico in Vasconia trans Garumnā, annonā pluisse, frumēto nō absimili, sed granis paulo brevioribus, & rotundioribus; quod cùm a multis vix ægrè creditur, & vero difficilè esset ad fidem, allatum Imperatori ad Aquense palatium annonæ specimen dubitationem exemit. Ipse autem ibi in hybernis agens, totum conventibus obeundis & formandis Reipublicæ negotiis, brumæ tempus absumpsit. Inde Aquisgranum denuo concussione terræ laboravit; Imperatórque falso de Nortmannorum adventu rumore motus, haud parum trepidavit: sed ubi nuntium fuisse vanum comperit, conventum, quem Wormatiæ habere decreverat, securis ut in pace, & tranquillis a bello rebus, peragere constituit; annuisque ibi a populo muneribus exceptus, legationes Romæ, Benevento, aliisque longinquis e terris profectas, audiit. & dimisso conventu, Lotharius in Italiam abire jussus.

ANNUS CHR. 829.

Wormatiæ conventus Luduici Imp.

LVIII.

ANNUS CHR. 830. Motus Francorum intestini.

Thegan. Regin. Sigebert. Aimoin. append. c. 12. l. 5.

MS. Prumiens. & Aimoin. l. 5. c. 12.

Bernardi cubilarii invidia.

Secutus deinde annus ab ortu Christi DCCCXXX. in magno sanè Reipublicæ motu fuit, & regni Francici perturbatione. Proceres enim & regni optimates non pauci, qua de causa scriptores variant, icto inter se fœdere adversus Luduicum conjurârunt; adscitisque in societatem promptis ad res novandas & audaciâ turbidis ingeniis, Regem Pipinum nihil jam ultra dissimulantes adeunt, docentque non solum se, de Imperatore licet aliter meritos, sed ipsum etiam à Luduico patre contemni; virum à cubiculo Bernardum propè unum in Regia dominari, nec virtutis viâ, sed adulteræ Reginæ amoribus, largiter apud omnes posse, quin pravis consultis fastuque super ipsa procerum evectum capita, trahere in se cuncta, atque ad nutum versare. Quam sane contumeliam, quando pater ceu injectâ menti vecordiâ, non modo non vindicaret, sed præ insita ingenii facilitate, ne sentiret quidem, optimi filii munus esse, paterni dedecoris notam abstergere, & omni quâ possit ope, ejus existimationem dignitatemque à pravorum hominum adulationibus defendere. Quod si patri salubriorem mentem injiciat, atque hac susceptâ infamiæ maculâ liberet, fore, ut non famâ modo virtutis hæc agentem prosequatur, sed famam comitatus benignior eventus, non mediocriter regni vires, opesque stabiliat. His dictis, juvenem ardentis animi suæ temeritatis implent; & ad eum oppugnandum perdendumque furore trahunt, qui naturæ legibus vitâ ipsâ carior esse debuerat.

Appendix Aimoin. de vita Luduici ab equalibus ejus conscripta, lib. 5. cap. 12. & seq. Thegan. in Luduico.

LIX. Luduici à filio & proceribus vexati causæ diligentius vestigatæ.

Vitaldus apud Trithem.

Causas hujus impietatis, si audimus Luduici familiares, afferent iniquas, & invidiæ plenas; sin verò Vitaldum Reginonem, & B. Friderici Ultrajectensis Episcopi acta, quibus nec beneficio, nec injuriâ cognitus Luduicus, constabit, justâ filios in patrem irâ exarsisse. Hermingarde conjuge defunctâ,

Luduicus Juditham Guelfi, ut quidam, nobilissimi Comitis; ut alii, Ducis sanguine propinqui filiam, thalamo junxerat haud permisso; quam ob causam à Friderico Ultrajectensi Episcopo, gravi & liberâ reprehensione perstrictus, quia flagitii tum deformitas valebat, ejus quoque matrimonii pœnitere cœpit. Verùm suscepto ex Juditha Carolo; quem Calvum posteritas appellavit, communis amore pignoris, cepit impetum retinendi. Ergò Juditha, cùm illecebris jam & uxoriis blandimentis Luduici potens, illicitis depelli nequit, voluntatem præ se tulit Imperator, quod natum ex ea tollendi; & invidiâ calcatâ filiorum, quos ætas maturior extulerat, Regiis opibus atque ornamentis cumulandi. Bernardo itaque Septimaniæ Duce uxoris rogatu ad impuberis filii tutelam è Galliis accersito, Carolum novis circumdatum ornamentis, Aquitaniâ, aliisque provinciis auget, Bernardum simul cubicularii honore extollit. In hunc itaque cùm lascivè Juditha fortè conjectis oculis, inhonesti faces amoris evibrat, ut disertè Regino quidem contra Theganum enunciat, libidine & stupri consuetudine præceps abiit; ut alii, malevolorum suspiciones hoc interiore convictu, accendit. Hâc itaque Luduici indulgentiâ & facilitate graviter permotos Austrasiæ proceres ferunt, ante omnia per Jessen Ambianensium Antistitem, Hilduinum Archicapellanum, * Mastridum atque Eleazarum Abbates, Pipino autore, Regis tentâsse animum, atque propulisse ad flagitia uxoris noscenda, puniendáque. Verùm, ut mens occupata alienis vitiis, raró utique seipsam pernoscit, tardiúsque cedit consiliis melioribus, Luduicum, aiunt, parùm æquis auribus delationem accepisse: atque ita simultate utrinque irritatis animis, ventum denique ad arma & apertam vim. Ac celeritate quidem paternam factionem Pipinus antevertit, qui raptim collectis copiis, inopinatò patris, novercæ, atque amatoris ultor adfuit; adeóque incensam ab conjuratis multitudinem perpulit, ut imperium denique Luduico abrogaret, conjugem ejus Juditham in monasterium abjiceret, licita illicita cuncta præcipiti furore administraret. Bernardus itaque hâc abreptus tempestate, fugâ * Bituras versus in Septimaniam evasit.

Judithæ Imperatricis incontinentia.

Austrasiæ Antistites Luduici Imp. monitores.

* Mastidum.

Pipinus expedit arma in patrem.

* Biterras.

Imperator autem cum Juditha, Carolóque filio Compendii redactus in potestatem, traditus cœnobitis in disciplinam; adjunctis, qui vitæ in meliùs formandæ præcepta darent; & qui legibus regna flectebat, eum ad capessendas monasterii leges, vel serò flecterent. Cæterùm Juditha, ubi etiam mortis denuntiatione, metúque ab Jesse Ambianensium Præsule, velum accepit, cœnobii septis jam inclusa, persuadere nequidquam aggressa Luduico, ut monasticam item ipse lubens arriperet.

Tapistas ex Vitalie & Aim append l. 5. c. 12.

Luduicus dimovetur rerum summâ.

Juditha in monasteriū inclusa.

LX.

Lotharii remissio in parente tuendo.

Auxit hanc tantam filiorum atrocitatem Lotharii in patris tuenda salute pietatis extremus quidam neglectus: quem, etsi hisce motibus excitum properè ex Italia ad patris vindicandam majestatem advolâsse, rumori dabatur: conjuratorum tamen factione in pravum ablatus, acta eorum omnia, cùm nil moveret, probâsse visus est; neque quâ par fuit, pietatis constantiâ, vel patris dignitatem asseruit, vel imminens glissentis discordiæ periculum ab eo propulsavit.

Luduicus itaque totam æstatem eam filio Lothario obnoxius, & publici muneris expers, privati in morem transegit; curæque fuit, Germanorum, queis minor novandi cupido, promereri voluntates, horúmque elicere studia, si fortè hâc viâ quassati regni flamma comprimi posset. Affuit paternæ causæ Deus, nec à consilio felicitas successus se removit. Conventu siquidem ad componendos præsentium rerum motus, Neomagum indicto, omnis pœnè Germania eò confluxit, parata Imperatoris sui, quas filii negligere videbantur, injurias suscipere, atque pro ejus recuperanda dignitate, extrema pericula capitisque dimicationes subire. Eò igitur cùm ventum, Lotharius patrem magis Luduicum, quàm vindicem expertus, cum eo mox, ut impetus offensionis elanguerat, in gratiam rediit. Omnique seditionis motu compresso, ut unde scelus exierat, ibi pœna consisteret, conjurationis autores ducti in custodiam. Die verò reis audiendis constitutâ, producti in conspectum omnes, capitísque damnati sunt. Sed Luduicus, ut erat insigni in omne genus hominum lenitate, tum in supplices quoque misericordiâ, qui sibi imperium juxta ac vitam invidebant, non graviùs, quàm sacrâ tonsione, vel monasteriorum inclusione coërcere, satis habuit; parcere quod Regium est, etiam eminenti inter injurias animo, quàm exigere ultionem, promptior. Etsi dulcedinem ultionis haud penitùs amisisse, sunt qui memorant, cùm Jesse Pontificem captivum abductum, Noviomagi exauctorandum ab Episcopis curavit; & quia Juditham ipse monialem, tam pravo sanè consilio, quàm exemplo sacraverat, addunt etiam sede Ambianensium pepulisse.

Germanorum in abjectum Luduicū pietas & obsequium.

Luduici in hostes suos indulgentia.

Vitâ S. Friderici Sur. T. 4.

LXI.

Rebus ita constitutis Imperator, postquam omnia in meliorem statum jam conversa vidit, Aquas in hyberna concessit; & anno sequenti, Juditham conjugem è monasterio retraxit; non priùs tamen justæ uxoris loco futuram, quàm legitimè objecta crimina expiâsset; famámque pudicitiæ, quam Bernardi contubernio læserat, ordine ac jure recuperâsset. Cæterùm an defensionis hujus præsidia sat valida extiterint, accusatore non exhibente partes, dispiciant alii. Cessisse Judithæ innocentiæ ceu exploratæ sententias judicum, memorant ipsâ die Purificationis; qui dies eò lætior illuxit, quòd reis omnibus & mortis supplicio addictis veniam simul Imperator & vitam impertiit, indulgentiâ potiùs, quàm æquitatis rigore, causâ jam exæquatâ.

ANNUS CHR. 831.

Aimoin ap. prodit & Sigebert.

Aquisgrani fit Judithæ & cæterorum reconciliatio.

LXII.

Eodem anno Amalherius Fortunatus Trevirorum Pontifex à Luduico Romam ad Gregorium Pontificem missus, ut officia divina revocaret ad Romanæ consuetudinis normam, sicubi deflexissent; simul etiam errores, qui * ritualibus passim irrepserant, collatis & inter se comparatis exemplaribus, castigaret. Romam venientem Pontifex benignè & civiliter excepit, atque Theodorum ei S. Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum, qui in omnibus probè eum instrueret, magistrum & cæremoniarum interpretem adhibuit: ab hoc

Amalherius Archiepisc. Trevirens. Romam profectus.

* Antiphonarum libri.

multa

Google

multa de ratione custuum, de ordine sacrorum, de divinis officiis ritè persungendis, atque cantandis sciscitatus, inscripto titulo postea, quæ ad communem Ecclesiæ Francorum utilitatem pertinere videbantur literis complexus est; isque liber, de ordine Antiphonarii conscriptus, hoc ipso nomine publicum accepit.

Amalherius Romę discit quæ Gallicanis Ecclesiis de ordine antiphonarii communicet. *Amalherius in prologo Antiphonarii.*

Cæterùm, quia Luduicus exemplaria sibi mitti in Franciam enixè jam Pontificem postulaverat, Amalherio id Imperatoris vice flagitanti, ad hunc ferè modum Gregorius respondisse fertur, ut Antiphonarium, quem filio suo ac Imperatori mittere in præsens quidem posset, habere se negaret; Walam quippe, Abbas is erat Corbeiensis; quando functus legatione Romæ degerat, istinc asportasse secum in Franciam cuncta exemplaria. Atque hoc responso Amalherium Pontifex tum quidem ab se dimisit. Cæterùm, hæc ita tunc in ea legatione Romæ, quam adiit secundò, gesta, ipse Amalherius de se prodidit; venisseque in urbem, anno Domini DCCCXXXI. Indictione nonâ, sub imperio domini & piissimi Imperatoris Luduici, & Apostolatu gloriosissimi Apostolici Gregorii: *Sic igitur Amalarii opera*, ait scriptor Annalium, *nonnihil, imò multum illustrata reperiuntur cuncta, quæ ad sacros spectant Ecclesiasticos ritus. Imitatus ipse magistrum suum Albinum: usus enim est adhuc puer ipso præceptore.* Verba sunt Amalarii: *Studui illo * conante in isto ordine, quando videbar puer esse ante Albinum doctissimum magistrum totius regionis nostræ, cujus autoritate delectatus ac fretus, postquam libertate usus sum canendi, quæ congrua mihi videbantur, cœpi illa canere. Ex quibus etiam apparet tantos viros omnium hujus temporis disertissimos, & apud Imperatorem primarios, non solum Theoricam calluisse rerum Ecclesiasticarum, sed & practicam exercuisse, cantumq; Ecclesiasticum suis rhytmis publicè in Ecclesia modulari solitos. Quod certè nonnihil eos redarguit, qui negligunt antiquo more in Ecclesia canere, dum per alios explent ejusmodi in Ecclesia, quod exercetur in cælo munus angelicum.* Hæc oportunè magnus Cæsar Baronius.

Wala aut Walo Corbeiæ Abbas.

Cap. 58. de ordine Antiphonarii.

Amalherii magister Albinus *seu* Alcuinus.

* *canente.*

Amalherius canendi peritus.

Cantare in templis decorũ etiam magnis viris.

LXIII. Rhabanus Fuldensis & Marquardus Prumiensis inclyti Abbates.

Reperio quoque in pervetustis Ecclesiæ Fuldensis membranis, par inclytum magnitudine rerum gestarum & famâ doctrinæ Abbatum, Hrabanum Fuldensem Amalherii condiscipulum, & Marquardum Prumiensem, fundos hoc anno mancipiaque convertisse permutationibus, probante Luduico Pio Augusto; Marquardo cessére prædia villæ Sualbach, quæ pago Loganahæ annumerata, nec non mansiones, cum centum mancipiis, pagi Nitahgouve; Rabanus vicissim ex Hassorum pago, loco Alahstat, ad cæteros fundos abstulit mansos XLV. Actum publicè in monasterio Prumiæ, anno Incarnationis Domini DCCCXXXI. Indictione IX. regnante Luduico serenissimo Imperatore, anno regni ejus XVIII. mense Majo, prima die mensis.

Loganaha Hassorum pagus Nitahgovve *apud Eginard. l. 3. de transl. SS. Petri & Marcel.* videtur poni inter Neccarum & Rhenum.

LXIV. *Aimoi. append. l. 5. c. 13.* Theodonisvillæ judicium Pipini & Bernardi.

Autumno hinc procedente omnium civitatum proceres Theodonisvillam coacti; ibique Luduicus Bernardum & Pipinum filium, ut reum & accusatorem, coram adesse jussit. Bernardus, cùm objecta crimina Francorum more ancipiti, parumque laudato certamine diluere pararet, nemine accusatorum ingrediente judicium; sacramento se purgasse dicitur. Pipinus, quanquam à patre jussus, spreto tamen ejus imperio, non priùs quam soluto conventu, Theodonisvillam adiit. Hanc filii tamen contumaciam aliaque dedecora Imperator leniter, at intemperanter demissus, in suo sanguine tolerabat, judicem exuens, ut patrem ageret. Itaque non discedere eum à latere suo passus, secum ad Natalitia invitum detinuisse, pro severo habuit. Sed ista vincula facilè præferocis juvenis impetus abrupit, cùm insciente patre, fugâ in Aquitaniam captâ, Bernardo, cujus ante fuerat prava consilia detestatus, novæ conjurationis societate junctus, patris iras auxit, vel exacuit. Quare Luduicus, exactâ hyeme, & Boiariâ, quæ tumultuari jam cœperat, tranquillatâ, ineunte vere conventum Aureliis indixit. Inde itinere in Aquitaniam verso, severi & religiosi judicis partes usurpare cœpit. Pipino namque in occursum festinare suum, atque in conspectum se dare jusso, & si hinc acta præterita, & conscientiæ malorum vis retraherent, toties tamen expertâ confisus lenitate, officium ipse patri deferre denique sustinuit. Profecti itaque simul Tucuntiacum in Lemovicum fines; ubi cognitione susceptâ, Luduicus caussæ dictioni vacavit. Utrinque igitur discussis, & ponderatis controversiæ momentis, tandem latâ sententiâ decrevit, Bernardus ut expers honoris atque dignitatis se dimitteret in ordinem; Pipinus autem propter nefarias in patrem molitiones, dubiamque semper & instabilem vitiis præponderantibus indolem, in libera deinceps Treviris esset custodia. Ductus Trevirim Pipinus, indulgentiùs à suis primùm haberi, ac deinde vicina liberè loca, dissimulantibus ad omnia fautoribus, pervagari, donec elapsus fugâ tandem, ubiubi circumagere se, ac passim volitare cœpit, patrem nequidquam eum revocare nitentem variis artibus ludificans.

Theodonisvillæ Bernhardi caussa cognita.

Pipinus quam Luduico patri gravis.

ANNUS CHR. 832.

Bernardi Pipinique causa diligentiùs explorata.

Pipino Treviris exsilii locus destinatur.

Pipinus Treviris elabitur.

Sub idem tempus, IIII. Idus Junii Amalherius Fortunatus decessit, morum principatu venerabilis, vir & peritiâ linguarum Græcæ, Latinæque, rei tum novæ, necnon inter eruditos rarissimæ, venerabilior pietate & cæremoniis in Ecclesia sua ritè procuratis, tum prænobili sacrorum Magistro Thegano, quique propter egregia virtutis consiliique experimenta & Carolo Magno & Luduico filio perinde utrique carus, & apud eosdem liberaliter dextréque obeundo legationis officia, excellentium Episcoporum meritò laudem assecutus est. Non desunt, qui inter Cardinales relatum Presbyterum tradant, quibus cùm nihil aliunde prohibet, ut assentiar, inclinat animus. Administravit Ecclesiam Pontifex annis circiter tribus & viginti, humatus in æde Pauliniana. Inter Augustæ Basilicæ S. Arnulphi Metensis monumenta, quæ nuper Gallico idiomate exierunt, Amalarii tanquam cœlo recepti, & miraculis inclyti memoria celebratur; cujus & nomen in ejus loci privato Martyrologio signatum perhibent; & acta vitæ, tum ibi apud sepulchrum illius edita miracula, vetustis schedis asservari: atque ejusdem reliquias, quo tempore Carolus V. patrum memoriâ obsidionem

LXV.

Tritthem. MS. annalis. & Laxius præfat. ad fragmenta Caroli M. de Ecclesiæ ritibus. Amalherius inter Sanctos & aliquando Metis sepultus putatur.

Thom. Osmonius lib. 3. rer. gest. Henr. II.

Index Expurg. ad i Tribbiter. PP. in Amalario. Divi titulū delendum monet; sed alia ex causa.

Meti parabat, ferunt Francisci Guisiæ Ducis auspiciis, ut aliàs memini, ædi Dominicanorum ex suburbano monasterio, quod tunc periit, illatas. eúmque Caroli Magni Præfectum sigillorum sive Cancellarium, in Divorum numero ab incolis habitum.

LXVI. HETTI 37. ...

Episcopatum inde excepit * HETTI Mediolacensis monasterii Abbas; is, qui perpetuæ legationis munere functus, in Francicis legibus, inter Missos Dominicos, celebre nomen invenit. Generosis ortum natalibus, magnisque rebus gestis, & honorum titulis. In Austrasiæ regno, ejus floruisse majores, vel illustre Warentrudis sororis Epitaphium doceat, quod ex ruinis nobilissimi quondam Adelæ Dagoberti filiæ Parthenonis, Palatioli oppido suburbano, uspiam erutum, in peristylio Canonicorum Collegii, literis in marmore elegantibus, at prope vestigiis ingredientium obteritis, ita legitur:

HIC WARENTRUDIS NIMIUM VENERANDA QUIESCIT
ABBATISSA; ANIMAM SED PARADISUS HABET.
HETTI PONTIFICIS FUERAT SOROR, AMITA MAGNI
TIETGAUDI DOMINI, MAGNIFICIQUE PATRIS.
CUJUS GERMANUS VIR CLARUS IN OMNIBUS EXTAT,
NOMINE GRIMALDUS, ORE ET HONORE POTENS,
QUIQUE JUBENT TITULUM SCRIBI PRO MUNERE AMICI;
ILLIUS UT NOMEN TEMPORA MULTA HABEANT.

Grimaldus hic noster Illius profapia.

Grimaldum, quem Epitaphium hoc extollit, eundem reor, certè celebrari à Walafrido Strabone, poëmatis iis, quæ Luduici Imperatoris conjugi regiæ proli, & Palatinis inscripsit, ubi de Grimaldo magistro fortè Palatii:

Sufficiat vidisse semel, laudare perennis
Instat amor; divina manum clementia vestrā
Omnibus in populis faciat retinere trophæa,
Felicemq́; patrum famam cum prole togatam,
Et fieri in magno allectos per sæcla senatu.
Vtq́; timent vestros latis in saltibus arcus
Vrsus, aper, timidusq́; lepus, cerviq́; fugaces,
Dama, lepus, immane boumq́; examen agreste;
*Sic Bulgar * Sarraq́; Cynos, malus hospes Hiberis,*
Brutus Britto, Danus versutus, & horridus Afer.
Subdat honorandus sua colla exterrita dextris.
Nunc tandem crevit felix Respublica, cùm sat
Et Reges sapiunt, simul & regnant sapientes.

LXVII. S. Ansgari Sueonum & Danorum Apostolus.

His quoque diebus apud Transalbianos celebris Hamburgi orta Metropolis, quam S. Ansgarius Sueonum ac Danorum Apostolus, primum moderatus est. Nam Luduicus Imperator, comperto, quantam ipse barbarorum vim ad Christianæ fidei obsequia flexisset, plurimum ipsi sibique gratulatus, sacrum quasi tribunal apud maris Balthici littora constitui voluit; ex quo populis recens Ecclesiæ natis Archiepiscopus jura daret. Cujus tam laudati facinoris, quia partem Hetti

Archiepisc. I. Hamburgens.

Trevirorum & Drogo Mediomatricum occuparunt, ex perveteris probatique scriptoris Adami monumentis istius Ecclesiæ primordia delibabo: *Habito*, inquit, *generali sacerdotum concilio, pius Cæsar, votum parentis implere cupiens, * Amaburg civitatem Transalbianorum Metropolim statuit, omnibus barbaris nationibus Danorum, Sueonum, itemq́; Sclavorum, & aliis adjacentibus in circuitu populis. Eiq́; cathedræ primum Archiepiscopum ordinari fecit Ansgarium.* Hoc factum est anno Domini octingentesimo trigesimo secundo, qui est Luduici Imperatoris * XVIII. Villerici Bremensis Episcopi quadragesimus tertius. Consecratus est autem à Drogone Metensi Episcopo, Cæsaris fratre Germano, adstantibus atque faventibus, Odgario Moguntiensi, Ebbone Rhemensi, Heddi Trevirensi, & aliis. Approbavit & factum Gregorius Pontifex, misso pallio.

Lib. 1. c. 17.

* Hamburgum.

* XIX.

Consecratur à Drogone Metensi, præsente Hetti Trevirensi Archiepiscopo.

LXVIII. ANNUS Chr. 833.

Sequens annus recrudescente tetri filii adversus pium parentem simultate, tumultuum plenus fuit; cùm florentissimis Franciæ rebus impium & triste bellum intervenit, quod nisi Gregorii Pontificis in Franciam adventu, sedatum compressumque fuisset, actum propè de Francici dignitate imperii, ac de Imperatoris filiorumque salute foret. Pipinus namque haud quicquam pro sano facturus abiens, qui præsentis imperiū patris neglexisset, ut semel tumultibus ciendis se dedit, non ante modum statuit, quàm fratribus, atque adeò universis pœne regni primoribus in patris exitium concitatis, perniciosi ipse belli incendia conflavit. Et sanè, quòd mireris, usque eo vile paternum nomen apud tres numero filios extitit, ut quorum armis protegi etiam adversus hostes debuerat, his oppugnatus tutior ab hoste, quàm à filiis ageret. Luduicus interim in ista asperrima, quam toties subit casuum luctatione, animum nequaquam despondens, comparato exercitu atque instructo, Wormatiam adit; atque inde belli consilio capto, cum equitum peditumque firmis copiis obviam filiis profectus est. Octavo Kalen. Julias Pipino atque Luduico jam bello flagrantibus, Imperator in dubiam imperii servitiique aleam præceps iturus, pugnæ se offert.

Gregorius Pontifex impiū bellum inter patrē excitatum filiosq́; præsens mirificè diremit. Pipini pertinacia.

Annales ap. ... Luduicus contra filios bellum parat.

LXIX.

Jam patentibus campis magna utrinque species erat armorum, accinctæque ad pugnam stantes ex adverso acies; & jam vires viris, & ferro sua vis crescebat; cùm ecce tibi prodit Pontifex Gregorius, qui recens tum ex Italia sedandorum horum motuum causâ venerat: ad ejus conspectum versi ad religionem animi, positis tantisper armis & irarum causis, signa, tacti reverentiâ summæ majestatis utrinque submisere. Pontifex inopinato adventu suo, etsi primo Luduici animum, solicito metu suspenderat, ceu in alteram potius partem, quàm in suam propenderet, deductum nihilominus in tentorium benignè Luduicus audivit, & æquas adventus sui rationes exponentem, purgatum habuit. Post paucos inde dies, ad filios conciliandæ pacis gratiâ progressus, multitudine vel donis vel improbis factiosorum consiliis in pravum inclinata, nihil profecit. Quid multa? Luduicus à filiis in speciem fœderis & amicitiæ jungendæ allectus, ut in colloquium unà cum uxore & Carolo natu minore venit,

Gregorii Pontificis interventu pugna dirempta.

Luduicus à filiis captivus factus & exauctoratus.

Digitized by Google

De hoc facto censuram, vide L. Gretseri Apolog. Baronii c. 9.

re venit, simul in custodiam datus, in Lotharii Regis potestatem concessit. Quibus rebus meritò offensus Gregorius, irritis cœptis, in Italiam rediit. Filii deinde imperio ceu vacuo tres in partes distributo captivum patrem apud Lotharium reliquêre, totius illi peragendæ fabulæ, negotio dato. Juditham Derthonam Italiæ oppidum deportari placuit.

LXX. Lotharius patrem circumducit.

Lotharius hinc inusitato schemate juxtaque ad humanam sortem miserando, patrem per oppida secum trahens, populis nova sacramenta proponere, civitates in verba sua adigere, ordinare fingereque omnia, pro ingenio & libidine; ac denique Compendio, Vogeso, Meti, Virduno, & Suessione perlustratis, in D. Medardi monasterio patrem haberi sub arcta custodia jussit. Hinc longiùs etiam odia processêre; quando convocatis ad concilium regni primoribus, ob delicta, quæ ultrò jam diu expiaverat, nova patri piacula de communi Episcoporum & procerum sententia Lotharius injunxit; damnatumque absentem, indictâ causâ, & nullius criminis quidem gravioris compertum, ante aram S. Medardi & sacratissima Sebastiani martyris ossa, arma deponere, & imperio se abdicare coëgit. Inde pullâ veste induit, & squalentem ærumnisque deformatum Aquas in hiberna secum deduxit.

Lotharii in parentem asperitas.

LXXI.

Inter hæc, vigilante Numinis circa Luduicum tutelâ, popularium animus, quàm immodicus sævitiâ, tam pronus in misericordiam conscientiâ sceleris ex præcipiti amentia lapsus in pœnitentiam, in semet reverti. Sed & Austrasiæ & Belgicæ Præsules indignam tanto fastigio sortem miserati, vel serò causam Luduici suscipere. * Quare, coacto frequenti Aquisgrani concilio; filiorum defectionem & improbitatem severè notant, facinus ab hominum memoria inauditum in parentem eos designasse, testantes; tum proprio quoque capite, pœnam in Episcopos & proceres sanciunt, qui aut metu, aut cupiditate, aut quo aliocunque permoti, Luduicum deserere inposterùm, aut violare sacramenta fidelitatis, quoquomodo tentassent. Hæc autem Aquis etsi ab aliis aliò trahantur, eo maximè tempore fuisse gesta, quo Luduici causa adhuc fluctuabat, ipsi quoque testantur patres; cùm nihil eorum, quæ quidem salubriter ipsi præceperint, in rem atque usum conferri posse, pronuntiant, ni miserante Domino mens & vita ipsa imperio suo restituatur, hæreditatemque suam, cum potentiæ quodam vigore, Luduicus recuperet.

Tom. 3. Concil. Conventus Aquisgran.

Adi censuram de anno hujus Synodi apud Baron. tom. 9. ubi pugnat, ad ann. 834. pertinere.

LXXII. ANNUS CHR. 834.

Luduicus Imperator asseritur.

Anno sequenti passim in Francia, Regum atrocitas, ac illatarum patri manuum injuriâ; accendit superûm æquè ac mortalium curas: auxitque gloriam virtus, quæ tam gravi rerum acerbitate ad id tempus à filiis velut depressa, tandem ex tenebris in avitum se splendorem emersit. Non defuerunt igitur, hortante Deo Comites, viri ingenio manúque prompti, qui depugnaturos se armis, pro salute ac dignitate captivi & exoptatissimi Principis, ostenderent. Jamque Eggebardus & Wilhelmus validum sub signis exercitum habebant, confligere in dies cum Lothario parati, ni ardentes in prœlium animos, eminens Luduici pietas cohibuisset. Et is quidem, appetente jam vere ex hybernis eductus, Lotharii permissu Parisios usque processerat. Quare missi ad Lotharium à Pipino, fratre Warino & Bernhardo Comitibus, legati, ut aut patrem liberum solutúmque custodiâ dimitteret, aut bellum minimè dubium, expectandum sibi duceret. Quibus ille; nemini omnium magis curæ paternas ærumnas, quàm sibi esse: earum verò culpam invidiámque nequaquam unum se sustinere; sed penes hos potiùs, qui ipsum destituissent, & Episcopos residêre, quorum decreto rerum summâ demotus esset. Porrò si de Republica & summis utriusque rebus, secum agere staret animo, illos ad se venire oportere; posse constitui aliquid, quod ex rei communis & patris futurum sit emolumento. Verùm haud ita multò pòst, aliam consilii viam ingressus, patre in monasterio S. Dionysii deposito, in Burgundiam ipse tetendit.

LXXIII.

Atque hoc modo Luduicus in pristini spem imperii erectus, hortantibus iis, qui in fide atque officio manserant, quos inter Drogo Mediomatricum Antistes, ipsius Luduici frater vel inprimis enituit, Augustalia insignia resumpsit: voluitque pius Imperator, quò plus æquitati, quàm sanguini daret, per Episcopos reponi priùs in gratiam, quàm publicum munus attingeret ullum. Ipsorum igitur manibus armis, quæ exuerat, rursus accinctus est; & sceptro, diademate, priscæque majestatis suæ cunctis insignibus receptis. Renovatum imperium, tanta hominum atque adeò elementorum serenitas excepit, ut super faustas populi lætitiâ exultantis congratulationes, post imbres assiduos violentius alto dejectos, nova mox rediret cœlo facies; & fluvii, qui margines supergressi, relictis alveis longè latéque campos inundarant, ilicò ex agris refugi ad riparum usurpata, relaberentur.

Insignibus imperii recolitur.

LXXIV. *Scriptor vitæ Luduici Theganus Trevir. &c.*

Mediâ posthæc quadragesimâ, cùm ex præteritæ tempestatis vi, jam respiraret Luduicus, Pipinum & alios ad se veniæ obtinendæ causâ profectos, benignè, obliteratis injuriis, suscepit; dimissóque in Aquitaniam Pipino, ipse progressus Aquas, Juditham ex Italia accersendam curavit: quam deinde Rhathaldus & Bonifacius Episcopi, quâ par fuit obsequiorum alacritate, abduxerunt. Reliquo tempore per solita venationis oblectamenta jucundè transmisso, statim à Christi gloriosa resurrectione collecto exercitu, Lotharium sibi domandum, atque paternis assuefaciendum imperiis, sumpsit. Priùs tamen, quàm vim experiatur, mittit legatos ac monita, quæ Marquardus Abbas Prumiensis princeps legationis ad ipsum Aureliam pertulit; vehementer eum cohortans, paternis imperiis ac pietati cederet, finémque daret contumaciæ. At ille, minaci responso, ubi legatos abjecit, Luduicus pater Pipinum ex Aquitania, ex Germania Luduicum cum copiis accersens, Aureliam contendit armatus, ibique terrendo, minandóque in eas consilii angustias Lotharium compulit, ut supplex factus, ad se de pace ac misericordia legatos mitteret; inde coram ad pedes prostratum, adactúmque cum proceribus in verba sua, confestim Galliæ finibus excedere, atque in Italiam, unde injussu

Lotharii insolentia reprimitur. *Thegan.*

Marquard. Prumiens. legatus ad Lotharium.

 suo

suo in posterum non moveret, abire præcepit. Hinc ad imperii statum formandum, per hosce tumultus ac intestina mala non mediocriter convulsum, mens curæque transiere; & conventu Attiniacum advocato, multa de rebus præsertim Ecclesiasticis, salubriter constituta. Inde Mediomatricos, Natalem Domini cum Drogone fratre, sollemni istic consuetudine celebraturus, adiit.

Aimon. append. l. 5. c. 16. Sigebert.

ANNUS CHR. 835.

LXXV.

Quo circiter tempore Walafridum Strabonem poëma suum Drogoni Episcopo, lenimentum mœroris, scripsisse credo; in quo, post cladis adversæ nubila, canit, in tranquillum, redditâ serenitate, receptum, cum insigni multigenæ virtutis præconio:

Dragonis Episc. Metensis virtutes.

* *Stirpi generis.*

Hæc sunt præcipuè, quibus insignita refulget
*Virtutis persona tuæ, sapientia, * radix,*
Ordo, affabilitas, bonitas, patientia, virtus,
Vita, gradus, doctrina, locus, moderatio victus,
Zelus, amorq; Dei, fidei insuperabile robur,
Relligio, officium, censura, modestia gestûs,
Hisce Dei virtus vosmet per tempora multa
Crescere concedat, proq; his æterna rependat
Præmia, quæ servis tribuenda fidelibus autor
Insinuat vitæ dominus; via, vita, redemptor.

LXXVI. Theodonisvillæ Synodus in qua Luduici causa cum ignominia multorum peragitur.

Allucente die Purificationis, apud Theodonisvillam Imperator constitit, procerum ibi adventum, quos ad concilium convocarat, præstolans. Affuit ibi cum reliquis tum Archiepiscopis Hetti Trevirensis. Corripuit judicio Luduicus hic omnes eos, qui falsis criminibus se appetitum, regno & armis spoliârant; aditúque Ecclesiæ & sacrorum communione interdixerant. Quorum è numero solus Ebbo Remensium ad causam dicendam sese obtulit; cæteris plerisque judicii eventum maturè declinantibus; Ebbóque, quod perpetuum & inevitabile delinquentibus malum, ipsâ conscientiâ fraudísque cruciatu victus, voluntariâ confessione se patefecit, unaque cum Agoberto Lugdunensi, qui causam alioqui suam scripto publico speciosè defendit, dignitate pontificiâ spoliatus est. Quod ad alios Episcopos, edidisse tum ibi de Luduici restitutione libellos, & manibus suis subscripsisse, constat. Ebbonem verò scripsisse peculiarem, in quo totum id, quod in Luduici exautoratione gestum esset, fateretur injustè factum fuisse. Hinc accusatione novâ postulatum à Cæsare, cùm defensionem abjiceret, seorsim cum Episcopis habito consilio, libellum suæ depositionis dictâsse, ac propriæ manûs ac vocis attestatione suimet abdicationem sancivisse, Flodoardus autor est.

Ebbo Rhemorum Archiepiscop. & Agobertus Lugdunensis damnantur.

Agobertus Lugdunen. Archiepisc. *Opus de comparat. utriusq. regimi.*

Ebbonis depositio ab ipsomet probata. *Flodoard. l. 2. Rhemen. hist. c. 20.*

LXXVII. Ebbonis nonnulli patrocinium suscipiunt. *Vita B. Friderici Ultraject. commentariolo quid habeat incommodi.*

Cæterùm Ebbonis probitatem, in hac etiam factionum colluvie vitæ commentarius B. Friderici Ultrajectensis, constitisse voluit; eóque nomine graviter ab illo Præsule, narrat Luduicum increpitum, tanquam Ebbonem iniquè damnâsset. Verùm illud inest in eo commentariolo vitii, quòd in Luduici calamitate, quam ipse pietatis cæteroqui & clementiæ famâ memorabilis, apud omnes haud magno suo merito pertulit, insectandâ, fel habeat & asperitatem immodicam. Flodoardus ex responsis Episcoporum Belgicæ provinciæ, quæ super Ebbonis depositione Nicolao Papæ dederunt, simpliciùs narrat, quod alii invidiosè. Ortâ Lotharium inter & Luduicum patrem gravi simultate, filii adversus parentem studia secutum, tantâ pertinaciâ, ut dux evaderet, Princepsque Luduici tandem exautorandi, acceptâ mercede scilicet operæ navatæ S. Vedasti monasterio. Quamobrem Theodonisvillæ suo & collegarum judicio, sede Remensi depulsum, iisse tandem exulatum in Italiam; itaque inde mortuo demum Luduico à Lothario filio reductum ad pristinæ sedis honores. Ita cum Flodoardo & Thegano acta Suessionensis Synodi.

Lib. 2. histor. Rhemen. c. 20.

LXXVIII. Luduicus Metis Ecclesiæ recõciliatur.

Secundùm hæc, quadragesimâ jam appropinquante, conventus Theodonis-villâ, jussu Imperatoris, se Metim transtulit; ubi Drogo Episcopus, in Basilica S. Stephani, postquam acta recognovit Synodi Theodonisvillanæ, de reconciliatione & restitutione Luduici, Ebbo in eundem conscendens locum, palinodiam cecinit; acta sua, procerúmque præteritas in Luduicum machinationes damnavit, populo & clero, qui aderat, universo gestiente lætitiâ, & grates laudésque Deo canente. Inde Meti rursus Theodonisvillam itum; ubi, cùm Ebbonis causæ finem imposuisset Luduicus, Metim reversus, quadragesimam & Paschalem ibidem lætitiam exegit. Extat apud Flodoardum tenor libelli, ab Ebbone in reditu hoc, Synodo porrecti, & ab Episcopo quodam subscripti. Clausula quoque subjicitur. Actam hanc Ebbonis professionem in conventu synodali generaliter habito apud Theodonis-villam, anno Incarnationis D. N. Jesu Christi octingentesimo tricesimo quinto, anno etiam imperii gloriosi Cæsaris Luduici vicesimo tertio.

LXXIX. *Cap. 24. lib. 3. leg. Francor. Luduici & Lotharii.* Luduici varia decreta.

Per idem tempus leges de Missis Dominicis & aliis regni negotiis multas Luduicus sancivit; eorumque capita per Cancellarium palatii, Archiepiscopis & Comitibus scripto tradita, promulgari passim in comitatibus & locis cuique Dominicæ legationi subjectis voluit. Comitiorum quoque certum jus legatis præscripsit, quo statis anni mensibus agere conventus, loco, dieque præfinitis, Episcopos, Abbates, Comites, Vassos, sive Vassallos, Advocatos ac Vicedominos Abbatissarum, ad horum imperium in singulis, ut appellant, Missaticis suis adesse, jussit. Atque ibi tum primùm placuit, de neglectis vel observatis religionibus Missos sive Legatos inquirere, & rationem vitæ seu muneris rectè vel secùs administrati ab omnibus exposcere.

Missatica.

Cap. 28. 26. & 29. Missorum potestas.

Posthæc curam iis, operum publicorum, viarum, & aquarum, reficiundorum ubique pontium, grassatores inhibendi, monetæ, vectigalium, & aliarum rerum imposuit; ita ut adhæc tamen omnia munera obeunda aliorum iis ministerio, quando ipsi cuncta gerere, & præsentes administrare non possent, uti liceret. De Comitibus verò ita scriptum in lege comitiorum invenio: *Habeat unusquisque Comes vicarios & centenarios suos secum; necnon de primis Scabinis tres aut quatuor.* Porrò de commeatu Missorum, quem subditis & provincialibus in legatione imperare poterant, ne incommodo cuiquam essent, extant leges ejusmodi: *Episcopo panes XL. * Frisscingæ tres, de potu modii III. porcellus unus, pulli tres, ova XV. annona ad caballos modii IIII. prabentor.* Sanè Dominicorũ Mansorum, quæ Prumiæ cesserunt, hanc quoque servitutem

Cap. 28.

* *Assata. Lib. 4. c. 70.*

Cæsarius

Friskingarum seu assorum præbitio.

Cæsarius exprimit, ut carnes assas advenienti Domino, vel earum pretium offerrent. Atque Assa hæc Friskingas appellabant. Sic in illo vetere Prædiatorio jure legimus: Solvit Friskingam porcinam, aut denarios IV. Vervecinam ad Pascha, aut denarios XII. Item, in adventu Regis Friskingam, & de farina modium. Ex quibus nimirum scitis & decretis, non parùm lucis huic tempori affulget, quo Adalbertus etiam Comes pro Luduico cum Hetti Archiepiscopo Treviris jus dixit; munúsque legationis, quo de verbis fecimus, & si non pari potestate, at curâ non minore, obivit.

Sub Hetti Archiepisc. Adalbertus Comes Trevir.

LXXX. Hoc etiam anno, ut Sigebertus memoriæ prodidit, Sanctorum omnium festus dies, cujus orbe toto Christiano, jam inde à nascentis Ecclesiæ primordiis summa fuerat celebritas, in Gallia, Germaniâque coli, Luduico id operam dante, cœpit. Illius diei sollemnem veteribus Christianis lætitiam, venerationemque, cum variè pro cujusque Ecclesiæ moribus multifariam iniri, * Gregorius Pontifex animadverteret, Bonifacii IV. exemplo, qui consecrato Romæ templô Pantheon, religionem illius diei in Kalend. Novembreis contulerat, ipse item, quà latè patet Ecclesia, uno eodemque tempore Sanctorum omnium, quo decet Christianos ritû, ubique coli memoriam, præcepit; eaque de re, ad Luduicum Imperatorem mandata misit.

Sigeb. Martyrolog. Rom. Tornad. lib. de annon. mil. & fuit Baron. ad Martyr. Rom.

Omnium Sanctorum festus dies.

* Gregorius is hoc nomine IV. fuit.

LXXXI. Narrat horum temporum æqualis Wandelbertus, qui præstanti tum eruditionis laude in inclyto Prumiensi monasterio florebat, rem de Luduico Imperatore memorabilem, quam ejus de industria & consulto verbis hic recensere placuit: *Excellentissima pietatis*, inquit ille, *singularisq; clementia, & erga Christianam religionem omnium Imperatorum studiosissimus Luduicus, qui adhuc supernâ misericordiâ providente, rerum summâ potitur, cùm dolore pedum vehementissimo, quâ olim infirmitate vir ille, & si non continuè, frequenter tamen affligitur, laboraret; atque ex palatio suo, quod in littore fluminis Rheni situm, Ingelheim supra diximus appellari, evectione navali descenderet, oratum ad S. Goarem exiit; vix in terra pedem pra dolore nimio ponere valens, & sustentantium magis quàm suis gressibus nitens. Cumq; in Ecclesiam pervenisset, ante memoriam venerandam humillimè se ac devotè deposuit, & in terra stratus, diutiùs peroravit. Ubi verò surrexit, ad Abbatem & clarissimum virum Gerungum, olim palatii ædilem, nunc monachum, conversus, Deo, inquit, gratias; nunc meritis S. Goaris levamen mihi datum persentio; neque eo jam, cum quo huc veni, dolore laboro. Sic à memoria regressus, lætus & alacer diem totum duxit. Hac ipso Abbate, qui coram adfuit, referente cognovi; quanquam nec ego ipse multum abfuerim, qui pridie ejus diei Imperatorem prædicto dolore gravissimè laborantem, in palatio viderim.* Tam præsentis auxilii cœlestisque meruit experimentum Luduicus, cujus quò abjectior habitus deprecantis, hoc altior fiducia, cœlo tenus accrevit.

Wandelb. in vita S. Goaris.

Luduici præconium.

Luduicus podagrosus.

Luduicus B. Goaris memoriam piissimè colens doloribus caret.

Gerungus ex palatii ædili monachus Prum.

LXXXII. ANNUS CHR. 836. Anno sequenti in Purificatione Matris Dei, magnus coiit Episcoporum præcipuè conventus Aquisgrani, in quo cognitionem de direptis Ecclesiæ fortunis Imperator exercuit; & concilio apud Lugdunum componendæ Viennensium & Lugdunensium controversiæ indicto atque peracto, ad autumnalem de more ferarum insectationem perrexit: inde Aquis hiberna constituit; sed & ibidem Natalitia egit, atque post hæc Paschalia.

Aquisgranensis conventus.

LXXXIII. ANNUS CHR. 837. Quo circiter tempore, crinitum sidus in Virginis signo, mortalibus dirum ac triste portentum affulsit. Id simul Luduicus, ut quem siderum aspectus & contemplatio mirificè capiebat, primis se intendentibus tenebris, Aquisgrani conspexit, & ab hujus historiæ, quam enarramus, autore sciscitatus, ecquid novum in æthere sidus aspectasset? illo negante, otiumque, ut diligentiùs obseruaret, petente, iterum post brevem moram, anxiè sciscitari Princeps: tum verò ille, ubi tristia quædam & infausta de cometa, ut solet, differere & prænunciare incipit, conversus ad eum Luduicus: Atqui, unum mihi tu silentio premere videris, regnorum conversiones & ruinas cladesque principum, hoc etiam sidere vulgò portendi; cui cum ille, ex oraculo Prophetarum, à signis cœli utique non timendum occurrisset; Imperator, ut erat erecto ac à vana religione intacto animo: Et certè quidem haud alium utique nos timere convenit, præter eum, qui nostri & hujus Creator est sideris; atque ita omne id, quod triste regno, vel vitæ suæ cometa præsagire videbatur, mox sacris precibus, & piis largitionibus averruncare & procul arcere studuit.

Cometarũ portenta Luduicus non timet

Aimoin. append. l. 5. c. 16.

LXXXIV. Sed nec ostentum interea vanum, aut irritum omninò fuerat, magnarum atque insignium calamitatum initium introducens, quas primò Frisones atque Batavi, deinde Gallia universa pertulit. Hoc namque anno, ut Sigebertus testatur, fera Nortmannorum gens, trajecto quo dividebatur à Galliis Oceano, Batavorum regionem Frisiis jam ante triplici prœlio fusis, ac magnâ strage editâ, Dorestatum, Andoverpum & Witlam, apud ostia Mosæ celebre tum emporium igne, ferro, rapinis fœdè dilaniavit. Hanc etiam tempestatem divinâ mente concitatus, prædixisse fertur S. Fridericus Ultrajectensis Episcopus.

Normannorum nova irruptio.

LXXXV. Inter hæc Hetti Trevirorum Archiepiscopus, vir spectatâ vitæ integritate, magno Ecclesiæ suæ provehendæ studio inflammatus, opus egregium & magnificum regiis impensis inchoavit. Confluentiam antiquorum Franciæ Regum domicilio & insigni jam tum castro munitam & frequentem, adhæc duorum fluminum Rheni & Mosellæ coitione, & cæteris omnibus amœnitatibus ad cultum & abundantiam, locum peropportunum, ut sensit ab una tamen religionis celebritate curáque propè destitutum, muneris sui esse ratus est, amplissimum ibi D. Castori, cleróque Canonicam vitam sequenti monasterium, & ædem erigere; quo locus is non situ magis & fluviorum præterlabentium opportunitate, quàm usu, famáque sanctitatis sese efferret. Atque huic rei, ut auspicandæ consilia religio peperit, ita perficiendæ Luduici pietas & munificentia plurimum sanè commodavit. Hetti namque à D. Materno per quietem admonitus, ut ossa S. Castoris è Cardona Confluentiam deportaret, re priùs cum Luduico com-

D. Frederici Ultraject. Episc vaticinium.

MS. Confluent. & MS. vita S. Castoris.

Confluẽtia ornatur S. Castoris collegio Luduici Regis impẽsis & Hetti Pontif. operâ.

S. Castor Cardonâ Confluentiam transfertur.

municatâ,

Digitized by Google

municatâ, ejus sumptu Basilicam exstruxit; & sacras reliquias Confluentiam, frequenti pompæ spectaculo translatas in ædem novam, quam ipse V. Idus Decembris ejusdem Divi & omnium Confessorum nomini dicaverat, honorificè reposuit.

LXXXVI. ANNUS Chr. 838.

Luduicus inde, cùm jam medio Septembri frequenti procerum concilio, Carolum filium natu minimum ense cinxisset, & regali coronâ ornatum Neustriæ parte donâsset, exploratis pro consuetudine nemorum lustris, & agitatis undique feris, inde Aquas in hyberna concessit. Ibi tum ipsæ anni auspices Kalendæ Januariæ infausto sidere sese aperuerunt. Crinita siquidem stella in Scorpii signo visa pro ostento habita ceu Pipini mortem prænunciâsset; cujus subindè nuncium Imperator Aquis accepit; qui mox Lotharium ex Italia evocatum, magnáque spe præmii delinitum, propositâ etiam omnium veterum injuriarum oblivione, Wormatiæ conventui adhibuit.

Pipini mors

Aimoin. ap. pend. l. 5. c. 18.

Lotharius evocatus ex Italia.

Partitur filiis regna Luduicus.

Cæterùm, in hoc conventu ita regnum inter filios Luduicus distribuit; ut, quod à Mosa in Austrum vergit, Lotharius; quod Occidentem aspicit, Carolus auferret: Boiaria verò cederet Luduico. Inde Carolum, ejúsque matrem Juditham Lothario commendavit, monens, obtestánsque, hos, uti genere & sanguine proximos, sic fide & pietate præcipuâ sibi caros defenderet: similiter Carolum jussit invicem Lotharium, ut ætate & sapientia majorem, sic officiis omnibus ambire, & colere obsequiis; deinde communiter omnes ad concordiam & mutuum amorem hortatus, cum fausta prece & ingentis pretii muneribus, ab se dimisit.

LXXXVII ANNUS Chr. 839.

Certamen filiorum ortum regno dividundo. Luduicus Germaniæ Rex fuit natium.

Postero anno novorum motuum extitit autor Luduicus junior; qui de regni divisione nuntio accepto, cùm modum potentiæ cupidine terminat, sortem suam ratus iniquè comparatam; hanc scilicet ad lubidinem sibi capere ipse, atque deligere instituit, quamcunque armis peperisset. Quare conscriptis eam in rem copiis, quidquid usquam terrarum trans Rhenum, id ad sua partes protinus adjungere, & sub ditionem redigere aggreditur. Quæ res, ut ad aures Luduici pervenit, ambitiosum atque effrenem filium sibi refrenandum putavit, expeditionis tamen consilio in Paschæ ferias rejecto. Quæ simul effluxère, ipse Moguntiacum adit; atque inde Triburiensi palatio se continet, dum undique provincialium manus in unum coëunt. Omnibus autem ad bellum comparatis, ubi infesto jam agmine patrem sibi imminere sensit, denique posito sago, se supplicem in itinere ei obvium tulit, veniáque impertitâ, pater injurias omnes condonavit, parique facilitate, in gratiam ac regnum reposuit. Incruento ad hunc modum certamine perfunctus, apud Confluentes Rhenum denuò transiit, atque Arduennam venando percursavit.

Luduici Imp. in filium rebellem expeditio.

Indulget filio delinquenti.

LXXXVIII ANNUS Chr. 840.

Aimoin. ap. pend. l. 5. c. 19. & Pap. Masson. Luduicus Germanus rebellat.

Anno sequenti, qui à partu Virginis octingentesimus & quadragesimus, Luduico in Aquitania formando præsentium rerum statui intento, nuncius affertur arma retentâsse filium, Thuringis & Saxonibus in belli societatem pellectis. Igitur uxore & Carolo filio in Aquitania relictis, mox sub ipsa Paschalia, ad eum tranquillandum accurrit. Functus itaque solitâ religione, trajecto Rheno, arma rursus adversus filium tulit; qui, cùm in Boiariam ditionis suæ provinciam, solo terrore nominis confugisset, Cæsar indicto apud Vangiones conventu, ex Italia Lotharium, eòdem accersiit; neque post, ullo majori negotio animum applicuit. Illuxitque Luduico suprema dies, qui, etsi naturâ ipsâ & valetudine jam concideret, maturiùs tamen filiorum vulnere, quàm suo creditur extinctus. Ad morbi sensum ingravescentis, in Rheni insulam, Moguntiaco & Ingelheimensi palatio vicinam, deportari voluit. Ibi & ægro solatio fuêre, & præsidio morienti, complures præstanti virtute Pontifices, quos inter, ut horum temporum scriptor loquitur, Hetti fuit venerabilis Trevirorum Archiepiscopus, Otgarius Moguntiæ, & Drogo Mediomatricum Luduici frater, cui in pœnitentiæ sacramento conscientiæ suæ latebras etiam apertas habebat. Ipsis diebus quadraginta, quibus morbo decubuit, solâ hostiâ sacrosanctâ victitâsse scribitur, alimento nullo alio degustato. Fractus tandem vi morbi, atque sollemnibus omnibus singulari pietatis sensu, ritè procuratis, ut lucem prosperè acceperat, ita placidè reddidit, quarto & sexagesimo ætatis anno, septimo & vicesimo imperii, duodecimo Kalend. Julias.

Luduici Imp. morbus & excessus.

Aimoin. ap. pend. l. 5. c. 19.

Hetti Trev. adest morienti. Item Drogo Metensis.

LXXXIX.

Luduici elogium.

Nescias utrius potissimum Luduici Regis pectus, eximiæ in Deum pietatis, an clementiæ in hostes rarissimæ documentis, pignoribúsque fuerit refertum; qui, tot, támque variis, suorum magis, quàm externorum vexatus injuriis, etiam inter abrupta spei, infatigabili pietatis serie, vixit, magisque injurias beneficiis vicit, quàm ultionis libidini concessit. Unde pacis habitu, quàm armorum speciosior, ut animi placidi lenitate fuit calamitatibus opportunus, ita paterno vigori ad belligerandum impar, haud paulò in conventibus & Ecclesiis, quàm bellis frequentior. Hetti Archiepiscopo magnos honores habuit, ejúsque ditioni omnium vectigalium immunitate concessâ, Ecclesiam opibus & rebus auxit; necnon D. Paulini collegium pago Massolterio, cum parœcia & omnibus prædiis eò pertinentibus donavit. Funus ejus per Treviros, insigni procerum æquè sacrorum ac profanorum comitatu, Metim in D. Arnulphi Basilicam, ubi & matris Hildegardis ossa quiescebant, illatum; justáque a Drogone Antistite, ritè ibi & magnificè illi facta. Tumulum olim hæc inscriptio versuum ornabat:

Luduicus de Trevirensi Ecclesia bene meritus.

Meti in B. Arnulphi Basilica apud Hildegardē matrem sepultus.

Imperii fulmen, Francorum nobile culmen,
Erutus à sæclo conditur hoc tumulo.
Rex Ludovicus, pietatis tantus amicus,
Qui pius à populo dicitur & titulo.
Hildegardis soboles, Caroli Magni pia proles,
In pacis metas colligit hunc pietas.
Rumilicam villam, quicquid refertur ad illā
Arnolfo sancto contulit, huicq; loco.
Stirps à quo procerum Regumq; vel Imperatorū
Quorum muneribus sistitur ille locus.

Rumilia & Rumilica villa.

Asservat S. Arnulphi monasterium Caroli Calvi diploma, quo anno regni II. VI. Kalend. Martii Wormatiæ degens, Rumiliam in pago vel territorio Mosellano sitam, parentis do-

mum,

mum, S. Arnulfi alumnis, quos meliore tum disciplinâ Drogonem formasse testatur, approbat, adjectis aliis possessionibus.

XC. Lotharius in Italia, patris morte compertâ, nusquam cunctabundus, quàm maximis potest itineribus, in Franciam advolat; ibi & ex patris testamento, ac procerum consensu, regnum Franciæ, imperiumque solus occæpit. Quam rem, ut æquo parùm consentaneam aversati reliqui fratres, multa cum animis volvebant: itàque postremò & cupidine accensi, in æmulationem consurgunt, remedium dolori bello, vel latius imperium quæsituri. Et profectò facies longè miserabilis eâ tempestate Franciæ; quæ cùm pacis esset atque diuturni otii fructu florentissima, tum discordiâ suâ, civilibusque bellis, huc redacta est, ut duas in partes germanis discurrentibus, in sua mutuo viscera armarentur, ferrumque ab hostili in fraternum transferrent sanguinem; furentium instar, qui suos artus ipsi crudeliter morsu lacerant, dum in propria membra sæviunt.

Fratrum de regnorum possessione certamina. Nithard. hist. lib. 2 & 50. Annal Franc. Aimoini appendix, &c.

XCI. Luduicus itaque & Carolus armis conjuncti, ut quibus partes regni rapuisse, & negasse consortium, Lotharius videretur, pro se quisque niti, & bellum apertè moliri. Lothario autem ad jus suum tuendum, neque animus deesse neque consilium: ac primùm, opprimendo Luduico vires intendere; Otgarii Moguntini Archiepiscopi, & Adelberti Comitis Mediomatricum, qui Regi Luduico infensi, opportunis armis ad id usus. Adelbertus quippe dux belli, cùm Austrasianorum manu, Rhenum transgressus, tantum Germaniæ magnæ metum incussit, ut spontè se populis dedentibus, Luduicus apud Boios se, caputque protegere fugâ, coactus sit. At animis mox resumptis, ubi Lotharium flexisse in Galliam ad Carolum debellandum didicit, acie cum Adelberto Austrasianorum duce commissâ, prælium secundum fecit; trajectoque Rheno magnis itinerum spatiis in Galliam contendit, suppetias laturus Carolo fratri, adversus Lotharium.

Lotharius contra Luduicum copias emittit.

Adalbertus Mediomatricum Comes, an is qui Hetti adstitit?

Ludvicus in Lotharium vertit arma.

Interea Lotharius Burgundiam adierat, universam ibi belli molem excepturus. Dividitur hic tota Francia, & diversas abit in factiones, immemor prorsus, fore, ut si cum artubus suis ipsa confligat, in mutuum exitium sine modo præcipitet. Sed Lotharius regnandi avidior, fratribus, diu licet multumque deprecantibus, fraternæ necessitudinis jura, pacemque post bellum habuit.

XCII. ANNUS CHR. 841. Igitur postero anno, castris in aperto apud Fontaniacum, in finibus Altisiodorensium positis, ubi prælii* copia fuit, post multas frustrationes, omnibus tandem viribus connixi, ut sunt in propinquis acriores irarum stimuli, adeò infestis animis concurrunt, ut pugnam non facilè apud Francos initam percrebuerit atrociorem; cuique non Reges modò ad sustentandam consilio aciem interfuêre, sed vitæ prodigi, suismet ipsi corporibus dimicantes miscuêre certamina. Quare tantum etiam fuit utrinque cædis & stragium, ut amisso quasi omni jam robore militari Francia, deinceps, non par tuendis finibus, nedum prolatandis, extiterit. Vicerunt; sed non incruentâ victoriâ, Luduicus & Carolus.

** alii Fontaneum.*

Prælium apud Fontaniacum.

XCIII. Secundùm hanc pugnam, quæ naturâ civilium armorum, restauratis denuò copiis, cùm velut obliti cladium antecedentium, non quieturi antè viderentur, quàm invicem perirent, omnes vel perderent; Lotharius in Galliam intimam rursum penetrans, Carolum exercebat: & Luduicus nova jam in bellum supplementa ad Rhenum deduxerat. At verò Otgarius Moguntinus Antistes, quem agebant in arma Lotharii partes, pro communi imperio nitens, Luduicum, ne Carolo fratri se jungeret, transitu Rheni, objectis Lothariensium copiis, strenuè prohibebat; donec Carolus ipse, tandem magnis itinerum spatiis, per Leucos ad Rheni ripas progressus, Otgarium absistere, atque aversis ab ripæ custodia Lotharii copiis, fugam capessere coëgit. Luduicus igitur & Carolus, quæ prima congressus miscendique sermonis, apud Argentoratum copia fuit, de fœdere instaurando atque alligando arctiùs, deliberant. Quo quidem summo concordiæ nexu percusso, interea Carolomannus Luduici filius, ingentem Boiariorum nationúmque vicinarum trahens exercitum, ad Vangionum & Nemetum fines affuit: quod, ubi Lotharius accepit, Otgarium Moguntinum Archiepiscopum, Hattonem Comitem, Herioldum cæterosque duces, ire protinus ad Mosellam jubet, & ne vado transduci hostilis exercitus possit, intendere vigilias. Cæterùm, quod Nithardus scribit, Reges confœderati, sic iter iniêre, ut Carolus Vosagi montibus, Luduicus Rheni limite citeriore per Bingium Carolomannus autem ulteriore, per * Einrichi tractum, qui in parte Loganam versus in Cattimelibocis, Treverici juris, ultra Rhenum, Confluentiam peterent. Hinc salutatâ S. Castoris memoriâ, ubi ejus loci religione perfuncti, navibus conscensis, invito hoste, Mosellam trajecêre. Quod ubi Lotharius comperit, Viennam Allobrogum, quò propiùs abesset ab Italia, petiit. Atque ita Carolus & Luduicus, per arbitros absentis Lotharii regnum inter se partiti sunt: quippe optimatibus octuagenis utrinque ad concordiæ arbitrium electis, his negotium datur, ut ex commodo utrorumque herciscundo regno, pacem constituant. Quod, ubi convenit, insequenti anno fratres imperium longè maximum; novâ partitione inter se diviserunt, ejus haud dubiè incrementa, toto nuper orbe conspicatissima, novis his consiliis abscissuri. Itaque Carolus, omnia pænè à Britannici maris littore, usque ad Mosam sortitus est. Luduico Germania magna, & quidquid trans Rhenum in Orientem longè latèque procurrit, cum nonnullis cis Rhenum vitiferis urbibus obvênit. Lotharius Belgicam primam, eamque Austrasiæ partem, quæ ab illo Lotharingiæ nomen invenit, quæque inter Schaldim & Rhenum olim eidem contributa, cum Burgundia, Provincia, Italia, adeoque ipsam imperii majestatem, adeptus est. Pipino verò nepoti, Aquitania cessit.

Bellum à Luduvici liberis instauratum.

Otgarius Moguntinus Archiepiscopus fert arma pro Lothario.

Luduici & Carolomanni Regum pietas erga S. Castorem Confluentiæ.

Einrich & Heinrich.

** Hein vel Hain-rich vel ruch. juga seu loca indagine & sepimentis frondium inclusa.*

Fraterna pax. Viraldus. Sigeb.

ANNUS CHR. 842.

Regnorum inter Luduici sobolem partitio.

Lothariensis regni, sive Lotharingiæ exordia.

LOTHARIUS REX LOTHAR. an. 13.

XCIV. ANNUS CHR. 843. Atque hæc regnorum partitio, quò sanctior sit; concilium in posterum annum Virdunum indicitur; ubi in medium re consultatâ, datis acceptisque invicem sacramentis, in has, quas diximus, conditiones, renovato fœdere, concessum.

Sigebertus. Virduni Reges fratres conveniunt.

concessum. Usurpare deinceps novos quisque titulos cœpit; & Carolus cognomento Calvus, Franciæ; Luduicus Germaniæ Rex salutatus. Lotharius item ad Augusti cognomen Franciæ & Italiæ; Pipinus Aquitaniæ se Regem appellavit. His ita constitutis, Lotharius Metim in Austrasiam; reliqui in sua quisque regna, reversi sunt.

XCV. ANNUS CHR. 844. SERGIUS II. PONT. a. 3. m. 1.

Luduicus Lotharii F. in Italiam mittitur.

Anastasius in Sergio prolixè. Ado Viennen. in chron. & Script. Ital.

Anno qui proximè sequitur, Gregorius Pontifex vitâ cessit, & ejus in locum Sergius evectus est. Hujus initio Pontificatûs, Lotharius struendæ dominationi, Luduicum filium suum ex Hermingarde, cum ornatissimo in Italiam exercitu, & delecto principum virorum comitatu, misit; addito ei moderatore Drogone patruo Mediomatricum Antistite, vel Archiepiscopo, ut loquitur Anastasius, per quem filio Augustalia insignia, à novo Pontifice quæreret. Eum Pontifex, postquam hostilia meditantem, autoritatis suæ nutu, & religione templi objectâ, percelluit; omni benevolentiæ atque honorum officio mox complexus est; dignúmque sensit, quem, exercitu tamen in urbem non admisso, oleo sancto de more perfusum, diademate insigniret, populo, qui frequentissimus omnium ordinum eo confluxerat, iteratis sæpe vocibus, eum Augustum, acclamante.

Luduicus hic à Sergio coronatur.

Drogo Præsul Metensis Archiepisc. & S. A. legatus.

XCVI.

Epist. 6. c. 30.

At, quod de Drogone dictum, supra provincialis Episcopi culmen evectum, id Hincmarus testatur, Sergii Papæ concessu, & prosapiæ regiæ fastu ei contigisse, occasione quæ tunc oblata; laudátque tantæ generositatis & dignitatis virum, exequi non sustinuisse, quod extra ordinem adeptus erat, simul innuens, in transalpinis regionibus vices obtinuisse Pontificis & Archiepiscopi gessisse titulos. Sanè ex Anastasio constat, Drogonem armatum, Romanæ civitati & Sergio Papæ conatum imponere jugum; qua de re magnum Drogoni super libertate urbis & non iterando sacramento, cum Pontifice certamen fuit; ut animo Drogonis pacando, his quoque lenimentis honorum opus fortè tum fuerit. Ab expeditione hac ad suos reversum hoc anno perhibent vitâ decessisse, sepulchro majorum in S. Arnulphi Basilica cohonestatum, ejusmodi ei inscripto Epitaphio:

Drogonis Metensis Episcopi mors, sepultura, Epitaphium.

Baron. append. ad 9. Tom. alii ad 855. & alitra, vitam ei proferunt.

Conditur hoc busto Præsul Drogo marmore clauso,
Spiritus in requie lætus ovat Abrahæ.
Filius hic magni Karoli fuit Imperatoris,
Vir pius & prudens, vel probitate cluens.
Aulæ regalis moderator, pastor ovilis
Mettis, & Ecclesiæ, jure pater patriæ.
Hic Præsul, Præses, Dominus, Primasq; cis Alpes,
Ejus judicio paca fuit regio.*
Iste Glodesindis solenniter ossa levavit,
Condigneq; loco condidit eximio.

* *pacata.*

De S. Glodesinde pervetusti codices inscripti membranis, ita meminerunt.

S. Glodesindis elevatio an. 830.

ANno Incarnationis D. N. IESV CHRISTI DCCCXXX. præsidente solio Apostolico Gregorio Papâ, & Hluduico imperialia sceptra regente, Drogone Metensium Archiepiscopo, sicut divinitati placuit, res valde pretiosa diu latere non potuit. Sepulchrum namq; in quo B. virgo Glodesinda tumulata jacebat, sponte de terra emergere cœpit; idq; miro valde modo, ut nec intra eadem viciniora tumuli loca apparerent, nec in murali constructione desuper composita. Quod cùm pervenisset ad aures venerandi supradicti Pontificis, rem ejuscemodi dignitatis, nequaquam ultra putavit dissimulandam; sed missis mox in crastinum suo Coepiscopo, cæterisq; religiosis sacerdotibus, rem, si vera esset, explorare jussit. Quod cùm inventum esset, eiq; relatum de vita ejusdem virginis religiosissimè dum viveret transacta, nutu divino & multorum precibus præmonitus, eam de eodem loco in alium transferendam constituit. Id quod dum fit, & sanctum illud corpus de terra aufertur, sepulturâ ei assignatâ in eodem monasterio in Ecclesia seniore post altare, quod dedicatum est, atque sacratum in laude & honore S. Dei Genitricis Mariæ, ac B. Petri Principis Apostolorum, necnon & S. Sulpitii egregii Confessoris. Inibi autem mox mirabilia Christi effulgere cœperunt; ita ut cæcis visus, debilibus gressus, sanitas infirmantibus copiosissimè redderetur. Hæc de Drogone.

XCVII. Marquardus Abbas Prumiensis.

Per id tempus adhuc præfuit Abbas Prumiensi cœnobio Marquardus, vir, ut longè religionis laude præstans, ita magnæ apud Lotharium Imperatorem, & Carolum Calvum dignationis; id quod clarè ex Lupi Ferariensis quadam epistola, ad hunc ipsum Marquardum data, liquet; quâ, ut illa tum infesta Regum certamina vigebant, cùm nondum sciri scribit, cui nempe fratrum Gallia cessura sit, ut, si fortè Lotharium alumnum & discipulum ejus Senones dominum habuerint; Ferrariæ monasterium ei commendet, etiam atque etiam orat. Ferraria verò ad Senonum pertinebat diœcesin; cui Bethlehemiticum etiam hodie nomen, quatuor tantum millibus à Montargi oppido distans, via Lugdunensi. At Marquardus ornandæ religionis tuendæque ingens tum fortè cupido incesserat, acceptis à Lothario literis, cum mandatis Romam ad Sergium Pontificem, per eos dies adiit, Sanctorum ab eo reliquias, postulaturus. Quamprimum ergo vacuas Pontificis aures adire confessum, largè & prolixè Sergius omnia præstitit. Itaque mox lætus & insigni Sanctorum hominum catervâ stipatus, ut rediit ad suos, honestò fratrum aliorumque occursu exceptus, sancta Chrysanthi, Dariæ, Eusebii, Marii, Audifacis, & Abacuc, Marthæ, Primi & Feliciani, Gordiani, & Epimachi: ac Pontiani Martyrum, & B. Lupiani Confessoris pignora in conspectum ibi protulit; quæ à præsenti monachorum venerabundo cœtu, castè religioseque consalutata, pari inde religione templo illata sunt. Porrò his deinde ornamentis ad accendenda Christianæ pietatis studia sanè quàm illustribus, non Prumiensis duntaxat Basilica, sed & alia longè posita loca, ut olim memorabitur, honestata sunt.

Lotharius Imp. alumnus & discipulus Marquardi Prumiens. Abbatis.

Ferraria monasterium in Gallia.

Papirius Mass. lib. epistol. Lupi Ferrar.

Chrysanthi, Dariæ, Eusebii, Marii, Audifacis, Abacuc, Marthæ, Primi, Feliciani, Gordiani, Epimachi, Pontiani, martyrum reliquiæ in Treviros deportantur.

XCVIII.

Epist. 91

Rhabanus Abbas tum Fuldensis.

De hac, opinor etiam, profectione, meminit Lupus, ad Einhardum Caroli Magni quondam Cancellarium, sic ferè scribens: *Venerabilis vir Marquardus, cùm in Italiam legatus mitteretur, me prius ad colloquium, ut amicissimum evocavit. Verùm illustris Abbas Rhabanus postmodum regressus à palatio foret, nec ne, per id temporis propter legationem sibi commissam, ad liquidum scire non potuit, atq; ob eam rem hortatus est, ut*

reditum

S. Bonifacii solemnitas quàm antiqua Fuldæ.

reditum meum ad Non. Iunias differrem, quando solemnitas S. Bonifacii, eum abesse minimè fineret, nisi fortè ipsi quoq. imperialis jussionis, & ea quam gravissima præjudicaret autoritas.

Ordinis S. Benedicti claritudo.

Abundavit passim in Germania hoc tempore S. Benedicti familia præstantibus viris; eorumque virtutis & doctrinæ cujusque generis laude florentium cœnobitarum vim magnam extulere gymnasia. Rhabanus certè, qui subinde ad Ecclesiæ Moguntinæ fastigium adscendit, omnigenæ scientiæ famâ cantatus, per hominum ora jam tum volitabat. Unde & Lupus Ferrariæ ab Aldrico Episcopo Senonum in Germaniam studiorum caussâ missus, Fuldensi cœnobio in florentissimi Doctoris se disciplinam contulit, & conquirendis undique optimorum omnis ætatis scriptorum monumentis operam quàm diligentissimè navavit. Itaque & ipse memoriæ tradidit, in Transrhenanam illam regionem, horridosque Buchoniæ saltus concessisse, quo ab Rhabano ingressum caperet divinarum scripturarum: principem autem operam illic destinasse lectioni, & ad oblivionis remedium & eruditionis augmentum, libros paravisse pauculos, nec Germanicæ linguæ captum amore, ut erat in sermone hominum, sarcinam subiisse tanti tamque diuturni laboris.

Fulda gymnasium disciplinarũ. Lupus Ferrariæ ex Galliis istuc discedi caussa proficiscitur.

XCIX. ANNUS CHR. 845. Synodus Belluacensis al. Suessionensis. Hincmarus fit Rhemẽsis Archiep.

Decennio jam propè toto sedes Remensis Ecclesiæ, ceu navis incerto gubernatore fluctuabat, cùm Synodus Episcoporum Belluacum Caroli Regis nutu convocata, Remensis Ecclesiæ orbitati consuluit, & Hincmarum ex S. Dionysii monasterio Parisiis accersitum, faventibus Wenilone Senonum Archiepiscopo, & Ercanrado Præsule Parisiensi, clero populoque Remensi commendavit; qui, tum generis, tum ingenii præstantiam amplexi, à Synodi judicio suum noluere sejungere. Ergò Hincmarus functionem amplissimi muneris adeptus, quò vicinum & autoritate tunc plurimâ in Lotharii regno pollentem Hetti Pontificem sibi devinciret, Flodoardo recensente, scripsit ad illum ordinationis suæ primordia, obsequentem & socium se offerens in Ecclesiasticis negotiis ipsius Paternitati. Ejusdem etiam argumenti scripsit epistolam, petens se ab illo instrui & pro filio haberi, significans etiam de itinere suo, quo Romam ire decreverat. Item de Gondrico & Fulcrico, quos communione pulsos, cognoverat in Treviris habere perfugium. At Fulcricum hunc alibi meminit Flodoardus, Vassallum fuisse Lotharii Imperatoris, qui ob divortium cum legitima conjuge factum, cùm proscriptus & Ecclesiasticâ censurâ notatus esset, uxore nefariè superinductâ, Remensis diœcesis Ecclesiis ulciscendi sui caussâ, plurimum infestus imminebat.

Hetti Pontifici mittit epistolas illum sibi cõcilians. Hist. Eccles. Rhem. l. 3. c. 22.

Lib. 3. c. 10. Fulcricus Lotharii Vassallus improbus.

C. Hincmarus metu factionis regni Lotharii & Ebbonis solicitus de sede sua. Ebbo se cõfirmat.

Porrò hanc benevolentis animi studiique Hincmari erga Trevericum Præsulem testificationem ex Ebbonis parte profectam arbitror, cujus factio, metusque restitutionis animo non prorsus abcesserant, Lothario regnique ipsius plerisque Episcopis, in Ebbonem propensis; Ebbone quoque pristina pro Episcopi autoritate usurpante munia, & ordinante clericos, quos tamen omnes Hincmarus, ceu à non legitimo consecratos, repelleret ut laicos. Unde Sergii Pontificis posthæc exploratâ voluntate, quicquid in hac re turbidum, Hincmarus ipsemet pacare instituit; & Synodo quoque coactâ, apud Suessiones, palam docuit, Ebbonem nuper Theodonis-villæ cum Episcopis testibus, tum suo ipsius judicio, & XLIV. Episcoporum sententiâ, loco motum; neque canonicè restitutum: quin, & Sergium Papam, cùm Ebbo arroganter sibi ipsi consuluisset, eum pristinæ damnationi addixisse. Nec prodesse, quod à Lothario dicerent restitutum, cùm ab Episcopis ad Imperatorem appellari nefas. Se, jure denique ac ordine subrogatum, & habere consensum totius Galliæ Præsulum, & à summo Pontifice pallium. Quæ quidem ad stabiliendam fidem Actorum apud Treviros Theodonisvillanæ Synodi, opportunè hîc commemorasse volui. Porrò Ebbonem tandem Scriptores Saxonici, ipsiusque Hildeneshemensis Ecclesiæ panchartæ tradunt S. Ansgarii autoritate, cui se in Danorum conversione adjunxerat, Hildeneshemii cathedram adeptum.

Ebbonem Hincmarus premit. Suessio. Synodus septimo anno ordinationis Hincmari celebrata. Flod. hist. Rhemens. Eccles. lib. 3. c. 11.

Ebbo fit Eps Hildenesheimiensis. MSS. Hildesheim. Crantz. l. 10. metrop. c. 30. ipse Flod. l. 2. c. 20. & acta S. Bernwardi, & S. Gothardi Moguntiæ edita an. 1615.

CI. ANNUS CHR. 846. B. Goaris memoria novis inclarescit miraculis.

Wandelbertus inde Marquardi jussu, sub cujus disciplina monachus Prumiæ vixit, hæc de D. Goaris virtute & miraculis prodidit. Cùm ad anniversariæ depositionis memoriam, ingens undecunque, ita uti solet, hominum multitudo conflueret, nota ex vicino mulier affuit, cum filio ferè septenni, qui ab ortu ipso claudus, mutus, surdusque, ærumnarum copiâ, novos suis quotidie luctus & dolores pariebat. Hunc mater cùm inter nocturnas vigilias sepulchro venerabili admovet; fine psalmodiæ matutinæ, canticum Evangelii ordiente clero, puer lento primùm nisu juxta arrepere, mox surgere; inde pedibus, vestigioque firmiùs insistens, matrem clamore iterato compellare. Atque ibi tum, animadverso prodigio, mater flens præ gaudio gestientis animi lætitiam haud diu morari, quin filium, quem tot oneratum miseriis & ærumnis pressum deposuerat, simul ambulantem, simul & loquentẽ audientẽmq; uno tempore recepit.

Eodemque die, cùm in sacerdotem divinis operantem populus intendit, puella oculis capta, à parentibus remedium cœcitatis fideliter expetentibus, illata, continuò recepit luminis usum. Ita gemino miraculo unâ die & sancti viri meritum palam cunctis enituit, & multitudo, quæ simul aderat, Christi clementia, quàm non desit invocantibus ubique præsens, agnovit. Hactenus de illius loci nobilitate atque eximiâ religione Wandelbertus: cùm adhuc, ut ipse ad diem prid. Non. Julii in sacra sua Ephemeride scripsit, colebatur GOAR CHRISTI FAMULUSQUE SACERQUE.

CII. S. Goaris memoriam Lutheri rabies imminuit.

Porrò hoc nostro depravatissimo sæculo errorum turbine correptus & occupatus locus, ut sanctitate quondam & miraculorum famâ sese extulit, ita à reliquo nunc & etiamnum sano corpore avulsus, squalet atque silvescit suis contentus zizaniis. Tot quippe cœlestium virtutum S. Goarem id olim oppidum decorâsse prodigiis, ecquis ibi rogo jam meminit? aut quæ reliquiæ ibi veteris cultûs & hospitalitatis? aut, quod vel tenue priscæ sanctitatis hæret impressum vestigium? Haud aliter res habet; ex quo tempore B. Goar ne

ossa quidem sua in oppido tueri valuit, cujus patrimonium exstruxerat, felicitatem auxerat, avitam simul fidem & sanctimoniam procul iis migrâsse sedibus. Nec tacitus hanc conditionem ferat Divus, qui justissimæ apud Deum querelæ loco, Cenotaphio suo idem optet inscribi, quod suo sepulchro Scipio Africanus superior, injurias expertus pro beneficiis:

Livius lib. 38. Appia. Valer. Max. l. 5. c. 3.

INGRATA PATRIA NE OSSA QUIDEM MEA HABES.

Asservat tamen S. Castoris Basilica apud Confluentes inclyti Confessoris venerabile brachium, ex argento sollerti manu ductum; in quo eximia duo ossa cernuntur cum hac Epigrapha:

PANDITUR IGNARIS QUOD HÆC SINT OSSA GOARIS.

CIII. Munstereiffel *seu* Monasterium, oppidum jam Eifliæ à cœnobio Prumiensi ortum.

Sub hoc tempus cōditum est quoque monasterium à Marquardo Abbate in Eifalia, quod oppido crescens, & Canonicorum collegio, sacris quoque beatorum Chrysanthi & Dariæ è Prumia corporibus illatis, tum XLVI. Martyrum reliquiis, præclarum evasit, ditionique Abbatis, antequam Juliacensibus cederet, olim paruit. Certè decus hoc Martyrum Eiffliæ terræ sub NOVÆ CELLÆ nomine, Wandelbertus egregiè versibus suis asseruit:

Nova Cella *seu* Munster Chrysanthi, & Dariæ memoria inclarescit. *Ephemerides Wandelberti apud Bedam Tom. 1.*

Gemmas Martyrii festo veneremur eodem;
Chrysanthum Dariamq́, novo quos munere Christus
Româ nunc vectos, tumulis NOVA CELLA venustat,
Quà Rheni celsis succedunt æquora silvis.

Arduennæ rami.

Eodem autore, horum Martyrum gloriam ad vicinum Tolbiaci castrum, quod, ut Græcia Salamine & Marathone, sic in Francorum historia, gestis rebus magnis & memorandis extollitur, transiisse constat:

Tolbiaci Basilica celebris III. Id. Octobris dedicata.

Tum quoque Petre tibi, Dionysiiq́, sacratum Templum, & Chrysantho Dariæq́, coruscat & ara,
Tolbiacum plano, quo præminet æquore castrū.

CIV. ANNUS CHR. 847. LEO IV. PON. an. 8. Ebbonis causa resuscitatur. *Fodoar. hist. Rhemen. Eccl. l. 3. c. 2.* Synodus Treviris indicta.

Anno ab ortu Christi quadragesimo septimo supra octingentesimum, Sergius Pontifex diem clausit extremum, cui successor datus Leo IV. Porrò cùm anno superiore; Ebbonis quondam Rhemensis Archiepiscopi lis caussaque recruduisset, instigante Sergium Lothario adversus Hincmarum, disceptandæ controversiæ Treviris indicta Synodus; quò & Ebbo, & Hincmarus cum primariis Galliarum Episcopis evocati. Dederat ad Carolum Regem & Guntboldum Rothomagensem Archiepiscopum Sergius Papa literas, ut post diem sanctæ Domini Resurrectionis cum cæteris Episcopis Treviri adesset, judicium de Ebbonis depositione repararet, Hincmarum ibidem sisteret. Verùm, postquam legati, qui à Sergio expectabantur, tempori non affuêre, Synodus Lutetiam translata, ubi Ebbonis causa, judicum horum tribunal defugientis, iterum jugulata; favente quoque Leone novo Pontifice Hincmari honoribus. Atque huic actioni aliisve Flodoardus Ebbonem non reclamâsse, neque sedis Apostolicæ autoritatem requisiisse, sed & quinque non amplius annis huic tragœdiæ superfuisse, scribit.

Parisios translata. Ebbonem condemnat. *In hist. Rhemen. Ecclesf. l. 3. c. 2.* Ebbo obiit anno 851.

CV. Eodem hoc anno, mortuum Hetti Trevirorum Antistitem, Reginoni placet, cujus ut sententiæ suffragari non ausim, vetustissimi faciunt Caradonensis Ecclesiæ fasti, tum Joannes quoque Tritthemius, qui anno illum insequenti, quo autore, me fugit, Synodo Moguntiam, Lotharii, an Luduici jussu convocatæ, Rhabano Præside, interfuisse memorat, annisque post eam adhuc supervixisse tribus, cui quidem Chronologiæ libri provinciales etiam adstipulantur.

Tritthem. Chron. Hirs. ANNUS CHR. 848. Moguntina Synodus diversa ab ea, quæ à Luduico convocata. *Ex Sigeb. in c. Ligenr & ipsa relatione tom. 3. concil. Epist. 40.* Godescalcus hæreticus Moguntina Synodo damnatus. *Ep. Hincmari apud Flodoar. lib. 3. c. hist. Rhem. Eccl. Apud Baron. hæc, sed non fideliter ex Gallico Flodoardo, ut apparet, translata.* Gothescalci hæretici ingenium.

Porrò ea in Synodo, cùm multas Ecclesia salutares Episcoporum decreto leges accepit, tum Godescalcus Presbyter, pravè de libero hominis arbitrio, SS. Trinitate, prædestinatione, & Christi sanguine sentiens, anathemate percussus est, de quo audire operæ pretium Hincmari narrationem: *Gothescalcus fuit in Metropolis Ecclesiæ Remorum monasterio in Suessionica parochia, quod Orbacus dicitur, habitu monachus, mente ferinus* (agnosce quendam antecursorem Lutheri) *quietis impatiens, & vocum novitate delectans, ac inter suos mobilitate noxiâ singularis, de omnibus quæ in his regionibus perversè tunc temporis sensa cognoverat, quædam sibi elegit capitula, ut novitate vocum innotesci valeret; utq́, simplicium & devotorum sensus perverteret, & magistri nomen usurpando, post se discipulos traheret. Post hæc à Remorum Chorepiscopo, qui tunc erat contra regulam Presbyter ordinatus, à monasterio irregulariter exiens, peragratis regionibus plurimis, & exitiosa semina sator pessimus seminans, tandem in Maguntina civitate habitâ Synodo, & Rhabano Archiepiscopo libellum sui erroris porrigens, damnatus ab omnibus Germaniæ Episcopis, cum literis Synodalibus ad Metropolim Remorum est remissus. Postea autem à Belgica, Remorum ac Galliarum provinciarum Episcopis auditus, & inventus hæreticus, quia resipisci à sua pravitate non voluit, ne aliis noceret, qui sibi prodesse nolebat, judicio Episcoporum, in Remensi parochia, monasteriali custodia mancipatus est.*

Damnatus Moguntiæ & Rhemis.

CVI. Liquet itaque Synodum hanc Moguntiensem, Episcoporum senatu omnium totius Germaniæ fuisse frequentissimam; nec fidei alienum, Lotharii ac Luduici principum pari consensu celebratam; ut, qui hujus anni curriculo & colloquiis & legationibus apud Confluentes & Theodonisvillam in Treviris animos verbaque sociarint.

Annal. Franc. Tith.

Flodoar. lib. 2. hist. Rhem. c. 8.

ANNUS CHR. 849. *Sigeb. in chron. & Tritthem. in Hirsaug.* B. Helenæ reliquiæ in Galliam trajectæ.

Anno postero gloriosissima Augusta, & eximiæ apud Treviros venerationis S. Helena, ex æde Divorum Marcellini & Petri Martyrum, Româ in Galliam Belgicam à Theotgiso monacho vel sacerdote furtim translata est; atque in evectione, compluribus passim editis miraculis, quæ fusè prosequitur Flodoardus, in Altuillarensi monasterio, quod olim apud Remos exstruxerat B. Nivardus Archiepiscopus, illata, magnaque Francorum religione culta fuit.

CVII. B. Helenæ caput in Trevir.

Reginæ venerandum caput, quod adeò gloriari non semel juvat, Treviris hodieque singulare Basilicæ principis ab eadem conditæ, ornamentum, juxtaque præsidium, asservat. Cæterùm, quod ad Augustæ Helenæ transla-

S Helenæ vita. MS. biblioth. S. Maximini.

translationem attinet, ex ipsius actis, quæ scripta membranis jussu Hincmari Remensis Archiepiscopi legimus, non hoc anno, ut Sigebertus annotavit, sed octingentesimo XL. evenisse, doceri potest. Nam vetus autor hunc annum exprimens, certamen enarrat, quod inter Altivillaris Monasterii cœnobitas & Remensis Ecclesiæ clericos exortum, de pignoris sacri possessione. De Theutgiso disertè inprimis fatetur, cum Syrophœnissa, quæ raptim Christi Domini contactâ fimbriâ clam quasi sanitatem abstulerat, fidele furtum peregisse; deinde, ubi Remorum finibus thesaurus illatus, addubitatum à multis, quomodo contrectari ac evehi se tantæ dignationis Augusta à sacerdote permisisset. quæ quæstio, cùm ancipites tenet Remorum animos, miris locorum angustiis sarcinam piam implicatam, necessariò à villa Falesia declinâsse, & sese insinuâsse in Altivillaris Monasterium intelligunt, ubi denique, cùm, missis Romam cœnobitis, res ad liquidum fuisset explorata, approbante clero Remensi, & favente Pardulo Vicedomino, qui postea Laudunensis factus Episcopus, conditorium Divæ patronæ exstructum, quod in magna veneratione ob cœlestis auxilii & miraculorum assiduitatem posthac esse cœpit. Quæ ita gesta superioribus annis scriptor affirmat, cùm Remensis civitas benedictione Episcopali careret.

Translationis S. Helenæ acta.

Reliquiarum fidele furtum.

S Helena, quâ occasione ad Altuillarēse Monasteriū Rhemensis diœcesis translata.

CVIII. ANNUS CHR. 850.

Hetti Trevirorum moritur. Sepultus in D. Matthiæ ubi & Rutgandus frater olim cōditus

* Baptistæ.

Annus, qui sæculo huic quinquagesimus illuxit, ut Cardonensium literis consignatum invenio, Pontifex Trevirensis Hetti excessit; septimo & vigesimo sacerdotii, Pontificatûs circiter septimo decimo anno: funeratusque est solenni Episcoporum pompâ in D. Eucharii, sive Matthiæ oratorio, ante aram S. Joanni * Evangelistæ dicatam, apud Rutgandum fratrem, excellenti nobilitate virum. Ejus porrò sepulturæ vestigia quædam in editiore templi parte vel abside Septemtrionali monstrantur; ubi literis jam detritis, Episcopi tamen effigies emicat, in strato lapide. Nec procul monumentum humo supereminet, vestitum marmore, nullâ scripturâ, quod conjicitur olim extitisse Rutgandi. Verùm hâc recenti memoriâ, cùm juxta Hetti sepulchrum tumulus Joanni Abbati paratur, retecta tumba viri egregiâ specie baltheo militari argenteo præcincti; quam ego Rutgando propensiùs attribuerim.

CIX.

Antecelluit verò Hetti apud Luduicum Imperatorem consilio & autoritate, ut quis cæterorum, plurimâ; ejusque ut vivi gratiâ permultum valuit, ita beneficiis Ecclesiam suam mortuus egregiè locupletavit. Hic enim omnium primus Indominicatum diœcesi adjunxisse censetur; quo non ad luxum seu stabiliendam potentiam, sed ut egentibus inde benignè faceret, aiunt, potitum. Quin eum administrâsse, jacturâ quoque rerum suarum, fundis & mancipi prædiis alienatis. S. Paulini clerum in Wadriola & Reinonis campo plurimis ipse beneficiis auxit, quæ de suo etiam Indominicato, ut vetus diploma loquitur, erogare atque decerpere, nihil ille dubitavit. Obtinet quoque fama, eum principes viros beneficiis feudisve, ex S. Eucharii & Lutuini, quod est Mediolacense, mona-

Hetti liberalitas & Indominicatus. Indominicatum verò fuisse beneficium Legationis à Principe, seu feudum penes Legatum ejusq; posteros relictum interpretor. Wadriola. MS. S. Paulini. & MS. gesta.

steriis sumptis, sive ad usum, sive dignitatem Ecclesiæ suæ sibi devinxisse: quam deinde consuetudinem successores necessariò tenuerunt, fortunas Ecclesiæ jam inde magis magisque piorum liberalitate succrescentes, ægrè alioquin ab injuriis & rapinis hominum improborum, vindicaturi. Sed Epternacense quoque monasterium Hetti annis omninò sex administrâsse, memoriæ propagatum est.

Feudorum hinc apud Archiepisc. crebrior usus.

Porrò THIETGAUDO deinde Hetti ex fratre nepoti Ecclesiæ Trevirensis gubernacula, quamvis non admodum felici gubernatori tradita; cujus postea erroribus, & infausti sideris cursu ingens naufragii discrimen adiit. Is item ex Abbate Mediolacensi, ad eam dignitatem ascendit. Primordiis Episcopatûs ejus adscripsero, quæ Flodoardus ab Hincmaro ad Thietgaudum datis literis perscripta fuisse recenset. De Primatu Trevirensi, quem deferri ab Hincmaro suæ sedi debere monuerat. Secundò ac tertiò, de caussa Fulcrici excommunicati. Item pro rebus Ecclesiæ Trevirensis in Aquitania sitis, pro quibus idem dominus Hincmarus satis egerat apud Arnoldum quendam Aquitanum, qui eas tenebat, ut ipsas Ecclesiæ Trevirensi restitueret, quod & se obtinuisse significat.

CX. ANNUS CHR. 851.

THIETGAUDUS 64. EPISC. 38. ARCH. MS. Cardonen. Annus 851. primus fuit Thietgaudi. al. Theutgaudius, vel Theotgaud. Ex Abbate Mediolacensi electus. Hincmari epist. ad Tietgaudum de primatu. Aquitanicæ possessiones Trevirensis Ecclesiæ.

Cæterùm Thietgaudi magistratum comitata gravis initio fames, & annonæ sævitia, quæ terras cis ultraque Rhenum incessens, usque eò invaluit, ut non à vorandis liberis parentes, nedum obscœnis escis temperârint.

Ut autem pœnæ malum rarò solivagum, inde Nortmannum quoque novus impetus cepit, percursandæ ac diripiendæ Galliæ, quo in dies magis sæviente, atque ex omnibus nemine principiis irruptionum barbaricarum obsistente, Galliarum urbes ad extremas usque clades afflictæ sunt. Namque per idem tempus barbari ex Britannico mari classe in Ligeris ostia invecti, procursu in continentem facto, cædes, incendia, atque ipsam adeò barbaricam feritatem circumtulerunt. Nannetum urbem Paschalibus ingressi, Episcopo sacro fonti operam, veteri Ecclesiæ instituto, navantem, cum universo clero periinunt; inde sacris profanisque omnibus calcatis, in circumjacentem agrum ceu tempestate quâdam effusi, nemine uno vim propulsante, obvia quæque prosternunt. Primùm Andegavum, mox Turones aggressi, incolis omni genere maleficii vexatis, celeberrimum Divi Martini templum, subjectis ignibus denique cremârunt. * Sed fœneratur Deus, non largitur sacrilegis debita supplicia; quæ enim in Gallia non exsolverat hostis, anno sequenti reversus ad propria, intestinæ discordiæ bello abundè rependit, usque ad regiæ stirpis internecionem mutuis vulneribus in semet crudelis.

CXI. ANNUS CHR. 852. Sigebert. & Regino.

ANNUS CHR. 853. Nortmānorum in Galliā irruptio.

Nannetum clades. Ab aliis refertur ad an. 843. adi C. Baron. Tom. 10.

Pœna Nortmannorum ANNUS CHR. 854.

Atque is annus est, quo recentiores nonnulli memorabili ac futilissimâ vanitate, Pontificem feminam orbi Christiano præsedisse mentiuntur, quod ut alienum à fide multa coarguunt, ita Leo insequenti etiamnum anno superstes, satis ostendit, nullum feminæ locum esse potuisse; siquidem Gratianus militum Magister, falsò crimine arreptus, ceu conscio Leone transferendi in Græciam imperii consilia agitaret Pontifex, literis in Fran-

CXII. Papa fœmina nō sedit. Bellarm. Nic. Serar. Florim.

ANNUS CHR. 855. Anastas. biblioth. & cæteri Chronographi.

 cia apud

cia apud Lotharium absens, Romæ verò coram ipso Luduico filio, adversus obtrectatorum criminationes validè se purgavit: quo facto, XVI. Kal. Augusti, mortalem vitam cum ea sanctitatis opinione reliquit, ut in Divorum numerum posteritas eum lubens meritò cooptarit. Pontificatum sanè continenter iniit Benedictus III. Hic verò Leo Pontifex is est, ad quem Lupus Ferrariensis Abbas legationis munere Romam profecturus, his olim ad Marquardum Prumiensem datis literis viam ad Pontificis gratiam colligendam sterni sibi postulavit: quod etsi leve, non prætereundum tamen, in hisce publicorum etiam Annalium angustiis: *Romam*, inquit, *proficiscor, & quoniam in efficiendis rebus, Apostolici notitiâ indigebo, ea verò sine munerum intercessione iniri commodè non potest, velut ad paternum, imò ad maternum gremium ad vos confugio, supplicans, ut sicut nunquam mihi nullâ necessitate defuistis, ita nunc adesse dignemini; mihiq́, si ullo modo potestis, per præsentes nuncios, duo saga Veneti coloris, & totidem lintea, quæ* * *Glizza Germani vocant, dirigatis; quæ illi comperi carissima.* Marquardus autem biennio jam ante naturæ concesserat, Egilem presbyterum insigni religione atque doctrinâ relinquens successorem. Extant literæ Lupi Ferrariensis plurimæ ad utrumque missæ ex Senonibus, amoris ac observantiæ plenissimæ. In his, quando Suetonii Tranquilli & Josephi copiam fieri sibi rogat, Egilem salutat rerum Marquardi fidum interpretem; modò communem filium, interim dilectissimum fratrem appellitans.

Anastasius. Nicolaus Papa epist. 8. 9. Regi & alibi. Epist. 101. BENEDICTUS III. Pont. an. 2. m. 6. d. 10.

Epist. 61. Lupi Ferrariæ cum Marquardo Prumiensi necessitudo.

* à nitendo vel micando.

Leo Pontifex quo genere muneris vestiumque delectatus

Egil. Prumiens. Abbas.

CXIII. Lotharius Imperator Trevirensi in Prumia monachum induit.

Inter hæc Lotharius Imperator, cujus si ætatem superiorem revolveres, haud leves extabant injuriarum adversus parentem notæ, seu præteritorum pœnitentiâ, seu tædio rerum mortalium, & cœlestis vitæ tactus desiderio, regno se, omnique fastûs imperialis pompâ abdicare ac monasticæ devovere jam tum parabat. Quare vocatis unum in locum regni optimatibus, provincias inter filios partitus, & Luduico Italiam cum imperii insignibus, Lothario Austrasiam, quæ ab ipso Imperatore Lotharii regnum jam tum dici cœpit, & Carolo minori natu cum parte Provinciæ Burgundiam tradidit. Atque ita imperii mole labefactatâ, & in trientem concisa, imbecillius utique corpus effecit.* Firmatis deinde regni negotiis, & vale precatus suis, in Prumiense Trevericæ ditionis monasterium successit; ibique positâ comâ, & monastico ornatu sumpto, vitam deinceps agere sanctissimam aggressus est.

Regnorum nova divisio. LOTHARIUS Junior Rex LOTHARINGIÆ. 14.

CXIV. Donaria & reliquiæ Prumiensis Ecclesiæ, quas Lotharius istuc intulit.

Cæterùm cùm monasterium illud, præstantium ante reliquiarum ornamentis honestasset, tum novis ac regiis Basilicam Salvatoris donariis illustrans, opulentiâ & majestate quâdam augustiore complevit. In condendis verò reliquiis operâ duorum Archiepiscoporum, Thietgaudi Trevirensis, & Arelatensium Rutgandi usus est; ipseque apographam hanc sanctissimi thesauri, quem in Basilicam Prumiensem, regio planè animo contulerat, ejusmodi literis posterorum memoriæ mandari voluit: *Notum esse volumus, omnibus Ecclesiæ sanctæ filiis, præsentibus videlicet & futuris; obtulisse nos gubernatori nostro Domino, pro animæ nostræ salute, & cælestis patriæ adeptione, opus, quod divino cultui dicandum, propriis sumptibus ad ornatum præfati loci sancti faciendum curavimus, per succedentium curricula temporum in divinis laudibus jugiter possidendum. Evangelium scilicet ex ebore, crystallo, atque auro gemmisque compositum. Bibliothecam cum imaginibus, & majoribus characteribus in voluminum principiis deauratis. Capsam auream cum altari supposito, innitentem quatuor columnis argenteis; & aliam item capsulam modicam altari superpositam, & coronulam auream, nec non & crucem auream altari affixam, cum diversis cristegis, hinc & inde connexis, optimi generis gemmis undique decoratam; unà cum reliquiis, his nominibus infra reconditis, astantibus duobus Archiepiscopis, Thietgaudo videlicet Trevirorum Antistite, & Rutgando Arelatensium Præsule, & cunctis ejusdem cœnobii fratribus; de ligno S. Crucis; de sepulchro Domini; de loco Calvariæ; de præsepio Domini; de mensa Domini; de lapide, ubi oravit in monte Oliveti; de sudario Domini; de spongia; de vestimento S. Mariæ; manum S. Iacobi fratris Domini, cum parte brachii; caput S. Cosmæ; brachium S. Georgii martyris; brachium S. Theodori martyris absque manu; pedem S. Simeonis, qui Dominum suscepit in templo; os Zachariæ filii Barachiæ; os S. Thomæ Apostoli; pedem & brachium S. Anastasiæ virginis; caput Sisinnii martyris; pedem S. Hieronymi presbyteri; simul & brachium S. Stephani protomartyris; ossa Prophetarum; ossa Innocentium. Calicem aureum cum patenâ aureâ, in crucis modum compositum; alium item gemmatum cum cochleari aureo, gemmatoq́, & fistula nihilominus aurea cum gemmis: offertorium aureum, gemmatum cum patina. Fontem aureum cum gemmis. Pavonem auro & margaritis distinctum. Casulas duodecim....*

Thietgaudus Trevirorum & Rutgandus Arelatens. condendis reliquiis præsident.

CXV. Lotharius Imperator Prumiæ vitam reliquit.

Hæc Lotharius; qui deinde medio circiter autumno III. Kalend. Octobris decessit, & ante aram, quam ipse omnium animarum nomini consecrari jusserat, humatus est; ubi tymbus ejus hodieque tituli rarâ modestiâ venerandus conspicitur. Omnibus meritò posteris, hoc gratior futurus & admirabilior, quòd sceptri & diadematis ambitionem humilitate superavit; omnique, quam summa fortuna suggerebat, despretâ voluptate, purpuram vili mutare cucullo, & tenuem illum cultum, mundoque ridiculum, cunctis anteponere imperii gazis, in optatissimis habuit. Prumiense verò monasterium, ut sacratissimo reliquiarum thesauro; ita fundis inprimis opimis, & amplis possessionibus extulit. Sapientiæ atque ingenuarum artium studia coluit, atque ut Rhabanus observavit, ingenium ei fuit & scientiæ cupidine flagrans, & investigandi perspicaciâ luculentum. Ejus religionem Lupus Ferrariensis Abbas commendat; potestatem culminis gratissimâ Deo juxta ac hominibus pietatę hoc eum exemplo ornâsse, testatus.

Rhaba. epist. de anima.

Epist. 108.

CXVI. Cœnobita erat præclaris animi dotibus in Ferrariensi monasterio à teneris educatus; is aulæ filiquis Christi delicias posthabens, receptum intra Lotharii palatium invenerat; jamque blandior ambitionis aura longiùs à portu cuntem propulerat, cùm denique Marquardi

Epist. 105.

Prumiensis,

Prumiensis Abbatis industriâ perfectum; ut pristinas sedes repetivisse, ac monachorum cœtui rursus aggregari discuperet. Reditum igitur ovi perditæ apud Lotharium Marquardus & Egil Prumiensis confecêre: quam tam insignem conversionem Lupus ipsi Regi gratulans, his Lotharium verbis, memorabili spiritûs libertate, affatur: *Nos devotissimi famuli vestri, vel inprimis majestati vestræ gratias agimus, quia fratrem nostrum à suo proposito devium, & autoritate revocâstis, & mira dignatione, etiam intercessione, quæ vim jussionis meritò obtinet, ad nostrum collegium reduxistis. Debemus igitur vobis post Dominum ipsius correctionem, ille suam salutem. Nam quod sacra vestra rescripta significabant, ut resumpto habitu in officio condendarum Epistolarum perseveraret, nec vos decebat, & nobis consentire erat impossibile: quoniam propositum nostrum vix mediocriter intra claustra monasterii custoditur, nedum inter tumultus mundanos, à quolibet, præsertim, qui non satis cautè ambulet, valeat adimpleri.* Porrò ad Marquardum atque Egilem hujus conversionis item pertinuisse fructum, Lupus aliis etiam atque aliis literis testatur; quem, quia cœnobitis nostris degustâsse frugiferum sit, ecquid est, cur hujus etiam laboris pigeat? *Redeat itaque*, verba Lupi sunt, *securus, si ex animo est, ut optamus, conversus; quia unde Angeli ocyus ex parte spectati gaudium habent, crudele est nos non exultare, qui in multis offendimus omnes; siquidem quacunque occasione quis ad Dominum recurrat, gaudendum esse nobis, luxuriosus ille filius misericordiâ patris receptus, informat: cui apud eundem patrem non fuit egestas opprobrio, quam gratis reformata dignitas, abolevit. Studeat ergo temperantiæ; conspirationes non repetat; murmurum nec autor nec particeps existat. Seditiones nec faciat, nec foveat. Sed quietem & ipse habeat, & alios habere permittat. Ad summum juxta Dei præceptum: Declinet à malo, & faciat bonum.*

Lotharii studium in apostata cõservando.

Epist. 108.

Religiosorum & monachorum in aulis parum tuta commoratio.

Epist. 109. & 105.

Apostatæ grata conversio.

Apostasiæ causas aperit.

CXVII.

Quæ quidem à nobis sunt allata, ut in tanto rerum humanarum fastigio clariùs liqueret, Imperatorem Lotharium tot tamque in varia distractis, quas sustinebat totius Reipublicæ curis, unius animulæ salutem, quæ certè rebus omnibûs humanis antestat, haud quaquam duxisse posteriorem. Asserimus hic ceu postliminii jure ex pervetusto poëmatum Rhabani codice bibliothecæ Fuldensis, jam pridem amissum hoc Hlothario Imperatori Epitaphium, quod ipsius memoriæ inclytus Abbas is inscripsit:

EPITAPHIUM HLUDHARII IMPRIS.

Contin& hic tumulus memorandi Cæsaris ossa
Hlotharii magni Principis atque pii.
Qui Francis Italis Romanis præfuit ipsis,
Omnia sed sprevit; pauper & hinc abiit.
Nam bis tricenos Monachum sic attigit annos.
Et se mutavit; ac bene post obiit.

III. Kl. Octbr.

Qui dies signatè positus; à quo tamen Annalium Ecclesiasticorum scriptor discessit, quartum ex sua, ex aliorum quoque sententia VI. Kalend. Octobris exprimens. Parentavit illi Regino noster hoc elogio: *Lotharius dispositis atque ordinatis regni negotiis, valedicens suis, mundum reliquit; habituq; sanctæ conversationis suscepto, in religionis professione diem clausit extremum III. Kalend. Octobris.*

Anno proximo Lotharius junior Thietbergam matrimonio sibi junxit, quæ deinde res magnarum turbarum seminarium aluit. Stirpem totius caussæ paulò repetunt altiùs acta Synodi Aquisgranensis, quæ recondita hactenus latuerant in ædis Metropolitanæ bibliotheca. Anno DCCCLVII. Moguntiæ Carolus Archiepiscopus conventum agebat, ad quem Guntharii Coloniensis Antistitis literæ perlatæ, de tempestatis ingentis procella, quæ crebrâ fulminum & ignium ejaculatione Coloniam urbem mirificè terruerat. Sed Treviris quoque, multa, tristiaque conspecta prodigia, in sermonibus erat; quæ non obscura utrinque ostenta divortii Lothariani, quo ambo Præsules Thietgaudus & Guntharius, in præceps mox erant ituri. Extat Adventii Metensis Episcopi relatio fermè in hanc sententiam de Lothario Imperatore facta: *Fortissimus heros*, ait, *& perpetuus Augustus divæ recordationis Hlotharius, inter alias de regno gravissimas deliberationes suas Hlothario filio sapienter in eo prospexit, quod Waldradam nobilem illi virginem tenero adhuc & imbecillo despondit; ejus pudicitiam, sartam tectam in posterum datâ fide præstans, dotemq; gloriosissimo puerulo, centum omninò mansos, constituens. Quamdiu itaque Lothario seniori vita comes extitit in parentis munere atque voluntate filius acquiescens, puellâ, quam dixi, potitus est; idq; adeò non furtim, aut citra procerum regni conscientiam, sed palam in conspectu atque oculis omnium; id quod & pædagogi ejus testentur, nec avunculus Leutfridus ierit inficias. Porrò ad meliora jam hinc profecto Lothario, in ipso adhuc paterni luctûs squalore atque inter occupationes ipsas funebres, affuit repentè cum ejusdem consilii sodalibus suis Hubertus Acephala, sororem Teutbergam novam Regi sponsam adducens, concilian sq; additis minis, si recusaret oblatam, ipsi regnoq; pariter imminere discrimen. Atque ita quidem Rex, ut ipse testatur, eam invitus ac nolens tum certè in thalamum recepit. Nec mora, discurrit totas urbes fama; Theutbergam, fratris nefario ac incesto flagitio, pollutam.* Hæc inibi; sed, quia obliti veneno,

CXVIII. Regino. ANNUS CHR. 856. Lotharii junioris exordium malorum.

Synodus Aquisgran. in Lotharii divortio.

ANNUS CHR. 857. Annal. Fran. Trith.

Ostenta Coloniæ & Treviris.

Lotharius quo prætextu Theutbergam abjecerit.

& prorsus

& prorsus insidiosa; ad Nicolai Pótificis rescripta tanquam ad Lydium exigenda probandaque sunt. Etenim priusquam hæc disceptatio convaluit, ejus omnes latebras haud extitisse notas in vulgus, Adventius ipse pietate juxta atque eruditione spectatus, memoriæ tradidit; quippe, cui Lotharianæ causæ vindices eâdem relatione, fallaciam tulerant, quæ Thietgaudum inde nostrum, tanquam præstigiis implicatum attinuit. Porrò Adventius à Drogone institutus, amatusque, ætate jam gravi & affectâ, sedem Metensis Ecclesiæ capessere jussus erat. Unde in defensione sua de Lotharii causa, verba faciens: *Quæ jam inde ab exordio controversiæ circa Lotharium gesta, ea sermonibus*, inquit, *aliorum duntaxat, non auribus certis, non oculis acceperam. Episcopus namq; creatus necdum eram; sed in excubiis templi B. Stephani Protomartyris occupatus, ad extremum in regno domini Hlotharii senioris mei expetitus à clero, & electus à plebe, pastoralis officii curam, Deus novit, non ambiens, sed canonicè institutus excepi; & postea nimio plus dictis Archicapellani, fuit is Guntharius Coloniensis Archiepiscopus, cæterorumq; patrum assensus sum. Quare, si extitit, in quo minus cautè progressus offenderim, quid superest aliud, quàm ut ad veritatis magistrum confugiam?* Hæc Adventius ad Nicolaum Pontificem, quibus inclinamur, ut in causæ totius enarrando capite, receptis stare quidem monumentis, quàm consectari aliena, malimus.

Adventius Meten. Eps.

MS. Epist. Caroli Calvi ad Nicolaum Pont.

MS. add primariæ.

CXIX. ANNUS Chr. 858. NICOLAUS Pon. an 9. m. 6. d. 10.

Annal Franc. Pith. & ad hūc annum refert. Regino namq; diversi temporis acta in 866. conjungit.

Inter hæc Nicolaus Romæ Pontifex Benedicto sublegitur; vir cùm omni pietatis laude & doctrinâ excellens, tum Apostolicæ dignitatis sedisque vindex acerrimus.

Anni hujus exordio Lotharius Rex Prumiæ pietati, & parentis memoriæ indulsit. Istuc ad eum Hungerus Ultrajectensis Episcopus dira nuper cum clero suo à Nortmannorum irruptione perpessus, auxilii & opis implorandæ causâ, confugit. Lotharius, ut Diploma præfert, certior factus, Ecclesiam Trajectensem Barbaricâ rabie jam desolatam; Canonicos olim in ea Domino militantes, partim interemptos, partim per diversa loca dispersos; tradidit Hungero intra regni sui limitem quietum & otio aptum locum in pago Mosao super fluvium Roram; Monasterium in honore S. Petri constructum, quod Berg nuncupatur; idque ut loquitur, ob emolumentum etiam ac remedium animæ avi, & piæ memoriæ genitoris Lotharii quondam Augg. & genitricis Hermingardæ, denique pro salute sua, & regni stabilitate. Actum Prumia Monasterio. Regni anno III. Indict. VI. Christi * DCCCLVIII.

Lotharius Rex Prumiæ degit.

Hungerum Episc. Ultrajecti à Nortmânis afflictum erigit.

Wilh. Heda hist. Traject. in Hungero.

Monasterium Berg ei donat.

** Perperam typhen expressum 848.*

Florebat in Germania Boiariaque per eos dies religionis atque bellicæ laudis inclytâ famâ Rex Luduicus, Pii filius; is qui de Sclavorum effera atque indomita gente plures atque sincerissimas reportare victorias poterat, si amorem apud Carolum fratrem, apud hostes verò bellum propagare lubuisset. Ubi igitur communis Regum morbus, cupido imperii proferendi mentem animumque possedit, discordia atque seditio principum, in Caroli regno nuper exsuscitata, omnia opportunè insidianti fecêre. Et Carolus certè, malis consultis, sævitiaque devius, nobilium virorum sanguinem immodicè largiri, Ecclesiarum regnique detrimenta privatis opibus posthabere. Normannicam illuviem nimis quàm exundantem segniùs avertere. Contra optimates, quos tam insolitus terror, & acer circumsistebat, certatim in Luduici fidem confugere, atque maturam inire defectionem. Luduicus jam tripartito copias in barbaros ducturus instruxerat, & Confluentiam in Treviros venerat, Lotharium nepotem adversus Carolum sibi sociaturus. Verùm ubi id frustra fuit, & Franci supervenientes pollicitationibus, oblataque spe occidentale regnum ostentant, Luduicus animo spem complexus, ad oppugnandum Calvum armis, viris, omnique bellorum adparatu per Alsatiam in * Senones, magnis itineribus, contendit. Carolus verò conspectâ Orientalium multitudine, & procerum defectione pressus, in extremam Aquitaniam sese abdidit, quoad tempestas ea cederet. Ergo proceribus ad imperata Luduici inclinatis, Luduicus ceu compos jam voti, tranquillam possessionem adeptus, copias demum in Germaniam reducit.

CXX. Luduicus & Carolus Lotharii Imp. fratres perniciosè dissident.

Caroli Calvi insolentia.

Luduicus Germaniæ Rex Franciam Occidentalem invadit.

** Perperam Reginonis exemplaria Rhenenses.*

CXXI. ANNUS Chr. 859.

Sed profectò ita est: Non durat, neque radices agit, nisi lenta & bonis artibus quæsita felicitas. Ubi enim apud proceres extorres prioris statûs desiderium, & patriæ cujusque modi retinendæ amor, præsentis beneficii memoriam expulit; Luduicus repentè destitutus, & expeditionis universæ fructum perdidit, & expetiti conservandi regni spe lapsus est. Quare & Wor[matiæ] cœtu procerum convocato, malè consulta actaque resarcire, & fratris Caroli & Lotharii nepotis animos sibi reconciliare, obnixè studuit. Quin & proceres æquali numero utrinque delecti, qui apud Antonnacum in insula Rheni de pace disceptarent; sed titubante causâ, Basileæ novo conventui dicta dies. Extat commonitorium, quo Præsules Galliarum observo Legatos misisse Wormatiam, qui Luduicum ad irruptionis injuriæque Franciæ nuper illatæ pœnitentiam exstimularent. In quibus & Adventius fuit Mediomatricum Episcopus.

Luduicus victor à Francis deseritur.

Carolus interim, ex tam ingenti summæ rerum amittendæ periculo respirans, ilico in Trevirorum diœcesi affuit; atque Guenilonem Senonum Archiepiscopum, quem inter conjuratos prævalidum expertus erat, ad causam postulavit dicendam. Nec mora, Episcopis duodecim provinciarum in unum convocatis, hoc eodem anno Synodus * Tullensis apud urbem Leucorum congregata, præter alia religionis capita Guenilonis causam discussit; quem, oblato libello, proditionis, perfidiæ, & læsæ majestatis accusabat Carolus. Synodus hæc ex Galliæ Germaniæque Episcopis in suburbano Tullensi, villa * Saponaria coierat, universalis nomen ferens: cui & Thietgaudus affuit cum Arnulpho Tullensi, & Adventio Metensi Episcopis suffraganeis. Hatto autem Virdunensis, cur subscriptorum exemptus numero, causam arbitror, quòd reus in hac Synodo factus sit. Nam Capite octavo Synodi, mota est etiam quæstio, de Hattone Virdunensium Episcopo, quod oblatione regulari (unde petitio ibidem est præsentata) in monasterio S. Germani Antisiodorensium

CXXII. *Annal Franc. Pith. edit. Papir. annal. Francor. ex bibliotheca Bobacensi.*

Acta Synodi Tullen. *apud Baron. hoc in anno.*

Syn. Tull & Metensis in Guenilonis Archiepisc. Senonum causa.

** Scarponaria Scarpona in itiner.*

Thietgaudus cū suis Suffraganeis interest Syn. Tullensi.

Hatto Virdunensis Episcop accusatur.

extiterit,

Papir. Masson in Car. M.

extiterit; & contra regulas Ecclesiasticas inde discedens, minus provisè quàm sacra autoritas doceat, ad ordinem Episcopalem pervenerit. Fertur & Guenilonis lis eadem instaurata, Metim venientibus Episcopis. Sed quis tandem, præter insaniæ decus, judiciorum exitus sit consecutus, silentium agentibus antiquis, haud facilè tradiderim. Hæc interim premenda non fuêre, quia ad regnum Lothariense & Episcopos provinciales, pertinebant.

CXXIII. ANNUS CHR. 860. Confluentinus celeberrimus trium Regum & Episcoporũ conventus.

Annus Christi octingentesimus & sexagesimus jam processerat; quando Confluentium oppidum in Treviris supra omnem retrò memoriam, percelebri trium Regum conventu, Caroli & Luduici fratrum, & Lotharii nepotis; & Synodo pariter Episcoporum sese extulit. Quippe in Basilica recens exstructa S. Castoris quinque Regum animi tanquam in templo gremioque pacis conglutinati, tum invicem sibi, tum laboranti Reipublicæ saluberrimis scriptis latisque legibus consultum ierunt. Luduicum Italiæ, Carolum provinciæ Reges, hoc etiam fœdere comprehensos, formula juramenti à Luduico patruo Germaniæ Rege præstiti, luculentè demonstrat. Porrò comitiorum acta, assertoribus Antonio Augustino, & Mureto viris excellentissimis, Cæsar Baronius ab oblivione vindicavit. Ingressus actorum: *Hæc sunt nomina Episcoporum, qui anno incarnationis Dominicæ octingentesimo sexagesimo, Nonis Iunii in secretario Basilicæ S. Castoris consideraverunt cum nobilibus laicis firmitatem, quam gloriosissimi Reges nostri Luduicus, Carolus atque Lotharius inter se fecerunt, octavo Idus Junii in eodem monasterio; & qui hæc capitula ab omnibus observanda acceptarunt.* Cæterùm Thietgaudus abfuisse videtur; ex suffraganeis nominantur Adventius Metensis & Hatto Virdunensis: primas tenuêre Hincmarus Remorum & * Guntharius Coloniensium Archiepiscopi.

Basilica S. Castoris. Cõstitutionis Cõfluentinę censurã *vide in Apolog. lat. Gretseri pro Baron. c. 12.*

* Iuntherius.

CXXIV. Lingua Francigenarum Romana cotidicta.

Increbuit valde tunc quidem discrimen hujus Francicæ linguæ, quam Galliæ nunc usurpant, & Teutonicæ, quâ utitur Germania; illam nuncupare Romanam, hanc Theotiscam, mos fuit. Utràque promiscuè locuti Reges. Sed Luduicus Rex, Germaniæ plurimum nativâ.

Ecclesiarũ & Ecclesiasticorum defensio. *Mundbar* Germ significat defensionem, tuitionem seu protectionẽ. * *Mundeburdium. Mundeburden*

Ex iis, quæ hic apud Confluentem Luduicus Rex linguâ Theotiscâ annunciavit, duo capita promimus: *Volumus ut Ecclesiæ & casæ Dei, ut Episcopi & Dei homines, clerici & monachi, & nonnæ, tale * Mandeburdium & honorem habeant, sicut tempore nostrorum antecessorum habuerunt...... Sed de istis rapinis, & deprædationibus, quas jam quasi pro lege multi per consuetudinem tenent, ab hoc die & deinceps de Dei banno, & nostro bannimus, ut nemo hoc ampliùs præsumat; sed unusquisque intra patriam cum pace & sine oppressione pauperum, & circummanentium consistat, & in hostem, & ad placitum, sed ad curtem veniens de suo * Sicuvarintes, & de domo sua moveat, ut cum pace venire, & nobiscum stare, & ad domum suam redire possit.*

Rapinarum inhibitio. * *Sicmarintes* accipit nonnemo, pro rerum proprietate. i. propria substantia. Forè idem, quod suo periculo: *Sin gevar. Annales editi à Pithœo.*

Porrò nobilis hujus conventus & Annales Francorum meminère, formulamque fœderis exprimunt à Regibus icti, & locum in Confluente castello; ubi hodieque veneranda S. Castoris Basilica, cum monasterio Canonicorum conspicitur. Mihi verò aciem mentis in præteritum hujus regni turbatioris statum, & Thietgaudi absentiam intendenti, obtulit se caput eximium Juris sacratioris, in quo Nicolaus Papa, cujus tempus Pontificatûs occupat Thietgaudus, tristem memorat Ecclesiæ Trevericæ casum; nempe civilium bellorum, an prædonum injuriâ, captum Archiepiscopum & Præpositum cum clero; & hostibus jure jurando fide datâ, deditos factosque obnoxios. Veruntamen jusjurandum metu extortum Pontificem decreto suo sustulisse, Archiepiscopum clerumque in integrum restituisse, pro honorifico accipimus. Caput decreti jure canonico sancitum hoc legitur:

Thietgaudus cũ Præposito & clero Trevirẽsi captivus factus.

NICOLAUS PAPA
EPISCOPIS GALLIÆ.

15. q. 6. c. 2.

AUctoritatem venerabilium prædecessorum nostrorum secuti, & nominatim beatissimi Papæ & martyris Alexandri quinti à B. Petro, ab omnibus juramentis, & cujuscunque modi obligationibus, quibus illi sese coacti, violentia impiorum obligaverunt, absolvimus; & ne illa serventur, vetuimus, tam præfatum Archiepiscopum Trevirensem, quàm ejus Præpositum, & omnes, qui tunc temporis capti, se illis quoquo modo obligaverunt, neque ullam eos proinde infamiam, aut calumniam, aut à suis bonis sequestrationem unquam, autore Deo & sanctis Apostolis, & nostris prædecessoribus sustinere, permittimus; sicut per Prophetam Dominus dicit: Dissolve colligationes impietatis. Quin etiam præfato fratri nostro, filiisq; Trevirensis Ecclesiæ, illiusq; defensoribus hæc in mandatis damus, ut spirituali simul & materiali gladio tam diu malignos illos, illorumq; fautores insequantur, quousque cum integritate possessiones, vel quæcunque res Ecclesiasticæ, hoc facto, vel quocunque pacto distractæ, seu direptæ sunt, revocentur.

Trevirens. Archiepiscopum & Clerum absolvit Nicolaus Papa à juramento.

Hortatur ad defensionem Ecclesiæ defensores Trevir.

CXXV. Egil Prumiensis Abbas se abdicat. *Regino. Lupus Ferrar. Trithem. in Chro. Hirs.*

Egil item Prumiensis cœnobii Abbas, magistratu posito in ordinem, tunc ultrò se ipse redegit, & Ansbaldo procurationem ejus muneris cessit. Ansbaldus autem præstans sanè vir fuit sanctitatis & virtutis gloriâ; extantque Lupi Ferrariensis, qui ipsis his annis maximè floruit, ad eum Epistolæ. Multos quin etiam illum memorant & salutaribus vitæ præceptis & exemplo disciplinæ à corporis atque humanarum rerum contagio sevocatos, ad cœlestium amorem traduxisse.

Lotharius junior ex ignavia defluit ad libidines.

Lotharius per eos dies, artium belli rudis in regno suo deses, & otio plus æquo marcidus, corporis veternum contraxit; eâ re in segnitiem denique ac libidinem prolapsus, fœdis mulierum amoribus turpiter sese dedidit; atque ob eam labem non Lotharingiæ modò regnum, sed universam pœnè Occidentis Ecclesiam insigni perturbatione ac tumultu involvit: unde Trevirorum etiam Episcopatus, non nisi amisso Rectore, & magnâ religionis factâ jacturâ, eximere se potuit.

CXXVI. Waldrada Lotharii scortum. *Anastasius in Nicolao, Regino & Sigebert. acta Synod. Aquis.*

Gunthario Coloniensi Archiepiscopo neptis fuit Waldrada; huic cuncta alia erant præter honestum animum: quare & Lotharius adolescens amore incautus, efflictim eam deperierat; atque ejus consuetudine licentius

gaudebat, quàm aut pudicitia, aut honestas permitterent. Porrò uxorem adeptus justo matrimonio, postquam in hanc velatis adolescentiæ malis amorem transfudit, sopito quidem ad tempus igne, sed mox præsentis connubii subeunte tædio, revolutus ad memoriam Waldradæ, vehementiùs appetere cœpit illicita, & absentem magis magisque ut fit in amoribus, desiderare. Itaque consilio apud animum explicito, primùm per nuntios, Guntharium Agrippinensem Pontificem tentat promissis; rogat, & etiam orat, ut rescindere Thietbergæ nuptias, probare repudium velit: quod, ubi minùs ex voto procedit, mox ipse aggredi Antistitem, & flagrantior jam in dies amore Waldradæ, quàcunque potest, ejus vertare animum; honestis nominibus flagitium velare, nepti matrimonium polliceri tandem stabile, efficere si possit consensu atque autoritate Episcoporum, id ratum & legitimum ut divortium censeatur. Ergò Guntharius causâ susceptâ, seu captus promissorum illecebris, seu, quid minùs rectè in matrimoniorum controversia, prospiciens, gratiâ, studio, denique omnibus modis pro Regis scelere & flagitio, quasi pro salutari negotio, niti. Neque quòd dolo circumventus, jam ipse rueret, id satis habere, nisi propellere in idem præcipitium reliquos unà secum maturaret. Nam, etsi Metropolitanus, & sacrorum toto regno summus præfectus cum suffraganeis videri posset ad ea, quæ Lotharius volebat, efficienda satis valere; tamen in eam rem fore credidit Thietgaudum Trevirorum ad confirmandas vires suas, & addendam majorem partibus autoritatem, in eandem pertrahere sententiam. Eum verò, cùm simplicitate incautum, & ingenio præditum minimè callido; ad hæc patrum scita, literarumque sacrarum sententiam parùm compertam habere nosset, spes erat haud difficulter, quò traheret cessurum. Adductum igitur tandem in colloquium, prolatis ex utroque testamento, quibusdam in speciem testimoniis, iisque in pravum sensum, suo judicio detortis, facili negotio, quò voluit improvidum disceptando perpulit; cùm præsertim & Waldradam neptem suam antea Lothario desponsam, & Thietbergam fratris incesto pollutam, pro integra & illibata Regi quidem invito olim obtrusam, speciosè magis quàm verè contenderet.

Guntharius Agrippin. à Lothario ad repudium probandum cogitur.

Dedit se Lotharii improbo consilio.

Trahit in causam Suffraganeos.

Thietgaudũ Archiepisc. Trevirẽsem simplicitate incautum subvertit.

CXXVII. ANNUS Chr. 862.

Aquensis Synodus postponenda.

Anno inde supra octingentesimum sexagesimo secundo, Indictione decimâ, quâ Lotharius Maguntiaci cum Luduico patruo congressus est, in causa Lotharii, ferunt Aquisgrani apertam primùm Synodum, quâ divortii conflictatio cœpit. Verùm indictionum & annorum notis non usquequaque exploratis, Metensem cœtum Aquensi cum Regione prætulimus, cùm hujus præsertim acta, Episcoporum alicubi judicium sententiamque præcessisse testentur; & Synodus Mediomatricum, temerè quoque in Annalium Francorum seriem, conjecta videatur. Porrò utriusque Synodi & divortii Lothariani monumenta, nos olim per illustrissimi sacerdotis Cæsaris Baronii manus, in Ecclesiæ Christi gazophylacium obtulimus; eâque re Trevirensi nomini, famæque non solùm historiæ publicæ consultum voluimus. Apud Mediomatricos ergò convenientibus in unum Episcopis, Thietberga Lotharii conjux postulata, ceu rea incestûs, ex præscripto canonum deduci jubetur, seque sistere palam concilio: quæ dictura causam, cùm ab testibus occultâ fraude subornatis, ita premeretur, ut interclusa videretur innocentiæ defensio; quin impositis aliis atque aliis criminibus, graviùs accusatorum vi conflictaretur, impar denique tantis calumniis, ceu convicta, adversariis ultrò cessisse visa est. Quare mox, pronunciatis sanctorum Patrum super incestu decretis, non justo solùm matrimonio depulsa, verùm interdicto cujusquam in posterum mariti thalamo; piaculum insuper pro delicti magnitudine accepit. Interfuisse huic cœtui Nicolai Pontificis Legatos, vult scriptor Francicorum Annalium. Cæterùm hæc primò ruentis Lotharii pestis, & omnium illi calamitatum initium fuit.

Metẽse conventiculum quod Annales Franc. referũt ad an. 863. Thietberga Episcoporũ sententia Lotharii connubio exturbata.

CXXVIII. *Regino hæc ad an. 864. sed rectè illo, sicut & Annales Franc. plurium annorum res gestas, quod alibi errorem objicit.*

Porrò Aquisgranensis conciliabuli similis propè exitus; cui affuêre Guntharius Agrippinensium, & Thietgaudus Trevirorum Archiepiscopi, Adventius Mediomatricorum, Hatto Virdunensis, Arnulphus Tullensis, Franco Tungrensis, Rhatholphus Argentinensis, & Ungarius Trajectensis Episcopi. Promi hìc sententias, ac de alia uxore inducenda, referri postulavit Lotharius; progressusque in medium, libellum protulit; quo permolestè se ferre ostendebat, quòd artibus hominum quorundam improborum adductus, suetâ conjuge fraudatus esset; quam ipse tamen nî gravibus illis atque omnium Episcoporum voluntate comprobatis judiciis confossa foret, recipere in thori communionem sit paratus. At in hoc se quasi flexu viridis ætatis, sine matrimonii adminiculis incentiva libidinum perferre non posse: quamobrem, ut quod è re videatur, ipsi decernant, vehementer se cupere. Explorato Regis animo, Guntharius & Thietgaudus; cæterique, qui aderant, Episcopi; multa iterum de incestis matrimoniis agitare, atque in omnem partem discutere; donec ex Ilerdensis Concilii capite quarto, & Pseudambrosii commento in Epistolam Pauli ad Corinthios, objecto insigni errore, consensu omnium alterius ducendæ uxoris gratia facta, ad hunc modum decernunt: *Credimus Thietbergam non fuisse idoneam ac legitimam conjugem; neque adeò præparatam esse uxorem, quæ publicâ confessione incestuoso fornicationis crimine notata probetur. Quocirca glorioso Principi nostro, pro sua in divino cultu devotissima assertione, atque victoriosissima regni defensione, cui non solùm nos, verùm etiam canonica autoritas interdixit incestuosum conjugium, legitimum matrimonium à Deo illi concessum non denegamus, juxta indulgentiam dicentis Apostoli: Melius est nubere quàm uri.*

Synodus Aquisgranensis item surreptitia, quâ postulanti, uxorem aliam, Lothario conceditur.

Aquisgranensis Synodi errores quemadmodum defensi.

CXXIX.

Novis igitur atque flagitiosis hisce nuptiis ita speciosè conciliatis, nullâ interpositâ morâ, Lotharius prostratæ pudicitiæ nympham, Waldradam sibi copulat; jamque in publico stipata multitudinis obsequio visitur adultera; jam Regina salutatur gestiente lætitiâ, & acclamante universâ aulicorum turbâ. Sed ut mox pœnitendi amoris ludibria agnosceres, simul

Waldrada Lothario jungitur.

simul in uxoris justæ thalamum assumpta pellex, flagitii pœnitentia subiit; & Nicolao procul è Petri Cathedra fulminante, & Thietbergæ propinquis in arma coortis, & fratribus pro sororis fama atque dignitate acriter nitentibus, Lotharius ceu Waldradæ satur, eam missam fecit, & ad avunculum relegatam, magno dedecore & risu vulgi, contubernio simul ac palatio expulit. Atque ita Thietbergam, & Episcoporum judicio & præsidiis canonum sanctionumque ritè purgatam, revocavit.

Illa mox repudiata Thietberga revocatur.

Sed majorem Waldrada illecebram habebat, quàm, quæ modicis hisce remediis confideret. Nec Lotharium, amoris insitâ vecordiâ, repetere eam puduit; ut matrimonium hoc turpius contraxerit an dimiserit, in incerto foret. Nec minus Thietbergæ fratres repudium sororis, quàm antelatam ei Waldradam anxiè cum animis trahebant. Quare hæc ipsa, ut ex omni parte fœda atque aspera evenerant, pravóque in publicum exemplo, ad Nicolaum Pontificem non semel referunt, jusque sibi ac sorori in caussa, quæ ad ejus sine dubio judicium pertineat, deposcunt.

CXXX. Nicolaus Pontifex à Thietbergæ parentibus causæ judex deposcitur.

Nicolaus, cùm tantam in rebus sacris animadvertit gliscere licentiam, & Ecclesiasticas sanctiones ab Episcopis præsertim, tam temerè proteri, continuò chartis missis, in Lothariense regnum dentatis, & apostolicâ severitate plenis, Antistitum hinc imperitiam, inde insolentiam castigavit; rem tamen à personis & facti controversia, ad generis universi quæstionem revocans. Inde verò, ubi Episcopos in consiliis amplectendis suis, & Lothario castigando, segni & omisso, at in placitis atque decretis olim à se retinendis obstinato esse animo sensit, tum demum pandere cœpit autoritatis omnes sinus, & passis in eorum contumaciam velis invehi. Legitur jam Lothariensium Episcoporum, & ipsius Lotharii in ipso caussæ primo conflictu defensio ad Nicolaum missa, in qua graviter & acerbè queruntur de improbitate, & calumniis delatorum Episcopi; negantque Thietbergam posse in numero esse legitimæ uxoris, quæ incesto se flagitioso temeraverit.

Nicolai Pôtificis animus in Episcoporum castiganda imperitia.

MS. adis primaria TR tom. 3 Epist. Pontif. decret.

CXXXI. ANNUS CHR. 863. Normanni inter hæc Lotharingiæ regnû infestant.

Medio tempore, dum literis his ultrò citróque commeantibus, divortii caussa variè jactatur; Normanni subitis procursibus in continentem Belgicæ sese inferentes, magnam Lotharingicis agris pecorum hominumque vastitatem afferebant; extantque in antiquis Ecclesiæ Trevericæ monumentis, Hluduici & Hlotharii ad Nicolaum Pontificem datæ literæ; quibus operam suam quam strenuam in paganorum reprimendis incursionibus tum ponebant, Pontifici probare student. Nos enim, inquiunt, pro nobis omnipotentis Dei victrici dextrâ pugnante, sopitis per omnia in regnis nostris paganorum infestationibus, in vestris obsequiis & utilitatibus paratissimi existere desideramus. Inde sibi reique toti Christianæ mirabiliter gratulantur, quibus tantus, tamque vigilanti curâ pastor contigerit: optantque adeò præsentes eum amplexari, & Christianorum Principum ritu, verba sunt epistolæ, ad ejus sacra provolvi vestigia: addunt acrem reprehensionem eorum, quos semina discordiarum spargere, & regni statum perturbare injustis accusationibus, non veritum esset. Orant itaque & obtestantur Nicolaum, ut decessorum exemplo, in Galliam ipse descendere, & tanquam è machina, rebus adesse turbidis velit. nam oportet, inquiunt, vestræ autoritatis jubar propter generalem solicitudinem nostros invisere fines, ut quos nulla movent pacis fœdera, nulla fraternæ caritatis viscera, nulla nectunt consanguinitatis lineamenta, Apostolica invectio ad censuram Ecclesiasticam venire compellat.

ANNUS CHR. 864. Luduici & Lotharii erga Nicolaum Pont. studium & observătia. Normannorum clades.

Quærere hîc ab Apostolicæ sedis obtrectatoribus juvet, quibus Nicolai imperiis, cui armorum potentiæ, quibus opibus hoc à Regibus datum est, ut rerum, adeoque regnorum illi suorum arbitria submitterent? Utique sceptra hic cessere Petri clavibus. CXXXII.

Nicolaus verò, ut Pontifex ille fuit non innocentiæ magis, quàm sapientiæ gloriâ clarus, non in verbis rem verti, magnificisque promissis, sed in acri cœpta consilia ad ultimum prosequendi contentione ratus, diligentiùs etiam in causæ perscrutanda natura deinceps versari, atque industriam suam in omnem explicare partem, instituit. Legatos itaque duos in Franciam mittit, qui omnia uti essent acta, intentiore curâ exquirerent; cognitaque & perspecta sibi renunciarent. Hi fuere Rodoaldus Portuensis & Joannes Fidiculensis, quos Regino prodit, largitione magis, quàm caussâ fretos, mitiora in Lotharium consuluisse; siquidem expositis mandatis, postquam facti rationem ab Rege postularunt, Rex totius regni procerum convocato cœtu, pauca præsenti consilio opportuna locutus, omnem invidiam criminis in Episcopos derivat; se unum id modò hac in omni re secutum dictitans, quod generali Synodo Antistites faciundum præscripsissent. Quo responso accepto, Legati, postquam consuluêre, ut Episcopos, qui eos conventus coëgissent, Romam ire ad reddendam rationem Pontifici Lotharius mandaret; ipsi largitione profusâ divites, in urbem regressi sunt.

Apostolici Legati in Franciam ad Lotharii causam discutiendam missi. Indictione 14.

Acta MS. de divortio Lotharii. Lotharius à se culpam transfert in Episcopos.

Porrò Joannes Romam reversus ad Nicolaum, inter alia, quæ de Galliarum statu apud Pontificem exposuit, illud etiam valde questus est, neminem sapientem se invenisse in Lotharii regno Episcopum, vel probè canonicis disciplinis instructum. At Nicolaus, compertâ Legatorum fraude, maloque dolo, severiùs jam ulcus Lotharii contrectans, & dolorem expressit ejus ægroto animo, & literis cum eo graviter expostulavit, cur unà secum in fraudem legatos pellexisset: *Missos autem nostros, fili, quo modo,* inquit, *tractasti? aut in adventu eorum, quonam pacto B. Petri reverentiam, à cujus sede profecti fuerant, in oculis habuisti? quando argumentando, nitendoq; priores tua favere caussæ compulisti, quàm asserere nostram; ut mandata sibi legationis non jam exsecutores invenerim, sed impugnatores. Non ii sanè quidem benè à te tractati, quos in prævaricationis tute barathrum demersisti.* Hactenus Nicolaus Pontifex, cum denuntiatione etiam anathematis, nî illiciti amoris vestigia atque notas obrueret, & funditus ejiceret universas.

CXXXIII.

MS. Trev. Nicolai Pôtif. expostulatio cum Lothario ob Legatos deceptos.

CXXXIV.

Lotharii blanditiæ ad Nicolaũ Pontificem demulcendum.

Excommunicationis etiã minas Lotharius metuit.

Lotharius adhæc commotior cum stomacho; legatos eo se honore, quo par, excepisse; quin longè infra regiæ dignitatis fastigium præter majorum consuetudinem, eorum nutu se descendisse. Inde ad delatorum commemorandas provolutus injurias: *Admodum*, inquit, *Remp. nostram toties repetita perturbat calumnia; & dum regni fines paganorum agmina conterendo, pugnante pro nobis Christi dexterâ, sunt prolatandi, Accidit scilicet horum fraude, ut pro exiguo & nullius usus negotio, insanabile vulnus accipiat res Christiana.* Posthæc ad anathematis mentionem trepidans. *Almifluo Apostolatui vestrô jam dudum scripsimus, quod, quasi de paradisiaco sacratissimi vestri pectoris fonte salutis nostræ pocula haurire certè optaremus. Sed ut verè fateamur, non modicè purum in vestra fidelitate defixum nostri cordis intuitum, & humanæ conditionis aciem retundit atq; obnubilat, quod fulgureo vestri Pontificatus jubare, nos non solùm illustrari, sed crebro quoque terreri placuit. Unde attonita nostra mansuetudo, etsi monita præceptaq; salutis hausit avidissimè; fulminis tamen radios tam corusci ferre vix potuit.*

CXXXV.

ANNUS CHR. 865.

Arsenius Apocrisari' inFranciam à Nicolao Pontif. mittitur Thietgaudus & Guntharius Romæ causam dicunt.

Nicolaus autem unam in pectore atque oculis gerens Ecclesiæ Romanæ dignitatem, non Lotharii blandimentis, non malis consultis, terrorique cedens, & adversus prohibitum lege conjugium semper acriùs insurgens, denique quod pro Christi gloria inchoârat opus, perpetrandum sumpsit: quare citiùs etiam fecit, ut Arsenium Apocrisarium cum amplissima potestate, ad solvendum injustum, inter Lotharium & Waldradam matrimonium in Franciam legaret.

Interea Thietgaudus & Guntharius Archiepiscopi cum suffraganeis Romam advenêre, de conciliis ac decretis satisfacturi; ac Regis simul probaturi innocentiam; ignari miseri, quantam ipsi sibi perniciem hâc cõfidentiâ struerent. In Pontificis itaque conspectum adducti, ubi conventus Metensis atque Aquensis acta protulerunt, atque eadem notarius coram universa multitudine recitare clarâ voce jussus; interrogat Pontifex, cunctanè quæ lecta fuissent, ipsi probarent? cui, cùm neque rectè, neque ordine facturos se respondissent, si quod manibus ipsi ac subscriptione roborâssent, verbis infirmarent, in præsentia quidem ad hospitia quisque sua dimissi sunt. Re inde inter Episcopos, Lateranensi conventu, legitimè disceptatâ, ubi liquere cœpit, Lotharium iniquâ prævaricatione absolutum, & Thadone Mediolanensi Archiepiscopo caussam dicente, Engiltrudem * Busonis uxorem abstentam, quia Waldradæ adversus Thietbergam affuerat, injustè item ab iis declaratam innocentem, denique multifariam canonicas sanctiones, & æquitatis regulam violatas, iterum adesse conventui jussi; atque ibi tum, cum actis suis, Pontificis atque omnium Episcoporum judicio damnati, & sacerdotii functionibus ambo exuti sunt.

MS. Trevir.

Lateranensis Synodus in causa divortii.

* Bosonis. *h Comes ex Thietberga sorore in Valrensi pago Dux tandem Ticinensis.*

Damnantur à Nicolao publica Episcoporum Synodo.

CXXXVI.

Porrò sententia, conceptis verbis parte secundâ decreti legitur, ubi Nicolaus * Thietgaudum Trevirensem & Primatem Belgicæ Provinciæ, & Guntharium Coloniæ Agrippinæ Archiepiscopos, se coram & sancta Synodo, quæ diximus, confessos, Sancti Spiritûs judicio, & B. Petri autoritate pronuntiare, Episcopatûs exutos regimine definit: licentiam porrò concedere Ecclesiam ingrediendi, & communicandi sicut laici, loquendique suas utilitates, amotâ tamen scandalum seu sollicitandi, seu concitandi facultate. Hâc sententiâ tam acri & severâ confixi, omni jam spe recuperandæ pristinæ dignitatis incisâ, quod unicum supererat malis remedium, Luduicum Imperatorem tum Beneventi commorantem adeunt; ac de Pontificii decreti iniquitate graviter cum eo expostulant, non sibi modò, verùm universæ per terrarum orbem Ecclesiæ, ipsique adeò Imperatori insignem fieri injuriam; ubi enim fando auditum usquam, cognitúmve literis, Metropolitanum insciente Imperatore, Metropolitis absentibus, sacerdotio pulsum, atque omni Ecclesiasticâ dignitate spoliatum? Ad hæc in Pontificem congerere maledicta, atque sacrosanctam ejus autoritatem proscindere contumeliis, nulla jam abstentis erat religio; denique Luduicum, opem auxiliúmque poscunt, obtenturos se arbitrati, ut rescissâ damnationis sententiâ, restituerentur. Sed id frustra fuit, Luduico, quamvis enixè partibus opitularetur, haud quidquam tamen proficiente.

Teutgaudum prævidemus, Grat. causa 11. q. 3. c. 10.

Nicolai sententia.

Damnatorum querelæ apud Luduic. Imp.

CXXXVII.

ANNUS CHR. 866.

Regino refert. pro Nicolai MS. Indict. XV.

Thietgaudi modestia.

Guntharii insolentia.

Sequenti igitur anno, cùm in Franciam Episcopi, injustâ damnationis notâ reversi, Thietgaudus, ut leni & tranquillo vir erat ingenio, religione tactus summi sacerdotis, sacrorum nihil attigit, & privata modò officia obiens, laicâ communione contentus egit. Guntharius verò, præcipuus turbator & architectus malorum, cùm nihil sancti habet, violatâ semel summi Pontificis majestate, irâ pariter in superbiam versâ, sacris de more operari, impudenter se in officia divina ingerere, nullâ reverentiâ numinis institit. Atque ita toto quadriennio, utraque Ecclesia legitimo pastore orbata, facie fuit miserabili fœdâque.

CXXXVIII.

Lotharii literæ de Episcoporum damnatione.

E tenebris erutæ nobis sunt literæ ad Nicolaum Pontificem ante reditum Episcoporum ex Italia perscriptæ à Lothario; quibus dolenter eum se ferre casum testatur; atque ejus hæc admodum oratio est: *Nos in ultimis penè regni nostri finibus degentes, & in perpetuis adversus paganorum infestas populationes constituti vigiliis, discurrentium famâ nuntiorum comperimus, Thietgaudum Trevirensem & Guntharium Agrippinensem, autoritate jussuq; vestro excommunicatos; & oris proprii testimonio canonicè damnatos; quod certè nuncium, non sine gravi quidem mærore nostro accipientes, statuimus sic apud animum, eum casum patienter, & æquo animo ferre; atque ubi piè retractaverint & expiârint omnia, misericordia tandem locum à vestra largitate præstolari. Accidit interea ad aures nostras Guntharium divina mysteria priusquam ab nos accessit, ausum fuisse contingere; & chrismate confecto Episcopali Spiritum paraclitum tradere; quod factum ejus, nos certè ut probare non possumus, ita modis omnibus ceu mortiferum venenum detestamur. Ubi porrò propiùs ipse accesserit, omni ejus consuetudine & sacrorum usurpatione nos abstinebimus. Cæterùm de Thietgaudo, vestra paternitas id persuasum & certum habeat, virum eum esse simplicissimum juxta atque innocentissimum; qui cùm animi magnâ*

Guntharius jam abstentus Chrisma conficit, & & Spiritum paraclitum tradit. i. ordinat presbyteros, &c.

Thietgaudi encomium.

submissione

Lotharii de Pontificis summi auctoritate judicium. *Annal. Franc. Regino.* Nicolai Pôtif. decretũ super vacatione Terv. & Colon. Eccles. * *5. par. c. 157.*

submissione flet humiliter vestræ censuræ decretis, nusquam sacri quidquam contingere præsumit; ita ut lubens etiam in oculis hominum, hanc qualemcunque ferre malit notam dedecoris; quàm jussis summi pastoris refragando, ab illius membris secerni, qui caput est humilium Dominus noster Christus.

Huc pertinere Decretum quoque Nicolai videtur ab * Ivone citatum, inscriptumque Lothario Regi: *Quia relatum est nobis, quòd quicunque ad Episcopatum in regno tuo promovendus est, non nisi faventem tibi permittas eligi, icirco Apostolicâ autoritate sub divini judicii obtestatione injungimus tibi, ut in Trevirensi urbe & in Agrippina Colonia, nullum eligi patiaris, antequam relatum super hoc nostro fiat Apostolatui.*

CXXXIX. Arsenius Legatus Lotharii causam urget.

Porrò Arsenius, quem legatum supra in Franciam iisse docuimus, hoc etiam tempore uti traditâ sibi potestate, & Lothario dira intentare cœpit. Operæ pretium Adventii Metensis Episcopi præclarum de Arsenio factum judicium memoriæ mandare: nam in quadam ad Nicolaum Pontificem epistola: *Arsenium,* inquit, *reverendissimum ac sanctissimum Episcopum, Apocrisarium atque fidelissimum consiliarium, à vestro sancto latere Legatum excepimus, & quasi angelum Dei gratanter atque inhianter amplexati sumus, ac pro parte desiderabilis visionis vestræ, illo uti decrevimus.* Is itaque hâc regni Lotharii Antistitum, qui sani adhuc benevolentiâ & obsequio vallatus, Regis ægroto animo remedium admovit, tulitque frequenti Episcoporum concilio, hanc illi conditionem, ut vel exactâ pellice, Thietbergam in matrimonii societatem reciperet; idque datâ sacramento fide ratum in perpetuum efficeret, vel vibratum à se & Nicolai lacertis, viribusque tortum anathematis spiculum mox exciperet. Inde Waldradæ imperatum, ut Romam ad caussam dicendam ipsa contenderet. Utrumque à Lothario & Waldrada prætermissum est. Ille namque, profecto ex Francia Arsenio, instigante Waldradâ, iterum Thietbergam adulterii crimine obruit, seque caussam eam singulari certamine, missis utrinque in arenam gladiatoribus, quos illi campiones dicebant, manifestam facturum, & si Thietbergæ pars victa cessisset, vitâ eam spoliaturum ostendit. Thietberga in has angustias compulsa, ubi nulla aliunde spes sese ostendit, ad Carolum Calvum Regem Franciæ, Lotharii patruum, confugit.

Thietberga in Caroli Calvi gratia perfugium quærit.

CXL. Duelli improbatio.

Quâ re compertâ, Pontifex Nicolaus literas ad Carolum dat, eum monens ab injuria vique Thietbergam protegat; quam neque illatam adulterii crimen injustè læderet, neque singulari certamine provocare fas esset. Singulare certamen in criminis quæstione, nullâ divinâ lege probari; qui id tentarent, Deum ipsum videri tentare. Inde Purificationis festo die gloriosæ matris, Waldradam, ut monitis suis refragantem piorum è cœtu motam pronuntiavit: Lothario verò per literas errorem, in quo versaretur, ostendit; admonens eum, ut ab Waldradæ, tanquam extra communionem positæ, thalamo procul abesse, & Thietbergæ, tanquam justæ uxori hærere vellet, verbis ejusmodi denique epistolam claudens. *Cæterùm præcave, ne quando nos secundùm Domini præceptum duos aut tres testes adhibeamus, imò verò, ne hoc Ecclesiæ sanctæ dicamus, & quod non optamus, de cætero fias, sicut ethnicus & publicanus.*

Waldrada excommunicatur.

CXLI. Adventii Metensis prudentia & reditus ad gratiam.

Porro in hac tanta Regis & sacerdotum caussæ perturbatione, Adventius Mediomatricum Episcopus, etsi vir jam fessus ævo, & assiduo podagræ cruciatu pœnè confectus, Ecclesiæ suæ res sapienter tamen moderatus est, & Pontificis oratoribus, vel fautor inter primos affuit; Thietgaudum etiam, quanquam serò, literis arcanis, quas legere contigit; ne progredi ultra, sed in Nicolai judicio acquiescere vellet, admonuit. Ipse verò, certaminis initio à Pontifice de communi errore appellatus, sapientem excusationem adhibuit, cumque ne ita quidem anathematis pœnam declinare potuisset, Carolo Calvo interposito deprecatore, & Theodoro presbytero misso cum literis ad Pontificem legato, æger & gravi conflictans morbo veniam impetravit, & Ecclesiæ communioni, Pontificis jussu, est restitutus.

CXLII. Confessio Adventii. *MS. ostendit ... n.1.*

Extat hîc ejus erudita ad Nicolaum Pontificem missa confessio, cui insertum de Thietgaudo caput ejusmodi: *In catalogum sacerdotum nequaquam recipio Theutgaudum quondam Archiepiscopum; qui depositionis suæ sententiam à vobis prolatam hactenus patienter ferens, pro consuetudine nihil omnino de sacro ministerio contrectare audet; vir ille mitissimus incauto sermone se prolapsum atque alterius pertinacissimâ obstinatione deceptum fatetur; & per humilitatis atque obedientiæ viam incedens, à vestra pia largitate locum expectat satisfactionis. Inde accepto absolutionis nuncio, per Regimarum Abbatem, Nicolao verbis quàm amplissimis gratias egit, & de benedictione, ut ipse loquitur, S. Stephani munusculis oblatis, referre etiam studuit.* De Arsenio verò Legato alia in epistola scribens: *Fuit is vir,* inquit, *nobis ex candelabro Pontificatûs vestri lucerna ardens, atque collucens; eumq; in divino cultu & necessariis Ecclesiæ negotiis sedulum, probum, & ferventissimâ religione administrum vestrarum rerum fuisse, sanè gavisi sumus; excussit enim manus suas ab omni munere; & quæ ex sacrato vestri pectoris fonte hauserat, æquitatis & justitiæ nobis exempla propinavit. Utinam quidem Rodoaldus quondam Legatus vester, perinde ut hic, in caussa vestra decertâsset, & nobis per omnia luculenter clareq; mandata vestra exposuisset; non certè ordinis plerique nostri viri, tam tetræ ignominiæ atque inustæ maculæ cicatrices hodie circumferrent.* Hæc Adventius in Lotharii caussa, quæ probabilem certè disertamque continent Thietgaudi Metropolitani excusationem.

Arsenii laus præ cæteris legatis.

CXLIII. Annus Chr. 867. Nicolai Pôtificis in levitate Lotharii castiganda alacritas.

Nicolaus verò Pontifex, anno sequenti crebris in Lotharingiæ regnum mittendis literis, accendit Episcopos ad Regis tantam contumaciam, quantam ipse sacramentum, quod proficiscenti Arsenio dederat, violando, & bis repudiatam adulteram inducendo in legitimæ conjugis thorum, ostenderat, tandem pro merito castigandam, & quo certo destinatoque consilii velut ictu in eum ultimas execrationes jaceret, renovatum illud vulnus, etiam atque etiam ab iis inspici, cognoscique diligenter morbi naturam providus pastor voluit; modo

MS. epist. Adventii.

modò Præsulum tarditates graviter incusans, modò ad maturanda consilia, blanda miscendo severis impellens. At ipsius interim spes atque cogitationes interveniens gravissima Nortmannorum irruptio in longum distulit: qua de re Adventius per hosce dies Nicolaum certiorem faciens, hæc ferè literis suis tradidit: *Ex proprio clero, & filiis Ecclesiæ strenuos Legatos ad exoptatam præsentiam vestram destinare mihi sanè decretum erat; sed desiderium id hostilis expeditio & operamen Reipublicæ pernecessaria, intercepit. Quanquam densissimas inter hostilium copiarum acies, & intentas paganorum vigilias, periculis haud sanè parvis vallati, paullulum jam respiramus; quia pugnante pro nobis divinâ clementiâ, & victoriosissimo Principe nostro, unà cum fidelium clientum copiis in hostem acriter incumbente, paganorum haud modica multitudo in ore gladii cecidit; & reliqui fugâ elapsi, qua Dei summa ergà nos clementiâ est, ità delituêre, ut nostris in finibus eorum nemo vivus reperiatur, nullumq́, cernamus hostilis insolentiæ vestigium.* Hæc ille.

Nortmannorum irruptione Lotharii caussa distinetur. *Adventii Metensis litera ad Nicolaum.*

CXLIV. Reginonis chronologia vulgata corrupta.

De Chronico Reginonis jam moneo, vulgata exemplaria unius & ejusdem anni repetitione seriem universam deinceps confundere; atque ita dum sexagesimum sextum hujus sæculi de Herispoii & Salomonis Britonum actis geminant, inerti metachronismo, uno semper anno tardiùs subsequi, neque cursum eum tenere, quem fideles antiqui libri monstrant, quorum uno nos usi sumus, ex insigni Prumiensi Abbatia, probatissimo. Sed etiam hujus stabilioris Chronologiæ fidem autoritatémque sequutus est Sigebertus. Et Hadrianus Junius in sua Batavia ex Hecmondanæ Bibliothecæ melioribus libris, eundem errorem in vulgatam Reginonis Chronologiam irrepsisse deprehendit.

Onuphii & Sigonii ratiocinis.

Porrò deinde Nicolaus Pontifex vitâ functus est, qui propter amplitudinem rerum gestarum fideique graviter apud Bulgaros, & disciplinæ apud Francos Reges acriter defensæ, atque conservatæ, Magni cognomine insignitus, Adrianum reliquit successorem. Ejus morte compertâ, Lotharius seriò de salute cogitans, redire cum Ecclesia in gratiam instituit. Quod item desiderium Thietgaudum Antistitem nostrum vehementer incessisse, nulla est cunctatio quin credamus; siquidem spe veniæ, tertium adiisse cum reliquis Pontificem, Regino memorat. Clariùs etiam * Golielmus Bibliothecarius, illum celebrat inter eos, qui in Adriani consecratione, magno populorum concursu, certatim de manu novi Pontificis communicare nitentium, Ecclesiasticam communionem Romæ tunc sub congrua satisfactione, receperit.

ADRIANUS II. PONT. a. 4. m. 10. d. 7. Lotharii de pœnitentia consilium. *Apud Anast. in Adriano.*

Thietgaudi satisfactio.

CXLV. Nortmannorum clades lata Galliæ. *Annal. Franc. aliis. Gest. Trevir. alias.* Lotharii trepidatio rumore facta Caroli

Lotharius inter hæc, cùm Galliæ pars illa præcipuè, quà se feracia inter arva Ligeris insinuat, variis est Nortmannorum incursionibus & cladibus fœdata, summam apud finitimos omnes populos & propinquos jam Reges invidiam collegerat; ipséque ob illam infausti matrimonii turpissimam maculam, magno percelli metu, & angi sollicitudine, tum vel maximè, quando de novo jactari vocibus hominum, & famâ percrebescere, intellexit, Carolum patruum, quod pridem formidârat, avidè in omnem regni capessendi Lotharingici occasionem intentum, parare insidias. Nec levi suspicione multorum animos Nicolaus resperserat, fore, ut ni Lotharius dicto audiens resipisceret, regnum ejus ad Carolum transferret. Ut igitur ad formidinem sunt prona Regum ingenia, simul hanc tam insidiosæ suspicionis auram rumor afflavit, concilium Episcoporum indicit, atque horum autoritate voces omninò populi compescere & quiete atque otio adversum vulgi murmur frangere atque debilitare studuit. Extant Episcoporum hujus regni nostri ad provinciarum Caroli Episcopos literæ; quibus & Lothario adhuc integras constare vires, & à proceribus utriusque ordinis nequaquam, ut ipsi putent, destitutum confirmant; hortanturque communiter omnes, ut memores officii dignitatisque suæ, pestilentes illos rumorum concionumque ventos dispellere, & seditiosorum voces comprimere ne cunctentur; seque pacis malint præbere inter Reges toties firmatæ patronos, quàm regiæ majestatis obtrectatores.

Calvi Lotharingum affectantis.

CXLVI. ANNUS CHR. 868. Lotharius cum Adriano Pontifice de venia impenetrâda communicat.

Ipse quoque Lotharius literas ad Adrianum Pontificem dedit, quibus cùm eximiis laudibus Nicolaum evexit, illum tamen fraude doloque malevolorum inductum plus nimiò inimicorum vocibus questus est tribuisse, iisque aures dedisse, potiùs quàm suæ quamlibet sinceræ puræque defensioni; sæpè se literis, sæpè legationibus contendisse, ut ipse & accusatores veri copiâ factâ, coram audirentur, sed diluendi criminis nunquam facultatem extitisse: proinde jam in votis habere proficisci Romam, & cum salutaribus ipsius Pontificis colloquiis frui, tum dulci benedictionis fructu potiri: adhæc postulare vehementer, ut literarum vicissim munus, quo amorem in se paternum prodat, impertiri ne gravetur. Ad quæ Adrianus, sedem D. Petri justam purgationem denegare nemini, neque unquam quod divinæ humanæque leges juberent, posthabuisse quidquam, nedum repudiâsse: si itaque innocentem se duceret, posito metu, ad sedem Apostolicam intrepidus adiret; sin minùs tamen ne venire pigeret, ut debita suscepti probri piacula caperet.

Adriani rescriptum.

CXLVII.

Anno igitur, ut vetusti perhibent Francorum Annales, supra octingentesimum sexagesimo octavo, vel, ut cum Reginone & Mariano tradidit Sigebertus, septuagesimo, iter Romam Lotharius instituit, frequenti procerum & Episcoporum comitatu. Eo cùm ventum, Adrianus magnos illi honores habuit; ac deinde permisso colloquio sciscitatus, num sedulò omnia pontificis Nicolai præcepta exhausisset, & religionem jurisjurandi nullâ suâ culpâ contaminasset; respondit non aliter, quàm divinitus sibi imperata, hæc cuncta observasse: quod cùm proceres omnes ejus, qui aderant, ita esse, judicio sententiaque suâ comprobassent, nec quisquam omninò, qui palam id diffiteretur, repertus esset; tum Hadrianus: *Reliquum est igitur, fili clarissime, ut ad confessionem S. Petri accedas, & salutaris hostiæ, quam pro corporis & animæ tuæ salute faciemus, partem nobiscum sumas, & per hanc membris Christi jungaris, unde abscissus eras.* Horum Lotharius nihil abnuit; sed Pontifici promptè in om-

Lotharius Romam adit.

Lotharius ab Hadriano communioni restituitur & expiatur.

in omnibus morem ſe geſturum, oſtendit. Actis igitur Miſſarum ſollemnibus, Pontifex Lotharium ibi præſentem ab cæleſte epulum invitat, ſumptoque in manus corpore Domini, in Lotharium intendens: *Age Lothari*, inquit, *ſi te inſontem probibiti à Nicolao adulterii & innoxium æſtimas, ac fixum mente ſedet, impoſterum Waldradæ pellicis jam dudum à te repudiatæ, nunquam miſceri amplexibus, ſacramentum ſalutis æternæ ad remiſſionem peccatorum tuorum profuturum accipe: ſin verò conſcientia vis redarguit, & mortiferam ànimo tuo plagam impoſitam prodit, cave hac mente ad internecionem animæ, partum ſalutis remedium, & gloriæ futuræ pignus accipias.*

CXLVIII Euchariſtiâ indignus accipit.

Ille autem offuſâ animo caligine, ore ſacrilego veneranda myſteria contingere non dubitavit. Singulis inde procerum pane cæleſti porrecto, Pontifex: Si Regi Lothario, inquit, in objecto adulterii crimine non faviſti, & Waldradam ſanctorum hominum communione ſecretam, vitaſti, corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti proſit tibi in vitam æternam. Cùm itaque nil verentur homines profani cæleſtis menſæ ſacra polluere, & ſacramenti religionem mutare perfidiâ, brevi iſtic canonicæ probationis ſeſe vis exeruit, quando tanti perjurii & violatæ religionis pœna non in ſceleris modò autores, ſed in univerſum pœnè Lotharingiæ nomen, expetiit. Et horum plerique ſcilicet anno non ampliùs ſupervixerunt. Damnati Epiſcopi omnes, alius alio caſu miſerè interierunt. Et Lotharius ipſe domum repetens, cùm Lucam perveniſſet, acri febre ceu domeſtico malo, inde mox alieno, vexatus, pereuntibus ſub oculis ejus fœdâ lue comitibus, Placentiam contendit; ubi aggravatâ valetudine demum ſuccumbens, octavo Idus Auguſti exſtinctus eſt.

Lotharii & Lotharienſium omnis ordinis ob perjurium & violatam ſedem Romanâ ſupplicia.

CIL. *Annal. Franc. Marian. in an 869.* ANNUS CHR. 869.

Canis monſtroſus in Thietgaudi cathedra jacere viſus. *Ioan. Diac. in vita B. Gregorii l. 4. c. 94.*

De Thietgaudi Trevirorum Archiepiſcopi obitu, quod memoriæ proditum accepimus, jam inſtat, ut enarremus. Anno itaque octingenteſimo ſexageſimo nono, cùm Marianus effulſiſſe crinitam ſtellam, & Treviris viſum à multis memorat quieſcentem in Epiſcopi ſede canem, Thietgaudus Italiam exul oberrans, tandem ab Adriano Pontifice habitationem Romæ obtinuit in D. Andreæ monaſterio, à Gregorio Magno olim exſtructo; ſed paulò deinde poſt turbatus nocturno viſo, eum locum deſerere coactus eſt. Rem geſtam ad hunc modum narrat Joannes Diaconus horum temporum æqualis. Viſum per quietem Gregorium Magnum adſtare Thietgaudo ad terrorem, quo inſolitâ ſpecie exagitatum monaſterio ſuo fugaret. Sed Thietgaudum oculorum ludibrium id eſſe ratum, oratione factâ recubuiſſe; atque arctiori ſe dediſſe ſomno. Tum Gregorium ornatu pontificali, & infulis ſacerdotii, quieſcentis ſe oculis itidem ingeſſiſſe, ſciſcitatumque an jam memoriâ exiſſet, dictum ſibi, ut properè ab eo loco diſcederet; neque in monaſterio, quod patrocinante B. Andreâ ſuis ipſe olim impenſis exædificâſſet, ceu in diverſorio commorationis ſibi diutinæ locum eſſe duceret: cui Thietgaudus, ubi factam ejus rei à Pontifice ſibi gratiam reſpondiſſet: Et tu, dixiſſe Gregorium, cùm tam iniqua poſtulaſti, & ille quando conceſſit, uterque in Deum peccâſtis; ſupereſſe igitur, ut ſpreti numinis debitam mercedem pariter expectarent. Adhæc Thietgaudum excitatum à ſomno cohorruiſſe; & denuò verſum in orationem, hortante metu, ſomnum ultrò acceſſiſſe; ſed oculis necdum occupatis, repentè inaudiſſe ſonitum velut adventantium; auctoque terrore, ex compoſito, dormientis ſpeciem præ ſe tuliſſe. Inde verò acceſſiſſe propiùs Gregorium, S. Andream Apoſtolum manu ducentem, & converſum ad Diaconum, qui cum lumine præibat, juſſiſſe, ut Thietgaudum corriperet: quo parente, ilicò Thietgaudum in lectulo reſediſſe; oculis, præ imminentium exſpectatione malorum, compreſſis. Tum Gregorium eum præbere vultum, & ſe ut aſpiceret, imperâſſe; dixiſſeque. Quoniam monitus ipſe toties fidem verbis ejus non habuiſſet, & cunctatione ſuâ huc deſcendere coëgiſſet, ut hunc Apoſtolum Dei, ſuâ cauſſâ fatigârit, ſciret ſibi certò, nî vel hodie ſedem mutaret, hebdomade proximâ cum ſuis omnibus moriendum: Sin abire animum induceret; repentino quidem hoc & deſtinato mortis genere liberatum iri, tamen neque ipſum, neque ſuorum quenquam ſolum genitale reviſurum. Atque tum denique Divi comminationem perviciſſe. Territus igitur malis præteritis, inſtantibúſque Thietgaudus, conſilio cum ſuis communicato, cùm viſa atque audita, & obverſatum toties ſomno B. Gregorium, minas iraſque cæleſtes repræſentatas, cœnobitis aliiſque expoſuiſſet; nihil cunctatus, aliò migravit. Et ab Adriano Pontifice cùm aliud mox hoſpitium impetrare nequiiſſet, ad Sabinos conceſſit; ubi intra annum, formidando & abdito Dei conſilio, cum ſuis omnibus ex hac luce ſubtractus eſt. Exemplum futurus poſteris, ne unquam gubernacula attingere, niſi idoneis doctrinæ atque vitæ probatioris antea inſtructi præſidiis, ne regum gratiæ velificari, niſi quà leges ſacræ viam muniunt, temerè auſint: etenim nimio partium Lotharii ſtudio, & canonum ignoratione corruiſſe Thietgaudum, memoriæ traditum eſt; ut qui Pontifex conſecratus, & ſacerdos ſplendidè inter ſuos vixerat, mutato rerum ordine, non laicus ſolùm, & omni pontificio honore ſpoliatus, verùm exſul atque inglorius, & extrema vitæ alimenta vix obtinens, miſerè ſpiritum ſub alieno cœlo deponeret. Præfuit annis undeviginti & ampliùs: & canoni juris ſacri, ne memoria caſûs aboleſceret, celebre nomen indidit. Obiiſſe veteris memoriæ membranæ Cardonenſis Eccleſiæ diſertè teſtabantur, anno Domini DCCCLXX.

Thietgaudi ærumnæ & quâ Gregorii Magni reprehenſione per viſum caſtigatus.

Thietgaudo mors à B. Gregor. denunciatur.

Thietgaudus in Italia diem obiit.

MS. Cardonen. Thietgaudus ◊. 870.

CL. *C. 10. cauſa 11 q. 3. Thietgaudum. Aimon. l. 5. c. 21.*

Carol. Calvus regnum Lotharingiæ capeſſit. Metenſe conciliabulum.

Vacabat adhuc ſedes, cùm Carolus Calvus Lotharingiæ regnum iniit, multis eum adhortantibus, ut hac in re celeritate uteretur; quòd Luduicus Germaniæ Rex, jam è vicino occaſioni immineret. Carolus igitur properè Virdunum acceſſit; indéque Mettim, ſuffraganeis provinciæ Trevirorum, ſecundis eum votis, & eximio favore proſequentibus, Nonis Septembris ingreſſus eſt. Porrò V. Idus ejuſdem menſis per Synodi convocationem, indictis novo creando Regi comitiis, præcipua ab Trevirenſibus Epiſcopis Calvus ſuffragia tulit. Erant ii autem, Adventius

Medioma-

Mediomatricum, Hatto Virdunensis, & Arnulfus Tullensium, Hincmarus quoque Remorum Metropolita cum suis Episcopis aderat, & Franco Tungrensium: qui cum regni Lotharingici proceribus in Basilica D. Stephani omnes congregati, Carolum Calvum excluso Luduico Imperatore Lotharii fratre, Regem salutârunt Lotharingiæ. Quo facto Adventius Metensis Episcopus surgens, publicè scripto & verbis coram universa Austrasiorum multitudine, denunciat; quoniam in eam curam precibus atque obsecrationibus, jejuniisque hactenus ardenter incubuissent, ut Regem à Deo talem impetrarent, qui magnâ æquitatis & justitiæ laude, illis jura daret; id adeò jam eos obtinuisse, ut non optatus modò, & omnibus regiis ornamentis idoneè instructus obvenerit, verùm etiam is, qui jure hæreditatis meritò id regnum cerneret. Æquum proinde censeri, ut quam ipsi voluntatem erga novum Regem fuissent testificati, hanc vicissim ipse erga populum declararet. Atque ita simul Adventius pro omnibus, qui præsentes intererant verba faciens, Carolo obsequium & obedientiam detulit. Tum Carolus regnum in fidem tutelámque suam sollemni more accipiens, ejus se dignitatis, ut & omnium Ecclesiarum strenuum semper fore vindicem, ac singulis deinde regni membris pro cujusque conditione, jus ex æquo & bono temperaturum, recepit.

Carol. Rex ab Hincmaro Rhemẽsi inungitur.

CLI. Regis inungendi munus Trevirensis Archiepiscopi fuit.

His ita gestis, Hincmarus Remorum Archiepiscopus, jubente ac postulante Adventio, ad inungendum Regem se accinxit; quod tamen, cùm Trevirensi Archiepiscopo deberetur, ut excusatiùs ageret, coram populo se purgavit; nemini mirum, vel iniquè factum videri debere, testatus, quòd ipse Trevirorum se Pontificum negotiis admisceret; tum quòd Remensis & Trevirensis Galliæ Belgicæ Ecclesiæ, arctissimo inter se societatis olim vinculo colligatæ; solitæque antiquitùs essent, concordibus voluntatum studiis synodica judicia exercere, hâc unâ prærogativâ utrinque servatâ, ut utrius Ecclesiæ Præsul ordinatione præiret, is in unctione impertienda Synodorúmque consessu, primas obtineret. Adhæc Trevirorum Suffraganeos, cùm Metropolitanum non haberent, hoc munus ultrò ad se detulisse. Quod ita verùm esse, ab adstantibus cùm interrogâsset, & Adventio pro omnibus affirmante, pauca iterum præfatus: *Quia mos, inquit, institutumq́, majorum obtinuit, regibus ad imperium ascitis imponere diadema, & sacrosancto oleo ritè eos perfundere; id quod in Historiis sacris quoque factum legimus, opportunum videtur, ut, si Carolum Regem vestrum probetis, consecrationem ejus omnes, faustâ voce, & cum gratiarum actione prosequamini.* Quæ cùm dixisset, universus simul clerus, lætissimum DD. Ambrosii & Augustini canticum exorsus, mixtâ populi præsentis acclamatione, personuit. Et inter hæc communis lætitiæ argumenta, Hincmarus Carolum sollemni more, coronâ redimivit, oleoque perunctum, Regem Lotharingiæ consecravit.

Rhemensis & Trevirensis ecclesiæ societas.

CLII. Synodi Metensis prædatoriæ censura.

Hujus acta conventiculi, quæ annalium Ecclesiasticorum scriptor idem luce donavit, eâ animadversione censuit, quâ liqueat Episcopos hos prædatoriæ Synodi violentiâ, nequidquam Adriano Pontifice obnitente, regnum Lotharii ab Luduico fratre contra fas avertisse. Initam verò anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo sexagesimo nono, indictione secundâ, pridie Idus Septembris, Metis civitate in Ecclesia S. Stephani Martyris, ipse docet actorum veterum titulus. Annales etiam Francorum ita censent: *Karolus Rex, compertâ Luduici fratris sui infirmitate, regnum Lotharii invasit; & secundùm libitum suum disposuit, atque ad se de eodem regno venire nolentes, publicis privatisq́, rebus privavit. Qui etiam pravorum usus consilio in urbe Metensi, diadema capiti suo ab illius civitatis *Episcopo imponi, & se Imperatorem & Augustum, quasi duo regna possessurus, appellari præcepit.*

Annus celebratæ.

* fortè Episc.

CLIII. ANNUS CHR. 870. Bertolfus Abbas Mediolacensis Adventii propinquus. BERTOLFUS 39. ARCHIEP. 65. EPISC.

His ita peractis, Adventius Mediomatricum, qui magnum sibi nomen & autoritatem apud Carolum Regem studio gratificandi quæsierat, anno jam novo subeunte, facili negotio assecutus est, ut Caroli vicissim beneficio propinquus ejus BERTOLFUS, Abbas tum Mediolacensis, ad Trevirensis Ecclesiæ solium, quod ad id tempus inane fuerat, adscenderet. Carolus itaque Adventii rogatu, inito cum optimatibus consilio, Bertolfum acris & vehementis ingenii, ac spectatæ prudentiæ virum Ecclesiæ Trevirorum præfecit, cujus sanè singulari virtutis industriâ, omnis ab Thietgaudo ante accepta clades ignominiáque poterat aboleri, ni averso sceleribus numine, is & Regum mutuas discordias excipere, & tonantem illam ac fulminantem jam tum ab Septemtrionibus Nortmannorum multiplice clade procellam coactus item fuisset subire. Enimverò inter Carolum & Luduicum fratres simultas jam pridem gliscens, ex Lotharii regno temerè occupato, vires & alimenta sumebat. Bertolfus Caroli beneficio devinctus, partes illius haud facilè deserebat. Quippe, ut ipsius favore electio Bertolfi nitebatur, sic ejusdem Caroli nutu, Hincmaro Remensi Archiepiscopo ea mandata Provincia, ut Episcopos ad ordinandum Bertolfum idoneos submitteret, quos Hincmarum Laudunensem, Hodonem Belluacensem, & Joannem Cameracensem in Treviros misit, ut Adventio & Arnulfo Tullensi adsisterent; & quâ par religione Liturgiam & impositionem manuum explerent. Affuit haud segniùs nepoti Bertolfo Adventius in petendo Româ pallio; nam Hincmari Epistolam citat Flodoardus, quâ responderat literis ipsius Adventii; certiorem faciens de adventu legatorum suorum, pallium à sede Apostolica Bertolpho Archiepiscopo deferentium, exhortans etiam, ut de Regum concordia laboraret. Ejusdem argumenti alteram ab Hincmaro scriptam insinuat, pro Missis seu legatis ipsius Adventii, quos Romam direxerat in causa Bertolphi.

Bertolphi electio & ordinatio.

Caroli Calvi & Ludvici regis fratrum simultas. Bertolfus in Caroli parte. Flodoardus histor. Rhemens. Eccles. lib. 3. c. 21.

Bertolfus pallium accipit.

Lib. 3. c. 23.

Cæterùm Luduicus Germaniæ Rex, ubi Calvum didicit se præterito, regnum Lotharii universum occupâsse, & Belgicæ utriusque primores ac Episcopos in ipsius transiisse partes; jam inimici iratique animi palam documenta promere, & Metropolim Trevericam, cujus in sacerdote nominando curandoque se spretum neglectúmque querebatur,

CLIV. Regnum Lotharii à Carolo occupatur.

infestare

Walto monachus contra Bertolfum ad Episcopatum à Luduico rege promovetur.

infestare cœpit, immisso Waltone monacho Trevirensis diœcesis, qui ex S. Maximini monasterio, ut reor, assumptus, pro Bertolpho Archiepiscopale munus invaderet; seque pro Pontifice Trevirensi gereret.

CLV.

Hincmarus cum aliis Episcopis Galliarum Bertolfi causam agit.

Oportunè nuper Flodoardi historia, curâ studióque Jacobi Sirmondi Societatis Jesu presbyteri lucem aspexit, in ea, cùm multa alia nostri instituti, tum hæc Bertolphi initia illustrantur ex Hincmari epistola, quam ad Luduicum Regem transrhenensem de Bertolphi legitima ordinatione, & ingressu dedit, non suo tantùm, sed Remigii Lugdunensis, Arduici Vesontionensis, Errardi Turonensis, Adonis Viennensis, Egilonis Senonensis Archiepiscoporum nomine præscriptam; ostenditque nec reprehensione, neque periculo vacare, à Luduico permitti, Metropolim Trevirensem à pervasore monacho, invadi, discindi ac depopulari: nam tametsi regia potestas præsideat humano generi dignitate; Præsulibus tamen divinarum rerum, devotè colla submittere, atque ab eis caussas suæ salutis expetere; & facilè eos id perspicere, in sumendis moderandísque cœlestibus sacramentis, religionis ordine subdi se potiùs, debere, quàm præesse. [Nolite, inquiunt Episcopi, credere, quæsumus, prava suadenti; quia pro certo sciatis, non in contemptu vestro, neque contra fidelitatem vestram, in eadem Metropoli sede Pontificem ordinavimus; sed perpendentes, quod & vos meliùs scitis, quanta & per quanta tempora, ipsa Ecclesia desolata & destituta sit, & quanta contra Dei voluntatem non solùm in eadem parochia, sed & in tota provincia ad eam pertinente, increverint, cùm nihil canonicè sine Primate suffraganei Episcopi agere valeant, nisi quod ad proprias parochias pertinet, ibidem commoditatem regularem invenientes, canonicè Pontificem ordinavimus.] Causam inde subjiciunt, cur hoc negotium Remensi potissimùm fuerit mandatum, quia scilicet in Trevirensi provincia non tot suffraganei sint reperti, quot ad Metropolitanum ordinandum erant canonicè necessarii; tum etiam, quia Ecclesiæ Remensis & Trevirensis habeantur & ex autoritate & antiqua consuetudine Comprovinciales, atque sorores, eâ conditione, ut qui prior eorum fuerit Episcopus ordinatus, prior etiam habeatur in Synodo, ac sic mutuo consilio & auxilio foveantur atque fulciantur. Hinc, ubi petente clero populóque Trevirensi, ab se uno omnium consensu votóque Bertolphum fratrem & consacerdotem canonicè institutum ordinatúmque professi sunt, per unius Deitatis inseparabilem Trinitatem, quæ ipsius custos sit, autórque regni, Luduicum obsecrant, ut in eo statu & immunitate seu privilegio, cum suo Pontifice Trevirensem Ecclesiam esse jubeat atque conservet; quo ipsius progenitores atque prædecessores, sed, & in quo frater ac nepos ipsius Lotharius, pater scilicet ac filius, canonicè conservaverunt. Quin ad extremum denunciant, quàm diu Bertolphus ab ipsis ordinatus in hoc mortali corpore vixerit, haud fore, ut alius ordinetur, nisi, quod absit, sacras ipse leges violans, per easdem excidat; neque se commissuros, ut Præsumptor & apostata monachus Walto, Spiritûs Sancti judicio jam super eum prolato, in Ecclesia Trevirensi, quam exitiabiliter usurpavit & læsit, fiat unquam Episcopus. Unam Regis Luduici obstare reverentiam, quò ne continuò ab omni spe dimotus Ecclesiastici gradûs, & anathemati subjectus, ex canonum præscripto retrudatur in ergastulum. Rogare itaque precibus omnibus, ut ne Rex iste objicere se pœnæ & comminationi velit sacrarum legum, sed potiùs opitulante Deo, ab iis se cupiat immunem & exortem. Ita pro Bertolpho Hincmarus & Galliarum Episcopi, qui militabant in castris Caroli Regis.

Trevirensis Ecclesiæ facies tristis à Thietgaudi dejectione.

Parochia pro tota Metropoli cum provincialibus Episcopis.

Remensis Ecclesia cũ Trevirensi cognatio.

Trevirensis Ecclesia quo loco apud Francorum & Austrasiæ Reges.

Bertolfi patrocinium.

Waltonis pseudoepiscopi damnatio.

CLVI.

Caroli & Luduici Germaniæ Regis pax & reconciliatio.

Cæterùm utriusque regni sacerdotibus posthæc omnia consilia sua ad sanciendam fraternam concordiam Luduici & Caroli conferentibus, transeuntibus etiam ad Luduicum Luitberto Mogontinæ, & Williberto recens consecrato Coloniensis sedis Archiepiscopis, aliisque regni Lotharii proceribus, pax tandem inter fratres ita convenit; ut parte regni Calvus cederet, & distributionis cum fratre æquâ sorte staret. Quia verò hæc partitio fines nobis aperit, & terminos regni; quod à Lothario seniore nuncupatum Lotharienſe vel Lotharingicum; & præter eam lucem, quam adfert historiæ, nubeculam simul aliquam dispellat huic inimicam Phœbo, faciam opinor haud intempestivè, si ex veterum metatione, loca novæ ditionis, quæ Regibus obtigerunt, assignavero.

LUDUICUS JUNIOR REX PARTIS LOTH. ann. 7. Lotharingici seu Lothariensis regni nova partitio inter Carolũ Calvum & Luduicum Germaniæ Regem.

Aimoin. in append. l. 2. c. 25.

Lotharii regni fines.

Res tota propè constituta, respectu Mosæ fluvii; qui velut limes decumanus inter utriusque sortem intermeans, ceu quidam fuit finium regundorum arbiter. Quod igitur citra Mosam in Treviros, Austrum Orientemque spectat, Luduico sorte obvenit, Aquisgrani palatium, Colonia, Trevirorum Augusta, Metis, Trajectum, Argentina, Basilea, cum locis interjacentibus. Monasteria verò licentiâ hujus ævi, & territoria, quæ hodiéque nomina sua tuentur in Treverica ditione, S. Maximinus, Epternacum, Horrea, Comitatus Mosellensis, Saragouva infra supráque, & * Salmense territorium; adhæc Arduenna secundùm fontes, lapsumque Urtæ fluvii in Septemtriones, cum Prumiensi & Stabulao inclytis monasteriis, cæteráque loca, quæ hîc recensere omnia, nihil attinet, in Luduici quoque sortem conjecta. Transmosana verò ad Aquilonem & Occidentem, cum nonnullis etiam cis Mosam urbibus Carolus sortitus est.

** Selmen.*

CLVII.

Tabellam proponere sit operæ pretium, in qua quicquid finium hujus Metropolis per comitatus pagatim, centuriatimque more prisco describitur, hic fideliter oculis subjectum noscites.

Ex MS Provincialibus & observationibus. Charta Pithæanis ad annal. Francorum.

Treviris urbs: in cujus gremio monasteria duo:

S. Maximini Benedictinorum.

Horrea S. Irminæ virginum sacrarum.

Absternacum seu Ephterniacum apud Suram amnem virorum familiæ S. Benedicti.

A Rheni Mosellæque ripis ex Aquilone in Meridiem, comitatus.

Ripuariæ V. * in Eifflia.

Megenensis, in angulo Rheni & Mosellæ.

* Nittgowa; à Neta, fortè Aifflensi rivo.

** Nittgovva probabilius, si non diversa*

viſ inter Nicrum & Mœnum ſupra in anno 831.

* Blieſſegovva.

Saragovva ſuperior.

Hincmarus in Epiſtola apud Flodoardum.

Voſagi pagus apud flu. Saroam.

Bedagowa vel Bedenſis contra Treviros verſus Arduennam.

* Bleſitgowa à Bleiſſa rivo, trans Saram fluvium.

Saragowa ſuperior, confinis Eliſatio.

Saragowa inferior paulò ſupra Treviros.

Arduennæ quà Urta defluit, ubi ad Pronæam fluvium.

Prumia monaſterium S. Benedicti ampliſſimi tractûs.

Salmenſis pagus.

A Treviris in Auſtrum verſus Theodonisvillam, & Mediomatrices

Rizingovva *ſupercili Riziburgum.*

Muſelgovv, Muſellanēſis, & Muſellēſis *promiſcue poſtremæ etiam pro toto Moſellæ tractu, latius accipitur.*

Rizingowa ad Ornam, ſupra Theodonisvillam.

Metingowa, ſinu latè Metim amplectens.

Moſlenſis ſeu Moſellanenſis, ad ripas ſuperioris Moſellæ.

Metis civitas. ubi monaſteria { S. Petri Virginum. S. Martini Benedictinorum.

Viridunum, cujus pagi nominati, Viridunenſis.

Dulminſis. **

De Vabrenſi in Magnerico, ſupra & paulò 598.

Waurenſis, alias Wabrenſis. Arlon. } reflectuntur in Treviros hi duo per Arduennam & Chiniaci ac Barri fines.

* * * * *

Tullum civitas, pagi

Tullenſis.

Scarponenſis.

* * * *

CLVIII. Waldo ſeu Walto fit Abbas S. Maximini. *MS. jam edita Epiſtola. Adriani Aimoinus, Regino & Theod. Epternacenſ.*

Cæterùm ex his S. Maximini Abbatiæ gubernacula, Luduico cedente, Waldoni competitori Bertolfi Archiepiſcopi tradita ſunt.

Carolomāni Caroli Calvi filii perditi mores.

Fuit Carolo Calvo, filius Carolomannus, cujus primam ætatem cùm religioni pater dicatam vellet, efferum, ut aiunt, puerum, & inquietum vel renitentem clericum eſſe juſſit; ditatumque compluribus Abbatiis, his eum peſſimo publico velut præfectum impoſuit. At incluſa ad tempus, & primâ ætate compreſſa licentia, ita ſe denique profudit, ut jam non ultra monaſteriis coërceri, ſed nec ullâ patris arte, vel blandimentis leniri atque retineri poſſet. Rebellis igitur patri filius, excuſſis, quæ induerat, vinclis, prædonum manu aſſumptâ, Belgicam provinciam fœdè lacerare, & expilatis monaſteriis templiſque, nulla modeſtioris in poſterum indolis remedia admittere. Ergo Calvus indulgens iræ, ut filii mores ulciſcatur, ipſius pœnè obliviſcitur humanitatis; & ut Adrianus Pontifex in literis olim ex Trevirenſi bibliotheca depromptis loquitur, beſtiarum feritatem excedens, contra propria viſcera, more ſtrutionis ſævire veritus non eſt. *Nam quaſi*, inquit, *non ſit tuus, eum videlicet non ſolum paternâ gratiâ, & beneficiis privans, verùm etiam regni finibus eliminans, quod impium eſt, ut excommunicationi ſubmittatur, affectas.* Addunt & ſcriptores hujus ætatis, patre jubente, excœcatum.

Regino in Chron.

CLIX. A patre excœcatur.

Hoc igitur tam acerbo malo infractior Carolomannus, poſtquam Adriani Pontificis interpoſitâ autoritate pauliſper reſpiravit, iterum exagitatus, Luduicum patruum adit; & ſupplex ei factus, ingenti animi mœrore & luctu, ærumnas ſuas præſentemque calamitatem exponit, qui pietate & miſericordiâ infelicis nepotis inflexus, Epternacenſe in Treviris monaſterium D. Clementis Willibrordi, ei ad vitæ ſubſidia conceſſit; ubi non multo poſt tempore mortuus & ſepulturâ conditus eſt.

A patruo Luduico Epternacēſe monaſterium impetrat, ibique moritur.

Canonicos in Epternacenſem eccleſiam induxit.

Cæterùm ipſe, fugatis & abactis monachis, Canonicos eum in locum primus introduxit; & ampliſſimis monaſterii poſſeſſionibus magna ex parte dilapidatis, reſiduò vel ſervitiis ſuis gratificatum, vel clero ad victum cultumque neceſſaria comparâſſe ferunt. Atque cùm ad hunc modum occupatione ſacri patrimonii priſtinos ſpiritus reges debilitant, Willibrordi inſtitutis, & Irminæ Dagoberti opibus nobile quondam monaſterium, degeneri diſciplinâ, profano gubernaculo, centum ampliùs annis ſtetit.

Epternacēſis monaſterii inclinatio.

Annal. Franc. Pith. Sigebert. in Chron.

Bertolfus fortè ab Hincmaro pertractus ad pſeudoſynodum.

Per eos quoque dies Bertolfus Archiepiſcopus Trevirorum, Attiniacum in Franciam profectus, parùm decorè pro Hincmaro Remenſi, adverſus Hincmarum Laudunenſem ſtetit. Quippe hic, quia ſedis Apoſtolicæ jura fortiùs vindicabat, nempe latrocinali Synodo ab Hincmaro Remenſi, opprimendus erat.

CLX. Hæc Synodus celebrata eſt anno Chriſti 871. Indict. 7. anno regni Ludovici 33. ut habet ipſū Synodi initium. Dæmones fugantur ad templorum conſecrationem.

Intervallo celebrata quoque Coloniæ Synodus eſt, cui tres Lotharingiæ Metropolitæ præſederunt, Luitpertus Moguntinenſium, Bertolfus Trevirorum, & Willibertus Colonienſis: ab his eodem tempore ſumma ædes illic S. Petro dedicata: quod pridie quàm fieret, tanta vis ineſt ſacrato ſolo, auditi malignorum ſpirituum nocturni ululatus, poſſeſſis jam dudum ſedibus pelli ſe miſerè quiritantium.

ANNUS CHR. 872. JOANNES VIII. PONT. an. 10. d. 1.

Inde Adriani loco, Romæ Pontifex factus, anno octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, Joannes VIII. Nec multò poſt tempore Adventius Mediomatricum à Deo evocatus atque emiſſus, ex hac vita exiit; cujus in locum, Walo ſubrogatus; qui anno Pontificatus ſui ſecundo, quo Luduicus II. Imperator Lotharii ſenioris filius obiit, ab Joanne Pontifice majorum exemplo, pallii honorē adeptus eſt.

ANNUS CHR. 875. Carolus Calvus fit Imperator.

CLXI. S. Scholaſtica quieſcit Juveniaci Pago Vabrenſi.

Medio tempore in Trevirorum Provincia Galliæ finitima, Pago Vabrenſi, Juveniacum villa Francorum pervetuſta, condito nobilium Virginum domicilio & S. Scholaſticæ magni Patris Benedicti inclitæ ſororis patrocinio cœpit inclareſcere.

Aimoin. lib. 5. c. 24. 27. 32.

* an. 869. Duciacum vel Duziacum

Enimverò in Pago Vabrenſi Teutberga olim Lotharii junioris repudiata conjux gentis ſuæ patrimonium amplum poſſedit; fuitque matertera Richildis Auguſtæ & Boſonis Comitis Bwini filii, ſummi in Imperio Francico viri. Etenim Carolus Calvus * nuper apud Duciacum agens, quod oppidum ſupra Ivodium ad Charem amnem ſecus Arduennam ſitum eſt, accepto nuntio de Hirmentrudis uxoris obitu, oculos in Richildem prope illic viventem conjecit, unaque Boſonem Comitem fratrem ejus permovit, ut Teutbergæ materteræ bonâ pace, ſororem ad ſe adduceret, concubinæ loco futuram, donec deſponſam & dotatam juſto eam ſibi conjugio jungeret. Hâc regiâ neceſſitudine & affinitate Boſo devinctus, Abbatiam S. Mauritii Agaunenſem, locuples in primis donum abſtulit. Inde eum Carolus Viennæ urbi & Biturigum ditioni, mox cubiculo Luduici Regis filii præfecit. Poſthæc diadema Imperatorium in Italia adeptus,

Richildis Caroli Calvi concubina.

Boſonis fratris exaggerati faſces. *Reg. ad an. 878.*

coronâ

coronâ ducali ornatum in Ticinensium provincia Papiæ Ducem creavit; denique Provinciâ ditione Galliarum donatum, cùm Irmingardem Luduici II. Imperatoris filiam improbâ collusione sibi sociâsset, Regis titulum gerere passus est. At Richildis anno DCCCLXX. apud Neomagi Geldriæ Palatium, præsente Rorico Nortmannorum Duce; quem Calvus istuc ad colloquium invitârat, legitimi thori fœdere illigata, sponsionem cum conjugii dote accepit, eaque potentiæ & virilis animi famâ, absente ob coronam in Italia marito, Franciam tum malè pacatam administravit, ut cùm anno DCCCLXXV. Luduicus Germaniæ Rex per Treviros in Lotharii regnum impetum faceret, ipsa Franciæ primores novo sacramento ad obsistendum Luduico flammâ ferroque grassanti, adigeret. Engilramnum etiam Camerarium, quondam mariti gratiâ inter paucos valde florentem, honoribus & Regis familiaritate dimovit.

Richildis incremẽta.

Uxor & regina Calvi virilis animi.

Luduici German. Regis in Lotharienses irruptio.

CLXII. ANNUS CHR. 876. *Aimoin. lib. 5. c. 32. & 33.* Carolus Calvus Imperator coronatur.

Annus jam appetebat Christi 876. cùm Carolus per autumnum monte Jovis superato, & magnâ parte adjunctâ sibi Italiæ, Romæ tandem XVI. Kal. Januarii à Joanne Pontifice summa cum gloria exceptus est; oblatisque ingentis pretii multis B. Petro muneribus, ipso Domini Natali Imperator inunctus & creatus est. Atque hæc eadem dignitatis quoque insignia raptim tamen, nec sine armorum intervenientium strepitu, Dertonæ in Italia, anno insequenti Richildis obtinuit. Quæ quidem ornamenta tunc Teutbergicæ olim depressæ, sed nunc revirescenti stirpi contigerunt, quam Richildis proseminatam religionis officio utique diuturniorem effecit: quippe, quæ Juveniacum à progenitoribus in se derivatum patrimonii caput, Virginali contubernio ornâsse non contenta, S. Scholasticæ illuc illato pignore nobilitari voluit. Id quod Reginæ præpotenti & apud Franciæ proceres gratiosæ factu difficile non fuit. Atqui verò, ut S. Benedictum ex Cassino monte in Galliam quondam exportatum ad Floriacense monasterium, ita S. Scholasticam in Cenomannorum urbem translatam, tota Gallia tunc pro explorato tradebatur: disertè namque Mummuli Floriacensis Abbatis jussu, per Aigulphum postea martyrem rem illam gestam narrabant; extabantque illustria multa miraculorum monumenta, quæ jam inde a S. Benedicti in Galliam translatione ab æqualibus ejus ætatis, memoriæ literisque mandata erant. Sed & Annalium publica fides, idoneas gesto negotio subjiciebat opportunitates, & adjuncta temporum personarumque, quæ non inconcinnè in historiam caderent. Repetit enim Regino, Dagoberti temporibus, sive ob Longobardicas, sive alias hostiles clades, vastam in castro Cassino fuisse solitudinem, quando Franci de Cenomannorum vel Aurelianensium regione venientes, abstulerunt seu exportârunt S. Benedicti, ejusque germanæ Scholasticæ corpora: additque corpus S. Benedicti in territorio Aurelianensi monasterio Floriaco; at S. Scholasticæ, in partibus Cenomannorum fuisse conditum. Idem confirmat Sigebertus ad annum Domini 651. Ampliùs pronuntiat Aimoinus suâ dum ætate, scilicet in qua jam illustranda versamur, in Floriaco familiari sibi domicilio quievisse.

Richildis fit Augusta anno 877.

Juveniacensis Parthenonis origo.

SS. Benedicti & Scholasticæ in Galliam translatio.

Paul. Diac. lib. 6. B. Aigulphi acta.

Adi l. Molanum annot. Martyrol. ad 21. Martii.

Lib. 2. c. 2. Aimoin. vixit an. 872.

Scio hanc de translatione utrorumque Sanctorum ancipitem & litigiosam narrationem, Ecclesiasticorum Annalium conditorem, ceu densum & aculeatum quoddam spinetum refugisse, ut vel eminus spectanti horrori fuerit; eundem topico tamen agmine conjecturarum, pugnâsse contra Gallicanam hanc translationem, & ad dirimendam controversiam obvium id ex Paulo Diacono arripuisse telum, quo velut causa in medio relicta, litem utrisque abjudicavit. Paulus enim, redactas in pulverem carnes apud Cassinum mansisse, ossa aliò commigrâsse, voluit. Verùm nonnulla Cassinensibus relicta, aliquot sæculorum ætatibus usurpata istic Patroni tanquam præsentis veneratio, & clarissima, quam Raphaël Volaterranus sub Cardinale Arragonio factam attestatur, utriusque corporis S. Benedicti & B. sororis Scholasticæ docet inventio. Itaque dum minuere studeo controversiam, ne illam augeam, verbo dicam. ANNO DCCCLXXIV. VI. ID. JUNIAS RICHILDIS REGINA CORPUS S. SCHOLASTICÆ AB URBE CENOMANNICA TRANSTULIT, ET IN PAGO WABERINSE APUD *JUVENIACUM CONDIDIT. Atque hujus religionis autoritas tum *Gauslino S. Germani & Vincentii Abbati, & Godefrido ejus fratri, tum Roberto Cenomannensi Episcopo à majoribus adscribitur. Et, ut jam rem cum re, & causam cum causa conferamus, Cenomannos tunc trepidâsse constat, ob Nortmannorum irruptiones; quare & Calvus urbem eorum muniri voluit, quo contra infestum hostem cæteris trans Sequanam populis essent præsidio. Jam verò, metu Nortmannorum Sanctorum reliquias passim in tutiora receptas, translatasque, vel locis occultis abstrusas, variis locorum casibus & rerum eventis, doceri potest. Et illud perquàm huic tempori accommodatum, quòd cùm de translatione ageretur, Carolum ferant cum Richilde in monasterio S. Dionysii commoratum. Fuit hoc ita sanè, cùm Aimoinus ad hunc annum planè: *Carolus, inquit, jejunium quadragesimale in monasterio S. Dionysii peragens, ibidem pascha Dominicum celebravit. Hinc in Arduennam progressus, generale Placitum in villa Duziaco tenuit; ubi & annua sua dona accepit.* Duziacensem hunc conventum Id. Jun. in vicinia Juveniacensi egisse scribitur, cùm VI. Id. translatio S. Scholasticæ fuisset peracta. Ad extremum nullo perinde argumento testari hanc translationem possumus, quàm ipsius vindicatione pignoris; siquidem in illa vetusta virginum sede sanctæ Scholasticæ dicata, adamatæ, an adoptatæ Patronæ? monstrant caput, brachia, ossa corporis pleraque. Sed quia S. Scholasticæ memoria nos aliò traduxit, tempus jam est interrupta contexere.

CLXIII. Translationis S. Benedicti censura. *Tom. 8 annal. ad an. 664.*

Lib. 6. c. 13. vel 14.

Antropolog. lib 20 in S. Benedicto. Fuld. antiq. l. 1 c. 19. SS. Bened. & Scholast. inventio. S. Scholasticæ in Trev. diœcesin Translatio. *ex MSS. documentis.* * Givigniacum Juveniacensem villam. * Goislinus, *de quo Aimoi. lib. 5. c. 14.* Translationis adjuncta expendũtur Personarũ. *Lib. 5. c. 31.* Loci ex quo

Temporis & Loci ad quem.

lib. 5. cap. 31.

S. Scholast. reliquiæ, quæ Juveniaci ostenduntur.

Carolus itaque imperatorio fastigio ac diademate à Joanne Pontifice sublatus, non sine partium studio hæc insignia tenuit, ut fulciendis Synodorum autoritate multiplici opus fuerit, Andernaci, apud Pontigonem, ac Romæ denique congregatarum.

CLXIV. *Regino. Aimoi. lib. 5. c. 35.*

Atque ex Romana quidem Synodo, quam ad annum aliqui DCCCLXXVII. rejiciunt, Walonem

cunque poteſt in tempore auxilia contrahere. quibus in unum collectis, è Germania movens, ad alteram Rheni ripam exercitum traducit; ac propiùs patruum è regione caſtra figit. Hic unà cum ducibus belli inediâ ſe macerans, poſtquam ferventi oratione propitiato numine, moribus ejus ſæculi rem experimento divino committere placuit, denos ex ſuis qui calidam, totidemque qui frigidam afferrent, & denos itidem alios cum ferro candenti mittit, juſſos apud Carolum judicio periclitari, utrum vera regni ejus poſſeſſio maneret, quod cum ipſo, pater ſuus Luduicus, ſacramento interpoſito, diviſiſſet. Res mira, ubi deſcenſum ad experimenta ſæpè aliàs irrita, plerunque Deo ingrata, nihil ferri candentis inuſtio corporibus nocuit, nihil bullientis obfuit fervor aquæ; neque interim quidquam æqui à Carolo obtinere potuit.

Probatio ferventis aquæ & ferri candentis, poſt interdicta, à Ludovico adhibita, teſtis innocentiæ.

CLXIX. Tum Luduicus ſpe in armis collocatâ, ab ſola animi virtute jus poſtulandum arbitratus, occultè copias intra Confluentes per Arduennam tranſportat, & Antonnacenſe caſtellum belli ſedem occupat. Hujus conſilii Carolus ignarus, ubi per exploratores certior factus eſt, cum omnibus copiis Luduicum Rhenum tranſiiſſe, diſtinendæ manus, legatos de pace, quam ſupplex adhuc petebat Luduicus obviam miſit. Igitur Luduicus, emiſſo ad pabulandum equitatu, cùm ob inducias nihil movet, Carolus octavo Idus Octobris, ſilentio noctis cum quinquaginta equitum peditumque millibus, caſtra ab eo loco, in quo conſederat, movere cœpit; & ne quid inopinanti in itinere ſubiti casûs accideret, ipſeque paratior nepotem incautum opprimeret, inſtructis ordinibus continuo imbre, viaque difficili & teterrimâ ad regionis Trevericæ pagum Meginenſem, qui, Mariano teſte, tum Ripuaria, non longè ab Andernaco caſtello, profectus eſt. Illum, ut adventare indicio Williberti Colonienſis Archiepiſcopi comperit Luduicus, mox, ſumptâ loricâ, diſperſis tum etiam ſuis, moram certamini nullam facit; inſtructaque acie, confiſus Deo, ſignum pugnæ dat ſuis, numero quanquam pauciſſimis. Conſerto prœlio, Caroli exercitus, impetu facto acriter ſe in confertiſſimos hoſtium globos incitat; reſtitit conſtanter Luduici acies; ac primum impetum bellique molem, pulſo licet Saxone, fortiter excepit. Tum acri commiſſo certamine, multa utrinque vulnera accepta. Calvi miles ſegniùs ſe periculis objicere, quòd ex improviſo petitus, & itineris labore feſſus, nullo ad quietem ſpatio dato, laſſus propemodum àtque exanimis deſcendiſſet in pugnam. Reginarius Comes, qui in prima acie Imperatori vexillum præferebat, ipſo congreſſu mox occubuit. Hieronymus Comes eandem belli fortunam expertus. Tum Orientalium Francorum vehementi impreſſione factâ, demum Caroli acies inclinare cœpit. Quod Carolus advertens, cæſis ſigniferis, ſuos jam inferiores irrumpentium agmen non ſuſtinere, ingentique clade acceptâ, fugam circumſpicere, ipſe cumprimis excedere prœlio, ac fugâ ſibi conſulere maturavit. Quem ſecuti effuſè reliqui, viâ propter anguſtias tantam ſimul multitudinem excludente, ſtragem inter ſe mutuâ ruinâ aliis ſuper alios cadentibus cæde ipsâ fœdiorem edidêre: plurimi hoc prœlio occiſi, multique capti ſunt; ſpoliorum quoque præda ingens fuit. Abducti illuſtres viri; inter quos primi, Ottulfus Epiſcopus, Gouſlinus Abbas, Bernardus, Adalardus, Ebroinus Comites: ſed & ipſe Imperator cum paucis fugâ elapſus, & periculo proximus, vix evaſit.

Pugna Meginenſis in Treviris atrociſſima.

Luduicus igitur, ut æquitate cauſæ, ſic & prœlii eventu ſuperior, opimis ſpoliis ditatus, inde cum exercitu victore, Aquas profectus, triduum ibi moratus eſt; curatiſque militum corporibus, ſtatim inde Confluentiam Carolo fratri obviam tetendit, cum eoque conſiliis ſuis de paterno regno diſtribuendo communicatis, demum fine anni in Rhætiarum pago inter fratres ita convenit; ut Carolomannus, qui maximus natu, tolleret Bavariam, Pannoniam, Bohemos, Sclavos, Carnos, Noricos, Vindelicos. Luduicus Franconiam, Thuringiam, Saxoniam, Friſiam, & eam partem Lotharingiæ poſſideret, quæ continet Ubios, Aquenſes, Treviros, Mediomatrices. Superiorem verò Lotharingiam, quæ pàtet in Alſatiam, cum Alemannia ſortiretur minimus natu Carolus Craſſus. Atque ita nequidem is Lotharingiæ ſtatus, quem fundatum fixumque reliquerat major Lotharius, quod natura fert in omnibus humanis rebus, conſiſtere diu potuit. CLXX.

LUDUICUS III. REX LOTHAR. ann. 7.

Aimoin. lib 5. c. 25. Annal. Francor.

Sed & anno proximo, pridie Non. Octobris, Calvus Imperator, & Rex Franciæ Occidentalis, veneno, uti creditum, mortifero, à dilecto ſibi Sedechia Judæo medico, propinato, interiit. Ei filius Luduicus Balbus, quem in ſucceſſionem regni pater ordinaverat, ſubſtituitur; & ſexto Id. Decembris ab Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo; Compendii conſecratur.

ANNUS CHR. 877. Carolus Calvus vitam relinquit. *Regino ad ann. 878.*

Inter hæc Romæ de imperii totius ſumma ingens ortum certamen, poſtquam Joannem Pontificem de Auguſtalibus ornamentis ad Balbum transferendis, agitare clam, intellectum eſt; factioſis pleriſque Luduici Germanici liberis ampliſſimam dignitatem eam deſtinantibus. Quare & Joannes Pontifex Lamberti & Adelardi ſcelere conjuratorum facilè Principum, & carceris injuriâ, & fœdâ ſacrorum direptione vexatus, ope ſuorum elapſus in Franciam, ſpe reliquæ tranquillitatis contendit. Ibi vero concilium deinde frequens Epiſcoporum pro pace & concordia Eccleſiarum Galliæ Trecis habuit, cui etiam Belgicæ Præſules, qui officii cauſâ iſtuc convenerant, interfuerunt. Extant Joannis plurimæ epiſtolæ, quibus Galliarum Epiſcopos, quia occurrere ſibi venienti neglexiſſent, alios graviter increpuit, alios benignè Trecas ad Synodum invitavit. Nominatim verò ad Luidbertum Moguntinum, Willibertum Agrippinæ, & Bertulphum Trevirenſem Archiepiſcopos, literas eodem argumento dedit, quibus ipſos & ad Synodum Trecenſem accerſiit, & ut Luduicum Germaniæ Regem eodem pertraherent, ſedulò commonuit, qui, ſi id recuſaſſet, darent operam, ne vel Legatus ipſius iſtinc abeſſet. Trecis etiam III. Kal. Septemb. Joannes ad Walonum, ut vocat, Mediomatricum Antiſtitem, reſcriptum cum mandato dedit, ne puellam conſanguineam à

CLXXI. ANNUS CHR. 878. Imperatoris conſtituẽdi conſilium.

Joannes Pōtifex in Galliam confugit. *Aimoin. L. 5. c. 38. & 39. Supplem. etiam Sigebertus. Papirius ex Synodo Trecenſi.* Synodus Trecenſis.

Invitat ad eam cum aliis Bertolfum. *Tom. 3. Epiſtol. Pont. 106.*

Waloni Metenſi Epiſcopo ſcribit. *Epiſt. 149.*

 ſubſeſſore

ſubſeſſore presbytero violatam, contra matrimonii libertatem adoleſcenti invito obtruderet.

CLXXII. Luduici Balbi Imp. mors.

Per id quoque tempus Joannes Pontifex ibidem, Balbum Auguſtali coronâ exornatum maximo totius Galliæ concurſu, Imperatorem nuncupavit. At breve item huic imperium fuit, ut quod inſequenti mox anno, cum vita amiſit. Ejus morte nunciatâ, Franciæ proceres nonnulli Luduicum Germaniæ & Lotharingiæ Regem, ad ſuſcipiendum Galliarum imperium hortati ſunt; optimatesque in eam rem, Mediomatricos uſque obviam ei proceſſuros, pollicentur. Quâ ſpe blandâ in cogitationem adipiſcendi regni Luduicus erectus, exercitum è Germania in Lotharingiam, anno, qui à ſalutis exortæ memoria octingenteſimus ibat octogeſimus, eduxit; inde Viridunum ad Moſam infeſtis armis petiit, oblâtos omnes agros populans, & miſerabili ſtrage vaſtans. Obvios deinde Luduici Balbi filii Legatos habuit, in dubios belli exitus, & veterum certaminum memoriam partem ei Lotharingiæ, quæ Carolo Calvo quondam obtigiſſet, ſi è Franciæ finibus reducto exercitu diſcederet, promittentes: quâ conditione probatâ, ad pacis ſeſe conſilia flexit, auctis ad hunc modum finibus in Germaniam rediens.

ANNUS Chr. 879. Luduicus junior Germaniæ Rex Franciam appetit.

ANNUS Chr. 880.

Lotharingiæ portio illi conceditur.

CLXXIII. Nortmanni à Luduico II. Germaniæ rege cæduntur. *Regino emendatur.*

Ubi verò ad Carbonariam ſilvam venit, ingens inopinanti ſe Nortmannorum manus impingit, certatim prædam congeſtam, ex finitimis agris ad naves comportantium. Hos ille, ne irritum habeat tantæ expeditionis adparatum, apud Thimium fiſcalem fundum ſine cunctatione adortus, ſecundo prælio fudit, & maximam eorum partem, amiſſo filio Hugone, occidione delevit.

Hugo inter manus adverſar. animam reddidit. *Regino MS.*

Fuit inde proximus annus Carolomanni Boiariæ & Italiæ Regis obitu inſignis: is paralyſi oppreſſus, ſeptimo Non. April. in Bavaria, loco cui nomen Otingæ, patrocinio Dei Genitricis Mariæ celebri, tumulatus eſt; regno Boiariæ ad Luduicum fratrem, Italiæ verò ad Craſſum devolvente; qui deinde inſignia quoque Auguſtalia adeptus eſt.

ANNUS Chr. 881. *MS. refert ad an. 881.* Carolomãnus Boiariæ & Italiæ Rex moritur.

Sed eodem pœnè tempore Dado Virdunenſibus à Luduico Pontifex datus; cujus ordinationem, ut Bertolfus Trevirorum non probaverat; ita neque adduci potuit, ut literis à Pontifice Romano pro Dadone ſibi miſſis annueret, autoritatem ſuæ ſedis ab illo nunquam imminui paſſus. Quas porrò clades, urbs & Eccleſia Virdunenſis, Dadone ſedente, pertulerit, loco ſuo non ſilebimus.

Dado Virdunenſis Epiſc. *MS. Annales & ſcriptum Dadonis, quo ſe à Luduico impoſitum ei Eccleſiæ fatetur.*

CLXXIV. Nortmannorum robur invaleſcit.

Copias Nortmannorum à Luduico Rege, magnâ ſtrage conciſas, antea diximus; quæ in Lotharingicum agrum populandæ ſeſe jam intulerant; ſed neque ita barbarorum immanitas averti potuit, Nortmannis omnibus Galliarum provinciis, aliquando tandem velut inundatione ſuperfuſis, quæ in quaſcunque terrarum partes erupiſſet, omnia fœdâ cruoris eluvione, crudeliter eſſet vaſtatura. Ob id cunctis ad tam immanium & tetrorum hoſtium incurſiones formidine atque trepidatione concuſſis, Treviri non tantùm finitimorum ruinâ, ſed & imminentium cladium magnitudine periculum ſuum æſtimantes, conſilio maturè inito, exemplo Pariſienſium, qui jam olim ad Nortmannorum adventum, S. Germani, aliorumque Sanctorum corpora extumulata, in tutiora deportârant, item hic ſacra Divorum pignora, & quidquid uſquam ſancti extabat, terræ deinceps celârunt, locisque exſtructis ſubterraneis, & deſuper pavimento inſtratis, omnia ſacra condiderunt, additis quibuſque Sanctorum corporibus & reliquiis, ne quid poſteros lateret, propriis nominibus & titulis, iiſque plumbeis tabulis inciſis, ut ſi qua vis hoſtilis ingruens, cætera temeraret, hæc ſaltem à barbarorum veſania defenſa tectaque ſtarent.

Aimoin. apud Sur. die 25. Iulii.

Treverica ſacra occultantur.

FINIS LIBRI OCTAVI.

R. P.

CHRISTOPHORI BROWERI
SOCIETATIS JESU,
ANNALIUM TREVIRENSIUM.
LIBER IX.

ANNUS CHRISTI 882. JOANNIS VIII. PAPÆ ult.

BERTOLFI 65. TREV. EP. 13. LUDOVICI III. LOTHAR. REG. 6.

I.

Regino, Sigebertus, & MS. Trev.

Nortmanni & Dani Godefrido & Sigefrido Ducibus Belgium petunt. ANNUS CHR. 882.



UM res Lotharingicæ, districtis circa civilia mala Regibus, ad hunc modum variè jactantur; Godefridus Rex Nortmannorum, adjuncto sibi Sigefrido, & Danorum non contemnandâ manu, trajecto denique per opportunitatem mari Balthico, appetente jam hieme, infinitam quandam gentis suæ colluviem, classe ad ostia Rheni appulsus, in littus exposuit. Quo nuncio accepto, Lotharingicos major, quàm unquam aliàs, terror invasit; obversantibus ante oculos recentium calamitatum vestigiis. Terrorem augebat multò peditum equitumque copiis auctior hostilis exercitus, immanior vis prædandi ulciscendique se, crebris irritata cladibus. Cæterùm in hac populorum consternatione, cùm diversis à curis cæteri trahuntur, Luduicus animum omnino non despondet, sed quàm acerrimè delectus habere, copiisque accersitis, ex omni Germania, extremam belli ciere molem.

Interea Nortmannus, perruptis Oceani claustris, & obstaculis quibusque remotis, infesto gradu in proximas ruit provincias; & in Lotharingia sive Brabantia fluminibus sese insinuans, subitâ factâ procursatione, obvia quæque ceu tempestas quædam valida disjicit, vastatque, hoc atrociùs, quòd nemo armatus usquam occurreret, vel instituto itinere ruentem intercluderet pestem. Quamobrem Rhemi, Ambiani, Atrebates, Morini, Menapii, Cameracum, Taruenna, Corbeia, & omnis circa Schaldim ora, trepidantibus ac profugientibus ex agris viris, feminis, perculsis oppidis omnibus; capta atque direpta, & quod ad spectaculum longè miserabile, subjectis denique facibus diro incendio cuncta conflagrârunt. Ecclesiæ porrò vel eversæ funditùs, vel crematæ, vel sacerdotum & ministrorum cæde cadaveribus semiustis, & truncatis inter prostratos templorum postes fœdè jacentibus, funestatæ. Eadem monasteria clades involvit; circa quæ, perinde infestos barbaries ignes circumtulit.

Clades Nortmanni memorabiles edût.

II. Omnibus itaque intra Britannicum Oceanum & Mosam fluvium fugâ, populatione, cæde, incendio, & extremâ desperatione completis; hostes denique prædâ graves, conscensis navibus, cum classe in Wahalim recto itinere Christiano sanguine, atque ipsâ incendiorum favillâ respersi, sese inferunt. Mox Neomagum, nemine obstante, ingressi; palatium, quod ibi & amplissimum, & operibus erat egregiis instructum, occupant; utque receptaculum terrâ marique sit, copiis prædæque condendæ, munitionibus validoque præsidio undique firmant.

Neomagense palatium Nortmanni sedem belli deligunt.

Hæc ubi comperit Luduicus, ilicò exercitum in hostes educit, & recto itinere Neomagum versus cum copiis descendens, paratum sese obtulit summo cum hoste, si ita opus, prœlio decernere. Verùm Nortmanni munitionibus confisi, nec pugnam ausi in aperto, sese continebant; neque facilè, ut ingenium est maritimorum, suctorumque latrociniis, summam rerum bello commissuros, apparebat: quare & lacessiti à Francis, levibus aliquot prœliis factis, continuò se recipiebant. At Luduicus Palatii, propter ambitum & vastitatem, situmque loci, difficilem oppugnationem ratus, obsidione eos cingere, & assidendo ad deditionem compellere, instituit. Quod brevi assecutus est, Nortmannis ultrò deditionem offerentibus, si Luduicus prior tamen obsidionem solvisset, atque iis è finibus cum copiis se recepisset. Eo igitur, uti convenerat, discedente, Nortmanni pristini furoris atque vesaniæ pleni incenso Palatio reversi in naves, explorata Rheni ostia, cursu retexunt.

At mense Novembri ipse Rex Nortmannorum Godefridus irruptionem, eo quo supra diximus apparatu, sibi censuit retentandam; seu spe majoris prædæ, seu perpetuæ sedis in Francia suis sibique collocandæ. Quocirca rursus ad Mosam innumerabili copiarum examine devectus, inde cum feroci atque immani gente sua, vicinum in agrum movere cœpit; & repentè trajecto flumine, populationibus effusè factis, primo impetu Leodium arripit; Tungros & Trajectum: omniaque nullo negotio redacta in potestatem, pro suo ingenio, flammâ subvertit. Inde secundâ incursione in Ripuariorum sese fines infundens, atque uni prædationi, ac vastationi agrorum urbiumque deditus, cuncta flammis III.

Godefridus Rex Nortmannorum infestior jam in Lotharingiam ruit.

flammis & occidione pervastavit. Atque agrestibus primò aliis cæde stratis, aliis fugâ dispersis, urbes deinde, invito Luduico, irrumpit. Novesium, Agrippinam, Bonnam cum adjacentibus vicis, capta ac pariter deprædatione militari exhausta, denique ignium vi exscindit. Eandem nobilissimo Aquis palatio, Indensi, Malomundario & Stabulao monasteriis cladem intulit.

IV. ANNUS CHR. 883. MARINUS PON. an. 1. d. 20. Nortmanni in Treviros irrumpunt. *Regino emendatior ad hunc annum, ad superiorem Annales Francor. Pith. Vita S. Modoaldi. MS. & Surius in Augusto.* Virgines sacræ monasterii S. Symphoriani cladem Normannicâ, morte à Deo impetratâ, antevenerunt.

Porrò anno sequenti, qui octingentesimus fuit & octogesimus tertius, cùm Romæ Marinus pro Joanne sedere cœpit, omnis barbarica rabies in agrum hunc perbacchata desævit, Trevirorumque ditionem, nullo non calamitatis genere, atque extremis malis afflixit.

Illud interim Treviris in magno malorum vel præsentium sensu, vel imminentium expectatione accidit in primis memorabile. Virgines collegii D. Symphoriani à Severa quondam D. Modoaldi sorore legibus institutæ, cùm quæ passim indigna à Nortmannis in sexum muliebrem & sacratas Deo feminas patrata scelera ferebantur, famâ inaudiissent; studio pudicitiæ, communibus apud Deum precibus egêre, ne castitatem, quam ipsæ perpetuam nuncupâssent, hostibus esse ludibrio sineret; neu corporis ipsarum florem & integritatem ullâ sineret barbarâ petulantiâ temerari. Id cùm in templo advolutæ D. Modoaldi sepulchro, magno precum ardore, & effusis lachrymis orâssent, triginta dierum spatio ad unum omnes, annuente earum precibus ac votis Deo, vitâ, incolumi pudicitiâ, excesserunt. Et adhuc sanctam hâc ætate virginitatem extitisse dubitabimus, cùm ne sacrilegas haberent nuptias, immaturas etiam ultrò sibi virgines pepererunt exequias?

Initium inde cladis à Prumiensis monasterii excidio; Nortmanni siquidem Arduennæ saltus ceu lupi quidam hiantes pervagati monasterium, quod superiorum Regum beneficiis opulentum famâ didicerant, ipsâ die Epiphaniæ sacro ingressi, post tridui crudelem moram, eruptione factâ, omnem inde latè circa regionem barbarâ immanitate dilacerant. Cæterùm agrestium multitudo omnibus hisce malis fracta, & ad ultimam adducta desperationem, repentino concursu facto, propulsandi à capitibus suis ferocissimum hostem, & restituendi patriam, impetum cœpit. Sed Nortmanni temerè conglobatam manum absque militari disciplina conspicati, clamore sublato, è vestigio irruunt undique; & mox dispersos tantâ cæde prosternunt, ut victimas diceres ad aras mactare, non cum hominibus bellum gerere. His ita patratis, onusti Arduennæ & Prumiensis monasterii cremati spoliis, redeunt ad castra.

V. Luduici III. regis mors. *Regino Annal. Pit. mendosè ut videtur XIII. Decem.*

Porrò ad has tam fœdas Nortmannorum incursiones, mors Luduici Regis immatura, qui XIII. Kalend. Septemb. Francofurti, nullo relicto hærede, extinctus est, velut quidam ærumnarum cumulus accessit. Nortmanni igitur, auditâ morte Regis, in spem rerum novarum erecti; neque jam ultra de prœlio, sed quemadmodum victoriâ uterentur solliciti, audaciùs per catervas cuneosque ruere in terrores, ac populationem. Conversa itaque tota repentè barbaries in Lotharingiam; & quòd occurrentia passim oppida adhuc recentibus ædificiorum incendiis fumabant, opibusque vacua, nullam barbaris spem prædæ faciebant; secundo cursu ruunt in Treviros.

VI. Nortmanni Treviricam urbem petunt. Trevericæ civitatis conditio.

Urbs autem Trevirorum totis quadringentis annis, quibus sub imperio Francorum & Austrasianorum, diuturni jam otii atque altæ pacis, quodque caput erat, eximiæ religionis fructum uberrimum tulerat; quod ab veteribus excidiis recreata, & novis Antistitum Regúmque Austrasiæ legibus beneficiisque exculta, plurimum cùm ad rei familiaris incrementa, tum ornatum templorum ædiúmque privatarum interea profecerat. Quam sanè felicitatem & omnem insuper pristini splendoris, & fortunæ veteris imaginem, dies ista finiit.

Regino & Luitprand. Ticin. lib. 2. rerum in Europ. c. 13. Urbem occupant, diripiunt, incendunt.

Igitur Nortmanni crudelitatem ac libidinem suam non nisi sanguine & incendio terminaturi; Nonis Aprilis, ut Regino loquitur, TREVIRORUM NOBILISSIMAM CIVITATEM, ipso die sacratissimæ Cœnæ Domini, seu languentibus ad defensionem civium animis, seu incolis metu fugáque dispersis, occupant; quódque fœdo gentilitatis errore corrupti, Christianis essent infestissimi, in omnem utriusque sexûs multitudinem, Ecclesias, Basilicas & monasteria sæviunt, avaritiâ pariter & crudelitate inflammati. Direptis bonis, & incolis, qui remanserant, ferro atque occidione occisis, Godefridus Rex cum tetra illa Oceani sentina usque ad sanctum diem Paschæ hîc resedit.

VII. *Ad an. 996. in S. Felice.* Paulinianæ Basilicæ miraculum. D. Paulini corpus in aëre pendet.

Barbari interim odio religionis, vicina circumquaque loca flammâ ferróque corripiunt: cumque, ut olim narravimus, hostiliter Paulinianam Basilicam invasissent, facibus ad inflammandum eam sæpè jactis, nihil profecerunt; & ad summum, ingressi cryptam, ubi D. Paulini corpus suspensum ferreis catenis, revellere vi summâ tentant, ferrum certè quidem effregerunt, sed magno hostium stupore sacer ille tymbus cœlum inter terrámque medius, soloque subnixus aëre, pependit; quod etiam miraculum Treviri multis post annis cladi superstites, grato oculorum spectaculo religiosè usurpârunt; donec languescente tandem in posteris priscæ pietatis fervore, & curiosis ac sacrilegis locellum sacrum deprimentibus, ultrò monumentum subsidit; omnibus etiam, qui ausi sacra contrectare, cœlesti piaculo aliis atque aliis morbis extinctis.

Sigebertus Monachus in S. Maximini vita memoria.

Eadem in æde immanis suæ crudelitatis ediderunt exemplum, vivo homine in sarcophagum incluso, atque omni illi aëris usu intercepto, qui tamen D. Paulini suffragatione, dum Nortmanni inde movent, servatus, & incolumis ibi postea repertus est.

VIII. Treviris excidium.

Inde à sacris atque hominum cæde vertit ira ad ipsius urbis excidium; ut cum tectis, atque mœnibus etiam bellum gerere internecinum appareret; atque omni ab iis circumquaque, ut Regino loquitur, usque ad solum afflicto urbis tentorio, tectisque publicis ac privatis incendio illato, civitas funditùs eversa est.

Episcopi obviam eût Nortmannorû furori. Walo Metensis Episcopus.

His tantis prostratâ malis, inclytâ illâ quondam Trevirorum Augustâ; hostis infesta signa Mediomatricum ad mœnia convertit. At Walo ejus civitatis Episcopus, comperto,

Regino, MS. Wala.

barbaros urbi suæ feroces imminere, de salute & vita civium suorum sollicitus, in tam funesto & sanguinario bello, arma sumere & sese periculis omnibus objicere non dubitavit.

Bertolfus Trevirorũ & Adalhardus comes. Regino vicus Mosellæ supera.

Bertolfi itaque Trevirorum, & Adalhardi Comitis auxiliis sibi junctis, cum his, quamvis immensæ Nortmannorum multitudini apud vicum Remichium accolis superæ Mosellæ notissimum, occurrit. Atque ibi, cùm ingentem hostium vim velut sui corporis oppositu, ab suorum cervicibus depellere nititur, præ cæteris ardentiùs pugnans, prœlio occubuit.

Walo in prœlio occumbit.

Bertolfus verò & Adalardus, diffisi protritâ jam acie, tantæ molis impetum à se sustineri posse, pavore belli, fugâ sibi maturè consuluerunt. Nortmanni certè, posito Lotharienfium contemptu, mutato deinde itineris consilio, cum ingenti præda, summâ celeritate ad classem revertuntur.

B. Glodesinda Metim conservat à clade Nortmannica.

Memorabile id, quod in vita S. Glodesindæ narratur, Walone Meti sedente, sacrum virginis corpus oleum ceu lachrymas profudisse, quibus divinum ipsa Numen exoraret, ut imminentem urbi cladem averteret. Et certis de cœlo allatis indiciis, vulgò constitit, B. Glodesindæ patrocinio meritisque, tunc Metensem urbem à Nortmannica clade conservatam incolumem.

CAROLUS CRASSUS REX LOTHAR. a. 6. Annal. Franc. Pith.

Carolus Crassus rex Lotharingiæ.

Posthæc Carolus Crassus, Luduici demortui frater, ad ineundum Lotharingiæ regnum, & opem perditis afflictisque rebus ferendam accitus, sine cunctatione Italiam reliquit; atque immensâ Longobardorum, Boiariorum, Francorumque contractâ manu in Franciam transiit. Ibi cùm Nortmannos magnis operibus obsidere parat, sceleribus Christianorum irato Deo, omnis ejus conatus in irritum recidit: donec Godefridus Rex auro captus & gazis Ecclesiæ Metensis, delinitus, inclinato tandem ad religionem nostram animo, Christianum se fore spopondit, si eum Carolus Frisiâ donâsset, & Gislam Lotharii filiam connubio sociâsset: quod utrumque Carolus benignè concessit. Quare cùm ipse mox Godefridum sacro baptismatis fonte tinctum de lavacro suscepit, tum Gislam in Frisiam, Bataviamque benè dotatam abire jussit. Cæteræ catervæ item donis emptæ, & accepto immenso auri argentique pondere, Lotharingiæ finibus excesserunt.

Godefridus Rex Nortmannorum fit Christianus.

IX ANNUS CHR. 884.

Anno autem proximo Bertolfus Trevirorum humanis rebus exemptus est, ut in Reginone quidem mendosè legitur, IV. Idus Septembris, cùm rescribendum sit IV. Idus Februarii, tertio decimo anno ex quo præesse cœperat: ossa Ecclesiæ B. Paulini illata, ubi brevi saxo magni viri monumentum, juxta sacrarium cum hac inscriptione clauditur.

Θ. BERTOLFVS TREVIR. ARCHIEPISCOPVS, IIII. IDVS FEBR.

Mansionem in hoc anno & emendata lectio MS. Reginonis.

Ejus virtus pietasque cùm aliis nominibus celebratur, tum quòd Marciam vicum, ad Saram amnem Marceti vocabulo hodie notiorem, pretio à Rege * Luduico coëmptam, rebus Ecclesiæ suæ adjunxit.

* Luduicum interpretamur ex usu temporis.

RATBODUS XL. alias LXVI. EPIC. Regino & MS. Medulæ cesso. * non VII. ut editus Regino.

Comitiis hinc Trevisis novo creando Pontifici à clero populóque habitis, RATBODUS ex Abbate Mediolacensi ad Pontificatûs fastigium * VI. Aprilis evectus est; vir egregiis ad id munus gerendum naturæ & doctrinæ adjumentis; cujus in eo quoque labor omnis industriaque spectata, ut Ecclesiæ suæ atque ditioni non solùm antiquam formam, & meritum honorem restitueret, sed novis ad amplitudinem & decorem ornamentis illustraret.

Ratbodi ineuntis studia.

Primo Pontificatûs sui anno Ecclesiæ Metensi novum Antistitem commendavit; ac decimo Kalendarum Maii Robertum ab populo & clero Waloni subrogatum, Metis in D. Stephani augusta Basilica, probatis ac justis ceremoniis Episcopum consecravit. A cujus functionis adparatu, nec longè abfuisse Carolum Imperatorem, diploma docet Franconi Tungrensis, & Leodiensis Ecclesiæ Episcopo, rogatu conjugis Richardæ, datum hoc anno, sexto Kalend. Julii, Metis civitate.

Robertum Metensem Episcopum laudat, consecrat.

Cæsar Baron. annal. tom. 10. ad an. 885.

X. ADRIANUS III. PONT. a. 1. m. 3. d. 19.

Romæ in Marini Pontificis maximi locum Adrianus III. jam tum successerat. Neque interea Nortmanni auro satiati, Franciam assiduis incursionibus laniare destiterant, Lotharingiam, quà Brabantiam amplectebatur, castris apud Lovanium positis, latè pervagantes; donec Crassus Imperator ad Franciæ Occidentalis tutelam, mortuo Carolomanno, à Fulcone Rhemensium Archiepiscopo Hincmari successore & aliis optimatibus accersitus, in Lotharingiam reversus est; qui quà maximâ potuit celeritate, ad Nortmannorum castra cum exercitu proficiscens, in eos ad Mosam amnem incurrit; clausósque quindecim dierum obsidione, tandem venire in deditionem compulit. Sed fructum ejus deditionis tulit exiguum, barbaris ullum armorum ac rapinarum finem modúmque nescientibus.

Nortmannorum cõtinuatæ clades.

ANNUS CHR. 885. Flodoardus, Regino & Sigonius.

Crassus Franciæ regnum adipiscitur.

Normanni obsessi.

XI. STEPHANUS V. alias VI. PON. an. 6. Regino.

Adriano inde Romæ vitam destituente, ejus in locum Stephanus V. post triduum substitutus. Hic est Stephanus ille, qui Luitberto Moguntinorum Archiepiscopo respondens, purgationem vulgarem ferri candentis & ferventis aquæ, quam Franci in judiciis causisque controversis, dubiâ utrinque litis disceptatione, crebrò adhibebant, antiquavit. *Consuluisti*, inquit, *de infantibus, qui in uno lecto dormientes, cum parentibus mortui reperiuntur, utrum ferro candenti & aquâ ferventi, an alio quolibet examine, parentes se purgare debeant. Monendi sunt parentes, ne tam tenellos secum in uno lecto collocent: nam ferri candentis & aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri à quoquam sacri non censent canones. Et quod sanctorum patrum documento sancitum non est, superstitiosâ adinventione non est præsumendum. Spontaneâ enim confessione, vel testium approbatione publica delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro judicare. Occulta verò & incognita sunt illi relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum.* Porro inolitum roboratâ consuetudine morem non penitùs ille canon obtrivit; quare posteris etiam annis, utrique magistratui fuit cum hac superstitione pugnandum.

Luitbertus Moguntinus Archiepiscopus.

Purgationẽ ferri candẽtis & aquæ ferventis Stephanus Pontifex damnat.

Ca. Consuluisti, 2. q. 5.

C. Alexii filii de Vulg. purg. Henric. III. Frider. II. lib. 2. Neapolit. Const. c. 31. 2.

Robertus Mediomatricum Stephanũ Pontificem consulit super mutilato in clerum cooptando.

Eundem quoque Stephanum Robertus Mediomatricum ceu quoddam oraculum consuluit; nam cùm ob insignem corporis pravitatem, imminutionemque à sacrorum ordinum dignitate arcerentur more majorum candidati, quæstionem Stephano Robertus hanc tulit; quem Nortmanni captum, nuper sinistræ manûs digito truncâssent, ecquidnam is idoneus illi ad sacros capessendos ordines videretur? cui ipse respondit, modò ut nihil aliud intercurreret, utique quò minùs ad ordines ejusmodi gradum faceret, prorsus obstare nihil.

XII. ANNUS CHR. 886. Hugo pellicis Waldradæ filius Lotharii patris regnum affectat. *Regino.*

Anno sequenti Hugo Lotharii ex Waldrada filius cùm obtinendæ Lotharingiæ summâ ardet cupidine, neque id quemadmodum assequatur ullam satis expeditam munit viam, tandem visum est armis ac virtute locum aperiendum, quo ambitio per se non penetret, sed ne exercitui quidem regendo alendoque sat liberalis illi copia. Quare Godefridum Nortmannorum Regem, cui soror matrimonio juncta, clam missis in Frisiam Legatis solicitat, ut auxiliorum manu contractâ, omnibus sibi viribus opem ferat, unaque secum nitatur, quò avitum paternùmque regnum armis adsciscat; id quod si ejus operâ ac virtute effectum obtineat, haud in dubiam secum regni sortem venturum, concessurúmque totius Lotharingiæ semissem.

XIII. Godefridus Normannus Hugoni junctus petit à Crasso oppida. **Regino editus, Sacicham mendosè Zinzich.*

Godefridus, hâc inani pollicitatione juvenis oblatáque novandi spe inflatus, extemplò legationem ad Crassum Imperatorem mittit, postulans sibi dari Confluentes, Andernacum, *Sinzicham, & alia quædam ditionis Rhenanæ loca, fiscos appellat Regino noster emendatior, obsequiis imperialibus deditos; quòd provincia, quam ejus munere ac benignitate incolendam accepisset, exilis, incultáque, vitium præsertim inops esset. Hæc autem ab Godefrido postulantur, ut si concessa fuissent, jam iter ei esset cum copiis in Lotharingiam expeditum; sin verò negata, justam haberet, quam bello causam obtenderet. Sed nescius infelix, quantâ se ruinâ, dum aliena tuetur, præcipitem ageret, brevi insidiis Crassi exceptus in Insula Batua ipse vitâ, Hugo luminibus spoliatur; qui deinde in monasterium S. Galli deportatus, postremò in Prumia ab Reginone nobili hujus ævi scriptore & postea Abbate, monachus attonsus est, & ibidem, peracto vitæ cursu, sepulturâ conditus.

Godefridus Nortmannorum Rex ab Everardo Comite, Crassi jussu, interficitur. Hugo excæcatus in Prumia includitur.

XIV. ANNUS CHR. 887. Lovanium à Nortmãnis sedes facta castrorum. *confule I. Lips. Lovan. l. 1. c. 4.*

Annus item insequens hostili incursione fuit turbidus, juxtáque Lotharingiæ metuendus. Nortmanni namque Somonâ Belgicæ flumine rursus egressi, eum locum ubi nunc Lovanium nobile Belgarum Athenæum, vallo munierant; atque ibi velut sede populationi collocatâ, Franciam, Lothariique regnum, quorum in finibus ea sedes, assiduis direptionibus exhauriebant. Crassus autem cùm semel atque iterum paratos exercitus in eos immisisset, inutilem denique putavit sumi laborem, cùm utrobique barbari & audaciâ essent, & virtute superiores.

XV. *MS Prum.* Ansbaldus Prumiensis Abbas quo

Eodem anno Ansbaldus Abbas Prumiensis IIII. Idus Julii vitâ migravit, qui summæ sanctitatis ac religionis laude apud Treviros enituit; atque ob id inter cœlites à posteris relatus. Huic verò, quod posteritatis memoriâ dignum in vita accidit, nec injucundè, nec sine fructu opinor à nobis hoc loco narrabitur.

miraculo res monasterii auctas habuerit.

Hynnapia in Guisiæ finib.

Vir in Francia, vico Hynnapiæ fuit, non procul à Guisia, præstantissimorum hâc ætate nostrâ Galliæ Ducum incunabulis, genere ac divitiis clarus: nomen ei Nittardus erat. Hic Erchanfridâ uxore in consilium adhibitâ, cùm pro anteactæ vitæ erratis, & animæ languentis remedio, omnes omnino, quas amplissimas possidebat fortunas, atque facultates abjicere, & in Christi conferre cultum apud se statuisset; non facilè occurrebat, ecquinam loco salubriùs possessiones dicare suas, & fructuosiùs elargiri posset. Multa igitur hâc super re cum animo reputanti, Deus hanc postremò mentem indidit, ut istic optimè collocatum beneficium certò sibi persuaderet, quò sagitta arcu emissa fortè decidisset. Schedâ igitur jaculo alligatâ Nittardus, quâ & locum unde mitteret, & beneficium quod conferret, pariter docebat, solum, quod diximus, insistens (erat autem id à Prumiensi monasterio magnis regionum intervallis disjunctum) telum jacit, & ecce tibi, sagitta festinatis itineribus obvias scindens auras, & spatio quasi volatus unius Hynnapia Prumiam continuans, eam ipsam in aram, in qua tum Ansbaldus rem faciebat divinam, procidit. Qui rei novitate primò quidem perterritus, sed animo mox collecto, sacris, uti cœperat, usque ad finem institit: Mysteriis verò ritè patratis, sumptâ in manus schedâ, quod scriptum inibi erat, evolvit; hinc nuntiis ad eum locum ire jussis, unde missa sagitta, multorum dierum itinere pervenerat; & rem uti ostendimus, ita nimirum habere comperit, & luculentas possessiones, quas daturum se Nittardus receperat, inde tulit. Sagitta hæc usque in præsens ibi illustri, atque admirando divinæ providentiæ adversus eum locum testimonio servatur, & præcipua cum religione colitur. Sed & facultatum harum portio quædam, ad hoc etiam tempus in peculio cœnobitarum mansit. Attestatus rem gestam cumprimis suo tempore memorabilem Cæsarius Abbas ante aliquot sæcula. *Constat*, inquit, *quondam in loco isto sanctissimos viros mansisse. Ideò Dominus eos mirificavit gloriâ & honore: quando sagittam de Francia cum magno Allodio & optimo, miraculosè super altare S. Salvatoris, fecit transvolare.*

Sagitta indice, bona Nitthardi, Prumiensi monasterio consecrantur.

Cæsarii Abbatis Prumiensis attestatio in glossario ad lib. censuum.

XVI. ANNUS CHR. 888. *Regino emendat MS. hic, alii ad an. superiorem.* Nortmanni per Sequanæ tractum sævire pergunt.

Insequenti anno Nortmanni motis Lovanio castris, Sequanam invehuntur, ac rectâ Parisios, instituto cursu, urbem undique circumdant, Henrico præstanti Duce, incassum occurrente, ut obsidionem solveret. Quo etiam per insidias sublato, illi liberiùs Franciæ finibus peragratis, urbes, vicos, templa, omnia flammis & igne pervastant, Episcopos cum clericis, nulli vel ordini, vel sexui parcentes, insitâ ingenii ferocitate, trucidant. Sanè apud Flodoardum Fulco Rhemensis Antistes, Stephano Papæ se purgans, quòd Romam adire non posset, quod illi dudum in votis, rescribit se Paganorum vallari obsidione, eos deno tantùm milliario à sua civitate abesse: vides, quàm latè se hæc procella diffuderit, & Parisios ab ipsis obsideri. Hanc

infestatio-

infestationem regno ab octo jam annis ita incumbere, ut nemini extra castella tutus sit egressus.

XVII. *Regino, Sigeb. & Flodo. Hist. Rem. l. 4 c. 1. Rescriptum ben. IX. & Steph. Papa.* Nortmanni in Gallia sedes accipiūt, regionique Nortmanniæ nomen dant. *Rodnar. lib. 4. c. 14.* Nortmannia.

Itaque Crassus ad omnia extrema deductus, tædioque curarum tandem fessus, Neustriam, quæ in Lugdunensi secunda ultra Sequanam, ambiguis popularium animis imperium detrectabat, cum urbibus nonnullis maritimis, inter quas Rotomagum tunc feminitum, pacis habendæ caussâ, Nortmannis concessit. Atque ita post hæc Nortmanni, annitente Carolo Simplice, & Herveo Rhemorum Archiepiscopo magnam huc industriam conferente, Christianam pietatem amplexi, perpetuas pòst in ea provincia sedes locârunt: manet hodieque gentis honos; & nomen transmarinæ originis insigne.

Regino in Chro. Hermannus Contractus * *alii* Richildi perperam. * Lindvvardi.

Crassus deinde levatus parte bellorum, pacatâ Galliâ, Germaniam animo liberiore repetit; quò cùm venit, * Richardæ conjugi, quod confidentius quàm zelotypi ferret animus, * Luidwardi Archicapellani & Vercellensium Antistitis lateri hæsisset, adulterii maculam aspergere nititur. At Richardis, ut singulari erat religione ac pudicitiâ femina, objectum crimen ita purgare ingressa est, ut ab eo se perinde atque à cujusvis alterius viri commixtione etiam tum virginem intactam, & integram esse, idque si marito visum, se Dei judicio aut singulari certamine, aut ignitorum vomerum attrectatu, comprobaturam, ostenderet. Sed non recepto tam severæ quæstionis periculo; divortium est factum: quod Richardis facili ac lubenti animo amplexa; dotem suam Christo consecravit; & profecta primùm in Italiam, postque Ticini in S. Marini Parthenone rudimenta severioris disciplinæ posuit, Turegi & Secanici in Germania eandem vitæ normam sequuta, tandem in Alsatiam veniens, virginibus beatam castamque vitam in cœnobio professis, domicilium sedemque religionis exstruxit, quæ Andalauvia dicitur, SS. Fabiano & Felicitati sacra, ubi & ipsa semet augustissimum Spiritus Sancti templum offerens, pudicitiam illi suam dicavit; moriénsque Canonica vel sanctimonialis, ibidem sepulta quiescit. Ejus ad XVIII. Septembris tanquam sanctæ virginis & conjugis depositionem nonnulla martyrologia celebrant.

Richardis Crassi conjunx insimulatur adulterii.

B. Richardis canonicam vitam eligit. *Gas. Brusch.*

XVIII.

Exinde Crassus, cùm & viribus animi corporisque in dies magis atque magis obtundi, & ad Rempublicam gerendam ingenii consiliique vigore hebescere cœpisset, Novembri mense Triburias, locus is trans Rhenum non procul à Moguntiaco, in festum diem S. Martini conventum cum Lotharienfibus proceribus habuit; atque unà de Rep. in commune consuluit. Hanc opportunitatem regni Optimates nacti, seu quiddam in moribus Crassi, ut cujus animus vitiorum contagio jam obtorpuerat; seu etiam in valetudine, quæ tanti regni sustinendæ moli impar, culpantes; communi consilio imperium ei abrogant, & Arnolphum Carolomanni Italiæ quondam & Boioariæ Regis filium; quem pater, recordatione stirpis & virtutis, ab S. Arnolpho Metensi Præsule hoc nomen ferre voluerat, ad fastigium provehunt.

Crasso Lotharingiæ regnum adimitur.

ARNOLPUS REX LOTHAR. an. ferè 9. Arnulpho adjudicatur *De cujus natal. Regino an. 881.*

Qua ex re Crassus magno animi mœrore confectus, mox pridie Idus Januarii vitæ fabulam peregit. Fabulam diximus; ut qui religionis licet insigniter cultæ, eleëmosynæ, psalmodiæ, pietatis adhibitæ divinis rebus assiduæ, aliarumque virtutum egregio comitatu vallatus esset, repente tamen ita gradu proturbatus est, ejus ut inter maximam gloriam, & ultimam miseriam nihil interfuerit; necessarii quin etiam victus inopiâ pressus, in Augiæ monasterio, ab Arnolpho locum impetrarit; ubi & clarissimo Christianæ patientiæ atque constantiæ documento, fortem hanc suam fortissimè pertulit.

Regino in Chron.

In Augiæ monasterio vivens, moritur.

XIX. ANNUS CHR. 889. Regnorum conversiones.

*Mutabili inde rerum humanarum successu, regna, quæ simul omnia Crassus post Carolum Magnum & Luduicum Pium solus obtinuerat, ad diversos transiere dominos, atque ex his Germania & Lotharingia penes unum Arnolphum remansit.

Synodus Moguntina. *alii ad ann. præcedent.*

Exordio regni ejus Moguntiaci habita Synodus, cui, cum Williberto Coloniensi, Ratbodus noster unà interfuit. In ea Synodo, cum sacerdotum egregiè vindicata autoritas, tum Regis officium munúsque disertè explicatum est. Quod autem facit ad vulnerum acerbitatem, quæ hac maximè tempestate, à Nortmannis Ecclesiis nostris inflicta, id sumptum ex ore patrum, huc nempe trasferimus: *Quis enim*, aiunt, *siccis oculorum luminibus, valeat enumerare mala gentis nostræ & Sanctorum? Videte & considerate, quàm præclara & nobilia servorum Dei ædificia destructa, & incensa sint, & ad nihilum redacta. Altaria dejecta, & penitus conculcata; ornamenta Ecclesiarum Dei valde pretiosa, & mirifica direpta, & igni exusta. Episcopi, & sacerdotes, & cæteri ordini Ecclesiæ viri gladio truncati, & diversis pœnarum generibus, morti addicti. Omnis ætas utriusque sexus, gladio & igne diverso mortium genere consumpti.* Hactenus Patres. Ex quibus per nulla non malorum exempla rem Christianam hisce locis in præceps datam, ad exitium & interitum ruisse, clarè satis perspicitur.

Nortmannicæ cladis vulnera.

XX. *Abbo in Carminibus.* Nortmanni à Parisiis rejecti S. Germani & S. Genovefæ ope. Trecas accendunt. Tullensem & Virdun. agrum vastant.

Eodem anno, quo Crassus è vita decessit, Nortmanni cum Parisios aliquoties antea summis viribus oppugnassent, tandem superati Divi Germani ac sanctæ Genovefæ tutelis, dejectique spe potiundæ urbis, ex Sequana in Matronam classe devecti, eodem impetu Trecas, cui urbi quondam Attila barbarorum immanissimus pepercerat, incendio cremarunt. Inde excursionibus in Tullensem & Virdunensem agrum factis, latè circumquaque omnia, pro more, vastarunt.

Ratbodus res Ecclesiæ Trev. jacentes erigit & instaurat. ANNUS CHR. 890. Abbatia Trajectensis S. Servatii ab Arnulpho rege donatur ecclesiæ Trevirensi.

Ratbodus interim diœcesin suam hostili depopulatione afflictam pro virili sarcire, atque possessionibus cumulare perrexit. Anno itaque octingentesimo nonagesimo in eam rem subsidium ab Arnolpho, cui virtutis & consilii caussa, gratissimus ipse erat, poposcit; qui nihil junctis Episcopi precibus abnuens, sancti Servatii Abbatiam, quam Trajectam à vicino castello tum appellabant, in Comitatu Mosellant, Ecclesiæ Trevirorum donavit, atque hac de re tabulas ejusmodi confecit:

IN *nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Arnolphus divinâ ordinante clementia Rex. Si fidelium nostrorum petitionibus autem sere-*nitatis

nitatis nostræ accommodamus, opemq́ ex superne largitatis commodo eis præbere studuerimus, ad perennis vitæ salutem feliciter obtinendam, hoc nobis profuturum esse, liquido credimus. Quapropter comperiat omnium sancta Dei Ecclesiæ fidelium, præsentium scilicet ac futurorum solertiâ, quoniam Ratbodus venerandus Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopus, adiit culmen serenitatis nostræ supplicans, ut quandam Abbatiam S. Servatii confessoris, quæ vocatur Trajecta, in comitatu Moselant nuncupato consistentem, ad Ecclesiam S. Petri principis Apostolorum, quæ constructa stat in civitate Trevirensi, ubi principalis Episcopii sui sedes esse dignoscitur, ad honorem Dei sanctorumq́ ejus ibidem quiescentium, traderemus; statimq́ nos congruæ ejus suasioni ob reverentiam sui gratanter satisfacientes, decrevimus ita fieri. Dedimus quoque eandem Abbatiam cum universa integritate sua ad præfatæ sedis Ecclesiam, in beatæ memoriæ Luduici Regis aviq́ nostri, necnon Carolomanni genitoris nostri, patruorumq́ nostrorum, videlicet Luduici & Caroli Christianissimorum Regum, animaq́ nostræ perpetuam commemorationem, cum Ecclesiis, curtibus, ædificiis, familiis, mancipiis utriusque sexûs, decimis, vineis, viis & inviis, exitibus & reditibus, cultis & incultis, quæsitis, & inquirendis, mobilibus, & immobilibus, & cum universis appendicibus & adjacentibus suis. Hæc itaque universa per hoc præsens autoritatis nostræ præceptum ad sæpè nominatam sedem æternaliter retinenda donamus, & tradimus, eâ scilicet ratione, ut præfatus Episcopus successoresq́ illius, similem perpetuis temporibus ex prælibata Abbatia habeant potestatem, veluti de cæteris ejusdem Episcopatûs causis, juxta utilitatem ipsius Ecclesiæ, cuncta, prout illis placuerit, securè disponere, quatenus rectores ejusdem sedis cum omni clero eorum regimini subjecto, tam pro nobis, quàm pro antedictis prædecessoribus nostris, divinam misericordiam semper exorare delectet. Vt autem hæc donationis nostræ autoritas nullo unquam successore nostro irrumpente, solidissimam in Dei nomine per omnia mundi volventis sæcula obtineat stabilitatem, munimine nostro roborata, manu nostrâ subtus eam firmavimus, & annuli nostri impressione jussimus sigillari. Signum Domini Arnolphi largissimi Regis.

Anspertus Cancellarius ad vicem Theomari Archicapellani, recognovi. Data Kalend. Iulii. Anno Dominicæ Incarnat. DCCCLXXXIX. Indictione VII. Anno secundo regni domini Arnolphi piissimi regis. Actum Franckenvurt, palatio regali, in Dei nomine feliciter. Amen.

XXI. Corruptela veterum diplomatû.

Atque hoc diploma, ut non sine corruptela insigni, proprio an alieno scriptoris errore, typis ingestum publicè legitur, ita spurium & adulterinum prorsus censeatur id oportet, quod à Carolo Calvo traditur pro Mediolacensi monasterio Ratbodo Archiepiscopo datum: & quidem in aperto ratio: cùm Calvus sexennio jam ante decessisset, quàm pontificatum Ratbodus iniret. At verò, jam inde à Caroli Magni temporibus monasterium Mediolacense, unde omnes ferè hactenus Episcopi, longâ successionis serie prodierunt, Trevirorum Ecclesiæ adjunctum fuit. Unde & Antistites monachis præfectos dare, atque opimis tum quidem eorum possessionibus ad communem sustentandam diœcesis inopiam, uti consueverant.

In Stemmatis Lotharing. id diploma profertur ex MS. Mediolacensi.

Mediolacẽsis monasterii celebritas statusq; ex MSS.

XXII.

Ratbodus igitur ob cladem superioris temporis, cùm paulò quàm cœnobitis gratum esset, liberaliùs opes monasterii attrectaret, Erckenbertus, qui vicariâ potestate loco præerat, id injustum nec ferendum arbitratus, acrem se possessionum monasterii vindicem exhibuit. Quare & officio submotus, & omnes donationum tabulas proferre jussus, Archiepiscopo reddidit. Sed dolore interim ad tempus dissimulato, tandem Romam opis implorandæ causâ profectus, ad Pontificem adiit; à quo denique id modò impetravit, ut in antiquum honoris gradum, Crassi autoritate, reponeretur, & quædam etiam ablata monasterio prædia restituerentur, jure interim summo relicto penes Archiepiscopum. Atque is tum Monasterii Mediolacensis status fuit; cujus ignoratione, labes ea superior, recentiorum literis irrepsit.

Erckenberti Mediolacensis præfectus à Ratbodo castigatur.

XXIII. ANNUS CHR. 891. FORMOSUS PON. an. 6. circiter. *MS. & Metrop. Salis.*

Interea Formosus Romæ summi Pontificis honorem adeptus est; qui cùm Ratisbonam, Sergianæ factionis procellâ haud dubiè jactatus, istuc ad Arnulphum confugisset; magnus ilicò procerum eum in locum undique proficiscentium concursus extitit. Nec Ratbodus noster suo erga Pontificem officio defuisse videri voluit, siquidem eum Reginesburgii per hosce dies gravissimæ cæremoniæ, quâ Formosus Pontifex ædem ibi B. Emmerani Martyris consecravit, interfuisse legimus, indictione nonâ videlicet.

Formosus pontifex Ratisbonã opis causa perfugit.

Ratbodus ad Formosum Ratisbonam profectus.

XXIV. ANNUS CHR. 892. *Regino & Sigebert.*

Quo etiam tempore Nortmanni hostilia resumere ausi, atque omni calamitatum genere regnum Lotharii divexare. Nam duobus continuis prœliis in Britannia graviter contriti, auctâ in Christianos irâ, animum inde ad populandam vastandamque Lotharingiam, infestum retulerunt. Aberat Arnolphus, in Boiaria longè, resque in summum adducta discrimen, nutabat. Arnolphus autem de Nortmannorum irruptione per nuncios factus certior, quòd periculoso Sclavorum bello ipse distineretur, absens mandata principibus Lotharingiæ dat, ut repentè, collectis in unum copiis, magnâ celeritate, Mosam obsidere, hostemque propellere ab citeriore ripa, summâ ope nitantur. Sed jàm Nortmanni, Leodium propter copias suas traduxerant; adeoque in Aquisgranensium ante fines pervenerant, quàm Christianorum exercitus vel justo suo numero coalesceret, vel Trajectum, qui locus conveniendi præstitutus, accederet. Nortmanni igitur opportunitate locorum confisi, nam vicinas Aquis paludes, & avios saltus delegerant, commeatu nostros intercludere,

Nortmanni restaurant vires.

Christianorum exercitus in Nortmannum educitur.

cludere, & in obvios quosque atque palantes grassari ferro. Quod, ut ipso die natali Divi Joannis Baptistæ ad exercitum, qui jam propè coïerat, perlatum est, major istic omnium repentè stupor, quàm trepidatio apparuit; hostem à tergo imminere priusquam id sentiri posset, admirantium. Itaque sub vesperum, concilio convocato, rationem vel iter hostibus obstruendi, vel retro trans Mosam submovendi, ineunt: Sed Nortmannorum consiliis necdum ad liquidum exploratis, incertum erat, Ripuariorum ne fines inire & Coloniam inde Prumiam versi, Treviros petere, an verò multitudine nostrorum ab incepto deterriti, retro unde venerant, ultro abire vellent. Quare etiam in hoc consiliorum æstu, cadente sole, nihil, quod in rem esset, occurrente, luce posterâ, quæ sexto Kalendarum Julii incidit, communi omnium sententiâ decreta pugna: sublatisque signis, rectâ in hostem vadere, secundùm Mosam agmine ducto, placuit. Atque in itinere cum tantillum intervenit moræ, quò de mittendis ad hostium castra exploratoribus agitur, en tibi, de improviso Nortmannus eques assiliens, priorem in aperto sese ostendit. Id ubi multitudo, metu ac spe semper nimia, advertit, moræ impatiens, ardore pugnæ ilico vocem tollere, & undique, invitis etiam Ducibus, concurrere, periculum factura, si posset in paucis, tot rapinas, tantamque barbarorum vesaniam finire, & ultionem tot populis dare.

Prælium cum Nortmannis adversum.

XXV. *Regino Annal. Franc.* Nortmannicum strategema.

At Nortmannus irritâ pugnâ refugus, alacritatem sine ordine, & disciplina sequentium, eousque prolicere, dum ad reliquas copias, quæ non longè istinc aberant, ipso calore provecti, vel inviti fessique Christiani raperentur in aciem. Ergo concussis de more pharetris, clamor omnia variis terrentium atque ad pugnam se invicem cohortantium vocibus complet. Fit atrox prœlium, & aliquamdiu Marte incerto, variaque victoriâ pugnatum est, donec ad ejulantium vociferantiumque clamorem, excitus Nortmannicus equitatus, tanto impetu, in lassa ac defessa jam propè Christianorum agmina sese intulit, ut ipso incursu scinderet aciem; nostrique vim jam graviter incumbentis equitatûs, cùm minimè sustinerent, ilicò terga verterent. Cæsa hoc prœlio ingens nobilium hominum vis; & quod Regino tradidit, Sunderoldus, sive Sunzo Moguntinus Archiepiscopus, cum Arnulpho Comite, vitâ ejectus est.* Accepta clades VI. Kalend. Julii; quinto verò Kalend. ejusdem mensis, in beneficorum albo hujus Metropolitanæ Ecclesiæ, Sunderoldi memoriâ olim perennavit.

Christianorum clades.

Sunderoldus Moguntinus Archiepisc. occumbit. *Alii, ut Sigebert. & Marian. Scot.* Wormatiæ cæsum volunt.

Pugnæ locum Regino describit apud Gulid, vel Guliæ torrentem, quem vir literatissimus suspicatur esse in Falckenburgensi tractu, paulò infra Trajectum oppidum. Hac victoriâ potiti Nortmanni, castra divitiis omnibus referta complexi, trucidatis absque miseratione, quos bello manuque ceperant, opima ad classem spolia reportant.

I. Lipsius Lovan. l. 1. c. 4.

XXVI. Arnulphus Rex ulciscitur cladem Christianorum adversus Nortmannum pugnans. *Regino Annal. Franc.*

Sed, quo ne diu lætæ res barbaris essent, eam deinde cladem brevi Arnulphus ex Boiaria reversus, impigrè ultus est; qui validâ stipatus Orientalium Germanorum manu, transmisso Rheno, eam regni Lotharienſis provinciam petiit, quà per Brabantiæ fines se Dilia fluvius, Lovanium versus provolvit. Hic sepibus & aggere munitus confidebat Nortmannus: cumque castra è regione posuisset Arnulphus, magnâ verborum contumeliâ & probro ad pugnam ab hoste, qui sese munitionibus tenebat, lacessitur. Equitem palude & rivo clausus attinebat hostis, donec unâ peditum virtute castra perrupit Arnulphus; ac tantâ Nortmannos strage fudit, ut cæsis in acie Sigefrido & Godefrido duobus eorum Regibus, deletis omnibus quoque copiis, vix nuncius extiterit atrocissimæ cladi superstes. Atque illustris quidem hujus victoriæ ad Kalend. Septembris memoriam hodiéque Lovanii perennare, ut cujus in vicinia ac propè conspectu ea parta sit, eruditorum monumentis traditur.

XXVII. ANNUS Chr. 893. *I. Lipsius Lovan. l. 1. c. 4. & 5.* Nortmanni agrum Trevericum repetunt.

Anno igitur insequenti, Nortmanni, qui apud classem remanserant, suorum cæde majorem in modum animis exacerbati, longè ferociùs Ripuariorum fines incursârunt; atque omni injuriâ & maleficio vexatâ regione, quæ inter Mosellam & Rhenum interjacet, Bonnâ tenus, obvium habuêre Christianum exercitum; sed quòd in patentia ac plana se loca non dimitterent, nulla ab his tum quidem noxa data. Itaque exercitu à læva post tergum relicto, citato ipsi agmine Prumiam contendunt; adeóque ea res improvisa fuit; ut priùs monasterium barbari tenerent, quàm proripere se isthinc monachorum cœtus potuit. Farabertus Abbas cum majore suorum parte vix fugâ evasit; reliqua familia, quæ ampla & numerosa ibi tum alebatur, pars cum monachis ferro necata, pars tracta in captivitatem. Occisorum memoria in diariis privatis Prumiæ Martyrum laude tituloque cumulata.

Prumia capta & cæde afflicta. Farabertus Abbas fugit.

Inde eâdem incensi hostes furoris rabie, subeunt Arduennæ latibula, quo ingens hominum multitudo salutis causâ confugerat; nulloque negotio captis perfugiis, post cædes immanes, ingenti hominum, & aliarum rerum abactâ prædâ, incolumes resiliunt in aquas; & solutis anchoris, classe se Oceano committunt.

XXVIII.

Hinc Farabertus Abbas Prumiensis seu tædio malorum præsentium, seu vitæ desiderio pacatioris, ultrò se eo munere, * Arnolpho Rege priùs consulto, abdicavit. Cui consentientibus omnium monachorum & suffragiis & voluntatibus, Regino deinde sublectus est; qui cùm eximiis ingenii monumentis gratam sui apud posteros memoriam reliquit, tum etiam Ratbodi jussu, duos de disciplina Ecclesiastica libros edidit, quos ex diversis toto Christiano orbe conciliis ad eam diem habitis, ab eo concinnatos, Treviris ædis primariæ bibliotheca custodit. Fuit autem vir hic, tum excelso ad res asperas & difficiles toleranter & humanè ferendas animo; tum, quod in ejus maximè scriptis elucet, insigni prudentiæ & moderationis laude præstans.

Regino fit Abbas Prumiensis.

Scripsit lib. de Ecclef. disciplina.

Megingaudus Comes Treviris interfectus in Rutila Monasterio ubi hodie Carthusia juxta Sirck oppidum.

Exeunte autumno Megingaudus magnæ florentisque nobilitatis Comes, in monasterio Rutila tum Benedictinæ professionis, & titulo B. Xysti haud obscuro, apud Mosellæ ripam, proximè Sircium oppidum per insidias,

nec

nec quidquam ultrà proditur, vitâ exutus, & Treviris apud S. Maximini, ſepulchro tectus.

XXIX. Ratbodus Meti Concilium celebrat.

Sub id etiam tempus Ratbodus Trevirorum acri doloris morſu ex Nortmannicæ cladis ſenſu perſtrictus, Metim provinciale concilium indixit; ad quod non Epiſcopi modò & ſacerdotes Trevirorum provinciæ, ſed & Comites, multique cùm ſplendore natalium illuſtres, tum excellenti virtute doctrinaque viri, acceſſerunt. Longè tum ante alios, ſuffraganei fuêre, Rubertus Metenſium, Dado Virdunenſium, & Leucorum Arnoldus, ſancitum ab iis, ne uni ſacerdoti plures ſimul Eccleſias adminiſtrare, néve clericis arma ferre, quod in tot bellorum caſibus ægrè vitatum, vel habitu uti profano, fas eſſet. Relatum quoque ad concilium à Guntberto Metenſis Eccleſiæ primicerio, de Judæis, qui Metis degebant, & mutuâ Chriſtianorum cum iis conſuetudine; ſcitumque Epiſcoporum ſententiis, nemini ut unquam Chriſtiano cibum cum pervicaci gente capere; néve ullam ab iis annonam accipere jus faſque eſſet. Denique pro Arnulphi, totiuſque regni incolumitate cum jejunio tridui decretâ ſupplicatione, conventus dimiſſus eſt.

Synodi Metenſ. decreta.

Judæorum cômercium Chriſtianis interdictû.

XXX. ANNUS CHR. 894. Arnolphi Regis inſtituta.

Inde Arnulphus ex Boiaria Francofurtum; mox in Lotharingiam perveniens, præcipuas hujus regni urbes, magnâ curâ luſtravit, formatiſque omnibus, & ad belli & ad pacis artes, ingentia ab regni Epiſcopis dona tulit.

ANNUS CHR. 895. Wormatiæ comitia de Zuendeboldo notho.

Anno poſtero autem ab Italica expeditione reverſus, conventum Wormatiæ procerum egit, diſpiciens quibus artibus filium Zuendeboldum nothum regno poſſet imponere, & ad paternum accingere faſtigium; ſed lapſus propoſito, in ſequentem annum rurſum advocatis undique omnium provinciarum ſuarum proceribus, & eodem loco, multò quàm ante frequentiore conventu coacto, ut Zuendeboldum probarent Lotharingiæ Regem, denique pervicit. Lego tamen in uberiore Hermanni Contracti Chronico, anno ſuperiore Zwentibaldum* Regem ſuper Lotharii regnum inunctum; & quia hic Zwentibaldus, Arnulpho ex concubina natus, cùm Pannoniis & Carinthiæ præfuit, haud conjiciam temerè, puero nomen hoc, à Zwentiboldo Marahenſium Principe obveniſſe; qui pace belloque Arnolfo fuit notiſſimus.

ANNUS CHR. 896 *Regino & Sigebert.*

ZUENDEBOLDUS REX LOTH. annis 5 *Herm. Contract. Chron. Tom. 1. antiq. lection.*

* Zuentibald vel Zuentiboldus Rex Lotharing.

XXXI. *Ex aliis concil. & Reginone, ut & ſequent. MS. ad 896. at alia annum ſignant 895.* Concilium Triburienſe.

Eodem etiam tempore, aliud longè celeberrimum apud Triburias concilium Arnolphi Regis juſſu, coaluit: quo præter ſex & viginti Epiſcopos, Abbates, & ſacerdotes quàm plurimos, ipſe Rex, cum univerſo procerum totius regni comitatu, menſe Maio convenit. Ibi tum ſacerdotum ac Pontificum dignitas adverſum profanos acriter defenſa; & formando cùm regni, tum Eccleſiarum ſtatui multa ſalubriter decreta, & obſignatoribus Epiſcopis confirmata. Subſcripſit & Ratbodus noſter, qui cum duobus ſuffraganeis Ruberto Mediomatricum, & Dadone Virdunenſi iſtic affuit. Arnoldus namque Tullenſis Epiſcopus anno præcedente, naturæ conceſſerat; in cujus ſedem ex monaſterio D. Maximini tranſiit Ludhelmus, vir morum integritate & vitæ conſtanter actæ famâ venerabilis; quem etiam adſiſtentibus ſuffraganeis, Ratbodus hoc eodem anno Tulli degens, Epiſcopum conſecravit.

Regino & Trithem.

Ludhelmus S. Maximini cœnobita fit Tullenſis Epiſcopus.

XXXII. Arnulphus Imperator à Formoſo conſecratus & inſtitutus.

Arnulphus etiam à Formoſo Pontifice Romam occultis nunciis, ad coërcendam Lamberti Regis Italiæ tyrannidem evocatus, urbem variâ oppugnatione tentatam, demum vi expugnavit; ſed clementiæ parum ſecundâ famâ, ſuperbiùs neſcias an crudeliùs, ultionis libidinem habuiſſe; nullique neque ſexui neque ordini pepercisse, traditur: Imperator tamen & Auguſtus, vix ab aliis laudato exemplo, inunctus & coronatus.

Monaſterii S. Maximini ſtatus.

Hâc tempeſtate monaſterium D. Maximini perantiquum & nobile, quod Nortmannicâ vaſtatione tantum non exciſum & funditus everſum fuerat, ut tectorum atque parietum ruinis jam inde horrebat, ita veteri paulatim & accuratiore monaſticæ vitæ diſciplinâ labante, non opibus modò & poſſeſſionibus exutum eſt, verùm & profanorum regni Ducum libidini permiſſum; qui paucis poſſeſſionibus cœnobitis, quæ vix tutandæ vitæ eſſent, condonatis, reliqua vel militiæ vel abdomini avaro dantes, pro poteſtate avertebant. Atque ita Erkenberto, qui primus à clade Nortmannica Abbas ei loco præfuit, extincto, cùm cœnobitæ ab Arnulpho facultatem, quem vellent ſuo ex corpore cooptandi, neutiquam impetraſſent, Rex Duci Megingaudo, profanâ liberalitate D. Maximini opes elargitus eſt.

A regni ducibus occupatur.

XXXIII. Megingaudus Dux occupato D. Maximini cœnobio ob petulantiam linguæ caſtigatur.

Sed planè ut conſtet, munus iſtud quàm feliciter Duci ceſſerit, haud pigebit ex Sigehardo veteri & probato hujus ſæculi monacho, quid ei acciderit, in hanc hiſtoriam intexere. Megingaudus itaque hâc tam opimâ poſſeſſione ab Arnulpho Rege ditatus, lætitiâ diffluens, uſque adeo ſibi non temperavit, quin domum reverſus, uxore ſeorſim vocatâ, gratularetur ei, ſibique, communiter multis verbis, & petulanti ſimul in Divos effuſo joco, ſciſcitatus ex ea, ecquid noſſet, quanto ipſum munere Imperator non ita multos ante dies exornaſſet? quâ negante, ſervum ille prædivitem, inquit, mihi donavit, & is certè qui ſit, ſi noſſe curas, ipſe cum Abbatia ſua Maximinus eſt; hunc ſi volueris, etiam ſiſtere tibi modò, & coram adducere poſſim. Averſata impium ſermonem femina, jurgio maritum corripere, ſeque eo beneficio indignam clamitare. Sed neque iſthæc linguæ petulantia diu inde inulta abiit: quippè Deo, beatorum cœlitum ſuorum honorem vindicante, immani morbo Ducem ita afflixit atque proſtravit, ut è veſtigio, contortis ac velut in globum coëuntibus membris, non jam ultra hominem figurâ, non vultu vel ore ferret. Atque tum demum, acri præſentis mali dolore perculſus, & in ſemet deſcendere coactus; Divi, cujus tam vile nomen ei antea fuerat, ſupplex opem poſcere, & ad aram illius Trevirim deportatus, jam ſe ſervum ejus, atque omnis auxilii egentem fateri, cujus ipſe ſe dominum antea profeſſus erat. Quæ ſanè tam alta, tametſi ſera, ſuimet abjectio, & humanæ imbecillitatis, ut tali tempore, neceſſaria cogitatio, homini ſalutem peperit, fervidâ præſertim monachorum ad Deum obſecratione ſublevato. Ille igitur recuperatæ valetudinis memoriâ gratus, non ſolùm pro antiquo ſuffragiorum

A S. Maximino ſanatur.

Monaſterio patrocinatur.

jure

jure Cœnobitis reducendo apud Arnulphum Regem multum pugnavit, verùm, ut is eorum etiam opes, quas summâ deductâ tenuissimas fuisse ostendimus, donatâ * Ribiniaco villâ ex fisco regali amplificaret, effecit; extantque testes hujus rei antiquæ literæ, anno regni Arnulphi primo, ipsius rogatu Comitis sive Ducis Megingoz confectæ. In pervetusti ritualis libri Kalendario ad XVI. Kalend. Septembris sic annotatum inveniebam: *Arnulphus Imp. qui dedit isti Ecclesiæ Rivinacha cum appendiciis suis.*

* Ripanlaco.

Ann. 888.

XXXIV. Abbatia subjecta servituti magnatû.

Neque interim vel justæ monasterij possessiones vel Abbatum electio monachis recuperata; sed utrumque scilicet penes Regem mansit; & Cœnobitarum cervicibus imponere quemlibet dominum, & opibus eorum abuti, pro libidine. Quod præposterum ambitionis & avaritiæ studium, ejus ævi principibus familiare, ultimum sæpè nobilissimis exitium monasteriis attulit.

Comitum Lutzeburgi & Hollādiæ fundi ab Arnulpho ex Monasterio Epternacensi assignati.

De Arnulpho Theodoricus Epternacensis rerum monasterii sui diligens investigator, scribit propter irruptionem Normannorum, ad supplendum scutum regalis exercitûs, ex fundis S. Willibrordi non auxisse modò in vicinitate * Lutzelburgi velut occulto tum ævo nascentem Comitatum, sed in inferioribus etiam & maritimis Bataviæ locis, ex ejusdem Sancti bonis magnificè locupletâsse ejus tractûs defensores; non obscurè innuens eorum Comitum originem, qui hinc in Hollandia imperitare, & limitem communis imperii istic contra Danos & Normannicos piratas tutari cœperunt.

** Per anticipationem narrat. nam titulus is postea natus.*

Hollandiæ Comites. *Adi H. Cōtract. in an. 1046. & Petrum Nem. miscellan. lib. 10. c. 1.*

XXXV. Mengingaudi seu Megingoz Ducis tumulus.

Cæterùm hujus Megingozi, quia non illustrior in regno Lotharingiæ fama, quàm conspicuus inde vitæ fulgor fuit; ejus Epitaphium, quod, nisi me multa fallunt, Moguntiæ in ædis D. Albani parietinis ac ruderibus invenisse me conjicio, eleganti charactere, fragmento turris insertum, priusquam pereat injuriâ temporum, hîc subscribere placuit.

POSTQUAM PRIMUS HOMO PARADISI GAUDIA LIQUIT.
ILLIUS OMNE GENUS MORS INIMICA TULIT.

NULLUS ENIM REGUM, NULLUS MEDIOCRIS IN ORBE
ASPERA AB HAC LIBER CONDITIONE FUIT.

HANC LEGEM SEQUITUR TUMULO QUI CLAUDITUR ISTO
NOMINE MEGINGOZ, FONTE SACRANTE PIO.

QUI DOMINO, SANCTISQUE DEI SERVIVIT HONESTE,
DONEC IN HOC SÆCLO VIVERE EUM LICUIT.

REGIBUS HIC CARUS MULTIS, ET MORIBUS APTUS,
OMNIBUS ET PLACIDUS, PRO BONITATE SUA

EXTITIT; AT POSTQUAM MERITIS MATURUS ET ANNIS,
ILLIUS HINC ANIMAM QUI DEDIT IPSE TULIT.

QUÆSO IGITUR FRATRI, TITULUM QUI LEGERIS ISTUM,
DIC, REQUIEM ÆTERNAM DONET EI DOMINUS.

OBSECRO PER DOMINUM NULLUS HIC OSSIBUS ISTUM
ANTE DIEM MAGNUM EVACUET TUMULUM.

Irritum votum.

XXXVI. BONIFACIUS VI. PONT. STEPHANUS VII. dictus VI. an. 4. ANNUS CHR. 897. Wetzflariēsis Ecclesiæ & oppidi origo.

Bonifacius VI. inde Romanus Pontifex; & post eum brevi temporis intervallo, Stephanus VI. à Sergiana factione, quæ summâ cum pernicie diu Romæ grassata est, eligitur.

Abhinc secuto tempore, proximis Cattorum agris ad Loganæ, Dillæque Confluentes, ornamento atque commodo Trevericæ diœcesis, Basilica Wetzflariæ magnæ quondam celebritatis, surrexit. Opus id inchoârant Hermannus & Udo par fratrum Alsatiæ Austriæque limitis potentes. Hi quippe Transrhenani soli amœnitate capti, cùm crebris excursionibus feris hic telis incessunt; atque agitatione liberali, tempus, ut fit, venando fallunt: subiit denique major animis cura, ut quemadmodum vicini circum rivi pisces, viridantia feras nemora affatim præbebant; sic & studia pietatis iste secessus posterum abundè itidem suppeditaret, ipsosque terrenis insuetos ad divini cultûs memoriam subinde redigeret. Posito itaque hic juxta cleri collegio, & opulentis agris magnificè instructo; ipsi quidem fundatores optimè meriti audiêre, sed ædem impolitam canonicis perficiendam linquentes, ex hac luce discesserunt; sepulturâ cum Epitaphio indidem affecti, quod Maximilianus primus, avorum memoriâ istac iter faciens, honoris causâ præstantium virorum, exportari secum Oenipontum voluit.

Collegium Canonicorum exstructum.

XXXVII. Ecclesiam Rudolphus Wirtzburgensis Episcopus consecrat.

Porrò novæ Basilicæ operibus, ut dixeram, à clero interea expletis, superabat cura dicandæ; quam Ratbodi Trevirorum Archiepiscopi voluntate non invitus suscepit Rudolphus Wirziburgensis, cùm iis in locis fortè degens, Gebehardi Comitis precibus studium atque operam prolixè suam detulisset. opes huic Ecclesiæ quondam amplæ & honorificæ. Sed ut navigia, quæ modum excedunt, neque velis aptè ministrantur neque remis, ita magnæ possessiones magnæ non rarò locum dederunt jacturæ. Quin & Lutherana pestis atrociter hisce locis desævijt, oppido non solùm, quod coaluit, peste hâc noxiâ ardente, sed inflammatis ipsius sacri ædificii penetralibus, ut inquæ promiscua se religio penetravit, luce sociatâ cum tenebris. Archipresbyteri dignitate vel inprimis Wetzflariensis Ecclesia avorum adhuc memoriâ floruit, qui pagis ipsis nonaginta duobus imperitans, oppido sacra juxtaque civilia quædam jura dabat. Imminuit eandem & afflixit Lutherus.

Archipresbyter Wetzflariæ.

XXXVIII. Arnulphus in clerum Trevirens. munificus.

Per idem quoque tempus Arnulphus Imperator illustrem adversus clerum Trevirensem voluntatis significationem dedit; quando principis cleri facultates Normannorum vastitate non mediocriter perturbatas, pro virili suo confirmare, & alacriter suscipere, non dubitavit. Cùm itaque tabulas Luduici patrui, quibus S. Petri alumnos Madriazæ luculento

in Vir-

Madriaza, jam forte Madria & Maria, non procul ab Archidiac. sede, Lõguiano. Canonici S. Petri in Treviris.

in Virdunensi Comitatu prædio is honestaverat, violatis ruptisque sigillis, vitiatas compererisset, possessionem ipse eandem clericis S. Petri canonicam vitam agentibus sanxit; & novum ea de re Diploma scribi voluit, unde & magnam veterum monumentorum factam in ea clade jacturam, haud difficilis sit interpretatio.

XXXIX. ANNUS CHR. 898. Zuendeboldus Lotharingiæ ob tyrannidem aversos proceres expertus, se ulciscitur. Trevirim premit & monasteria occupat. Horreum Trevir & S. Petri Metense.

Insequenti autem anno, Zuendeboldus ob tyrannidem, quâ regnum Lotharingiæ premebat, à Comitibus regno præfectis Stephano, Odoacro, Gerardo & Matfrido bello, an insidiis appetitus, ita sese ultus est, ut exercitu in Trevirorum sedes adducto, Comites omnibus honoribus atque dignitate spoliârit; Trevirim deinde, cùm non invalidâ manu ingressus, eorundem provincias atque comitatus suis ad arbitrium distribuerit; duobus interim monasteriis, quæ in potestate Comitum hactenus fuerant, opulentissimis regio luxui destinatis. Fuerunt ea Horreum Dagoberti in urbe Trevirorum, & D. Petri Metense. Comites autem deinde, hortante, ac faciente Arnulpho, in gratiam recepti, atque redditi pristinis suis quique honoribus.

XL. Fulco Rhemensis Archiepiscop. Fráciæ moderator. *Flodoardus in Remensi histor. lib. 4.*

Fulco tunc Rhemorum Archiepiscopus, totâ Galliâ sapientiæ & autoritatis eximiæ specimen edebat, ut qui consilii ingeniique sui magnitudine, unus fermè regni Francici sceptra, multum per Caroli Simplicis imbecillam ætatem fluctuantia, moderari visus est. Is ad Stephanum Papam scribens, cur ad Synodum Romanam, quam is Septembri imminentis Indictionis quintædecimæ celebrare statuerat, occurrere non posset, graviter sanè Zuendeboldi tyrannidem, sui purgandi causâ, accusat; eum aditus non solùm obseptos habere, sed Ecclesiam Remensem multis afficere injuriis, fundosque ablatos suis distribuere satellitibus. Rogat proinde, ut Apostolicâ autoritate, Zuẽdeboldi insolentiã reprimat.

Zuendeboldi injuria erga Rhemensem Ecclesiam. *Flodoard. l. 4. c. 4.*

Rhemensis Ecclesiæ possessiones apud Poppardiam Trev.

Ex ejusdem etiam Fulconis Epistolis, quas plurimas laudat in historia sua Flodoardus, constat Rhemensi Ecclesiæ apud Poppardiam, res fuisse amplas, super Rhenum sitas, quarum tutelam, post Manigaudi utique illustris viri discessum, Herimanno Coloniensi Archiepiscopo Fulco commendat.

XLI. Inventio corporis S. Maximini.

Per illa quoque tempora, ut refert Sigehardus, Aquitanus homo, D. Maximini reliquias, humi, Normannici belli motu defossas, & funestâ deinde Normannorum clade, in oblivionem adductas, patefecit, & mirabiliter prodidit. Hic ultrò se religionis causâ, servitio monasterii mancipans, operam cementariis dare jussus in farciendis Ecclesiæ ruinis, cùm, sublato in humeros fortè grandi saxo, firmiore solum vestigio premit, ad ipsius ponderis pressum, quo constiterat loco, pavimentum sensit fatiscere, & subsidentis simul per cava terræ sonitum inaudiri. Quare suspenso aliquamdiu vestigio, similis attonito stetit; dumque tacitus apud animum causam reputat, fragrans inde se diffundit & divinus quidam odor, qui per totam mox Ecclesiam sparsus, operas, atque omnes, qui ibi præsentes aderant, incredibili quodam sensu suavitatis perfudit. Quare monachi rati, quod erat, S. Maximini pignus ibi reconditum asservari, confestim Ratbodum Archiepiscopum totâ de re faciant certiorem. Is pro insito religionis amore, vehementer eo nuncio lætatus, nihil ante faciendum sibi putavit, quàm indicto per vicina loca tridui jejunio, & precibus ad Deum suppliciter adhibitis, propitium sibi Divum ac benignum reddere. Quo facto ipse clero populoque comitante, discalceatus in sollemnem supplicationem prodiens, ad ædem D. Maximini perrexit. Ibi tum multorum morbis ad ipsius ingressum Archiepiscopi consanatis; haud dubia spes affulsit, optatas sanctissimi viri reliquias ex abdito tandem eruendi. Fusis itaque primùm in templô ritè ad Deum precibus, Antistes venerabundus ferro in manus sumpto, pavimentum convellere incipit; quem, ubi mox secutus astantium monachorum cœtus, ac reliqua deinde certatim multitudo; demum crypta patescere, ac marmoreum intus monumentum apparere cœpit. Omnium igitùr jam animis eximio quodam reliquias visendi studio gestientibus, Ratbodus conditorio cypressino tolli & amoveri jusso, pretiosissimum inde thesaurum, universo inspectante populo, exeruit; quem non modò illibatum atque omnis expertem tabis, sed amictu pontificali tam integro, cunctis obstupescentibus, reperit, ut eo ipso die conditum diceres, nî operculi succussu, nasus modicè pressus in lævam fuisset partem detortus. Inde Archiepiscopus D. Maximini pallium stolamque sumens, de loco superiore concionem ad populum rei, quæ gerebatur, & tempori opportunam habuit; quâ tum omnes ambigendi causas imbecillis ad credendum animis exemit, tum ingenti consolationis ac divinæ dulcedinis fructu repletis, stolam & pallium spectandum exhibuit; atque diem illum deinceps festum iis esse jussit. Hæc ita, ut scripsimus acta ex Sigehardo, qui se porrò à Wenidone teste oculato, didicisse, memorat, accepimus.

Ratbodi pietas in reliquiis movendis trajiciendisq;

S. Maximini pignus incorruptũ.

Ratbodi ad populum concio, exhibita stola & pallio S. Maximini.

XLII. *Tom. 6. ant. lect. studio H. Henrici Canisii. Notkeri Balbuli attestatio.* S. Maximini vestes incorruptæ.

Porrò inventionem hanc longè famâ miraculi emanantem, Notkerus Balbulus, celebris S. Galli monasterii alumnus, in suum martyrologium ad VI. Kalend. Junii retulit: *Treviris depositio S. Maximini Episcopi, cujus indumenta sacerdotalia in urna ærea, adusque nostra, imò Nortmannorum tempora, in testimonium sanctitatis ejus visebantur incorrupta.*

Ex Eberwino in vita S. Magnerici. D. Martini cœnobium in Trev. à Ratbodo instauratum.

Posthæc Ratbodus monasteria Treviris, igni aliaque clade vastata, restituere intentiore curâ perrexit; atque in his D. Martini ædem instauravit; operâ ad id usûs Reginonis Abbatis, quem ipse monasterio, ob spectatam vitæ probitatem post Nortmannorum incursionem, primum rectorem dederat; locumque, quod jam inde à D. Magnerici tempore usu venerat, non à profanis hominibus, sed à religiosis in posterum administrari voluit. Et, quia sedem hic & domicilium suum Antistites frequenter olim habuisse liquet; monasterii Præfectis ferunt ex traditione B. Magnerici pontificali amictu & infulis uti licuisse, & vices obire sacrorum, Pontifice absente. Sed comitibus pravâ jam tum ejus sæculi licentiâ sacra polluentibus, & dum sibi opes pararent, posthabitâ curâ, quid religio quidve fas posceret, statum eum non diutiùs monasterium retinuit, quàm Abbas Regino vitâ functus est: quo tempore bona rursus ad

S. Martini Abbates infulati.

exteros delapsa, comitibus beneficii loco permissa sunt.

XLIII. Aquensis conventus, in quo Zuendeboldus & Ratbodus.

Trajectensis Abbatia restituitur Ratbodo.

Æstate ejusdem anni, Zuendeboldus Lotharingiæ Rex, Aquas proceres convocavit; habitoque cum iis consilio, formandis regni negotiis ac Reipublicæ constituendæ se tradidit. Ratbodus ibi præsens expostulans coram Rege de adempta Ecclesiæ suæ S. Servatii Abbatia disseruit; quam Reginario fidissimo Comiti cumprimis gratioso Rex ipse dolo pellectus, possidendam tradiderat. Id nefas esse Archiepiscopus contendebat, quod pater, Diplomate dato sanxisset, id filium velut irritum rescindere, atque abolitum velle. Quare Zuendeboldus, accedente demum omnium procerum atque Episcoporum consensu, Abbatiam Ratbodo restituit; atque, ut ratum id munus in perpetuum foret, ejusmodi hac de re tabulas confecit:

*In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Zuendeboldus, divinâ largiente clementiâ Rex. Si more prædecessorum nostrorum, Ecclesias Christi variè honoramus, credimus hoc ad profectum corporis & animæ pertinere; ideoq; noverit omnium fidelium nostrorum præsentium ac futurorum prudentia, qualiter venerabilis genitor noster Arnolphus, Trevirensi Metropolitanæq; sedi ad S. Petrum Principem Apostolorum quandam Abbatiam potestativo jure contradidit, ubi Ratbodus reverendissimus Archiepiscopus esse videtur. Quam postquam ad nos primitus, Deo, patreq; nostro concedente, regni sublimitas pervenit, ob fallentium ora, qui præfatum Episcopum, totamq; illius tuitionis congregationem hoc velle narraverant, injustè Reginario in * precariam concessimus. Quo ita gesto, nostrorum ineuntes consilium, placitum generale Aquisgrani palatio fieri, fidelesq; nostros illuc venire statuimus; quo & memoratus Archiepiscopus Ratbodus veniens, se ad nostram reclamavit dominationem, quòd jam dicta Abbatia de præfata sede, illo, cæteraq; congregatione nesciente, injustè fuisset adempta. Quod nos circum cogitantes, ne fortè incurreremus periculum in futuro, ipsam Abbatiam cum consilio, & judicio omnium nostrorum videlicet Episcoporum & Comitum antedictæ sedi Trevirensi, reddidimus; quæ est in pago Moselant vocabulo Trajecta, quæ in beati Confessoris Servatii honorem consecrata est, ipsiq; eundem Episcopum investientes coram multitudine populi recepimus, ut ne ulterius, ipsius vel succedentium temporibus alicui per precariam concedatur. Quod si alicujus succedentium illius temporibus eveniat, anathematis ambo, & qui dat, & qui accipit, vinculis ligati, in æternum permaneant. Quod ut firmius habeatur, ipsi firmavimus, annulóque nostro insigniri jussimus. Signum Zuendeboldi gloriosissimi Regis.*

* Precaria est contractus Ecclesiæ, quo acceptis mutuo bonis rei alicujus conceditur usus fructus usq ue ad mortem ejus qui accipit. *Host. l. 3. summæ de Precariis. Vid. c. Precariæ 10. q. 2.*

Trajectum ad Mosam.

Waltgerus notarius ad vicem Rutgeri Archiepiscopi archicancellarii recognovi. Data tertio Idus Maii ipsâ die festivitatis S. Servatii, anno Incarnationis Dominicæ DCCCXCVIII. Indictione primâ, anno IV. Regis piissimi. Actum Aquisgrani palatio. Investitura verò in ipso Trajecto.

XLIV. Ratbodus Abbas Trajectensis institutus à Zuendeboldo.

Sed & aliud eodem tempore Diploma obtinuit, quo Zuendeboldus se Abbatem Ratbodum Trajecti instituisse, atque, ut loquebantur, investivisse, non obscurè indicat. Quæ consuetudo jam inde à Caroli Magni temporibus obtinuerat. Is enim ab Adriano Pontifice cùm Patriciatûs honore per singulas provincias, ubique Episcopos instituendi dandique facultatem ob singularia in Ecclesiam Romanam merita accepisse traditur; ita ut nisi ab eo singulari autoramento laudarentur, nemo eos consecraret. Hanc Episcoporum sive Abbatum institutionem, adstrictâ tamen voce Investituram, veteres appellârunt, quam hîc Zuendeboldum usurpâsse res ipsa docet. Atque etiam ex eodem Diplomate, ut item aliis plerisque tum exteris tum domesticis Ratbodum constat pariterque successorem ejus, Lotharingiæ fuisse, quos vocabant Archicancellarios.

Investitura quid propriè, *vide Obertum de orig. l. 2. de Feu. t. 2. Tom. 1. gest. Leod. Episc. Ansel. c. 37. in Francone.*

Archicancellarius regni Lotharingiæ.

Officium ejus.

Archicancellarii porrò munus, ut id in transcursu quoque dicatur, in regia Lothariensi fuit amplissimum, & curâ, locoque primum, uti, ad quem rerum omnium judicandarum gerundarúmque publicè summa rediret; quique in iis, quæ Reipublicæ componendæ ordinandæque salubria, quæque privatorum gratiæ, meritísque tributa, ceu Legatus quidam summa cum potestate lateri Regis hæreret, & sigillum illud sanctius vice sacrâ, manu versaret, exprimerétque, quo, quæ edicto nutúque Rex præciperet, quæque honorum beneficiorúmque præmia cum benè meritis communicaret, hæc signo sanctiore cuncta obsignaret, & rata testatáque posteris efficeret.

XLV. Origo. *Lupan. magist. Franc. lib. 2. V. Cancellar. Flav. Vopisc. Ad L. nullus C. de Adsessoribus. Guidus Pancl. rel. Notitia Orientis. c. 9. Dionys. Godefrid. ad Cod. cit. Serm. 56. super Cant.*

Vocis originem reperti, qui ab hoc fori munere deducerent, quòd edicta rescriptáque minùs Reipublicæ salutaria, quasi transversâ lineâ conscindere, vel, ut aiunt, cancellare soleat; verùm à scribis manâsse equidem cum Jurisconsultis interpretor, qui publicis aut privatis actis, Judicum excipiendis scribendisve operati loco, qui Consistoriis proximus, reticulis sive cancellis clausi, foro Justitiæ dabant operam: quod S. Bernardum observâsse quoque memini; cùm à cancellis Cancellarium derivat, quales, inquit, utique hi, qui libros describunt, aptare sibi solent, ad recipiendum lumen paginis. Sed longè etiam ante hæc tempora in Justiniani Palatio, honoratis Cancellarii munus accensebant: unde Cassiodorus Marcellinum Comitem adhuc Patricium, perhibet Justiniani egisse cancellos.

Instit. divin. lect. lect. 1. c. 17.

ANNUS CHR. 899. *MS. an. 899.* * Ragnerum comitem.

Carolus simplex à rebellibus ad regnum Lotharii occupandū illectus.

Zuendeboldus deinde * Reginarium Ducem, incompertum qua de causa, regno & honoribus ejectum, anno sequenti, conspectu suo demovit: qui pervicax iræ, adjuncto sibi Odoacro Comite, priùs persurere non destitit, quàm Carolum Simplicem Franciæ Regem ad ineundam infesto cum exercitu Lotharingiam induxisset. Carolus ergo, vanis Ducum promissis inflatus, spe regni occupandi

non dubiâ, cum magna pedestrium & equestrium copiarum manu, confestim ad fines regni Lotharingiæ præsto fuit. Ad cujus rei nuncium velut inopinatæ perterritus Zuendeboldus, ratus haudquaquam pares sibi ad resistendum esse vires, rebus in summum discrimen adductis, maturâ sibi fugâ consuluit. Sed à Francone Tungrorum Episcopo in melioris consilii spem erectus, transmisso è vestigio Mosâ, ad locum, cui Florenchæ nomen, iter vertit; ubi omnes ejus provinciæ optimates præter spem in armis adeptus, & auxilium atque opem certatim offerentes, recollectis cum animo viribus, in hostem regni æmulum proficiscitur. Carolus jam Neomago reversus cum exercitu Prumiam adierat, & inde copias ostendebat adversus Zuendeboldum avidus certaminis. Ubi igitur in plano ad pugnam utrinque paratæ constiterunt acies, tandem pace, quàm armis decernere, placuit: quare missis invicem ultrò citróque Legatis, pax inter eos jurejurando sancita, ac fœderis pactione firmata.

Zuendeboldum fugat.

Franco Tũgrorum Episcopus regẽ erigit. *Regino MS.*

Zuendeboldus & Carolus gratiam inter se pacemque cõficiunt.

XLVI. Zuendeboldi in Ecclesiam Trev. liberalitas.

Per idem quoque tempus, insigni Ratbodus à Zuendeboldo Diplomate donatus, quo & D. Petri Apostoli honori Rex egregia beneficia tribuit, & ejus cultui clericque ministeriis dicatos, magnis oneribus levavit.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi Dei æterni. Zuendeboldus divinâ præveniente clementiâ Rex. Si juxta morem antecessorum nostrorum Ecclesias, res, ac familias nostræ miserationis tuitione salvamus, per Sanctorum patrocinia, præmium nobis ex hoc à pio remuneratore Deo incunctanter credimus recompensari. Quocirca omnium nostrorum fidelium præsentium & futurorum noverit solertia, quia Ricquinus & Widiacus venerandi Comites nostri indicantes nobis, homines S. Petri in civitate manentes de nostro frequente adventu, magnam incommoditatem & dispendium pati, nostram deprecati sunt celsitudinem, ut ab hujuscemodi oppressione nostrâ liberarentur & salvarentur tuitione. Quorum petitionem ob amorem Dei & reverentiam S. Petri, nec non pro dilectione Ratbodi venerandi Pontificis, libenter auscultantes, hoc nostræ serenitatis Præceptum fieri jussimus, per quod obnixè præcipimus firmiterq́ sancimus, ut nemo nostris nostrorumq́ successorum temporibus in domibus prædictorum hominum videlicet S. Petri Treviris manentium, mansionem accipere, nisi quem Episcopus jusserit; neque ullam eis quispiam incommoditatem ulteriùs facere præsumat, neque ullam iidem homines cogantur solvere expensam. Præcipimus quoque, ac nostræ autoritatis imperio penè interdicimus, ut nullus ex regia ac Comitis parte, neque ulla judiciaria potestas in villis ejusdem S. Petri placitum habere, aut aliquid districtum juris ullo modo, sine assensu & voluntate Episcopi, facere conetur.... Si autem hæc aliquis violare præsumat, iram Dei incurrat, & Episcopo X. Libras auri solvere compellatur. Manu propriâ Walterus recognovit. Data Treviris civitate, X. Kalend. Februarii, anno Dominicæ Incarnationis DCCCXCIX.*

Comites Trevirenses in partibus Episcopi onera regia ab hominibus S. Petri avertunt.

* *Tenlitis vel plani.*

Homines S. Petri & villæ exempti à regiis magistratibus.

XLVII. S. Goar celebratur procerum conventu.

Eodem etiam anno S. Goaris domicilium, raro procerum trium regnorum conventu frequentatum. Accessit eò ipse Zuendeboldus: quo deinde discedente, Arnolphi ac Caroli Regis legati: varia fuere de regno Lotharingiæ consilia, quæ primùm ibi clandestinis agitata colloquiis, in apertam tandem erupere Zuendeboldi Regis perniciem. Quo etiam tempore Regino Prumiensis Abbas nullo suo vel merito, vel culpa, officio, quo præclarè toto septennio functus erat, submotus; atque ambitiosorum Comitum artibus, Gerardi & Matfridi, monasterio suo depulsus est; cujus in locum Richarius duorum Comitum germanus, ac postea Leodiensis Episcopus successit. Porrò Reginonem in D. Maximini monasterio deinceps privatam egisse vitam, atque animo istic ad scribendum appulso, cogitationes in posterum suas mandasse literis, testes cum Epitaphio cineres, hâc nostrâ ibi ætate è sepulchro lapideo cum duabus diffracti litui partibus, eruti. Atque hanc ipse tristioris vitæ sortem, Christianæ modestiæ causâ scriptis prodere noluit; quamvis facturum se in Annalibus recepisset. Tritthemius interim improbitate monachorum suorum, pulsum è medio, haud ait ambiguus.

Regino Prumiensis Abbas magistratu spoliatus.

In Maximiniano monasterio vivit.

Anno elapso XI M.DLXXI.

Epist. 11. in oper. pii ad Antonium S. Matthiæ Abbatem.

Eodem hoc anno, qui in Reginonis veteribus libris, expers numeri, cum vulgatis typo deinceps coalescit. Tertio Kal. Decembris, Arnolphus Imperator Ratisbonæ, ubi plurima ei statio, morte deletus, Luduicum filium pariter hæredem, & regno reliquit successorem: quem proceres & optimates apud Forchemium Babenbergensis ditionis in unum congregati, postero anno, qui Christi fuit nongentesimus, complexi, esse Regem sibi jussere; & diademate, cæteroque cultu splendidum regali in solio locavêre.

Reginonis chronici error.

XLVIII. ANNUS CHR. 900. In Zuendeboldo [illegible] tyrannicũ.

Quæ dum in Germania trans Rhenum geruntur, Zuendeboldus gravior crudeliorque indies Lotharienfibus, populum sumptibus ac tributis vexare, regnum deprædationibus hostiliter diripere: adhæc optimatibus nullo, vel exiguo honore habito, plerisque etiam gradu atque dignitate pulsis, mulierum & infimorum hominum sordibus conflictari, cum his Reip. negotia regnique curas partiri; omnibus denique gradibus, queis ad exitium nisi mali Principes assolent, insistere, quod pridem questus erat Fulco Remensis Archiepiscopus, cujus indignum tanto Pontifice fatum Flodoardus deplorat, cùm ob S. Vedasti Abbatiam à Balduino Flandriæ Comite, submisso percussore, narrat occisum. Nec mitiora in Ratbodum parare constabat Zuendeboldum, cujus in sacratum verticem, ingenti conceptâ irâ, baculum illiserat.

Fulconis Archiepiscopi interitus.

Zuendeboldus Ratbodum Archiepiscopum fuste mulctat.

Flodoard. hist. Remens. lib. 4. c. 10. Sigebert. & Baron. ad annum hunc. Papir. Maff. ex Regin. ad 903.

His igitur injuriis exstimulati proceres, quod unum supererat, aspernari palam ejus imperia ut injusta; atque regnum etiam, ut cui impar esset, adimere decreverunt. Mox igitur solicitatis ad defectionem offensis jam ante Lotharienfium animis, Luduicum Zuendeboldi fratrem communi consilio Regem accersunt; eùmque summo procerum favore atque consensu Theodonis villam introductum, & Regem Lotharingiæ salutant, & sponte ejus sese imperio subdunt. Eo verò trans Rhenum in Germaniam abeunte, Zuendeboldus, ut se ab regni optimatibus sociisque universis desertum, proditumque vidit, ex ira versus in desperationem, perditorum homi-

XLIX. Luduicus IV. Rex Lothar. an. 11.

Luduicus Arnulphi F. ad regnum Lotharing. provehitur.

Zuendeboldus sævit in Lotharingiam.

num

num sibi manum circumdat, quâ stipatus peragrato Lotharingiæ regno, obvia quæque ferrò flammaque proterit; ratus ultimâ malorum conflictatione proceres, & terrore ad sui reverentiam flecti posse, quos benevolentiâ retineri priùs oportebat: armis enim, ut imperia parentur, at amore custodiri volunt. Quamobrem Luduico in Lotharingiam regresso, Stephanus, Gerardus & Matfridus bellicosi Comites tyrannidem perosi, & cum Zuendeboldo Idibus Augusti ad Mosam fluvium summis copiis congressi, Regem in pugna obtruncant; editâque ingenti strage, memorabilem à praeferoci juvene victoriam reportârunt. Ejus casum signatè Chronicon Contracti auctiùs notavit. *Zuentibold Galliæ Belgicæ Rex cùm crudeliter & temerè ageret, res Ecclesiarum affectaret, Ratpotonemq́. etiam Trevirensem. Archiepiscopum baculo in caput percuteret, à suis spretus ac desertus, cùm incautè viribus impar, cum eis congredi vellet, peremptus est.*

Zuendeboldus à Lotharienfis regni comitibus in prœlio occiditur.

L.

Romæ inter hæc prima sedes invasorum detestabili ambitu, dici non potest, quàm indignis modis facinoribusque contaminata; nec satis inter scriptores compertâ re, quos, qui, & quando pepulerint è medio. Stephani exitum, Romani & Theodori ingressum huic anno Baronius, Onuphrius & alii superioribus annumerant.

Onuph. Sign. in 895.

Zuendeboldo sublato, quietam regni possessionem Luduicus adiit, apud quem Ratbodus gratiâ atque autoritate, quantum profectò valuerit, beneficia declarant, quibus eum Rex insequentibus annis affecit. Et Joannes Pontifex Romæ sedebat, cùm Luduicus Circio, quod oppidulum ad Mosellam hodie Duci Lotharingo paret; & Vico Orsivelsio, cum finitimis prædiis, Ratbodum donavit; & anno deinde DCCCCII. urbis Trevericæ telonium, & jus mancipi tam intra, quàm extra urbem vectigal exigendi, jam pridem ab Ecclesia S. Petri alienatum, asseruit, ac liberali causâ restituit.

ANNUS CHR. 901. JOANNES IX. PONTI an. 3. d. 15. Luduicus Rex donat Ecclesiæ Trevirensi Circkium. Circium vel Orsivelsiũ, inter Saram & Mosellã.

ANNUS CHR. 902. Jus urbis Trevir. Archiepiscopo restituitur, unde colligas avitum Archiepiscopi imperiũ. Comites pro Archiepiscopo in Urbe jus dixisse. Moneta, censuales, tributum, agri. *Medena medius agrorum à metiendo, medem.* Jus civitatis sub Weomado obstrictũ jam laxatur iterum pro Ratbodo. * *Comitatus puta Mosellensis, ubi* * *per comites Rex suum jus administrabat.*

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Luduicus divinâ favente gratiâ Rex. Si nostrorum Præsulum justis petitionibus indulgemus, omnium sancta Dei Ecclesia nostrorumq́. fidelium præsentium ac futurorum comperiat agnitio, quòd Conrardus & Geberardus illustres Comites nostræ mansuetudini suggesserint, nostraq́. celsitudinis clementiam poposcerint, ut Treverica civitatis monetam, telonium, censuales, tributum atque medenam agrorum cum fiscalibus omnibus, quæ quondam tempore Weomadi ejusdem urbis Archiepiscopi de Episcopatu obstricta, & in comitatum conversa noscuntur eidem Episcopo nostræ majestatis authoritas restitueret. Quorum petitionem justam nostraq́. saluti proficuam esse censentes, pro amore Dei, & reverentia B. Petri Apostolorum Principis, nec non pro dilectione Ratbodi memoratæ Civitatis venerabilis Archiepiscopi, per consensum Wigerici Comitis, & omnium nostrorum fidelium, qui præsentes adfuerunt, universa superscripta, monetam scilicet ipsius civitatis, telonium, omneq́. tributum intra civitatem & extra, per omnem Comitatum, de monasteriis, & villis & vineis, sed & cunctos censuales atque fiscales, & medenam agrorum de Comitatu ad Episcopatum cum omni integritate convertimus, & de nostro jure ad partem & potestatem S. Petri reddidimus, ejusq́. dominio, per hoc serenitatis nostræ Præceptum sancientes, perpetuâ stabilitate firmiter nuncupavimus, præcipientes obnixè, ut hæc omnia sicut Comiti solvebant, sic à die præsente deinceps in perpetuum in potestate permaneant Pontificis. Et ut hæc nostra largitionis seu redditionis autoritas, firma & inviolabilis per cuncta succedentia tempora consistat, manu propriâ eam subter firmavimus, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus. Signum Domini Luduici serenissimi Regis.*

Wigericus Comes Trevericus.

Ruadmirus Notarius ad vicem Ratbodi Archicancellarii, recognovit. Data XIII. Kalend. Octobris. Anno Dominicæ Incarn. DCCCCII. Indictione V. anno verò III. Domini Luduici gloriosissimi Regis. Actum in villa Wadegozzinga, in Dei nomine feliciter. Amen.*

LI. * Non procul à Sara, quo loco cernitur hodie monasterium Wadgazzum Præmonstratensium.

Atque hæc certè veterum tabularum monumenta, secus fortè quàm velint imperiti propè verbatim annalibus intexere, literisque porrò propagare, decorum putavimus; tum quòd ad egregiam pertineat posteritatis laudem, quem animum Reges & Principes Ecclesiis locisque piis præstiterint, recognosci; tum, ut in hac vicissitudine rerum humanarum, eorum memoriâ perennior jus Archiepiscopale perpetuò vindicet, tum denique ut illorum etiam frangatur improbitas, qui Ecclesiasticæ dignitatis invidiâ, aut hæresis insaniâ perciti, vetustati caliginem offundere, aut surreptitiis schedis opinionibusque depravatis, tantam obruere lucem non dubitant.

Diplomatũ antiquorũ fides & veneranda observatio cõtra juris ecclesiastici oppugnatores. *Kyriander comment. Trevir. Aug. in præfat. & p. XI. ubi hæc supprimit.*

Sequenti anno quo Stephanus, vir in Metensi clero, sanctitate & scientiâ clarus, Franconi Leodiensium Episcopo surrogatus est, Gerardus & Matfridus Lotharienfis regni Comites, post devictum acie Zuendeboldum, opulentissima apud Treviros monasteria victores invaserunt, Horreum nobilium puellarum, & D. Maximini. Sed hæc ipsa deinde Luduicus Germaniæ Rex, sæpè damnatâ licentiâ Conrado & Gerardo Franciæ orientalis strenuis Comitibus præmii & honoris ergò donavit.

LII. ANNUS CHR. 903. *Sigebert. in Chron. Tom. I. Leod. Episc.* Comites tyrãni monasteria invadunt.

Anno igitur proximo, Conradus Luduici Regis frater, qui circa Fritzlariam gravissimum bellum cum * Adelberto æmulo Comite susceperat, filium Conradum postea Lotharienfium Germaniæque Regem, cum non temnendâ militum manu in Treviros misit, qui Comites D. Maximini. solo dejiceret, & paternis simul honoribus dimoveret. Is igitur cùm copiis ubi affuit, ei se mox Lotharienfis exercitus, Regis imperio, adjunxit. Primùm igitur Blasiacum pagum hostiliter incursare

LIII. ANNUS CHR. 905. *MS. Franc. Saxon. Marian. Scot.* * Is est, qui Hattonis Archiepiscopi Mog. consilio insidiose Babergæ periit. Conrardus Comes Tyrannos invadit. *Blasiacum.*

incursare Conradus, omniáque ibi Comitum prædia, villásque rapinis, & incendiis latè pervastare, ad pacem denique ultrò postulandam armatos vi, malóque cogere. Dato igitur invicem & utrinque suscepto sacramento, pax quidem inter eos, sed ad octavam usque Paschæ, non ultra firmata.

* Regino Supplem. & Sigebert.

Luduicus Rex Meti Comites proscribit.

Luduicus inde, habito conventu apud Triburias, pacandæ Franciæ Orientali, Mediomatrices adiit, & adulto jam autumno, Metim concilium advocavit; hic in publico conventu Gerardum atque Matfridum Comites, adeò sunt fluxæ res potentium, hostes decrevit: regióque jure proscripsit.

LIV. Ludhelmi Tullensis Episcopi mors. *Hucnsgun MS. Regm.* BENEDICTUS IV. PONT. a. 3. ANNUS CHR. 906.

Per id tempus Ludhelmus Tullensis Episcopus, quem ex D. Maximini monasterio ad Leucorum ascendisse Pontificatum diximus; præstanti relictâ apud eam urbem munificentiæ ac liberalitatis, aliarumque virtutum famâ, decessit, relicto successore Drogone. Benedictus etiam quartus ejus nominis, Joannis IX. locum Romæ obtinuit.

* cap. 434. Formatæ à Ratbodo datæ exemplar.

Insequens annus specimen nobis offert Formatæ Ratbodianæ, quam ob exempli perfectum tenorem B. Ivo dignam censuit, Collectaneis sextâ parte * Decretorum inferri. [In nomine Π. Patris, & Υ. Filii, & Α Spiritus Sancti. Ratbodus sanctæ Trevirensis Ecclesiæ, ac plebis ipsius humilis famulus, Rotberto reverendæ sanctæ Metensis Ecclesiæ Antistiti, in Christo Principe pastorum mansuram cum gaudio prosperitatis ac perpetuitatis gloriam. Decreta sanctorum trecentorum decem & octo Patrum Nicææ constitutorum saluberrima servantes, Deo dignam piamque fraternitatem vestram canonicè aggredimur; & sub nomine Formatæ epistolæ, reverenter vestram sanctitatem adimus; vobis videlicet intimando; quia præsenti presbytero nostro nomine Gislemaro, has dimissorias dedimus literas; quem in nostra diœcesi Ecclesiasticè educatum, de ordine clericatus ad presbyteratus proveximus gradum, ut his canonicis munitus apicibus, cum nostra licentia ei in vestra Parœcia, sub defensione ac regimine vestræ caræ dilectionis, degere liceat; illumque in sinu sanctæ matris Ecclesiæ canonicè fovendum ac regendum vobis committimus. Hanc ergo epistolam, Græcis literis hinc inde munire decrevimus, & annulo Ecclesiæ nostræ bullare censuimus. Christus pastorum Princeps, interventu B. Petri, cui specialiter ovile dominicum commissum est, fraternitatem vestram ad custodiam sui gregis diu nobis conservet incolumem. ΑΜΗΝ. Summa horum mille, DXXXXIX. Π. Υ. Α. Π. Ρ. Ο. Σ. Υ. Θ. ΑΜΗΝ. Data Treviris Id. Oct. Anno Dom. Incarnat. DCCCCVI. Indict. IX. Π. Υ. Α. Π. Δ. Α. Ρ. Δ. Θ.]

LV. Communes omnib. Formatis literę, 4. priores cum Amen, colligũt 66p & 779. ex posterioribus. 5. summa 1439. *videtur in D, irrepsisse mendum, pro quo fortè CCCC. vel CD. aut certè in literis Græcis. De Formatis adi Iac. Sir. ad Sidonii Epist. Ivonis Decreti par. 6. c. 418. &c.*

Formatæ genus hic habemus dimissorium, quod in aliam diœcesin transeuntibus dabatur, ἀπολυτικὸν à Græcis dictum; alterum enim erat commendatitium seu pacificum, Græcis συστατικὸν & εἰρηνικὸν, quia negotii causâ peregrinantibus, non sine commendatione & pacis symbolo dabantur. Notæ numerorum Formatis ex Synodi Nicænæ præscripto sunt additæ, quas Atticus Constantinopolitanus, & ex eo Gratianus, aliique Canonum collectores explicârunt. Formatam verò rectiùs ab impressa sigilli forma, quam à literarum notis appellari volunt periti. Hinc & Ratbodus noster sui sæculi verbum usurpavit, unde bullatæ literæ S. Bernardo *; & ipsa denique Pontificum & Cæsarum diplomata à sigillis nuncupari Bullæ cœperunt.

Gr. σφραγὶς. Bulla. Gr. σφραγίζειν, & βουλλοῦν, sigillare, sigilla. * *Epist.* 210.

Hungari novi hostes exoriuntur. *Flodoar. Remens. histor. lib. 4. Continuator Reginonis, H. Contract. M. Scotus, Sigebert.*

Proximis inde annis Hungari novi hostes, & omnibus retrò sæculis istâ specie inauditi, Germaniæ apparuêre; quorum auxerunt terrorem, edita passim ab iis in Italia omnis ferociæ atque crudelitatis exempla. Etenim Carolo Crasso regnante, ex Scythia & vastis Septentrionis paludibus, quas super ripas Tanais effusas lenibus stagnis in immensum evehit, à Pezinatium finitimis populis, qui numero & virtute præstabant, sedibus pulsi, Pannoniam, submotis loco Hunnis & Avaribus, insederunt. Inde postea, ingenti agmine in Italiam profecti, florentissimum regnum sævâ depopulationum tempestate vastârunt; populandi fine non antea facto, quàm discessum eorum auro Italia redemisset.

LVI. ANNUS CHR. 907.

Hæc igitur immitis planè & atroci cœlo nata gens, jam tum Boiariorum fines infestare, atque omnia ibi, duce Luitpoldo cæso, hostilis impotentiæ exempla prodere; inde perruptis locorum obstaculis, Saxonum, Thuringorum & Alemannorum fines igne, ferro, omnique aliâ direptione, pervastare cæpit. Quin & in Vogesi penetralia procellam hanc incidisse S. Romarici nos acta docent. Is namque à sæculo sexto unà cum Amato Magistro in Deiparæ matris oratorio quiete cubarat, cùm Hunnica pestis in S. Romarici tam virorum quàm virginum cœnobia desæviens, exportari isthinc ossa coëgit. Nam ultra Mosellam, augusto cum templo magnificum honori S. Petri collocatum monasterium, in quo receptæ virgines unáque reliquiæ SS. Romarici, Amati & Adelphi, XVII. Maii, sub annum Domini 910. Drogone Leucorum Episcopo coram favente. Qui quidem sancti, majore postea honore cumulati sunt à Leone IX. egregio Pontifice, cùm is intervallo Tullum rediens, cujus Ecclesiam antea rexerat, per Udonem*, parthenonis Romariciani res præclarè constituisset. Et ex eo tempore, ut annotavit eruditus scriptor, per varias rerum temporúmque vicissitudines, mansit ad hodiernum usque diem antiquitate, virginúmque nobilium frequentiâ, & insigni opulentiâ inclytum illud cœnobium oppido auctum, quod à sancto ipso Romarici mons appellatur: quódque regali palatio ornatum olim, iis ex literis observavimus, quas Lotharius Magni Caroli nepos, qui à suo Lotharingiæ nomen indidit, in monte Romarico, palatio dedit.

S. Romarici translatio.

R. P. Nicol. Serar. in S. Romarici vit. Notis.

S. Romarici monasteriũ & oppidum.

Palatium ibi regale. *Tom. 1. Gall. Lond. Episc.*

LVII. ANNUS CHR. 908. LEO. CHRISTOPHORUS. SERGIUS III. PONT. ANASTASIUS III. PONT. an. 2.

Romana sedes tunc tragicè adhuc succussa, vix consistebat, hujus sæculi anno circiter octavo Leone, mox Christophoro, inde Sergio, denique Anastasio, brevi intervallo, se consequentibus. quo tempore legitur Aquisgrani Luduicus Rex luculento præcepto facultates Tungrensis Ecclesiæ Stephano Episcopo confirmâsse, subscribente ad vicem Ratbodi Archicancellarii, Ernuldo.

ANNUS CHR. 909. * vel X.

Inter hæc aperiente jam anno se Christi nascentis nongentesimo * IX. nobilis & insignis trans Rhenum Limburgensis Ecclesiæ, in

pervetusto

Limburgēsis seu Lintburg Ecclesiæ trans Rhenum origo.

pervetusto Franciciæ ditionis pago, cui Loganaha & Loganagouwe à rivo vocabulum obvenit, fundamenta jacta sunt; atque ad excitandum id opus, quod pietatis & religionis inter efferos eos tum adhuc populos, firmandæ propagandæque magno bono post emersit, Luduicus exemplo avito, atque paterno, beneficâ in rem Christianam voluntate, Brechene pagi Loganæ opimum ac feracis glebæ, diffusum per ampla arvorum spatia, prædium, dilecto Comiti Chuonrato Eburhardi filio, attribuit; quod ut lubentiùs faceret, Hattonis Moguntini Archiepiscopi & Cuonrardi Franconiæ Ducis rogatu consultuque perfectum est. Cavet verò tabulis hisce, quas omninò antiquitate ipsâ verendas inspeximus, mandatque Rex, ut possessiones has ad inchoatæ Basilicæ dotem liberè & securè Comes eroget, ceu proprias, nullique alterius dominio obnoxias. Porrò in ipso diplomate, *Hettonem fidelem, & venerabilem patrem suum, Chuanratum Ducem egregium, & fidelem nepotem* appellat. At fundum vocat, *Curtem dominicalem, quæ cum curtilibus, ædificiis, ecclesia, decimis, mancipiis utriusque sexûs, terra Salica, & universis quæsitis & acquirendis*, in proprium donatione ad Comitem transire dicitur. Basilicâ verò dotandâ & exstruendâ describitur *in monte quodam Lyntburc in Logenahe.* Signum Domini Hluduici serenissimi Regis.

Brechene, al. Brichina.

Chuonratus Comes Loganægowæ.

Chuanratus Franconiæ Dux. Curtis Dominicalis, supremi Principis, cujusmodi dictæ Frohnhoff. Salica terra gaudēs certis commodis & immunitate, Frohnlädt. Lintburc, mons vel Lyntburck, ut a Linter, & Linterbach, qui rupem adlambit.

Salomon cancellarius ad vicem Piligrini Archicapellani recognovit. Data IIII. Idus Februarii. anno Incar. Domini DCCCCIX. Indictione XIII.* Regni Domini Hluduici XI. Actum Franconofurt. in Dei nomine feliciter. Amen.

*LVIII. Indictio huic anno datur alioqui 12. etsi Imp. in Septembri incipiat XIII. * circiter. In Chron. Lyntburgico MS. Brechenæ superioris & inferioris origines. Ex antiq. Eccles. Limburg. & diplom. Henrici IV. ab anno 1118. Poppone & Berengoso S. Maximini Abbatibus Anselmo Molesbergæ Domino collatæ Limburgēse & Molesbergę dominium tādam Ecclesiæ Trevir. cessit.*

Atque hæc prænobilis Georgianæ Basilicæ & Collegii clericorum, qui in Loganæ subterlabentis editiore ripa, quam collis Septemtrionalis exasperat, commune religionis ac vitæ domicilium habent, primordia sunt. In quibus & utriusque Brechenæ origines, deprehendisse, & observâsse, juvet. Quippe diversis dominis titulisque natæ, quâ superior à Limburgensi basilica S. Georgii patrocinio gaudet, villæ pagique conditionem non est supergressa. At inferior mœnita demum, & civium jure donata in oppidi speciem excessit. Nam sancti Maximini nomen memoriámque retinens Molesbergensi tractui adscribitur, quia scilicet à S. Maximini Abbatibus, Poppone & Berengoso ad utrunque Anselmum avum & nepotem Molesbergæ dominos ante sexcentos annos jure precario translata. Verùm ambæ tandem cum dominiis quibus annexæ, cesserunt Ecclesiæ Trevericæ.

LIX. ANNUS CHR. 910. Luduici IV. Regis mors. Onuphrio & Sigon. 10. brevi. aliis Lon. an. 912. ANNUS CHR. 911. Anternacēsis Ecclesia Trevirorū Archiepisc. ditione donata.

Subinde cùm Romæ Papa Sergius abit è medio, ad pùblica Germaniæ atque Lotharingiæ mala, quæ ab Hungaris illa pertulit, mors etiam Luduici Germaniæ Regis accessit, cum qua magni Caroli mascula progenies, velut à radice recisa, interiit. Obiit is anno DCCCCXI. mense Decembri, aliis in Januario sequentis; cùm paucis ante annis Ratbodoni quasdam possessiones, & Ecclesiam ipsam Anternacensem concessisset; quod ex literis tradimus anno Domini DCCCCVIII. regni sui IX. tertio Idus Octobris, Indictione undecimâ, datis.

CONRADUS REX in LOTHAR. an. 5. MS. Franc. Saxon. Witickind. in Saxon. histor.

In hujus locum Germani proceres, cedente Ottone Saxoniæ magno Duce, qui frater erat Mathildæ Reginæ, uxoris Luduici Regis, Conradum è Franconia Conradi Ducis & fratris Luduici Regis filium, virum & belli & pacis artibus præstantem, ad regni fastigium evexerunt; qui ad tempus Lotharingiæ quoque nostræ regnum obtinuit, & per Giselbertum Ducem nobili & antiquo genere atque indolis acerrimæ juvenem, Lotharienfibus jura dedit.

LX. ANNUS CHR. 912. LANDUS JOANNES X. PONT. an 16. Confluentina Synodus in aliud tēpus rejecta. ANNUS CHR. 913. Raginerii Comitis acta & diploma. Usurpavit in Annalibus suis Baron.

Sequenti anno, quo Romæ suffectus Anastasio Landus, Confluentiæ Synodum Episcoporum coiisse, ex Ivone, sed manifesto Chronologiæ mendo, traditur; & ad eundem annum, Joannem quoque Ravennatem narrant, præpostero honoris gradu *cathedram adiisse Romanam.

Animadverto in stemmatis Lotharingiæ, anno tertio decimo hujus sæculi, Raginerii Comitis cui Prædonis titulum addunt, extolli pœnitentiam, quam ob vastatas oppressasque injustè Dei Ecclesias, justo in se decreto piaculo ultro susceperit. Enimverò seu stemmatum autori privata stirpis documenta fucum fecerint, seu privatam Raginerii pietatem, majores ambitiosiùs ornarint, doluimus sanè pœnitenda erroris propagine, rerum Ecclesiasticarum publicos annales, tam inutili commento quodammodo vitiatos. Quis enim in hoc ævo & regni Lothariensis luce, nullo præeunte vetere vel teste, vel exemplo, fuliginem hanc ferat, ut Raginarius sive Ragnerus Comes in parte Lotharingiæ beneficiarius, per publici diplomatis memoriam, Lotharingiæ superioris, Mosellanicæ inferioris, Arduennæ, Moselant seu Hasbaniæ, Buillonii, Alsatiæ, Metensium Virdunensiumque Princeps, Dominus, & Dux audiat? Quis illam cordatus genealogiam asserat, quâ Reginarius idem superbo magnoque satu avorum, ad Clodii Criniti, Pharamundi, Marcomiri, quin ad sobolem usque Trojanam genus suum eodem in scripto transmittit? Sed enim in D. Matthiæ monasterii Trevirensis, unde hæc petita volunt, antiquitates haud segniter olim inquirenti, omniaque quæ literis quidem consignata, perscrutanti, non modò quicquam ejus generis sese obtulit, sed extitisse unquam, aut cuivis ullo tempore traditum eo tenore diploma, sine cunctatione negatum à cœnobitis; qui & Raginerii memoriæ ut & fortè aliorum haud benè consultum iissent, si gentis Lotharingicæ longè per se splendidissimæ, & nominibus aliis sibi multum devinctæ claritudinem hujusmodi famæ aucupio magis obscurari passi fuissent, quàm illustrari. Lotharii sive

Raginerii vel Ragneri Comitis diploma rejicitur.

Lotharingiæ seu Lothariensis regni modus hac ætate.

Lothariense regnum à Mosella Mosaque ad Schaldim & extima Flandriæ diffusum, paruisse Regibus hac tempestate, longè clarissimum est. administratumquoque pagatim per Comites jure beneficiario, nec fixo statóque, innumeris, si res ferat, exemplis, ostendi potest. Propinqui Treverico limiti pagi, Bedensis, Vallensis, Saragouva, & Mediomatricum tenus, Metingouva; Virdunensium, versus Arduennam & Mosam, pagus Vabrensis. Tractu inferioris Mosellæ, Mosellagouva, * Meginensis, Ripuaria. His impositi præpositique plurimum judices, tutorésque Comites, seu Graphiones: fundi in diversa dispersi, & magnam partem regifico munere monasteriis & Ecclesiis donati; in quorum obsequiis dediti Comites, & coloni partiarii, tenui horum plerunque portione simul aspersi. Inspice usque & rimare cunctos hujus Reipublicæ & temporis sinus ac recessus, hæc tibi una veri Cynosura, ante errantia sidera in hac nube scriptorum erit. Reginarium Comitem fortibus viris ac antiquæ nobilitatis, sed & cupidis annumerat hæc ætas. Monstrabimus illum non in Trajectensi modò Abbatia, ex qua Ratbodus virum excluserat, sed & in Epternacensi cum filio Giselberto, interponente nequicquam se Ratbodo, dominantem. At Giselbertus majoribus animis fortunáque juvenis, paternam laudem supergressus, in Lotharingia ducatum, primum militiæ, bellicæ virtutis merito & factione procerum, qui alieni à Carolo, obtinuit, inde Saxonum genti innexus, acceptâ Gerbergâ conjuge, Henrici Regis filiâ, magni Ottonis sorore, pace bellóque, sed temporarium administravit; dynastis, quos dixi, quósque diploma jactat, præcipuè in Regum, aut aliorum quoque dominorum fide manentibus, donec inclinatione rerum, aut Principum ignaviâ, abruptæ divulsæque perpetuum recidêre, quâ quisque distraxit, aut jure manuum arripuit.

Pagorum administratio in Treviris.

* Magnisensis & Meginacensis.

* Comites seu Graphiones, al. Graviones & Gravii, Burgravii.

Reginarius Abbas Trajectensis, Epternacensis.

Giselbertus filius Reginarii Dux Lotharingiæ.

LXI. ANNUS CHR. 914. *Sigebert.* Rebellio procerum adversus Conradum regem.

Quomodo sequenti anno, Arnolphus Boiariæ, Burchardus Sueviæ, Everardus Franciæ, & Giselbertus Lotharingiæ, Henricus item Saxoniæ atque Thuringiæ Duces, unà omnes, seu dominandi libidine, seu novi imperii fastidio, res moliti novas, in Conradum Regem consurrexêre. At ipse consilii potentiæque vim intendens, maturè conatus singulari prudentiâ & fortitudine vix erumpentes repressit: omnésque brevi tempore in gratiam denuò suam & amicitiam redegit.

LXII. ANNUS CHR. 915. *Sigebert. epitaph. Reginonis.* Ungarorũ in Alemanniam incursus.

Sequens annus Ungarorum fœdâ in Alemanniam incursione, & Reginonis olim Prumiensis abbatis viri suâ ætate doctissimi morte fuit memorabilis. Postero, Carolus Simplex Lothariensis regni hæreditatem secundis procerum votis adiit, Conrado ob assiduas Ungarorum impressiones, vel jus suum non tuente, vel otio & tranquillitati posthabente tumultum armorum. Atque hinc etiam publicis tabularum monumentis, annos largioris hæreditatis indeptæ, Carolo subscribere mos. Et anno postero cùm Theodonisvillæ commorantem Ratbodus vel officii, vel honoris causâ convenisset, egregium ab eo diploma retulit, quo Ecclesiæ suæ cavit inposterum, diligentérque providit, ne quis pastor istic intrusus nolentibus & invitis, uti sæpè fiebat, ovibus imperaret; nec Præsulem accipere fas & æquum esset, quem non consentiens cleri juxta ac populi suffragatio comprobâsset.

ANNUS CHR. 916. CAROLUS SIMPLEX REX LOTH. Carolus Simplex plenum jus Lotharingiæ indipiscitur.

ANNUS CHR. 917.

Trevirensis Ecclesiæ privilegium in eligendo Pontifice.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, Carolus divinâ largiente clementiâ Rex.... Omnium Christianæ religionis nostrorumq; fidelium præsentium & futurorum noverit industria, quod Ratbodus Venerabilis sanctæ Trevericæ sedis Metropolitanus Archiquecapellanus noster, ut providus bonusq; pastor inposterum providens, & Ecclesiæ sibi commissæ futuræ utilitati consulens, nostram poposcit celsitudinem, quatenus de eligendis post ejus discessum successoribus nostræ autoritatis privilegium sedi suæ concederemus. Cujus piæ petitioni pro divino intuitu & reverentia S. Petri, nec non pro illius dilectione atque fidelitate acquiescentes, præsentium apicum nostrorum privilegium fieri jussimus, enixius præcipientes, & perpetuæ firmitatis inviolabili stabilitate sancientes, ut post hujus Antistitis obitum, quemcunque Trevirensis clerus & populus de propriis ejusdem Ecclesiæ filiis pari consensu elegerint, absque ulla cujuslibet contradictione, ille, Deo favente, eis detur Episcopus; nec ulterius contra eorum libitum, contraq; Canonicam autoritatem, quenquam non optatæ personæ cogantur suscipere pastorem, & si fortasse, quod futurum minimè creditur, in ipsa Ecclesia talis inveniri non poterit, qui hujusmodi honori aptus sit mancipari, nec propterea infracto privilegio nostro, illis denegetur electio, sed potiùs à regali majestate suscipiant quemcunque voluerint aliunde eligere. Si hoc quoque evenerit, quod in quorundam Episcoporum electionibus contigisse dinoscitur, ut vota eligentium divisa dissenserint, ei parti, in qua clerus & melioris intentionis viri consenserint, quòd in causam gregisq; dominici salvationem quærere comprobantur, regalis faveat autoritas, & secundùm eorum electionem super eos optatus constituatur antistes. Et ut hæc nostri privilegii autoritas, per cuncta succedentia tempora firmiorem in Dei nomine obtineat perpetuæ stabilitatis vigorem, & à nostris successoribus inviolabili tenore servetur, manu propriâ subter eam firmavimus, & sigilli nostri impressione jussimus adnotari. Signum Domini Caroli serenissimi Regis.

* Rasdorf. Ratbodus summus Cancellarius.

** Gozdinus Notarius ad vicem Ratbodi Archiepiscopi summiq; cancellaris recognovit. Et datâ die Augusti anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXVII. Indictione V. anno XXI. Largiore verò hæreditate indeptâ II. Actum Theodonis villa in Dei nomine feliciter. Amen.*

Atque sanè Ratbodum duobus, ut video, insignibus magistratibus, proceres regni pariter atque sacri ordines speciosum reddidêre.

Cùm

LXIII. Archicapellani munus & origo. *Walafridus Strabo l. de rebus Eccles. c. 31. Duran. lib. 2. c. 10. B. Rhenano ex MS.*

Locus in castris, ubi cappa asservata, Capella dicta, jam inde à Clodovei tēpore. *De Capellis, de Clericis. dist. 1. c. Consecrationes, & 16. q. 2. per tot. & Ext. de Capel. Mon. & glos. ibid. ac DD.*

Cùm præter summi Cancellarii munus Archicapellani quoque dignitatem obtinuit, quorum ut alter, civilis ministerii, ita hic propè muneris fuit Ecclesiastici, quod apud Walafridum Strabonem, certè diligenter explicatum invenias. *Quemadmodum enim*, inquit, *in palatio sunt Præceptores, vel Comites Palatii, qui sæcularium causas ventilant, ita sunt & illi, quos summos Capellanos Franci appellant, clericorum causis prælati. Dicti autem sunt primitus Cappellani à Cappa B. Martini, quam Reges Francorum ob adjutorium victoriæ in præliis solebant secum habere, quam ferentes & custodientes, cum cæteris sanctorum reliquiis, clerici Cappellani cœperunt vocari.* Ita Strabo.

ANNUS Chr. 918. Ratbodi Archiepiscopi mors.

Neque post hæc diu inter homines Ratbodus extitit: anno proximo, vel sub id sanè tempus vitâ functus. Et Ecclesiæ Cardonensis hic notas sequi haud licet, quæ ad hujus usque sæculi nongentesimum quartum & vigesimum propagâsse vitam volunt, puta tricesimo quarto circiter, quàm Bertolpho subrogatus fuerat; vir cùm religionis excellenter cultæ laudibus inclytus, tum auctâ egregiè possessionibus Ecclesiâ, facilè cum decessorum præstantissimis quibusque componendus. Ejus obitus memoriam anniversariam ædis maximæ Clerus III. Kalend. Aprilis quondam peregit.

LXIV. Liberalitas in S. Paulini & Epternaci congregationem. *MS. dictus antea.*

Ratbodi verò eximiam præ cæteris munificentiam experta vetus Pauliniana Basilica; quam oratorio in Wilre cum ditibus agris & decumis in Novianto, alisque Gaurici campo possessionibus honestavit. Epternacensem quoque congregationem, quæ canonicis institutis tum vivebat, cùm ipse summo moderaretur imperio, à Zuendeboldo Rege facilè impetravit, ut possessiones ad Principum libita migrare solitæ, istuc postliminiò redirent, unde detractæ fuerant.

Ruotgerus Archiep. 41. Episc. 67. *Sigebert. de Supplement. Reginonis.*

Clerus post ejus mortem, populúsque jam non uti solet, Regis expectato jussu, sed jure suffragiorum utens, Ruotgerum Antistitem creavit, animi magnitudine huic curæ parem valentémque; quippe cui & literæ & opes, cunctáque alia ad pontificium munus gerendum abundè erant. Ejus initio pontificatus, Alemannis nequidquam obsistentibus, Ungari intimam Alsatiam penetrârunt, finesque Lotharienfis regni hostiliter depopulati sunt.

Ungari sæviunt.

LXV. ANNUS Chr. 919. Conradus Rex moritur, ei Limburgi justa persolvuntur. Fuldæ Sepelitur: veriùs, quā alibi. *Ditmar. Chron. lib. 1. Adil l. 1. antiq. Fuldens.*

Is, qui secutus est annus, regni Conradi Germaniæ Regis & vitæ supremus fuit. Morbo quippe diuturniore fessus in Loganensi pago fatum implevit, justisque funebribus in Limburgensi Basilica Trevericæ ditionis & diœcesis ei mirificè persolutis, funus Fritesslariam, atque inde Fuldam ad inclytum S. Bonifacii monasterium, ubi vivus Rex sepulturam sibi decreverat, exportatum est. Quæ quidem tam insignis temporum nota à Ditmaro impressa, lucem affert Ecclesiæ Limburgensis origini, cujus ex nuda Diplomatum scriptura erui omnia primordia tam clarè nequeunt. Cernitur in prænobilis & turritæ Basilicæ gremio cenotaphium, utique Conradi Regis illustre monumentum, in quo vel exta ejus aut partem exuviarum conditam, sive ob funeris hîc ducti ac depositi, sive ob beneficiorum memoriam adhuc recentem, haud temerè credas. Tumulo super humum extanti incumbit Regis jacentis statua ornatu habitúque magnifico. Capitis insigne, torques, sceptrum, baltheus, paludamentum, totus demum amictus, Regem potiùs, quàm Ducem commonstrant. Id quod, cùm posteros fortè fugeret, versiculos hos jam evanescentes induxisse penicillo & tumulo inscripsisse crediderim:

Cenotaphiū Conradi regis.

Hic jacet in tumulo Dux, per quem servitus isto
Fit celebris templo, laus, virtus, gloria Christo.

Chron. lib. 1.

Et tempus etiam superius ab eis designari potuit, quo ut in Luduici Diplomate, sic & in Ditmari Chronico, salutatur: CONRARDUS FRANCORUM QUONDAM DUX EGREGIUS. Pietatis & munificentiæ in S. Georgii clerum & Basilicam, monumenta numerant, pugiunculum operis argentarii, diadema & baltheum gemmatum, & vasa potoria; in quorum unius centro, cui nomen DUX * CHUANRATUS, anaglyphon Regis cum torque & sceptro in throno sedentis. Nec, meo quidem judicio, his rectè annumeratur Campe fundus, cum prædio vini ferax, propè Bodabrigam sive Poppardiam nobile Rheni oppidum, venditione, hâc memoriâ nostrâ alienatus. Quippe satis disertè majores, in Albo anniversario beneficium hoc Cunrardo Juniori Saliquo, scilicet Imperatori, qui an. MXXXIX. sub initium Junii vitâ decessit, acceptum tulêre. III. Non. Junii, alii pridie Non. *Cuonratus Imp. à quo habemus Curiam & vineas in Camp, propè Poppardiam.*

Conradi regis donaria. *ex Chron. MS. Lymburg. D. Joan. Mechtold.* * Sueviæ, ex Franconia.

LXVI. Henricus Saxoniæ sufficitur.

ANNUS Chr. 920. *Witichind. Luitprand.*

Post hæc proceres, concione Friteslariam advocatâ, Henricum Saxoniæ & Thuringiæ Ducem, quem moriens missis ad eum imperii insignibus Conradus successorem sibi legerat, anno Christi nongentesimo vicesimo Regem probârunt. Qua de re cum Urspergensi vetus insigne Chronicon: *Henricus filius Ottonis Saxonum Ducis ex Liutgarda filia Arnolfi Imperatoris, LXXIIII. ab Augusto regnavit annis XVII. cui, cùm unctio offerretur & diadema ab * Herigero Archipræsule, non sprevit, nec tamen suscepit, satis inquiens sibi esse, quod præ majoribus suis, ipse Rex diceretur, & designaretur, divinâ annuente clementiâ & suffragantium pietate; penes meliores verò quàm ipse sit, optare se esse unctionem; arbitrari enim se tanto honore esse indignum. Qui sermo placuit omnibus, & coram omni multitudine, dextris in cœlum levatis, nomen novi Regis laude frequentabant.*

* Moguntinus.

LXVII. * Sigebodo, vel Sibodo Steinfeldiæ conditor. *Petr. Mass in Brunone Colon. Archiepiscopo.*

SS. Potentini, Simplicii, Felicii Martyrum Cardonâ Steinfeldiā translatio. * Potentiani. * Felicis.

Lego hoc tempore * Sigebodonem Arræ Comitem Hocstadenâ gente, Steinfeldiæ, qui locus in Eifliæ & veteris Arduennæ tractu inter Arebergam & Sleidam, præclarâ Præmonstratensium Abbatiâ jam celebris est, sacris virginibus Partheneion condidisse; quod, quo sanctiùs habitaretur, cum Ruotgero Archiepiscopo, consilio communicato, precibus impetrâsse, ut sanctorum * Potentini, Simplicii, * Felicii corpora, quæ ad eam diem Cardonæ nobili Mosellæ vico in S. Paulini Basilica quieverant, Steinfeldiam exportaret. Horum in privatis Martyrologiis ad XVIII. Junii vivit memoria natalis. *Potentini Diaconi,*

Felicii

Martyrol. & German. vulgo P. Camsii.

Felicis Presbyteri, & Simplicii militis Steinfeldiæ quiescentium. Steinfeldiam verò, collapsâ virginum disciplinâ, aliquando submissi è Treviris Sprinckirsbacenses Canonici incoluêre, quos demum excepêre Præmonstratenses.

LXVIII.
Anselm Tom. I. Gestor. Leod. Episc. Sigebert. & MS. Prum.
ANNUS CHR. 921.
Richarius Prumiensis Abbas fit Leodiensis Episcopus. Non sine certamine.

Inde Richarius Prumiensis Abbas Leodiensibus Tungrisque Episcopus pro Stephano defuncto datus est, edente nomen ejus Carolo Rege, & ipso Romano Pontifice Joanne favente. Exarserat ejus sedis ambitu Hilduinus; qui ipsum jam Giselbertum Ducem in eam rem pecuniâ datâ corruperat. Sed Pontifex Joannes, spreto Hilduino, Richarium antetulit, & Episcopum Romæ consecravit. Libenter huc advoco testem Frodoardum ab hoc ævo: *Hoc anno nempe vigesimo supra nongentesimum, & sequenti quoque agitatur inter Hilduinum Episcopum & Richarium Abbatem, de Episcopatu Tungrensi contentio. Siquidem Rex illud Episcopium Richario, quia Hilduinus à se descivit, cui priùs ipsum concesserat, dedit. Hermannus verò Archiepiscopus Coloniensis Hilduinum ibi Episcopum, eligente clero & populo, favente quoque Giselberto, quem plurimi Lotharienses Principem, relicto Carolo Rege, delegerant, ordinavit. Carolus verò reversis ad se Lotharienfibus, & ipso Giselberto, Richario Abbati, & non Hilduino, ipsum Episcopatum concessit.* Extat testamentum Richarii anno DCCCCXXXII. XVI. Kalend. Decembr. Leodii nuncupatum, quo Basilicam S. Lamberti sacrosanctæ Trinitatis altari decorâsse, & prædiis insuper locupletibus auxisse traditur.

Giselberti factio.

Richarii in Ecclesiam S. Lamberti liberalitas
MS & Ansel cap. 41. in Tom. I. Coll. Leodiens. Eberuvanus.

S. Martini Abbatia Trevir.

Per id etiam tempus Reginone D. Martini Abbate vitâ functo, monasterium id rursus nobilium hominum cupiditatibus patefactum, intercisâ velut Abbatum lineâ, horum in manus recidit; primusque Beroaldus Ruotgeri Archiepiscopi frater, clientelari jure ejus loci prædia occupavit. Inde etiam Ruotgerus, S. Maximini corpus, quod hucusque in aperto quieverat, ipso Divo per quietem ægrum monente, & sanitatem, si condi se, ac more humano sepeliri curâsset, minimè dubiam pollicente, recondidit.

S. Maximini corpus reconditur.

LXIX.
ANNUS CHR. 922.
Sigebert.

Sequenti anno, Henricus Germaniæ Rex, cùm Avaricam expeditionem clade toties impunè acceptâ, cogitat, vovisse dicitur, si prosperè in Ungaros pugnâsset, Simoniæ labem, quâ tum graviter Ecclesiæ Germanicæ polluebantur, se extirpaturum; quod sanè jam gratum Deo votum extitit, ut tum demum cum Rege consensisse divinum Numen in excidium barbarorum videretur; tantâ strage Ungari ab eo concisi atque deleti sunt.

Henrici Regis ab Ungaris relata victoria.

Confluentina Synodus.

Hoc eodem anno apud Confluentes Caroli & Henrici Regum jussu Synodi celebrandæ causâ, septem coiisse Antistites, Hermannum Agrippinensem, Herigerum Moguntinum, Thiedonem Wirciburgensem, Luitharium Mindensem, Osnaburgensem Dodonem, Richonum Vangionum, Richquinum Argentinensem, Wannonem Padebrunnensem, autor est in decretorum monumentis B. Burchardus, is nimirum, qui insequenti ætate apud Confluentes nostros liberaliter institutus & educatus, ex monacho Lobiensi factus deinde Wormatiensis est Episcopus. Hunc autem annum actæ Synodi præferri; & ab Ivone non rectè duodecimum sumi, vel Henrici Regis appellatio docet, necdum ad sceptra tunc admoti. Multa verò hac in Synodo, tum ad rei Christianæ splendorem, tum communem Ecclesiæ utilitatem, Antistites eos præclarè sancivisse, ac nominatim, cognationis in matrimonio vitandæ leges eo tempore vagas admodum & solutas, adstrinxisse, Burchardus idem memorat.

B. Burchardus Wormatiensis Episcopus.
Vita ejusdem operibus præfixa & Martyrolog. Molani.

Matrimonii jura circa affinitates.

LXX
Richarius Leodiensis antistes Romam adit Joannem Pontificem consulens.

Richarius designatus tum Leodiensis Episcopus, quo vacuus invidiâ gratiaque sedem tranquillior insideret, Romam Joannem Pontificem consultum iit; qua de re Frodoardus ad hunc annum: *Richarius, qui Romam profectus fuerat propter Episcopium Tungrense, reversus est ordinatus à Ioanne Papa Episcopus, Hilduino ab ipso Papa excommunicato.*

ANNUS CHR. 923.
Giselbertus Dux Ecclesiasticas fortunas contrectat avidiùs.

Per id verò tempus Giselbertus Lotharingiæ Dux, pro ejus sæculi labe, in bona sanctis usibus destinata cupidiùs invadebat; multis etiam possessionibus manus violentas adhibens. Cùm namque nundinari sacra, & sacerdotia proscribere juvenili temeritate non erubescit, opulenta inprimis Trevirorum Ecclesiæ monasteria, alia oppressa jam & erepta, ceu faucibus tenebat, alia gravissimis impositis oneribus vel mergebat, vel ademptis agris malè multabat. Ac D. Servatii Abbatiam, non jam paterno more precario, sed fœdere calcato, per vim Ecclesiæ Trevirorum ereptum ibat. Quamobrem Ruotgerus Archiepiscopus apud Carolum, qui anno sequenti Theodonis-villam accesserat, omni obniti operâ pro jure Ecclesiæ suæ, dum tabulas ab eo publicas referret, quibus aversam fraude Giselberti Trajectensem Abbatiam, restitui Trevirorum Ecclesiæ Rex jussit:

Trajectensis Abbatia rursus adempta recuperatur.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Carolus divinâ largiente misericordiâ, Rex Francorum. Si servorum Dei petitionibus aurem libenter accommodamus, divini cultûs amore, regium decenter morem exequimur, ac vitæ æternæ præmia propter hoc adipisci veraciter credimus. Quocirca comperiat omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorum videlicet præsentium ac futurorum sollertia, quoniam Archipræsul venerabilis Trevirensis Ecclesiæ Ruotgerus, nostræ serenitatis culmen adiit, conquerens quòd Abbatiam quandam, quæ est constructa super flumen Mosam, in loco Trajectis nuncupato, ubi requiescit corpus sanctissimi Confessoris Christi Servatii, Arnolphus quondam Rex deprecante Ratbodo, prædictæ Ecclesiæ pridem Archiepiscopo, delegaverat S. Petro Apostolo ad cathedram Trevirensem, ad suæ sanctionis præceptum, confirmare studuit. Sed irruentibus diversis contrarietatibus à potestate ejusdem sedis, Ragnerus pridem Comes eandem Abbatiam violenter subtraxit, & reclamante dicto Ratbodo, apud Regem Zuendeboldum illam reddere compulsus est S. Petro. Verùm Zuendeboldo perempto, iterum à Ragnero pervasa est; ac post illum ab ejus filio Giselberto pari violentiâ occupata, hactenus retinetur. Cujus petitionem fore salubrem cognoscentes, consensu Episcoporum nostrorum, & judicio Comitum seu aliorum fidelium, supradictam Abbatiam in Trajecto super flumen Mosam sitam, in Comitatu verò Hasbanensi, in conspectu nostro &*

* *alias Reginaro.*

præsentia

præsentia principum nostrorum, ipsimet prælibato Archiepiscopo reddere imperavimus pro amore Dei, ita duntaxat, ut à nobis restituta S. Petro, usibusq́ sanctæ Trevirensis Ecclesiæ, ab hinc in futurum nullus valeat eam subtrahere vel dividere exinde, sed nostræ pietatis munere ipse Archipræsul Ruotgerus, & ejus successores, memoratam sæpe Abbatiam habeant, teneant cum villis, Ecclesiis, mancipiis utriusque sexûs, & omnibus rebus justè eodem pertinentibus, & earundem rerum exactionibus; & omnia ad se pertinentia regant & disponant, pro suæ utilitatis studio; sicut priorum Regum autoritates patefaciunt. Hanc ergo Abbatiam reddendam nostræ autoritatis præcepto Archipræsuli Ruotgero, suæq́ Ecclesiæ, manu propria roboravimus. Signum Caroli Regis gloriosissimi.

Ruotgerus summus Cãcellarius.

Gozelinus Notarius, ad vicem Ruotgeri Archipræsulis, summiq́ Cancellarii, recognovit. Data septimo Idus Iulii. Indictione XI. anno regni Caroli inclyti Regis XXVII. redintegrante XXII. largiore verò hæreditate indeptâ VIII. Actum in villa Theodonis.

LXXI.

Porrò isthæc subscriptio, ut etiam alia, quæ licuit, tabularum documenta inspicere, nos confirmant, ut Ratbodum & Ruotgerum summi Cancellarii obiisse munus, in regii Lothariensis palatio, non ambigamus.

Trajectensis abbatiæ cõfirmatio.

Cæterùm ad Abbatiæ possessionem firmiùs stabiliendam; Carolus eodem anno, convocato Procerum & Scabinorum, ut ipse nominat, consilio, Aristalio Eburonum, ubi tum palatium regiâ habitatione conspicuum erat, aliud Ruotgero Diploma dedit: quo in frequentissimo Præsulum, & Dynastarum senatu, causâ judicibus selectis permissâ, sententiam secundum Ruotgerum ejusque successores pronunciavit; atque hujus Abbatiæ possessionem, arctioribus legum vinculis adstrictam, jure quo optimo & irrevocabili devinxit.

Supplement. Reginonis & Witichind. qui tum LXXII. Flodoard. hist. lib. 4. c. 16. Caroli Simplicis expeditio.

Inde Carolus gravissimo implicitus bello, quod illi Robertus regni æmulus pariebat; in quo dum Victoria lætior illi applaudit, & animus spe calet, infesto agmine in Alsatiam & vicinam Rheno Franciam, transito Moguntiaco, Wormatiam usque irrupit; eas Germaniæ partes ut Lothariensium regno adjungeret. Sed cùm avidiùs vult proferre fines, quàm tueri diligentiùs, in Wormacensi pago, clade non modò suorum & fugâ vexatus, sed & absens à domesticis, summâ imperii privatus est. Siquidem Franciæ proceres indignati Haganonem consiliarium, unum præ cæteris apud Carolum audiri, ejusque placitis cuncta subjacere, Rudulphum è Burgundia accersitum, fastigio Principis loci, adversus Carolum obfirmant: isque deinde apud Suessiones regalia ornamenta hoc eodem anno tollit. Ad cujus

Abdicatio. *Flodoard. hist. Remens. l. 4. cap. 15.* *Flodoar. Sigeb. & Supplement. Reginonis.* Rudulphus Burgundiæ in Lotharii regnum adscicitur.

rei nuncium haud mediocriter Carolus animo consternatus, primùm in Hervei præpotentis Remorum Archiepiscopi fidem tutelamque confugit; hinc comitum natione passim adversante, male sartum regni Franciæ statum, censet Henrici Regis opibus atque amicitiâ sibi fulciendum. Conventu igitur Bonnam in diem certum indicto, Carolus & Henricus, magnâ uterque procerum & Episcoporum multitudine stipati, convenêre; ictumque fœdus, quo Carolus, Lothariense regnum Henrico volens restituit; neque unquam quidquam sibi potestatis in id futurum adpromisit: itaque convênit, Episcopis & Comitibus utrinque jurejurando pactionem firmantibus. Sed cùm, ob id Heribertus Comes, Carolum, ceu Francici nominis parum studiosum in speciem amicitiæ atque regni formandi evocatum, abduxisset, captivoque vincla indidisset; non defuêre ex Lothariensibus, qui ingenii mobilitate & rerum novarum studio missis Legatis, ultro se Rudolpho Franciæ obsessori dederent atque id nunciarent, reliquos Lotharingiæ optimates idem velle. Factionis caput * Wigericus Mediomatricum Episcopus, malo sanè pravóque consilio à Metropolitano Ruotgero, & Giselberto Duce dissidens: qui etiam comperto, Rodulphum Lothariensium iniisse fines, & Wigericum ei obviam honoris gratiâ profectum, nihil cunctati Henricum legitimum Regem suum è Germania cum exercitu properè accersitum ad asserendum Lotharingiæ regnum cohortati sunt. Is igitur omni amputatâ morâ, ubi trajecto Rheno, cum lectissimis Germanorum copiis affuit: eique se Ruotgerus Archiepiscopus & Giselbertus junxêre, communibus armis Wigericum, intra Mediomatricum mœnia cum Rudolphi præsidio se tenentem, obsederunt. Wigericus cùm urbem aliquandiu impigrè contra Henricum defendisset, tandem ad pacis se conditiones consiliumque demisit, victusque, in Henrici Regis autoritate se futurum ostendit.

LXXII.

HENRICUS I. AUCEP. REX LOTH. an. 13. Carolus Henrico G... Regi Lothariēse regnū restituit. *Suppl. Reginonis Frod. & Flod. hist. Eccles. Remens. l. 4. c. 22.* Caroli Simplicis captivitas. ** al. Wigerus.* Wigericus Metēs Episcopus Burgundicæ factionis.

ANNUS CHR. 924. Lotharienses studiosi Regis Henrici. Obsidetur Metis à Metropolitano, & deditur.

Inter hæc Heribertus Comes Galliarum fere dominus, Carolum simplicem adhuc custodiâ tenebat, quoad Rudulphi Regis amissâ gratiâ, Henrico Regi studere cœpit, & Joanne Pontifice extremam censuram comminante, Carolum dimisit ille quidem, at paulò post Rhemis iterum nexu adstrinxit, & inclusit.

LXXIII. *Flodoard. hist. l. 4. c. 21. 22.*

His etiam diebus Ruotgerus Ecclesiam S. Eucharii suburbanam, insigni hujus sæculi pravitate Luitfridi raptoris scelere sub Ratbodo vexatam & afflictam, possessionibus in Helifeldtio revocatis, asseruit; eique loco multis etiam aliis rebus gratificatus, benignè fecit. Literis, quas hac de re B. Euchario ipse tradidit, *humilem se sanctæ Trevericæ sedis pastorem* nuncupat. Scribendo affuerunt Hilpericus, Bernoldus, Hûbertus, Hadenwoldus, Archidiaconi; Wolgerus Alebertus, & Ricbertus Præpositi. Signum Ruotgeri præstantissimi Archiepiscopi. * * * * *. Odelarius vice Ruotberti scripsit & subscripsit. Anno Domini Incarnat. DCCCCXXIIII. regni verò Henrici gloriosi Regis II. Indictione XII. Atque ita nobis hanc annorum seriem adhuc liquidò contexi, perspicitur; quâ desertâ,

Ruotgerus S. Eucharii Ecclesiam vindicat. Helfant, modò propè Sarburgum.

quaslibet etiam historiæ offensiones impunè haberi, compertum est.

LXXIV. ANNUS CHR. 925. Wigericus Metensis Episcopus moritur. Benno successor ex Eremita cellæ S. Meginradi. *Consule Metropolim in Metensi Episcopatum indice.*

Pacis diuturnum fructum Wigericus Mediomatricum non tulit, qui sequenti anno in humanis esse desiit. Ejus in locum Benno, qui & Benedictus, vir ornatus absolutæ virtutis laude suffectus est. Is Rudulphi Burgundiæ Regis consanguineus, ex Argentoratensi Canonico, solitudinis & vitæ purioris studio, annis viginti Turgouviæ Helvetico solo in Alpibus iis olim Eremitam professus erat, ubi S. Meginradi studio Deiparæ matris Augustum oratorium surrexit, quod inde in Basilicam & monasterium evasit amplissimi nominis, cui ab Eremitis dedère nomen Einsidelen; quem locum ut vivus opibus ipse maximis ornavit, ita moriens ab ingratis ovibus pastor repulsam passus, sepulchri sui monumento consecravit. Quippe biennio in Episcopatu, quem Henricus Cæsar ei conciliasse videtur, non expleto, impiè atque crudeliter à Metensibus, Burgundicæ, an Germanicæ factionis impetu? luminibus orbatus est. Id recentiores pertulisse volunt, ab iis, qui Metis, nobilitate ac opibus cæteris anteibant, quia sanctiùs & severiùs Benno viveret, & fortiùs palam privatimque eorum scelera redargueret, quàm dissoluti eorum mores & vitæ licentia sustinere possent. Quare etiam eodem hoc anno DCCCCXXVII. Synodus Duisburgi congregata, legibus severissimè in ejus sceleris autores vindicavit, omnesque piaculo destinatos, & Cæsaris tribunali iræque mox dedendos, hominum piorum consuetudine movit; Adelberonem etiam nobilissimum virum & eximiâ eruditione præstantem Metensibus Episcopum dedit. Atque hic Adelbero Trevirensis ille Episcopus seu suffraganeus est, cujus nomini suos Annales Regino inscripsit; quemque *excellentissimo*, ait ipse, *fuisse ingenio & universæ Philosophiæ studiis egregiè imbutum.*

Benno inchoavit monasterium Einsidelen in Helvetia. *Frodoard. Regino, Christoph. Hartman in annal. Herem. *Deipara inetra.*

Benno, seu Benedictus Metensis Episcopus occoecatus, & in monasterio Einsidelen sepultus.

ANNUS CHR. 927. Duispurgensis Synodus quâ Metenses factiosi damnati.

Adelbero Metensis Episcopus.

LXXV. Synodus Treverica Provincialis.

Post hæc Ruotgerus Trevirorum Archiepiscopus concilium Treviris cum universo clero & suffraganeis, Adelberone Metensi, Barnoino Virdunensi, & Drogone Leucorum habuit. In eo cum variis decretis atque legibus soluta cleri disciplina arctiùs devincta, tum ab ipso Ruotgero factus Ecclesiasticarum sanctionum liber, & summo omnium qui convenerant assensu probatus, & ab clero receptus est. Hoc dimisso concilio, Ruotgerum anno insequenti diem suum obiisse, supplementa docent Reginonis; quod an ita persuadeant, mox liquebit.

ANNUS CHR. 928. *MS. Tabular. prov.*

Ruotgeri Archiepiscopi cum Gisilberto, Duce simultas.

Giselberti Ducis in Lothariensi Republica summa erat atque excellens in paucis, per hosce dies autoritas; quo, in ejus cupiditate frenandâ major sese objiciebat labor; Ruotgerus in summi certamen juris antè cum illo descenderat; verùm in magna litis ad exitum deducendæ fluctuatione, veritus, ne pro jure pertinaciùs extorto, bellum vel inimicitias Dux iratus redderet, concordiam iis artibus copulare instituit; ut & integra constaret Ecclesiæ suæ dignitas; & optatis Dux simul incubaret opibus. Res admodum hac lege transacta. Degebat Henricus Rex eo tempore cum regni totius proceribus Trajecti; quo cum Ruotgerus item accessisset, consilio summaque voluntate Regis & Principum adductus Archiepiscopus est, ut jure precario Giselberto Abbatiam, donec ei vita comes, permitteret; quod ubi annuisset Antistes; ad usum fructum redimendum Giselbertus Dux, Rectorque sanctæ Trajectensis Ecclesiæ, his enim ipse nominibus, pro viro politico sanè monstrosis, utitur, D. Petro Treuirensi, prædia certa ex Arduennæ saltu, & Megenacensi Treverico Comitatu, attribuit; hisque Mosellæ pagum Gulisam vicinum Confluentibus, & possessionibus B. Servatii, cujus hodieque memoria claret, investituræ, quam vocant, impetrandæ, jungere placuit. Ex prædiis verò D. Maximini, quæ tum in ipsius erant potestate, Talevangium, beneficii feudíve loco tradidit. Quibus ita firmatis & constitutis, ipso præsente Rege, sollemnis ornatus cum vestitu ad aram B. Servatii productus; & Giselbertus Abbas in speciem institutus est. Acta hæc in Trajecto, an. Dominicæ Incar. DCCCCXXVIII. regni verò serenissimi Regis Henrici V. super regnum quondam Lotharii. Indictione I.

Abbatia Trajectensis jure precario Gisilberto duci traditur.

Meyen Trevirorũ Comitatus. Gulisa.

Taleuangiũ apud Droneců Ruotgero Arch. traditur.

Giselbertus Dux Abbas.

LXXVI. LEO VI. PONTIF. m. 6. d. 15. ANNUS CHR. 929. STEPHANUS VII. aliàs VIII. PONT. a. 2. m. 1. d. 15.

Sed age; porrò etiam Ruotgeri, si placet, annos extendamus. Joanni Pontifici Romæ jam Leo VI. & huic deinde Stephanus anno sequenti successerat, cùm Ruotgerus adhuc in constituendis Ecclesiæ suæ fortunis utiliter industrieque versatus est. Sparsa variis tum locis atque dissitis D. Petri Treverici diffusè colebantur latifundia, erantque luculentæ cumprimis ejus possessiones in * Heilizacensi, quod Argentinense nuncupamus, territorio; hîc, cùm Albertus dynasta, facultates in solo Trevirorum, Comitatu Bedensi, prædio Bevera, mutandas obtulisset; non invitus fecit Ruotgerus, ut ex Agathensis concilii præscripto, clericis etiam suis volentibus, prædio Senebroddeno, & omnibus iis possessionibus, quas in * Nortgouwæ Comitatu B. Petrus obtinebat, Alberto cederet, & per manum Walteri Advocati sui invicem traderet, id quod à se factum Treviris anno Dom. Incar. DCCCCXXIX. regni Henrici serenissimi Regis VI. Indictione II. Ruotgerus Archiepiscopus ipse testatur.

* *Positum hujus temporis usu, pro antiquo* Elizacio.

Ruotgerus prædia permutat. Bevera.

* al. Nortgoia. Noricum, *adversus Boicar. lib. 3. & Palat. Orig.*

LXXVII. *Supplem. Reginonis & Witichindus Saxo.*

Lotharienſibus inde non longi temporis otio fruentibus, Giselbertus Dux ad res novandas iterum prosiliit. Cæterùm Henricus summâ ratione consilioque Giselbertum domare, quàm armis præferens, astu ad se perduci in Saxoniam jussit; ibique indolem animi egregii coram speculatus, omni contemptâ noxæ cupidine, generum adoptavit, filiam Gerbergam tradito unà Lotharingiæ regno, nobili ac potenti inprimis juveni collocans. Validior igitur jam propinquitatis jure amicitiaque Henrici, in Lotharingiam reversus, variè & inæquabiliter principatum gessit. Principio quidem, ut aliquam Reipublicæ partem commodè tractaret, ejus tamen sæculi immodicâ licentiâ, clero & sacra fungentibus, admodum gravis & asper imminebat; neque in divexandis eorum possessionibus & agris quidquam pensi habuit. Monachos D. Maximini Henrici Regis opem implorantes, multò quàm ante infestavit acriùs; sed & iisdem, absumptâ paulatim primâ juventæ face, salutem attulit; ac veteris disciplinæ jam tum ibi collapsæ nitorem, reduxit.

Giselbertus dux captivus in Saxoniam abductus. Henrici Regis filiam uxorem accipit. Jus ejus Witichindus testatur subdelegatum fuisse. *Sigebard. in MS. Maxim.* Giselberti artes gubernandi incertæ.

Triste

Caroli Simplicis mors.

Triste quoque sui spectaculum, in hoc humanæ vitæ theatro dedit, Carolus Franciæ Regum miserrimus; qui hoc anno Peronæ in vinculis decessisse traditur, relicto filio Ludoico Transmarino.

LXXVIII. ANNUS CHR. 930. JOANNES XI. PONT. an. 5. Ruotgeri Archiepiscopi mors.

Sequitur annus DCCCCXXX. Stephani Pontificis maximi obitu insignis; cujus in sede Joannes XI. à clero populoque Romano collocatus: atque, ut mea quidem opinio, idem annus incipiens Ruotgerum quoque nostrum abstulit, duodecimo circiter initi pontificatûs, die vigesimo septimo Januarii, ut in memoriarum libris annotatum invenio. Vir fuit Ruotgerus, quod majorum literis constat, vitâ honestè atque integrè transactâ spectatissimus. Sepulchrum habet in Basilica Pauliniana, oratorio D. Walpurgis, quod pænè obrutum pavimento, & uno non extans pede cum hac inscriptione visitur:

Sepulchrũ.

VI. KL. FEB. Θ. RVOTGERVS TREVIR. ARCHIEP.

Flodoar. hujus ævi poëta & historicus Ruotgero Archiepiscopo Trev. XIX. libros poëmatum dedicat.

Quin & Flodoardus, quem eruditi dubitant, num rectè eundem facias cum Frodoardo Chronici autore, Rhemensis Ecclesiæ Presbyter, magnâ Ruotgero fuit amicitiæ gratiâ studioque junctus; cumque is pro ejus ævi captu numeraretur doctissimus, & in juventutis erudiendæ munere palmam meritus, nedum suis, verùm & exteris placuisset; petiit ab eo in beneficii loco Ruotgerus, ut eorum aliquid, quæ meditatus hucusque literis memoriæque mandâsset, in commune conferret, sibique privatim impertiret; quâ cohortatione Præsulis accensus, ipse undeviginti libros poëmatum, tres de triumphis Christi sanctorumque Palæstinæ, ac quindecim alios de triumphis Sanctorum Italiæ ad Ruotgerum misit, atque ejus nomini inscriptos dicavit; quæ poëmata hodieque extant & asservantur in Metropolitana bibliotheca Trevirensi. Ruotgerum autem Flodoardus *eminentissimæ cultu prudentiæ decoratum, præstantissimoq; benignitatis redimitum affectu*, in opere eo prædicat; ornatque titulo sanctitatis.

Ruotgeri elogium.

LXXIX. RUOTBERTUS ARCH. 42. EP. 68. Ruotberti Archiepisc. nobilitas.

Habitis inde à clero populóque comitiis, RUOTBERTUS ejus in locum subrogatus est, vir regali prosapiâ, & in obeundis pontificiæ dignitatis muneribus, acris & vigilantis ingenii. Pater ei Rudolphus Burgundiæ Rex, is qui nuper Franciam, atque ingenti virtute pártum Italiæ regnum, Berengario fuso, atque fugato, etiam aliquamdiu tenuit; mater Bertha, Arnolphi Boioariæ Ducis filia. Sororem habuit Adelheidem, primò Lothario Regi Italiæ, inde verò magno Ottoni connubio sociatam; cujus nobilissimæ feminæ in Ecclesiam Trevirensem meritorum extant egregia documenta.

Nota errorem Magni Chron. Belg. à C.V. Pistorio nuper editi.

ANNUS CHR. 932. Synodus Erfortensis *Append. ad 11. Tom. Baronii.*

Anno DCCCCXXXII. Indictione V. sub die Kalendarum Juniarum, Henrico Rege præsente, Erforti celebris congregata Episcoporum Synodus, quam Antistites plerique Septentrionales; tum Hildebertus Moguntinus, Unni Hamaburgensis, Othalricus Augustensis, cohonestârunt. Treverici verò Præsulis nomen caninâ modò literâ signatum, quod à non nemine Rutgero dari, quem anno demum hinc altero decessisse tradit, haud ignoro; sed ejus rei clariorem adhuc testem requiro. Porrò Synodus hæc XII. Apostolorum ferias Annales antiquitùs pervigilio & jejunio frequentatas, majorem in modum populo Christiano commendat.

Apostolorum Festa.

LXXX. ANNUS CHR. 933. Monasterii S. Maximini status.

Proximo inde biennio S. Maximini cœnobitæ à Gisilberto, sic ut dicere cœpimus multa indigna, atque digna perpessi, comperto parùm vel in Regis opera præsidii, vel in Ducis esse cupiditate remedii, ad unius Dei opem & auxilium confugiendum sibi, denique intelligunt. Quare in studium divinæ precationis aliquamdiu intenti, cùm Divum quoque Maximinum adhibere placuisset deprecatorem, mox sentiunt affuisse votis Deum, qui intuetur & inaudit omnia. Namque Giselberto visus per nocturnam quietem adstare D. Maximinus; & primò, qui vir esset, aut quid veniret, exponere: mox acriter Ducis maleficia increpare, ac minax inde flagellum scapulis intendens, denique ad verbera descendere. Et sanè expergefactus, ut repentè eum dilapsa imago deseruit, tam recentes plagæ notas in corpore deprehendit, ut se verberibus affectum nihil jam ambigeret. Viso igitur, quod duriùs eâ sibi nocte accidisset, amicis exposito, de plagis, quas in somno perpessus erat, reticuit; & festinanter in Treviros itinere arrepto, nihil ei priùs vel antiquiùs, quàm iratum sibi placare Deum, & quæ iniquè monasterio ademerat, reponere in solidum. Quare etiam hæc, ut instituerat, abundè præstitit, & prædia D. Maximino redhibens, inprimis necessariâ monachis argenti summâ, amplificavit. Neque verò deinceps agere & moliri apud Henricum Regem omni ope destitit, quo cœnobitis ipse pristinum jus, Abbatem ex suo corpore quem vellent creandi, concederet: quod etiam anno postero ab Henrico impetravit. Eo siquidem tempore ædes D. Maximini cùm quassata turbine procubuisset, Rex Henricus locum antiquâ religione venerabilem, interire non passus, sumptum in primis liberalem erogavit Basilicæ restaurandæ; animique magni ac liberalitatis, præclarum posteris donum reliquit, Ecclesiam Theodonis-villæ cum Mosellæ portorio, cæterisque vectigalibus ex regali fisco petitis.

D. Maximinus ob raptas possessiones sacras Giselbertũ Ducem castigat.

ANNUS CHR. 934. *Supplement. Reginonis.* S. Maximini tẽplum concidit.

LXXXI. Theodonis villæ Eccles. S. Maximino donata cum vectigalibus & Mosellæ portoriu.

Cumque non minor cura reparandi interioris animorum ædificii, quod ibi pœnè conciderat, Regem pium sollicitaret, operam ante omnia dedit, ut virum huic obeundo muneri præ cæteris idoneum ederet; eumque moderatorem cœnobitis imponeret. Is Ogo fuit, qui, consentientibus omnium monachorum voluntatibus Abbas ex Præposito electus, quidquid pravâ ibi tùm consuetudine fuerat à veteri disciplina prolapsum, corrigendum suscepit, & monachos opportuna morbi remedia non admittentes, monasterii septis pelli voluit. Id quod vetus Menologium rituali libro præfixum, ad Januarii dierum aliquem ita disertè meminit: *Ogo Abbas hujus loci, postea Tungrensium Episcopus, qui hoc monasterium à fundamentis reparavit, & locum istum pænè pessundatum renovavit, & numerum fratrum ad LX. ampliavit.* Intervallo ad Octobrem: *Willerus Abbas, qui post Ogonem Episcopum*

Ogo S. Maximini cœnobii disciplinam instaurat.

Ejus structuræ, & reparatio monasterii, quam Willerus Abbas continuat.

monasterium & claustrum perfecit, & tabulam auream ante altare posuit.

LXXXII. Acolytus S Maximini monasterio incendio mirabili vivus exuritur.

Et sanè editum ibi tum non ita pridem fuerat, ad terrorem increscentis mali, formidabile cœlestis indignationis exemplum. Acolytus degebat in monasterio, ut moribus lubricis, pravisque, ita ore, linguâ, manu, & vitâ omni inquinatus. Hic crapulæ atque abdomini deditus, cùm polluto sceleribus animo, sacratissimum agni intemerati convivium iniret sæpiùs, tum conscientiæ vi jam penitùs retusâ flagitiis, pransus & benè saginato ventre, divina mysteria cum aliis obire perrexit. Vide jam quanto hæc verò audax & temeraria impietas ei steterit. Aderat dies, cùm ministraturo sacrificandi thus erat adolendum; jam prunis de more in acerram conjectis, afflare cœperat; & tenuissima scintilla in vestem fortè lineam incidens, tantum mox incendium fudit, ut hominem undique cingentes flammæ nullâ potuerint aquarum vi compesci; donec in conspectu omnium vivus ipse, videnśque furenti incendio succumbens, horrendum memoratu, redactus in favillam, oppetiit. Hæc ad D. Maximini monasterium pertinentia, Sigehardus memoriæ prodidit, qui hujus temporis æqualis, & sub Ogone Abbate monachus ibi, non contemnendæ eruditionis vixit.

Adelmânus Virdunensis Diaconus rediit in vitam. *Frod. Chron.*

Nec sileo, quod Frodoardus eodem hoc anno Virduni gestum recenset. Adelmannum illic Diaconum languore depressum ad ultima sic pervenisse, ut pro mortuo habitus, funeris causâ feretro impositus sit; eundem, ceu recepto spiritu, surrexisse tam validum, ac si ægrimoniæ quicquam homini nunquam accidisset. At non dubio mox sermone testatum, varia adiisse loca, seu suppliciis, seu refrigerio destinata: & jam tum se sontibus adjudicatum ilicò, nî D. Genitricis opitulatione, Martinique precibus, vita redonata fuisset, luendæ pœnitentiâ culpæ.

LXXXIII. ANNUS CHR. 935. LEO VII. PONTIF. an. 3. m. 6.

Anno tricesimo quinto hujus sæculi, Joanne Pontifice ex vita hac mortali erepto, Leo VII. ad Apostolicæ fastigium dignitatis evectus est, cujus pontificatu Flodoardus Rhemensis presbyter & canonicus, urbium urbem adiit, eamque rem versibus, qui Treviris leguntur, de Leone hoc ipso conscriptis, celebravit.

Septimus exurgit Leo, nec tamen ista volutans,
Nec curans apices, mundi nec celsa requirens,
Sola Dei, quæ sunt alacri sub pectore volvens;
Culminaq. evitans; oblata subire recusans.
Raptus at erigitur: dignusq. nitore probatur
Regminis eximii, Petriq. in sede locatur.
Sed minimè assuetam linquit decoramine cură:
Deditus assiduis precibus; speculamine celsus;
Afatu lætus; sapiens, atque ore serenus.
Qui me visentem ætherii pia limina Petri
Iucunde excipiens: animo quæsita benigno
Admisit, favitq. piè, studuitq. modestè.
Faminagrata ferens, epulis recreavit utrisque,
Corporis atq. animæ. benedixit & oscula libans,
Ac geminans, dono cumulatum muneris almi,
Pergere lætantem amplexu dimisit honoro.

Atque hæc gustûs etiam causâ, palato haud nimis delicato, pauca apponere ex infinitis non piguit.

ANNUS CHR 936 Synodus Erfordiẽsis de qua supra.

Ad hoc quoque tempus nonnulli rejiciunt Erfordiensem Synodum; quæ ob antistitum regis & procerum, qui eò convenêre, frequentiam, hominibus hujus ævi celebris in ore fuit. Ejus hoc decretum esse nos arbitramur, quod Burckardus Vangionum Episcopus, de hæredibus à clero nuncupandis, tribuendisque legatis memoriæ prodidit; cùm inter eos, qui subscripsêre disertè appellat Ruotbertum quoque Trevirensem; Hildebertum Moguntinum; Unninum Hamburgensem Archiepiscopos; ex quibus posteriores duos esse inter homines hoc eodem Anno desiisse, docent supplementa Reginonis.

LXXXIV. Henrici Regis cognomento Aucupis mors.

Henricus etiam Germaniæ atque regni Lothariensis Rex, insigni domi militiæque gloriâ, Reipublicæ sapienti consilio & feliciter gestæ partâ VI. nonas Julii in Saxonia decessit. Trevirorum diœcesim, cùm multis præclaris muneribus illustravit, tum fraude Præfectorum ab æde Pauliniana, quæ vetus Egberti Antistitis diploma custodit, aversa prædia clero compluria restituit.

Diploma Egberti Episc. quod extat apud S. Paulinũ.

LXXXV. OTHO I. REX LOT. an. 26.

Othonis I. exordia regnandi. *Ditmarus Chron. lib. 2. Witichind. lib. 2.*

Henrici Regis morte compertâ, Otho filius, quem sibi pater successorem destinaverat, indolis præstantiâ clarus, pro patre Rex ab universis Germaniæ, Franciæ atque Lotharingiæ proceribus Aquisgrani creatus atque inunctus est. Quod ut constet, quo ritu ibi cæremoniaque peractum, testem advoco Witichindum, qui hæc memoriæ prodidit. Ubi igitur affuêre ad diem præstitutum utriusque ordinis proceres Germaniæ atque Lotharienses, ceu comitiis refectis, Othonem jam antea designatum, legitimis omnes suffragiis Regem creant. Deducunt hinc ad aulam Virginis matris basilicæ hærentem, atque in solio Caroli Magni locant, mox datis dextris, singuli apud illum recitant Sacramenta; operam Regi fidelem, quà bello, quà pace pollicentes. Dum hæc in palatio geruntur, stant in basilica tres Archiepiscopi, Hildebertus Moguntinus, Ruotbertus Trevirorum, & Wigefridus Agrippinensis, amictu pontificali, frequenti clero, & hominum magnâ undique circumfusâ concione, Regis adventum cum Episcopis præstolantium. Ex aula inde in basilicam descendentem Archiepiscopus Moguntinus excipit cum clero, & lævâ Othonis manum prehendens, nam dextrâ ipse lituum tenebat, in mediam basilicam ingressus, substitit; populum, qui frequentissimus, spectaculi causâ circumstabat, sic allocutus: En, inquit, adduco vobis à Deo lectum, & ab Henrico Rege olim designatum, jam verò à cunctis regni principibus creatum Regem Othonem; hujus si parere jussionibus, electionemque probare animus est, manum universi attollite. Nec mora, populus porrectis sursum dextris, applaudere, ac clamore sublato, novo Regi fausta, ac prospera omnia precari. Inde Antistes cum Rege procedit ad aram, super quam regia posita insignia erant; atque ei solenni carmine primùm gladium cum baltheo, deinde armillas cum chlamyde, tunc sceptrum cum baculo porrexit; ac demum oleo sacro perfusum, cinctumque diademate Hildebertus & Wigefridus unà consecrârunt. Inde excelso ponunt in solio inter duas miræ pulchritudinis marmoreas columnas, unde facilè ab omnibus videri, atque ipse videre posset omnes: divinisque laudibus cum sacrificio

ANNUS CHR 937. *Rogerus in vit. S. Brunonis.*

Mos vetus Reges consecrãdi apud Aquenses.

peractis,

peractis, Rex abiit in palatium, prosequente magnâ eum procerum catervâ. Epulum præbuit Giselbertus Lotharingiæ Dux, quòd palatium ipse tunc inhabitaret, veterem munificentiæ regalis officinam. Ducibus interim lectissimis circa mensarum ministeria satagentibus.

LXXXVI.

Ruotbertus Archiepisc. sibi primamarium jus consecrandi Regis deposcit.

Consecrationis autem jus, pace tamen Agrippinensis, cujus in diœcesi res gerebatur, ad Moguntinum delatum, qui jam inde à sancti Bonifacii tempore, primus Metropolitarum Germaniæ censebatur, quamvis Ruotbertus Trevirûm id munus meritò sibi mandandum existimabat, quòd ipsius Ecclesia à B. Petro Apostolo fundata, antiquitate concederet nemini. At cessit nihilominus uterque modestiæ studio, & quietis, Hildeberto.

ANNUS CHR. 938. *MS. Antiqu.*

Bruchiensis dominatus.

* Rizogou pagus in Arduenna tunc, nunc Lutzeburgensi ditione à Mosella supra Theodonis villam incipiens.

His ita Aquisgrani actis, Ruotbertus domum reversus ab ea pompa, ad res gerendas Ecclesiæ vertit curas. Anno igitur posterò commercium illi fuit cum Ada Folradi filia, qui nepos Ruotgeri defuncti Archiepiscopi. Ea fundos reditusque non spernendos possidebat in Bruchia villa, quæ dominatui Bruchiensi postea nomen & originem dedit; hæc cùm emancipare & beato Petro Trevirensi omnia tradere placuisset, Ecclesiam Theothehiritam pagi Rizogovensis, regione saltûs Arduennæ, cum fructu precariam sibi postulavit; quo deinde moriente, ipsa ad Divi Petri patrimonium cuncta revolverent. Idque ita Ruotbertus annuit, & hac de re diploma fieri mandarique literis jussit, anno scilicet DCCCCXXXVIII. Indictione undecimâ. Ottonis autem gloriosissimi Regis in Lotharingia rerum potientis secundo.

LXXXVII.

Monasteriũ S. Maximini florẽs illustrib viris Magdeburgum ornat.

Eo tempore, cum apud Treviros monasterium S. Maximini viris illustribus, & virtutum semente fœcundis abundaret, circumspectè fecit Otto Rex, ut inde Magdeburgo novæ urbi, quam condere tum cœperat, Colonos expeteret. Erat voti civitatem eam Metropolis honore excelsiùs cernere sublatam; sed officiebat Halberstadiensis Ecclesiæ autoritas, cujus diœcesi subdita quondam à Carolo sacrorum jura. Versa igitur cura Regis ad monasticen, cujus medias inter Sclavorum gentes, in Abbatia recens exstructa ab Annone Treverico cœnobita, sociisque evocatis, ponenda incunabula. Illud quàm speciosum? hinc ex Divi Maximini gremio, datos Saxonicarum urbium ocello, primum Abbatem Annonem; & intervallo, primum Archiepiscopum Adelbertum? diceres in barbarico solo renasci duas olivas, poni duo candelabra lucentia. Pando jam, quod ex Saxonicarum rerum insigni Chronico membranaceo compertum habeo: *Anno Domini DCCCCXXXVIII. Ottonis II. prædictus Rex, instinctu & petitione pia conjugis suæ Edith Reginæ Abbatiam regalem intra urbem Magaeburg fundavit, hinc urbis conditu ab origine tradito, volebat*, inquit, *ibi sedem Episcopalem facere, sed partem parochiæ, quæ Halberstadensi diœcesi subjacebat, à Bernardo ejusdem Ecclesiæ Episcopo, quamdiu ille vixit, impetrare non potuit; fundavit ergo inibi regalem, ut diximus, Abbatiam, in honore B. Petri Apostolorum principis, ac Mauricii egregii Thebæorum Ducis, digniq́; contubernalis illius Innocentii militis; cujus corpus Rodolphus Rex Burgundionum, ei ac Reginæ transmissum, regium, immo divinum munus donavit. Maximam quoque partem corporis S. Mauricii, & quorundam sociorum ejus, cum plurimis Apostolorum, Martyrum, Confessorum, ac Virginum reliquiis, in eandem civitatem transtulit, eodem anno jam dictus Otto, Rex gloriosus, XI. Kalend. Octobris. Præfecit autem Abbatiæ Annonem, virum venerabilem, Treviris de cœnobio S. Maximini assumptum, transductis inde & aliis fratribus, numero & sanctitate monastica disciplina perfectionem informare sufficientibus, qui Dominus Anno, postquam Abbatiam per annos, quos nos invenire nequivimus, strenuè rexit, Wormaciensis Præsul eligitur.* Hæc in veteri Chronico.

Anno primus Abbas. Adelbertus primus Archiepiscop. Magdeburg.

Edith reginæ Edmundi Angliæ F. rogatu, Magdeburgũ conditũ. *Ditmarus aliiq; hic consentiunt.*

Abbatia regalis exstructa S. Petro & S. Mauritio.

Reliquiis Sanctorum instructa. Translationes has non uno tempore vel anno factas, *ex Fastis e cogorsi ...ab. a. Chron.* Anno Trev.

LXXXVIII.

Episcopus fit Wormatiæ.

Giselberti Ducis motus.

ANNUS CHR. 939. *Luitprand. Tom. l. 4. c. 11. rer. in Europ. gest. Sigebert. Witichind & Suppl. Regin.* * Bierzunum *Luitprando.*

Præliam Ottonis adversus Henricum rebellem fratrem, divinitus confectum.

Lancea sacra, seu Dominica hasta insigne Imperii. *vide schol. nostra ad S. Bernardum.*

Neque interim domi pax diutiùs fuit, quàm Giselbertus Lotharingiæ Dux, toto pœne triennio, novo bello faces accendere, & Henrico Ottonis fratri & conjurato, ausus vires & arma suppeditare. Quâ injuriâ permotus etiam Otto infestum exercitum ducere in Lotharienfium fines non distulit; & priùs quàm transmittitur bellum, Eberardus Franciæ Orientalis Dux, Giselbertus & Henricus rebelles, abruptis medio flumine Ottonianorum præcipuis auxiliis, ad Rheni ripas juxta *Biertunam in paucos qui jam trajecerant, impetu facto, iniêre certamen. Quod ex adversa ripa conspicatus Otto, supplex cum exercitu reliquo, in genua provolutus ante triumphales Christi clavos, quos parentis instituto, lanceæ sacræ infixos, militiæ pro labaro circumferebat, precibus & lachrimis victoriam suis ab Deo immortali exposcere; breviqúe apparuit ibi, quàm vanæ sine Numine propitio vires, fusis, fugatisque à paucis, quos in spem desperatio agebat, universis pæne Giselberti atque Henrici copiis. Ipseque adeo Henricus vulnere secundùm brachium gravi ac lethali accepto, sortem civilium armorum miserâ post morte conclusit; in præsens quidem Ottonianorum manus elapsus. Hâc victoriâ lætus Otto, fusos prœlio Duces respirare non passus, ad * Caprimontem, quod castrum prope aberat Leodio, eos persecutus est, firmâ obsidione arcem, quæ in edito, circumcludens.

* Kievremõt & Caprimons. *Tom. 2 gest. Leod. in Notger. c. 50. Flod. histor. l. 4. c. 26.*

LXXXIX.

Ottonis expeditio adversus Luduicũ Franciæ regem.

Interea fama percrebuit, Luduicum Franciæ Regem Caroli Simplicis filium, cognomento Transmarinum hostiliter irrupisse in Alsatiæ fines, spe regni occupandi Lotharienfis. Quo nuncio Rex perculsus, solutâ mox Caprimontis obsidione arma convertit in Alsatiam; nec mora, secundante Deo, Luduicum Alsatiæ finibus ejicit. Et Castrum * Brisacum, quod in Alsatia superiore caput pagi * Brisacgouvæ, munitionibus Everardi Ducis tutissimum, impositóque tum præsidio perinde validum, admotis copiis, oppugnare jam cœperat, cùm ibi Fridericus Moguntinus Archiepiscopus Ottonis societatem palam exuit, & magnam partem exercitûs ad se traducens, arma sua cum rebellibus contulit.

* Brisiacum Sequanorũ. *Luit. l. 4. c. 4.* * Brisacgouve *jam Brisgova.*

Fridericus Moguntinus Archiepiscopus.

Dum hæc in Alsatia geruntur, Giselbertus & Eberhardus, velut omni belli metu soluti, latè per Lotharienfium, & ulterioris agros Germaniæ vagari, & undique prædas inulti agere, donec Rhenum transire sæpius adnitentibus,

Luitprandus lib. 4. c. 16. cum Udo frater Hermanni ducis Suevorum, seu Alemannia.

XC. Pugna Ottonianorum cum Lotharingis rebellibus. *Sigebert. Witichind. & supplementum Reginonis.*

tentibus, ab Udone Alemanniæ; & Conrado Sapiente Wormatiæ Comitibus, sive Ducibus, denique obviam itum est. Qui apud Andernacum armatâ manu infestis se populationibus objicientes, atroci prœlio facto, utrunque Ducem, cœsis ad internecionem fermè copiis, exuunt vitâ.

At Giselberti casus ibi longè fuit miserabilis; qui, cùm inclinante suorum acie, prœlio excessisset, in paratam scapham desiliens, Rheno se credidit; quò multitudo fugientium insecuta, cùm irrumperet; navigium multitudine hominum atque onere depressum, unà cum Giselberto cæterisque vectoribus, cœcâ voragine haustum mergitur.

Brisacenses, compertâ morte Ducum, & tantæ cladis nuntio accepto, deditione factâ, in Ottonis venêre potestatem. Quos contumacium reliqui item Lotharienses secuti, in arbitrium concessêre victoris. Fridericus Moguntinus Antistes & Ruothardus Argentoratensis, captivi facti, suetum solum mutârunt exilio, iste Fuldâ, hic Corbeiâ, monasteriis, se continere jussi. Solus adhuc imperium detrectabat Adalbero Mediomatricum Episcopus, quo item mox ad obsequium inflexo, læta rediit universo regno, & optata tranquillitas.

Episcopi rebelles puniuntur ab Ottone.

XCI. ANNUS Chr. 940. STEPHANUS VIII. al. IX. Pon. an. 3. m. 4 d. 5. Henricus Ottonis magni frater Lotharingiæ Rector *Reginonis appendix.* Otto Lotharing. gubernator. Lotharingici regni administratio utrinque à Luduico C. Simplicis F. & Ottone Rege. Henricus Giselberti Ducis F. designatus.

Inde Leonis Pontificis extincti summos in terris honores Stephanus VIII. gerere cœpit; Henrico Regis Ottonis fratri malè pacato Lotharingiæ gubernacula commissa, quæ dum haud peritè satis habet ambitione atque ingenii insitâ mobilitate, mox repulsam passo, submissus Otto Viriduni Comes successor, eodem anno. Ita Reginonis appendix. At Sigebertus misso Henrico, Giselberti Ducatum clarè scribit datum Ottoni. Paulò secus, sed accuratè Abbas Urspergensis, meo quidem animo, narrat Luduicum Regem Galliarum, cognitâ morte Giselberti, commiseratione casûs Gerbergam ejus viduam, Ottonis magni sororem, conjugem duxisse; præfecisse autem Lotharingorum regioni Ottonem filium Richuini, & ut quidam volunt, Giselberti fratrem, ut cum regni procuratione Henricum Giselberti filium in ephebis ad spem regni vel Ducatûs Lothariensis educaret. Cujus fidem historiæ disertis verbis attestabitur mox Witichindus.

XCII. Limburgēsis trās Rhenum Ecclesiæ perpolitio.

Stabat jam trans Rhenum in monte, quem Lintburgium appellavêre majores, præcipitem inter saxa Loganam, & subjectos turrito fastigio excelsior campos prospectans, Deiparæ Matri atque Georgio Martyri sacrata Basilica, cleri tum frequentis cœnobio magis atque magis enitescens. Eam Otto pro egregia illa sua in viros sacratos beneficentia * Dietheri Præsulis comitisque dilecti Chuanrati rogatu complexus, ad levandas cleri istic Deo servientis quotidiani victûs expediendi curas, uberiore censu atque proventu locupletavit; prædivite mancipiis, agris, pascuis, nemoribusque prædio, in loco *Ubtusheim pagi Logenahe ad nutrimentum clericorum illic Christo militantium oblato*, & donationum tabulis super ea voluntate sua XII. Kalend. Maii Indictione XIII. Anno Regis Otthonis quinto confectis. Actum, * Quentelborg in Dei nomine, subnotante Poppone Cancellario ad vicem Friderici Archicapellani. Annuli regii impressi character.

* Diethardi.

* al. Quindilinburg.



Prudenter autem hic Chronographus recens annotavit; Conradum pium Comitem basilicæ ab se nobiliter exstructæ atque dotatæ superfuisse. Nam qui in Luduici diplomate, ferebatur niti eam exstruere ac dotare, hic triginta & unius annorum intervallo, eam habuit viditque cōsummatam; siquidem præsens Ottonis Præceptum, Ecclesiam appellat, quæ in loco Lintburg constructa esse videtur. Cæterùm in AlboBenefactorum sine annali titulo legitur: II. Kalend. Julii obiit Felicis recordationis Conradus primus fundator Ecclesiæ in Lintburg. Primæ quoque dedicationis memoria, ut reor, excidit, cùm quæ ad annum Dñi MLVIII. refertur, posterior cẽseri debeat.

XCIII. ANNUS Chr. 941. *MS. Mediolacens.*

Ruotbertus Archiepiscopus Ecclesiæ suæ res, crebris hisce bellorum motibus & inopiâ boni moris accisas, pro virili redigere in integrum, atque ad honestum statum monasteria inprimis reducere aggressus est. Quare dum inspiciendæ causâ diœcesis singula diligenter loca obit, ad Mediolacense monasterium delatus, omnibus id arctioris disciplinæ legibus solutum, & rebus ad vitam tuendam necessariis pænè spoliatum invenit. Wicelinus siquidem vicedominus Trevirorum, cùm frequenti eum locum direptione, adductâ eò prædabundâ militum manu, exhausisset; tum etiam, ne unquam monachis injuriam eam persequendi facultas esset, omnes donationum veteres Chartas minutatim consciderat. Proclinatam ergo disciplinam hic cernens Antistes, misit ad Monasterium Indense, quod apud Aquas D. Cornelio sacrum, integrâ tum religione florebat, virum inde postulans, qui monachis præponi Abbas, & optima veteris disciplinæ præcepta tradere posset. Quo haud magno negotio ab iis, quorum intererat, impetrato, Ruotwicus vir exempli recti, & probatâ virtute missus est, qui mox à Ruotberto Abbas ibi consecratus, monasterii Mediolacensis administrationem excepit. Porrò eum Ruotbertus ad Ottonem Regem & optimates regni Lothariensis adductum, magno studio commendavit, & luculentas ab Rege ei possessiones quæsivit, quibus item de suo prædiis aliquot adjectis, non ad priscum modò cultum splendoremque locum eum reduxit, verùm & insigni deinceps famâ religionis atque doctrinæ monasterium id extulit, atque apud omnes in honore posuit.

Mediolacēsis cœnobii status.

Wicelinus vicedominus Trevirens. in Mediolacēses iniquus.

Indēse monasterium.

Ruotwicus Abbas Mediolacensis.

Ottonis munificentia in Mediolacenses.

XCIV.

Rex Otto inter cætera beneficia, quæ Ruotwico detulit, etiam privilegia, autore Ruotberto in hanc fermè sententiam indulsit; ut prædia, quæ vel ipse, vel Archiepiscopus monasterio donâsset, invadere, donare, vendere, vel mutare citra monachorum assensum

nemini,

nemini, ne Episcopo quidem vel Abbati fas esset: ut mortuo Abbate, Monachis ex corpore suo Abbatem creare liceret. Inde Ruotwicus ad formandum Monasterii sui statum conversus, acri in ejus agitatione negotii curâ versari, atque optimis suos disciplinis examussim imbuere; & ne eximio quoque politioris literaturæ fructu carerent, duos ad * Gerbertum postea Rhemorum & Ravennatum Antistitem, virum eo tempore literarum gloriâ florentem, discendi causâ, proficisci jubere; qui deinde reversi, magno sociis ad necessaria doctrinæ subsidia, fuère cõmodo & ornaméto.

* forte Auriacum; quo in monasterio ipse vixit. Gerbertus Remorum, postea Ravennas Archiepiscopus, & Pon. maximus, Silvestri II. nomine. *Sigebert. in an. 992. in supplem. Aimoini lib. 5 c. 45.*

Cæterùm in hoc monasterio, versus aræ quondam D. Petri inscripti à Ruotberto eam monstrant positam, dicatamque:

CLAVIGER ALME POLI, RUOTBERTUS MENTE FIDELI,
HANC TIBI PRÆCLARAM PRÆSUL DEVOVERAT ARAM,
ABBAS QUAM RUOTHUIC DEVOTUS RITE PEREGIT;
PRÆMIA COMMUNIS SIBI QUO SINT ÆQUA LABORIS.

S. Magnerici translatio. *Eberwin. in vita S. Magnerici*

Per eos quoque dies Ruotbertus D. Magnerici Præsulis Trevirorum sanctissimi corpus, Berengarii monachi ad Divum Martinum iterato sæpiùs viso commonitus, ex loco, ubi antea non commodè hæserat, in eum, quo nunc apud D. Martini cernitur, transtulit; suisque impensis aptari sepulchro aram, & supernè fastigium, imponi placuit.

XCV. ANNUS CHR. 942. *Supplem. Reginonis.* At Lambertus in sequentem annũ rejicit. Templi S. Maximini encænia.

Anno sequenti indicta Bonnæ Synodus, & viginti duorum Episcoporum conventu nobilitata. Inde III. Idus Octob. Treviris à Ruotberto urbis Antistite, & Adelberone Mediomatricum, Divi Maximini basilica, opere jam perfecto, dedicata est. Consecratio ea insigni sacrorum apparatu constitit, & magnâ hominum concione certatim eò religionis ergo affluentium. Adstabant Episcopis mitrati, * Ogo D. Maximini, Agenaldus Gorziensis, Erkenboldus Tullensis, Heribertus S. Arnolphi Metensis, Fridericus S. Huberti in Arduenna, Salachon Divi Martini, Abbates: qui omnes splendidi vestibus sacris, amplissimoque cultu reverentiam pompæ, non tantum conferebant spectaculum religioni. Perfectâ verò consecratione; beata quoque Divorum Antistitum pignora Agricii, Maximini, Nicetii, Basini ac Weomadi in novam basilicam importata, pari præsentis cleri ac populi veneratione, conditaque in ea crypta, quæ sub ara principe templi hodieque visitur.

* al. Hugo.

Sanctorum V. Episcop. Trev. translatio in novam S. Maximini Basilicam. *Witichin. l. 2.*

ANNUS CHR. 943. MARINUS II. PON. an. 3. m. 3. d. 13. *Frodoard. & Sigebert.* Ottonis mortem adscribunt an 944 al. 945

Postero anno, Romæ, Marinus Pontifex pro Stephano factus est: eodemque, morte occubuit Dux Lothariensium Otto, de quo jam promissa Witichindi verba damus. *Defuncto Ottone Lothariorum Præside, ac Regis nepote ex Gerberga, Henrico impubere, Ducatus regionis conceditur Conrardo.*

XCVI. Conradus Sapiens Lotharingiæ Rector.

Is Conrardus Ottonis gener, Wormatiæ Dux fuit, & Franciæ Orientalis, dictus SAPIENS; qui desponsâ sibi Regis Ottonis filiâ Luitgardâ, Ruotberto Trevirorum, & Richario Tungrensi parùm amicus, frequentissimo procerum apud Duisburgum conventu, anno proximo criminatur ambos, ceu Regi parùm fideles. At objectis ibi criminibus justâ defensione depulsis, absoluti Regis sententiâ Episcopi, pravaque accusatorum calumnia & vis exarmata ad nihilum recidit.

ANNUS CHR. 944 Episcopi Lotharienses ab Conradi insectatione absoluti.

Richarius verò Leodiensis Antistes deinde superstes diu non fuit, sed sequenti anno vitâ functus, Ogonem D. Maximini Abbatem successorem accepit: virum in rebus Ecclesiæ tractandis impigrum, multarumque rerum sagacem, de quo Frodoardus in suo Chronico: *Richario Tungrensium Præsule defuncto, idem Episcopium Rex Otto, Hugoni Abbati monasterii S. Maximini nolenti atque refugienti dedit; eumq; ordinari fecit Episcopum.* Cæterùm Richarius monasterium S. Petri Benedictinæ familiæ, cujus autorem S. Hubertum fuisse perhibent, jam tum à Nortmannis vastatum, Collegio mutans, ædificiis erectis, & prædiis, quæ triginta Canonicorum cœtui sat essent in victum cultumque, assignatis, suæ apud Leodienses beneficentiæ, haud immeritam & gratiam & gloriam tulit.

ANNUS CHR 945. Ogo vel Hugo S. Maximini Abbas Episcopus Leodiensis. *Tritthem. & Supplem. Reginonis MS. Medioloconsis. Anselm. To. 1. gestor. Leod. cap. 42.* Collegium S. Petri Richarii Leodiensis Episcopi munificẽtiâ restauratur

Exitu hujus anni Otto in Thalahem hiberna habuit; ubi Ruotbertus Abbatiam S. Servatii, toties jam à præfectis Lotharingiæ atque Comitibus pervasam, procerum interventu rursus vindicatam recuperavit; atque ejus loci jus à Rege tabulis publicis in hanc sententiam sibi confirmatum, inde retulit:

XCVII. Trajectẽsis, Abbatia reducta ad patrimonium S. Petri.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divinâ favente clementiâ Rex. Si justis fidelium nostrorum precibus præbuerimus remunerationis compensationem, ubi de Ecclesiasticis fit rebus, Dominum; ubi autem de negotiis fit humanis, nostros fideles credimus nobis fideliores exinde fore, ac promptiores devotioresq; obsequio. Proinde agnoscat omnium fidelium nostrorum conventus, qualiter nos proceres nostri adeuntes, scilicet Moguntiacensis Episcopus Fridericus, & frater noster Henricus, simulq; Comes Hermannus, rationabili prece deprecati sunt, ut Ecclesiæ S. Petri Trevirensi, ac fideli nostro Ruotberto ejusdem sedis Episcopo, daremus, quin potiùs restitueremus Abbatiam S. Servatii sitam in Trajecto, quorum ratis petitionibus acquiescentes, agnoscentesq; nos ad hoc debitores, ut justitiam faceremus, eidem Trevirensi Ecclesiæ reddidimus & restituimus prædictam Abbatiam S. Servatii ex toto & integro, omnesq; appendices, cum cæteris omnibus quæ visa est habere. Innovantes ergo prædecessorum nostrorum editionem, Regum videlicet Arnolphi, Zuendeboldi, Luduici & Caroli, qui prælibatæ sedi antedictam contulère Trajectensem Abbatiam, hoc regiæ liberalitatis præcepto sancimus, quo nemo successorum nostri præsens datum refringendi, seu aliquo modo violandi, habeat potestatem. Et ut hæc traditionis nostræ autoritas plenissimâ vigeat firmitate, manu nostrâ subter firmavimus, & annuli nostri impressione corroboravimus. Signum Domini Ottonis Serenissimi Regis.



* al. III. Frod. chron. Flodoar. histor. lib. 4. c. 28. per seq

Bruno Cancellarius ad vicem Friderici Archicapellani recognovi. Data quarto Kalend. Januarii, anno Incarnationis Dominicæ DCCCCXLV. Indictione IIII. Anno Domini Ottonis X. Actum in Thalahem.*

XCVIII. Rhemensis Ecclesiæ schisma, in Galliarum motu.

Atrox per id tempus Rhemorum Ecclesiam tempestas certaminis obnubilabat, quæ Regis Luduici & Comitum Galliæ factionibus identidem agitata, nullo consistere quietis loco, nobilem illam & Treviris amicam sedem patiebatur; jam Artaldo justo Præsule dejecto, modò rursus in altum evecto Hugone, Heriberti Comitis filio, qui puer olim propè quimulus ad ejus cathedræ regimen paternâ factione adrepserat. Artaldi caussam, tum quia pro meliore habita; tum, quia Luduico Regi opportunior, Ruotbertus Trevirorum Archiepiscopus, & Otto Rex, quin æquitatis quotquot amantes, impigrè susceperunt. Ergo post ancipites in Gallia prœliorum casus, agrorum mutuas depopulationes, & malè sæpiùs nexa; nec semel rescissa concordiæ vincula, ubi Luduicus Rex à factionum partibus serò respiravit, lis ea Galliarum proceres longè gravissima distinebat, occupatorum utri, Artaldo, an Hugoni Rhemorum Ecclesia denique veniret adscribenda. Hugo nuper cleri promptum in se favorem expertus, ut legis annalis gratiam olim à Joanne, sic pallium etiam à Stephano Pontifice, confirmatæ dignitatis argumentum abstulerat, & agmine clientum fidissimorum probè stipatus, Rhemorum urbem, vicinaque loca fortiter propugnabat; donec Marino Pontifice jam vitâ functo, aggregatis in unum viribus, Luduicus & Otto Reges urbi vim circumdedêre, excussoque Hugone Archiepiscopo, impendentis periculi metu, tridui non ampliùs spatio Rhemos in potestatem redegêre suam. Aderat huic expeditioni Ruotbertus Trevirorum Præsul, Friderico Moguntiacensi laborum consiliique socio, qui intermisti Regum & procerum agmini civitatem ingressi, Artaldum jam dudum extorrem, pristino reddidêre solio, munerisque id habuêre speciosissimi, ut in Ecclesia hinc & inde prehensum manu, in antiqui honoris sedem Artaldum collocarent.

Hugo & Artaldus de Episcopatu Remensi certant.

ANNUS Chr. 946. Flodoar. lib. 4. c. 32 33. Rhemorū urbs obsidetur & capitur.

Ruotbertus Trevir. in expeditione Rhemensi Artaldum Archiepiscopū Rhemis restituit.

XCIX. AGAPITUS II. Pon. 2. 10. m. & d. 10. ANNUS Chr. 947.

Interea Agapitus Romæ Marinum exceperat, bellique terror Rhemis Silvanectum, inde in Nortmannos se promoverat, sed lánguidâ per depopulationes Regum manu. Hiberna itaque repetuntur, & sub insequentis anni paschalem lætitiam, quando Aquis congressi Reges, Rhemi Hugonis armis de novo turbati.

Ruotberti insigne privilegium.

Ecclesia Trevirensis plenam jurisdictionē adipiscitur excluso comite.

* Medio tempore, Ruotbertus pro autoritatis & prudentiæ rara apud Ottonem Cæsarem existimatione, amplissimum ab eo dignitatis testimonium judiciumque retulit; cùm Otto Luduici decessoris exemplo, Ecclesiam Trevirensem omni regalis administrationis & juris consortio liberavit; & universum imperium ad Archiepiscopum, excluso Comite, transtulit. Quare ne Judex ullus alius, vel judiciali potestate præditus Comes, sive juris dicundi, sive placiti regendi, vel freda mulctasque indicendi caussâ, infra ditionem regni & imperii villas aut Ecclesiæ Trevirensi subjecta alia loca adire vel ingredi possit, sed tota Jurisdictionis ratio penes unum consistat Archiepiscopum, & ejus Advocatum, luculentè sancit; donatque à teloniis, Rheni Mosellæ aliorúmque locorum eidem prolixam immunitatem. Signum domini Ottonis invictissimi Regis.

Teloniorū immunitas.



Bruin Cancellarius ad vicem Ruotberti Archicapellani recognovit. Data VI. Kalend. Februarii. Anno Dominicæ Incarnat. DCCCCXVII. Indict. V. Actum Francofurti.

C.

Virdunensis synodus in qua Rhemensis Ecclesiæ causa agitur.

* Frodoardi editio Odolricus Aquensis.

Ruotbertus Trevir. synodo præest.

Sextili mense in Francia, apud Charem amnem, discussa accuratiùs Artaldi & Hugonis Archiepiscoporum caussa, arbitro demum Ottone Rege, ad Synodum Virdunensem translata. Dies à Ruotberto Trevirorum dicta, de medio Novembri; quo die istic affuêre cum Artaldo Archiepiscopo, * Udalricus Augustensis, Adelbero Metensis, Goslinus Tullensis, Hildebaldus Transrhenensis, Megingaudus Werdensis, Israhel Britto Episcopi, aliique complures egregii nominis ac virtutis Abbates. Primas tenebat & fastigio sedis, & delegati muneris prærogativâ Ruotbertus; qui Apostolicâ fretus autoritate, duobus missis provincialibus Episcopis ad Hugonem Legatis, adesse Synodo, causámque dicere jussit.* Verùm Hugo, ubi imperium renuit, omnium unâ voce Artaldo addici jus Rhemensis cathedræ, Hugoni abrogari placuit; & mox nova Synodus à Ruotberto ad Mosomum, Trevirorum diœcesi finitimum in Rhemis castrum, indicta. Dies conveniendi Idus fuêre Januarii, quæ simul illuxerunt, haud propè à castri conspectu, in Ecclesiam S. Petri Antistites ingressi, consederunt. Supervenit & Hugo Rhemensium Præsul abdicatus, qui collocutus quidem cum Ruotberto Archiepiscopo; sed Synodo vitatâ, per clericum literas Agapiti Pontificis, Episcopis obtulit; quibus Hugoni sedes Rhemorum jubebatur restitui; at literis suspectæ notæ recitatis, visum eas nihil habere roboris Apostolici. Quare Episcopi consilio cum lectissimis Abbatum, & qui sapientiâ anteibant, communicato; neque conveniens neque dignum esse judicârunt, mandatum legationis Apostolicæ, quod Ruotbertus Archiepiscopus Trevirorum, deferente Friderico Magontiacensi Præsule, jam dudum susceperat, abrumpi; quódque in Galliæ Germaniæque Regum, & tot Antistitum oculis expletum pæne fuerat negotium, continuò jam literis privatis ab Artaldi insidiatore subornatis, de manibus excuti. Quin potiùs quod ex Canonum præscripto geri cœptum, canonicè esse pertractandum: móxque caput XIX. Carthaginiensis concilii de accusato & accusatore proferri jussum; quo recitato, pro-

Synodus Mosomia ab eodem indicitur. Flod. l. 4. c. 34. ANNUS Chr. 948.

nunciatum ampliùs; Artaldum, qui Synodi judicia subiisset, sedem retinere, & communionem integram; Hugonem, qui ad duas Synodos evocatus venire recusâsset, abstentum utrinque videri; donec ad commune nationis concilium, sese purgatum accurrisset.

Marinus legatus Apostolicus mittitur in Germaniam, ut Synodus Ingelheimens. ab eo dirigatur, in qua Flodoard. histor. lib. 4. c. 35. Flodoard. Chron. *Al. XXX. Ruotbertus cum suis suffraganeis. Otto, & Luduicus reges. Remensis Ecclesiæ causa cognoscitur.

Interea loci, ab Artaldo Romam cum literis evolat appellatio; & Marinus ab Agapito in Germaniam ad Regem Ottonem missus, ut Synodo cum amplissima potestate præsideret. Synodus Ingelheimii apud Rhenum veteri Francorum regni palatio ad Kalend. Augusti indicta, sed Frodoardo teste, septimo Iduum Junii celebrata. Convenêre in Ecclesia S. Remigii, cum Marino Legato, Episcopi viginti * quatuor; quos inter Ruotbertus Trevericus cum Goslino Tullensi, Adelberone Metensi, Berengario Virdunensi provincialibus. Additum cœtui præcipuum decus, Otto Rex Germaniæ ac Lotharingiæ, & Luduicus Galliarum, qui opis quærendæ huc confugerat. In disquisitionem præcipuè venit, Artaldi Hugonisque causa; etsi ad Ecclesiarum ubique tuendam dignitatem, & majorum disciplinam arctioribus commodisque fulciendam præsidiis, multa quoque salubriter ibi à Patribus sancita sint.

CII.

Hugo deponitur.

Cæterùm in Rhemensi controversiâ, postquam Hugonis calumniæ artesque malæ, præsentis Marini Legati industriâ patuêre, clericus qui Mosomiæ Synodo literas ingesserat, falsi reus, gradu motus, omniumque sententiâ, abdicato rursum Hugone, Artaldo tanquam legitimo pastori adjudicata lis est.

Ruotberti Archiepiscopi suasu excommunicatur.

Secundâ verò die sessionis, post recitatas divinæ autoritatis lectiônes, suggessisse Ruotbertus Trevirorum Archiepiscopus narratur; quia Artaldo Præsuli Rhemensis Ecclesia jure ac ordine restituta, jàm peragi quoque judicium oportere, adversus Hugonem illius sedis invasorem, meritasque pœnas noxium sequi. Marinus itaque canonum & Pontificum decretis, super hac causa publicè recitari jussis, omnium assensu & Hugonem communione sacrâ destituit, & quoad pœnitentiâ piaculum daret, ab Ecclesiæ gremio repulit.

CIII.

Lotharienfium expeditio in Campaniam pro Rege Galliarum.

Synodo missâ, Rex Luduicus, Legati, Regisque Ottonis, & omnium Episcoporum Lotharingiæ favore erectus, ad castigandam Galliæ procerum factionem poscere tum ibi auxilia, manúsque cœpit. Addictæ Lotharienfium vires, & exercitus, Conrado Duce, in Lotharingia conscriptus, cujus non ingloria pars Mosellani, cum Archiepiscopo suo Ruotberto. Quare, & qui hæc memoriæ mandavit * Frodoardus, Ecclesiæ Rhemensis Presbyter, Artaldum Rhemorum Archiepiscopum, & se ipse testatur quatuor ferè hebdomades, dum copiæ coirent, fuisse cum Trevirorum Archiepiscopo, Luduicum Regem cum Duce Conrado, alios cum Adelberone Metensi; atque inde sociatis armis, Episcopos Lotharingiæ Mosomû castrû aggressos, oppugnâsse, brevíque ad deditionem compulisse.

*Ex hoc loco colligas eundem esse Frodoard. nisi ille hujus historiam compilârit.

Cùm ergo Luduicus Rex in agro * Laudensi, Conradi Lotharienfium Ducis auspiciis ac robore æquè feliciter rem gerit, interea Hugo Gallorum Princeps longè fortunis & rerum gestarum magnitudine, apud suos clarissimus, a Marino ad Luduici Regis amicitiam, & obsequium, aliáque meliora consilia invitatus est; per hunc enim unum stetisset, securè Luduicus & tranquillè regnare poterat.

*Laudunensi.

CIV.

Marini Apostolici legati rescriptum exiguo verborum flexu.

Venit in manus nostras Marini Legati rescriptum, dum Cathedralis Ecclesiæ veteres schedas excutimus, ad * Hugonem transmissum, cujus vel præcipuè studiis atque factione afflictus Rex Luduicus, jacuit: *Scire*, inquit Legatus, *te oportet & nos & universum, qui nuper in Ingelheim, jussu atque autoritate domini Agapiti Papæ coiit, Episcoporum cœtum, incredibilem ex tua absentia cœpisse mærorem: cùm præsertim non regni modò totius salutem & incolumitatem, verùm & publicam Ecclesiæ Gallicanæ causam tantum apud te valituram fuisse arbitrati essemus, ut quin Romam etiam jussus, continuò proficiscerêre, nihil recusaturum duceremus; quo ne summi pastoris vel autoritatem defugisse vel detrectâsse videreris imperium. At verò quod contra jam à te factum, ita desiderari sitic te passus es, ut neque istius absentiæ tuæ purgandæ nuncium ullum miseris, neque ullæ ad Synodum istuc à te missæ pervenerint literæ. Quò gravior etiam nos doloris sensus oppressit, cùm in tantum Ecclesiasticæ communionis amittendæ discrimen, ultrò te descendere, illamq́, tam crudelem atque impiam à cæteris membris avulsionem cerneremus, non plus etiam reformidare. Et licet causa tua cum Hugone Rhemensis Ecclesiæ occupatore eadem omninò sit, noxamq́, consimilem comitari pœnam eandem jubeant leges, nos errori tamen indulgentes tuo, Synodum aliam adhuc tibi Treviris ad Octobrem mensem, indicimus; & istic omninò ut adsis, si Ecclesiæ gratia, si salus tua tibi cara, des operam jubemus. Prius tamen cum Belgicæ Episcopis, qui Laudunum profecturi sunt, tibi loquendum erit. Vt etiam ante ex horum sententia, cum Luduico Rege & Artaldo Rhemensi Archiepiscopo, quàm ad Synodum Trevirim accedas, in gratiam redeas, omninò volumus: & quòd ita facturus sis, confidimus certè.* Hæc Marinus sanctæ ac Apostolicæ, ut ipse de se scribit, & Romanæ sedis Vicarius.

CV.

Trevirensis Synodus, Flodoard. hist. Eccles. Rhemens. lib. 4. c. 36. 37. *Luitdulfus.

Porrò ubi Mosomo castro recepto, eversóque, Lotharienses Episcopi ad sua reversi sunt, & Artaldus Ecclesiæ suæ res utcumque composuit, Marinus Treviris interea commoratus, Synodum Belgicis Episcopis indixerat; cujus acta Frodoardus, testis fide dignissimus, sic exequitur. Artaldus posteàquàm cum Widone Suessionico, Rodulfo Laudunensi, & Wicfredo Morinensi in Treviros venit, Marinum istic sese præstolantem invenit cum Ruotberto Archiepiscopo; at cæterorum Lotharienfis regni vel Germaniæ Præsulum neminem. Aderat & ibi * Landulfus Ottonis Regis Capellanus & Legatus; quibus in concilio sedentibus, sciscitari cœpit Marinus Vicarius, ecquæ partes officii fuissent Principis Hugonis, quique animus ipsius in Regem Luduicum extitisset, post Synodum celebratam? Cui, cùm Episcopi Campaniæ damna retulissent & injurias, quibus illorum Ecclesias recens improbè vexâsset: tum legatus; perlatæne igitur literæ, quibus in judicium vocatus? responsum, earum aliquas perlatas, alias interceptas, literis

*MS. nomen non exprimit.

tamen nunciisque satis Hugoni de evocatione constare. Quæsitum igitur, num adsit in Synodo, qui negotium absentis agat? ubi nullus præsto esse cognoscitur, decernit concilium exspectandum diei crastinum; quo die, cùm nemo item Hugonis nomine apparuisset, & uterque tam sacer, quàm profanus ordo, Ecclesiæ commercio censuisset prohibendum, secus Episcopis visum, qui tertiam quoque lucem rati sunt operiundam.

Episcopi [illegible] cum Hugone Galliarum principe.

Interea Episcoporum quorundam causæ cognitæ, qui adesse Synodo neglexerant, aut Hugonis ordinationi faverant, interfuerintque Wido Suessionum coram Marino Legato & Artaldo Rhemensi Archiepiscopo prostratus, reumque se fassus, intercedentibus pro eo apud Marinum Ruotberto, & Artaldo Archiepiscopis, noxâ absolvitur. Wicfredus Morinensis deinde excussus, innocentiam judicibus suam probavit, ab ordinatione Hugonis, prorsus immunis. Denique Transmari Noviomensis Episcopi propter valetudinem absentia excusata fuit.

CVI.

Aderat jam tertia lux Hugonis Principis, si cunctaretur, damnationi constituta; quare, causam perurgente * Landolfo Regis Ottonis Legato, Hugo tanquam perduellis, & inimico in Luduicum Regem Galliarum animo, tamdiu sacrâ communione absentus fore pronunciatur donec in Marini & cæterorum Præsulum, quos variis damnis injuriisque affecerat, veniens conspectum, Ecclesiis ac Reipublicæ illata mala, satisfactione & pœnitentiâ obrueret; quod genus pœnæ si recusâsset, Romam sibi adeundam pro condonatione sciret.

* Leutolfo.

Eodem tempore extra communionẽ ejecti Thietbaldus Ambianensis, & Ivo Silvanectensis, quòd Hugone Pseudoepiscopo Rhemorum ordinante, Ecclesias illas occupâssent. Hildegarius quoque Belvacensis, Marini literis evocatus est, quòd Thietbaldi Ivonisque consecrationi, præter canonum fas interfuisset; perinde & Heribertus Heriberti Comitis filius, quòd Episcopos hostili incursione & populationibus affligeret.

His ita Treviris gestis rebus, Episcopi ad sua reversi sunt; & Marinus à Landulfo Ottonis Legato trans Rhenum versus Saxoniam deductus, ut Ecclesiam Fuldensis monasterii nuper instauratam consecraret; quo munere ipso præsente Ottone Kalendis Novembris, perfunctus, exactâ hieme, Romam rediit: atque ibi Agapitus Pontifex Marini studia consiliáque prosecutus, Synodum mox apud S. Petrum coëgit; in qua Ingelheimensis concilii acta probavit, & Hugonem Principem anathemate ligatum voluit, donec Luduico Franciæ Regi satisfecisset.

Fuldensis Ecclesia dedicatur [illegible]

ANNUS Chr. 949. Romana Synodus.

CVII.

Israhelem Britonem Episcopum celebrem hisce Synodis assessorem, olim Trevirensium Antistitum albo per errorem irrepsisse monui. Eum reperio in disciplinis artium & moribus optimis magistrum & moderatorem adhibitum Brunoni, post Agrippinensium Præsuli, & à Rogero, vocari Israhelem Scotigenam Episcopum.

Israel Episc. Brito Magister S. Brunonis. [illegible]

Neque hîc se diutiùs involvi silentio patitur, S. Dei Genitricis apud Confluentes Basilica, quæ S. Florini titulo insignis, Divæ Mathildi sua imputat incrementa. Hæc licet ab usque Agricii & Helenæ temporibus originem arcessit, non rectè tamen Helenam & Mechtildem cognatione jungit. Equidem rear ædẽ hanc cæteris esse quidem antiquitate haud postferenda, sed ab hac tamen ætate Mathildem magni Ottonis matrem recepisse inter aucti & locupletati cœnobii autores. Illius quippe nomen & Trevericæ majoris Ecclesiæ inscriptum anniversariis, & ejus sanctitas vitæ morumque tanta fuit, ut Quintelebturgi Halberstadiensis diœcesis, ejus memoria pridie Iduum Martii, consecrata legatur. De beneficentia ne dubites, facit hoc Witichindi præclarum elogium, qui scribit, plenam dierum, plenam omni honore, plenam operibus bonis, & eleëmosynis, cunctis divitiis regalibus distributis, servis Dei, & ancillis, ac pauperibus, pridie Idus Martias animam Deo reddidisse.

S. Florini collegium & templum apud Confluentes.

D. Mathildis seu Machtildis magni Ottonis mater [illegible]

Lib. 3. [illegible] B. Mathildis sanctitas.

CVIII.

Sed perlustranti mihi quoque ejus Ecclesiæ vetera scrinia, oblatum Ottonis magni Diploma, confusis tamen & fugientibus ævo literis; ex quibus id eruere modò licuit, Ottonem anno XV. regni, Conradi Ducis filiæque [Lutgardæ vel Lutgarethæ] rogatu, damnatorum ac rebellium quorundam prædia, quæ fiscus jam attinebat, donâsse, præsertim in pago * Ganipio Comitatu Arnulphi, cujus & fratres eam pœnam meruerant. Atque harum, ut & Ruotberti Archiepiscopi, donationum memoriâ, dubium non est, Ottonis & Mathildis ibi nomina vivere. De S. Florini autem importato istic patrocinio, narrandum in tempore.

Ottonis magni donatio.

* Ganey [illegible]

Eodem negotiorum tractu, Hugo Leodiensium sive Tungrorum Episcopus, olim Abbas S. Maximini, vitam destituit; cui virum mox idoneum hæc diœcesis Farabertum Prumiensem Abbatem submisit; qui pro virtutis præteritæ fama, castè atque laudabiliter id sacerdotium administravit.

[illegible] Hugo Leod. Episcopus [illegible] Farabertus Abbas Prumiensis Leodii Episc.

Annus inde appetiit post Virginem Matrem DCCCCL. quo subortum inter Ruotbertum Archiepiscopum & Willerum Præsulem D. Maximini de Abbatia certamen, Episcopo pristinum jus sibi vindicante, quod Principes id ætatis, & Imperatores, ut variis offensionibus & injuriis hucusque turbârant, sic novis studiis ambire non desinebant. Ruotbertus itaque nequidquam apud Ottonem Regem litigaturus, qui intercipi rem suam non sedatiùs, quàm ipse cœnobiarcha ferret, acceptis etiam Ottonis Regis mandatis, pertinaciter repugnare, aut persequi causam eam, cum indignatione Principis supersedit. Accessit huc Agapiti Pontificis in Ottonem propensissimi autoritas, qui ab Asolpho & Genthario cœnobitis, ea de causa Romam missis, aliam in partem flexus, id negotium dederat, ut Ruotbertum quidquam usurpare juris in cœnobium vetarent, ejúsque monasterii tutelam Ottoni Regi permitterent. Itaque Ruotberti caussa Ottonis Regis autoritate tunc quidem oppressa, juris actio tanquã de manibus sibi excussa. Idque adeò autor supplemẽti Reginonis parti addictus, haud tacitum tulit; dum Ruotbertum Archiepiscopum in acquirenda Abbatia S. Maximini, multum, ait, laborâsse, sed Deo propitio, non prævaluisse.

ANNUS Chr. 950. Ruotberti Archiepisc. [illegible] cum Willero abbate de S. Maximini monasterii [illegible] certamen. Ottonis M. Cæs. factum [illegible] datum.

Id

Id quod, Ottone judice, apud quem altera pars gratiâ prævalebat, contigisse, mirum non est; cùm de Ottone nepos in Egberti Diplomate fateatur, contra jus Horreensem Abbatiam usurpâsse, & pravis consultis Trajectensem Ecclesiæ Trevirensi ademisse.

MS. Ecc. Francofur. Anno fit Episcop. Wormatiæ.

Eodem anno refert vetus Chronicon, venerabilem Annonem primum Abbatem S. Mauricii Magdeburgi, successisse Richouvo Wormatiensis civitatis Episcopo; eique in Abbatia substitutum Othuinum.

CIX. ANNUS CHR. 951. *Supp. Regin. Sigeber. Leo Ostiens. Luitprand. de Scriptores* Otton is adparatus ad ineundam Italiam.

Plurima tunc quoque Germaniæ Galliæque passim loca, maximo tremore quassata, cùm sequenti, Otto Germaniæ atque idem Lotharienſium Rex plenus felicitatis, gloriæque simul publicæ, simul privatæ, ad ornatissimum occupandum Italiæ regnum assurgit, æternum Germaniæ suæ non quæsiti modò regni decus, sed parti imperii summam quoque gloriam post Carolum Magnum, relaturus. Ejus verò concipiendæ spei talis admodum occasio. Adelheidis Lotharii Italiæ Regis defuncti conjunx (Ruotberti Archiepiscopi Trevericos Annales secuti germanam sororem supra tradidimus) à Berengario novo Italiæ Rege oppressa, in arctam data custodiam ad lacum Bennacum, castro cui Gardæ nomen erat, tandémque Martini sacerdotis suâ ope, inde elapsa, ad Athonem avunculum salutis causâ contenderat. Qui Reginam, ut necessariis amicorum præsidiis destitutam, in fidem recipiens, ejus dignitatem sibi curæ fore promisit; eâ re graviter in se Berengarii Regis iram concitavit, à quo mox etiam jussus exsulem dedere abnuit, atque omnia potiùs extrema subire maluit. Berengarius itaque confestim exercitu adversus Athonem educto, eum Canussio, quo se Atho cum Regina tenebat, admovit; atque oppidum, nî pareret, se expugnaturum ostendit. In his rerum angustiis Atho viribus impar, Adelheidis opportuno consilio usus, ad Regem Ottonem per occulta & magis fida rem inclinat, summis precibus eum obsecrans, ut ad se atque Adelheidem Berengarii potentiæ, & insidiis eripiendam festinet in Italiam. Ea in re si obsequatur, promptásque vires ostendat, serviturum gloriæ suæ, tum Berengario dejecto, Adelheidis speciosissimas sibi nuptias, facilè conciliaturum; & quod caput, totam Italiam sub jus ac potestatem nullo negotio subjuncturum; cujus florentissimi regni gubernaculis par sit, ipsum, pro antiquæ gentis suæ decore, & eximia domi militiæque parta gloria, imminere. Non respuit conditionem Otto; quia & Agapitus Pontifex tyranni pertæsus, invitabat; quare omnibus ilicò rebus ad eam expeditionem comparatis, magnisque lectis peditum & equitum copiis, Italiam petit. Trajectis inde Alpibus, ut, captâ Veronâ Canussio cum exercitu appropinquavit, Berengarius ad conserendum manus nullâ cominus audaciâ, secessit; atque ita haud magno quidem negotio Canussium Otto præsenti discrimine liberavit, & Adelheidem Reginam gloriosè vindicatam, sine mora sibi conjugem despondit. Ticino hinc capto, per Octobrem mensem, unâ cum nova nupta triumphantis in modum, urbem introiit.

Leo Ostiens l. 1. c. 64. & alii Ital. scriptores Adelheidis Italiæ Regina Ruotberti Archiepiscopi soror ab Othone rege liberatur.

Otto copias deportat in Italiam.

Adelheidem sibi despondit

Adelheidis in benè meritorum albo Metropolitanæ domus S. Petri extat perhonorifica memoria, quæ quidem ad hoc institutum facit, his omninò consignata verbis:

Adelheidis apud Treviros memoria.

XII. KALEND. MAII CAPTA EST ADELHEIDIS IMPERATRIX CVMIS A BERENGARIO REGE XIII. KALEND. SEPTEMBRIS LIBERAVIT DOMINVS ADELHEIDAM REGINAM A VINCVLIS.

CX. ANNUS CHR. 952. *Richard. Wassebourg. Antiq. Belgic. lib. 5.* Berengarius Virdunensis Epis. Monasterium S. Vitonis Virdunense. Ruotbertus Ottonem comitatus in Italiam.

Otto autem, cùm Natalitia veteri Ecclesiæ instituto Ticini peragit, ac mensibus aliquot ibi subsistit, monasterio S. Vitoni Virdunensi à Berengario Episcopo jam recens excitato, prædiisque magnificis instructo, privilegium indulsit, quo Ruotberti nostri, & suffraganeorum ejus Adelberonis & Gouzelini consilio, tum Conradi Lotharii quidem regni Ducis magnifici, donationem eam ratam habuit, atque additis insuper de suo muneribus auxit; unde & Ruotbertum Italicæ interfuisse expeditioni, cùm Adelheidis sororis discrimen & causa suadebant, tum clariùs quoque docuit hujus privilegii conciliatio.

CXI. S. Severi presbyteri in Treviros translatio.

Nec vanitatis arguerim quædam Ecclesiæ collegialis Meinfeldensis oppidi documenta, quæ S. Severum presbyterum, loci patronum ac tutelarem, ex Italia & provincia Valeria meminêre in Treviros primùm à Ruotberto traductum, etsi gloriæ partem Egberto quoque concedamus, licebit. Nam in Translationis actis Ruotbertum, ait vetus scriptor, corpus S. Severi in Terrorina valle invenisse, ubi Deiparæ matris ædem, sacerdotum nonnemo procurabat. Quæ hinc verò nectit, Egberto dederim; placuisse scilicet Episcopo, annis aliquot evolutis, ut B. Martini monasterium in Meinfeldia positum, S. Severi patrociniis dicaretur. Itaque navi impositum Divi pignus; quam cùm obortâ procellâ seu tempestate, ne remis quidem vectores propellerent, undis denique ventisque permissam spontè prolabi cœpisse, donec appulsa ad ripam, cui Condeda Mosellæ, vicus adjacet, ubi, quia sarcinam piam ad vigilias nocturnas clerus deposuerat, exortam tunc Divi memoriam, quæ consequentes item attinuit sæculorum ætates. Et invenio, in nonnullis quoque temporum monumentis, etsi non probatissimis, S. Severi corpus sub * Ruotberto, traductum pari miraculo, cum in vicum, qui infra Caradunum, Hattonis tunc portus appellitatus; indéque exceptum à clero monasterii Meginensis pagi, conditúmque veteri Basilicâ. Cæterùm Provinciæ Valeriæ, unde translatus S. Severus, nomen obvenisse volunt à civitate Valeria Marsorum; ex qua celebris in Martyrum actis via Valeria; quæ à Tiburtibus per Marsos transiens, Corfinium usque ducebat.

Inventi in Terrorina valle.

Cõdeda jam Condae regione Cochemii oppidi.

Chron. MS. jam ... Magno. ... Chron. Bel. * forte Egberto Hatzeport jam vulgo.

Valeriæ Provincia, Via, civitas *Strabo l. 5. Albert. Lean. der.*

Ruotbertus etiam per hosce dies, rebus Ecclesiæ suæ tuendis & amplificandis insistens,

cum

Elza. Avilonia. Baramunda nunc *Pormosle*.

*Farabertò.

cum Sigebodone Advocato ex utriusque commodo, novalia fundósque permutavit. Agris autem iis in pago & comitatu Meieneveldiæ frumenti feracissimo, limites ac metæ depanguntur, Alcia seu Elza fluviolus, quem Alizontiam interpretor; Avilonia munitio, & Baramunda. Negotium id peractum Treviris publicè in domo S. Petri, Thiedone Archidiacono, * Saraberto Decano, Sigeberto Præposito, Martino Capellano, Gesboldo Choriepiscopo, & Fodilberto Advocato, signis suis pactionem roborantibus, anno Dominicæ Incarnat. DCCCCLII. Ottonis verò gloriosi Regis XVI. super regnum quondam Lotharii. Indict. X.

Conradus Lotharingiæ Rector in Italicam expeditionem it. Berengarius in potestatem redactus se jure regni Italiæ abdicat

CXII. Hieme peractâ in Italia, appetente jam vere, Otto urbis Romæ ingressu prohibitus cum Adelhaide in Germaniam se retulit, & Conradum generum, Lotharingiæ Principem, ad belli persequendas reliquias, trans Alpes durare jussit. Is verò in profligando Berengario eam spiritûs bellici alacritatem sumpsit, ut supplicem eum venire in Saxoniam, atque in arbitrium cedere victoris coëgerit. At Otto sortem miseratus jacentis Augustam cum Adalberto filio ad procerum conventum invitavit; ubi sceptris ac summo jure positis, clientelam sollenni more professus est, Italiámque Ottonis gratiâ, administrandam recepit; Marchia Veronensi & Forojuliensi Henrico Regis fratri cedens. Atqui hi ortus & incrementa Italici regni, ope ac consilio procerum Lotharingiæ parti, atque ad regnum Germaniæ unde devolverat, tanquam postliminio revoluti.

Aquileiens. Reginonis supplem.

Italici regni ad Germanos revolutio.

Trithem. in Chron. Hirsaug.

Monasteria literis bonis exculta.

CXIII. Per idem tempus, monasteria D. Maximini Prumiense & Mediolacense, restituto quasi & cumulato literarum honore, oculos sustulêre, & ut ad religionis ac disciplinæ normam pronuper, ita nunc ad insignem eruditionis famam simul inclarescere cœperunt. Accurabant scilicet præfecti monasteriorum liberalitate, fovendis, honorandisque literarum divinarum juxta atque humanarum studiis impartita, ut ne sæculum hoc sterile atque effœtum haberent. Professores alebantur viri ex eadem D. Benedicti disciplina; quorum auditoria lectissimâ ejusdem ordinis juventute stipata, & excellentissimis erant ingeniis referta; quæ, ubi ad maturam virtutis doctrinæque frugem effloruissent, inde in alia monasteria diffusi, veluti in Colonias quasdam propagabantur, eximio pietatis ubique fructu, atque religionis incremento. Quæ utinam majorum tam præclara instituta, retrò luxu atque desidiâ non lapsa fuissent, nunquam eas clades ac vulnera in publicam usque perniciem monasticè toleràsset.

ANNUS CHR. 953.

Conradi Lotharingiæ adversus Ottonem conjuratio.

CXIV. Inter hæc, cùm Otto Rex die Christo natali Francofurti celebrato, inde in Alsatiam pergit, Conradus Dux Lotharensium conjurationis fit manifestus, quam priore anno, adversus Regem unà cum Lutolfo Ottonis filio inierat. Juventus & factiosorum turba, præsertim ex Franconia, Saxonia, Bavariáque in armorum societatem pellecta, jam tum motus ciebat. Et Fridericus Moguntinus Archiepiscopus à rebellium studio non abhorrens: unde Ottoni Moguntiæ Paschatis celebrandi causâ mœnia subeunti, ægrè potestas ingrediendi facta. Moguntiâ inde Coloniam devectus Otto, Tremoniæ in Westphalia seu Dormanni vico, Pascha transegit. Coloniam verò regrediens, Adelberonem Metensem Episcopum, ac plerosque alios Lotharienses obvios habuit, fidei obsequióque promptos; quos benignè quoque & civiliter excipiens, ab se dimisit; atque in Saxoniam profectus, instructo cum exercitu, ad circumsidendum Moguntiam, hostilia palam inde professam accurrit. Erat ea tum civitas eminentis in regno fastigii, Metropolis Franciæ Orientalis. At Archiepiscopus, admoto Regis terrore, Brisacum confugit; rei eventum è longinquo speculaturus. Dum autem Moguntiacum, Henrico Boiariæ Duce opem ferente, acri obsidione urgetur, Lutolfus distringendi belli causâ, Bavariam ingressus, Ratisbonam fraude Arnoldi Ducis sibi patefactam, militibus in prædam dedit, omnesque patrui sui thesauros ibi diripuit. Quæ res Ottonis tam vehementer animum exulceravit, ut omissâ quam propè in potestate habebat Moguntiâ, & exercitu in Bavariam transportato, castris protinus Ratisbonam circumdaret: qua in obsidione, usque ad Natalitia pænè perstitit.

Dortmont.

Moguntia in Francia Orientali. *Reginonis supplem.*

Moguntia ab Ottone obsessa.

Ratisbona diripitur.

CXV. Medio tempore Conradus Lotharensium Dux, & Adelberoni Episcopo, & Metensium urbi pariter infestus, ubi subitâ irruptione mœnia pervasit, prædarum haud modicus, Agenoldi demum Abbatis hortatu consilióque sine noxa majore, civitate excessit.

Metis spoliata. *Frodoar. Chron.*

Agenoldus Gortziensis abbas.

Atque hic ille Agenoldus, sæpiùs nobis dictus Abbas Gortziensis monasterii fuit, eximiæ sapientiæ morumque præclarus, qui Alberoni Episcopo autor adjutórque restituendæ in Gortzia collapsæ disciplinæ. Justis eum tollit præconiis Sigebertus in vita S. Guiberti, cùm ipsius industria cum religiosæ vitæ in Lotharingia hominum mentibus, ait, injectum ardorem, ut certatim nobilitas omnis, dignitas, & ætas quæcunque conflueret, nec quisquam vel initium se crederet arripuisse melioris vitæ, qui non Gortziensi disciplinâ fuisset initiatus.

Sur. tom. 3. 23. Maii.

Gortziensis reformatio.

CXVI. Interea & Wigfridus Ecclesiæ Coloniensis Archiepiscopus moritur: ejus in locum suffectus Bruno Ottonis frater, vir pace belloque ac multis rebus aliis præclarè in imperio & sacerdotio gestis inclytus. Unde & dignum paremque frater existimavit, cui totius Lothariensis regni administrationem imponeret; & Ducatum lubrico Conradi ingenio hactenus malè fultum, traderet maturioris consilii prudentiæque germano. Ipse deinde, cùm Ratisbonæ obsidium trahi in longum, neque facilem videt urbis expugnationem, mutato tandem cursu, in Saxoniam festa natalitia celebraturus abiit; atque redintegratis ibi belli viribus, intermissam obsidionem, appetente quadragesimâ, resumpsit. Porrò supplementis Reginonis id traditum invenio, Heroldum Archiepiscopum ab Henrico Regis fratre luminibus spoliatum; eóque facto, imminutis hostium viribus, brevi Alemannos & Bavaros omnes, deditâ Ratisbonâ, Ottonis se voluntati imperióque permisisse. Fridericus archiepiscopus mox receptus clementiâ Ottonis.

Bruno Coloniensis Archiepiscopus, Lotharingiæ Rector.

ANNUS CHR. 954.

Fridericus Moguntinus

nus in granam reponitur.

At Conradus Lotharingiæ prima belli fax eò jam processerat irarum, unde receptus ad pœnitendum nullus esset. Quare, ut in sceleribus novissima quandóque voluptas infamia, juratis omnium hostibus Ungaris fit autor novæ in Lotharingiam irruptionis. Ipse barbarorum permistus catervis, Rheno trajecto, per obliqua Lotharingiæ ad Carbonariam silvam pervenit; inde rapto agmine per Mosellæ, Mosæque finitima, hostilem manum Remorum, & Catalaunêsem agris intulit; donec per vulnera, morbósque viribus accisis, fessi tandem barbari, se infuderunt Italiæ. Conrado inde reddito suis, Lotharienses, ipso præeunte, mutuis latè populationibus compleverunt atque incendiis omnia.

Ungarorum incursus & reflexus.
Frodoard. Chron. Rotgerus in vita Brunonis. Sigebert. in vita S. Guiberti.

CXVII.
Farabertus & Rhaterius Leodienses Episcopi.
Tom. 1. gestor. Leod. ab Ægidio [illegible] ad an. 953.
Ratherius Leod. Epis.
de eo Rogerus in vita S. Brunonis c. 37. & 38.
Baldericus Leod. Epis. iniit anno sequ.

Hoc etiam anno Farabertus Leodiensis Antistes ex Abbate Prumiensi, mortuus, atque in Divi Lamberti crypta funeratus est. Unde in veteris Chronici membro legimus; *Rhaterius bis Episcopatu Veronensi depulsus, Leodicensis Episcopus ordinatur, per Brunonem Archiepiscopum, post Farabertum.* Sed mox Rhaterium quoque non fœliciore Leodii, quàm Veronæ cursu jactatum Balderico dedisse locum.

ANNUS CHR. 955.
vita S. Vdalrici Frodoardus. Ditmarus l. 2.
Hungarorum magnæ catervæ sternuntur ab Ottone.
Lambertus locū hic Lechfeld, à Lyco fl.
Conradi Lothariensis Principis mors *ex Frodoardo, errat hic Sigeb. qui eum ponit in parte Vngarorum.*
Sigebert. in vita Guiberti. MS. Saxon. Chron. ad an. præsentem.

Insequenti verò Ungari, retentatâ populatione, tantis sese agminibus penetrarunt in Bavariam; ut nisi eorum necem cælum, tellus, ipsaque elementa conspirarent, non vinci se posse, non superari, ipsi palam ferociter jactarent. Verùm numinis fiduciâ fretus Otto, postquam expedito cum exercitu in Vindelicos ad Lycum amnem ducto, barbaris occurrisset, incredibilem eorum multitudinem strage funestâ, terrore, fugâ, delevit; victoria tam illustri, ut omnem præteritæ ætatis recordationem amplitudine gloriæ superaret. Conardus Lotharienslum dynasta Ottoni etiam tum reconciliatus, contra Ungaros in acie fortiter dimicans, eo in prælio occubuit; honorifico funere Wormatiam elatus. Addit Sigebertus *pœnitentem, non ducem, sed militem Imperatoris*, quod Deum poposcerat expiandæ perfidiæ, in hoc bello cecidisse.

Sed hujus historiæ veritatem, Saxonum antiqua monumenta, quæ & Abbatem Urspergensem in Chronico suo delibasse comperio, clariùs evolvunt, ex quibus Lotharingici roboris Principi lucem fœneremur oportet. Conradi ducatu Ungari rursum ad arma prosilierant. Otto, ut in re subita, cùm bellum quoque Sclavicum urgeret, paucos ex gente sua traxerat in Vindelicos. Nam in procinctu habuisse narrant tantum octo legiones, tres ex Boica gente, quas ducebant præfecti Henrici Ducis, qui ob morbum copiis suis non aderat; quartam ex Francico robore; quintam Prætoriâ Regis corpori custodiæque assuetam; sextam & septimam Suevicam; Bohemicam octavam in extremo phalangis agmine. Castris verò in urbis Augustanæ confinio positis, Conrardum Ducem ex acie ab Hungaris transfugisse ad Ottonem, supplicémque cum eo, receptum, ut opibus exutus omnibus amisso ducatu, vitâ, patriâ, si incolumis pugnæ superesset, unico contentus prædio, viveret.

Ottonis copiæ.

Conradi Ducis transfugium & pœnitentia.

Nec acerbior illi hæc conditio visa, cùm sponte animi mœrore, & Christianâ pœnitudine, Deum oraret ipse, ut piaculo violatæ fidei ab Ungaris in acie necaretur. Et lectissimus circa illum equitatus erat, cujus aspectu ducisque robore accensæ legiones, vix differebant ardorem certaminis. Fuisse enim; aiunt, Conrardum audacis animi, sed quod rarum, consilio quoque bonum seu pedes seu eques in hostem pugnaret. Primâ die prælii; hoste circumveniente terga, Lyco celeriter superato, extrema legio sagittis, jaculisque dejecta: turbata quoque sexta & septima Suevorum; sed utraque Conrardi virtute eadem die restituta, vindicatáque. Alterâ luce, quæ S. Laurentii anniversaria, *Merseburgensem Episcopatum cum magni Martyris ignium victoris patrocinio*, Rex vovet, offertque Deo, si victoria ex voto sequeretur. Atque ibi tum, mox, annuente Numine, quà ferro telisque, quà flammis, quà vorticibus undarum, omnia pio Christianoque Regi fuêre secunda, cadentibus & fugientibus quacunque barbaris. Conrardus inter hæc fortissimè prælians, dum ob flagrantioris sideris æstum, fortè loricam solvit, adverso nudóque gutturi fixa sagitta, voti & piaculi juxta compos extitit. In fastis Ecclesiæ Trevirorum primariæ, extat memoria felicis victoriæ.

Votum Ottonis & victoria. In S. Laurentium affectus

Conrardi ducis exitus.

IIII. IDVS AVGVSTI MAGNVS OTTO IMP. DEI GRATIA VNGARIOS PROSTRAVIT.

CXVIII.

Inde natus Ottoni ex Adelheida filius, qui postea Otto secundus appellatus, patris regnum imperiúmque suscepit.

ANNUS CHR. 956.
Supplem. Reginonis.
Ruotbertus Trevir. peste exstinguitur.
*Rogero, vitæ S. Brunonis cap. 36.

Annus insequens dirâ pestilentiæ lue fœdus, in Germania Galliaque magnam mortalibus cladem attulit. Eâ lue Ruotbertus etiam Trevirorum Archiepiscopus, Coloniæ in celeberrimo procerum conventu, *Rutgero & Frodoardo testibus, extinctus est, annis sex & viginti circiter pontificatus munere magnificè, nec sine fama virtutis, obito. Aucta enim sub ipso majestas Ecclesiæ, adjuta disciplina cleri, & in quo maximum decus, ex generosarum imaginum fœtu, ad clarius lumen virtutis excessit. Illatum defuncti corpus propè Paulinianam Basilicam in cœmeterium decessoris B. Walpurgi sacrum. Tum Romæ in Agapiti locum Joannes quoque XII. Pontifex creatus. Atqui Otto Rex, instituto majorum Henricum inde affinem suum Treviris antistitem commendavit, atque ut eum clerus & populus Episcopum juberet, autor fuit.

JOANNES XII. Pont. an. 9.
HENRICUS. 43. Arch. 69. Episc.

CXIX
Lotharingici regni tumultus & inclinatio.

Nec Lotharingiæ res, Brunone quamvis invigilâte, pacatæ, Dynastis ac Regulis indomitâ licentiâ, ejus regni, ut & Galliarum viscera, hac illácque fœdè discerpentibus. Tragœdiæ res haud dissimilis erat; ita discordibus animis Franciæ, Lotharingiæque proceres, inde Luduicum Caroli Simplicis filium, hinc Ottonem externis bellis implicitum, dominos infidi clientes, improbè vexabant, spoliabántque. Reprimendæ crescenti in dies Comi-

Comitatuum & Ducatuum quorundam origines.

tum audaciæ, Ingelheimium accersiti Lotharienses, coactique ab Ottone, singulis ferè ex oppidis dare obsides pacis. Inde, ut dixeram, post Pascha ad urbem Agrippinensium invitati, auro Ottonis gratiam redemêre. Signet hic sibi lector dominatuum novorum origines, qui sparsim tum per Mosellæ surgentis agros, tum per Arduennæ, Mosæ, Schaldis limitem pagis Flandrensi, Brachbanto, Riensi, sub Lotharingiæ jam tum dehiscentis pallio, occultis incrementis irrepsêre.

In Chron. ad hunc annum.

Episcopi peste extincti. Baldricus Trajectensis.

Sed ad Antistites nostros revertamur; de quibus Frodoardus. *Pestilentiâ super Germaniam, omnemq; Galliam effusâ, interiore nonnulli (Coloniæ) plures gravi sunt languore confecti. Ruotbertus Trevirensis Episcopus, Raginarius & Baldricus, & duo alii Episcopi, ex ea peste, sine mora defuncti sunt. Post hæc Episcopatus Trevirensis cuidam Henrico, Regis Ottonis propinquo, datur.* Henricus à pueritia in præclaro Augiensi monasterio, cum D. Wolffgango postea Ratisbonensi Episcopo literis egregiè imbutus, familiæ splendorem (erat enim ex illustri Francosuevorum Comitum prosapia) gloriâ eruditionis impensè quæsitâ, cumulaverat. Quæ res spei raræ atque indolis juvenem exacuit, ut, ubi prima pueritiæ rudimenta in monasterio antiquæ severitatis deposuisset, Wirceburgum cum D. Wolffgango Popponem fratrem adiret, qui pietatis laude & doctrinarum studiis longè celeberrimus, Ottoni tum sanguinis necessitudine, tum virtutis nomine gratus erat in paucis.

Vita sancti Wolffgangi apud Sur. 31. Octob. Suplem. Reginonis & MS. vita sancti Wolffgangi.

Henrici Archiepiscopi educatio.

Poppo Herbipolensis Epis. Henrici frater.

CXX.

Schola Herbipolensis & Stephanus Italicus ibi Doctor.

Florebat Herbipoli tunc ingenii ac eruditionis famâ Stephanus, quem ex Italia doctrinæ causâ accitum scholæ Herbipolensi Poppo præfecerat; qui omnes illic literarum & artium bonarum cupidos accuratè erudiret ac institueret. In hujus itaque disciplinam ambo Henricus & Wolffgangus unà se tradiderunt; creveruntque sub Doctore inclyto, donec Henricus ad Trevirorum Ecclesiæ fastigium ascenderet. Henrico verò Trevirim abeunti, comitem se Wolffgangus multis precibus invitatus adjunxit; eique publicè pariter atque privatim virtutis & consilii maturitate, præclaram operam navavit.

ANNUS Chr. 957. Willerus S. Maximini Abbas. *Cas. Brast. Mensf.*

Anno postero Willerum Divi Maximini Abbatem, nonis Octobris decessisse, Reginonis auctario mandatum literis reperio; is decessoris sui vestigia secutus, novam addiderat Basilicæ structuram, tribusque in crypta superiore excitatis aris, atque ab hinc sexennio pridie sancti Lucæ dedicari jussis, loci simul auxit religionem. Illius, quod legitur Epitaphio, laudi datur, quòd Ogo bonus Episcopus, à pueris eum nutrierit, & sibi successorem delegerit. Idem Richuinum cœnobitam inter ipsa missarum sollemnia ardenti febre æstuantem, pallii Divi Maximini, stolæque contactu, morbi intemperie liberavit.

CXXI. Reliquiæ S. Maximini miraculosæ.

ANNUS. Chr. 958.

Cruces cœlo lapsæ.

Lib. 2. chro. Lamb. Hersfeld & alii.

Porrò sequenti anno insigne prodigium extitit, quod pavidas utique hominum mentibus cogitationes injecit; namque cœlo decidentes vestibus incussæ cruces, miraculo spectantium; nonnullorum item amictus, ceu leprâ, aliave maculâ visus aspergi. Ditmarus hujus ætatis scriptor: *Signum salutiferæ Crucis in vestimentis hominum mirabiliter, & magis mirabiliter elucens, dignè accipientibus profuit, & irridentibus nocuit.* Henricus Archiepiscopus haud intactus ab ostenti religione, memoriam prodigii cruce lapideâ medio foro cum hac inscriptione erecta, in oculis atque conspectu civium suorum defixit.

Crux in foro Treverico hodieque hujus rei memoriâ ab hoc ævo persistens.

OB MEMORIAM SIGNORUM CRUCIS, QUÆ CELITUS SUPER HOMINES VENERANT, Anno DOMINICÆ INCARNATIONIS DCCCCLVIII. A VERO EPISCOPATUS SUI SECUNDO, HENRICUS ARCHIEPISCOPUS TREVIRENSIS ME EREXIT.

Cernitur ea Crux hodieque cum aurea imagine, sed dubites an ab hac eadem ætate, D. Petri clavigeri in area rubra saxo insculpta; quod posteris fuit Trevericæ civitatis insigne.

Sigillum antiquum civitatis longè diversum in Metropoli damus. **Wilhelm. Kyriand. annal. p. 11. fol. 93.*

Haud parùm turbavit* Causidicum forensem hoc Crucis monumentum, qui veritus hinc speciem sibi objici antiqui Metropolitanorum in urbe dominatûs, Monachos incusare cœpit, qui fabularentur ob hanc fortè Crucem forum, quod Treviris nunc est, Henricum instituisse. At si ab aliis istuc ita traditum, majorem à prudentibus fidem impetrent, quàm qui sine ratione, consilioque id ierit inficias. Et satis habet argumenti, tum hæc ipsa publicæ columnæ, tum aliorum operum molitio, Henricum Archiepiscopum in ædilitate sua, ut ita loquar, non curâsse spectasséve populi subditi suffragium.

CXXII. ANNUS Chr. 959. *Cap. 5. 6. 7. in vit. S. Wolffgang.*

Eodem cursu rerum, B. Wolffgangum ex Pullingensium Comitum prosapia Suevicæ nobilitatis sidus, pro merito virtutis operæque salutaris, eximiis colere officiis, & ad altiora tollere subierat Henrico, eique cùm amplissima sacerdotia haud rarò deferebat, generoso cuncta pectore ille repudiabat, protritum in speciem, at saluberrimum formandæ juventutis & ad pietatem erudiendæ munus sibi deposcens. Quo in officio cùm sedulus operam Henrico suam egregiè probat, faciendum Antistes sibi putavit, ut tam perito moderatori, vitam moresque cleri sui crederet. Decani igitur ac veluti censoris in clero munere illi commendato, Episcopi recusare imperium non ausus, provinciam se utique dignam suscepit, atque hoc obiit intentiore curâ, quo clerum intellexit desciviße longiùs tum ab antiqua vivendi norma. Henrico igitur autor suasorque fuit, ut areâ amplissimâ occupatâ, & regularibus officinis, quas vocant, exstructis, claustrum simul principi

B. Wolffgangus Treviris juventutem erudit.

Instituitur cleri primarii decanus.

Cap. 7. vit. S. Wolffgangi & annal.

Basilicæ

Basilicæ circumdaret, resque cleri & fortunas juberet, ut antiquitùs solet, in commune conferri. Res inusitata visa, & in arduo. Sed blandis miscendo severa, Wolffgangus effecit tandem, ut eâdem in posterum mensâ, & sub eodem tecto Trevericus clerus agens, vitam à turba segregatam, & legibus disciplinæ severioris astrictam arriperet. Atque per hæc aliáque brevi spatio temporis, Henricus quantum apud Regem fratrémque ejus Brunonem gratiâ studiorúmque honestissimorum consociatione profecerit, testis ab hac ætate non valde dissitus * Ruotgerus scriptor vitæ Brunonis, qui de Wilhelmo Ottonis filio, Moguntinæ sedis Antistite, & de Henrico verba faciens: *Archiepiscopum*, inquit, *Trevirensem Henricum, magni meriti, & summæ probitatis virum, qui Ruotberto magnifico Præsuli, Coloniæ, in gravi pestilentia, cùm & Imperator ibidem esset, defuncto, successit; Wilhelmum quoque præclaræ & gratissimæ excellentiæ Archimandritam nepotem suum, Friderici Moguntini Antistitis successorem, ambos egregios, ambos in lege Domini perfectè instructos, Imperatori alterum consanguinitate, alterum probitate, utrumque familiaritate conjunctissimos, ipse quoque Bruno inprimis summâ veneratione colebat. Hos igitur tales, tam illustres, tam certè sapientes & religiosos, omnibusq; bonis artibus eruditos viros, ad consilium, ne fortè ipse per se, ut sunt humana, à tramite veritatis usquam exorbitaret, frequenter adhibuit: hos cū ipso simul non solùm in lectione, consilio & disputatione, sed etiā acie vidimus.* Hæc de Præsule Trevirorum Rogerus, quem ut inprimis idoneum scriptorem in Chronicis quoque suis commendat Sigebertus.

Canonici summæ ædis in cœnobium seu vitam communem coguntur.

* al. Rogerus Ruotgerus vixit an. 1040. & familiaris Brunonis fuit. c. 36. Henrici Archiepiscopi laus à Rogero.

CXXIII.

Annus non explorato traditur. S. Firmini translatio.

Digna literis visa nostris, quæ his accidit temporibus, sancti Firmini Virdunensis Ecclesiæ nobilis sanctitate ac miraculorum gloriâ Præsulis translatio, quæ, quia & numinis favore, & celebritate suâ, hominumque studio, par fuit illustribus olim trajectionibus Babylæ martyris, Flaviani, & beati Chrysostomi, voti fuit, illam non diutiùs obscuram jacere in tenebris, sed quâ diligentiâ à Carolo Gobino Societatis Jesu sacerdote nostris usibus olim eruta est, eadem, illam ad posteritatis exprimere memoriam.

S. Vitoni Virduni clerus.

Berengarius Præsul magni nominis, feliciter per hosce dies rem Christianam Virduni gerebat, qui vitâ cleri apud sanctum Vitonum parùm compositâ graviter offensus, ex sancti Benedicti disciplina monachos istuc induxerat, & virum religione prudentiaque excellentem Tullo ex sancti Apri monasterio accersitum, iis Antistitem dederat. Fortè recens Eugeniæ claræ matronæ divinitùs erat monstratum, quo loco sanctus Firminus olim in æde beatorum Petri & Pauli Apostolorum apud sanctum Vitonum tumulum accepisset; ipseque Berengarius Præsul, indicii veritate commonitus, mox Divo fabrefacto conditorio honorem addiderat, ut crescente miraculorum famâ, succresceret & sancto veneratio, & celebritas loco. Humbertus itaque Abbas, cujus in Ecclesia res gerebatur, quò latiùs proferret religionem, Berengarium adit, oratque, ut quod pluribus salutiferum, ipsique Divo gloriosum foret, ejus ossa pateretur longiùs evehi, & Flaviniacum, ubi pro magnitudine sua sedem acciperet, religiosè deportari. Flaviniacum verò pagus est Tullensis diœcesis, haud longè Nanceio, ubi cum Ecclesia domus stat antiqui cultûs olim sancti Benedicti disciplinæ consecrata. Berengarius autem Præsul, Humberti precibus auditis, non in longum distulit æqua poscentem; quare & diem edixit pompæ efferendæ Pentecostæ sacram, quo die Virduni affuère ipse Bruno Agrippinensis Antistes, Berengarius Episcopus, * Ainoldus Gorziensis, ac Humbertus sancti Vitoni Abbates. Patratis igitur in æde beati Vitoni ritè mysteriis, produit in medium sacrâ redimitus tiarâ Berengarius, frequenti clero populoque, adstantibus hinc & inde Archimandritis. Levatum patroni corpus, & elaboratâ conditum arcâ, humeris imponit clericorum; & urbe totâ compitis vicisque celebrioribus, non sine festo hymnorum cantu, lætitiaque populi, circumvehitur.

Bertharius in histor. Vird. MS. c. 23. Item MS. S. Vitoni.

Flaviniacū.

* Agenoldus.

CXXIV.

Miraculum in pago Devia, ad S. Firmini corpus.

Mox longiùs sese diffundens, & mœnia deserens, sacratum agmen ad tertium usque lapidem ab urbe circiter excedit, & Deviam, quod pago nomen, eâdem religione implet. Hic prima sacri pignoris statio: quando clerus urbanus, jam pars ad solita munia, urbem repetebat, pars novis vectoribus suas mandabat vices; qui, ubi onus cœleste mox aptant humeris, ecce tibi sede suâ moveri non posse percipiunt. Causam aperuit pia matrona; quia profanus & impurus homo, se piorum gerulorum cœtui admiscens, venereas loculo manus admovisset; quo protinus submoto, solito Divus itinere provehitur.

* Bozei.

1. Miraculum in Boleia pago.

Interea per vicinos sparsa pagos prodigii famâ, majorem undique multitudinem colligebat, quæ inter religiosam admirationem, capta studio sancti Firmini, obsequia cleri cumulabat. Ventum ita * Boleiam, ubi nox hospitalis agenda; hic injuriam detractæ religionis, & factam cultoribus suis fraudem, manifestè B. Firminus ultus est: nam qui potum malè sincerum caupo præbuerat, hujus diffracto vase, & effuso liquore, dolus omnibus apparuit. Eâ ipsâ quoque nocte, fæmina membris omnibus capta, quæ remedii causâ ad sancti ossa venerat, ubi loculum tetigit, salutarem affundi sibi vigorem, & integras redire vires, sensit.

CXXV.

* Pagney. 3. Miraculum in Pagniaco. vel Pagniaco.

Nec * Pagniacum, quò inde transiit, expers hujus admirandæ ac cœlestis opis; ubi inter hymnos & vota pii populi, postquam puer septennis, qui ab ortu nec linguâ, nec auribus competebat, tollere clamorem & has iterare voces cœpit: Firmine Pater adjuva me, continuo præsenti favore, & fari in posterum, & audire more hominum cæterorum potuit.

* Tronde. 4. Miraculum.

Hinc * Trundulas sancti corpus advectum est; quo in loco Virginem sacram multis annis oculorum tabe cæcam, lumini restituit, & beneficentiæ famam majorem in modum auxit. Sed & sui quoque venerationem, Leucorum diœcesi tum factus propinquior, multifariam sanctus apud Fagenses conciliavit. Nam quo tempore Fagum illatus, sacrilegium in spoliando templi thesauro patratum, sponte reum prodere compulit, eoque terrore circumdedit

Fago Miraculum 5.

ut cum

ut cùm lictor & carcer obversarentur oculis, sacrilegus magnitudine timoris, nullo tutus loco, consisteret, donec coram sacro feretro tanquam tribunali se sistens, apud S. Firminum ceu judicem causam diceret, & restitutionem ablatorum professus, veniam auferret.

CXXVI. S. Firminus honorificè excipitur à Gerardo Tullensi Episcopo.

Hinc ventum ad Leucorum urbem, quam mirè tum eximiâ sanctitate suâ Gerardus Episcopus exornabat. Qui nuncio de sancti Firmini adventu accepto, clerum populumque convocans, adparatu quanto potuit ac decuit maximo, obviam se Divo tulit, venientemque in Basilicam S. Apri, honoris causâ deduxit. Hic pervigilium & Dei laudes, juxtaque frequens psalmodia noctis fastidia repellere, accensáque mirificè pietas augeri, postquã exortâ luce sub omniũ conspectu, à supplice puella morbus & agnatus, nec superabilis arte medicâ S. Firmini ope feliciter depulsus. (Miracul. 6.)

S Firminus flumine periclitantes conservat. Mirac. 7.

Neque segniùs abeuntem prosecutus, quàm venientem exceperat B. Gerardus, cùm submissi ex S. Apri domicilio cænobitæ, qui venerabiles reliquias ad amnis Mosellæ partem traducerent, dum vectores subirent novi; qui ubi per vada fluvii, fervore multitudinis occupantis, rapiuntur ad ignota, tanto in discrimine versati sunt, ut subitâ inter hæc coortâ procellâ, nullum invenirent exitum. Ingens ergo tollitur omnium clamor, & augescente periculo, qui pereuntes è ripa spectabant, Episcopus & clerus Tullensis, vota jam & ultimas effundere preces, & his verbis compellare patronum; *Sancte Dei Firmine pretiose confessor, succurre citiùs, ne pereant ferentes te aquis fluentibus.* Has item voces impiger referebat adstans multitudo populi, cùm actutum discussâ tempestate, ad solita notaque vada feruntur periclitantes, ripamque adversam tenent incolumes. Excivit hujus miraculi magnitudo complures Tullo urbe; qui ubi Episcopus ad sua reflexit, porrò se sancto Firmino honorarios adjunxêre comites ad ædem sancti Martini usque progressi in montis fastigio collocatam, à qua pago Dompmartino nomen est. Hic majore quàm unquam hominum coëunte cœtu, ita, ut ante templi vestibulum sacra ossa deponerent, adfuit puer quadrimulus, utraque tibiâ claudicans, qui, ubi osculum sancti feretro impressit, mox exiliens, ingressum, & pedum sanitatem, recuperavit.

Dompmartini pagus, & in eo miraculum 8.

CXXVII. Miracul. 9.

Ex hoc loco, in amœniora prata non longè à Chaligniaco Metensis Ecclesiæ vico, qui Mosellæ flumini adjacet, promota pompa; ubi, cùm ob cœlum flagrantius capitur quies, positum in gramine virente feretrum, non ante divelli istinc potuit, quàm fundi dominus istuc fortè Tullo digressus, agrum in S. Firmini jus donatione transcripsit, quasi sedem eam immobili vestigio complexus sanctus, concupisse non obscurè visus esset. Relevato igitur onere, ad iter se reliquum facilis accommodabat; sed inter eundum tamen posthæc loculi sponte convulsa latera, multum inter se collidi, & ceu agitatione hâc bajulis aurem vellerent, novam omnibus injicere religionem. Quæ tum etiam è vestigio depulsa, cùm in se quilibet ingressi, acta accuratiùs sua, & cogitata discutiunt. In magna verò (Mirac. 10.) (Mirac. 11.)

hinc sitis & aquarum penuria, cùm vinum poscerent vectores ab Hildero prædivite viro, isque in magna copia quicquam esse sibi vini negâsset, repentè quod simulabat Dei & sancti ultione effectum vidit, ut qui quadraginta penu abdita dolia vino conferta possidebat, idem totidem mox haberet inania. Contra verò, quæ prompta ad hospitalitatis obsequium Goduidis matrona, vinum panémque spontè obtulerat, cùm festinandi studio malè vas epistomio clausisset, reversa didicit, vinum aperto vase Dei munere loco cohibitum, & ne guttam quidem dolio excidisse. Cujus rei miraculo divulgato, cùm ingens admiratio fuit omnium, tum Hilderi mutatio animi tanta, ut supplex beato Firmino factus, avaritiæ culpam deprecaretur, magnisque donis eum placans, in Flaviniacensi domo se vitamque Deo consecraret. (Mirac. 12.)

CXXVIII. Maledici in Sanctos interitus.

*Lusdam hinc itum, haud procul Flaviniaco Lotharingiæ oppidum, quod se totum B. Firmino obviam effudit; & erat improbus, qui maledicâ linguâ, ut fit; concursum hunc & reliquiarum pompam carpebat; verùm loco vix digressus, in proximum rivum casu prolabitur, & ceu deditus iræ supernæ piaculum, undis aquarum simul aufertur.

*Lusdin.

Flaviniacum S. Firmini patrocinio ornatur.

Denique Flaviniaco corpus S. Firmini magnâ celebritate & cleri populique gratulatione illatum, & in æde S. Hilarii, majoris aræ cornu impositum; advenis & incolis magno istuc numero affluentibus, ut præsidio juxtaque venerationi tunc esse cœpit, ita in ærumnarum morborúmque crebris depulsionibus, parem tutelæ patrociniique famam in seros annos etiam obtinuit.

CXXIX. Lothariensium defectio. Frod. in Chron.

Ad annum quoque hujus sæculi, undesexagesimum Frodoardus refert defectionem Lothariensium, qui, Immone instigatore perfugâ, cujus consiliis Bruno Archiepiscopus nuper usus, exuerant obsequium, & Brunonis æquitatem, & leges perosi, flagrabant novarum rerum studio. Jam per Leucorum à Mediomatricum, interioris quoque Belgicæ limitem, fundis agrisque seu possessore vacuis, & strages passim exitiales, Normannus & Ungarus ediderant, oppida munitionesque primores gentis pro re abitrioque suo ubiubi exstruebant, monasteria, peculii instar castrensis, captiva tenebant, dicam verbo, non patientes onerum erant jugique, quòd libertatis fructum adimeret. Itaque Bruno, ubi summo jure non potuit, laudis & honesti amore mansuefactos plurimos ex iis, & hoc ipso anno morigeros habuit. Spectâsse huc Witichindum existimo: *Gentis indomitæ Lothariorum regionem à latronibus purgavit; & in tantum disciplinâ instruxit, ut summa ratio, summaq. pax illis in partibus locum tenerent.* Cæterùm Lotharingiæ sic pacatæ Fridericum Comitem vice nomineque suo, moderatorem ac Ducem dedit. Hunc equidem Fridericum non reor alium, quàm, qui Ottone natus Virodunensis Comitatus Rectore, cujus & in tutela nuper regnum Lotharingiæ exstiterat, quique à fidissimo scriptore Frodoardo, frater Adalberonis, nec alio nomine compellatur. Is tuam fidem, an Mosellaniæ Dux, cujus necdum plenè facies adumbrata? imò Comes tantùm & superi tractus Mosellæ,

Pacis reconciliatæ studium in Brunone Colon. Archiepiscopo.

Fridericus Comes institutus à Brunone Dux. adi Frodoar. Chron.

Otto Comes & rector Lotharingiæ Friderici pater.

Mosellania.

quoque

Frederici Mosellanorum Ducis, ut recentis, origo, & progressus.

Frod. & genealogia ex MS. Metensi apud Pithoeum, Franc. annales.

Barris vel Barrum castrum. Ad an. 951. Barri conditor, an instaurator Fridericus.

quodque probes, conditor novæ gentis. Et moliebatur ille, struebatque pro generis amplitudine & fratris opulentia (qui Mediomatricum nobilis heros & Pontifex) novum imperium. Quare & invito Ottone, æmulo quoque Luduico Franciæ Rege, loca muniebat, & crebris populationibus viciniam infestabat, atque ut securus damni ipse noceret, Beatricem Hugonis Magni filiam, unde Capetorum origo, sibi connubio junxerat. Nec habemus ambiguum, quam munitionem à Friderico excitatam, in loco, qui dicitur Bannis, mendosè Frodoardi Chronicon exprimit, esse Barris appellandam. Quippe Barri Comitum Ducumque nobili domicilio stirpique dedit originem: qua de re illustre quondam documentum eruimus ex S. Hildulphi actis ineditis, ubi expostulatio B. Gerardi Leucorum Antistitis inducitur cum Friderico, quod solum illius Ecclesiæ Barro fundando, injustè occupâsset. Verùm, appellato Ottonis Imperatoris judicio, Fridericum ex Vogesi recessu cœnobiis Galileâ, & Mediomonasterio, quæ improbo more tenebat, Ecclesiæ Tullensi condonatis, aream prædiumque redemisse. Atque hanc super Friderici Ducis exordio, vel tenuem veri structuram, in magna Lothariensium rerum jecisse caligine, haud pœniteat.

CXXX.

Franciscus Rosiers Præfat. Tom. 6.

Barri situs.

Quanquam Barri origines persequens Stemmatum Lotharingiæ & Barri Ducum autor, antiquitatem loci repetit altiùs; urbem describens, apud Ornum amnem in Campaniæ finibus versus Orientem montibus undique cinctam, situ tam raro, ut cum arce media, duobusque brachiis, oppidi triplicis speciem referat. In arce spectari pervetustum S. Maximi oratorium; quod S. Gerardus Tullensis Episcopus D. Genitricis & S. Stephani honori dedicavit; & Fridericum ille statuit Barri non tam conditorem, quàm instauratorem.

CXXXI.

Berengarius ad motus spectat.

Berengarium Italiæ Regem dixeram armis victum atque debellatum, misericordiæ veniæque petendæ, dextram Ottonis delegisse. Is, simul in Italiam reversus, pristinam regni possessionem regustavit, beneficii memoria usque eò læta fuit, dum recuperati præter spem regni successu ebrius, Italiæ provincias vario maleficio afflixit; Ecclesias, Pontifices, sacerdotes iniqui, recti, sacri vel profani, nullo discrimine, obruens injuriis. Aderant illi Adalbertus & Albericus Romæ Consul, audaciâ & tyrannide insignes, qui Romanam Ecclesiam insuper atrociter premebant. Unde Joannes Pontifex cum cæteris iniquissima perpessus, anno, salutis partæ DCCCCLX. Joannem Diaconum Cardinalem, & Azonem Protoscriniarium, ad Ottonem Legatos cum literis in Saxoniam misit; quorum oratio fuit, Berengarium ferociùs quàm aliàs unquam in Ecclesiam Romanam perbacchari; atque adeò totam Italiam omni injuriarum genere concitatam, porrò distrahere: Pontificem orare proinde atque valde cupere; ut pro Christi sanctissima religione, atque Italiæ totius incolumitate, armatus venire trans Alpes, atque Ecclesiâ vindicatâ, afflictam Italiæ rem Caroli Magni exemplo restituere velit; id Otto efficere si animum induxisset, se illum Imperatoriis ornamentis excultum, aucturum titulo Augustali, habiturumque supremum rei Christianæ vindicem. Similiter reliqui Principes Italiæ, quorum pars opis causâ jam ad Ottonem in Germaniam confugerant, enixè pro se quisque subsidium extremis rebus flagitabant.

Joannes Pontifex adversus Berengarii tyrannidem auxilium ab Ottone petit.

ANNUS CHR. 960.

Luitprand. l. 6 c. 6. Regino Suppl. Frisperg. ad an. 962. Otto Frising. l. 6. hist. c. 21. & ræ. contemtores ina[illegible].

Frod. Chron.

Italiæ & Urbis status sub Joan. XII.

Otto infimis summi Pontificis & Italicorum hominum precibus evictus, tantæque perstrictus fulgore laudis, præclari operis autorem ducemque se profiteri, nihil dubitavit.

CXXXII.

Emisit Trevirensis bibliotheca Luitprandi Cremonensis Episcopi legationem ad Nicephorum Phocam pro Ottone Constantinopoli susceptam; in qua Italiæ & Romanæ Ecclesiæ multiplices, quibus tunc divexatæ, ærumnas, ille testis oculatus non reticet. Albericum enim impiissimum, ait, quem non stillatim cupiditas, sed velut torrens impleverat, Romanam civitatem sibi usurpasse, dominumque Apostolicum quasi servum proprium in conclavi tenuisse, jura palliorum Theophylacto Patriarchæ Constantinopolitano vendidisse; denique rerum summam ibi penes effeminatos, & meretrices fuisse. Adalbertum verò ad cæteras contumelias, etiam sanctissimorum Apostolorum Ecclesias exspoliasse rapinis.

Albericus Romæ tyrannus, & Adalbertus.

Dum igitur his maximè curis Otto exercetur, Bruno novos in Lotharingia sensit hostes ex eo genere, qui novæ ditioni quærendæ viam præstruebant. Ex his Robertus Namurum castrum, quod * Nemetocennam interpretantur, muniebat, comitatus Namurcensis futurum domicilium: At Imo dynasta, Capræmontem, operum magnitudine, rupibus & mœnibus locum apud Leodienses munitissimum; neuter statione dejici potuit. Quare pactus inducias Bruno, irritâ expeditione Coloniam reversus est.

Namurum & Namurcensis comitatûs origo.

** Carol. Ba. vel. Pontus Heuter.*

Capræmontis castrum.

CXXXIII.

Rugorum legatio pro gentis conversione.

Venit ad Ottonem eodem tempore Rugorum legatio ab Helena Regina, Elgam nonnulli dixêre, oratum à Rege, ut Episcopum gẽti suæ daret, qui Evãgelio illis oris importato, rectũ salutis iter populis tetrã errorũ caligine circũfusis ostenderet. Hos autem Russiæ populos, eosdemque quos Russos jam sive Ruthenos nuncupamus, rectè tradit Hersfeldiæ Chronographus Lambertus. Russorum quippe Reginam Elgam sacris Christianis Constantinopoli sub Romano & Constantino ejus patre, Orientis Imperatoribus initiatam, disertè cum supplemento Reginonis, loquitur Zonaras. At Rex, pro insito propagandæ Christianæ religionis studio, Legatis omnia benignè pollicitus, nihil eorum petitioni abnuit; atque Libutium monachum D. Albani apud Moguntiacum, mox Episcopum ad eam missionem consecrari jussit, Qui, cùm insequentis anni primo vere diem extremum itinere necdum tentato, clausisset, ei Adalbertus spectatæ vir integritatis doctrinæque ex monacho D. Maximini Treviris, Wilhelmi Moguntini Archiepiscopi consilio, successor datus est. Hunc Otto Rex Apostolicæ functioni paratum viatico benignè & rebus ad iter tam longinquum necessariis, liberaliter instructum, cum non paucis sacerdotibus in Russiam dimisit, hujus nempe tam gloriosi operis, adjutoribus.

Russi, Rugi, & Rutheni.

Zonaras To. 3. sub Constantino & Romano. Suppl. Regin.

ANNUS CHR. 961.

Adelbertus S. Maximini cœnobita, Episcopus & Russorum Apostolus.

CXXXIV.

Suppl. Regin.

Regen. c. 40.

Otto junior Rex Germaniæ.

OTTO II. GERM. & LOT. REX. an. 23.

Inde Otto consilio ad Italiam ineundam agitato, Wormatiam conventum procerum advocat, regnique negotiis ex animi sententia ordinatis, Otto filius licet oppidò puer, at egregià indole, summà cunctorum Principum & multitudinis voluntate Rex assumitur. Moxque Aquisgranum Lotharingiæ Principum studio deductus, ipso Pentecostes almo die à Brunone patruo, Wilhelmo fratre, & Henrico Trevirorum Antistite, sollenni apparatu cæremoniaque, Rex inunctus, populo, qui undique circumfusus, acclamante: Vivat Rex in æternum.

CXXXV.

Ottonis adparatus Italiam cogitantis. *Rostgerus cap. 40.* Godefridus pro Brunone belli dux, quem recentiores, nonnullij faciunt Lotharing. & Brabantiæ Ducem. *ais Milani milit. sacram c. 36. & notat.* Ottonis expeditio. Hatto Fuld. Abbas.

Hinc in Saxoniam Otto reversus, ingentes equitum, peditúmque copias undique contrahi cogique jussit; in his Lotharienfium manus, tum laude belli spectatâ, quibus Godefridum Ducem fortitudinis & sapientiæ experimentis sibi probatum, Bruno Lotharingiæ moderator præfecit. Otto autem, valido cum exercitu Tridentinarum Alpium interea fauces ingressus, cum Adelheida conjuge iter in Italiam aperiebat; qui simul in fertilissimos Insubrium agros descendit, ingenti Italicorum Antistitum Principúmque occurrentium gratulatione, exceptus, nemine armato obsistente, Papiam init; eversámque à Berengario regiam instaurat, ornátque. Hinc Hattonem Abbatem Fuldensem, cujus vel præcipua tum in imperio dignitas, hospitiorum metationi Romam præire jubet. Ipse Mediolanum interim digressus, ferream de more coronam Archiepiscopi studio illinc retulit. Secundùm eos honores, Papiæ Natali die celebrato, Romam profectus est. Adventantem ad urbem Romani patefactis effusi portis, exceperunt tanto cum honore, quantum non meritis solùm Ecclesiæ liberatoris, sed beneficiis etiam suis ingentia, quæ in totius Italiæ regnum congesta, voluerunt deberi. Succedentem mœnibus, atque deinde juratum, apud Vaticanum ad pedes summi Pontificis sese advolventem, Pontifex arctè complexus honorificè deduxit, festáque cæremoniâ Augustali coronâ redimitum ornavit, cunctis, qui ex multitudine & clero convenerant, faustissimâ precatione novi Imperatoris gloriam felicitatémque cantantibus.

ANNUS CHR. 962. Romam init.

Imperator coronatur à Joanne Pontifice.

CXXXVI.

Imperium Pontifex unà transfert ad Teutones seu Germanos. *Luitpr. cit. Otto Frising. lib. 6. cap. 17. 22. 24. Regino, Rogerus, Vrsperg. Lambert Mariam. Robert. Bellarmin. de translat. imp. lib. 1. & 2.*

Atque hæc origo Germanici in Italia conditi imperii, lætaque virtute quæsiti decoris, auspicia fuêre, quibus ut olim gubernacula à Græcis ad Francos in Caroli Magni sinum, ita nunc à Francorum natione ad Teutonum sive Saxonum gentem, in Ottonis tutelam summi Pontificis arbitrio, nutúque translata, omnium ætatum consentiunt literæ; obstrepentibus nequidquam novæ sectæ scholis, quæ donum omni felicius invidiâ, non sine insigni nationis labe, vertere student in benè meritæ Romanæ sedis injuriam.

Nicephori Græc. Imp. invidia erga Ottonem Jus Ottonis in Italiam.

Ottonis Zelus.

Cæterùm hoc parti imperii decus, cùm Græcorum Imperator Nicephorus, Luitprando Ottonis Legato Constantinopoli ceu probrum tyrannidis ferociter objectaret: *Ille, Romanam civitatem dominus meus, Otto,* inquit, *non vi aut tyrannicè invasit, sed à tyrannorum jugo liberavit. Nonne effeminati dominabantur ejus? & quod gravius sive turpius, nonne meretrices? Quis ex vobis Imperatoribus, zelo Dei ductus, tam indignum facinus vindicare, & sanctam Ecclesiam in statum proprium reformare curavit? Neglexistis vos; non neglexit dominus meus, qui à finibus terræ surgens, Romamq. veniens, impios abstulit, & sanctorum Apostolorum vicariis potestatem & honorem omnem contradidit.* Hæc Cremonensis Luitprandus, elogio virtutis insigni, quod Trevirorum monumentis debebunt historici.

CXXXVII.

Ex MS. Trevir. legatio edita.

Teutonicum imperium quomodo dici soleat Franciæ Orientalis. *Abbas Vrsper. Chron. in an. 914. Albert. Krantz. li. 2. Saxon. c. 33. Otto Frising. li. 6 c. 17. 22. 24. Lupol. de jur. imper. c. 2. & 5. Philip. Bergom. chron. li. 12. in Othon. I.*

Animadverto quoque propter affinitatem virtutis, & gloriæ, etsi translato de gente in gentem imperio, Francici tamen vocabuli, tituli que consortionem, priscis Germanis mansisse optabilem. Illud non obscurum, ab Henrico Aucupe, paterno genere, Ottonem gente fuisse Saxonem, tametsi materno pronepos esset Arnulphi Imperatoris ex filia. Attamen veteres, in quibus Otto Frisingensis eminet, ubi vicissitudinis hujus acta celebrant, in Ottone primo narrant, translationem factam esse Romani imperii ab Occidentalibus Francis, ad Orientales; vel ab iisdem ad Teutonicos Francos; non quòd unius Franconiæ, certæ trans Rhenum provinciæ, sed potiùs universè Carolingorum, ut ita loquar, ratione deductâ, horum domesticam sibi & utrique genti communem nuper virtutem in oculis haberent. Quo modo Franciæ Orientalis nomine censebant, quicquid huic novo Teutonico parebat imperio; atque ita legas apud Reginonem, Francofurtum Orientalis regni Principalem sedem, Moguntiam regalem civitatem & Franciæ Orientalis Metropolin. Cujus rei præter alios interpretem habeo laudare Godefridum Viterbiensem: *Arnolphus enim,* inquit, *totam Orientalem Franciam, quæ hodie Teutonicum regnum vocatur, id est, Bavariam, Sueviam, Saxoniam, Thuringiam, Frisiam,* * *Lotharingiam rexit.* Atque eosdem sanè populos Luitprandus Cremonensis, imperio Ottonis attribuit, qui, cùm Nicephorus insolenter Ottoni opprobraret pauperem & pellitam Saxoniam, & Romani nominis gloriam uni assereret Græcorum nationi, Francicum tamen Germanis non adimeret: *Romanos,* inquit, *quos appellatis, nos Longoberti scilicet, Saxones, Franci, Lotharingi, Boiarii, Suevi, Burgundiones, tantò dedignamur, ut inimicis nostris commoti, nil aliud contumeliarum, nisi Romanè, dicamus.* Usu itaque externæ gentis etiam Græcorum, Germani cæterique populi Ottonis imperio subjecti, Francorum nomen pristinæ virtutis & consortii memoriâ ferebant, regnumque Germaniæ universum, Orientalis Franciæ nomine affectum; ut ab occidua Gallorum aut Francigenarum distinguerent.

Regino. chron. p. 2. supplem. Maguntia & Francofurtum in Francia Orientali. *G. Viterb. par. 17. ad an. 912. Naucler. generat. 27.* Franciæ orientalis amplitudo. * Lotharingia pro Belgica. *Luitpr. in legat. Constantinop.*

Romani nominis catachresis.

Francorum nomen.

CXXXVIII.

Russorum irrita legatio.

Adalbertus per id tempus, qui ex S. Maximini disciplina Apostolus Russis destinatus, re prorsus infectâ, plerisque etiam ex sociis desideratis, quos barbari innatâ sævitiâ, occiderant, ad Ottonem Regem in Germaniam reversus est; qui longè ampliori reservatum dignitati, cunctis regiæ munificentiæ officiis studiisque texit, magnóque deinceps in pretio habuit. Atqui tum serò denique animadversum est, quâ muliebris ingenii vafritie, quove dolo, missi ab Helena Legati & sacerdotes fuissent expetiti.

Decessit eodem etiam anno Adelbero Mediomа-

Adelberonis Metensis Episcopi mors. ANNUS CHR. 963. Wickerus Abbas S. Maximini.

diomatricum, excellens opibus, pietate, magnæque venerationis Episcopus.

Sequenti verò Treviris, Otto junior æstiva habuit: ibi, cum apud D. Maximinum editum insigne esset ad memoriam posteritatis prodigium, rei gestæ seriem ipse, rogatu Wickeri Abbatis, hisce ferme literis complexus, testatam posteris relinqui voluit:

Miraculum S. Maximini puerum à plagiario vindicantis.

Regino à Brambach, cujus stirps hodieque durat.

*IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Otto divinâ favente clementia Rex. Inter multa S. Maximini miracula, miraculum quod nostris temporibus contigit, & præsentibus & futuris innotescere volumus, qualiter Regino & Engela de Brambach liberi ex liberis parentibus orti, se & unicum filium suum Adelmannum S. Maximino consecrarunt, eâ conditione, ut ipse puer quamdiu viveret, & posteri ejus, qui masculi essent, duos denarios; fœminæ verò unum, apud altare S. Maximini die S. Martini festo persolverent; post mortem verò illorum, quod melius haberent, in pecoribus sive in vestibus, Ecclesiæ cederet. Interim miles quidam in eandem patriam prædæ causâ veniens, ipsum puerum parentibus insciis rapuit, & Trevirim per pontem transiens, abducere secum cogitavit. Sed puer inter hæc, reflexis oculis monasterium S. Maximini respiciens, ut se sanctus Dei è plagiarii manibus eriperet, exclamavit: Unde iratus miles, cùm puerum pulsâsset, mox ultione divinâ, fracto equi collo, ipse de ponte prolapsus in aquam cecidit, & puer super pontem illæsus perstitit. Sicq; puer ad S. Maximinum rediit, & Abbati Wickero rem totam exposuit. Abbas verò Deo gratias agens, puerum parentibus restituit. Hoc celebre factum, cùm mihi Treviris agenti, Abbas ipse narrâsset; & puerum me coram in conspectum adduxisset, ut * testamento nostro traditionem prædictam pueri confirmarem, & ab omnibus Advocatis eundem puerum, ejusq; posteros absolverem, utq; nulli beneficiarentur, exoravit. Quam ejus petitionem fieri decrevimus, & hanc chartam inde describi, nostriq; sigilli impressione, jussimus signari. Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXIII. Indictione VI. anno regni nostri tertio, duodecimo Kalendas Augusti.* Atque tanti apud priscos Germaniæ Reges tantillæ rei sanctimonia fuit.

* testimonio.

CXXXIX.

Sigefridus Comes I. Lutzenburgi.

Consideratione dignum in meris tenebris, ubi pauci ad dirigendum fidi scriptores, & recentiores per inania Stemmatum diffluunt, hoc primùm tempore Lutzelinburgum, & Sigefridum ejus loci Comitem exaudiri. Res ob viciniam, perpetuámque commercii & juris cognationem, quæ sæpè saluti, sæpè damno fuit, digna literis prodi. Ergo, dum nihil in Lothariensi regno fixum loco manet: imò, quæ pulcherrimè hæserant, passim divelluntur, castri quoque Lutzelinburgi, à quo clarissimæ gentis natalia, adeoque provinciæ tóti fama nomenque pòst extitit, Sigefridus primus ejus loci Comes hoc anno possessionem capit; cujus historiæ incorruptam fidem, haud instituto vulgari, velut ab Evandri matre repetitam, sed haustam ex Diplomatis antiqui fonte, sinceram promimus.

Lutzelinburgi & Lutzeburgensium Comitum origo. *Tabula contractûs MS. lib. Privil. S. Maximini. Ti. Commutationis Lutzelinburg. sub Abb. Wickero.*

Motingouvius pagus à Metis urbe hoc tempore fuit amplus, territorium id omne complectens, quod vicinis Arduennæ & Lutzelburgensium arvis, valléque stringebatur, quam à rivo nuncupabant Alsontiensem. Administrabat hîc vice Brunonis, summam rerum Godefridus Comes; unde pagus is tractusve, hujus consuetudine sæculi, in Comitatu Godefridi situs scribebatur. Sigefridus autem cùm Castelli, quod diximus, possessionem, opportunitate loci captus, adamâsset, primùm Brunonis tum omnia tenentis animum sollicitans, flecténsque, Wickerum D. Maximini Abbatem adiit; quòd fundus atque ipsa munitio in rebus cœnobii numeraretur, ab eoque, ut alio prædio arcem illam mutare vellet, impetravit, Brunone Coloniensi rerum in Lotharingia tum domino suam interponente autoritatem. Quare Wickerus prædio * Viulno in pago Arduennæ Comitatu Gisilberti Comitis, quod hodieque in possessionibus cœnobii manet, cùm unius & dimidii mansi, servorum censualium & redditum commodis, accepto, Sigefrido Comiti, Brunone & Henrico Trevirorum faventibus, signantibusque Lutzelinburgum cum fundo ejusque exitu & reditu truncorum tenus, qui tum istic limitanei, tradidit, XV. Kalend. Maii. Indictione VI. Posita autem est hæc munitio, verba sunt veteris diplomatis, in pago Metingow, in Comitatu Godefridi Comitis, super ripam Alsontiæ fluminis. Acta hæc mutatio sive traditio publicè in civitate Treviris, in monasterio S. Maximini, die Palmarum XV. Kalend. Maii, adstante Abbate Wickero & Hilderado ejusdem Cœnobii Advocato, &c. Signum Brunonis, qui hoc concambium legaliter fieri jussit. S. Henrici Trevirorum Archimandritæ, qui consilio istius rei per omnia interfuit. S. Asolphi Præpositi, S. Ramuoldi Decani. Facta est hujus chartæ conscriptio anno Dominicæ Incarnat. * DCCCCLXIII. Indict. VI. regni Ottonis * II. Atque ita, quod pervulgatis jam historiis irrepsit, neque Friderici Lotharingiæ Ducis, neque Willermi Abbatis, neque Guerrii dominatûs prosapiæque Sigefridi, ullum, in veteri diplomate, vestigium.

Godefridus Comes Metingouvii pagi.

* vulgo Fuilen, Giselbertus Arduennæ Comes. *Richardi Wassebourgi & vulgarium scriptorum hinc error apparet.*

* In Apographo mendosâ trajectione num. DCCCCCXLIII. * III.

CXL.

Quibus itaque Guerrii dynastiam adscribere Sigefrido, & conditam Romanis arcem * Lucisburgum à Luce, malis Lucio, vel Lucilla, apud * Rhomanduos, priscis incognitos hâc regione populos, ferre nomen arridet, suam sibi ineuriosam credulitatem habeant; ego à præsentibus exorsus, ignorationem hic potiùs, quàm rei ignotæ, aut parùm exploratæ, fidem profitear. Abnuam tamen fortiùs, si quis Leucos huc transferat, ut eorum nomine Lutzelburgios cohonestet.

* Lucisburgi meminit in Epist. Gerbertus, sed alio loco.

* Augusta Romanduorum apud Ptolomæum mendosè pro Veromanduorum ponitur, inter Mosam & Sequanam, ubi oppidum S. Quintini & populi Veromandois, Adi thesau. Ortel. & 10. Cæsarem.

Leuci malè collocati apud Lutzelburgenses. *Tit. Devens l. Lips. Lem. c. 10. l. 1. c. 13. lib. 2. Pontus Heuter in antiq. Belg.*

Sub hæc, Joannes Pontifex Romanus sive inopiâ recti consilii, sive Alberici patris factione, hominis Romanæ sedi, filioque perniciosi, præceps, destituto Ottone Augusto, societatem iniit cum Berengario atque Adelberto, hostibus Imperii. Quare Romani, qui in fide manserant, accersitum Ottonem, fugiente Joanne, cum parte copiarum, recepêre mœnibus. Otto verò querelis populi clerique Romani, suóque præpostero judicio actus in præceps, dum Joannem Pontificem parat redigere in ordinem, conventum Episcoporum omnium Italiæ indicendum curat. Hic, cùm gravissimorum criminum postulatur Joannes, praveque

Simultas inter Pontificê & Imperatorem. *Luitpr. l. 6. c. 7. &c.*

Luitpr. ut sup. c. 10. & 11. Vita beati Wolffgangi c. 7. Otto Frising. l. 6. c. 23. Fred. Adi Bellar. l. 2. de concil. auctor. c. 17. & seq. & de transl. Imp. l. 2. c. 4. Baron. ad hunc annum.

LEO VIII. PONTIFEX a. 1. m. 3. d. 12

Henrici Trev. & aliorum Episcopor. lapsus in depositione Joannis Papæ.

pravéque jubetur ceu reus adesse ad dicendam causam, Episcopi conscripti, indictâ quoque causâ, quod ipsorum potestatis non erat, Vicarium Christi audent movere fastigio; & sic Ecclesiam, ut ipsi rebantur, liberare infamiâ. Novo itaque prorsus more, nec probato, omnium conspirantibus sententiis, unâ voce damnato Joanne, Leonem Protoscriniarium Pontificem consalutant. Huic Synodo adfuit Henricus Trevirensis ab Ottone Imperatore Romam evocatus, cum Adalclago Hamburgensi, & Bremensi, Otgero Spirensi, & Landuardo Mindensi, virtute ac sapientiæ quidem opinione aliàs florentissimis, sed turpi ac pudendo errore in momento tantæ causæ prolapsis & parùm circumspectis. Valere namque in eorum animis & vigere debuit, conciliis illis priscorum Patrum dignissima nec semel usurpata vox: *Primam sedem extra causam hæresis, à mortalium nemine judicari; Petri Apostoli successores, cælo tantùm debere innocentiam.*

CXLI.

Supp. Regin. Annales.

Leo igitur Pontificatum hâc viâ ingressus, Ottoni Imperatori ejusque successoribus, multa fertur privilegia liberaliter indulsisse, pristinúmque ei jus retulisse instituendi atque laudandi Pontifices, Archiepiscopos, Episcopos, quod an ita gestum, & quâ vi & robore autoritatis, non immeritò disquirunt eruditi.

Dist. 63. c. 23. apud Grat.

ANNUS CHR. 964.

Luitpr. l. 6. c. 11. Suppl. Reg. Sigeb. in chron.

Romanorum tumultus.

Sed nec inde Romanis otium diu fuit, cùm anno sequenti, Joannes Pontifex, seu amissi honoris spe recuperandi, seu ulciscendi simul Leonis, largiendo atque pollicitando Romanos ad arma Ottoni inferenda hortatus est; sed insidiis detectis cives repressi, atque intra mœnia cum strage compulsi sunt, centum obsidibus datis redimere pacem coacti. Inde recenti odio iráque extimulati, accersito Joanne, Leonem per Ottonis absentiam urbe exactum, omnibus opibus exuunt; qui tanquam germanus cathedræ possessor Synodo coactâ, Leonis acta antiquare ac rescindere nihil dubitavit. Joannes autem vecordiâ ac morum improbitate teter, quò ne conspectiùs in tanto fastigio crimen impunè diu haberet, spectato quoque mortis genere, ut perhibent, brevi vitam finiit.

Joannis Pontificis exitus.

CXLII.

BENEDICTUS V. PONT. m. 1. d. 10.

Otto Imp. Romam occupat.

Benedictus legitimus Pontifex

Quanquam ne ita quidem omninò Romani finem repererunt injuriis, cùm religionis ac officii nullâ curâ, Benedictum Cardinalem mox Joanni subrogarunt, eíque obsequia studiaque addixere sua. Atque tum Otto majore quam alias unquam percitus irâ, properè totum exercitum Romam adducit; ac castris urbi undequaque admotis ad deditionem fame obsessos compellit. Ingressus urbem, novo judicii schemate, Leonem pristinæ sedi ac honori restituit. Nec Leo moderatior in Benedictum, quem per Synodi adparatum, assidentibus non Italicis modò, sed & nostratibus à Saxonia & Lotharingia Episcopis non sine contumelia tum pontificiis ornamentis exuit, tum ad ima subsellia amandatum, in Germaniam exsilii causâ proficisci Hamburgum coëgit.

amovetur & Hamburgum relegatur.

Henrici Archiepiscopi mors in Italia.

Henricus communi omnium vitio, infelici huic tragœdiæ cooperatus, tunc adhuc Romæ degebat, qui cum Imperatore deinde in Hetruriam profectus, atque hinc in Longobardiam, gravi pestilentiâ, quæ Imperatoris exercitum atroci strage depascebatur, oppressus est. Morienti fuit suprema cura, eniti, ut B. Wolffgangum, cui Ecclesiam suam absens, clerúmque crediderat, in fidem suam Otto susciperet, datis ad Treviros literis, ne quis illi viro negotium, se mortuò, facesseret. Quod & fecisse Imperatorem, facilis ex eventu conjectura. Nam Wolffgangus inde morum principatu S. Udalrico commendatus, ab eo renitens etiam presbyter ordinatus, atque mox Abbas, at postremo Reginoburgi celebratâ sanctimoniâ factus Episcopus, ut loco uberiùs narrabitur.

B. Wolffgangus Trivcrensem Ecclesiam moderatur.

Vita beati Wolffgangi cap. 7.

Ditmar. Chron. l. 2.

Henricus Archiepis. Parmæ sepultus, unde & in Treviros deportatus.

Henricus autem, ut illustri loco natus, sic ingenii ac sapientiæ, aliisque eximiis maximarum virtutum ornamentis, omni nobilitate clarioribus, excellens, nono quàm pontificatum injerat anno, mortuus est; & Parmæ, quæ civitas in Æmiliæ plano posita, quinis millibus distat ab Apennino, sepulturam adeptus: unde eum Egbertus Trevirorum Antistes postea translatum, oratorio novo, quod ipse vicinum ædi primariæ D. Andreæ dicarat, obsequio debitæ pietatis intulit.

CXLIII.

Godefridus dux Lotharienfium.

Vita B. Brunonis, c. 40.

Godefridi mores.

Porro eâdem lue Godefridus Dux Lothariensium arreptus, cum magna omnis generis hominum multitudine interiit; & quia, de Godefridi hujus seu ducatu, seu natalibus, multa comminiscuntur homines otiosi, nos clarum militiæ potiùs, quàm in certa regni sede Ducem, cum Rogeri elogio, ad posteros transmittimus: *Educatum à Brunone, religione ac sapientiâ præstantem, amantissimum pacis, æqui servantissimum, Imperatori devotum, cunctis denique carum ac gratiosum morum integritate tantâ, ut amicis argentum erogare pro ratis animæ defuncti remedio, edixerit Bruno, haud illum valdè videri talibus indigere.* Ditmarus probatæ fidei coætaneus scriptor, non dissimulat, ut injustam Benedicti abdicationem, sic ultricem iram Numinis, quâ & Henricum Antistitem, correptum expiasse cuiuimodi delicti conscientiam, sperare nos multa jubent. Ejus verba: *Ob depositionem Benedicti Papæ & exsilium, sæva mortalitas Imperatoris exercitum subsequitur, quæ Henricum Trevirensem Archiepiscopum, & Ducem Godefridum cum cæteris innumerabilibus, consumpsit.*

Chron. lib. 2.

Pestilentiæ clade punitur Otto ob abdicatum Benedictum.

FINIS LIBRI NONI.

R. P.

CHRISTOPHORI BROWERI
SOCIETATIS JESU,
ANNALIUM TREVIRENSIUM.
LIBER X.

ANNUS CHRISTI 965. JOANNIS XIII. PONT. I. THEODORICI 70. TREV. EP. I. OTHONIS II. LOTHAR. REG. 5.

I. UT propiùs hihc fugientem annorum seriem assequi, & res haud magno perinde memoriæ intervallo disjunctas admovere literis aggredimur; sic læta clarissimorum Antistitum proventu, & altâ pace, res Ecclesiæ Trevirorum provecta, patentiorem nobis narrandi campum scribentibus aperit, hortaturque ut cuncta ad memoriam posteritatis illustria posthac, si non venustiùs, quod in hac argumenti vicissitudine, & ingenii mediocritate sperare fortè non licet, at sanè copiosiùs, exequamur. Porrò autem, quod ipsa sensim acta dabunt, satis inter has curriculi metas, allucet; Antistites suæ diœcesi, quæ tantis necdum viribus atque opibus usque creverat, quin, fastigio, quo olim supergressa Ecclesias Galliarum eminebat, in hoc quasi flexu Rerumpubl. pæne dejecta fuerat, plurimum deinceps & amplitudinis ad gloriam, & opum ad potentiam peperisse. Ut igitur à Deo Opt. Maximo cœptus augescat labor, in quem, ceu perennem omnis gloriæ fontem, jure optimo cuncta sive sponte refluunt, sive felici Spiritus Sancti afflatu deferuntur, ejus sanè auxilio, atque præsenti Numine confisi, sæpè interruptum cunctanti stylo, neque testibus fæcundum opus conteximus, & suum in ordinem revocamus, ut ubi pius egressus animum reficiebat, ibi excitet, quæ cœpit, pertexendi fiducia.

Otto Imp. in Italia. Miles ejus peste laborat. ANNUS CHR. 965. *Reginonis appendix.* THEODORICUS 44. ARCH. 70. EPISC. * Archidiaconum. *Gesta Trevirorum. MSS.*

Henrico ad eum modum, quo diximus, in Italia ex humanis rebus erepto, Otto Imperator in Longobardia per reliquum autumnum moratus, Natalitia demum festa Papiæ peregit; atque novo incunte anno, exercitum, peste gravissimâ conflictatum, reduxit in Germaniam.

Treviri itaque indictis novo legendo Pontifici comitiis, THEODORICUM primariæ ædis * Diaconum, ut supplementum Reginonis, & Moguntinæ Ecclesiæ Præpositum, ut libri meminêre provinciales, legitimis suffragiis, ipso Imperatore comprobante, ad eam dignitatem extulerunt; virum apprimè factum & à natura, & usu doctrinarum; ut ei morum comitas autoritatem, & erudita prudentia, facultatem præberet ad res Ecclesiæ, insigni cum utilitatis fructu ac gloriæ gerendas.

II. JOANNES XIII. PONTIF. an. 6. m. 11. d. 5. Theodorici Metensis Episcopi visum de Ecclesiæ suæ moderatoribus.

Eodem etiam anno, & Leoni defuncto & Benedicto malè pulso, Pontifex maximus Joannes XIII. & Adelberoni Mediomatricum Episcopo, Theodoricus consobrinus magni Ottonis, subrogatus est. Hic, ut aliis porrò autoribus, tradit Sigebertus, cùm capitales quasque literas nominum, Episcoporum scilicet horum, qui ejus sedis in posterum essent futuri gubernatores, ab Angelo, aliis atque aliis pro cujusque merito & vitæ innocentia metallis, auro, argento, ære signatas, traditasque D. Clementi primo loci Episcopo, per cœlitum manus, inspexisset; suique nominis primum apicem, nempe imbutum argento, invenisset, dixisse fertur, eas res in vita tamque probabiles olim se gesturum, æquum uti censerent omnes, fore, ut nominis item sui litera in aurum commutata transiret; atque ita, mox S. Vincentio Martyri in urbis Metensis insula, monasterium constituere, ac rebus fortunisque omnibus, prolixè ac liberaliter instruere aggressum esse.

III. Otto Imperator Coloniæ Pentecosten peragit. *Auctar. Reginonis. Frodoardi Chron.*

Imperator Coloniam ad sacram Pentecosten, secundo Rheno, adpulsus, incredibili tum universæ civitatis studio, tum Imperatoriæ domûs alacritate, exceptus est: quippe Mathildis Ottonis mater, Gerberga soror, & hujus ex Luduico Rege filius Lotharius Rex Galliarum, cum filio Carolo Coloniæ eum opperiebantur; quos, cùm lætus animi complectitur, ipsique reditum sospitem & victoriam contrà gratulantur, comitiis ineundis locum aperuit.

MS.

Non indigna literis memoriaque censueris, quæ in actis S. Servatii posthumis leguntur, non semel à me laudatis; nempè Henricum Saxoniæ Ducem Magni Ottonis, puta, fratrem, occurrisse tum Coloniæ Lothario Francorum Regi, & trabeatum ensiferi ritu, specta morem, gladium ei à tergo portâsse. Porrò Regem ei donâsse, quicquid inter Rhenum & Osnam interjacet soli: tuncque baculum & stolam S. Servatii eum transtulisse in Saxoniam; & super Boda fluvio, condito monasterio, venerandas eas reliquias istic condidisse: adduntque, suasu præsertim Machtildis, * Quiddeleburgum importatas, magnáque hinc

Mos ensem ferendi. Henricus Saxon. dux transfert reliquias sancti Servatii.

* Quintele-burg. & Quidelenburg.

hinc extitisse illic miracula. Sed triennio post, supervenientes Trajectenses, qui Saxonibus somno epulisque mersis & aversis, carum partem eripuerunt.

IV. Trajectensium erga S. Servatium pietas. MS. Chron.

S. Servatii templum Quidelinburgi in Saxonia. B. Machtildis munifica in Ecclesias.

Invenio in Saxonicarum rerum monumentis, monasteria à Machtilde diversis in locis excitata; quorum unum extitit virginum in monte Quidilingeburgio, sanctis Dionysio & Servatio sacrum. Et præter omnis munificentiæ regificas impensas his extra ordinem erogatas, parem etiam Machtildem fuisse, cæteris omnibus Ecclesiis, quasque nunciis invisere, quásque ipsam adire contigisset, opum & facultatum quibuscunque subsidiis & adjumentis alere & refovere; ut non immeritò Trevericus & Confluentinus clerus, hujus quoque beneficentiæ famam propaget. In fastis Ecclesiæ principis.

PRID. ID. MART. MAHTILT REGINA MATER OTTONIS IMP. V. ID. MAII. REINHILD. MATER REG. MAHTILDIS. IIII. ID. IAN. FRIDERIM, SOROR MAHTILT REGINÆ. VIII. KALEND. IVNII BIA SOROR REG. MAHTILDIS.

Bruno Coloniensis in Burgundiam proficiscitur. Rotgerus c. 44. & sequent. Fran. Tajesius Diassemas in Lothar. l. 2.

Post hæc, Bruno Archiepiscopus, nunciatâ morte Ottonis Burgundiæ Ducis, in Franciam, Burgundiámque cum Theodorico Mediomatricum, & Wigfrido Virdunensi Episcopis, aliisque proceribus abiit, finiendæ discordiæ inter nepotes de herciscundis Sequanorum agris; obortæ; qui Compendium ubi venit, ardenti febre correptus, Rhemos iter convertit; ibique omnibus opibus atque aulico instrumento Ecclesiis legato, optatissimam mortē, V. Idus Octobris, oppetiit, inclytâ famâ relictâ sanctitatis, prudentiæ civilis, rerúmque, quas tam prosperè, quàm piè pro dignitate Ecclesiæ, necnon regni Lothariensis incolumitate, gessit. Ejus, cùm in aliis rebus multis egregiam fidem opémque experti Treviri, tum in Conradi Lotharingiæ Ducis civili bello, cùm Ungarorum ille manu collectâ, infestus Trevirorum urbi imminebat; præcipuam boni Ducis erga se sensêre curam.

Brunonis Archiepiscopi Coloniensis & moderatoris Lotharingiæ excessus. Rotger. c. 22.

V. Clavi dominici miraculū, quod Brunonis culpâ patratum. Ex MS. Trevir.

Sed quoniam Brunoni hic justa suprema exsolvimus, prodigium insigne silentio præterire non possum, quod à majoribus proditum literis, & annotatum de eodem invenio. Servant inter Ecclesiæ suæ præcipua ornamenta Treviri, clavum sacratissimum, quo Christi D. N. sacrosancta dextera in Crucem suffixa, atque perterebrata creditur; hunc Bruno, ut reliquias Divorum summo undecunque & evigilato studio conquirebat, earúmque cupidissimus erat, avertere in primis atque Coloniam transferre ad Ecclesiam suam optabat; cumque id, quibus modis efficeret, in præsentia non facilè occurreret, denique stat, custodem ejus thesauri largitione pervertere, quámque palam nequiret, clam tendendam esse plagam. Custos huc precibus pretióque pellectus, adulterino supposito, verum clavum tollere nil ambigit; ac subtili tenuique velo impositum, ad Brunonem, qui tum aderat, jam asportatum ibat; sed ecce tibi, dum sacro limine pedem effert sacrilegus, vim ilicò sanguinis tantam augustum illud pignus profudit, ut largiter è sinu custodis effluens, sindonem ubertim atque ipsius sinum hominis, quo clavum abdiderat, ipsámque adeò interulam perspergeret, & cruentaret. Quo viso territus ille, & sacrilegii simul ictu attonitus; subeunte pœnitentiâ, in semet rediit, crimen ultro confessus; surreptúmque Christi clavum suo loco restituendum, è vestigio curavit.

Clavus Domini manat sanguine.

VI. Brunonis exequiæ.

Cæterùm Brunonis exequiarum procuratio, Theodorico Metensium demandata. Funus ejus exquisitâ pompâ Comites regni Lothariensis Rhemis Coloniam deportârunt, ingenti certatim multitudine, ad mortuum ornandum, honorandúmque undique ex oppidis, quà iter faciebant, confluente. Theodoricus Trevirorum Archiepiscopus nec pietati supremæ defuit, benignè funus Agrippinam usque prosecutus: ubi cùm Basilicæ primò SS. Apostolorum fuisset illatum; inde mox trajectum, & in æde sacrarum maxima repositum est. Quo facto, Metensis & Virdunensis Episcopi, testes ultimæ voluntatis, apud altare D. Petri, prolato testamento, coram multitudine apertum frequenti concione recitârunt. His autem perfectis, in augusto D. Pantaleonis, quod ipse inchoaverat; monasterio, demum sepulturæ committitur.

VII. Otto Remp. Lothariensem ipse capessit. I. Meloni Militia sacra.

ANNUS CHR. 966.

Ecclesiam Trev. ditat.

Imperator verò hinc, cùm nullus ceu interregno moderator aut Dux proditur, regni Lothariensis ipse negotia constituere, & Rempublicam pro defuncto fratre administrare cœpit. unde anno labente Coloniæ, Natalitiis celebratis, & Noviomagum in Gelriam profectus, Ecclesiam Trevirensem prædiis sanè quàm illustribus & opimis honestavit; Adelheidâ conjuge & Wilhelmo filio Moguntiaci tum Archiepiscopo, id ita precibus ab eo, gratiâ atque autoritate contendentibus. Imperatoris tam prolixæ atque beneficæ in Theodoricum voluntatis facem accenderant Megingaudus & Reginzō fratres, qui defectione ac latrociniis infames, cùm Ottonis gratiâ excidissent, eorum in publicum bona addicta, sibi fiscus vindicavit. Ex Comitatu vero Nahagowvio attributa Theodorico Imperatoris munificentiâ Marka, Kyrna, Bergenum, Putzwilarium, Husenbachium, Beatenforstum, quo item nemora, homines, & res omnes mancipi, optimo plenóque jure Otto referri voluit. Datum id munus agrorum prid. Non. Februarii, Anno DCCCCLXVI. Indictione IX. regni XXXI. Imperii verò V. Noviomagi.

Comitatus Nahagouwe (à Nava fl. cui hac loca finitima) Rheni Comitum posteris in feudū datus. * Ober und under Hoisenbach.

VIII. Adelbertus Weissenburgi Abbas. Supplement. Reginonis male Wirtzburgensi.

Tunc & Adelbertum Trevirensem monachum, Russisque destinatum Episcopum, nobili Weissenburgensi apud Nemetes monasterio Abbatem præesse jussit. Et eodem anno, Wikerus D. Maximini Abbas supremum

Wikeri Ma-

ximiniani Abbatis mors. *Sigehardus MS.*

vitæ diem explevit, haud mediocris relictâ pietatis & virtutis opinione; D. Maximini ope, ab acuta & inveterata febri, proximus jam morti, referente Sigehardo, liberatus. Inter cætera, quæ in vita edidit, pietatis opera, ex possessionibus D. Maximini, monasterium apud Tavanam, haud procul à Saræ fluminis ripa, undecim ferè supra Treviros passuum millia, viginti eò cœnobitis deductis, suscitavit; quod verso jam olim priscæ disciplinæ statu, in Præposituram, ut vocant, abiit.

In Tavanam, Saræ fl. proximam, Monachorum colonia deducta.

Ottonis acta Romana.

Otto interim, Longobardorum, Romanorúmque turbatus seditione, res Italiæ principibus ejus motus severè coërcitis, aut necatis, composuerat; quare pacando regno totum annum sequentem dedit. Et quia districtioris ac immoderatæ vindictæ, sævitiæque Ottonem ibi tunc per varia pœnarum genera exercitæ, multorum literæ accusant, operæ pretium ex Trevericæ bibliothecæ documentis, eam intexere partem legationis, quâ & Nicephorus Phocas Constantinopoli, crudelitatem Ottonis Legato objecit, & Legatus eandem ab Ottonis facto removit: *Debueramus*, ait Nicephorus, *imò volueramus te benignè magnificeq́ suscipere, sed Domini tui impietas non permittit, qui tam inimicâ invasione Romam sibi vindicavit. Berengario & Adelberto contra jus fasq́ vitam abstulit; Romanorum alios gladio, alios suspendio interemit, oculis alios privavit, exsilio alios relegavit, & imperii nostri insuper civitates homicidio aut incendio sibi subducere tentavit.* Ad quæ Luitprandus, cùm ea, quæ nuper laudavimus, exprompsisset, nihil aliud, quàm Ottonem insurgentes contra se, & Dominum Apostolicum, quasi jurisjurandi violatores, sacrilegos, Dominorum suorum Apostolicorum tortores, raptores, secundùm decreta Imperatorum Romanorum Justiniani, Valentiniani, Theodosii & cæterorum cæcidisse, jugulâsse, suspendisse, & exsilio relegâsse, quod ni fecisset, ipsum tyrannidis, crudelitatis, violatæ justitiæ, & pietatis, culpam subiturum fuisse. Hæc pro Ottone Luitprandus. Ut nescias, an ratio publici imperii, an disciplinæ contemptus, an denique ministrorum offensio, nimis asperum Ottonem, & crudelem, existimari patiantur.

Non sine sævitiæ nota unquam

Luitprandus diluere studet.

IX. ANNUS CHR. 967.

Natalibus hinc Romæ peractis, Otto Imperator ad Paschalia Ravennam unà cum Joanne Pontifice, & frequenti Præsulum cœtu, contendit. Ubi tum res uberrimi fructus præcipuo Saxonicæ ac Sclavicæ nationis bono gesta; quas quia ad Albertum Trevericum Cœnobitam, cui honos quæsitus, & ad Magdeburgensis Ecclesiæ dignitatem pertinet, quam in Adelberto efflorescentem, hodieque in posteris renascentem videre cupimus, aliisque causis, sed priscis verbis priscáque fide, in luce reponenda est, veteris Chronici inediti subsellio. *Anno ergò Incarnat. Dominicæ, plus minúsve 967. regnante Ottone Imperatore Augusto Christianæ religionis ac divinæ servitutis propagatore solertissimo, ejusdem Imperatoris industriâ habita est Synodus Ravennæ in suburbio, in Ecclesia beati Confessoris, & Episcopi Severi, residentibus Domno Ioanne summo, & universali Pontifice, & pluribus Italiæ, Germaniæ, ac Galliæ Præsulibus, & de statu Ecclesiæ tractantibus; adstante etiam innumerabili clero, ac populo. Idem ergò serenissimus Imperator Augustus Otto, qui eandem Synodum, ob communem imperii sui salutem, congregaverat, plurimas Sclavorum nationes, ultra fluvium Albiæ, in confinio Saxoniæ, multo se labore & maximis sæpè periculis ad Christum convertisse, coram omnibus retulit. Et quia rudes & necdum stabiles erant, quâ tuitione, quâve custodiâ, & cottidianâ sollicitudine in fide corroborari deberent, sanctam Synodum consuluit; rogans, ut quod ipse Deo summo studio mancipaverat, Pastorum negligentia ad vomitum redire non sineret. Hujus dignam relationem, & tantam fidei confessionem, sancta Synodus benignâ aure suscipiens, Deoq́ in his omnibus gratias agens, tot Sclavorum populos, ad Deum noviter conversos, nonnisi per Episcopos, in convenientibus locis, in unaquaque earum provincia, secundùm populi quantitatem, & rationabilem terræ divisionem, constituendos, ad hoc animari atque erudiri posse, censuit, & ratum æstimavit. Ad quod agendum, ut major firmitas, & tutior in Episcopis ordinandis sit oportunitas, Archiepiscopum, ad quem negotium suum & controversiam, si qua orta fuerit, quasi ad caput referre & discutere valeant, eis constitui atque præponi, communi deliberatione censuit: & hoc ejus judicio & discretione, in quo maxima reparandæ, & confirmandæ religionis post Deum fiducia erat, fieri debere, omninò judicavit. Est præterea civitas in parochiâ Halberstadensis Episcopii Magdeburg dicta, in confinio Saxonum & Sclavorum, in ripa prædicti fluminis Albiæ, in qua idem serenissimus Cæsar populi multitudinem adunavit, Ecclesias construxit, plurimorumq́ Martyrum, beati scilicet Mauritii & Innocentii, aliorumq́ innumerabilium corpora Sanctorum, illuc transferens, Canonicosq́ ibi Deo famulantes, constituens, ad eorundem victum, & Ecclesiæ utilitatem, castra, villas, prædia, decimasq́ cum universis adjacentiis affluenter ex proprio concessit. Placuit ergo omnibus apud prædictam civitatem Magdeburg, Archiepiscopalem fieri cathedram, eo, quòd hæc in confinio Sclavorum, ut prædiximus, loco videretur oportunior, & in ejus propagatione voluntas Imperatoris esset amplior. Adhæc Imperator precibus & Dei voluntate commotus, sanctæ congregationis decreto paruit; & hoc privilegio Apostolicæ sedis corroborari dignum duxit; quod & actum est, & à summo Pontifice, omnibusq́ Præsulibus Italiæ, Galliæ, Germaniæ, qui aderant, propriis manibus corroboratum. Cæterùm, quia Præsul Halverstadiensis, Synodo huic non affuit, caussa clausulam in ejus adventum differre placuit, ut civitatem ipse à debito subjectionis absolveret, & tunc demum Privilegium & subscriptio illibata fieret.*

Magdeburgensis Ecclesia fit Metropolis.

Chron. Francofurt. MS.

Synodus Ravennæ.

Otto Imp. quo zelo in Sclavorum conversione versatus.

Synodus Saxoniæ & Sclavorum novis populis diœceses & Episcopos decernit; atque in iis

Archiepiscopum seu metropolitanum. Magdeburgi statuit.

Ecclesiarum nobilis dotatio.

Magdeburgum fit metropolis Synodi Ravennensis decreto.

X. Wormatiensis congressus.

Tantum in præsenti anno, quo junior Otto Italiam cogitans, prius Wormatiæ proceres in conventu allocutus, inde maturâ necdum hyeme, delatus In Insubrum fines, hinc demum Romam cum patre profectus est, atque Natalitio Christi, à Joanne Pontifice Imperatoris ornamentis auctus, in curam paterni imperii atque dignitatem venit.

ANNUS CHR. 968. Otto II. fit Romæ Imperator.

Porro hunc annum, utroque Imperatore in Italia adversus Beneventanos & Græcos, rem

ANNUS CHR. 969. Theodoricus Archiepiscopus Romæ degens, variis honoribus privilegiisque à Joanne XIII. Pontifice augetur. Antistes Trevirensis Galliæ Germaniæque primas.

vario successu gerente, Lotharienses in pace atque otio se continuisse videntur. Et Theodoricum Trevirorum Antistitem, unà cum Suffraganeis, obsequii & honoris causâ Cæsares in Italiam usque prosecutum*, multa persuadent. Principio quidem insequentis anni, peregrinationem quoque suam religione cumulavit, & salutatis de more principum Apostolorum liminibus, Romæ ex Joannis consuetudine fructum eum tulit, ut is, abolitâ vetustate, Trevirensis Ecclesiæ jura, ampliore concessu, revocaret. Nam respectu primigeniæ dignitatis, Trevirorum Antistitem Galliæ Germaniæque Primatem de novo constituit; atque in conventibus Synodisque obeundis, legati Apostolici munus perpetuum impertivit; adeóque jus in Synodo pronunciandi, & supra omnes Episcopos, post Imperatorem sive Regem assidendi in conciliis dedit, aliáque multa ejusmodi concessit. Quorum omnium ut integra apud posteros memoria, fidésque constet; ipsos age de verbo codicillos in medium proferamus:

*Ioannes Episcopus servus servorum Dei, carissimis nobis in Christo fratribus, universis Episcopis, ac totius dignitatis & ordinis Catholicis viris, præsentibus scilicet & futuris perpetuam salutem. Quia, licet indigni, divinæ tamen dignationis gratiâ disponente, B. Petri Apostolorum principis sacratissimam sedem, universaleq; in toto orbe terrarū *ministerium suscepimus, necesse est omnium Ecclesiarum, ut diligentissimam solicitudinem ita continenter habeamus, ne earum jura, autoritate ejusdem Apostolorum principis, cæterorumq; successorum ejus venerabilium patrum inviolabiliter statuta, & confirmata, nostro minuantur ac pereant tempore, sed potius corroborata decenter augeantur atque proficiant. Ideoq; omnium vestrum nosse volumus sanctitatem & industriam, quod Theodorico dilectissimo fratre nostro Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopo veniente Romam, oratum ad sanctorum Apostolorum limina, audivimus, sicut etiam pridem audiendo, immò & legendo, compertum habuimus, eandem ipsam præ cæteris Galliarum Ecclesiis, Christianæ religionis exordium, Catholicæq; fidei prima rudimenta percepisse, per sanctissimorum virorum Eucharii, Valerii, & Materni, & cæterorum Evangelicam doctrinam, quos tempore suo, prædictus beatissimus Petrus Apostolus ordinavit, & instruxit, nec non illuc ad prædicandum direxit. Unde totius ordinis nostræ sedis Apostolicæ consultu, gratuitoq; assensu, jura privilegiorum, quæ à sancta Romana matre Ecclesia præfatis Sanctis, eorumq; reliquis successoribus, id est, Agricio, Maximino, Paulino, Severo, almificis & Apostolicis viris, à primordio hucusque, autentice concessa sunt; quæq; etiam ipsius civitatis excidio, incendio, aliove casu consumpta probantur, eidem Trevirensi Ecclesiæ, prædictoq; fratri nostro Theodorico, & per eum cunctis ipsius successoribus, reconfirmare, recorroborare, & omnimodo restituere dignum duximus; decernentes per hujus nostri Apostolici privilegii validissimam constitutionem; ut quandocunq; à nostra principali, & Apostolica sede Episcopus, Presbyter, vel Diaconus, vel subdiaconus, sive quilibet ordinarius Legatus rei Ecclesiasticæ, seu cogendæ Synodi causa in Galliam, Germaniamve destinatus fuerit, Trevirensis Præsul post quemlibet ordinarium Legatum A. S. primum inter alios Pontifices locum obtineat. Et si missus Romanæ Ecclesiæ defuerit, similiter post Imperatorem sive Regem sedendi, sententiam edicendi, & Synodale judicium canonicè promulgandi, primatum habeat; utpote, in illis partibus vicarius nostræ sedis Apostolicæ, meritò constitutus. Neq; enim dignum est, ut illius Ecclesiæ Præsul aliquo tempore cæteris non habeatur prælatus, cujus honor in illis partibus sub ipso Apostolorum principe extitit primitivus. Pari quoque modo sancimus, omnes in parochiis ejus degentes, sive ordinationem & promotionem cujuslibet Ecclesiastici gradus, à Pontifice ipsius percipientes, eidem ipsi matrici Ecclesiæ, Episcopoque illius debere canonicè placere, obsequi, & jure obedire. Si quidem decreto B. clementis Papæ, super hoc ita cautum videtur: Si vobis Episcopis non obedierint omnes presbyteri, diaconi, subdiaconi, ac reliqui clerici cuncti, omnesque principes tam majoris ordinis quàm inferioris, atq; reliqui populi, tribus & linguæ non obtemperaverint, à liminibus sanctæ Dei Ecclesiæ alieni erunt, dicente Domino: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit. Inter hæc quoq; omnia, quæ ad sæpe dictam Trevirensem Ecclesiam intra & extra civitatem pertinere videntur; id est Ecclesias, cum universis rebus sibi attinentibus, seu monasteria tam monachorum quàm virginum, quæ ex Præceptis, sive Scriptis Regum, seu Imperatorum, sive eorundem fundatorum autoritate, ad se pertinent & pertinere debent, & quidquid omninò illa ipsa Ecclesia ubiq; & quoquo merito possidet, & possidere debet, generaliter & specialiter concedimus; reformamusq; præfato Theodorico fratri, & Coëpiscopo nostro, suisq; successoribus, ad perpetuam sanctæ Trevirensis Ecclesiæ dominationem atq; ditionem, per hujus nostræ Apostolicæ præceptionis seriem à præsenti XII. Indictione, & usq; in finem sæculi valituram. Contra quā, si quis quid quolibet modo agere præsumpserit, & quod justè & canonicè à nobis decretum est, in aliquo infringere tentaverit, sciat se ex Dei omnipotentis, & prædicti beatissimi Apostolorum Principis, omniumque sanctorum, ac deinde nostra autoritate damnandum, & anathematizandum, & cum omnibus impiis æternis suppliciis deputandum. Qui verò hoc privilegium nostrum observare, custodire, adimplere fideliter studuerit, benedictionis gratiam, & misericordiæ plenitudinem in cælestibus castris inter electorum numerum efficaciter à domino Deo consequi mereatur. Scriptum per manum Stephani Notarii, & Regionarii, & Scriniarii sanctæ sedis Apostolicæ in mense Ianuario & Indictione XII. Data XI. Kalend. Februarii per manum Sicconis Episcopi sanctæ* N. Ecclesiæ ad vicem Guidonis Episcopi, & Bibliothecarii sanctæ sedis Apostolicæ, anno, Deo propitio, Pontificatus domini Ioannis Pontificis, & universalis XIII. Papæ, in sacratissima sede D. Petri Apostoli* IV. Imperii autē domini Ottonis majoris * VII. minoris vero II. & Indictione XII.*

* Magisterium.

Ecclesiæ Trevericæ excellentia & vetustas.

Trevirensis Episcopus post legatum Apostolicum omnibus Galliæ Germaniæque Pontificibus loco & sessione antecellit. Trevirensis vicarius sedis Apostolicæ absente Legato. Diœcesis universæ sancitur obsequium, inclusis etiam suffraganeis.

Monasteria & Ecclesiæ subjiciuntur Episcopo.

Patrimonia item omnia olim concessa.

* Bleran æ.

* al. III.

VIII.

Quod

Episcopi quotannis jubentur Romam venire ad Apostolorum limina.

Quod verò Theodoricum Joannes Pontifex hoc diplomate meminit, oratum venisse Romam ad sanctorum Apostolorum limina, quodque idem crebriùs officium iterasse quosdam Episcopos observamus, id ad piam quandam majorum consuetudinem pertinet, quæ pontificiis etiam decretis olim sancita, legis pæne vim obtinuit. Nam, ut quotannis vel semel Episcopi omnes limina adirent Apostolorum, Anacleti & Zachariæ Papæ sanctionibus jussum novimus; quas tamen Gregorius magnus laxasse videtur, cùm quinto quoque anno saltem venire jussit.

Distinctio 93. c. juxta sanctiones. Joannes Diaconus in vita S. Gregorii & Rom. Pont. catal.

Catenæ sancti Petri miraculum.

Sigebert. in Chron. & MS. Franc-saxon. & Ecc. offic. tibri, festo S. Petri ad vincula.

Accidit verò tunc in Urbe, quod Sigebertus & ipso vetustiores iisdem pœne verbis prodigium de catena Principis Apostolorum memoriæ mandarunt. Quidam enim Ottonis Imperatoris familiaris, Comitem Sigebertus appellat, ante oculos omnium à diabolo arreptus, ita ut seipsum dentibus discerperet, jussu Imperatoris ad Joannem Papam adductus, ut catena S. Petri collo ejus circumdaretur. Cumque à fallacibus clericis semel & iterum, sed alia catena furenti adhiberetur, nec quicquam remedii inde proveniret, ubi nihil erat virtutis, tandem verâ S. Petri catenâ prolatâ, & collo furentis circumplicatâ, diabolus spumans, multumque clamitans, abcessit. Quam catenam Theodoricus Metensis Episcopus arreptam, cùm diceret non nisi manu abscisâ dimissurum, tandem Imperator sedato litigio à Papa Joanne obtinuit, ut annulū hujus catenæ exsectum, Episcopus mereretur. Atque hæc totidem ferè verbis, antiquus Chronographus, ex quo, quod reliquum est Magdeburgicarum originum, pertexere vel jure postliminii velim mihi liceat, neglectis etiam Latii auspiciis. *Anno ergo integro & dimidio jam evoluto, cùm Hatto Archiepiscopus Magonciensis cum Hildewardo Halverstadensi, suo videlicet suffraganeo, in Italiam venisset, & Imperator illos in caussa (condendæ Metropolis) blandâ petitione convenisset, Hildewardus Episcopus, tam ex Archiepiscopi consensu, quàm omnium, qui aderant, consulto, promptâ & hilari mente, piæ ejus petitioni annuit; ac facto in præsentiarum pari æstimatione concambio, Synodali decreto S. Mauricio Magdeburch, Sanctoq; Laurentio Merseburch, quæq; petita tradidit; id est omnem parochiam sitam inter fluvios Albiam, Salam, Horam & Bodam, usque ad ea loca ubi castra Vnesburg, Wantzleva, Hortesleva, cum omnibus pertinentiis & villis, quæ Burchuuart appellantur, versus Occidentem longiùs protenso fine terminantur, cum omni decimatione, banno, subjectione, obedientiis, & omni Ecclesiastico ordine, prout Halverstadensis Ecclesia visa est catenus possedisse. Recepit autem ad vicem ab Imperatore in partem & utilitatem suæ Ecclesiæ, omnem decimationem in Hosgouve, ut terminatur in fluviis Sala, Willerbeke, & Wispera, cum omni possessione, quam de Abbatiâ in honore beati Wicberti in territorio Herolvesfeldt constructa, idem Imperator æquâ commutatione acquisierat; cujus & Abbatiæ ipse fundator erat: Huic autem concambio confirmando, jussione Domini Ioannis summi & universalis Pontificis, & Cæsaris Augusti Ottonis, petitione quoque Hildevvardi Halverstadensis Antistitis, Ambrosius Palatinus Cancellarius, & Petrus S. Ravennatis Ecclesiæ Archiepiscopus, alii quoque quàmplurimi Episcoporum Italiæ & Germaniæ subscripsère, quorum etiam nomina in præsenti paginula studuimus annotare.*

Magdeburgensi Ecclesiæ cedit diœcesin Hildewardus Halberstadensis Episcopus. *Ditmarus idem Chron. li. 2.*

Hildewardi quàm ampla diœcesis.

Otto quibus fundis & vectigalibus Hildewardi cessionem compensarit. Ex abbatia quoque Herstfeldensi apud Fuldam, cujus Otto fundator, non tamen primarius.

Hatto Moguntinus Archiepiscopus interfuit & subscripsit.

* Hildewardus Halverstadensis Epis. I. & S.

Reginoldus Rubilonensis Episcopus. I. & S.

Adelbertus Rugorum Episcopus. I. & S.

Alberisus Tarvisianensis Episcopus. I. & S.

Lantwardus Mindensis Episcopus. I. & S.

Everacrus Leodicensis Ecclesiæ Episcopus. I. & S.

Teupertus Feltrensis Ecclesiæ Epis. I. & S.

Gauselinus Patavianensis Ecclesiæ Episcopus. I. & S.

Sichelmus Florentini Episcopus. I. & S.

Adelbertus Bononiensis Ecclesiæ Episcopus. I. & S.

Arnadus Foropopuli Episcopus. I. & S.

Joannes Imolensis Episcopus. I. & S.

Ingizo Castellanæ Ecclesiæ Episcopus. I. & S.

Martinus Episcopus, & Fratres Ecclesiæ. I. & S.

* *al.* Hillibatdus.

*His ita peractis, Cæsar, admodum lætatus, nec minùs pro adhuc peragendis, secundùm Deum solicitus, accersito Richario Magdeburgensis cœnobii Abbate tertio, coram Annone Wormatiensi & Othuuino Hildenesheimensi Episcopis secum tunc fortè commorantibus, volebat illum officio Episcopatûs fungi, in ipsa mutatione sedis suæ; sed impedierunt quidam, occulto consilio, & Imperatori pro hoc secreto delata litera. Qui, dum se tanto honore privatum intelligens, minùs æquo animo ferret, ac in impediendo tam sancto * proposito, Imperatori quoquo pacto obviare proponeret, ne malitia mutaret intellectum illius, brevi pulsatus valetudine, terrena mutavit cælestibus; successitq; in ipsa sedis mutatione Herdingus, in eadē cōgregatione nutritus, & electus.*

Hæc & à Ditmaro Chron. li. 2. insinuata, sed ante hoc tempus acta. Anno, Othowinus, Richarius alumni sancti Maximini Treviris.

* erigendæ Metropolis.

XII.

Exequitur dehinc migrationem Cœnobitarum ex Augusto S. Mauritii monasterio, quo Archiepiscopo futuro & clero cathedrali locus fieret. Et magnam partem, rectè opineris migrantium extitisse eos, qui evocati nuper è Treviris, certè primores & lumina congregationis eis imputes. *Transmutata est itaque*, ait, *Abbatia in montem suburbio ejusdem civitatis adjacentem; deputaturq; sancto Ioanni Baptistæ, & adhuc habetur, & utinam diu feliciterq; habeatur, famulatura. Monachi quoque succedentibus sibi clericis reliquerunt in libris, & aliis rebus plurima ornamenta; quæ ibidem imperiali munere, & propriâ industriâ fuerant congregata. Cumq; illorum animos ob hanc migrationem non immeritò tristitia quædam obnubilaret, Cæsar eis pro consolatione, prædiorum suæ hæreditatis, non parva dona adjecit. & quocunque in loco cum Canonicis in una statione conveniant, ipsi dextra in parte supremum locum obtineant, constituit. Sed & præterea, ut recurrente annuatim hujus translationis die, quæ est V. Idus Augusti, id est, in vigilia victoris ignium Levitæ Laurentii, pedibus nudis, processione lugubri, sedem suam visitantes, missam celebrent; quo tam apud Canonicos, quàm & apud monachos facti hujus perpetim staret inviolabilis memoria: eos quoque dilecto* tanquam

Abbatia Magdeburgensis & cœnobitæ transferuntur.

Scriptoris pium votum.

Ottonis Imp. in cœnobitas Mauritianos liberalitas & magnificentia.

Anniversarius migrationis quo ritu celebratus.

Honor cœnobitarum primorum qui Magdeburgum coluere.

tanquã primos Ecclesiæ suæ patres, omni honoris exhibitione præveniant; illiq; nõ dispari talione, quod membra debent capiti, quod etiam testator hæredi, plenâ devotione restituant. Sed nec fefellit adinventorem tam prudens consilium, sicut est usque hodie cuique scire volenti publicum.

XIII. Adelbertus Treverensis fit Archiepiscopus Magdeburgensis. *Ditmarus lib. 2. hæc eadem carptim.*

*Erat tunc temporis quidam magni nominis & meriti Adalbertus, qui dudum Treveris de cœnobio S. Maximini monachus abstractus, & Episcopus consecratus....ad prædicandum Rugis fuerat destinatus; sed populus exasperans durâ fronte, & indomabili corde expulit illum de finibus suis, contemnens Evangelium pacis; quia Dei providentia in terra nostra, populus illi committendus erat novæ acquisitionis. Igitur Imperator (anno Domini DCCCCLXX.) prædictum Adelbertum de * Wizenburgensi Abbatia, quam interim regebat, assumptum, prædictæ Ecclesiæ, per omnia dignum & probatum sacerdotio, promovit; cumq; pro pallio & privilegio ab Apostolica sede suscipiendo, cum literis suæ autoritatis direxit.*

ANNUS CHR. 970. * *Wissenburgensi*, jam Spirensi Ecclesiæ adunata, Præpositura titulo.

Mittitur ab Ottone Romam.

Quem Ioannes Apostolicus nominis illius XIII. in ordine verò Romanorum Pontificum CXXXVI. benignissimè suscipiens, proprio etiam studio gloriosissimi Imperatoris, quod in amplificatione divini cultûs habebat, gaudens, ideoq; justis ejus petitionibus annuens, Apostolicâ illum auctoritate Archiepiscopum fore, ejusq; successores, decrevit.

Pallium accipit à Joanne Pontifice & Primatum.

Dans etiam eidem pallium ad missarum solennia celebranda; nimiâ dilectione commonitus, XV. Kalendas Novembris, id est, in festo S. Lucæ Evangelistæ ipse circumposuit: & privilegio Apostolicæ autoritatis sanxit, ac confirmavit, eum in omni Ecclesiastico ordine Primatum habere omnium Ecclesiarum, Archiepiscoporum, qui in Germania ordinati sunt.

Trevir. & Rhenani Episcopi in Gallia respectu Germaniæ magnæ trans Rhenum.

In Gallia quoque Coloniensi, Moguntiensi, Trevirensi Archiepiscopis, per omnia honore similem esse, crucis signaculum ante se ferre, & inter Cardinales Episcopos Romanæ sedis consortium habere. Præterea XII. presbyteros, VII. Diaconos, XXIV. subdiaconos Cardinales, ad morem sanctæ Romanæ Ecclesiæ ordinare; qui ad principale altare ministrantes, cottidie, excepto jejunio, dalmaticis; festis verò, sandaliis uterentur. &, ut Presbyteri & Abbates S. Ioannis Baptistæ tunicis induerentur; & ut his exceptis, & Episcopis, super altare in honore S. Mauritii dedicatum, missam celebrare, aliquis nullo modo præsumeret.

Archiepiscopi dignitas in clero aliisque Romanæ Ecclesiæ.

Metropolis amplitudo.

Præterea statuit, eum esse Metropolitanum totius ultra Salam, & Albiam Sclavorum gentis, tunc ad Deum conversæ, vel convertendæ. Et, ut secundum desiderium Imperatoris in his civitatibus, in quibus olim barbari ritûs maxima viguit superstitio, id est, Cizi, Misin, Mersebuch, Brandeburch, Havelberga, Poznani, in honore Domini Episcopia fundarentur, quorum pastores secundùm Canonicam autoritatem Magdeburgensi Episcopo fidem, & subjectionem debendo, sociarentur.

Civitates provinciales Suffraganeorum.

His & aliis, quæ privilegia adhuc inibi conservata testantur, Synodali decreto, ordinatis, & sub interminatione Dei, & Apostolici nominis, confirmatis, præfatus Archiepiscopus, cum Legatis Romanæ Ecclesiæ, Widone scilicet Episcopo Bibliothecario, & Benedicto Cardinali, qui illum cum Hildeuuardo, Halverstadensi Episcopo, sedi suæ inthronizarent, dimissus, ad Imperatorem, remeavit lætus.

Adelbertus cum Ecclesiæ Rom. legatis Magdeburgum missus.

Quem Imperator nihilominus gaudens, utpote beatæ desiderii compos, cum literis commendatitiis, Magdeburg destinavit. Illuc ergò ex præcepto Imperatoris, Episcopi, Marchiones, & reliqui Saxoniæ principes convenientes, ipsum honorificè susceperunt; & vocum acclamatione, manuumq; elevatione, electum cum præfatis Apostolicæ sedis Legatis, celebri ritu, inthronizaverunt. Affuit omnis ætas, & sexus gaudentium. Fuit prorsus generale tripudium.

Qua gratulatione exceptus.

Ubi ad confirmationem sui idem Archiepiscopus in præsentia eorundem, Nativit. Domini secum celebrantium, Bosonem monachum, Mersebургensi; Burchardum Misnensi; Hugonem Cizensi Ecclesiis, primos Episcopos ordinavit. & Adeldagum primum Ecclesiæ Magdeburgensi Præpositum instituit.

Episcopos consecrat.

* Undo, *Ditmari chron. lib. 2.* Ditmarus Brandebur Jordan. Posnaniensis. qui antea consecrati.

** Tado quoque Havelbergensis & Dudelinus Brandeburgensis Episcopi, priùs quidem Moguntino Archiepiscopo subjecti, sed tunc, agente Imperatore, à debita ipsi obedientia absoluti, Magdeburgensi Ecclesiæ ejusq; Archiepiscopo cum præfatis confratribus, fidem & subjectionem promisère.*

Ottonis munificentia in Ecclesias.

Ipse namq; felicis memoriæ Imperator Otto, constructor omnium harum, quas Archiepiscopatus subjecerat, Episcopalium sedium, nimirum infinitæ hæreditatis suæ potissimum cupiebat hæredem esse Deum, non pauca tamen relinquens successioni filiorum. In tanti ergò talisq; solemnis pro summi Regis exortu celebratione, tum etiam pro nova populi ipsius, vel cultûs augmentatione, gaudebat chorus Magdeburgensium, & à summo Principe missum Principem, canit frequentia Principum; palamq; à pastoribus Ecclesiæ laudabili numero adauctis, laudatur pastor creator omnium. Atque hæc Adelberto primo Magdeburgensium Archiepiscopo ex Treviris orto, & amplitudine cultuque longè in Germania præcellentissimæ sedis origini, narratio debebatur, inconcinni quidem, & sine sale styli, sed antiquæ probæque fidei, quam afflictum eunt hostes veritatis, cùm res majorum & Catholicam pietatem laudantes, membranas, schedasque veteres, pejus quàm Penthei artus discerpunt lacerantque; & venerandam antiquitatem, à qua se vapulare sentiunt, oblivione & tenebris obrui quàm exsplendescere cupiunt.

XIV. Theodorici Metensis Episcopi apud Ottonem gratia. *Alij in S. Vincentio detransfiguratio sanctæ Luciæ. Ibid. Sigeb. MS. carm.*

Porro Theodoricus Mediomatricum Antistes, religione eximiè procuratâ, tunc ex Italia quoque suos revisit. Is, quod vetera monumenta Metensis Ecclesiæ produnt, Ottonis magni consobrinus in ejus aula tantum præcelluit gratiâ ob sapientiæ ac generis claritudinem, ut consiliis non ipsius solum curia staret, sed & divinæ res quoque melius irent, impetrarentque per hunc vota, qui rogâssent; quique in Principis animo valescere cupiissent, unius Theodorici favore placerent.

Theodoricus oratorium S. Luciæ extruit & consecrat.

Nobilem per hosce dies Ecclesiam, cum amplo monasterio S. Vincentii Martyris honori in insula civitatis ea collocârat, quam Salia Selláve fluvius efficit; in hanc mirifico totius civitatis studio, pignora illa Divorum, seu præcipua membra, quædam intulit, quæ prolixo contextu, Sigebertus ad annum superiorem percurrit. Et, quò dignam beatæ Luciæ cineribus sedem pararet, mox ad novi oratorii explicanda tecta S. Vincentii Ecclesiæ vicina aggressus est; operéque perfecto, accersitis Winfrido Virdunensi, & Gerardo Tul-

lensi

ANNUS CHR. 972.

MS. Rudolphi cœnobitæ, egregio schemate de passione sanctæ Luciæ, & carmen ejusdem omnia pervetustis membranis.

lensi collegis Episcopis, qui unà cum ipso quondam Italiam obierant, anno DCCCCLXXII. octavo Idus Augusti templum id honori S. Luciæ Syracusanæ dicavit, quod hodieq; parte Australi visitur, reposita in sublimi arca seu conditorio argenteo, quo ossa B. Luciæ servari memorant, haud ambiguâ fide translationis. Et Sigebertus, ejus quondam incola monasterii, attestatus elatam Corfinio Luciam Syracusanam virginem & Martyrem, à Foroaldo Duce Spoletanorum, olim Syracusis illuc translatam. *Hæc omnia*, inquit, *cum parte catenæ S. Petri Apostoli, cum capillis ejusdem, & sanguine S. Stephani Protomartyris, & parte craticulæ S. Laurentii Martyris, à Papa Ioanne sibi donata, cum aliis multis Sanctorum pignoribus, Præsul Theodoricus in Galliam transtulit, & in Ecclesiam S. Vincentii Martyris, à se in insula urbis constructa, locavit.* Sed, quia Sigeberti lucubrationum copia non fuit, quas in hoc argumento sibi meminit sudatas, earum ex ipso hic seriem infero: *Metis positus in prima ætate in Ecclesia S. Vincentii, ad instruendos pueros, scripsi vitam Theodorici Episcopi conditoris Ecclesiæ & Abbatiæ; in qua etiam per digressionem, laudem ipsius urbis, heroicometro, declamavi. Scripsi passionem S. Luciæ (quæ ibi requiescit) Alchaicô metro. Scripsi nihilominus sermonem in laudem ipsius virginis; in quo translationes ipsius à Sicilia in Corfinium civitatem Italiæ; & à Corfinio in Metim urbem Galliæ, ordinata temporum consequentia, digessi.*

De Script. Eccle. c. 171.

Sigeberti lucubrationes de Theodorico Metensi Episcopo. De S. Lucia & ejus translatione.

XV.

S. Wolffgangus ad Episcopatum Ratisbonensem provehitur.

S. Wolffgangum de Trevirensis Ecclesiæ moribus ac disciplina, ut ostendi, meritum nuper præclarè, sic obsequiis gratæ memoriæ haud imparem æstimo, quo scilicet ejus actorum spicas quoque colligam ex uberi messe relictas. Is ab Henrici Trevirensis Archiepiscopi funere, à Brunone Coloniensi familiarium cohorti allectus, præsulis illius denique gratiam cum rerum humanarum despicientia commutavit, magnoque studio ad monasticæ tyrocinia, miles in clero exercitatus sese accinxit. Ergo mundi transfuga, in Herciniæ deserto latitans, Georgio Abbate Anglo, se solitariorum congregationi miscuit, non diutius hominum luce cariturus, quàm S. Udalrici Augustani Episcopi supervenientis manu, sacerdos, non lubens, ordinatus est. Quem gradum, ne meritis vacuum occupet, bonâ majorum pace, ad opitulandum errore captis gentilium animis, septa egreditur. Associata vero operarum manu, peregrinus per Alemanniam Noricum petit, flexusque Danubii emensus, ad usque Pannoniæ fines iter tenuit. Ibi cùm steriles squalentium pectorum agros Evangelico aratro proscindere instituit, Pilgrini Bataviensis Episcopi indicio hortatuque Ratisbonensem cathedram suscipere coactus. Nam, prono in viri innocentiam Ottonis junioris studio, suffragiis Ratisbonæ initis secundis, Francofurtum adiit, ubi laudatus à Cæsare, postquam Pontificis maximi arbitrio se permisit, aliquot post diebus à Friderico Salisburgensi Archiepiscopo, ejusque suffraganeis, Episcopus est consecratus. Atque hinc nescias an fidem mereantur non indiligentes, sed nuperi scriptores, qui B. Wolffgangum ante Episcopatum perhibent monachum fuisse Trevirensem, & in Treviris Episcopi ritu inauguratum; utrobique suspecti, ni vetustioribus, errorem eum acceptum ferant. Anno tamen hoc ipso gubernaculis impositum, consentit Hermannus Chronographus.

Vita S. Wolfgangi, c. 1. & 31. Othloni apud Sur. & Arnolfi li. 2. vita S. Emmerammi. Tom. 2. antiq. lect. H. Canisii.

S. Wolffgangus fit monachus.

Præsbyter à S. Udalrico consecratur.

C. 12. & seq.

Episcopus à Friderico Salisburgensi.

Trithem. in Hirsaug. Chron. Wigu.

lem in metropoli habitum.

XVI.

Herman. Contract. in Chron. c. 6

S. Emmerammi, seu Emmerami monasterium restituit.

Ejus inter exordia muneris, antiquissimâ curâ, inclytum S. Emmerammi monasterium hucusque Episcopis occupatum, donare libertate, ac reddere primævis institutis. Hinc auxiliâ è Treviris petita, S. Maximini monasterio probatis etiam tum abundante cœnobitis. quorum se numero aggregârat Ramuoldus nuper Henrici Archiepiscopi Cappellanus, & S. Wolffgangi patruelis ac in Treviris collega. Hunc, ut scriptor vitæ loquitur, in regulari disciplina strenuum, primò Ratisbonæ Præpositum, inde Abbatem præfecit monasterio S. Emmerammi. Cumque majorum œconomiâ parum providâ, arctæ res illic essent familiares, non passus est Wolffgangus; sive Abbatem seu monachos ullam victûs sentire penuriam, sed tum animarum, tum corporum curam gerens, prædia omnia S. Emmerammi, sive à Regibus, sive ab aliis Principibus olim collata, & ab antecessoribus vi monasterio ablata, monachorum & hospitum, pauperum quoque & familiæ, usibus deinceps servitura restituit.

Ramuoldus seu Rainoldus ex Cappellano Archiepiscopali monachus S. Maximini, Abbas S. Emmerammi Ratisbonæ.

XVII. ANNUS CHR. 973. DONUS PONT. m. 3. BENEDICTUS VI. PONT. an. 1. m. 3.

Joanni Pontifici Romæ ad initium autumni extincto, Donus, & huic Benedictus mox anno sequenti succedit. Ad hunc, Theodoricus Trevirorum, Legatum misit; novo sibi postulans diplomate, honores atque privilegia ab decessore Joanne indulta, confirmari. Quod ille benignè, tabulis in eandem cum superioribus sententiam super hac re confectis, Archiepiscopo tribuit. Scriptæ autem fuêre per manum Stephani Notarii & Scriniarii sanctæ sedis Apostolicæ, mense Januario, Indictione primâ. Datæque VI. Kalend. Februarii, per manum Widonis Episcopi, & Bibliothecarii sanctæ sedis Apostolicæ. Anno; Deo propitio, Pontificatûs domini Benedicti sanctissimi summique Pontificis, & universalis Sexti Papæ, primo. Imperii verò domini Ottonis majoris * XI. junioris autem VI. in mense Januario. Indictione supradictâ primâ.

*al. XII. melius.

Reverterat anno superiore in Germaniam Imperator ex Italia, cum filio, adducta Romani Græcorum Imperatoris, ex Theophanone filia Theophania; cujus olim nuptias, Luitprandus Cremonensis, Nicephoro regiam premente, frustra sollicitârat. Inde, cùm in Saxonia Quindiliburgi Paschalia celebrâsset, atque frequentibus omnium pæne provinciarum legationibus, & eximiis fuisset donis excultus, * Mimmelevam contendit; ubi Nonis Maii, quarta feria ante Pentecosten, inopinatò quidem; sed viatico accepto, Christique munitus sacramentis, exitu securiore migravit. Eum licet alicubi damnosum, in bene meritorum tamen de se numero repositum anniversariâ memoriâ Trevirensis Ecclesia, ipsis quoque Nonis Maii prosequitur. Et rerum ab Othone gestarum ea fuit amplitudo, ut gloriam pænè Magni Caroli, uti nomine sic & factis æquârit. Ab eo manâsse pugnant Archicancellariorum in imperio Germanico præcipuam dignitatem, jactaque fundamenta,

Theophania Ottonis II. conjux Zonar. in Constantino Romani patre. Cedren. & legato Luitprandi. Perperam hanc alii Nicephori filiam volunt, nisi pro: genero acceperint.

Ottonis Magni discessus.

* Mimmelieba & Mimmelebem. Witichindus. Ditmarus & MS. Francofurt. Pet. Dam. Contract.

Onuphrius Panvini lib. de comitiis imperatoriis et consensu Lupoldus scrip. German. qui eueri ferunt Electoratus fundamenta, Electores Imperii tres Archiepiscopi majori maiestate Ottone magno.

ta, Electoratus, quem tres Germaniæ totius antiquissimi simul & primariæ dignitatis Episcopi, Trevericus, Agrippinas, & Moguntiacensis honoris gloriæque plenum, in Imperio Romano sustinent. Ego certè ut quemlibet horum promiscuè & intervallis Archicancellarii munus, & officium apud Carolingos & Lotharienses Germanicósve Principes, quacunque imperitarent, administrâsse, maximisque de rebus consiliis domi, militiæ interfuisse, sæpe quin etiam præfuisse, clarissimè perspicio; sic eosdem ab hac videlicet memoria septemvirale munus usurpâsse, nullâ neque probatæ historiæ, vel publicarum etiam tabularum tractatione, adhuc discere potui.

XVIII.

Ottonis in Trevir. Ecclesiam beneficia *Moneta ecclesiæ Episcoporum.* Ivodii & Longuionensis tractu monetarium Archiepiscopus Trevirorum exercet

Cæterùm Otto, quod antiquis literarum monumentis compertum, jus feriendæ pecuniæ, quod in veteribus, diœcesis Trevericæ, vicis & sacerdotum collegiis, agnosce jurisdictionis amplitudinem, Ivodio & Longuionensi habebat, Ecclesiæ Trevirensi religionis amore adductus tradidit; aliisque beneficiorum ornamentis atque commodis, veteres B. Petri facultates auxit atque illustravit.

ANNUS CHR. 974.

BONIFACIUS VII PONTIF. BENEDICTUS VII. PONTIF. an 9. d. 10 *Tabul. Episcopi.*

Postero anno, Benedictus VI. de Trevirorum Ecclesia præclarè meritus, autore Bonifacio nefario homine, ad mortem compulsus est; atque ita, sublatis justorum comitiorum legibus, mox Bonifacius, dolo malo substitutus, quo, uti meruerat, confestim dejecto, Benedictus VII. fastigium Apostolicæ dignitatis conscendit.

Ex Bedensi Comitatu Theodorico Archiepiscopo termini assignantur. A Manderscheidt in Lesuram, Mosellam. Sura Epternacum usque. Rivi dudum donati etiam Regalium concessionibus antiquis vindicantur. Foresta. Wilerbannisum Nemus venationis jure munitum.

Atque hoc eodem anno Otto II. Wormatiæ degens, Theodorici Archiepiscopi rogatu, quoad rivorum lapsus & nemorum usus, limitem per Comitatus Bedensis flexum accuratè duxit, descriptumque in terminis & ambitu, ut eum majores habuerant, & meliore quoque jure ad venandum piscandumque possidendum reliquit. Limitis assignatio prima; ex Septentrione in Meridiem linea velut à castro Manderscheidto in Lesuram rivum ad Mosellam usque protracta. Hinc ab Ortu in Occasum per Mosellam via monstrata ad Suram fluvium Epternacum usque, unde recto tramite ductus sulcus per Erlesburam in Gelbin. rivum sive Kylam, quà versus Orientem dilatando foresto, Manderscheidtum & Lesura replicato observo itinere, repetita. Quæ quidem loca non sine amnibus & nemoribus hoc ambitu terminorum circumclusa, hac lege se donare Otto profitetur S. Petro ejusdémque Trevirensis Ecclesiæ Archipræsuli, ut omnia eorum legalia & appendices possideant, & in usum forestæ, culti scilicet nemoris, convertant. Willigisus Cancellarius vice Rutberti Archicappellani. VI. Kal. Julii, an. DCCCCLXXIIII. * Imperii VI.

XIX.

Nam a. 968. coronatus Imperator.

ANNUS CHR. 975.

Theodoricus Trevir Episcopus Romam adit.

Sed Papa Benedictus quoque sequenti anno, Theodoricum, cùm obsecratum ad sanctorum Apostolorum limina Romam iterum adiisset; in publica Synodo, quam tunc Romæ à Benedicto celebratam meminit Diploma monasterio S. Martini datum, honoribus summis extulit, nam, & eum Galliæ tota Germaniáque sedis Apostolicæ Vicarium constituit, & Ravennati Præsuli, cujus tum amplissimum præ cæteris in Italia decus, ut dignitate parem fecit, sic & privilegiis æquavit. Idcirco Benedictus: *Quando*, ait, *ejusdem Ecclesiæ Trevirensis Archipræsulem, B. Eucharium videlicet, à B. Petro Apostolorum Principe novimus ordinatum, sicut & B. Apollinarem Ravennæ civitatis; placuit nobis eidem fratri nostro Theodorico sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopo, cunctisq; per eum successoribus permittere, quatenus sicut in unius B. Petri scilicet Apostoli ordinatione, benedictione, directione, gentibus ad prædicandum Christi Evangelium, ambarum civitatum prædicatores æquales extiterunt; ita & in missarum sollemniis celebrandis, vectandoq; purpureis stratis, seu * nacco per stationes, & in omni alio honore æquales existant. Crux ante eundem, sicut & ante Ravennatem Archipræsulem gestetur. Cardinales quoque Presbyteri, fratre nostro Theodorico Archiepiscopo Missam celebrante, Dalmaticis; & Diaconi, unà cum Presbyteris ad S. Petrum Missam celebrantibus, suæ dilectionis intuitu, Dalmaticis uti permittimus.* Reliqua deinde, quæ sequuntur, cum præcedentibus communia sunt: *Scriptum per manum Stephani Notarii, Regionarii, & Scriniarii sanctæ sedis Apostolicæ, in mense Ianuario, Indictione III. Datum XV. Kalend. Febr. per manum Widonis Episcopi & Bibliothecarii sanctæ sedis Apostolicæ, Anno, Deo propitio, Pontificatus domini nostri Benedicti sanctissimi (* Septimi) Papæ, primo. Imperante domino piissimo Principe Augusto Othone, à Deo coronato magno Imperatore, anno octavo, Ind. III.*

Constituitur sedis Apostolicæ Vicarius. Initium idem cum præcedentium Joannis XIII. & aliorum tabulis.

* *equitando cum Nacco per stationes habet vetus diploma.* Naccus *genus panni, quo utuntur quæ Pontifices equos sternebant, vide Onuphr. lib. interpret. vocum Eccles.*

Sexti, sed dicti septimi, *ut ex sequenti diplomate liquet & Historia.*

XX.

Cella Romana quatuor Coronatorum Trevir. Eccles. donata.

Eodem pæne cursu dierum, Pontifex haud contentus, Trevirorum Episcopum ad eam extulisse dignitatis amplitudinem, ditibus etiam agris atque prædiis hæc ipsa beneficia cumulavit, Etenim, quo in posterum Trevirensi Antistiti Romæ honestam sedem, & peramplum hospitium sisteret; visum est ei faciendum, ut Cellam quatuor Coronatorum Theodorico, pro eximia spectataque viri pietate, ejusque successoribus utendam fruendamque, perpetuum adscriberet. Extant insignes hujus donationis tabulæ, quas verbo vix immutato fidei causâ proferimus: *Benedictus Episcopus servus servorum Dei, carissimis nobis in Christo fratribus, universis Episcopis, ac totius dignitatis & ordinis Catholicis viris, præsentibus scilicet & futuris, perpetuam salutem. Quia licet indigni, divinæ tamen dignationis gratiâ disponente, B. Petri, Apostolorum principis sacratissimam sedem, pastoraleq; in curam Dominici gregis ministerium suscepimus, juxta Apostolicam doctrinam, sicut malis terrore desideria pravitatis suæ perficiant, nos oportet existere, ita sanctæ Dei universalis Ecclesiæ filios, in religionis piæq; devotionis profectu, paterna gratia benedictione fovere; maximeq; eos, qui in sanctam Romanam Ecclesiam, beatumq; Petrum Apostolorum principem cæteris devotiores probantur; quatenus eis, pia sui devotio, & in præsenti benignitatis conferat consolationem, & in futuro æternam, ipso intercedente, remunerationem. Unde omnium, tam præsentium quàm futurorum sanctitatem, & industriam nosse volumus, de sancta fratris nostri Theodorici, sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopi, Primatisq;, nostra prædecessorumq; nostrorum, ab exordio Christianitatis per B. Petrum constitutione, totius Galliæ, ac Germaniæ in eundem Apostolorum Principem devotione,*

Theodorici Archiepiscopi pietas & in Eccles.

qui

qui in sua sede, Ecclesiam Christi gloriosius gubernando, multa monasteriorum, quæ usque in sua tempora manserunt deserta, restaurando, beatorum Apostolorum limina cæteris sæpius, nullo longioris viæ periculo seu labore territus, liberalissimè visitando, nobis usque eò complacuit, ut eidem Theodorico, & ipsius Ecclesiæ possidenda in perpetuum aliqua conferre justum duceremus; quatenus, ut præfati sumus, pro tanta sui devotione, à nobis gratiam, & benedictionem in præsenti, & in futuro à Deo, beatisq; Apostolis, centuplicatam in cælestibus reciperet gloriam. Quapropter omnium tam præsentium quàm futurorum notum fieri volumus industriæ, nos cum autoritate B. Petri Apostolorum Principis, gratuitoq; sacerdotum, clericorum, totiusq; Romanæ plebis assensu, eidem sanctæ Trevirensi Ecclesiæ, Cellam quatuor coronatorum condonasse in perpetuum possidendam, cum omnibus appendiciis suis, aquis scilicet, aquarumq; decursibus, pratis, pascuis, vineis, silvis, cultis & incultis, curtilibus & mansis.

Totius Galliæ ac Germaniæ Vicarius.

Quæ omnia eidem fratri nostro Theodorico sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopo, Vicarioq; nostro carissimo, in partibus totius Galliæ, & Germaniæ, ac per eum, cunctis successoribus in perpetuum possidenda, tenenda, ac ordinanda, per hujus nostræ Apostolicæ præceptionis seriem tribuimus, quæcunque eadem Cella ex diversis fidelium donationibus autenticè secundum legem Romanam possidet, vel jure possidere debet, data videlicet, & usq; in finem seculi quoquo pacto danda, seu per violentiam inimicorum eidem Cellæ ablata, seu per incuriam commorantium in eadem Cella perdita, ex integro & ad integrum eidem fratri nostro Theodorico sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopo, dignissimoq; nostro Vicario, in partibus totius Galliæ, & Germaniæ universisq; successoribus suis per eum à præsenti die, Indictioneq; tertia; B. Petri Apostolorum Principis, nostraq; permittimus autoritatè. Contra quam, si quis hominum quolibet modo agere præsumpserit, & quod justè ac canonicè à nobis decretum est, in aliquo infringere tentaverit, sciat se ex Dei omnipotentis, & prædicti beatissimi Apostolorum principis, omniumq; Sanctorum, ac deinde nostrâ autoritate damnandum, anathematizandum, & cum omnibus impiis æterno supplicio deputandum. Qui verò hoc ipsum nostrum privilegium observare, custodire, adimplere, fideliter studuerit, benedictionis gratiam, & misericordiæ plenitudinem in cælestibus castris, inter electorum numerum efficaciter à Domino Deo consequi mereatur. Scriptum per manum Stephani Notarii, & Regionarii, & Scriniarii sanctæ Sedis Apostolicæ, mense Januario, Indictione III. Data XV. Kal. Febr. per manum Widonis Episcopi, & Bibliothecarii S. sedis Apostolicæ. Anno, Deo propitio, Pontificatus domini nostri Benedicti sanctissimi VII. Papæ primo. Imperante domino piissimo Imperatore Augusto Ottone, à Deo coronato, magno, anno VIII. Indictione tertia.

XXI.

MS. S. Martini, & [illegible] Abb.

Inde Theodoricus ad vetera & horrenda ruinis instauranda monasteria conversus, D. Martini domicilium, quod Mosella insigni amœnitate propemodum complectitur & alluit, redigere ad priscam disciplinæ normam, & germanis atque nativis, ut ita dixerim, exclusâ peregrinitate colonis, occupare instituit.

B. Martini monasterium instauratur; Canonicis oraculo motis loco.

Is porrò locus pro merito inhabitantium varia sæpè mutatione fluctuatus, magnas brevi spatio temporis senserat rerum vicissitudines. Namque ab Henrico Theodorici decessore, post Alberici Abbatis mortem, agris monachi mulctati, & demum immissis clericis, monasterio exacti fuerant. At verò clerici, laxatâ subinde honestæ vitæ morumque disciplinâ, studióque Deum intentiùs orandi & ritè in Ecclesia psallendi posthabito, voce propè cœlesti deserere locum illum dicuntur compulsi. Quippe die S. Martini translationi sacrâ, quæ dies IV. tum Non. Julii peragebatur, sub primam auroram oscitanter de more psallentibus, repentè in medio stare visus est, vir ornatu pontificali, formâ quàm humanâ augustiore, & canitie venerandâ: hic exire primùm jussis omnibus, cunctantes lituo pontificio, quem manibus tenebat, mox urgere, ac demum terroris plenam iterum ac sæpiùs, hanc vocem edere: *Exite ignavi, exite; monachus Martinus fuit, non Canonicus.* Tum enimverò illi minis præsentibus atque terrore perculsi, deserto monasterio, quò quemque pavor egit, subitò diffugerunt; nec quisquam eorum diverso, ultore Deo, mortis genere pereuntium, diu supervixit. Inde locus, ad provincialium prædam nobilium expositus, neglecto sacrorum cultu, rursus concidere, templúmque, nudato tecto, pervium etiam pecoribus esse cœpit. Quæ res, cùm ingentem Theodorico mœrorem afferret, ipse, ne afflicto ac pænè deserto loco deesset, ad Imperatorem adiens, occupatas monasterii possessiones, pro voto recuperavit, restituitque. Postquam autem ad hunc modum, in fidem ac potestatem Ecclesiæ, cœnobium redegit, Engelbertum, monasticâ apprimè imbutum, aggregatis paucis quidem, sed absolutâ virtute monachis, Abbatem præposuit, & impetrato à Benedicto Pontifice Romæ privilegio, multum ei loco, & ad fortunarum securitatem præsidii, & ad religionis nitorem ornamenti contulit; nam & infularum Episcopalium jus, quod à B. Magnerici ætate ab hujus loci Præsulibus usurpatum, cum omnibus, quæ tradiderat monasterio vectigalibus Antistes, Abbati cœnobioque confirmata ac restituta: monachis ex B. Benedicti præscripto integra electio reddita, & antiqua creandorum Abbatum potestas revocata; tum cœnobitis indultum quoque, ut si idoneus suppeteret ex ipsis, nemo ad munus id gerendum, ex diœcesi quem vellent Abbatem, Archiepiscopi consensu, accerserent: denique cautum, in sortem feudorum monasterii possessiones, ut ne conjicere fas unquam esset. Quæ omnia, eâdem subscriptione Stephani Scriniarii firmata, & per manum Widonis Episcopi, eodem tempore, quo priora diplomata, Romæ sunt tradita.

S. Martinus monachus, non canonicus.

Eberuinus in S. Magnerici vita.

Engelbertus Abbas sancti Martini

Theodoricus Archiepiscopus benè meretur de cœnobio S. Martini.

MS Epternacens.

XXII.

Epternacensis monasterii renovata facies.

Ad id tempus usque Epternacense monasterium, quod totis jam centum annis & ampliùs à clericis habitatum fuerat, incertis potentum gubernaculis, ut in salo navis, jactabatur; quodque ex veterum monumentis facilè conjicimus, exortos vicinis è locis Dynastas, Comitesque sustinebat, monstri similes galeatos magis & loricatos, quàm mitratos Abbates; quibus mos, Principum beneficio

parta monasteria, inhianti cupidine, luxúque prosternere. Ergò, cùm Abbates raptu & profusione, Canonici improbis moribus S. Willibrordi facultates certatim atterunt, bonæque frugis nil reliqui faciunt, Otho primus, rogatu monitúque Sigefridi Comitis Advocati, emoriente jam clero, cum prisco cœnobii nitore Ravangerum monasticæ disciplinæ reparatorem, Epternacum misit; qui quadraginta cœnobitis, ipsum illum in locum adductis, omnia ad priscam vivendi rationem erexit; Advocati tamen jugum non excussit. Servat Epternacense monasterium Ravangeri inclyti virtutis famâ Abbatis Epitaphium, cujus, quia jamdudum publico fruitur, intexere paucos versiculos libet, nam de Ravangero, quæ nobis memorata, testantur:

Sigefridus Lutzelinburgensis Comes.

Extat in Cop. lib. monaster. tricenar. centuria MS. Eptern.

Hunc Otho primus transmisit Cæsar opimus,
Sifridi monitis egregii Comitis.
Misit & hunc talem, qui vitam cœnobialem
Hic reparare pio sufficeret studio.
Nam locus iste bonis hoc tempore relligionis
Factus erat vacuus, rebus & exiguus.

Egregia quoque visitur ibi cælatura, & bracteis aureis obductus Evangelii codex, pretiosum junioris Ottonis & Theophaniæ conjugis donarium; in quo sub S. Benedicti quidem imagine, ipsius effigies sculpta Ottonis; sub beati verò Ludgeri Abbatis icone, regali ornatu habituque Theophania. Extabat, & in veteri chartario, illustre tertii Ottonis diploma, quo jus feriundæ pecuniæ signandæque concessum Abbati, monasterioque. Habebunt itaque trium Ottonum, memoriæque tradent, propensissimi eum in locum animi ac beneficentiæ regiæ præclarum argumentum posteri.

XXIII.

Canonici Treviris deserunt vitam communem. *Hirsaug. Chro. ad an. 977. MS. gesta Trev.*

Trithemii de Canonicis liberior censura.

Duobus jam locis enarravi, religionis lætiore facie, cedentibus Canonicis, salubriter immigrâsse Cœnobitas; nunc Canonicos observo, Treviris eodem tempore, abjecto sanctiore, quod B. Wolfgangus dederat, instituto, flexisse retrò oculos; quæque copulata benè fuerant, rursum divisisse, pertæsos utique vitæ communis ac beatioris. Rem eam Trithemius severè æstimavit; partésque facere dicerem, ní ei provinciales libri Gestorum adstipularentur: *Sub Theodorico*, inquit, *Canonici majoris Ecclesiæ, abjectâ regulari vitâ, quam hucusque majores eorum continuaverunt, desierunt esse regulares, & facti sunt nomine, & conversatione seculares. Quorum exemplo malo, Canonici quoque S. Paulini Trevirenses, S. Castoris in Confluentia, Moguntinenses, Wormatienses, Spirenses, & complurium aliarum Ecclesiarum, diversis quidem temporibus, sed uno impietatis spiritu, regularis vitæ communitatem abjecerunt.* Verùm Treviris primarium clerum rediisse ad communem vitam, Ludolfi Archiepiscopi acta docebunt, cæteros etiam in ea perstitisse aliunde liquet.

XXIV.

ANNUS CHR. 976. Henricus Bavariæ Dux regnum affectat. *Lambert. Schaffnaburg. Sigebertus & Hermannus*

Insequenti anno, Henricus Bavariæ Dux, immodici, ut res ipsa docuit, imperii appetens, cum viam ad regnum capessendum affectat; gradum non antè fixit, quàm apertum Othoni bellum inferret: at vero præcipitis ambitionis quem tandem ipse fructum retulerit, mox apparebit.

ANNUS CHR. 977.

Interea Theodoricus Trevirorum Archiepiscopus, Moguntiæ finem vivendi fecit; spectatâ vir industriâ, & omnibus pontificiis virtutibus, atque ornamentis instructus abundè; qui, ut egregiam eruditionem attulit ad pontificatum, ita præstanti, atque inclytâ religione, animique pietate omnibus Ecclesiam Trevirorum, & gloriæ & felicitatis instrumentis, cumulavit. Enimverò, inter omnes Episcopos hoc nomine vel maximè memorabilis, quòd primus post Volusianum, si literis antiquis habenda fides, Primatum reduxerit, summæ sedis vicariâ potestate Galliâ totâ Germaniâque spectatus. Exolescentia propè Ecclesiæ suæ jura honorificè instauravit; amplissimam Romæ atque perpetuam sibi suisque successoribus sedem constituit; monasteria quoque tum Clericorum B. Paulini, tum Cœnobitarum Virginis Deiparæ ad Martyres necessariis opum præsidiis benignè sustentavit; huic etiam opportunè rectorem atque gubernatorem dedit Adeodatum, adjuncto Benedictinæ professionis selecto monachorum cœtu. Excessit anno Christi septuagesimo septimo supra nongentesimum, Pontificatus autem tertio decimo: funeratus Moguntiæ in æde B. Gangolfi, quam exstruxerat ipse, prædiis, unde duodecim clerici honestè victitarent, liberaliter adjectis Gloriosæ Matris Dei semper Virginis laudes edito libro celebrasse, scripsisse narrationem etiam vitæ S. Ediltrudis, vel potius Luidtrudis, Tritthemius memoriæ prodidit: quarum tamen lucubrationum tantum posterior ad nostras manus pervenit.

Theodorici Præsulis mors & elogium.

Trith. hom. Hirsaug. Chro. Theodoric. monachus S. Mathiæ hujus ævi.

Moguntiæ sepelitur in S. Gangolfi Ecclesia, quæ ab eo exstructa & dotata.

Sigebertus & Wasseburg. in Verdun. Eccles. gestis. S. Ediltruda, vel Luidtruda.

B. Ediltrudæ memoriam & Ecclesia colit, & ob pudicitiam in thoro constanter servatam cum Egfrido Nordan-Humbrorum Rege eam disertè Beda laudat. Eandem fastorum scriptor Trevirensibus Sanctis ad XXIII. Junii annumerans, cum in Treviris vitam solitariam egisse, tum S. Willibrordum juxta ipsius domicilium familiari miraculo fontem suscitasse, canit. Porrò in Treviros eam venisse, Bedæ narratio tamluculenta, de velamine ab Edildrida inter Angliæ sanctimoniales assumpto, erectóque monasterio, quod septennium Antistita rexit, & ejus illæso à tabe post XVII. annum à funere corpusculo reperto, satis redarguit. Itaque de ipsius titulo memoriáque, quam cum reliquiis S. Willibrordus fortè in agrum Trevericum intulit, ista facilius scripta, crediderís:

S. Ediltruda. *Martyrolog. 23. Junii. Hist. Angl. lib. 4. c. 19. ad an. ferè 600.*

S. Willibrordus in Trever. fontes suscitat.

Regia virgo satu prisco, cui constat honorum
Nomen Eaeltrudi, proavis educta Britannis,
Nupta viro Regis soboli thalamiq; virilis
Haud exors, degit cum casto conjuge virgo,
Casta parens, tacitâ pietate adhibente pudorem.
Ast ea sunt sponsi postquam juga morte solutâ*
deserta placebant.
Irriguam supra Lesuram, cautesq; silentes.
Cui fuit hospitium modico casa lignea cultu,
Concretas inter sentes, hamataq; tecta.
Illo fortè loco, tum, cùm melioris abesset
Gratior usus aquæ, Wilbrordus gloria princeps
Telluris Frisiæ, suppositæ pondera terræ
Perculit, immisso baculo, fontemq; benignum
Duxit; & aptus aquæ mistæ liquor emanavit.
Nũc fõs in pretio est, habet & sua præmia potor,
Seu ventrem doleat, seu sospite gaudeat alvo.
Vivit ad hæc virgo, nec fama intercidet ævo,
Cognita dum viridi stabunt sua nomina silvæ.*

Hæc ille.

*accipe, de civili.

Fons sanctæ Ediltrudæ miraculosus.

* Grune Walds.

At

XXV.

At Theodoricum Præsulem B. Luidtrudis acta literis mandâsse, ex vetustis Bibliothecæ S. Mathiæ membranis, exploratum habeo, quorum & index luculentè rem attestabatur: *Vita S. Luidtrudis virginis rythmicè scripta à Theodorico Trevirorum Archipræsule.* Neque lectorem ejus vitæ haud passim obviæ argumentum celabo. Pertensi pago opibus ac stirpè clarus cum Luidtrude conjuge, innocentiâ vitæ incomparabili Sigemarus vixit prole fœmineâ abundans, cujus illibatum ætatis florem cùm Christo virginitatis parenti consecrare in votis esset; Eugenio presbytero psalmodiâ, disciplinis sacris, omnibusque pietatis ornamentis tradidit imbuendas, quibus puellaris ætas ad asceticam institui, erudirique consuevit. Virginum nomina produntur; Imma, Othildis, Luidtrudis, Pusinna, Francula, Magetildis, quæ omnes expleto decennio, cùm jam ingenii cultum cœpissent idoneum, ab Alpino Catalaunensi Episcopo vitæ sanctimoniâ & eruditione claro, cùm is Ecclesiam suam obiret, summo parentum voto, virginali flammeo ritè velatæ sunt. S. Luidtrudi amœno secessu mons nemoribus undique cinctus obtigit, qui parentis Sigemari nomen tulit. Hic cùm aliquamdiu magnâ vitæ morúmque pietate, & assiduis in Deum religionis & caritatis officiis ævum exegisset; tandem Eugenio presbytero comite, Romam profecta, cœlestis esse consilii didicit, ut Agaunum adiens, inde S. Mauritii martyris reliquias tolleret, cujus honori in Sigmari monte Basilicam jubebatur exstruere. Quod à virgine diligenter perfectum est; quæ ad Basilicæ latus positâ sibi cellulâ, vitam istic reliquam orationibus assiduis, cilicii asperitate, & crebrâ inediâ transigens, magnâ innocentiæ famâ consummavit. De oleo verò, quod ex ejus sepulchro perenne manavit, & morbidis salutem attulit, Theodoricus Archiepiscopus, ut rythmorum formam videas, ita scriptum reliquit:

S. Luidtrudis vita.

Pertensis pagus apud Catalaunos. Sigemarus pater sanctæ Luidtrudis.

Alpinus Catalaunensis Episcopus.

Agaunum.

S. Mauritii Basilica in monte Sigmari.

Mira planè Dei virtus, mirum suum meritum.
Vasculum semel impletum, & accensum oleum.
Nullum cœpit usu suo detrimentum perpeti:
Quid cæcis eo perunctis dicam visum redditum?
Quid verò surdis auditum, mutis linguæ officiũ?
Claudis ambulandi usum nũc retexam præstitũ?
Singularum infirmitatum diversa incommoda,
Quibus vel corpus lãguescit, vel tabescit anima,
Per te sunt crebrò medelam consecuta pristinam?

Fine Rythmi à Deo trino, optat ipse animæ Theodorici Archipręsulis ęterna tribui gaudia.

XXVI. Lotharienfis regni secessio & conversio. *alii an. 980. & 981.*

Eodem anno Lothariense regnum, superantibus aliis ac emergentibus malis, ab imperii corpore divisum, variásque in partes distractum, in diversa tandem abiit. Etenim Ottone gravissimo cum Bohemis bello, quod in Pannonia exarserat, implicito, Henricus Bavariæ, & alter item Henricus Carinthiæ limitis Duces ubi primùm novandis rebus spes oblata, extrema Bojorum & Batavorum oppidum, civilibus armis infensabant, quæ dum alibi terrarum geruntur, Lotharius Rex Galliarum, ejúsque frater Carolus Gerbergâ Magni Ottonis sorore prognati, Lotharingiam sibi proximam carptim vi manuque vindicare, factiones alere; hos admittere, excludere alios, ut collibitum iis, insistunt. Jam tum filii Raginerii Montis olim Hannoniæ Comitis Raginerius & Lambertus Longicollii, paternâ ditione exuti, Guarnerio & Reinaldo cesserant: mox viribus in Gallia redintegratis, ubi victi acie æmuli, hostes ab Ottone oppositi novi, Godefridus Arduennæ, & Arnulphus Flandriæ Comites. Sed titubante Lotharienfium fide, & exiguâ Ottonis in eorum animis reliquâ gratiâ Longicollii rursum affinitate atque opibus principum Franciæ innixi, emerserunt, atque inde Montium, hinc Lovanii tractu; per Hannoniam & Brabantiam abrupto, portio haud ignobilis regno decessit.

Nangii continuatio. Ivodoardi, Sigeberti Chron. & Belgici Gallicique scriptores.

XXVII.

Carolus Lotharingiæ Dux.

Ducatus Lotharingiæ superioris primordia. *MSS. varii & Observatio Richardus Wassebourg Vird. hist. antiq. Belg. 2. artic. prologi Interpres veterum Adi & Lipsii Lovan. lib. 1. c. 10.*

Hoc itaque amittendæ Lotharingiæ universæ metu, periculoque anxium Ottonem, satis constat; Carolo Lotharii Regis fratri Ducatus titulo, provinciam assignasse inter Mosam & Rhenum flumina, circa urbes Metim, Tullum, Nanceium, & Alsatiæ confinia; relictis in medio, quæ Carolus jam tum ex Gerbergæ matris dote Giselberti Ducis olim conjugis, hæreditario jure, quietè possidebat. Raginarium verò, & Lambertum habere sibi jussisse tractum illum terrarum, qui Scaldim inter & Mosam, Montium & Lovaniensium Comitibus, originem dedit. Inde verò, quod supera præsertim Mosellã utrinque telluris habitatur, urbibus cultóve solo non ita frequens, Mosellanici Ducatus nomen obtinuit, unde, cùm Provinciales Ecclesiæ cum Metropoli, patrimonia, totaque terrarum referrent amplissima, fines hujus principatus item evaserunt anguiiores. Accessit & aliud Mosellanici imperii minuendi vel premendi haud leve momentum. Nam cùm exorti mox undique reguli, & dynastæ, quà parte cuncta visum, aliena distractum & carptum irent; usu tandem venit, ut mutato & distracto veteri imperio, Lotharingiæ priscæ fines novi Domini, tensim ad se traherent, vel emptionum, donationum, gentilitatum, agnationum, vel bellorum quoque titulis oblitterarent.

Mosellanicus ducatus.

XXVIII. Lotharius Rex Carolo fratri Lotharingiam studet eripere.

At Carolo fratri Lotharingiæ Ducatum invidisse Regem Lotharium, sanè displicuisse datum, exercitus ultor ostendit, quem hoc anno in Belgicam hanc deportavit: cùm urbe Mediomatricum occupatâ, proceres, seu Barones apud se dicere Sacramenta coëgit, & Lotharingiam, suam in ditionem redegit.

Theodoricus Metẽsis Episcopus perstringitur à Carolo Exduce. *Epistola Gerberti post Silvestri II. 31. 32.*

Atque his partium studiis Theodoricum Metensem miserè conflictatum, Gerberti literæ testantur, maledictis plenæ, quæ nuper Parisiis editæ sub persona Diederici & Caroli; ubi in Episcopum invehens, Carolus: *An cum Lotharium*, ait, *Regem Francorum, quem gloriosum vocas, cum maximè oderis, hunc, inquam, cum regno pellebas, meq; regnare cogebas, fidemne ei & mihi promissa servabas? profectò intelligis, quid feceris, contra fratrem meum ac * sororem domini mei, me arma parare impellebas, ut omne genus nostrum regium, mutuis vulneribus confoderes, tyrannos nomine regum substitueres, cum quibus contempto sacerdotio, vacuis aulis, incumbere posses.*

*Emma Adelheidis filia. Otto Caroli dominus.

At Carolus interim, cui Theodoricus vicissim impietatem in fratrem Lotharium, injuriam in ejus conjugem Emmam, in Ottonem perfidiam objectat; Lotharingiam denique, tametsi non regno prisco tenus, spatiosè tamen insedit.

Regno

Treverica ditio in nomen Germanicum transit.

Regno Lotharii itaque vetere in tres pluresve partes ad eum modum scisso, atque veluti exangui tum corpore debilitato, Trevirorum Pontifices jam inde Germaniæ Imperatores secuti; Lothariensium nomen, quod annis centum circiter, & undequadraginta tulerant; sumpto Germanico, deposuerunt. Et Ducatuum, qui ex Lotharii regno profluxerunt, hodiéque gemina manet appellatio: nam Lotharingenum superior Ducatus; at Lotharichii nomen Brabantiæ Duces, aut Burgundicæ domus hæredes sibi vindicant.

Lotharingen & Lothrich.

XXIX.

ANNUS CHR. 978.

Anni posteri vel principio, vel propè id certè, gubernatio Trevirensis Ecclesiæ EGBERTO, per cleri populique lectionem jussu Imperatoris obtigit; viro cùm nobilissimis majorum imaginibus, tum quod caput, incomparabili quadam vitæ innocentiâ, flagrantique Christianæ pietatis ardore. Eum in Anglia vel Britanniis; Bataviam vel Hollandiam interpretamur, patre Theodorico illustri Comite, & * Hildegardâ matre, Luduici Transmarini Francorum Regis filiâ natum produnt antiqua literarum monumenta; quod disertiùs affirmant quoque cœnobitæ Mediolacenses in S. Adelberti vita, celebris apud Egmondam Hollandiæ Confessoris, quam, Egberto jubente, literis ipsi mandârunt. Frater ei fuit Arnulphus III. Hollandiæ Comes. Avum habuisse tradunt Theodoricum, quem ex regali Francorum stirpe Fresonibus præfectum, Comitis honore omnium primum istic rerum potitum, affirmant; Hollandiæ, ut suspicor, nomine, per id tempus, pro quo Fladirtingam Hermannus Contractus usurpat, necdum recepto: siquidem sunt, qui cum Normannorum seu Danorum illuvie vocem simul eam in Bataviam influxisse tradunt; quorum insultibus reprimendis; & sistendæ piraticæ, à Carolo Simplice datum Theodoricum volunt fuisse custodem aut vindicem.

Britannam appellat MS. Bataviam.

** alii Hildegonde.*

Egberti præsulis genus. *Chro. Ioan. de Becka. Sur. to. 3. in Iunio. Vita S. Adelberti scripta.*

Theodoricus I. Hollandiæ comes.

Hollandiæ nomen recens. *Ioan. de Becka in chron. Traject. Episcoporum Hadr. Iun. in Batavia. Idem MS. Otger. Amstelodamus, Iac. Meier, annal. Flan. lib. 11.*

XXX.

Egmundanæ prædivitis in Hollandia Abbatiæ primordia, de qua Chron. Ioan. de Becka, & annal. Egmund. cœnobii c. 6. & Wilhelmus Becka, in hist. Ep. Traject.

Pater ei Theodoricus junior extitit hujus nominis secundus, qui recordatione virtutum, & divinæ conversionis, quam B. Adelbertus S. Willibrordi discipulus, & Deiorum Regis filius, Egmundæ vico Kenemariæ attulerat, elegantis operis Basilicam D. Adelberto posuit, & exstructâ prænobili sede, traditisque opimis agris pro Sanctimonialibus, Benedictinæ legis cultores eo primùm advocavit. Horum igitur in disciplinam deditus ipse Egbertus, & jam inde à pueritia divino cultui, religione parentum consecratus, tandem in ordinem eum, adultâ jam ætate, se adscribi voluit. Mox Subdiaconum factum perhibent gravissimâ atque diuturnâ conflictatum febri; atque hoc morbo, eo ipso die levatum, quo anniversariis D. Adelberti ministrare sacris, & pro muneris impositi conditione, astare sacerdoti optavit sacrificanti. Imbecillum porrò atque invalidum, adhibito deprecatore Sancto Adelberto, diutinâ vi morbi repentè liberatum, atque operatum ex voto tum etiam rei divinæ. Hoc igitur eximium virtutis, atque indolis generosæ specimen attulit ad Episcopatum Egbertus.

Egbertus religioni consecratur, & fit monachus.

Lambert. Schaffnaburg Saxorum annales.

Henricus Boiariæ cum suis conjuratis Trevirim in exilium deportatur.

Per idem tempus Imperator Otto Boiariæ motus composuit; captáque vi Bataviâ, & ad solum dirutâ, Henricos ambos, quos dixeram in potestatem redactos, ad Trevirorum urbem cum Abrahamo Frisingensi Episcopo, in exilium deportari voluit. Sunt, qui Ramuoldum D. Emmerammi Abbatem, eâdem pœnâ involvunt, quòd Henrici rebus studuisset; quibus ego fidem, ut addixisse nolim, ita nec cupiam omninò derogâsse.

Abraham Frisingensis Episcopus. Aventinus in Bavar. annal.

Henricus minor Bavariæ Dux. M. S. Chron. Francofurt.

Henricus autem hic Dux Bavariæ Secundus aut minor dictus fuit; patrenatus Henrico primo Bavariæ Duce; qui magni Ottonis frater extitit. Eum lego in Saxonicis monumentis, postquam ab Ottone secundo patruele proscriptus fuit, diu profugum vagumque apud Sclavos æternos Saxonum hostes perfugium habuisse; atque hoc demum anno Magdeburgi post deditionem Passaviensem, captum accusatumque cum Henrico Duce Bertholdi filio, & Egberto Comite deportatum Trevirim, ubi usque ad annum LXXXIII. hujus sæculi vixit, Egberto Archiepiscopo eâ conjunctus necessitudine, ut affectanti deinde regnum haud obscurè favisse, ea de re scriptæ testentur Gerberti epistolæ. Bavariæ interim Ducatum Otto adeptus est Luidolphi filius Cæsaris propinquus.

XXXI.

Lotharii regis & Ottonis secundi expeditiones. MS. Chron. Francofurt. Amoin. apud lib. 5. c. 14. Sigeb. Lambert. Nangius Gallici scrip.

Imperio ad eum modum, compressis rebellium motibus, utcunque pacato, Lotharius Franciæ Rex, novorum inde tumultuum autor, tantâ celeritate, instructo paratóque exercitu, declivem Lotharingiam ingressus est, ut Cæsarem apud Aquas sedentem, nec quicquam de bello cogitantem, pænè oppressérit imparatum. Justâ ergo indignatione iráque accensus Otto, ingentibus undique copiis è vestigio contractis, discedentem è Lotharingia Regem Lutetiam usque infestis signis persequitur. A Kalendis autem Octobribus ad Kalendas Decembres, cùm per continuos menses duos, Rhemorum, Laudunensium, Suessionum, ac Parisiorum agros, magno hominum ac pecorum damno, hostiliter pervagatur; Ecclesiis, nota religionem, jus, Dei amore, servat inviolabile. At Lotharius, ubi Hugo Capetus clientiúmque lectissimi affluxêre cum exercitu, ausus novam expeditionem, egreditur, Ottonianósque incursu subito turbatos, dat in fugam. In hac itaque trepidatione Cæsar deprehensus, ipse, vix circumactâ belli metâ, cum omnibus copiis in transitu Axonæ amnis periclitatus est, amissâ magnâ parte impedimentorum, nec contemnendâ militum manu gurgitibus haustâ.

Ottonis Cæsaris vastatio Galliæ & fuga.

S. Wolffgangi ex Gallica expeditione reditus & incolumitas aliis præstita. In vit. sancti Wolff. à V. C. Marco Welsero edita.

Et in hoc discrimine S. Wolffgangus commilitonum casus ante oculos conspicatus, cœlum intuens, sibique, & aliis meliora precatur, jubetque in Dei nomine haud segniter flumen trajiciant. Sed nec ausis præire incipit, quo animet cunctantes. qui duplici è periculo & submersionis & hostis instantis præter spem erepti incolumes, præ gaudio gestire, & erumpere in Dei laudes; at Wolffgangus obnixè poscere, ne quid hujus in publicum efferrent.

XXXII.

ANNUS CHR. 979.

Witl. Nangius ad Frodoard. Sigebert. Hugo Floriacens. apud Papir. Massonum annal. Francor. lib. 2.

Hinc utriusque Regis animo in pacis partes promptiore, quasi jam utrinque vindictæ datum illatumque satis, consilio procerum, ambo Lotharius & Otto Cæsar apud Charem amnem tractu Vabrensi veniunt in colloquium atque abolitâ injuriarum memoriâ, reconciliationis inter ipsos fides, datis invicem sacramentis

Lotharii regis & Ottonis II. reconciliatio. ** Sigibertus ad an 980. MS. Chron. Francofurt.* *Carolus Lotharingiæ dux.*

mentis, firmata. Lotharium autem ibi jure se prorsus omni Lothariensis regni * abdicasse ferunt; idque parum plaudente procerum Franciæ senatu. Carolum verò Lotharii fratrem Lotharingiam, etsi non totam inferiorem, tenuisse, Germanici nominis Imperiique, quàm fraterni aut Francici cupidiorem.

Egberti Archiepiscopi munificentia ex propinquorum opibus. *In monasteria & ornatum templorum. Gesta Trev. MS.*

Porrò deinceps Egbertus Archiepiscopus Trevirorum, insigni liberalitatis, atque beneficentiæ famâ, ad hominum notitiam efflorescere, atque decessoris sui gloriam quasi obrutum iret, dives opum totus ad levandum ultimas etiam Ecclesiarum suæ diœcesis, & monasteriorum ærumnas, sive à barbaris olim hostibus, sive domesticis jam pridem illatas, cœpit incumbere. Enimverò in Natalem Domini propinquos omnes, cognatosque ad se honoris causâ Trevirim invitatos, multis auri, argentique, & quantivis pretii donis graves nactus, eâ mox pietate omnium pectora imbuit, ut iis se rebus, an non superfluis? cultui sacrorum atque pauperum usibus dicandis exonerari, non gravatè ferrent. Ergo & præsenti liberalitate, quam suâ copiâ pepererant, & muneribus, quæ ilico domum reversi submisêre, Ecclesiam suam præstantibus omnis generis ornamentis, argenteisque crucibus, casulis, dalmaticis, palliis, cappis, velis, cortinis, aliisque id genus sacris faciundis dicatæ suppellectilis, nec non opimis agrorum fundorumque possessionibus, instruxit.

S. Eucharii monasteriū dotatur. *Ex MS. Theoderici monachi, qui anno 1006. vixit & interpolatus. Tom. 7. Surians exiat ad 23. febr.*

Par quoque majórve liberalitas ejus erga diversa religiosorum hominum domicilia, constitit; atque B. Eucharii monasterium, priscorum Antistitum sepulturâ in primis venerandum, sed ævo jam bonique moris inopiâ, ad extremas etiam rei familiaris angustias prolapsum, vario instrumento sacro auxit agris, vineis, cæterisque omnibus rebus ad munificentiæ cumulum adjectis, & affatim quoque præbitis. Monachis hic è familia S. Benedicti, Gotherium, è * Gandensi Morinorum cœnobio accersitum, initio pontificatus sui rectorem adposuerat.

**Gandavensi.* *Gotherius novæ disciplinæ sancti Eucharii moderator.*

S. Eucharii Basilica ab Egberto inchoata.

Hinc ratus ad curam suæque Ecclesiæ splendorem pertinere, locum eum primis fidei ab Euchario traditæ incunabulis celeberrimum, egregio aliquo majoris templi monumento condecorare; Ottonem Imperatorem adiit, eique inter alia, quæ de Ecclesiasticis animo negotiis agitabat, consilium de ædificanda B. Euchario Basilica aperuit. Is perspecta Præsulis tam piâ voluntate, institutum collaudat, ac opulenta ad ædem excitandam subsidia pollicitus, multis insuper verbis hortatur, ut fundamentis exemplò jaciendis nullam moram dilationemve ferat. His itaque promissis, Pontifex ad insistendum mox operi accensus, simul ad propria revertit, confestim fabros accersiri, atque ædis circumquaque spatium dimensus, qui fundamentis aperiendis terram ad solidum foderent, adesse jubet.

XXXIII. B. Celsi inventio.

Dies jam aliquot in opere consumpti, cùm ecce Trevirorum Ecclesiæ novus patronus, atque mirandis edendis operibus, clarissimus brevi futurus, in lucem emersit. Is B. Celsus prisci ævi antistes fuit, Apostolorum Christi temporibus vicinus, & in pontificum ordine quintus: de cujus inventione, quia præclara Theodoricus S. Eucharii cœnobita huic memoriæ proximus, literis scriptisque mandavit, ad necessitudinem rei ex his nonnulla prodere suadet loci religio, & argumenti dignitas. Eo igitur, quo dixi, modo, in fundamentis novæ ædis fabri occupati, ubi ad aliquam terræ altitudinem humus egesta, animadversum ibi tum monumentum ex candida creta, & titulus marmoreus, supernè impositus, divóque CELSO inscriptus. Quod posteaquam cæteri, qui astabant, accepissent, monuerunt, uti sisteret fossor, neve, ut cœperat, monumentum perfringeret. Quorum, cùm rudis utique, atque agrestis homo parùm dicta moratur, commisit, ut imminutâ prisci tumuli fronte, à peritis etiam vix erueretur inscriptio. Cujus rei fama, ut lætis festinantium nunciis ad Egbertum perlata, è vestigio ipse, honesto cleri comitatu, ad D. Eucharii ædem properat; remque coram intuitus, incredibili quodam est spectaculi tam venerabilis, atque inopinati voluptate perfusus. Titulus verò monumenti, quem exscribi ipse, atque in Episcopio asservari deinceps jussit, is erat:

Titulus sepulchri asservatus in Episcopio

SOLLICITUS QUICUNQUE CUPIS COGNOSCERE TUMBAM,
PRÆCLARUS JACET HIC NOMINE VEL MERITIS,
CELSUS: QUEM DOMINUS VERO INSIGNIVIT HONORE,
NON SEGNIS PATRIÆ, SEMPER UBIQUE VIGENS.
QUI GENUS ATQUE ORTUM CLARO DE STEMMATE TRAXIT,
AFFECTUQUE PIO * EST CONDITUS HOC TUMULO.

** Conditur.*

DEPOSITUS PRIDIE NONARUM JANUARIARUM.

Lecto hoc titulo, atque Episcopii æditimo reponendi curâ exemplò demandatâ, nihil ante Egbertus sibi de sacro pignore statuendum putavit, quàm rem totam cum Episcopis suffraganeis communicâsset; quare in præsens obsignari sepulchrum, atque custodiri diligenter à cœnobitis jusso, quid reliquiis sacris, aliorum auditis sententiis faciundum, exspectat.

XXXIV. Synodus Ingelheimensis.

Accidit interea ut Synodus Episcoporum Germaniæ Ingelheimium imperiali edicto, coiret; à qua vacationem habere cùm Archiepiscopus nullo pacto posset, privatum suum studium publico libenter postposuit, intermissáque tantisper condendarum reliquiarum curâ, in quam intentior animo propendebat, dictâ die ad Synodum accessit. Porrò in hoc conventu, pro honore ac dignitate à decessore suo nuper Ecclesiæ Trevericæ parta, in amplissimo Præsulum consessu, primas Egbertum tenuisse, Theodorico autore, constantiùs affirmem. Compositis verò in eo Antistitum congressu, & ad Ecclesiæ utilitatem ordinatis rebus, ut sibi dicendi locum tempusque oportunum relictum vidit Egbertus, prolato sepulchri titulo, de recenti B. Celsi inventione verba ad Imperatorem, Episcopos, Abbates, Clerumque præsentem facere, quâ par,

Egberti sessio. *Orat. de inventione S. Celsi.*

Digitized by Google

ſermonis gravitate, cœpit; ac demum bonis lateribus magnâ plenâque voce, titulum ibi, coram omni multitudine, pronunciavit. Itaque tam ſecundis auribus Patrum auditus eſt, ut omnium mox ingens exiſteret lætitia, alacritâsque Egberto gratulantium, ac Dei præpotentis novum munus lacrymis miſtâ prece, nec non diverſo laudum genere proſequentium.

B. Celſi corpus veteri ac laudatâ cæremoniâ levatur.

Supplicis cleri pompâ cohoneſtatur.

Inde imperato ante tempus commeatu, Egbertus, quamprimùm reverſus Trevirim eſt, Abbatibus & univerſo clero in unum venire juſſis, ad eos de Synodo Ingelheimenſi, & B. Celſi cineribus condendis honorandisque retulit; iis vero omnia Synodi decreta ingenti animorum conſenſione approbantibus, religioſam, quam decreverat ſupplicationem in B. Eucharii ædem deduxit. In hac proceſsêre ſolenni per urbem pompa, ad B. Eucharii veneranda cænobitarum agmina cum collegiis ſacerdotum, pars amictu puro, & graviſſimâ cæremoniâ cum crucibus, & æmulis diei cereis incedentes, libros gemmatos, thuribula; pars thenſis ſublimes, aurea, argenteáque ſanctarum reliquiarum conditoria feſto cultu præferebant; ſacrósque hymnos Deo concinebant, promiſcuâ populorum turba, eorum veſtigia legente.

XXXV.

Ubi verò ad locum deventum eſt, unde ſacer nempe theſaurus erat levandus, unàque promendus in lucem, Egbertus tacitâ quâdam religione perfuſus, ut erat amictu ſacerdotali, venerabundus acceſſit; ac, dum divina carmina perſonant, ipſe proſtratus humi, orationi inſiſtere privatim; quâ expletâ, ſignum, quo ſepulchrum munierat, reſignare, ac demum lapidem tolli à ſarcophago, jubere. Quod cùm fit, ex occulto mox tam divinus atque immortalis odor cunctos ibi præſentes afflare, ut jam non hâc vitali aurâ, ſed aliâ cœleſti quâdam omnes ſe compleri atque perfundi, adeoque repentè collocari ſe in amœniſſimo Paradiſi ſolo putarent.

Odor cæleſtis ex corpore S. Celſi diffuſus.

Inde Archiepiſcopus lacrymarum, quas religio provocabat, & cœleſtis cujuſdam gaudii plenus, ubi ſublatos honorificè cineres collegit, & pannis involutos pretioſis venerationi aptavit, antiphonam Eccleſiæ notam: EXULTABUNT SANCTI IN GLORIA, hilari ac modulatâ voce, concinente clero, decantavit. Quam cantilenam effuſa ad ſpectaculum tam inſigne, multitudo mox referens, iteratis ſæpe vocibus, Kyrie eleiſon, ingeminabat, eorúmque vociferam alacritatem valles, & vicini circum colles excipiebant. Sed his omnibus ritè perfectis commiſſa loculo Divi oſſa, atque virorum religione præſtantium humeris, ut in ædem D. Eucharii inferrent, impoſita. Tum, ubi ad templi veſtibulum pompa proceſſit, protinus æreâ campana vi ſummâ atque citatâ pulſari; ipſoque Archiepiſcopo voce præeunte, hymnus Ambroſianus, ſolennis argumentum lætitiæ comiter exaudiri. Atque ita omnium pectoribus ad religionem atque ſobriam hilaritatem accenſis, ſacrum D. Celſi pignus in ara B. Eucharii tum repoſitum eſt.

Hinc Antiſtes ornatu ſacrificandis ſeſe induens, cinctus miniſtrantium turbâ, ad aram prodit, lectoque de more ſacroſancto Chriſti Evangelio, frequenti concione, beati Celſi honorem atque patrocinia populo commendat; utque ejus in poſterum VII. Kal. Martii anniverſaria colerent, edicit. Poſt hæc ad ſacrificii curam converſo ſubiit, teſtificandæ fidei, tanta fiducia Numinis erat, periclitari meritum Confeſſoris, ac beati Celſi virtutem ſub omnium oculis experiri. Sumpto igitur tenui in manus velo, articulum ex digito beati Celſi involvit, jactatque in vivas, ex compoſito, illatas eò prunas. Quid etiam exſpectas? Miſſæ peracto Canone, illæſo certè, atque innoxio velo omnium ingenti cum ſtupore reliquias, domitâ flammâ, Præſul extraxit. Quâ re tam Egberti eximia ſanctitas, quàm præſens B. Celſi reliquiis numen, univerſæ multitudini vehementer probata; ſacrumque D. pignus in ara reverenter habitum, donec novi templi opus inchoatum, ſurgeret ad culmen. Atque hæc omnia de B. Celſi inventione, hoc eodem anno, aut certè ſub hoc tempus geſta, priuſquam Otto in Italiam proficiſceretur, ſatis certâ ratione ex Theodorico tradiderim; quæ certè majorum noſtrorum, ut teſtantur inſignem adverſus ſanctorum hominum reliquias pietatem, ſic in earundem rerum ſtudio, vitio temporum nos elangueſcere, graviter ſanè coarguunt.

Egbertus Archiepiſcopus probat multitudini B. Celſi merita miraculo interpoſito.

XXXVI. Wolfflaici reliquias Egbertus miraculo transfert. Ivodium S. Wolfflaico clarum.

Pari etiã veneratione Egbertus, ſacra Divi Wolfflaici Diaconi oſſa Ivodium ex monte vicino tranſtulit, ubi præcipuam omnibus venerationem auxit, quòd madeſcente circum ſolo largiſſimus imber effuſus, à ſanctis tamen reliquiis, quamvis in aperto, ſic abſtinuit, ut ne gutta quidem in Divi feretrum decideret.

ANNUS CHR. 980. S. Petri baculus. Honor Auguſtodun. Sur. de Apoſt. in Petro & Paul. Petrus Cluniac. Otho Friſing. [illegible] lib. 2. de myſter. Miſſa c. 42. * Warino.

Secutus inde annus humanæ ſalutis DCCCLXXX. quo inſigni rurſus ornamento, Eccleſiam Trevirenſem Egbertus affecit; namque Baculum S. Petri, quo B. Maternus ad vitam mirabiliter revocatus Meti pridem à Brunone Magni Othonis fratre Coloniam, religionis ergo, traductum, à * Werino Agrippinenſi præſule impetravit: cujus certè rei hiſtoriam nuſquam veriùs, quàm è vetuſtiſſima thecæ inſcriptione eruas, qua baculus incluſus hodiéque præcipuâ religione, Treviris aſſervatur. Theca hæc Cylindri inſtar rotunda, cruſtis ſive bracteis integitur argenteis affabrè inauratis, variisque parergis & gemmis inſertis exornatur. Ut ab hoc bractearum ductu in mentem venerit, Harigerum Lobienſem Abbatem qui hoc tempore vixit, Baculum hunc forſitan appellaſſe Petalium. Manubrio ſive apici, qui orbiculatus inſtar pomi ex reliquâ parte prominet, inſculptæ duodecim in orbem Chriſti Apoſtolorum icunculæ. Hinc quatuor retinacula per thecæ longitudinem ſeſe porrigunt, morſuque laminas ita ſtringunt, ut iis tanquam fibulis theca committi videatur. Retinaculis immiſſa talis admodum epigraphe.

Lib. de geſt. Leodienſ. Epiſc. cap. 6.

BACVLVM B. PETRI QVONDAM PRO RESVSCITATIONE MATERNI, AB IPSO TRANS-

MISSUM

Digitized by Google

MISSVM, ET A S. EVCHARIO HVC DELATVM DIV HÆC ECCLESIA TENVIT. POSTEA HVNNORVM, VT FERTVR, TEMPORIBVS, METIM CVM RELIQVIS HVIVS ECCLESIÆ THESAVRIS DEPORTATVS, IBI VSQVE AD TEMPORA OTHONIS PIISSIMI IMPERATORIS SENIORIS PERMANSIT. INDE A FRATRE EIVS BRVNONE ARCHIEPISCOPO EXPETITVS, COLONIAM EST TRANSLATVS. IVNIORIS AVTEM OTHONIS IMPERATORIS TEMPORE, PETENTE EGBERTO TREVIRORVM ARCHIEPISCOPO, ET ANNVENTE VENERABILI WERINO, COLONIÆ ARCHIEPISCOPO, NE ET HÆC ECCLESIA TANTO THESAVRO FRAVDARETVR, IN DVAS EST PARTES TRANSSECTVS. VNA, SVPERIOR VIDELICET, HVIC ECCLESIÆ REDDITA, ET À DOMINO EPISCOPO IN HAC THECA RECONDITA, RELIQVÂ CVM APICE EBVRNEO IBIDEM RETENTA. ANNO DOM. INC. DCCCCLXXX. IND. VIII.

Hi autem versiculi aureis duobus orbiculis inscripti.

Quisquis ab Ecclesia baculũ hũc detraxerit ista,
Haud si præstiterit, sit perpetuo hic anathema.

XXXVII.

Innocent. 3. decretal. lib. 1. tit. 15. de sacra unctione & de myster. missæ ut sup.

** Innocent. IV. in decretal. dictam ubi vulgò, pro Materno,* Martiale, quem non in Germaniam, sed in Galliam constat missum. Sed & in baculo Materni consentiunt. Honor. Claniac. &c.*

Pontifex Rom. utitur Treviris tantum baculo pastorali.

Petrus de Palude in 4. sentent. distinct. 24. q. 5. art. 2. de vestib. ministrorum. Rotger in vit. S. Brunonis, quocum vixit.

B. Clemens an baculum S. Petri in Galliam intulerit.

Porrò Innocentii Pontificis iudicio satis manifestum, Romanæ sedis Episcopum, quod olim observavimus, lituo non uti seu baculo pastorali, eâ præcipuè causâ, quod, ut Innocentius alter interpretatur, Apostolorum princeps in Germaniam suscitando * Materno, suum misisset; satisque constaret, Ecclesiæ Trevericæ moribus hærere proprium, ut si Treviros fortè Pontifex Romanus accessisset, hic neque terrarum alibi, cum baculo procederet; memori ceremoniâ rei gestæ, & B. Petri principis Episcoporum probabili veneratione.

Neque id interim præteriisse me quisquam putet, Sigebertum errore lapsum, tradere, baculum hunc à Brunone cum multis aliis Sanctorum reliquiis, Româ translatum in Germaniam, quando nobiscum faciens, disertis verbis Rotgerus: Baculum, inquit, & catenam S. Petri, quâ diligentiâ, (Bruno) quo fervore, quo gaudio Coloniam, alterum Meti, alteram Româ adduxerit, omnes norunt: atque ita cum Othone Frisingensi Episcopo illi convenit. At quod cautionem habet necessariam, quo tempore, apud Mediomatrices depositum hoc, incertum quo jure, delituit, corruptâ jam tum illic, & abolitâ, tantis cladibus ipsius rei gestæ memoriâ, sic sentiebant posteri; ceu baculum eum B. Clemens Metensium primus Episcopus in Belgicam pertulisset. Cujus sententiæ ut olim memini, Synodus fuit antiqua, Metis, si probè judico, Adventio sedente, contra sacrilegorum audaciam & insolentiam coacta. Hujus decreta, quæ in Treverici primarii templi membranis custodiuntur, ejusmodi verbis Episcopi stabiliunt: *Hæc ergo statuta, Dei omnipotentis spiritu promulgata, unusquisque nostrum propriâ manu roboravit, & cum baculo S. Petri, quem à Romana sede per manum B. Clementis Metensis Ecclesiæ primi Episcopi in Gallias direxit, cum quo & B. Maternus à mortuis suscitatus extitit, qui postmodum Trevirensis Ecclesiæ sanctissimus Pontifex fuit: imò per clavẽ, à S.* Flodulpho Episcopo, beato Trudoni traditam, solidiùs ea confirmamus.* Visitur, & in æde summa, pretiosum Egberti monumentum; capsa nimirum eburnea, artificis doctâ manu, opere eleganti elaborata; aræque subductilis olim loco fuisse, haud levis sanè ex inscriptione conjectura, quæ sic habet:

*Clodulpho. S. Clodulphi aut Flodulphi clavis.

Altare portatile in quo

HOC SACRUM RELIQUIARUM RECONDITORIUM EGBERTUS ARCHIEPISCOPUS FIERI JUSSIT, ET IN EO PIGNORA SANCTA SERVARI CONSTITUIT: CLAVUM VIDELICET DOMINI, DENTEM S. PETRI, DE BARBA IPSIUS ET DE CATENA, SANDALIUM S. ANDREÆ APOSTOLI, ALIASQUE SANCTORUM RELIQUIAS. QUÆ SI QUIS AB HAC ECCLESIA ABSTULERIT, ANATHEMA SIT.

Clavus Domini. Dens S. Petri, aliæque reliquiæ.

In capsæ verò tegumento.

HOC ALTARE CONSECRATUM EST IN HONOREM S. ANDREÆ APOSTOLI. Hæc privatim Egbertus.

XXXVIII.

Et pretium unde majus æstimes hujus ætatis erga reliquias Divorum, jam vide etiam Theodorici Metensis Episcopi munere, è Mediomatricum sacrariis, in interiorem usque Saxoniam eas exportari. qua de re vetus Chronographus

MS. Chron. Franco-Sax. Reliquiæ S. Stephani Meti Halberstadium translatæ.

nographus Saxo: *Hildevvardus venerabilis Halberstadensis Ecclesiæ Antistes, sanguinem S. Stephani Protomartyris, cum articulis duobus, donante Theodorico Metensi Episcopo, Halverstadensem transtulit ad Ecclesiam; ubi cùm maximo honore, & gloriâ, à clero simul & populo suscipitur; & sanctitas ejus, signis evidentibus, divinitùs declaratur. Facta autem est hæc translatio VII. Idus Maii, suæ verò ordinationis anno XII. Primum ordinationis retulit ad annum Christi 968. quo in Bernardi locum Hildevvardus a clero simul & omni populo electus, pastorali culmine subrogatur. Vir summæ, inquit, castitatis, & ultra humanum modum humilitatis ac patientiæ virtute laudabilis.*

Sigebertus Schaffnaburg. & alii. Comitatus Luthardi obvenit Eccles. Trev.

Sub exitum æstatis, Otto Cæsar, validâ copiarum manu armatus, ad res Italiæ inspiciendas componendasque Alpes trajicit, genitale solum regnumque, non amplius visurus.

XXXIX. ANNUS CHR. 981. Egbertus D. Paulini monasterium à clericis habitatum opibus auget.

Egbertus autem Archiepiscopus integro, ex asse Comitatu potitus, morte Luthardi clientis, qui nullo relicto hærede decesserat, ipsa die S. Paulini, ædem atque monasterium ei Divo consecratum, quod inops & vectigalium & censuum esset, ditibus agris atque fundis levavit, addito privilegio, quod hic, licet verborum asperitate horridum, verbatim tamen subjicere placuit:

Friderici Præpositi MS. commentar. de religione Eccles. S. Paulini cap. 21. Trevir. Eccles. sub Egberto status.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Noverit omnium Christi fidelium, tam præsentium, quàm futurorum industria, quod ego Egbertus divinâ favente clementiâ, Trevericæ sedis Archiepiscopus, videns Monasteria & Ecclesias nostræ diœcesios omnibus Ecclesiasticis usibus à diebus antecessorū nostrorum, usq; ad tempora nostra miserabiliter desolatas, atque in id redactas; ut vix esset spes eas reparandi, deliberavi, ut si non omnibus possem, saltem aliquibus pro virili parte mea succurrerem, satius ducens quasdam ex illis, meis diebus restaurare, quàm omnes neglectas relinquere. Quod nunquam convenientius aut stabilius fore credidi quàm si unicuiq; loco propriam terram, ut antiquitùs statutum & concessum est, determinarem atq; solidarem, cumq; in hoc minimè prævalerem, nec desiderii mei compos in hac re effici possem, præsertim cùm ipsius Episcopii maxima pars militibus in beneficium distributa, ita ut nulli locorum propriâ hæreditate prodesse possem, illud incidit consilii, quatenus ex aliorum terra locorum sumerem, unde ad manum meam aliquid tenui quo alia reædificarem, unde nihil habui. Quod factum stabile & firmum esse volui, eâ conditione, ut nihil ex his, quæ taliter Ecclesiis contuleram, vel à me vel à quovis successorum meorum divelleretur: nisi, aut melius, aut æquè bonum vice ejus restituatur. Hoc etiam pacto, quicquid Luthuinus Dux in monachum conversus, & postea hujus sedis sacer Archiepiscopus, in Brambach & in Byrckenfeldt, in Ecclesiis, aut in omnibus appendiciis aliis, ad habendum fratribus Deo & S. Paulino servientibus contulit; & quicquid Dagobertus orthodoxus Rex Francorum, scilicet Billike cum Sulmana, Rula, & Nieufela, cum Ecclesiis, ac cum omnibus ritè ad eadem loca pertinentibus de suo hæreditario jure, eidem beatissimo Confessori contradidit; &, quæcunq; Ludovicus pius Imperator, videlicet Massolter cum Ecclesiâ ibidem sitâ, & cum appendiciis, de suâ

Feudorum frequentatio.

Collegii Paulimani benefactores.

Luitwinus ex Duce monachus, ex monacho Archiepiscopus Trevirorum.

Dagoberti dona.

Luduicus pius. Hetti Archiepiscopus.

proprietate, præfato Sancto, firmâ donatione, concessit. Et quicquid Hetti Archipræsul prædecessor noster in loco Waderola dicto, & Reimonis campo, de suo Indominicato subtrahendo, supradictis fratribus dedit. Et quæcunque loca S. Paulino injustè priùs ablata serenissimus Rex Henricus justè reddidit: Viden scilicet cum Ecclesia; Roscheidt cum Ecclesia; Waltrach cum Ecclesia; Waderola cum Ecclesia, & cum appendiciis suis. In Castenich quoque* Picturas quatuor. In Bubraco picturas tres cum omnibus ad easdem ritè pertinentibus. Quicquid etiam Ratbodus Archiepiscopus antecessor noster, Capellam scilicet in loco Wilre dicto, cum ipsa villa, & cum omnibus additamentis: & omnem* Indominicam quoque decimationem in villa Noviant; similiter in Gaurici campo Ecclesiam, & Mansos, cum omni integritate, de sua proprietate S. Paulino conscripsit. Quia omnia supradicta prædia, partim in beneficium militibus distributa, partim ad usus nostros, ad mensas, & ad servitium constituta, monasterio, unde ablata fuerant, restituere non potui, alias possessiones ad usus & ad servitium nostrum pertinentes, eidem loco pro restauratione concessi. Itaque de beneficio Luthardi Comitis, qui mihi, ipso mortuo sine hærede aliquo, ad proprios usus contigit, quicquid in villa Kerne & in Syrtzenich, Lorich, Hederischrode, atque Cervia, & Grimelrode habui, fratribus Deo & S. Paulino famulantibus, donavi; taliq; conditione tradidi, ut neque Advocatus aliquis, neque laicalis aliqua vel mundana potestas, & super his quæ in valle Treverica, vel ubicumque sint * ista ad usus fratrum pertinentia, habeat potestatem aliquam regendi, defendendi, judicandi; nisi ipsius loci Præpositus, dum debita fratribus administrat stipendia; & ego & posteri mei Archiepiscopi, cum stola sua, si opus fuerit, adversus potentes & rebelles personas. Et, quia earundem possessionum summa à nobis restituta, vix ad decimam partem pervenit bonorum, quæ fuerant ablata; ne propter rei familiaris inopiam monasteriale dilaberetur ædificium, communi consilio fidelium nostrorum clericorum & laicorum, mihi atque successoribus meis id deinceps constitui, atque banno meo confirmavi agendum, ut eidem curâ eademq; diligentiâ & solicitudine, quâ domum B. Petri ædificant, & huic monasterio trabes, laquearia, fenestras ponant: Casulis, Dalmaticis, Cappis vetustate consumptis, meliores* sufficiant, Præposito ipsius monasterii cætera in ædificiis procurante; custode verò lineas vestes in Ecclesia utendas reparante. Hanc traditionem feci, & scripto confirmavi, ipso festo die S. Paulini, ad altare ipsius Sancti. In celebratione verò missarum ejusdem solennitatis, post consecrationem Eucharistiæ, coram multis astantibus, Corpus Dominicum accepi in manum, denuncians anathema omnibus iis, qui aut suâ voluntate, aut aliorum instinctu ex eodem monasterio, quicquid illi ante, vel tunc, vel postea datum, aut constitutum esset, auferre fuissent ausi, precatus adhæc, ut Dominici Corporis sacramentum in perniciem iis damnationemq; cederet; ni aut melioribus, vel paribus certè beneficiis, ablata compensâssent. Hanc Chartam ego Egbertus Archiepiscopus, ipsâ die sollennitatis conscriptam, adstante clero & populo, recitari jussi, & signi nostri*

* Indominicatus, fundorum possessio Domino incorporata *seu Herrschafts appendix* Mansus indominicatus. Hordeum indominicatum.

Henricus Rex 1.

* *Pedaturas Antiquæ.* Pedatura certus modus vincti a pedamentis. *Et Fan pedata linea vulg. Tritteren.*

Ratbodus Archiepiscopus.

* Indominicatam.

Hæ villæ hodieque in Præpositurae fundis, jure summo penes Archiepiscopum manente.

* *Sca.* Jurisdictio Archiepiscopi in Trevirensi territorio.

Præpositi munus in œconomia. *vide Metropolis.*

Fabrica sancti Paulini.

Vestis sacra.

* *Restaurent.*

Ritus coërcendi patrimonii Ecclesiæ invasores.

impressione

impressione, atque propriæ manus subscriptione firmavi. Acta feliciter sunt hæc Treviris, anno Dom. Incarnationis DCCCCLXXXI. Indictione VIII. Regnante Ottone II. Roman. Imper. Augusto. Signum benignissimi Egberti Trevirorum Archiepiscopi, Primatis & Cancellarii.



Signum Luzonis Præpositi ejusdem loci. S. Ansgeri Præpositi. S. Adalmari Præpositi. S. Ebrenberti Decani. S. Roberti Archidiaconi. S. Hermanni Chorepiscopi. S. Gerardi Chorepiscopi. S. Alsadi Presbyteri. S. Adelberti Presbyteri. S. Udalrici Presbyteri. S. Martini Diaconi. S. Roberti Subdiaconi.

Signum Theodorici Comitis. S. Christiani Comitis cognomento Vesani. S. Regeneri rerum S. Mariæ Advocati. S. Siffridi Comitis, & rerum S. Maximini Advocati. S. Udonis, S. Dietfridi. S. Luzonis. S. Epponis. S. Ebervvini. S. Burgizonis. S. Alaframmi. S. Adelberti. S. Megingaudi.

XL. Egberti Archiepiscopi fulmen cōtra raptores bonorum Ecclesiæ.

Eodem igitur die Pontifex, ut ipsum innuit diploma, in Pauliniana Basilica, inter mysteria sacrorum, corpore Domini in manus sumpto, gravissimâ cæremoniâ meditatum super astantem multitudinem, anathematis carmen effudit, omnesque Ecclesiarum vastatores, vi doloque in sacrum peculium grassantes, piorum è cætu motos, pronunciavit. Ubi verò inposterum, ne diræ quidem detestationis metu sacrilegos coërceri, aut comprimi posse animadvertit, scribi militem, atque occupatas direptasque nobilium fraude possessiones, si reddere aliter nollent, vi de manibus eorum extorqueri, jussit.

ANNUS Chr. 982. *M S. gesta, & M S. Theodoricus monachus S. Maxim.* Siffridus vel Sigefridus Comes rerum S. Maximini advocatus.

Non hic Sigefridi Comitis nomen, qui, ut ex subscriptione colligitur, sub Egberto incertum tamen, quibus ex fontibus ad hominum famam profluxit, patior latere. Agnoscunt nonnulli hujus temporis Sigefridum Palatinum Comitem, sed recentiores; eundemque S. Kunigundis faciunt parentem. Ego hunc Trevericum censuerim, Lutzilinburgici dominatus & stirpis autorem, & fortè Godefridi Arduennatis patruum, qui S. Maximini tunc præpotentis Abbatiæ, & armatis imperii obsequiis devinctæ militiam, tutelamque Advocati & Comitis honore tituloque, non expers sanguinis aviti, gesserit. Et prorsus eum ipsum esse crediderim, cujus nuper in novæ Basilicæ solo inter rudera sarcophagus inventus cadaveris prolixè barbati egregiâ specie visendus, tumuloque incisi versus eruti, qui tenebricosi diu latuerant.

Sigefridi Comitis inventio & Epitaphium.

Ob culmen generis quondam non infimus orbis,
Coeno sordidior nunc malefacta queror.
Nempe sub istius lapidis fundamine trusus,
Perpetior casum omnibus ingenitum.
Ergo rogo similem passuros conditionem.
Corde, gemendo, Deum sollicitare pium.
Ut mihi parcendo veniam tribuat Sigifrido,
Pacis Jerusalem transferat ad requiem.

XLI. Sigefridus Lutzilinburgius sibi legit Sepulturam in S. Maximini.

Minus hîc me falli arbitratus sum, cùm Sancti Maximiniani Monasterii donativa monumenta & privilegia accuratiùs inspexi. Reperiebam enim ibi Sigefridi Comitis donationem & Hederoigis conjugis, quâ remedio sui & superstitum liberorum S. Maximino primo Mansum ex villa Marsch in Comitatu Ardennensi, qui tunc regimini ipsorum filii Henrici Comitis subjacebat, elargiuntur, ad altare S. Clementis, ut aiunt; ubi corpora nostra diem extremi examinis exspectabunt, Deo propitio. Hinc & alias possessiones donant, cum prædio, cujus sibi fructum in vita reservant, ad anniversarium obitûs. Quæ ita Treviris apud S. Maximini, adstante Volcmaro Abbate gesta, anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXCIII. Indict. VI. dante Comite Sigefrido fidejussores, quos Saleburgiones vocabant.

Anniversarium condit.

Gifelbertus I. Luziliburgi vel vicini tractusComes.

Porrò, qui stirpem Lutziliburgicam ad Gisilbertum primum revocant, vestigio non fluxo insistere videntur, cùm in vetustis S. Maximini monumentis extent permutationis tabulæ ab anno DCCCCXXVI. quibus Gisilbertus illustrissimus Comes roborandæ fidei signum impressit, Advocato tamen S. Maximini tunc Wolmaro, cui Henricus Auceps Wormatiæ in publico * Mallo, ut diploma loquitur, magistratum Advocationis mandârat. Nec rejecerim, ut fide indignos, qui stirpem hanc Arduennatum agnatione & gente teneri, probabiliter, efficiunt: tum ex * insignibus, quæ eadem sumpserunt, tum ex magistratu Henrici Sigefridi filii, qui expers prolis Ardennensem Comitatum administravit, tametsi Mosellanorum Ducum gentem, quæ temporario Cæsarum beneficio nullâ certâ quidem stirpe constricta fuit, sed complures fortium est & illustrium hominum familias pervagata, contigisse, doceri nequeat.

Lutzilebburgicæ gentis origo

* Comitia.

Insignia. * In aureo clypeo purpurei coloris leo, tæniis cæruleis 5. transversis intertinctus.

XLII. ANNUS. Chr. 983. Adelbertus Magdeburgensis Archiepiscopus, idemque Rugorum, hoc anno moritur.

Vide quid differentes Annal. Ecclesiast. ad an. 971. & 983. Chron. l. 2. M S. Franco-furtensis. VIII. diserte exprimit.

Insequens annus Adelbertum Magdeburgensem Archiepiscopum primum, cui & Russiæ conversio, sed irrito successu olim credita, è vivorum numero abstulit, immortali vitâ palmaque donatum. Fuit is capti pontificatus tertius decimus, haud probè à Lamberto superioris anni calculo signatus. Mortis casus, & justa funeris Ditmarum legenti, ut ex facili suppetant, æquum tamen veteris Chronographi oratione, propè gemellâ, Præsulis amplissimi excessum, commemorare: *Adelbertus primus Magdeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus XIII. pontificatûs sui anno, consummatus*

quoque' Ditmarus.

*in bonis, cùm ex more partes diœcesis suæ ac Gisilharii, qui interim in servitio Imperatoris apud Italiam morabatur, suos docendo, & confirmando, circuiret; veniensq. Merseburch, XIII. Kalend. Iunii missam celebrâsset, proximâ nocte, in loco, nomine * Cruvvati pernoctans, alterâ luce exsurgens, conquestus est, se vehementer capitis dolore detineri. Nec tamen, ob hoc cœptum iter omittens; * Frekenlove cum suis cœpit proficisci. Cumq. Crumini villam præterijsset, languore subito prævalente, quasi casurus paulatim de equo, nutando cœpit declinare. Mox ergò à suis sustentatus, & ibidem tapeti superpositus: atque his, quæ à clericis dicenda erant, cùm festinatione completis omnibus, suavi obitu*

Dum Diœcesin suam & Merseburgensem lustrat.

* Corbetti in Ditmaro edito.
* Frankenlove Ditmaro.

Adelbertus immoritur pastorali curæ.

Ritè supernorum factus consors monachorum,
Ut nova stella chorum conregnans fulcit eorum;

juxta illud: Qui ad justitiam erudiunt multos, tanquam stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Migravit ad Christum XII. Kalen. Iunii. Corpus verò ad Givekenstein castrum delatum, ibiq. pontificalibus indumentis velatum, navigio Magdeburgum est usque transvectum. Ubi à clero & populo, & præcipuè à monachis flebiliter susceptum, coram altari sanctæ Crucis, sanctorumq. Apostolorum Philippi & Iacobi, in medio majoris Ecclesiæ, à venerabili Hildevvardo Halverstadensis Ecclesiæ Episcopo, & Herdingo primo S. Ioannis Baptistæ Abbate, condigno cum honore est tumulatum, taliq. sepulchrum Epitaphio decoratum:

Sepelitur Magdeburgi.

Adelberti Epitaphiū.

Præsul Adelbertus omni virtute refertus,
Membra solo clausus, lætos agit æthere plausus:
Clerus eum plangit; necnon populum dolor angit;
Ipsius hoc pietas meruit, fleat omnis ut ætas.

Vigilantia.

Mirè vigilantè in cleri monasticæque legibus astringendis, salute tuendâ suorum, scientémque futurorum cum Ditmaro prisci memorant. prædixisse, quod evênit, Othricum & Hiconem sedis & successionis appetentes, illum quoque compotem, neutrum sibi successurum, irritâ prensatione. Unde & Giselharius Cappellæ quondam magnæ Ottonis præfectus, & inde Merseburgi Episcopus, virtute & sapientiâ longè quidem impar, incomparabili viro, quem Treviris eduxerat, improbè successit.

Prophetia Otericus & Ico Ditmaro ambitiosi. Successor ejus Giselharius.

XLIII.

Otto Imperator medio tempore Calabriam miseratus, quam sciens erat à Saracenis juxta Græcisque atrociter infestari, quicquid bellicæ virtutis fidum ac strenuum ex Saxonia secum habuit, quodque in supplementum Boiarii, & fortes in armis Alemanni dabant, in hostem eduxit. Græcorum socii Saraceni, etsi acceptâ clade, primo impetu repulsi, mutuâ tamen Græcorum ope viribus redintegratis, ausi irruptionem ac prælium in Ottonem, & prælio commisso, vi vincunt. Magna cædes, ingens sinistræ pugnæ luctus. Proceres, Episcopi, sacerdotes, nullo discrimine, veteranum robur Germaniæ, propè internecione deletum. Clades hæc nomini Latino illata III. Idus Julii. Ipse Cæsar ex acie fugitivus, quod à tellure non sperabat, à maris elemento beneficium accepit. Namque vix alienâ bireme exceptus, tectúsque, tandem operâ Theodorici Metensis Episcopi incolumis egit. Agebat is, cùm hæc pugna pugnata, cum Theophania Augusta Rossani securior, ex-

Calabrica clades ab Ottone & Germanica natione accepta
Ditm. chro. 3. & Sigeb. in chron.

Ottonis Cæsaris fuga & incolumitas.

persque belli. At certus discriminis, in quo Cæsar jam agnitus versabatur, navigium ingressus, detinet alloquio vectores, spátiumque dat, quo se fluctibus Otto committat, & ad salutem, natatu contendat. Salutis longè dispersa fama, datum allevandis vehementer hoc casu afflictis, Germaniæ procerum animis, ut in Comitia Veronam iretur. quo & evocati Saxoniæ, Lotharingiæ, Bavariæ, Italiæ plerique Principes, & Henricus minor Bavariæ Dux, ab exsilio tunc revocatus, pristinæ ibi dignitati restitutus est. Inde Romam Imperator abiit.

Veronæ conventus.

XLIV.

Giselharius fraude pecuniaque Magdeb. fit Archiepiscopus. Theodorici Metensis Episcopi nævus.
Gebert Epist. 4.

Giselharius interea ambitu pecuniáque grassatus, ad cathedram Magdeburgensem, bis eum honorem venalem invênit; primùm Romæ; inde apud Theodoricum Metensem Episcopum; cui, quam palatinos honores impensiùs affectanti labem denique nônulli affuderint, Ditmarus ore libero recitat: *Gisilerus, acceptâ ab Imperatore licentiâ, Magdeburg. II. Kalend. Decembris Tiedrico Metensis Ecclesiæ Episcopo comitante, venit. Fuit hic amicus Cæsaris, & valde ei charus (immò tutor & moderator juventæ Ottonis III.) unusq. ex numero corruptorum, qui mille talenta auri atque argenti pro veritatis obumbratione, ab Archiepiscopo percepit. Cui quidam, cùm ab eodem jussu Imperatoris, ad matutinam jocalariter benediceretur: Satiet te, inquit, Dominus in futuro, quem hic omnes non possumus auro.* Quæ vox, si quàm falsè à Ditmaro in literas missa, tam verè pronunciata fuit ab autore, avaritiæ, dedecus ingens sanè in Episcopo prodit. Atque hucusque res Magdeburgensis Ecclesiæ memoriâ dignas affinitatis jure, bonâ possessorum pace, occupatum ivimus.

XLV.

Supplicationum anniversariarum apud Treviros origo.

Bannum mulctæ genus, & pœna & Bannitæ.
Petr. Pithæus advers. lib. 2. c. 20.

Hoc etiam anno siccitate in Treviris & finitimis circumquaque regionibus plurimum laboratum. Id malum Egbertus jejunio, quod hodiéque bannitum, seu à rei seu spatii sanctione vel pœnali indictione appellant, expiari, pacémque Dei ambarvali supplicatione exposci, tertiâ à Paschalibus hebdomade, semper deinceps, prælatis crucibus atque reliquiarum ferculis voluit. Huic autem rogationi baculus S. Petri, quod reliquis omnibus fermè solenne à summi Collegii quopiam Canonico præfertur; qui mos ad hæc ipsa tempora facilè revocari queat. Quin & Egbertum autorem earum supplicationum comperio, quas è circumjacentibus undique pagis confluens agrestium cœtus, suo quisque die, velut in agmen coactus, Curione præeunte, cum cantu & crucibus religiosè in urbem instituit, obitisque præcipuis Divorum templis, ritè peragit.

MS. S. Paulini de inventione Thebæorum & Trevir. martyr.

Eodem circiter tempore, Wilgfridus præclarus meritorum famæque Virdunensium Antistes florebat. Is beati Saturnini Ecclesiam S. Pauli Præsulis conditorio nobilem, Benedictinis, cum divite vectigalium censu, ante decennium propè dederat inhabitandam. Et quia S. Pauli Episcopi corpus oleo distillante venerandum, cujus olei cœlesti liquore iteratis signis plurimus ibi morbus consanabatur, Wilgfrido curæ fuit, Sancti pignus argenteo impositum feretro, condere honorificentiùs, arámque ipsius & cognominis Apostoli cultui positam habere ac dicatam.

Ex MS. Bertharii c. 24. Paulinus, Vitoninus ac Wassemburb. in Virdunens. belg. histor.

Wilgfridus Virdun. Episcopus S. Pauli Ecclesiā instruit & ornat. an. 974. 5 Kal. Sept. Oleo distillat S. Pauli Virdun. corpus.

Posthæc

*XLVI.

Posthæc Wilgfridus, nec compertâ propriè caussâ, à Comite Sigeberto, Ottonianis partibus admodum infesto, vi captus, atque in vincula abductus est. Quam injuriam populus Viridunensis, uti par, graviter ferens, literas ad Pontificem, & Imperatorem tum Romæ agentem, dedit; opem Episcopo suo, atque subsidium afflictis rebus implorans. Æquis civium postulatis Pontifex annuens, diplomate cum mandatis ad eos misso asserendi Wilgfridi negotium Egberto Trevirorum Archiepiscopo mandat; qui gladium Apostolicum à Pontifice sibi porrectum in profanum hominem stringens, tantum ejus pectori religionis metum incussit, ut non liberum, solutumque modò Episcopum è custodia dimitteret, verùm graves etiam eidem functiones piaculi caussâ injunctas, prompto & alacri animo, magno cum sensu doloris, susciperet. At perhibent tamen Viridunensium antiqua monumenta, Comiti violatori non tam Egbertum, quàm ipsum cœleste Numen repugnâsse; nam, ubi & Egberti, & Provincialium cæterorum Antistitum iras sensit, ilicò gravis vi morbi dejectus, vexatusque, æstimavit sceleris magnitudinem. Itaque, & in principe Basilica laminam auream defixit cum corona, quæ Præsuli læso & ornamentum & honorem redhiberet.

Wilgfridus Episcopus Virdunensis ab Egberto liberatur vinculis.

*XLVII.

Ottonis II. mors.

Ditmar Chron. lib. 3. Sigebert. Lambert. Schaffn. Herm. Contractus.

Subinde Otto Imperator Romæ VII. Idus Decembris, ex ægritudine animi collecto morbo, vi febrium confectus, decessit. Veronensi conventu filiolo Ottoni tertio locum succedendi munierat. Quamobrem in magna voluntatum, studiorumque varietate, aliis alio inclinantibus, festinato consilio, Otto puer, ipsâ die Christo Natali, à Joanne Ravennate Pontificis Maximi Legato, & Willigiso Moguntiacensi Archiepiscopo Aquis inunctus est.

ANNUS CHR. 984. OTTO III. REX GERM. ann. 19.

MS. Chron. Francofurt. ac. ...

Inter hæc nuncio de Ottonis morte in Germaniam perlato, majores partium fluctus exorti, Henrico Bavariæ Duce, multorum occupatis studiis ac favore, palam ad regium culmen fastigiumque grassante. Nam factionis suæ globo stipatus, pacis habitu, tutandæque regiæ prolis specie, ut sanguine proximus, Agrippinam ingressus, Regem puerum Warino Coloniensi Archiepiscopo ereptum in potestatem suam redegit. Ac primò quidem, ceu regnandi ambiguus, mox ambitionis facibus perustus, ubi exstimulatores laudatorésque accesserè, & Regem se salutari gavisus est, atque, ut sollenne diadematis & unctionis munus impetraret, ardenter expetiit.

Henricus minor Bavariæ Dux affectat regnum contra Ottonem III.

XLVIII.

Adelbero Remorum Archiepiscopus Egberti amicus.

In Gallia tum non pauci Lothariensi regno finitimi, Ottonibus impensè studebant: ex quibus Adalbero Rhemorum magni nominis Archiepiscopus; cujus tunc lateri hærebat Gerbertus, famâ scientiæ divinarum humanarumque rerum totâ Galliâ longè cantatus. Unde is ad Egbertum nostrum, ex persona Adelberonis hanc dedit Epistolam: *Labefactari Rempublicam vestram quorundam ignaviâ tum perhorrescimus, tum erubescimus; & privilegio amoris nostri circa vos, & communi patriæ cognatione. Paucine creati sunt Reges, qui novum filio domini vestri præponere vultis? Fortè, quia Græcus, ut dicitis, more Græcorum conregnantem, instituere vultis. Quò recessit sanctissima fides? Excideruntne animo beneficia Ottonum vobis conlata? Magnam intelligentiam vestram revocate, generositatem perpendite; ne perpetuo dedecori generi vestro esse velitis. Si vires vos destituere acclamatis, meliora sentientes perquirite, nos fautores, coadjutores in talibus negotiis fore, perpendite. In perturbatione & confusione omnium rerum, quis alterius levabit onus? Postremò, si salvâ dignitate vestri nominis, urbem Trevirorum tutari non valetis, Rhemorum utrique sit satis; ditioresq. erimus, quàm * Eucharius quondam [in vobis] & Sixtus in nobis..... rationum ignominiam conferet.... irritum nec liberos efficiet.* Atque similis argumenti ad Willegisum Archiepiscopum Maguntinum misit; ut regni Principes haud paucos in Ottonis fide tunc fluctuâsse, satis hinc perspici queat.

Epist. 26.

Theophaniæ Augustæ invidia.

Egbertus civitatis Treviror. Dominus.

Adelbero Remos suos offert Egberto.

* studio ad primos utriusque Metropolis Apostolos Ottonis III. restitutio.

Sed, qui fide & obsequio meliores sequuti Ottonem, sollicitatis potentiorum animis, ad conciliandam puero autoritatem, Adelheidam aviâ, amitâ Machthildê & Theophaniâ matrê cum delecto Procerum robore ex Italia accersivere. Quæ comitatæ Italicorum, Franciæ, Sueviæ, Lotharingici generis armato agmine, & Saxonum, Thuringorumque occursu exceptæ, ubi affuêre, Conrardi Burgundiæ Regis, alteriúsque Conrardi Franconiæ Ducis auspiciis, eum intulere partibus desperationis metum, ut dilapsis quàcunque conjuratis, Henricus Dux aviæ, matri, amitæ proceribusque puerum Regem sisteret, ipséque inglorius in Bavariam se suam abderet.

Conradus Rex Burgundiæ

Conradus Dux Franconiæ pro Ottone III.

XLIX.

Adelheidis Mechtildis Theophania Quidelebungum excolunt.

At Otto, magno suorum plausu deductus in Saxoniam, Quedeleburgi, ubi propinquæ dominæ Augustales, penes quas tunc ferè imperii frena, religionis nobile domicilium habebant, mirificè exceptus est.

Adelberto II. Vird. Episcopus.

Epist. 47. 50.

Ejus stirps. Godefridus Comes Virdunensis.

Epist. 52.

Sub id tempus Adelberoni II. Virdunensis sedes destinata, magnæ stirpis, ut ex Gerberti Epistolis colligitur, & virtutis opinione præcellenti viro. Pater ei, Godefridus Arduennas, ut interpretantur, Comes Virdunensis, & Imperatoris ibi perpetuus Legatus; qui ex Mathilde Comitissa validam prolem susceperat Fridericum, Hermannum & hunc Adelberonem, erátque Godefrido patruus Sigefridus Comes. Hæc Lothariensis regni decora Ottoni II. singulari fide & operâ clientelari devincta, parem in tuendo Ottonis III. imperio retinebant constantiam; urbe interim Virdunensi partium discordiis & factione secedente, & abeunte in diversa. Unde Lotharius Galliarum Rex, ubi insidiis opportunum sensit, Virdunum copias misit, dolóque prodentium, impia civitas, ut Gerbertus loquitur, cujus nec aries muros confregerat, non fame interfecti milites, nec ullo telorum genere pervasi, Francis se dedidit, traditis simul in manus hostium Godefrido Comite cum filio Friderico, & patruo Sigefrido, aliisque viris nobilibus Ottonianarum partiû studiosis; qui in Galliam intimam captivi abducti, apud Matronam flumen Ottonis & Heriberti Comitum custodiâ, Lotharii jussu, detenti sunt.

Virdunensis urbis status & defectio ab Imperio Lotharienti.

Orat. in Virdun. civit.

Epist 31. & alia.

L.

Adelbero Episcopus à Virdunensibus rejectus.

Cæterùm Virdunensis urbis statum pictè Gerbertus in oratione, qui eam alloquitur, descripsit, cùm eam sanctæ Domini Ecclesiæ

unitatem

unitatem scidisse, sanctissimam humani generis societatem abrupisse, ostendit; quod Pastorem suum [Adalberonem] voluntate hæreditarii Regis, consensu & favore Comprovincialium Episcoporum electum, ac insuper Episcopali benedictione donatum pertinax agnoscere recusarit, quia scilicet Regem [Ottoné] regno privare moliretur. Hinc, ibidem memorat: Altaria Domini calcibus allisa, ac ligonibus effossa; opes Religiosorũ & pauperum patuisse rapinis & incendiis.

Theodoricus Mediomatricum Ecclesiâ suâ variis reliquiis ornatâ moritur.

Eo quoque tempore, Theodoricus Mediomatricum Episcopus, vir, ut magnarum propinquitatum, sic excellentis apud summos juxta infimosque autoritatis, naturæ concessit. Ejus in Divorum legendis, honorandisque reliquiis alacre studium nec semel laudavimus, nec iterum jam tacemus, cùm ipsius industriâ, Trevirorum item Ecclesia id genus donariis se locupletatam agnoscit. Numerant in his Trevirorum & Metensium provinciales libri, Gregorium Spoletanum Martyrem, & corpus S. Luciæ Syracusanæ; at dimidiatum: quam perhibent Wigerici Presbyteri Metensis operâ, ex ipsa urna, quâ Corfinii tum palam asservabatur, levâsse; & insuper Episcopum Corfiniensem, attactis sacris Evangeliis, Theodorico confirmâsse, ipsam illam esse; quam Dux Spoletanorum Foroaldus, Syracusâ Corfinium primus traduxerit; quamque Ecclesia, martyrum semper honore coluerit. Quod quò minùs ad fidem difficile sit, cùm alii corpus Martyris traductum, Henrico secundo Imperatore Constantinopolim, inde demum volunt translatum Venetias; protritum in hoc genere meminerint, partes etiam, ac certa Sanctorum ossa tueri corporum ac justi patrocinii famam: & valere plurimùm hic Edictum Prætorium: [Uti possidetis.]

S. Greg. Spoletanus. S Lucia in Galliam translata. *Annal Trevirens quib consentiunt. MS. B. Vincentii. Sigibert. in illustrib viris de se & Rudulph MS. S. Vincentii monach. supra citati. Vixit in An. 573. & primus dux. vide Sigibert. in Chron. & in viris illustr. C. CLXXII. diserte. Sigonius 1039.*

LI. Egbertus undique colligit reliquias sanctorum.

Et quia mentio reliquiarum semel illata, de Egberto Archiepiscopo, quod memorant Trevirorum Gesta, cùm certus annus non proditur, hic inserimus. Profectus namque in Italiam, Henricum Trevirorum Antistitem Parmæ nuper sepultum, reduxit in Treviros; qui, ne incomitatus rediret, magno undique studio, quæsitas beatorum cœlituum exuvias adjunxit. Adeóque ferunt Ottonis Imperatoris autoritate, Severum Presbyterum, quem B. Gregorius laudat in suis Dialogis, ex valle Terrorina provinciæ Valeriæ, corporáque Martyrum Felicis & Regulæ, quæ præclaro à Ludovico Germaniæ Rege Magni Caroli nepote Sanctimonialium condito monasterio vico Turego, aut Tiguri quiescebant, impetrâsse. Beati autem Severi corpus Egbertus, id quod nonnulli, diversam fortè traductionem significantes, Ruotberto tribuunt, in pervetustam pagi Meginensis sacram S. Martino Basilicam, quam Pipinum majorem, cleri cœnobio cohonestâsse legimus, non sine miraculorum gloria transtulit; atque ex ejus tam insignis patroni corporis accessione, Canonicorum Meinfeldiæ collegium S. Severi Monasterium, appellari cœpit; quod Monasterium inde tectorum frequentiâ in oppiduli formam coalescens, sanitatis causâ, fidissimique patrocinii confluentium cum in locum, ætas insequens, tantâ frequentiâ coluit, ut ex ultima Aquitania, magno numero istuc accurrerint ægri, compotesque sint facti votorum, experimento redditæ valetudinis minimè dubio.

S. Severus presbyter. *Lib. 2. c. 12.* SS. Felix & Regula Tiguro translati. *Annal. Heremi Deip. matris & Conradi Peutingeri de German. sermonis.* B. Severus presbyter quiescit in Treviris *Add. martyrolog. Usuardi ad 15. Febr. MS. Monasterii Meinfeld. & Molan. in martyrol.* S Martini Basilica monasterii Meinfeldiæ Memoria S. Severi oppido Monasteriensi. *Sibert. in Chro. Wassiburg, antiq. Belgic. lib. 3.*

LII. Adelbero II. Metensis Episcopus & quibusdam Virdunensis.

Pro Theodorico Mediomatricum Episcopo, per hos quoque dies, sedem iniit, Adelbero Friderici Ducis filius, & Virdunensis, ut quibusdam arrisit, nuper Episcopus, Sigeberto, vir sanctus & nobilis. Et rectè nobilem dixit. Stemmatis surculos sparsim depanximus, ut jam simul intueri juvet. Adelberoni & Theodorico Duci germano, pater fuit Fridericus Comes, Barri conditor, & Dux Mosellaniæ; avus Otto ex Virdunensi Comite, Dux Rectórve Lotharingiæ, Proavus Richuinus, quibus præproperè recentiores Mosellæ superæ tractum pro Ducatu adscribunt. Mater hujus Adelberonis Beatrix Dux, Gerberto in Epistolis laudata, quæ Hugone magno Duce Pictonum & * Hadewide Ottonis magni sorore prognata, hinc Saxonicum, inde Capetorum regium stemma traxit.

Adelberonis stemma *ex superiorib. historiis & genealogia Metensi MS. apud Pithœum.* Adelbero hic, an Virduni, Episcopus? *Vide Indicem nostrum Vird. Eccl. Episcoporum.* ** Al. Hevidis & Hadewinda.*

Mosellaniæ vel Mosellensis Ducatus. Theodoricus Friderici F. Mosellanorum. II. Dux. Lotharingia inferior sive Lotrich.

Friderico autem Duce, per hoc tempus, morte exstincto, Theodoricus filius in ea Lotharingiæ superioris parte successit, quæ, quia Mosellæ amni propinqua, ad id recens, Mosellania vel Mosellensis appellari cœpit; cujus administratio ditióve Cæsaris ei beneficio contigit. Is Mosellensis vel Mosellanorum Ducis; at, qui Belgicæ regionem inter Scaldem & Mosam, ubi nunc Brabantia, tenuit; is in multos hinc annos Ducis Lotharingiæ titulum gessit. Friderici Ducis elegans Epitaphium extat inter Epistolas Gerberti, qui postea Silvester II.

Friderici Mosellaniæ Ducis Epitaphium.

Francorum placito nomen tulit hoc Friderici;
Quem proavi fudère Duces à sanguine Regum,
Officio meritisq; parem sopor ultimus hausit.
Mercurii cùm celsa domus, tibi phœbe pateret.

LIII. Adelbero Virdunensis Episcopus tuetur partes Ottonis.

Medio tempore, Adelbero designatus Virduni Episcopus, Mathildis mater & Hermannus frater, cùm præcipua Virdunensis Comitatûs & Ecclesiæ castra & munimenta in sua potestate haberent, hortante captivo patre Godefrido, rem strenuè adversus Francos gerebant. Extant ea de re hortatoriæ Gerberti ad Adalberonem & Hermannum fratres. *Felices quibus paterna virtus exemplar sit imitabile. Vester genitor hoc petit, repentinus casus ne vos deterreat; filio Cæsaris fidem quam promisistis, inviolatam servate; omnia castra ab hostibus tuemini; denique nec Scarponnam, nec Hattonis castellum, nec quidlibet eorum, quæ vobis reliquit, Francis relinquetis, illecti aut vanâ spe suæ libertatis, aut terrore sui cruciatus, aut filii Friderici. Hæc præcepta magnanimus pater generosis filiis dedit. Sentiant in vobis hostes non totum se cœpisse Godefridum; auxilia undiq; comparate & liberatores.* Ad Mathildem Comitissam: *Deponat Domina mea Mathildis omnem querimoniam. Clarissimus vester conjux Godefridus inter pares præcipuus, ac ipsis victoribus formidabilis hoc præcepit. Dominæ Theophaniæ Imperatrici semper Augustæ ac filio ejus semper Augusto cum filiis vestris fidem purissimam servate; pactum cum Francis hostibus nullum facite; Francorum Reges aversamini, castra omnia sic tenete, sic defendite, ut nullam in his habeant partem adversarii vestri; scilicet neque pro spe liberationis mariti, neque pro* terrore

Epist. 47. Godefridi Arduennatis in retinenda fide Imp. data constantia. Scarpona. Hadonis seu Hattonis castellum. *Epistola, 50.*

terrore peremptionis ejus, aut filii Friderici. Hæc XI. Kal. April. ad flumen Matronam meæ fidei commisit; quæ vobis plenâ fide retuli.

Numero 60. Godefridi liberandi iniqua conditio.

Porrò de liberationis modò, Gerberti quoque epistola extat, qui tunc non satis æquus Godefrido à Frácis offerebatur: *Sigefridus Comes*, ait, *ad sua rediit. Godefridus Comes, si Castrilucium cum Hainno, Reniero redderet, seq; filiumq; suum Comitatu ac Episcopatu privaret Verdunensi; de reliquo integram fidem Francorum Regibus exhiberet, datis obsidibus fortassis ad sua remeare valeret.*

LIV. JOANNES XIV. PONT. m. 8. ANNUS CHR. 985. *Al. an. 974.*

Hæc tunc in præcipiti casu Lotharienſis regni; at in Italia Benedicti Pontificis Romæ défuncti, locum inde tenuit Joannes XIV. qui cũ anno sequenti à Bonifacio, quẽ pulsũ sacerdotio nuper dixerã, arctâ custodiâ, vinculisq; fractus esset, Bonifacio brevis, at, ut improbo parricidæ, inglorìa quoque cathedra cessit.

Henricus Pacific. Bavariæ Dux. insigni exemplo resipiscit.

Eo anno Henricus Bavariæ Dux, suscepti nuper dedecoris tanquam tædis ardentibus quibusdam agitatus, Francofurtum, ubi Otto præsentibus Augustis matronis & regni proceribus comitia habebat, sponte prodiit, ibique magno angore conscientiæ & animi submissione supplex & abjectus, errati veniam publicè poposcit, militem se devotum Ottoni citra exceptionem professus, nullamque pactus fortunarum, imò ne vitæ quidem securitatem. Quâ quidem infimâ obtestatione & excellentis animi præclarâ & principe dignâ modestiâ Ottonis procerum, ac Dominarum animos ita promovit flexitque, ut in antiquum gratiæ locum restituisse eum non contenti, familiaribus & amicissimis adscripserint; Ducatus honorem ei stabilierint.

Henrici Pacifici elogium. *Chr. Francofur. ad an. 995.*

Ipse verò, ut hic omnia contexam, Bavariam inde tantâ justitiæ & æquitatis laude moderatus est; ut, teste vetere Chronologo, ab incolis *pacificus & pater patriæ* salutaretur; filioque Henrico sancto moriens fidem erga Cæsarem & obsequium unicè commendaret.

Epist. 16.

De hac rerum conversione Gerbertus epistolam ad Egbertum nostrum scripsisse videtur: *Ea, quæ nobis significastis lætitiæ & jucunditatis plena fuerunt, de statu Ecclesiarum Domini atq; regnorum; & per quem virum hæc fieri possent. Quem si ut Tyrannum tenuimus, sed nunc plenum fidei & sapientiæ miramur.*

LV. *Annal. Col.* Egbertus Neomagi degit ad Wahalim.

Hinc intervallo Egbertus Neomagii ad Wahalim cum Ottone & matre ejus Theophania, & Henrico Bavariæ Duce, regni conventum egit; in quo Theodoricus Hollandiæ Comes beneficiorum; ac feudi ornamentis procerum consensu, ac voluntate donatus.

Wilhelm. Nangius, apud Frod.

Otto verò posthac, opibus gratiáque procerum erectior, ad Lotharium Galliæ Regem consanguineum, res suas repetitum misit, literásque & jussa dedit, quibus Virdunum restitui, Comitémque & Episcopum, asseri in libertatem imperavit. *Lotharius itaq;*, verba Nangiani Chronici sunt, *videns Ottonem virtute suorum militum proficere, mandatis & apicibus ejus obtemperans, Virdunum urbem reddidit, & Godefridum Comitem de carceribus liberavit, tractatumq; concordiæ cum illius patre pactum, cum eo stabilivit.*

Lotharingia superior Ottoni restituitur. *Epist. 100.* Virduni urbis, & Godefridi Comitis restitutio.

De hac pace & Virduni restitutione, Gerbertus in Epistola ad Ecbertum Trevirensem Archiepiscopum. *Quantum utilitatis*, inquit, *Reip. contulerit, quantumq; collatura sit pax inter Reges nostros benè fundata, testis est civitas Virdunensium, sine cæde & sanguine, sine obsidibus sine pecuniis in integrum Imperio vestro restituta. Testis erit Colonia, rebus sibi diu subtractis in integrum restituenda; quod utiq; maturiùs foret, nisi acrior cura regnorum nuper in conficienda pace longiùs nos detinuisset.*

Epist. 109.

At sine tamen Virdunensis Ecclesię dispendio pacem hanc gratis datam, alibi inficiari videtur Gerbertus. Nam ad Theophaniam Augustam scribens: *Num villas*, inquit, *Virdunensis Episcopatus, quas, pro redemptione sua, unà cum filio Adalberone Episcopo invitus donat Godefridus Comes, jurejurando in perpetuum ab Ecclesia alienabitis? num castra in eisdem ad eorum votum extruere patiemini, qui nunc furtivas delectorum militum contrahunt copias, ut in vos, si apud Caprimontem estis, impetum faciant? Nam, quia Dux Theodoricus Satanacam villam pervasit, quasi in ultionem Reginæ, Iuveniacum oppidũ se invadere simulant, scelus facturi, si vobiscum paucam persenserint manũ.*

Caprimons apud Leodium. Satanacum & Iuveniacum regionis Lutzelburgicæ, Tre. diœces.

JOANNES XV. PONT. a. 10. ANNUS CHR. 986. *Odoranus & Nangius Galliæ scriptores. Sigebertus, Sigonius.*

Bonifacius invasor Romanæ sedis inter hæc repentino mortis genere sublatus, Joannem XV. habuit successorem. Lotharius quoque Galliarum Rex, anno postero, vitâ regnóque defunctus, filium Luduicum ob ætatem cum regno in potestatem ac tutelam Hugonis Capeti permisit.

Luduicus Lotharii F. Rex Galliar.

Lotharii obitus.

Reddito igitur Virduno, & Godefrido Comite in integrum restituto; Imperatoriis armis in Bohemiam conversis, otii aliquantum Lotharienſibus extitit. De Lotharii Regis discessu, Ecbertum Archiepiscopum certiorem fecit Adelbero Remorum Archiepiscopus per Gerbertum. *VI. Non. Martias gloriosissimus Rex Lotharius Francorum clarissimum sidus mundo substractus est.*

Epist. 74.

Idem Gerbertus ex persona Hemmæ Reginæ ad Matrem Adelheidem. *O amara dies! VI. Nonarum Martiarum; quæ mihi virum eripuit; quæ me in has miserias præcipitavit. O quando videbo, quando alloquar non solùm Hemmam Reginam, sed matrem omnium regnorum?*

Epist. 75.

Pacis Lotharienſis negotium.

Quin de pace firmiùs astringenda, erigendáque & firmanda vidua & immatura prole adversum insidiantes Galliarum regno, consilia tunc varia agitata, disertè memoriæ prodidit Gerbertus. Nam Henrici Bavariæ Ducis nutu, in XV. Kal. Junii dies conveniendi indictus est ad Curiam Romarici montis, ubi confinium regnorum, quo Adelheidis & Theophania, tum Hemma cum prole mutuo sibi occurrerent.

Romarici mons limes regni Franciæ & Lotharienſis. *Epist. 101.*

Aliâ quoque Epistolâ ad Ecbertum datâ, à Domina Duce Beatrice actum meminit, ut Dux Carolus, Rex Luduicus, Hemma & Henricus Dux conficiendæ pacis negotium susciperent; quod cùm minùs processisset, Theophaniam & Egbertum Trevirensem, cæterosque regni proceres, adhibere placuit. Tantum quidem ex Gerberto.

LVII. ANNUS CHR. 987. *Sigebert. Schaffnaburg. & Contractus.*

Monasteria apud Treviros florent, præsertim S. Matthiæ.

At domi Egberti operâ, atque insigni religionis virtutisque præstantiâ, monasteria tunc passim in Trevirensi ditione, glorià literarum atque studiis avitæ pietatis, ora in se hominum advertebant. Floruitque in primis S. Matthiæ, quod ipse semirutum non tectis modò sartis instauràrat, sed salutari quoque disciplinâ devinxerat. Cujus rei eximium postea

Ex Theodorico monacho S. Matthiæ.

B. Celsi miracula.

fructum tulit: quippe tam crebris locus editis miraculis deinceps effulsit, ut inter omnia præcipuus, & inclytus, famâ sanctitatis caput efferret. Producti ab Egberto frequenti concione debiles, & capti omnibus membris, præsentem jam tum D. Celsi opem experti, ipso Episcopo ad gratiarum actiones, Deique laudes, gravi sermone populum cohortante. Porrò in his qui sanati, cùm ex servitiis esset Episcopi, qui ingressum recepisset, Egbertus D. Celso muneribus oblatis, hominem monastico statim ornatu indutum, ei Ecclesiæ dum viveret servire jussit. Claruit tum magnâ ibidem eruditionis laude Engelbertus, cujus complura illustria extare ingenii monumenta Tritthemius scribit.

Engelbertus eruditus monachus. In Chron. Hirsaug. in Ann.

Hezzel Abbas Mediolacensis. *MS. Mediolac.*

Mediolacensis monasterii vicissitudo.

Lioffinus Britannus vel Hollandus Abbas Mediolacẽs.

Atque sub hæc etiam tempora, Præsul monasterium Mediolacense, ordinare cupiens, Hezzelẽ Abbatem, quòd moribus esset parùm pudicitiâ compositis, eâ dignitate movit, & ejus vice Lioffinum natione Britannum, Abbatiæ præposuit: qui cùm laudabiliter ibi rem literariam, & monasticam cum fructu moderando præfuisset; ad extremum criminationibus monachorum eversus, Epternacum exul abire cogitur; ubi privatus superstes honori suo, diem obiit. Itaque rursus quorundam importunitate Hezzel illatus; qui cùm in pristina luxuriæ dedecora revolutus, pravis Abbatiam exemplis inficeret, majori ignominiâ mox notatus, iterum pellitur. Quo facto, Egbertus monasterium opportunis sanare remediis aggressus, Hezzeli Remigium virum pietate & studiis liberalibus adprimè imbutum, suffecit. Hic ad excolenda suorum ingenia, cùm scholas publicè aperuisset, tanta clericorum undique istuc etiam ex Gallia adeuntium multitudine frequentari cœptæ, ut complures inde Abbates, nonnulli etiam Episcopi, prodierint: quin, & pervagata Germaniam, & ad aures Ottonis delata Remigii fama, adolescentem permovit, ut Abbati literas carmine conscriptas, quas S. Bernwardo Hildeneshemensis Ecclesiæ nobili Antistite magistro usus, versibus didicisset, pro ea ætate Remigium in primis excultum, miserit. Lucubrationum ingenii ipsius longam Tritthemius seriem pertexit; & quia rei musicæ callens fuit, jubente Egberto, cantu suavi ex canonis modo trium hujus sedis primorum Antistitum officia celebravit, & Blandiniensis quoque Cœnobii rogatu, S. Bavonis præconium cecinit. Atque in eam quidem formam id tum monasterium Egbertus redegit, cujus Abbates & illustres viros passim in Epistolis suis Gerbertus Arvernus Scholasticus celebravit; ex Monacho Floriacensi ob ingenii doctrinæque præstantiam apud Galliæ Germaniæque principes, tantum consecutus honoris, gratiæ, dignitatis, ut ab eo ceu Pythiô quodam Apolline sibi non Proceres tantùm, sed Reges ipsi consilium expeterent. Ad hunc eruditionis adparatum scribit ipse Bibliothecam assiduè sibi comparâsse; & sicut Romæ dudum, ac in aliis partibus Italiæ; in Germania quoque & Belgica, scriptores autorúmque exemplaria multitudine nummorum redemisse, adjutum benevolentiâ ac studio amicorum comprovincialium. Et qui, Mathematicas disciplinas egregiè calluit

MS. Mediolacens.

Tritthem. vir. illustr. catalog.

Remigius Abbas Mediolac.

Mediolacensis Schola.

Otto III. carminum non rudis.

LVIII. Gerberti Scholastici & inde Papæ elogiũ.

Epist. 44.

Bibliothecæ locupletandæ studium.

Mathematicæ peritia.

quàm subtiliter in iis versatus sit, specimen alibi multiplex, tum etiam Remigio Trevirensi monacho dedit, quando eum quomodo Numerus seipsum metiretur edocuit, & opus Achilleidos ab eo flagitavit; tum petenti quoque ad Mediolacense monasterium difficillimi operis sphæram misit torno expolitam, & artificiosè equino corio obvolutam. Scripsit & ad Nithardum sibi familiarem & fidissimum Mediolacensem Abbatem, qui Gautetium eruditum monachum intempestivè ab ejus consuetudine revocavit; ut & Egbertus Gerebertum cœnobitam ab Adalberonis Remensis Archiepiscopi latere, cui utilem is operam navarat, repetiit. Nithardi verò se apud Mediolacum usum convictu & familiaritate Gerbertus haud diffitetur; quâ cur rariùs inde perfrueretur, turbulentæ Reipublicæ vult imputari, unde incerto certam quærenti sedem, aut quantocyus omissam sibi diu scribit repetendam Hiberiam, aut Ottonis aulâ recolligendum.

Epist. 114.

Remigii Mediolacensis memoria. *Epist. 148.*

Nithardi Mediolacensis Abbatis familiaritas cum Gerberto. *Epist. 65. 56.*

Epist. 73.

Neque præteriero; quamvis leve, quod de Egberto monumentis literarum propagatum, hirundinibus in æde Metropolitana sacrificantis caput stercore fædantibus, malum imprecatum; observatúmque id avium genus exinde nunquam appetiisse templum; vel si fortè involasset, subito prolapsum exanime concidisse de summo.

Hirundines olim Trevirensem ædem primariam ferunt non appetiisse volatu.

Hinc mors secuta Luduici adolescentis Franciæ Regis, quæ magnas in confini Treviris agro turbas excivit, Galliæ primoribus Carolo Duci Lotharingiæ Luduici patruo regnum, quasi hæredi adversus Hugonem Capetum, qui Luduici donatione sibi sceptra vindicabat, deferentibus. Carolus verò, qui plurimum incola circum Bruxellas inferioris Lotharingiæ, cum cunctando deliberandóque rem extrahit, languidioribus adversus ipsum Galliarum studiis, rei tempus tandem amisit. Et quantum autoritate jam pridem Hugo in Gallia cæteris anteierit, Gerbertus non scitè magis quàm verè id Epistola quadam expressit: *Lotharius Rex Franciæ prælatus est solo nomine, Hugo verò non nomine, sed actu & opere.* Unde insigni regio Novioduni ab Hugone sũpto, Carolus armis & exercitu jus suum experiri cœpit, anno salutis DCCCCLXXXVIII. brevique spatio non infelicis belli cursu provectus, Laudunensi urbe primo ingressu, ac postea Remis anno DCCCCXC. proditione Adalgarii presbyteri captis, & occupatis, tandem insequenti anno, quo Theophana Augusta Noviomagi diem suum obiit, euntem ad regni fastigia, in medio quasi conatu fortuna destituit. Nam Lauduni mœnibus inclusus proditusque, ipse & conjux ab Hugone Aurelianum abducti, reliquam in vinclis exegere vitam. Atque exinde, ut Caroli magni potissima stirps Franciæ gubernaculis amota, sic Germaniæ Imperatorem Lotharingiæ Ducatum Caroli magni hæredibus successionis jure permisisse, satis ex Sigeberto probabili conjecturâ creditur; summo tamen imperio si hæres defuisset, ad se revocato. Cæterùm, Carolo parenti Otto in Ducatu Lotharingiæ successit.

LIX. Carolus Lotharingiæ Franciæ hæres.

Hugonis Capeti in Galliis autoritas. *Epist. 48.*

Hugo Capetus Rex. *Oderannus apud Pithœi annales. Nangii Chron. ibid. Glaber.*

ANNUS CHR. 988. 990. *Ditmarus in Chron. Hugo. Floriacens. apud Papirium & Nangium.*

ANNUS CHR. 991.

Lotharingiæ ducatus conversio.

Otto Lotharingiæ dux. *Sigebert. ad an. 991. Genealogia S. Arnulphi Metensis. apud Pithœum. Ex Hugo & Nangio par.*

Sequenti anno, Gerbertus Abbas prodigiosi famâ ingenii notus, cujus olim in disciplina fuerant monachi Mediolacenses, favore Hu-

goniana

peram Ludvicum Lib. faciunt Lotharingia Ducem

ANNUS CHR. 992. Gerbertus Remensis Archiepiscopus.

P. Massen. in Silvestro II. Ditmarus scribit ad Remens. Ecclesiam juste promotum

Leo vice-Episcopus Trevirensis, Apocrisarius S. A.

gonianæ gentis Arnulpho Lotharii Regis filio, quem clerus elegerat, improbè submoto, ad Remensem Archiepiscopatum ascendit; sed mox Joannis Romani Pontificis autoritate eo honore depulsus, novísque sitiens, ad Ottonem in Italiam confugit; cujus affectatione non Ravennatis Ecclesiæ modò sedem, sed & Ecclesiarũ omniũ principẽ tãdem occupavit.

Fuit apud Treviros, tum longè famosissimum nomen Leonis Episcopi, qui Egberti vicarius, & Romæ eam sapientiæ dignitatisque famam possedit, ut inter Apostolicæ sedis Apocrisarios numeratus sit. Quippe Joannes Pontifex ejus nominis XV. obortâ inter Angliæ Regem Etheiredum & Richardum Nortmannorum ducem controversiâ, Leonem in insulam Britanniam oratorem de pace misit, ejusque sollertiâ optatæ pacis fructum retulit. Extat apud Wilhelmum Malmesburiensem Epistolarum Joannis exemplar, quibus & Leonis inscripta memoria; quem licet autor Episcopum Trevirensem nuncupet, ipse tamen Pontifex profitetur, accersitum ab se Apocrisarium suum Leonem Vicepiscopum Sanctæ Trevirensis Ecclesiæ; eumque cum exhortatoriis, ex Urbe magnis viarũ intervallis missum ad oram maritimam; venisse ad Regem in Angliam die natalis Domini; consilióque cum rege habito de pace, legatos ex Anglia datos, trajecisse in Galliam, ac denique Rothomagi, Kalendis Martii anno salutis DCCCCXCI. positâ cõtroversiâ, junxisse fœdus.

Lib. 2. de gestis reg. Ang. ca. 10.

In Anglia pacis autor.

LX. Folcardus S. Maximini Abbas.

Inclyta etiam per hæc erat tempora virtus Folcardi D. Maximini Abbatis, perque eum monasterium id, & monachorum sanctitate, & non vulgari literarum studio præcelluit. Vas ibi visitur, ære ductum variâ cælaturâ, & imaginibus opere fusili fabrefactis, additis etiam interpretandi causâ versibus, clarũ pro hujus ævi captu industriæ ac religionis monumentum. Cæterum artificum nomina in basi atque imo vasis circulo eduntur Gosbertus & Absalon.

LXI.

Ostradus successor.

Eodem anno ademptas B. Maximino in Nemetũ atque Vangionum finibus ab Heriberto Comite possessiones, Ostradus Folcardi successor Ottonis diplomate impetrato, recuperavit.

ANNUS CHR. 993. Trajectensis Abbatia repetitur.

Postero Egbertus Trevirorum, Ottonem in Ingelheimensi palatio tum degentem adiit, Abbatiam Trajectensem repetens, quam Henrico Præsuli Trevirensi Otto Magnus ademerat, tradito pro ea Horreensi monasterio tanquam suo, cujus perinde nullum ipse jus habebat. Quem ad infimas obtestationes procumbentẽ, Otto cùm benignè audisset, justam atque veterem ejus loci possessionẽ, luculento atque egregio ei diplomate confirmavit:

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divinâ favente clementiâ Rex. Omniũ fideliũ nostrorum, tam præsentium quàm futurorum piæ devotioni pateat, qualiter vir venerabilis Egbertus sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopus ad nos venit, secum deferens præceptum prædecessoris nostri Arnolphi Regis; in quo continebatur, quomodo ipse, pro remedio animarum bonæ memoriæ avi sui Ludovici Regis, nec non Carolomanni genitoris ejus, patruorumq́ suorum Ludovici videlicet & Caroli Christianissimorum Regum, quandam suam Abbatiam, in honore sancti Servatii Confessoris Christi in loco Trajecto vocato constructam, juxta fluvium Mosam dictum sitam, ad Ecclesiam sancti Petri principis Apostolorum, in civitate S. Petri Treviris ædificatam, suâ præceptione cum omnibus appendiciis ad eandem Abbatiam rite pertinentibus, donavit, & tradidit; aliiq́ successores ejus, præfati scilicet Regis, suis præceptionibus idipsum confirmaverunt. Similiter etiam avus noster Otto Imperator Augustus per suam præceptionem, ut in ea scriptum invenitur, prælibatam Abbatiam eidem Ecclesiæ Trevirensi, cum omnibus utensilibus illuc aspicientibus, innovando donationes prædecessorum suorum Regum, videlicet Arnolfi, Zuendeboldi, Ludavici & caroli ad integrum corroboravit. Sed postea malorum hominum consultu, nefario facto, donationes, & confirmationes prædictorum Regum, suamq́ ipsius, prò dolor! corroborationem, commutatione, nulli probabili viro tunc, vel nunc placita, infirmavit; ipsius sanctæ sæpe jamdictæ Trevirensi Ecclesiæ Abbatiam, Horrea dictam, quasi sua propria esset, in concambiũ præceptionis suæ autoritate dando pro Abbatia Trajectensi, quæ à tot Regibus, ut prælibatum, & tradita & confirmata est. Pro hoc facto nefando, nobis & aliis fidelibus nostris omnibus, qui aderant, majoribus & minoribus inaudito, præfatus Archiepiscopus Egbertus flexis genibus, & voce lacrymabili nostram clementiam precatus est, ut pro redemptione animæ ipsius jam dicti avi nostri, qui eandem Trajectensem Abbatiam à jure S. Petri abstulit, & pro remedio animarum beatæ memoriæ ejus æquivoci, genitoris nostri Imperatoris Augusti, nostræq́ genitricis Theophaniæ Imperatricis Augustæ, Trevirensi Ecclesiæ ablatam Abbatiam, novo nostræ celsitudinis donativo redderemus & restitueremus. Nos verò divini timoris & amoris intuitu, simul etiam omnium fidelium nostrorum consultu, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Ducum, & Comitum, piis ejus petitionibus assensum præbentes, hâc regiâ nostræ potestatis munificentiâ, sanctæ Trevirensi Ecclesiæ, & prædicto Archiepiscopo, qui ei præsidet, quod incautè contra eum factum est, satisfecimus, denuo ei dantes & reddentes & restituentes suprascriptam Abbatiam, cum omnibus utensilibus, eam justè aspicientibus; & hoc nostro præcepto regio, ex integro confirmantes, ita, ut nec regali potentiâ, nec alterius personæ præsumptione à S. Petro, & ejus Ecclesia Treviris constructa, nisi sub anathemate deinceps avelli possit vel auferri. Et, ut hæc nostræ donationis, restitutionis, & confirmationis autoritas præsenti ac futuro tẽpore inviolabilis perseveret, hoc regiæ magnitudinis nostræ præceptum inde conscriptũ, manuq́ propriâ, ut infra videtur, corroboratũ sigilli nostri impressione signari jussimus. Signũ Domini Ottonis gloriosi Regis.

Ottonis magni factum à nepote rescinditur ut injustum.

Otto magn. usurpat iniquè Horrei Abbatiam.

Hildebaldus Episcopus & Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi recognovi. Data 14. Kal. Maii, anno Dom. Incar. 993. Ind. 6. anno autem III. Ottonis regnantis X. Actum Ingelheim feliciter.

LXII. Atque his sanè tabulis, licet satis in perpetuum huic Ecclesiæ cautum videri poterat, eam tamen Abbatiam paulò post Imperatores Regésve Romani immanè quantum in prædia & res Ecclesiasticas inhiantes, pervasêre. Quò minùs etiam causæ habemus, judicem super tanta re accipere novitium Trevirensis urbis scriptorem, qui ceu tabellam de capite Trevirensis Ecclesiæ ubique arriperet, ore nimis duro & hic proloquitur, diploma istud sibi multis nominibus suspectum, vel certè per obreptionem obtentum videri. quamobrem & effectu caruisse. Quasi verò, iccircò res jure non teneamus, quia manus injectione vindicare semper non liceat, ubi vis & arma sunt ante leges; aut olim occupata non fuerit, quia jam non est in manibus.

Kyriandri censura de hoc diplomate rejecta part. XI. commentar. de Aug. Trev.

8. Decemb. Exitu anni Egbertus Trevirorum Archiepiscopus, cùm ad festum B. Eucharii diem, in monasterio, quod ejus operâ omni jam sanctitatis genere nitebat, celebrandum adiisset, re divinâ magno ibi apparatu ac religione perpetratâ, ab alumnis istic degentibus, ut ad ipsos promittere, atque apud Cœnobitas esse parabili frugalique mensâ vellet, rogatus; sive quod solitò frequentior ei comitatus adesset; sive quod, infirmo jam corpore id fore molestum sibi provideret, capere ibi cibum recusavit. Ad urbem igitur reveniens, aggravatâ valetudine, sic omninò viribus debilitari frangíque cœpit, ut brevi post tempore ad vitam immortalem inculpatus antistes emigrârit, anno gesti Pontificatûs sexto decimo, mense Decembri.

Egberti Archiepiscopi mors.

LXIII. Fuit Egbertus vir staturâ corporéque procerus; oris dignitate, ut Theodoricus scribit, tam excellenti, quàm, qui plurimum inter omnes id ætatis Germaniæ primores. Formam Antistitis mirificè commendabant insignes animi dotes; quæ cùm per omnes in eo ætatis gradus, tum in sacerdotio, vel maximè exsplenduerunt. Etenim adolescens monasticæ vitæ genus secutus, id ita deinde retulit, & in omni actione virtutibus expressit, nihil ut videretur in quiete illa ac solitudine meditatus aliud, quàm ut in hac amplissima functione suis & meritis dignitatem sustineret, & moribus ornaret Episcopatum. Monasteria, & quos religio arctior consecrâsset, unicè fovit; Clerum optimis disciplinis apprimè curavit imbuendum. Ecclesiæ suæ fundos domi forisque impigrè adversus sacrilegos invasores vindicavit. cujus rei testis in Epistolis suis Gerbertus; qui Dudonem in Suessionum finibus sub Guidone Episcopo, & Giselbertum Comitem in Rhemis sub Adelberone Archiepiscopo pervasores exprimit; monétque, ut communione ab Egberto ejectos, eâdem censurâ à propriis Episcopis urgeri velit, donec consequantur dignâ satisfactione veniam, qui conati sunt Sanctuarium Domini hæreditate possidere. Hæc disertiùs quoque Theodoricus scriptor eum cum antecessore comparans. *Theodoricus*, inquit, *Archiepiscopus Doctor quidem extitit facundissimus, & industrius familiæ Domini Procurator, sed quia temporis angustiis ob multiplices Reipublicæ exactiones exclusus, ob inopiam minus Monasteriorum necessitatibus consuluit. At Egbertus Militum ambitionem refrenare non timuit; Comprovincialium tyrannidem æquus arbiter autoritate suâ repressit; & omnia quæ Monasteriis erant hostili invasione subtracta, manu potestativâ undique recuperavit; & Monasteriorum Patribus magnâ vigilantiâ consignans restituit.*

Egberti forma *MS. S. Matthiæ* Mores.

Vindicatio bonorū Ecclesiæ. *Epist. 100. & 101.*

Theodorici I. Archiepiscopi elogium.

Egberti Archiepiscopi potentia & Auctoritas.

LXIV. Liberalitas. Ipse apud populum clerúmque pro concione de rebus divinis locutus est; in omne hominum genus, præcipuè in Monachos & clericos egentes munificus; quos assignatis agris & censibus annuis benignè sustentavit. Plurima etiam per totam diœcesim vetustate aut bello afflicta templa, restituit; omnia tam beneficâ ac prolixâ voluntate, novum ut in illo prorsus Joannem Eleëmonem agnoscerent. Siquidem ei jucundum, opes, quas in eum cumulatè Deus congesserat, pleno, quod aiunt, cornu effusas, itidem per manus egentium transmittere in cœlum. Hæc de eo, & iisdem pleraque verbis Theodoricus; qui hâc ętate in D. Eucharii monasterio haud obscurâ doctrinę & virtutis opinione, cœnobita claruit.

Cæterùm Egbertus, ut beatum Eucharium omnibus in vita beneficentiæ ac pietatis ornamentis extulit, ita, quo S. Materni istic eo tempore quiescentis, æterno lumine memoriam honoraret; tum paratis etiam sanctis monachorum precibus exeunti animæ remedium ferret, Longam Suram, id prædii nomen est juxta cognominem rivum, cum amplis possessionibus iisque liberis & omni solutis onere, perpetuæ testem adversus ejus loci Cœnobitas suæ voluntatis, extare voluit.

Egbertus S. Matthiæ monasterium præcipuis ornamentis affecit.

LXV. Egmundanam Abbatiam in Hollandia superites tum aliis innumeris donariis, libris, tum aureâ tabulâ pretii immensi, ac undique gemmis irradiante, tum cruce pretiosâ donarat: hujus verò Crucis mirificam virtutem sunt experti incolæ cænobitæ, ut infirmis remedium poscentibus salutem illa certissimam non rarò afferret; eaque causâ, creditum à multis, Egbertum in Divorū etiam cœtu ac numero reponi. Meminit Wilhelmus Heda Donationum, quæ publicis attestatæ tabulis, anno 1083. Henrico IV. Imperatore, Conrardo Episcopo Trajecti, Stephano Abbate Egmondæ, publico in conventu Ulaerdingæ. In quibus ubi Theodorici comitis mentio illata, caput illud subjicitur:

Crux Egberti mirifica, & tabula aurea Egmundæ in Hollandia. *Otger. MS. de donariis Egmundanæ Abbatiæ, præsertim ab Egberti morte & ipsi illatis. & MS. vita S. Adelberti, quæ apud Surium. Ioan. de Beka in chron. Episc. Vltrajectin.*

Ornata autem bonis moribus uxor prædicti Comitis Hildegarda venerabilis; & ipsa obtulit Deo, sanctoq; Adelberto tabulam Altaris, fabricatam ex auro claro, gemmisq; pretiosis. Textum Evangeliorum etiam auro gemmisq; decoratum, Historiam, id est, medicinalem librum.

Hildegardæ donatio apud Egmundam.

Egbertus nominati Comitis filius, Dei gratiâ Treverica Ecclesia Archiepiscopus honoravit eundem locum Eckemundensem offerens Deo, sanctoq; Adelberto Crucem auream, Casulam pretiosam, Stolam pulcherrimam, Cingulum auro contextum, Dalmaticam, Subtile Missale, Capitulare, & Historiam vetus novumq; testamentum continentem, multosq; alios libros. Scrinium argenteum, plenum reliquiis Sanctorum. Hæc ibi.

Egberti donatio.

LXVI. Cæterùm memoria Egberti passim in ritualibus

libus & antiquis fastorum libris ad nonum diem Decembris annotata; & propriè quidem Caradonensibus inscriptum membranis.

V. IDVS DECEMBR. Θ EGBERTVS ARCHIEPISCOPVS TR. ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS DCCCCXCIII.

Corpus ejus illatum facello D. Andreæ, quod ædi Metropolitanæ, quà spectat Orientem, vicinum, operis antiquitate, & B. Joannis Evangelistæ sodalitio inprimis claret; istic honorificè ad dextrum latus, cum hoc Epitaphio, quod, premente vetustate, loculi modò vestigiis apparentibus, excidit, tumulatum est.

PONTIFICUM DECUS, ECCLESIÆ CLARISSIMA LAMPAS
PAX ET AMOR POPULI, TOTIUS GRATIA CLERI
HIC JACET EGBERTUS,* LUCIS REGIONE REPERTUS.
PRÆSUL TREVERICUS, SEDET AULÆ CONDITOR HUJUS.
REXIT ET ECCLESIAM SENOS DENOSQUE PER ANNOS.
OMNES DILECTUM PRECE COMMENDATE PATRONUM.

*Angelorum, ut sit allusio ad Anglos. Unde Egberto datur origo stirpis.

ANNUS CHR 994. LUDOLFUS XLVI. ARCHIEP. 72. EPSIC. al. Luitolffus, & Luidulfus, Landolffus. Ditm. chro. l. 6. Herm. Con chro. Herr. Embs. in Bennone apud Sur. tom. 7.

Successor inde adscitus ab Imperatore ex Goslariensi Ecclesia, anno vertente Ludolfus Saxo genere, veneratione morū doctrinaque muneri non impar: quem clerus atque populus Trevirensis suo etiam suffragio probavit. Inter Præpositos Goslarienses numerant XXVI. Is quemadmodum Episcopatum annis prope quindecim habuerit, & quibus artibus Ecclesiam rexerit, memoratu difficile, quod cùm pauca de eo veterum memoria loquatur, hæc ipsa varietate ambigua, vix ulla re insignem ejus famam ad posteritatis commendationem, faciant. Observo tamen in S. Bernwardi Episcopi Hildensemensis actis, celebrem apud Gandeshemium Virginum Abbatiam hoc tempore Synodum Episcoporum habitam, cui, cum Ottone Rege, Gisilario Magdeburgensi Archiepiscopo, Ludolfus interfuit.

Synodus Gandeshemensis.

LXVII.

A quo brevi diverticulo ad res Ottonis, huic imperio nunc communes egredimur; qui, anno sequenti ad motus Italiæ pacandos, Joannis Pontificis, & Landulphi Archiepiscopi Mediolanensis rogatu, cum firma equitum peditumque manu Moguntia digressus, Alpium prærupta superavit. Crescentii Romani Consulis ambitione, Pontifex urbe exactus erat: eundemque casum Landulfus Mediolanensis à suismet civibus subire coactus. Sed his in deditionem sponte venientibus, Crescentio ob actorum pœnitentiam in fidem recepto, ingravescentem utrinque tumultum, Otto, haud magno momento lenivit. Rebus itaque constitutis Ravennam; atque inde, ut domito Crescentio veteri hoste, & urbis Romæ insessore, regni imperiique insignia, patrito avitóque exemplo susciperet, Romam ducere cœpit.

ANNUS CHR. 995. Glaber. li. 1. c. 4. Lamb. Sigeb. Leo. Ostien. Cassin. chro. l. 2.

Ottonis in Italiam expeditio.

ANNUS CHR. 996.

LXVIII. Ditm. chro. l. 4. & Annal. Sax. ibi.

GREGORIUS V. PONTIFEX an 2. m. 8.

Urbe frænatâ, Joannes Pontifex vitâ concessit, pro quo Brunonem Saxonem propinquum, Ottonis Boiariæ & Wormatiæ Ducis filium, qui presbyter Italiam peragrantem secutus erat, XVI. Kalend. Julii Pontificem Otto dixit. Is Gregorius quintus fuit, quem sanctionem retulisse de Imperatore è Germaniæ duntaxat Septemviris eligendo, plurimorum præstantium autorum, atque inprimis D. Thomæ sententia est; decrevisséque, ut septem Germaniæ procerum suffragiis tota vel inprimis electio niteretur: itaque mos & consuetudo postea suscepit, ut cùm amplissimus Septemviratus ordo Cæsarem, Regémve Romanorum jussisset, is tum demum Imperator & Augustus esset, si Pontifex Romanus autor fieret: Id quod de juris constituti origine & jussa lege, ut creditu per se difficile non est, sic usum facti oculis clarè subjicere, ardui sit negotii, cùm præeunte veterum hinc historiâ validè nonnulli pugnent, ut nec usurpatam à septem tantùm, ita nec pluribus electionem ademptam; idque jus multorum Comitiorum usu, in quibus rogationis & suffragiorum potestas latiùs patuit liquere. Atque hactenus equidem fidem interpono meam, ut ab Apostolica sede, & in Germaniæ proceres translatâ eligendi potestate, comitiorum id jus viguisse apud delectos certósque Principes, dixerim ab Ottonis tertii & Gregorii instituto; sicque usitatum ducentis & amplius annis; quorum curriculo Septemviralis prærogativæ in electione constanter adhibitæ usurpatæque clara non extent vestigia; quod primum alii ostendunt, eruuntque ex Concilii, ut putant, Lugdunensis œcumenici actis, cui Innocentius VI. præfuit; alii ex Martini Poloni Innocentii æqualis Chronico docere nituntur. Equidem ne occupem aliena, eruditissimum suum pectus æquis æstimatoribus Bellarminus atque ejus defensor, ubi de translatione Imperii agunt, fortè faciliùs approbabunt. Nec parùm interim, meo sensu, virium habent, quæ nuper clarus IC. Christophorus Gewoldus de sacri Imperii Septemviratu, cujus originem à Gregorio V. & Ottone III. deducit, magno testium adparatu disputavit. Quanquam in Ecclesiastici ordinis tribus Principibus, Moguntino, Agrippinensi, Treverico, quibus sapienti majorum consilio ineundi suffragium, non autem capessendi imperium jus datum est ad tollendum ambitum, Imperatoris deligendi potestas plurimum hinc viguit. Neque interim erat hæc res à me omni silentio reticenda, quo benigniùs feret lector, tacente vetustate, haud à me temerè, ut Willigisum Moguntiæ, sic Ludolfum Treviris Archiepiscopum, vel quemlibet sequioris ætatis hujus unum prodi, qui Septemviri, vel Electoris, quo modo nunc usurpatur, jus majestatemque perpetuo Comitiatiæ retinuerit, aut propagarit, cum cooptatione tam varia, jàm his jam illis præteritis, in summum locum multi venerint.

Electorum VII virûm origo. * Lib. 3. de Regimine Princ. c. 19. August. triumphus in Summa de potest. Eccl. q. 35. art. 2. Martini Polon. chro. Lupol. c. 2. Ostiens. in c. Venerabilem de Elect. & cæteri Canonistæ. Baronius ad hunc an. c. 10. Onuph. lib. de Comitiis.

Baro. citat. ex Matthæo Parisio.

Tres Ecclesiastici Ordinis Electores.

Willigisus Moguntiæ & Ludolfus an primus Elector Imperii. Moguntiac. rerum lib. 2. cap. 17.

Hildebaldus Episcopus & Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi recognovi. Data 14. Kal. Maii, anno Dom. Incar. 993. Ind. 6. anno autem III. Ottonis regnantis X. Actum Ingelheim feliciter.

LXII. Atque his sanè tabulis, licet satis in perpetuum huic Ecclesiæ cautum videri poterat, eam tamen Abbatiam paulò post Imperatores Regésve Romani immanè quantum in prædia & res Ecclesiasticas inhiantes, pervasêre. Quò minùs etiam causæ habemus, judicem super tanta re accipere novitium Trevirensis urbis scriptorem, qui ceu tabellam de capite Trevirensis Ecclesiæ ubique arriperet, ore nimis duro & hic proloquitur, diploma istud sibi multis nominibus suspectum, vel certè per obreptionem obtentum videri. quamobrem & effectu caruisse. Quasi verò, iccircò res jure non teneamus, quia manus injectione vindicare semper non liceat, ubi vis & arma sunt ante leges; aut olim occupata non fuerit, quia jam non est in manibus.

Kyriandri censura de hoc diplomate rejecta part. XI. commentar. de Aug. Trev.

8. Decemb. Exitu anni Egbertus Trevirorum Archiepiscopus, cùm ad festum B. Eucharii diem, in monasterio, quod ejus operâ omni jam sanctitatis genere nitebat, celebrandum adiisset, re divinâ magno ibi apparatu ac religione perpetratâ, ab alumnis istic degentibus, ut ad ipsos promittere, atque apud Cœnobitas esse parabili frugalique mensâ vellet, rogatus; sive quod solitò frequentior ei comitatus adesset; sive quod, infirmo jam corpore id fore molestum sibi provideret, capere ibi cibum recusavit. Ad urbem igitur reveniens, aggravatâ valetudine, sic omninò viribus debilitari frangique cœpit, ut brevi post tempore ad vitam immortalem inculpatus antistes emigrârit, anno gesti Pontificatûs sexto decimo, mense Decembri.

Egberti Archiepiscopi mors.

LXIII. Fuit Egbertus vir staturâ corporéque procerus; oris dignitate, ut Theodoricus scribit, tam excellenti, quàm, qui plurimum inter omnes id ætatis Germaniæ primores. Formam Antistitis mirificè commendabant insignes animi dotes; quæ cùm per omnes in eo ætatis gradus, tum in sacerdotio, vel maximè exsplenduerunt. Etenim adolescens monasticæ vitæ genus secutus, id ita deinde retulit, & in omni actione virtutibus expressit, nihil ut videretur in quiete illa ac solitudine meditatus aliud, quàm ut in hac amplissima functione suis & meritis dignitatem sustineret, & moribus ornaret Episcopatum. Monasteria, & quos religio arctior consecrâsset, unicè fovit; Clerum optimis disciplinis apprimè curavit imbuendum. Ecclesiæ suæ fundos domi forisque impigrè adversus sacrilegos invasores vindicavit. cujus rei testis in Epistolis suis Gerbertus; qui Dudonem in Suessionum finibus sub Guidone Episcopo, & Giselbertum Comitem in Rhemis sub Adelberone Archiepiscopo pervasores exprimit; monétque, ut communione ab Egberto ejectos, eâdem censurâ à propriis Episcopis urgeri velit, donec consequantur dignâ satisfactione veniam, qui conati sunt Sanctuarium Domini hæreditate possidere. Hæc disertiùs quoque Theodoricus scriptor eum cum antecessore comparans. *Theodoricus*, inquit, *Archiepiscopus Doctor quidem extitit facundissimus, & industrius familiæ Domini Procurator, sed quia temporis angustiis ob multiplices Reipublicæ exactiones exclusus, ob inopiam minus Monasteriorum necessitatibus consuluit. At Egbertus Militum ambitionem refrenare non timuit; Comprovincialium tyrannidem æquus arbiter autoritate suâ repressit; & omnia quæ Monasteriis erant hostili invasione subtracta, manu potestativâ undique recuperavit, & Monasteriorum Patribus magnâ vigilantiâ consignans restituit.*

Egberti forma MS. S. Matthiæ. Mores.

Vindicatio bonorũ Ecclesiæ. Epist. 100. & 101.

Theodorici I. Archiepiscopi elogium.

Egberti Archiepiscopi potentia & Auctoritas.

LXIV. Ipse apud populum clerúmque pro concione de rebus divinis locutus est; in omne hominum genus, præcipuè in Monachos & clericos egentes munificus; quos assignatis agris & censibus annuis benignè sustentavit. Plurima etiam per totam diœcesim vetustate aut bello afflicta templa, restituit; omnia tam beneficâ ac prolixâ voluntate, novum ut in illo prorsus Joannem Eleëmonem agnoscerent. Siquidem ei jucundum, opes, quas in eum cumulatè Deus congesserat, pleno, quod aiunt, cornu effusas, itidem per manus egentium transmittere in cœlum. Hæc de eo, & iisdem pleraque verbis Theodoricus; qui hâc ætate in D. Eucharii monasterio haud obscurâ doctrinæ & virtutis opinione, cœnobita claruit.

Liberalitas.

Cæterùm Egbertus, ut beatum Eucharium omnibus in vita beneficentiæ ac pietatis ornamentis extulit, ita, quo S. Materni istic eo tempore quiescentis, æterno lumine memoriam honoraret; tum paratis etiam sanctis monachorum precibus exeunti animæ remedium ferret, Longam Suram, id prædii nomen est juxta cognominem rivum, cum amplis possessionibus iisque liberis & omni solutis onere, perpetuæ testem adversus ejus loci Cœnobitas suæ voluntatis, extare voluit.

Egbertus S. Matthiæ monasterium præcipuis ornamentis afficit.

LXV. Egmundanam Abbatiam in Hollandia superstes tum aliis innumeris donariis, libris, tum aureâ tabulâ pretii immensi, ac undique gemmis irradiante, tum cruce pretiosâ donarat: hujus verò Crucis mirificam virtutem sunt experti incolæ cænobitæ, ut infirmis remedium poscentibus salutem illa certissimam non rarò afferret; eaque causâ, creditum à multis, Egbertum in Divorũ etiam cœtu ac numero reponi. Meminit Wilhelmus Heda Donationum, quæ publicis attestatæ tabulis, anno 1083. Henrico IV. Imperatore, Conrardo Episcopo Trajecti, Stephano Abbate Egmondæ, publico in conventu Ulaerdingæ. In quibus ubi Theodorici comitis mentio illata, caput illud subjicitur:

Crux Egberti mirifica, & tabula aurea Egmundæ in Hollandia. *Otger. MS. de donariis Egmundanæ Abbatiæ, præsertim ab Egberti matre & ipso datis. & MS. vita S. Adelberti, qui apud Sum̃ tiam. Ioan. de Beka in chron. Episc. Ultrajectin.*

Ornata autem bonis moribus uxor prædicti Comitis Hildegarda venerabilis; & ipsa obtulit Deo, sanctoq; Adelberto tabulam Altaris, fabricatam ex auro claro, gemmisq; pretiosis. Textum Evangeliorum etiam auro gemmisq; decoratum, Historiam, id est, medicinalem librum. Egbertus nominati Comitis filius, Dei gratiâ Treverica Ecclesiæ Archiepiscopus honoravit eundem locum Eckemundensem offerens Deo, sanctoq; Adelberto Crucem auream, Casulam pretiosam, Stolam pulcherrimam, Cingulum auro contextum, Dalmaticam, Subtile Missale, Capitulare, & Historiam vetus novumq; testamentum continentem, multosq; alios libros. Scrinium argenteum, plenum reliquiis Sanctorum. Hæc ibi.

Hildegardæ donatio apud Egmundam.

Egberti donatio.

LXVI. Cæterùm memoria Egberti passim in ritualibus

libris & antiquis fastorum libris ad nonum diem Decembris annotata; & propriè quidem Caradonensibus inscriptum membranis.

V. IDUS DECEMBR. Θ EGBERTUS ARCHIEPISCOPUS TR. ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS DCCCCXCIII.

Corpus ejus illatum sacello D. Andreæ, quod ædi Metropolitanæ, quà spectat Orientem, vicinum, operis antiquitate, & B. Joannis Evangelistæ sodalitio inprimis claret; istic honorificè ad dextrum latus, cum hoc Epitaphiô, quod, premente vetustate, loculi modò vestigiis apparentibus, excidit, tumulatum est.

Pontificum decus, Ecclesiæ clarissima lampas
Pax et amor populi, totius gratia Cleri
Hic jacet Egbertus,* lucis regione repertus.
Præsul Trevericus, sedet aulæ conditor hujus.
Rexit et Ecclesiam senos denosque per annos.
Omnes dilectum prece commendate Patronum.

*Angelorum, ut sit allusio ad Anglos. Unde Egberto datur origo stirpis.

Annus Chr. 994. Ludolfus xlvi. Archiep. 72. Episc. al. Luitolffus, & Luidulfus, Landolffus. Ditm. chro. l. 6. Herm. Con. chro. Iber. Rembs. in Brunone apud Sur. tom. 7.

Successor inde adscitus ab Imperatore ex Goslariensi Ecclesia, anno vertente Ludolfus Saxo genere, veneratione moru doctrinaque muneri non impar: quem clerus atque populus Trevirensis suo etiam suffragio probavit. Inter Præpositos Goslarienses numerant XXVI. Is quemadmodum Episcopatum annis prope quindecim habuerit, & quibus artibus Ecclesiam rexerit, memoratu difficile, quod cùm pauca de eo veterum memoria loquatur, hæc ipsa varietate ambigua, vix ulla re insignem ejus famam ad posteritatis commendationem, faciant. Observo tamen in S. Bernwardi Episcopi Hildensemensis actis, celebrem apud Gandeshemium Virginum Abbatiam hoc tempore Synodum Episcoporum habitam, cui, cum Ottone Rege, Gisilario Magdeburgensi Archiepiscopo, Ludolfus interfuit.

Synodus Gandeshemensis.

LXVII.

Annus Chr. 995. Glaber. li. 1. c. 4. Lamb. Sigeb. Lee. Ostien. Cassin. chro. l. 2.

Ottonis in Italiam expeditio.

A quo brevi diverticulo ad res Ottonis, huic imperio nunc communes egredimur; qui, anno sequenti ad motus Italiæ pacandos, Joannis Pontificis, & Landulphi Archiepiscopi Mediolanensis rogatu, cum firma equitum peditumque manu Moguntia digressus, Alpium prærupta superavit. Crescentii Romani Consulis ambitione, Pontifex urbe exactus erat: eundemque casum Landulfus Mediolanensis à suismet civibus subire coactus. Sed his in deditionem sponte venientibus, Crescentio ob actorum pœnitentiam in fidem recepto, ingravescentem utrinque tumultum, Otto, haud magno momento lenivit. Rebus itaque constitutis Ravennam; atque inde, ut domito Crescentio veteri hoste, & urbis Romæ insessore, regni imperiique insignia, patrito avitóque exemplo susciperet, Romam ducere cœpit.

Annus Chr. 996.

LXVIII. Ditm. chro. l. 4. & Annal. Sax. ibi.

Gregorius V. Pontifex an. 2. m. 8.

Electorum VII virûm origo. Lib. 3. de Regimine Princ. c. 19. Augustinus triumphus in Summa de potest. Eccl. q. 35. art. 2. Martinus Polon. chro. Lupol. c. 2. Ostiens. in c. Venerabilem de Elect. & cæteri Canonistæ. Baronius ad hunc an. c. 10. Onuph. lib. de Comitiis.

Urbe frænatâ, Joannes Pontifex vitâ concessit, pro quo Brunonem Saxonem propinquum, Ottonis Boiariæ & Wormatiæ Ducis filium, qui presbyter Italiam peragrantem secutus erat, XVI. Kalend. Julii Pontificem Otto dixit. Is Gregorius quintus fuit, quem sanctionem retulisse de Imperatore è Germaniæ duntaxat Septemviris eligendo, plurimorum præstantium autorum, atque inprimis D. Thomæ sententia est; decrevisséque, ut septem Germaniæ procerum suffragiis tota vel inprimis electio niteretur: itaque mos & consuetudo postea suscepit, ut cùm amplissimus Septemviratus ordo Cæsarem, Regémve Romanorum jussisset, is tum demum Imperator & Augustus esset, si Pontifex Romanus autor fieret: Id quod de juris constituti origine & jussa lege, ut creditu per se difficile non est, sic usum facti oculis clarè subjicere, ardui sit negotii, cùm præcunte veterum hinc historiâ validè nonnulli pugnent, ut nec usurpatam à septem tantùm, ita nec pluribus electionem ademptam; idque jus multorum Comitiorum usu, in quibus rogationis & suffragiorum potestas latiùs patuit liquere. Atque hactenus equidem fidem interpono meam, ut ab Apostolica sede, & in Germaniæ proceres translatâ eligendi potestate, comitiorum id jus viguisse apud delectos certósque Principes, dixerim ab Ottonis tertii & Gregorii instituto; sicque usitatum ducentis & amplius annis; quorum curriculo Septemviralis prærogativæ in electione constanter adhibitæ usurpatæque clara non extent vestigia; quod primum alii ostendunt, eruuntque ex Concilii, ut putant, Lugdunensis œcumenici actis, cui Innocentius VI. præfuit; alii ex Martini Poloni Innocentii æqualis Chronico docere nituntur. Equidem ne occupem aliena, eruditissimum suum pectus æquis æstimatoribus Bellarminus atque ejus defensor, ubi de translatione Imperii agunt, fortè faciliùs approbabunt. Nec parùm interim, meo sensu, virium habent, quæ nuper clarus IC. Christophorus Gewoldus de sacri Imperii Septemviratu, cujus originem à Gregorio V. & Ottone III. deducit, magno testium adparatu disputavit. Quanquam in Ecclesiastici ordinis tribus Principibus, Moguntino, Agrippinensi, Treverico, quibus sapienti majorum consilio incundi suffragium, non autem capessendi imperium jus datum est ad tollendum ambitum, Imperatoris deligendi potestas plurimum hinc viguit. Neque interim erat hæc res à me omni silentio reticenda, quo benigniùs feret lector, tacente vetustate, haud à me temerè, ut Willigisum Moguntiæ, sic Ludolfum Treviris Archiepiscopum, vel quemlibet sequioris ætatis hujus unum prodi, qui Septemviri, vel Electoris, quo modo nunc usurpatur, jus majestatemque perpetuo Comitiatiæ retinuerit, aut propagarit, cum cooptatione tam varia, jàm his jam illis præteritis, in summum locum multi venerint.

Baro. citat. ex Matthæo Parisio.

Tres Ecclesiastici Ordinis Electores.

Willigisus Moguntiæ & Ludolfus an primus Elector Imperii. Moguntiac. rerum lib. 1. cap. 17.

Interim

LXIX. Interim Otto Romæ fertur usurpato more Augustalibus ornamentis die Pentecostes ab Gregorio ornatus; qui inde ad regnum Italiæ constituendum, & jura populis temperanda de more studium omne suum conferens, paucos post menses in Germaniam rediit. Sed vix quiete tantisper datâ, ut averso ab Italicis rebus animo respiraret, Roma iterum Crescentii omnia innovantis ambitione tumultuans, Joannem Placentinum pro Pontifice accipere coacta. Quam sortem Gregorius extorris, cùm apud Ottonem, precatus opem deplorasset, aiunt, ad omnia adjutorem Cæsarem cum insigni delectæ militiæ Germanorum robore ultum venisse injurias; captaque per deditionem urbe, & restituto Gregorio, seditionis autores, atque adeo ipsum Crescentium, quanquam non sine violati jurisjurandi labe, infami nece sustulisse è medio.

ANNUS CHR. 997. Joannes Pontif. *Leo Cassin. Chron. Glaber hist. Franc. lib. 2. cap. 4.*

LXX. ANNUS CHR. 998. *MSS. & Lamberti chronologia.*

Cæterùm, quia hujus triennii memoriam multis obscuræ narrationis involucris, tanquam offusâ vetustati nebulâ; tectam invenio, neque adhuc ullis, quod sciam Annalium literis fideliter explicatam, tantillo quidem ordinis privati dispendio, non vereor publicam resarcire jacturam, veteri prælucente Chronographo, cujus verba quoque, non tantùm sensus assectabor. Is igitur ubi Hildevardi Halberstadensis eximiæ notæ Præsulis obitum ad VII. Kalend. Decembris exposuit hujus anni, qui nongentesimus erat nonagesimus sextus: *Vernali tempore, Otto*, ait, *Rex, compactâ inter Saxones & Sclavos, pace, Italiam perrexit; & Dominicam Resurrectionem Papiæ, regali more, celebravit. Dehinc omni regno Italico validè potitus Romam veniens, beatæ memoriæ Ioannem Papam defunctum reperit; cui nepotem suum Brunonem, virum valde præclarum, non solum cleri, sed & omnium Romanorum unanimi voto civium, Pontificem electum subrogari piè consensit: quem & Romani dempto Brunonis nomine Gregorium vocaverunt. Hic ergo sede inthronizatus Apostolicâ, Domnum hactenus Regem vocatum, non solum Romano, sed pæne totius Europæ populo acclamante, XII. Kalend. Iunii in ipsa Ascensionis Christi festivitate Imperatorem consecravit Augustum. Posthac Italico regno disposito revertitur: & in Agrippina Colonia summi Imperatoris condigno honore celebrat Natalem diem.*

Ottonis acta triennalia disposita ex MSS.

In Italiam proficiscitur

Joannis XV. mors.

Gregorii V. electio.

Ottonis coronatio.

LXXI. Exequitur hinc S. Adelberti Pragensis Martyrion; quo comperto, inde ab Italico itinere reversum Ottonem memorat ad illius limina, orationis causâ; postea profectum cum Imperatoris donis, susceptumque magnificè à Bolizlao Duce, & Gnesnam usque perductum, quò martyris corpus erat trãslatum; nudis verò pedibus Augustum obviam veniente Gnesnensi Episcopo Gnesnam intrasse; & post orationem lachrymis interfusis ad S. Adelbertum adhibitam, Archiepiscopatus titulo, sed non legitimè cohonestasse locum. Ita candidè Saxonicus scriptor; qui inde ad novos urbis motus conversus: *Hoc etiam anno, puta nonagesimo septimo supra nongentesimũ; Crescentius*, ait, *quidam diabolica fraude deceptus Romam absente Papa Gregorio invasit, Ioannemq́. quendam Calabritanum, quem Domnus Imperator Otto pro Græci Imperatoris filia sibi matrimonio acquirenda cum Berinvuardo Episcopo Constantinopolim miserat, inde revertentem cum Græcorum Legatis, se indigno suscepit honore, eumq́. non tam Papam quàm apostatam constituens, Legatos Imperatorios sub custodia Romæ retinuit. Pergit Ioannem describere, hominem conditione servum, natione Græcum, astu versipellem. Sub Ottone secundo Theophaniæ rogatu, altum stirpe regia, mox Palatinorum ordini insertum, longè claruisse inter primos. Inde Ottonis tertii pueritiâ invasisse Placentinam Ecclesiam, amoto, qui dignior electus erat; & crescente cum annis ambitu ita sese extulisse, uti B. Petri Apostoli sedem veriùs fornicando pollueret, quàm venerando insideret. Ergo Imperator, ait, tantis præsumptionibus compertis secundam profectionem paravit in Italiam, cui venerabilis Papa Gregorius Papiæ obviam factus, dum ei pessima Ioannis & Crescentii narrâsset gesta, ille divino commotus zelo, Romam quantocyus perrexit unà cum Apostolico. Quod audientes præfati ministri Satanæ, Ioannes quidem fugam iniit; Crescentius verò præsidio quod veterem Romam & Leoninum conjungit castellum, se cum suis inclusit. Tunc quidam non tantum Imperatoris, quantum Christi amici insequentes Ioannem, comprehenderunt eum, sed timentes, ne, si eum ad Augustum destinarent, impunitus abiret, linguam ei & nares amputârunt, oculosq́. pariter eruerunt. Hoc ità multato divinitus, Domnus Papa Gregorius sedem Apostolicam honorificè recepit; eamq́. usque ad obitum liberè insedit. Hinc Paschalibus expletis, ab Ottone oppugnatam arcem Crescentii, scalisq́. & machinis admotis captam percensset, Crescentium abscissâ cervice pedibus suspensum.*

Peregrinatio in Poloniam ad S. Adelbertum.

Joannis Schismatis ortus & actio.

Ottonis secunda profectio in Italiam.

Joannis Pseudop. casus.

LXXII. ANNUS CHR. 999. *S. Bernval. & alii* SILVESTER. II. PONT. an. 4. Tenuit inde Roma Ottonem usque ad obitum Gregorii, cujus ex morte ingentem mœrorem hausit, comparato illi successore Ravennatum Archiepiscopo Gerberto, cui Silvestro nomen fuit; sub quo Tiburtes dediti, & Romani iterum Ottoni rebelles pacati. Nec abfuisse ab Italicis hisce expeditionibus Ludolfum Archiepiscopum mos hujus ætatis solens, & plerumque trans Alpes à Principibus frequentata obsequia, facilè fidem faciant. Utrique plurimum quoque Ludolfum & Ottoni & Gregorio debuisse, aliunde colligere promptum; certè Gregorii ad perennandum memoria benè merentium albo vetustis apud Treviros diariis inscripta, & convenienter Ditmari calculo, obitûs dies titulo miniato signatus.

Ludolphus Archiep. cũ Ottone in Italia.

PRIDIE NON. FEBRVAR. OBIIT BRVN. PAPA FILIVS OTTONIS DVCIS DE VVORMACIA.

Ducem autem eum sive Comitem Saxonicæ stirpis ditioni præfuisse Vangionum Imperatoris vice reor; nam perantiquis D. Maximini monasterii tabellariis, Imperator Otto legitur Thietfrido Abbati varias tribuisse possessiones in pago sive Comitatu Wormatiensi, quæ sparsæ reperiuntur hodie in Episcopi ac Palatini ditione, confusis hoc tempore limitibus.

Thietfridus Abbas sancti Maximini.

LXXIII.

Clerus Trevericus septis includitur.

Ludolphus Archiepiscopus, per id tempus cœnobium & vitam communem instauraturus, cleri quoque domicilia circum ædem maximam, novis operibus exornare cœpit; murisque quaquaversum objectis, tuta præstitit ab oppidanorum commerciis & illecebris vitiorum; ad Episcopium duntaxat aditu civibus atque exteris permisso. Quod quidem præclarum providentiæ ejus specimen eo pertinebat, ut quemadmodum veteres autores innuunt, clerus, quem vitæ purioris studio flagrare omninò præ cætera multitudine par est, sicuti castis vitæ muneribus, ita prisco canonicorum instituto domiciliis, ceu diversis quibusdam habitationum officinis à vulgi esset colluvione secretus. Et aderant Ludolfo stimuli à Coslariensi Clericorum in Saxonia cœnobio, quod ut absolutâ morum disciplinâ, sic Imperatorum gratiâ florens, Ludolfum Treviris Episcopum dederat, educationis haud oblitum suæ. Porrò hæc Treviris clericorum in orbem descripta spatia, Immunitatis septa vocari ab antiquis, & Monasterium majus solent; quia Canonicos hisce temporibus sub Decani Præpositi imperio communi mensâ penùque monasticæ vitæ quâdam imagine cœnobium excoluisse, omnibus argumentis atque ejus vitæ, quæ passim extant plurima, vestigiis exploratissimum est. Et visuntur quidem ad hanc diem porticuum atque arcuum quà pertinuère limites claustráque domiciliorum, ruinæ perviæ nunc usquequaque: ut imperitè ac temerè hinc trahat argumentum, qui non latiùs quàm ista claustra patent, proferri velut terminos Episcoporum in urbem imperii, à quibus si oculos paulisper attollas, non cruce modò perstrictam Reipublicæ curiam, sed turribus & propugnaculis civitatis universum antiquitùs occupatum solum, clarissimè perspicias.

Immunitas & Monasterium majus.

Communem vitam degit. *vid. Metropolim Wilhelmus Kyriander in præfat. Comment.*

LXXIV. ANNUS CHR. 1000. *Lambert. in Chron.*

Insequens annus post Virginis partum millesimus, variis prodigiis plenus extitit: nam & crinita stella terribilis ac minax affulsit, & terra ingenti concussa motu tremuit. Quo tempore Imperator ex Italia reversus, obita religionis ergo Sclavia, ut Adelbertum nuper laureatum pro Christo martyrem honoraret, *Ostrado D. Maximini Abbati jus feriundi monetam, signandiq; concessit.* Hinc festa resurgentis Christi luce, Quidilinburgi cum Adelheida sorore piè transacta, Aquisgranum regifico adparatu processit, mitigando exaviæ & amitæ funeribus dolori, & itineri Italico, quod parabatur indulgens. Synodus ibi tunc coiit Episcoporum, præsente Silvestri Legato quâ disceptata Giseleri Magdeburgensis caussa, duas simul cathedras occupantis.

Otto Imperator Aquisgrani interest Synodo.

Tetigit Ottonem tunc, ut cum Ditmaro Lambertus ad hunc annum rectè narrant, curiosa cogitatio, studiumque rimandi Caroli Magni Conditorium: cujus ossa, cùm ubi loci cubarent, anceps esset, soluto clam pavimento, ad sepulchri penetralia pervenit, & quo ritu olim conditus, monarcham regali sedentem in solio, purpurâ, aureâque cruce fulgentem, reperit. Cruce & vestium parte inde sumptâ, pietatis haud expers cætera reposuit. Hâc religione perfunctus, & paululum, ut Saxonicus scriptor loquitur, mitigato dolore, sororem Adelheidam ab se dimisit, fide datâ, brevi eam in Italiam se sequuturum, supremum ipse tum iter ad Alpes & urbium urbem extendebat.

Caroli Magni ossa levat.

MS. Saxonica Ditm. lib. 4. Sigeb. in chronico.

LXXV. ANNUS CHR. 1001. *Romam sentit rebellem.*

Annus jam novus processerat, cùm, quod ex actis S. Bernwardi nos exploratò prodimus, Silvester Pontifex Romæ ad initium anni, præsente Ottone Imperatore & Henrico Bojariæ Duce, Synodum habuit; in qua Gandeshemensis controversiæ inter Willigisum Archiepiscopum & S. Bernwardum exortæ caussam cognovit; & Frithericum Cardinalem Legatum gente Saxonem post Ravennæ Archiepiscopum magnifico adparatu, &, ut Tangmarus loquitur, insignibus adinstar ipsius Papæ infulatum, equis Romano more ostro instratis, ad eandem sedandam litem, in Saxoniam misit. Tunc & Mazolino Ottoniano Duce cæso, obsessi Tiburtes, deditique Sylvestri, Bernwardi, & S. Romualdi intercessione, placato Ottone. Major hinc seditionum Romæ coorta moles, ubi autore Gregorio Quiritium validissimo factâ conjuratione, Otto ipse tantùm non insidiis circumventus, & ejus intercepti familiares; sed procerum virtute defensus, non sine promiscua civium & advenarum clade deditis seditionis autoribus populo tandem gratiam pacemque restituit.

Synodus Romana.

Acta Italica illustrata ex vita S. Bernwardi.

LXXVI. ANNUS CHR. 1002. *Otto III. moritur in Italia, & Aquisgrani sepelitur.*

Inde cum Pontifice Tudertum digressus celebrata istic à Silvestro Synodo, dum sequenti anno urbem iterum cogitat, à Crescentii uxore, ut nonnulli produnt, perperam adamatâ, vi veneni ad X. Kalend. Februarii Paternæ, quod Romaniæ castellum, præsente inter alios Heriberto Coloniensi sancto Archiepiscopo, oppetiit. Inde translatus in Germaniam, Aquisgranensi Basilicâ, quam magnis donis exornarat, conditus est.

Petr. Dam. in vita S. Romualdi.

Ottone ad hunc modùm erepto, hasta Dominica, id est, lancea, clavi, aliáque Imperii insignia penes Heribertum Archiepiscopum manserant futuro reservanda Principi. Hæc Henricus Bavariæ Dux, quem S. Wolffgangus educarat, & cujus parens nuper Treviris exularat, ceu certus Imperii, corripuit; & Procerum multorum adversante studio, regnare cœpit. Etenim Rheni transitu apud Wormatiam æmulorum factione prohibitus, cum simulatione reditus avertit hostem, flumine superato, Moguntiam venit; ubi lanceâ sacrâ, diademate cæteroque regali instrumento potitus, primùm Rheni & Fràcicorũ, & qui nuper Lotharienses, mox & Mosellensium, nominatim suffragia tulit. Denique secundis horum votis insistens, Moguntinus Archiepiscopus Willigisus VII. Idus Junii eum Regem imposito diademate consecravit, insciis vel invitis etiam Saxonibus, & Hermanno Suevorum Duce, contranitente. Atque ut occurram etiam facetiis, quæ in Mosellanam gentem vulgò sparguntur, quò videas in Regum creatione, cæteris eos Germaniæ populis nihil cessisse; magnificà narratione Dietmarus, Francorũ & Mosellanensium Primatum, ait, dum Henrico manum applicat, ejus gratiam meruisse. Et Adelboldus in eandem sententiam, Francos & Mosellenses ultro in Regis venisse potestatem, & majestatem ejus ex debito veneratos. Quod eo lætiùs acceptum, quis Theodoricus Mosellanorum Dux, Her-

HENRICUS. II. CLAUDUS REX GER. 22. annis. Theodoricus Dux Mosellanorum.

manno

manno conjuratus, Suevis & Alemannis inhærebat.

LXXVII. Henrico Regi adversantur Suevi & Alemanni. Cunigunda uxor Paderbornæ coronatur.

Porrò Henricus in Alemanniam conversis armis, ubi post leve populationum certamen mitiora præfert; hinc Thuringiam, & mox Saxoniam ingressus, ubi eorum in se studia concitavit, Cunigundam Lutzelburgiæ stirpis desponsam sibi conjugem, Paderesbrunnæ Reginam salutari, coronarique voluit. Ad Colonienses inde, & vicinos Belgarum & inferioris Lotharingiæ fines accedens, his in fidem receptis Aquisgrani Regium honorem instaurari placuit; siquidem Moguntinam inaugurationem ceu vitiosam Heriberto Coloniensium Antistiti displicuisse, Adelboldus disertè meminit. In Treviros posthæc veniens Prumiensem Abbatiam religione tum atque opibus in primis florentem lustravit; cumque ingentem ibi rerum sacrarum, & Ecclesiastici instrumenti thesaurum asservari comperisset, enixè ab Udone Abbate hæc omnia conseri atque in apographam relata tradi sibi postulavit. Extat etiamnum prolixus index vasorum omnis generis, ad usum rei divinæ spectantium, ex solido auro argentóque; lychnuchorum, & quibus reliquiæ conduntur vario opere thecarum, atque universæ demum sacræ augusti templi supellectilis ab hac ætate descriptio.

Henrici coronatio Aquis instauratur.

LXXVIII. ANNUS Chr. 1003. Henricus Mosellanis jus dicit.

Cæterùm quod luculentè Adelbordus expressit anno MIII. Indictione primâ, Mosellensem pagum (sic Mosellæ tractum indigitat) Henricus Rex peragravit, & Theodonis villæ, indicto proceribus conventu, generale, ut loquitur, cum omnibus Mosellensibus colloquium habuit; ibi cùm Duces Herimannum & Theodoricum, parùm Legibus ac Justitiæ tribuere didicit, everso funditùs Mulsbergio inimico castello utrumque coërcuit.

Herimannum & Theodoricum Duces coërcet.

Adelboldus in vita Henrici.

Hoc soluto conventu, Aquisgrano, multâ de S. Servatii præclaris actis & sanctimonia noscitans, Trajectum adiit, ut & Sanctorum ibi quiescentium patrocinium sibi pararet, & vitam Canonicorum melioribus formaret exemplis. Et quia hic S. Servatii tum celebris miraculorum patratione fama nos monet, credimus in hæc planè incidisse tempora, priscis cantatam illam S. Servatii reliquiarum ab usque Mosa, ad Gulizam Mosellæ vicum exportationem. Hîc loci Trajectensis Ecclesia ad nostram usque memoriam, prædii fundum, & vini proventum obtinuit. Is fundus à vicinæ regionis insessore valido, abstractus Ecclesiæ, curam dabat Trajectensi clero. Nam ejectus clerus pulsusque, ubi humana deerant, ad cœlestem Patroni sui tutelam confugit; extulitque in hostem vel invasorem ipsum Servatium feretro sublimem, ceu fortissimum in acie bellatorem. Jam propinquabant Gulizæ sacra ossa, cùm inter epulandum læti prædones Servatium sentiunt adesse vindicem, omnes unâ morte subitâ elisi & præfocati. Rei magnitudinem & religionem acceperant Confluentes; corpusque Divi flagitant apud se sisti benedictionis gratiâ. Narrant in magno populorum concursu, feretrum in aëra se ultrò levâsse, & pronum S. Beati Martyrumque monti vicino, trinâ velut salutatione se inclinâsse.

S. Servatii memoria apud Gulizam Mosellæ.

S. Servatii ossa Trajecto exportata adversus hostem.

Auxit & S. Servatii patrocinium apud Gulizam puerorum correptio; qui furtim vineam hujus prædii ingressi fructum auferre parabant, cùm augusti senis specie visus illis S. Servatius, eo gestu, habituque corporis rigidos obstupefecit, quo scilicet ad raptum botri, se diversi flexerant; retinuitque totum diem in eodem vestigio, donec attoniti parentes, ad hoc delati spectaculum, vix precibus votisque solverunt mirificè ligatos. Missi itaque conserti manibus pueri Trajectum ad S. Servatii memoriam; ubi absoluti, grates laudésque dixêre Sancto. Superest & ostenditur adhuc fundus vineæ, in qua furto uvæ vexatæ; estque in possessionibus collegii Societatis Jesu Confluentini: quod hujus narrationis aliaque de S. Servatii præclara ejus loci tutela non pauca vel obscura documenta custodit.

S. Servatius punit pueros fures uvarum.

Romæ eodem anno Silvester decessit; cujus in locum Joannes XVII. subrogatus, & post quinque menses Joannes XVIII. Sequenti vel circiter Abbatia S. Martini novo calamitatis genere conflictata, gravissima rei familiaris damna accepit. Quæ etiam res Ludolfo Archiepiscopo invidiæ atque obtrectationis labem nonnullam aspersit.

LXXIX. JOAN. XVII. Pontif. JOAN. XVIII. Pont. an. 5. m. 7. ANNUS Chr. 1004. *MS. Eberwini Abbatis.* Monasterii S. Martini conversio.

Per id itaque tempus Comites Lutzelenburgenses parùm adhuc apud Treviros aut rebus gestis, aut propagatis finibus ad memoriam hominum celebrati, in familias partim sacris ineundis magistratibus, ad insignis prosapiæ amplitudinem & virium gloriam consurgebant. Gisilbertus secundus Lutzelemburgi Comes Sigefridi, ut reor, filius vel agnatus fœcundâ tum & generosâ sobole virescebat, liberis susceptis, Gisilberto qui Papiensi seditione in Italia periit, Friderico & Henrico postea Boiariæ Duce, Theodorico Mediomatricum Antistite & Adalberone ædi Paulinianæ Præposito apud urbem Trevirim, non religione magis, quàm opibus tum præcellenti. Filiam ei consensu vetustiores attribuunt, præter Oginam Balduino Flandriæ Comiti junctam, B. Cunegundam Henrici Imperatoris conjugem, perpetuâ in matrimonio cultâ servatâque pudicitiâ, sempiternæ hominum memoriæ commendatam. Nec opinionis horum agimus ignari, qui Sigefrido Palatino Comite, quam verè needum liquet, Cunegundem pugnant, propagatam.

Comites Lutzelenburgenses efflorescunt.

MSS. Trev. MSS. Franciscanum.

Adalbero, quo de nobis sermo, opum nimius atque immodicus potentiæ, quâ multos anteibat, ut animo erat excelso, nihil mediocre spectare, sed artibus dominandi insistere, atque in iis neque modum neque modestiam habere. Agris itaque & fundis monasterii S. Martini avidiùs inhians, contra jus fasque ut perhibent Episcopo dissimulante, multa prædia vi diripuit ac pervasit. S. Symphoriani parthenonem Francorum ætate, & Normannicis irruptionibus adhuc florentem, tunc incultum & virginum sodalio fuisse destitutum, apparet. Ejus situm describit à suo tempore Tritthemius apud monasterium S. Martini juxta muros supra littus Mosellæ versus Aquilonem; & simul ordinis Benedicti complures moniales ibi sanctissimas claruisse, suaque ætate, ejus nullum vestigium superfuisse, præter unam columnam, quâ Ecclesia olim sustentata. Redigebant ex superstite templo D. Symphoriani proventus haud exiguos Martiniani

LXXX. *Tritthem. in Hirsaug. Chron. Lucians. Onup. Adalberonis Lutzelemb. Præpositus S. Paulini asta.*

D. Symphoriani Templum & Monasterium nunc abolitum.

D. Martini Cœnobium diripitur.

cænobitæ

cœnobitæ; quare cum hujus Basilicæ procuratio etiam nonnulla ad ipsos pertineret, accidit ipso B. Symphoriani festo die, ut statim ibi pervigilium monachi haberent. Nocte igitur intempestâ, cum in propinquo Mosellâ, solutis rudentibus molæ in se ipsas impactæ, illisæque quassantur, clamor inde tolli, concursúsque fieri agrestium sibi mutuo opitulantium. Ad quæ visa auditáque monachi excitati, metu subjiciente incendium, non jam templo se quisquam continere, sed undique prosilientes spectatum accurrere ecquid rei esset. Fortè dum hæc aguntur, Ludolfus Archiepiscopus patrocinia Divi pro ævi religione implorans, cum Adelberone templum à monachis tantisper destitutum unà ingreditur; atque hic cùm insolitam miramque fortè deprehendunt & hominum & officii divini solitudinem, abruptâ mox precatione, ad Episcopum Adelbero: *En*, inquit, *ipsum illud est nimirum, quod de hoc tibi loco jam pridem exposueram, fœdâ contaminatum scilicet nequitiâ, & exitio atque vastitati proximum.* Expeditoque mox consilio, & Archiepiscopo, ut ferunt, assentiente, jussit, qui sublatum inde thesaurum mox ad D. Paulini asportarent. Quæ indignitas rei animadversa inde à cœnobitis, cùm vehementer animos eorum pungeret, sequenti luce ad Pontificem adeunt, tenduntque summâ ope, ut in facti autores pro potestate quæstionem decernat, ut sacram aversam expilatámque supellectilem, reponendam curet. Sed Episcopus variis frustrationibus controversiam extrahens, petitores tamdiu ludificatus dicitur, donec non templum id solum Adalbero, verùm omnes eo pertinentes agros atque possessiones, nemine vetante, occuparet. Cujus rei gestæ Ludolfus, acri deinde pœnitentiâ tactus, adempta denique prædia restituendi consilia seriò quidem agitavit; sed vitæ spatio longioris exclusus, cœnobitas compotes voti non fecit, Adelberonis cupiditatem roboravit.

LXXXI. Ogina Balduini Flandri conjux. *Iacob. Marchant. Fland. l. 2. in Balduino 4.*

Fuit Adelberoni soror, ut dicebam, Ogina, Balduino IV. cui Pulchrobardi cognomen, Flandriæ Comiti matrimonio juncta; de qua Flandriæ scriptores id memorabile tradunt, quod cùm adultæ ætatis jam quinquagenariæ propior effœta & sterilis haberetur, quò fructus ad generis dignitatem consurgeret, & sterilitatis opinionem eriperet populo, maritum foro medio Atrebatibus tabernaculum tendi sumptuosum, præstóque esse parturienti matronas præcipui nominis locique jussisse; atque ita vulgato partu, civibus fœcunditatem approbasse, dum industriosum pro parum verecundo facinus audet.

ANNUS CHR. 1005. *Sigeb. Annales Belgici.*

Otto Dux Lotharingiæ Carolinorum reliĉtæ stirpis ultimus. *Sacra mihtia c. 40.*

Anno postero vitam commutavit Otto Dux Lotharingiæ inferioris nullâ relictâ post se prole masculâ; quamobrem summa rerum ad Imperatorem denuo translata, qui provinciam eam Godefrido Arduennati, Godefridi Barbati filio, petenti concessit. Hæc verò Ducis Ottonis ex inclytæ Carolingorum stirpis germana regiaque prosapia liberis orbi, ultima meta fuit. Sepulchrum illi recensente Molano, tribuunt alii Nivigellis, in Brabantia, apud S. Gertrudem; alii Coloniæ ad Deiparæ Mariæ. Justus Lipsius denique Bruschium secutus famæ dat sepultum Epternaci in Leucorum ditione (sic Lutzeburgenses ille nuncupat) spectarique tumulum in Benedictinorum cœnobio cum inscriptione opere musivo.

Lovan. lib. 1. cap. 10.

Otto Comes tibi sit requies per
sæcula perpes.

LXXXII.

Verùm hic titulus Comitis cùm rem suspectam facit, tum ad Brabantiæ certum aliquem Comitem alii referunt; tum denique eorum etiam vigilias effugit, qui res Epternacensis monasterii ex professo tractàrunt.

Duces Mosellanorum dicti & Lotharingiæ.

Theodoricus Dux. *Chron. l. 5.*

Lotharingiæ Ducatus hîc rursum me stimulat, ut nolim reticere Ducem Mosellanorum, ad id etiam tempus à Lotharingia sed superiore tulisse nomen. Ita Ditmarus coætaneus scriptor de Theodorico Duce, qui Mosellanis jus dicebat, cùm Henrici Regis vix adulta sceptra, procerum factione fluctuabant. Theodoricus Lothariorum Dux, vir sapiens & militaris, quò se pars populi major & melior inclinaret, securus exspectabat. Verùm ex Adelboldo narravimus Theodoricum hunc, cùm jam ante Ludulfus Archiepiscopus cum cæteris Musellensibus in Henrici partes maturè concessit, Theodonisvillano conventu, quòd tardiùs accessisset, offendissetque caussis aliis levi castigatione correptum, Henrico Regi studia sua conjunxisse. Hæc domi.

Henrici Claudi Regis in Italiâ expeditio. *Ditmar. l. 6. Chron.*

At Henricus jam tum Alpes emensus Harduini vel Hardwigi comprimendæ tyrannidi Longobardorum fines adierat; Ticinúmque progressus, inopinatò bellum in gremio pacis habuit. Quippe ex facili concito populo, tumultus erupit, palatiúmque Regis, fremitu & concursu multitudinis omni missilium genere oppugnatum, & serò veniente auxilio, ægrè defendi potuit. Hac in seditione, nil proficiente Heriberto sancto Ecclesiæ Coloniensis Archiepiscopo, Giselbertus Lutzelinburgius, dum suppetias Regi per mœnium ruinas & hostium infesta tela venit, fortissimus juvenis medios inter Longobardos vulneribus saucius occubuit; & mœrorem tum commilitonum, tum Regis ac Reginæ, cujus erat frater, adauxit. Expeditionem hanc, quam Mosellani & Lutzeleburgii vicini, vel maximè ornârunt, Adelboldus ad annum superiorem revocat; meminitque juvenis fortissimi Reginæ fratris, qui unus in medium Longobardorum agmen irrumpens, gladium, quo accinctus, in ferocientis adversarii jugulum sic immerserit, ut à cono galeam mucro ad vulnus usque penetraret.

Papiensis seditio.

Giselberti Luzeleburgii fortis exitus.

Mosellani & Lutzelenburgii in Italica expeditione.

LXXXIII.

Cæterùm atroci pugnâ, inter Ticini muros, Rex defunctus Longobardiæ ac Tusciæ populos, denique ad obsequium promptiores habuit. Quamobrem receptui maturiori ex Italia dato signo, perpetuâ velut negotiorum catenâ, difficile narratu quantas res unius æstatis circulo, bono publico Rex incluserit. Sed præcipuam restituendæ plurimis locis in Ecclesia collapsæ disciplinæ segetem, nec gracilem eam messuit. Tremoniæ apud Westphalos frequenti convocatâ Synodo monasteria vacuefacta bonis moribus & opibus, ubi non adjuvit aut levavit? Prætereo Corbeiam Saxoniæ, Fuldam, Hersfeldiam, illustria nomina.

Henrici Regis studium in disciplina Ecclesiæ restituenda.

Annus Chr. 1006. Augia major.

Est Augia major in Alemannia, præclarum ordinis S. Benedicti cœnobium, insulâ ferè lacus Cellensis inclusum, quæ Acronii brachium est. Hic Werinharium Abbatem cùm mors abstulisset, Henricus Rex memor Prumiæ Trevericæ, quam nuper coram florentem bonis artibus inspexerat, hinc Immonem Augiensi cœtui præficiendum submoto, quem errore probârat, evocat. Immo is Gorziam priùs Metensis diœcesis, tunc Prumiam tenebat; utque rarò frugi crebræ magistratuum translationes, Augiæ non lubenti vir austerus supervenit. Nam invitis monachis præpositum, damnaque sequuta Hermannus Contractus, ejus monasterii nobilis scriptor exequitur: *Quippe nonnullis spontè migrantibus, aliis ab Himmone jejuniis, verberibus, exilio graviter afflictis, nobile monasterium in magnis viris, librisq; & Ecclesiæ thesauris, grave peccatis exigentibus pertulit detrimentum.*

Prumia Immonem Abbatem accipit

Augiensis Cœnobii status.

LXXXIV. Sigeb. in Chronico.

Idem hic annus dubium famê an pestilentiâ fuerit tristior; duobus namque hisce malorum generibus mortales passim conflictati, tantâ strage occubuerunt, ut cùm paucorum funeri libitina sufficeret, vivi atque spirantes pariter obruerentur cum mortuis.

B. Celsi memoria.

Hisce quoque diebus Theodoricus Inventionis S. Celsi illustrator, ita de se scriptum fecit: *Dominicæ Incarnationis anno MVI. qui est ultimus XXV. Decemnovennalis Cycli in secunda serie magni anni, qui Paschalis dicitur, undosum hujus mundi salum, Christo gubernante nudus, & ad tutissimum B. Eucharii portum, hospitalitatis gratiâ, confugi. Cumq; ab ejusdem monasterii patre Richardo benignè non solùm susceptus, sed monachorum quoque familiæ grandævus jam & sciolus essem adscriptus, rogatus ut de S. Celsi miraculis aliquid scriptitarem, id ita feci, ut cùm per tres continuos annos sic fuissem podagræ tumore ac crurium exulceratione intricatus, ut vix baculo sustentari possem, opere, quod de S. Celso susceperam perfecto, laus Deo sic restitutus sum, hoc patrono intercedente, quatenus me Asahelem potiùs quàm claudicantem monachum existimare posses.*

Theodoricus monachus S. Celsi meritis convalescit à podagra.

LXXXV. Annus Chr. 1007.

Principia verò anni sequentis B. Celsus admirandis suis operibus, ut hæc omnia pœnè tempora, illustravit: nam sacro B. Valerii die mulier à dæmone ferociter agitata, cùm expetitam sæpe alibi Divorum opem, apud beati Celsi memoriam implorasset, brevi à nequissimo spiritu liberata, Christianæ mentis usum sanitatémque recepit.

Synodus Francof. pro institutione Episcopatus Bambergensis. Iac. Gret. 7. in Divis. Bamb. c. 11.

In annum hunc quoque probatiores Synodum II. rejiciunt, quæ Francofurti à XXXVI. Episcopis celebrata, ad stabiliendam nuper Bambergæ erectam Henrici Regis liberalitate, Episcopalem sedem. Qua in re cum Joannes Pontifex autoritate & privilegio ex urbe ceu oraculo misso præiisset, hic jam cæteri Episcopi voce & manu subsecuti sunt. Affuisse Ludolphum ipsa subscriptio testatur [Ludolfus Trevirensis Archiepiscopus interfui et subscripsi.] Bertholdus Tullensis Episcopus interfui. Heimo Virdunensis Episcopus interfui & subscripsi Theodoricum verò Metensem à subscriptorum abesse numero, neque notâ caret; ne

Ludolfus Francof. in Synodo.

que causas subtrahet rerum eventus; quamobrem acta is sancti Regis hæc minus probarit.

Anno inde octavo supra millesimum, Ludolfus Archiepiscopus vitam destituit; sepulturæ loco parum mihi comperto. Elogium ejus apud Ditmarum: Lib. 6. Chro.

VENERABILIS ARCHIEPISCOPUS LUITOLFUS VIR DOCTUS.

Et rarioris quoque Doctrinæ titulum adscribit illi Hermannus Contractus. Sed longè his anteit Elogium Otloni Fuldensis monachi in prologo ad vitam sancti Pyrminii à nobis illustratâ, qui Luidulpho inscriptus est, cui & commentarium illius vitæ considerandum & examinandum se mittere profitetur: *quia* FIDES, inquit, *&* VERITAS *te composuerunt, cæteraq;* VIRTUTUM *caterva tam firmâ tutelâ muniunt, ut livore careas, & ab omni ventositate immunis existas.* Morte ipsius ingens apud Treviros seditio concitata, quæ haud exiguâ urbem simul clade involvit.

LXXXVI. Megingaudus 47. Arch. 73 Epis. Lambert. Megunt. Gesta Trev. Epitom. Ditmar. l. 6. Chron.

Henricus Cæsar factus de Ludolfi morte certior, Megingaudum nobilem virum & Ecclesiæ Moguntinæ Præpositum, & Willigisi Archiepiscopi Camerarium Treviris Antistitem commendavit: quod simul Adalbero Lutzelenburgius comperit, fretus domesticâ partim potentiâ gratiâque, partim fiduciâ honoris promissi generosæ propinquitati, amplissimi potiundi Magistratus libidine exarsit; & Episcopatum, priusquam à Megingaudo teneretur, rapere maluit, quàm exspectare. Operæ puto rem illo sæculo in vulgus celebrem accuratiùs mandare literis. Apud priscos certè fidosque Chronographos hujus Adelberonis non obscurum nomen, ab Hermanno Contracto Clericus nuncupatur, Reginæ Cunegundis germanus: à Ditmaro Luitulfi Archiepiscopi cappellanus. Et genus facinoris veteri membranaceo libro notatur: *Adelbero Clericus Reginæ frater, Regi factus adversarius, abominationes multas concitavit contra omne jus & fas; Trevirim sibimet cum suis sequacibus mancipavit; sicq; discessit.*

Adelbero malis artib. ambitiosius Episcopatum invadit. Chron. l. 6. MSS. Francofur. MSS. Fuldensia.

Fontes turbarum, si quid video, hinc potissimùm censeo profluxisse. Ante biennium Henricus Rex Babenbergam in Orientali Francia civitatem suam, genio loci & situs amœnitate à pueris amatam coloniam Christo transcripserat, & templis prædiisque opulenter instructam, Episcopali honore sustulerat. Id verò Cunegundæ germani rati damnum probrumque suæ stirpis aversari; quia urbs Babenberga cum fertilibus agris, fundisque Reginæ dos, olim dicta & constituta fuerat. Verùm æquitas pro Rege stabat, cui postquam sedit, castimoniæ posthabere liberorum procreationem, fratre & conjuge volentibus, dotem religioni ac numini consecravit.

Caussæ conjurationis bellici motus ab Adelberone.

Babenbergensis Episcopatus Ecclesiæ institutio. Ditmar. lib. 5. Chron.

Jam etiam aliud Adelberonis vide irritamentum; quem cathedræ Trevericæ honorem ceu promissum olim expetisse meminit Contractus, & necessariorum, adeoque ipsius

LXXXVII. Adelberoni promissus Episcopatus & propinquorum vota.

Reginæ

Reginæ ambitiosas intervenisse preces non reticet Ditmarus: *Mortuo enim*, ait, *post Pascha Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopo venerabili Ludolpho; cappellanus ejusdem Athelbero, frater Reginæ,* & *immaturatus juvenis, plus timore Regis, quàm amore religionis, eligitur. Rex autem ut hoc audivit, prioris non immemor in germano ejusdem Theodorico Metensi, non præmeditatæ constitutionis, uxorem dilectam, ceterosq; suimet familiares de Episcopatu eodem impetrando solicitos sprevit,* & *Megingaudo Willigisi Archipræsulis Camerario, nobili secundùm carnem viro, eundem dedit. Propter hoc subdolæ generationis furor accenditur.* Quòd autem & Theodoricus Metensis Henrici item Regis affinis hîc notatur, id ex Sigeberto non male referas ad ambitum Theodorici, qui Metensem & urbem & Episcopatum nuper invaserat.

Conjuratio Adalberonis facti que valida. Porrò conjurationem hanc fuisse validam, nec unius Adelberonis ingenio opibúsve nixam, satis ostendit Contractus; nam faventibus, inquit, quibusdam ad Archipræsulatum, quasi ex regio promisso sibi debitum, adnisum; inde cum suis fratribus Theodorico Metensi, & Henrico Boiariæ Duce, Friderricoque Comite adnitente, aliisque compluribus contra Cæsarem rebellâsse, quos omnes etiam aliquanto post subactos à Rege, Henricum etiam Boiariæ Ducatu spoliatum, annotat.

LXXXVIII. Henricus Lutzelenburgius factus Dux Bavariæ. Quod postremum ne excidat, observo Henricum hunc Lutzeleburgium ante triennium Ratisbonæ, ex gratissimo Regi milite, supra sortem generis, sororis utique præcipuo respectu, Boiorum Procerum assensu Ducem creatum. Ipsumque Regem, in solio purpuratum, hastam signiferam (nota ritum inaugurandi Duces) porrexisse candidato, autoramentum novi honoris. Nec benè Ditmarus, quem hic autorem sequimur, generum Regis vocavit, quem affinem oportuit; cùm & aliis sit Henricus hic Cunigundæ frater, & Rex sine sobole, ex qua gener esset.

Ritus instituendi novos Duces.

* Contract. in Chron ult. edit. Vita S. Henrici.

Sigebertus ad annum 1004. iisdem verbis. Conjurationis autem hisce fratribus unam fuisse communemque causam, vetus à me sæpè laudatum Chronicon cum Sigeberto testatur, ubi Theodoricus Metensium Episcopus dotem & patrimonium Reginæ Cunigundis, quæ soror erat sua, Babenbergensi Ecclesiæ dolens delegari à Rege, contra ipsum rebellat. Atque læsum à Lutzeleburgiis Theodoricum Mosellanorum Ducem, has etiam constat aluisse simultates, qui Regi fidus, & carus in paucis.

LXXXIX. His itaque irarum aculeis Adelbero stimulatus, militem in nomen suum jurare coactum jubere apud se sacramentum dicere. Inde occupato cum firmo præsidio urbis Palatio, variis illud munire operibus; & ne quà trajectus per Mosellam esset, pontem constitutis in eo turribus, & Castellis quoquoversus erectis validè firmare. Palatium verò præter tres quadratas eximii operis turres, arcis per eos dies in urbe locum obtinuisse, res ipsa docet; quandoquidem altissimis firmisque murorum pinnis Romanâ fabricâ ex bipedali latere, & cùm aliis propugnaculis, tum uno præcipuo atque ingenti, quod respicit Aquilonem, in Circi morem assurgens, maximo

Palatium urbis Ditmaro Palas.

tum fuit adversus intestina, aut extera bella adjumento, nullo præsertim adhuc æneorum tormentorum usu.

Megingaudus interea cleri populique nutu, testatâque Cæsaris voluntate, pro justo se Pontifice gerebat, atque eo nomine summâ utriusque ordinis consensione, jam susceptus erat. Quare inito honore nihil antiquiùs duxit, quàm ut Ecclesiæ suæ, cui ingentem ex illa factione calamitatem imminere apparebat, maturè prospiceret, communemque tranquillitatem pro virili assereret. Cui rei perficiendæ duos fortissimos viros, quorum opera in bellis illi erat atque consiliis explorata, clientes sibi devinxit, Ravingerum, * Madelbergium, & Udelbertum Stalleum; eosque honestissimis feudis affecit, ex D. Martini prædiis temerè collectis, quo fideliorem operam eo in bello sibi navarent. Hi cùm adversus Adalberonem se firmâssent, Palatinis fortiter undique resistentibus, nequidquam oppugnationem tentârunt, armis nimirum ita sumptis, ut hoste paulisper represso parti suæ non defuisse viderentur. Megingaudus itaque, ubi cernit diligentiâ suorum nihil profici, ab Cæsare in id jam intento auxilia imploratum misit.

* Mailbergum.

Trevericum bellum intestinum Adelberone palatium occupante.

XC. Ditmari Chron. l. 6. Cæsar eam injuriam ad se pertinere arbitratus, confestim exercitum in fines Trevirorum adducit: Megingaudum gravi cæremoniâ à præsentibus istic Episcopis consecrari antistitem, at Adelberonis caput anathemamate devoveri jubet. In his Episcopis numeraverim, Heribertum Coloniensem, Willigisum Moguntinum, tunc Archicapellanum, & Baldricum Leodiensem, cui Henricus Rex amplum diploma super banno bestiarum indulsit, Treviris hoc anno pridie Idus Septembris autoribus & actoribus magnis quos appellavi sacerdotibus.

Neque Adelbero interim se deserit, sed quasi certam jam Henrici iram haberet, præsidia custodiasque ad ripas Mosellæ disponere, palatiumque rebus omnibus ad Obsidionis incommoda toleranda, necessariis graviter instruere. Cæsar ad urbem exercitu portato, post dominicam diem in Albis ad eam partem oppidi, qua spectat Orientem, castra locat, palatiúmque, sed laxioribus subsidiis circumsidet, curâ majore terrendi obsessos, quàm tuendi suos. Nec aberant fraus & bellicus astus ab Henrico Bavariæ Duce. Itaque non Adalberonem satis cohibere intra munitiones, non suis castris arcere vim, ac tueri se satis Rex ab obsesso potuit hoste; tum crebris etiam diurnis nocturnisque eruptionibus fœda vastitas agris finitimis illata, adeóque civitas ipsa, quæ jam inde ab exitiali illa Nortmannorum populatione, tectis atque privatis ædificiorum operibus, (nam mœnibus ea tempestate publicis carebat) nec non mediocri civium atque incolarum numero creverat; ad pristinam ferè solitudinem redacta est. Enimverò alacritas tanta defensorum extitit, ut cum fortè prospectassent magnam pecorum vim, ad sublevandum Cæsaris commeatum è vicino Pauli monte descendere, inhiantes prædæ, cum armatorum globo ex Palatio sese ejicerent; initóque acri cum Cæsarianis certamine, iisque haud magno sanè negotio in fugam actis, ipso

Henricus Palatium oppugnat.

Detrimenta urbi allata Annal. MSS.

inspectante Cæsare, pecora in Palatium abigerent impunè. Hac de caussa acceptæ dolore ignominiæ stimulati Cæsareani, mox agmine facto insecuti fugientium tergis hærentes unà in palatium irrupère. Quo malo perterriti Palatini, objectis repagulis, atque ex abdito portis occlusis, non in æquum sese locum dimittere, sed toto undique muro circumfundi, & editiora loca continenti impetu petere. Inde saxa quàm plurima possunt, atque tela in subjectos ex locis superioribus devolvere; quæ cùm ex omni parte præcipitata à confertis in aperto loco vitari nequeunt, pars lapidum imbre cooperti, pars multis vulneribus acceptis saucii exclusi a suis, in deditionem se tradiderunt.

XCI. Cæsar factus de clade suorum certior, omni demum mole summóque apparatu Palatium oppugnare instituit. Dirutis igitur ad solum, atque dejectis quàm plurimis circum urbanis ædificiis, ex horum materia bellicas machinas atque castella fieri præcipit. Hæc opera ubi in eam brevi altitudinem educta, ut cum Palatii muris adæquata, non difficilem expugnationem ostenderent; mox ut propugnaculis admoveri cœpta Palatinorum ingeniosâ sollertiâ, vel ignibus illatis consumpta, vel vario tormentorum genere disturbata sunt omnia. Verùm hinc fames & ultima fatigatio, machinis ipsis validiora frena obsessis injecta. Quare cùm in eo jam esset, ut hostis propugnando fessus, aut mediâ, aut deditione Regis potestati cederet, fecit callidâ machinatione Henricus Bojariæ Dux, ut impetratâ veniâ impunè dimissi conjurati, quà vellent excederent. Henricus igitur postquam obsidione in longum tracta, magnas ultro citróque diœcesi vidit clades illatas, seu tædio longioris moræ, seu aliis factiosorum bellis eum avocantibus, dejecto prius ex ponte Adelberonis præsidio, innoxios conjuratos abire permisit; ipséque in Lotharingiam ad Kalend. Septembris ab urbe malè fidâ discedens, Megingaudo justo Episcopo honorem de novo confirmavit.

Palatii Trevir. deditio.

Henricus Imperator re parum prosperè tentatâ Treviros relinquit.

XCII. At enimverò quia hujus motus Treverici noxa latè desæviit, & concitatis in arma dynastis Lotharingicis, extra urbis pomerium ad vicina quoque loca transiit populatio; attestatorem Ditmarum appello hujus temporis æqualem, quò domestica narratio publicis quoque literis magis illustretur. Commemoratis, quæ perstrinximus antea. *Palas*, inquit, *à Trevirensibus contra Regem firmatur, ac terra hæc hactenus pacifica, crebris concrematiοnibus quatitur: & quicquid hi immites in dominum lenem prius peccaverunt, æquali lance receperunt: Quid hi omnes hic, & in futuro examine dicturi sunt? quorum culpâ ineffabili, Ecclesia mater incorrupta, toties in filiorum suimet nece, & dispoliatione gemens, lacrymas à maxillis descendentes ante conspectum vindicantis domini, fundit? Tali præsumptione Rex commotus, illò, cum exercitu properat: Archiantistitem inthronizatum, ibidem consecrari, Athelberonemq́, excommunicari præcipiens. Obsidione etiam continuâ eos, qui Palas turbârant, in tantum constrinxit, ut fame, & assiduâ impugnatione defatigati, aut interiùs perire, aut in potestatem Regis inviti deberent exteriùs venire. Quod ne fieret, Henricus Dux improvisâ calliditate impediens, exire eos illæsos, apud Regem obtinuit. Postquam verò de his, rei certitudinem Rex inquisivit, gravitate mentis id ferens, ultus est.* Sed Chronicon vetus rei exitum ita commemorat. *Cùm Rex comperisset, nempe Adelberonem hostilia moliri; suas illicò copias colligens advenit; Lotharingos sibi resistentes in Palatio obsedit, sedecim hebdomadas ibidem faciens. Illi verò tandem fame coacti, falsò dextras dedère, Regem remeare fecerunt; ipsi nihilominus in sua perfidia manentes.*

Chron. l. c.

Palatium, quod hodieque Palas; & vicus eo ferens Palatinus.

Treverici seu Adelberoniani belli clades.

Deditio Palatii perfida.

Neque hic dissimulandum, quod, ut imperitè hujus belli sedes tribuitur oppido Pallatiolo, quod duorum circiter millium ab urbe Mosellæ flumini assidet, sic ab infenso Trevirûm Archiepiscopis scriptore, malignè tradi. Palatium hoc ad id tempus non fuisse juris Episcopalis, ne, cum Prætoria civitatum, quæ Palatia vocat, regalibus annumerari ipsi planum sit, eâdem ratione fateri cogatur, quod undique percipit, Archiepiscopos etiam tum rerum summæ potitos. Libenter itaque ad Alberonis, ut loquitur, manifestam vim, possessionis originem revocat, cùm multifariàm valde persuasum cupit, nobilissimæ Ecclesiæ patrimonia seu vectigalia juraque, quæ Regalium titulis indicantur, non ex jure manu consertum, Regumque legitimis donationibus, sed Episcoporum invasione, seu solidâ vi ferróve parta.

Lotharingi adhuc Treviri, Lutzelburgii vicinique, veteri nomine.

Palatiolum oppidum male confusum cũ Palatio, in Lutzelb. asf.: De Palatio contra Kiriand. p. 13 comment. de Aug. Trev.

Enarratum in tempore, Palatium quod hîc dicitur, priscè ad habitandum vix ulli usui esse potuisse; vastæ Basilicæ aut potiùs Hippodromi speciem præ se ferens, muris & fenestris in immensum sublatis: donec area interior ædificiis tandem occupata, iisque non veterrimis, coli ab Archiepiscopis cœpit. Majorque ratio suppetit, ut longè ante hæc tempora Pontifices locum eum possedisse, quàm ut ab Adelberone primulum vi occupatum, usuque captum credas. Nam quis Adelberoni potior locum eum vindicandi, & post etiam insidendi titulus, nisi quia Archiepiscopus designatus, electusque in parte fuerat? Neque multum ad rem interest, primum hujus possessionis unde caput arcessas, cùm inde per tot ætatum spatia, illacessita profluxerit vindicatio.

XCIII. Sed ne mihi quidem audiendi videntur, qui Palatium hoc Trevirense, Domum interpretantur, à qua olim Majoresdomus apud Francorum Reges, sortiti nomen; qui Majores regiæ familiæ, ubiubi tandem ageret, quin & regni totius, aliquando fuère Magistri. Nec non fabulis similia tradunt, qui ex hisce Treverici Palatii ruderibus, ac parietinis, Comitum Palatinorum Rheni nomen & originem educunt, ut meritò vir gnarus Palatinarum originum, sententiam eam exploserit. Si enim Palatini ad Rhenum Rheniique fluminis, cur à certo Treviris, immò incerto Palatio, nomen mereantur? At cur non potiùs tot generum Comites Palatini, quot latè per Saxoniam, & diversas Germaniæ provincias diffusi, ac stirpibus distincti, originem suam à Trevirensi item Palatio repetant? ut impensè mireris tam constanter asseri, quod verum esse difficulter sciri potest, aut, ne post quidem, autore vano: nempe Palatinos Rheni, in ipsa Trevirorum Augusta Palatium hoc

Palatium hoc, an illud, à quo Majores domus in Francia.

Citantur authores Orig. Palatin. c. 2. Kirian p. 13.

An ab hoc Palatio profecti Comites Palatini Rheni?

Adi M. Freheri Origin. Palat. cap. 2. ubi confutatur Kiriand.

vetus, Romanis Francisque Principibus habitatoribus nobile, diu insedisse; cùm potestate Advocati Ecclesiæ Trevirensis, atque etiam Præfecti urbis. Sed alium hæc locum postulant; nunc instituto cursui reddenda narratio.

Megingaudus legitimus Præsul tranquillitatis & otii cupidus, cùm deinceps ob tyrannidem Adelberonis, urbem atque Palatium cum Episcopii familia, injustè sibi vindicantis, sedem nusquam idoneam tutamque conspiceret, ad Confluentes sese transtulit; ubi sacro magistratu cum laude perfunctus, reliquum vitæ spatium in otio ac secessu transegit.

XCIV. Augiæ Bernardus Prumiensis monachus eruditus Abbas constituitur. *Contract. in Chron. ult. edit.*

Augiæ monasterio nuper opem tulisse Prumienses cœnobitas, ostendi. At Immonem abbatem, quem Prumia miserat; jam nunc ob morum sævitiam parùm Augiensibus convenire, Rex edoctus, eo remoto, Bernardum eruditum virum, & Prumiensem antea monachum, eidem Augiæ dedit Abbatem; qui lætis Augiensium animis susceptus, dispersas monachorum reliquias collectum ivit, & à Lamberto Constantiensi Episcopo consecratus, doctrinæ pietatisque illustri famâ, quadraginta annis clarissimi monasterii procurationem tenuit.

ANNUS CHR. 1009. Metis à Theodorico Lutzilenburgio occupatur. *Sigebert. in Chron. anno 1008 & 1009. & MS. Metensi Ecclesia.*

Theodoricus Metensium Episcopus, cum fratre Henrico, cæterisque conjuratis interea bellum in superiorem Lotharingiam Metim usque protulerat; & jam ante ulciscendi doloris sui causâ, Metensem Episcopatum, excluso Theodorici Mosellanorum Ducis filio, cui tutor datus, rapuerat. Hinc Metim civitatem munitione & loci naturâ validam, ad Cæsaris detrectandum imperium, rebellis occupabat.

Henricus Rex Metim obsidet.

Quare Cæsar accensus, exercitu ex Saxonû & Sclavorum feroci natione adducto, urbi castra admovit, obsidioneque tam acri civitatem pressit, ut cunctas ejus penè vires attriverit; & demum pacem accipere Theodoricum coëgerit; quæ tamen diuturna non fuit. Ingens ea ex obsidione Metim accepisse detrimentum ipsi quoque Theodorico Episcopo, & successoribus irrecuperabile, Ditmarus in acta retulit; *Ecclesia namque una*, ait, *quæ extra Metensem stabat civitatem, & congregatio ibidem serviens, à Sclavis Dominum non timentibus, vastatur. Sed hoc damnum, magna ex parte Rex cum juramentis, & ex sua proprietate restituens; ne quid huic simile accideret, cuncto exercitui cavere præcepit; vineas & ædificia cum frumento cæterisq; utilitatibus læsit. Vidi epistolam non longè post, ubi octingentorum numerus mancipiorum Sancti Stephani inscriptus fuit, quæ propter famem, & aliam necessitatem à patriis finibus egressa sunt absq; consentientia præpositorum, exceptis omnibus, qui cum consensu eorum abierant. Satius esset huic Ecclesiæ, quod nunquam natus fuisset homo ille.* Ita Ditmarus. Mortuo deinde Joanni Romano Pontifici, Sergius quartus est substitutus.

Obsidionis Metensis detrimenta. *Chron. lib. 6.* Ecclesia, fortè S. Clementis, à Sclavis vastata. Henrici regis erga Ecclesias reverentia. Hominum jactura.

In Theodoricum Metens. Episcopum gravis censura.

XCV. SERGIUS IV. PONT. a. 2. m. 8. d. 13. ANNUS CHR. 1010. *Vetere uno consensu, Sigebert. & Godefr. Viterb.*

Annus qui sequitur post Christum natum millesimus decimus, Ungaris primùm Evangelii luce oblatâ, quam maxime ad memoriam illustris extitit, ostio per Henricum Cæsarem ad Christi fidem eis patefacto. Is namque Giselam sororem virginem specie ac virtute eximiam, Toxi, qui postea Stephanus, Ungarorum Regi adhuc pagano in matrimonium dederat, quæ, ut erat ardenti religionis studio, assiduâ precum contentione, virum eò perpulit, ut is Christianus fieri, & se sacrosancto ritu Christianorum ablui, ultro expeteret; cujus sanè pulcherrimi facti imitatione populi Ungariæ succensi, pastorem & Regem ad semitam veritatis præeuntem, impigrè secuti sunt. Utriusque conjugis inter benè meritos priscis diariis Ecclesia Trevirensis memoriam retinet. Giselæ pallium de regni Pannoniæ insignibus ornamentum amplissimum, ad Ferdinandum felicis memoriæ Cæsarem ætate nostra constat allatum, opere textili; cujus in fimbria GISELÆ nomen inscriptum erat.

Ungarorum conversio. Gisela sancti Henrici soror, & Ungariæ ad fidem Christianam adductæ causa. Giselæ pallium. *Wolfgang. Lazius de Rebus lib. 7.*

XCVI. ANNUS CHR. 1011. *Sigebert. in Chron.* Castrilocus, seu Montes Hanoniæ. *Anselmus in Leod. Episc. Wazone c. 101.*

Proximus annus insigni fuit prodigio nobilitatus; quippe, inferiore Lotharingia fons ex monte Castriloco, qui Montibus Hannoniæ celebri oppido nomen dedit, saluberrimæ quondam aquæ vena scaturiens, repentè in sanguinem conversus est; cui rei, ne fides deesset, mulier vultum eo fonte perfusum multis sanguinolentum exhibuit.

Factio Adelberonis & Theodorici Lutzelburgiorum.

Eo tempore, Treverica & Lutzelburgiorum fratrum factio malè sedata, Henrico Theodorico, & Adelberone refractariis, iterum in motus & bellum erupit. Age, quæ multa adhuc temporum involuta caligine, prodere pergamus, favente Chronici veteris memoria. Henricus Rex remedium allaturus huic tam pertinaci seditioni, post sacras D. Martini ferias, Confluentiam proficiscitur, ut, aut stabili firmaque pace inquietos frænet, aut contumaces publicè damnatos proscribat. Convocata eam in rem frequens Confluentiam Episcoporum Synodus; quæ cum alia tempori & otio reipublicæ opportuna in medium consuluit, tum regis sententiam de conjuratis, ni imperata facerent, approbavit. Unde vetus scriptor: *Regis decretum illi aliquantulum timentes, Legatos pacis causâ Confluentiam) miserunt veniam precantes. Sed Rex recenti vulnere saucius, per omnia voluntati eorum satis non fecit: consilio tamen fidelium suorum Moguntiæ se videndi licentiam dedit.* Quod ita Ditmarus excipit. *Rex habuit concilium in Moguntia civitate, & hi (conspiratores) tunc interfuere, & cùm omnia ibidem secundum suimet placitum respondere non potuissent, reversi sunt irati, pace tamen ad tempus facta; & cum eos sequerentur, nil mali sperantes, Haimo Virdunensis Episcopus & Dux (Mosellanorum) Thiedricus, latentes insidias improviso irruunt, & paucis effugientibus cum Episcopis, interfecti sunt innumerabiles viri. Dux ille nimis vulneratus; & quia amicus eorum fuit, captus abducitur, & multos dies custoditur.* Hæc ille. At Chronicon vetus nonnullos ex iis recusasse Moguntiam adire, insidiis, opinor, & prælio intentos; alios, Regis quidem, uti par, obsecundasse jussis, at pacis integræ tamen fructum, haud reportasse. Subjicit. *Inde expulsio Judæorum facta est à Rege in Moguntia, & quorundam hæreticorum refutata est insania.* Cæterùm cladis insidiosæ autores fuisse Theodoricum Metensem Episcopum, & Henricum Bavariæ Ducem ejus fratrem, non obscuri Chronographi testantur. Sigebertus, à Meten-

Synodus Confluentina.

Conjuratorum causa discussa. *MS. Fuld.*

Chron. li. 6. Moguntiam traducitur Conventus.

Insidiosa pugna Lutzelburgiorum in Mosellanos. Theodoricus dux Mosellanorum saucius capitur.

XCVII. Judæi Moguntia expulsi. *Sigeb. in an. 1009.*

à Metensi, Theodoricum Mosellanorum Ducem, meminit, bello captum; Contractus ad hunc ipsum annum, unde & ratio temporis elucescit, post Willigisi Moguntiacensi, magni super reliquos hâc ætate Præsulis excessum: *Theodoricus*, inquit, *Dux partis Lotharingorum, sub ipsa pœnè præsentia Regis, ab Henrico Bavariæ dudum Duce, à quibusdam Lotharingis captus & abductus est; quo tamen postea relaxato, Henricus ipse gratiam Regis, Ducatumq́; recepit.*

Theodoricus Dux partis Lotharingorum, quæ Mosellæ superæ ditio.

XCVIII. ANNUS Chr. 1012. BENEDICTUS VIII. Pont. a. 12.

Quæ quidem, ad anni præsentis exitum inchoata, ad sequentis etiam curriculum, ut referas nihil obstat, quo, receptâ Chronographorum sententiâ, Sergii Pontificatum excepit Benedictus VIII. Theodorici Metensis turbidam consiliique improvidam mentem, variè culpant hujus ætatis scriptores. Sanè, ad superioris anni offensiones, in publica panegyri Babenbergensi Ecclesiæ dedicandæ celebrata, à Rege ipso increpitus, quòd Gebehardum Ratisbonensem Episcopum, Romæ premeret injustis accusationibus. Nunc iterum Ditmarus magnam scribit Episcoporum Synodum à Rege coactam, Theodorico damnando; quin ab omnibus etiam Episcopis ei interdictum ibi, ut ne ante purgationem, Missam caneret.

Theodorici Metensis varia errata.

Bambergensis Ecclesiæ dedicatio 1011. Lambert. & MS. 1011 Chron. lib. 6.

Theodoricus abstinere cogitur sacris.

Principio quoque hujus anni, meminit haud sine desiderio multorum, è Regis comitatu ad meliorem vitam evocatum Walkerum Trevirensis Ecclesiæ * servum, & capellæ regiæ providum custodem. Sed vulgatæ lectionis insigne mendum abstergere, jubet vetus Chronicon, ex quo discimus Walkerum hunc Treviris fuisse Proëpiscopum, & Regis Capellanum: *Henricus Rex natale Domini in Palithi festivis peregit gaudiis; ubi Walkerus Treverensis Ecclesiæ Episcopus ægrotavit, & aliis inde euntibus, ibidem relinquitur. III. Idus Ianuarii prò dolor! * moriturus.*

Walkerus viceepiscopus Trev.

* Episcopum MS. Francofurt.

Moritur in Saxonia.

* Morrens Ditmaro.

Postero inde, Henricus laborioso itinere Italiam aperiens, quarto decimo supra millesimum, VI. Kalend. Martii à Benedicto Augustale diadema cum uxore Cunegunda accepit, atque inde Imperatoriis ornamentis insignitus, in Germaniam rediit. Et Popponem Archiepiscopum huic item expeditioni oportebat admisceri, nisi ratio temporis in eo diplomate vacillaret, quod Imperator amplissimum Ecclesiæ Romanæ dedit. Ubi Poppo subscriptorum tertius, recensente illustri annalium scriptore.

XCIX ANNUS Chr. 1014. Ditmar. l. 7. Chron. vide annal. Baro. tom. 11. ad hunc annum.

Coronatio Henrici I. Imp.

Per eos quoque dies Adelbero Lutzelenburgius, cùm gravi morbo langueret, superiorum erratorum pœnitentiâ salubrem restituendi, quæ Ecclesiæ ademerat, cogitationem suscepit; & Megingaudo Antistiti, excepto Palatio, reliqua omnia, quæ iniquè possidebat, tradi jussit. Megingaudus itaque Ecclesiam, quam variis seditionum procellis æstuantem acceperat, posteaquàm meliorem in statum redegit, anno sequenti, Confluentibus è vita excessit, octennio, & quod excurrit, ut Ditmarus ejus æqualis fideliter tradit, in pontificatu expleto.

C Adelberonis pœnitentia.

Annum quintum decimum, etsi Cõtractus, & Lambertus, decimum septimum supra millesimum ejus migrationi assignent, tutiùs equidem horum medius ingrediar cum Ditmaro, numerans millesimum decimum sextum annum: cujus certè diligentiâ gratulatus sum Treviris, majorum ignava silentia expugnata; Ejus cedro dignissima hæc narratio *In Vigilia Natalis Domini Megingaudus Treverica civitatis Episcopus, obiit in urbe sua Cophelenci dicta, sedens VIII. annos, & VII menses; indeq́; corpus suum ad sedem propriam delatum, honorificè ad antecessores suos locatur.* Vides Confluentiam etiam tunc extitisse urbem Archiepiscopalem.

ANNUS Chr. 1015. Megingaudi mors.

ANNUS Chr. 1016. Chron. lib. 7.

Copelenci urbs Archiepiscopi Trevir. ab hac, imò Francorum ætate.

FINIS LIBRI DECIMI.

R. P. CHRI-

R. P.

CHRISTOPHORI BROWERI
SOCIETATIS JESU,
ANNALIUM TREVIRENSIUM
LIBER XI.

ANNUS CHRISTI 1016. 1017. | POPPONIS 74. TREV. EP. I.
BENEDICTI VIII. PONT. 4. 5. | HENRICI II. IMP. 15.

I. Popponis genus & educatio.

NUNCIO mortis Megingaudi Imperator accepto, Popponem genere splendidum ac abundantissimis ingenii ac virtutis ornamentis, Treviris Antistitem constituit, additis in hanc sententiam ad Adelberoné mādatis, cum se virum ad sedem regendam mittere, qui ipsius esset facilè væsaniam compressurus.

Poppo praepositus Babenbergensis.

Poppo autem in amplissima domo Marchionum Austriæ enutritus, & studiis literarum virtutumque Ratisbonæ apprimè excultus, præstantes & animi & corporis dotes utrinque retulerat; ut nec immeritò tantæ virtutis indoli amplissimum munus Imperator, spe ac studio destinaret: quippe, ceu ad hæc celsiora proludens, nuper Popponem exstructæ ab se fundatæque Babenbergensis Ecclesiæ Præpositum esse jusserat. Luitpoldum eum habuisse patrem, Marchionem Pannoniæ superioris sive Ostereichæ, quam posteri Austriam vocitarunt; & matrem Richezam seu Richardam, illustri item loco natam, disertè produnt veteres Germaniæ scriptores. Par ei fratrum fuit inclytum famâ, literisque majorum. Adelbertus Marchio, Ottoni Frisingensi Pannoniæ superioris limiti Præfectus, & ex eo nepos Luitpoldus generosæ juvenis indolis, quorum contra rebelles Ungaros excellens, post spectatáque, variis in præliis virtus. Alter Ernestus extitit Suevorum & Alemanniæ Dux, Gisilæ Imperatoris nepti, thalamo junctus. quæ Gisila olim conjux futura Conradi Salici, & Imperatrix, cùm filia, vel, ut placet aliis, soror esset Hermanni Suevorum Ducis; quo defuncto, ipsi maritóque Ducatus cessit.

Herm. Contract. Otto Frising. lib. 6. c. 28. Ditmarus li. 7. Chron. MS. Trevir.

Popponis fratres. *lib. 6. c. 28. & 32.*

Ernestus dux Sueviæ, cujus uxor Gisila Imp. aliis Gisela vel Gisala. *Wippo in vita Conradi Salici & cæt. scriptor.*

II. Ernesti Ducis mors & pœnitentia. *Ditmar. lib. 7. & Chro. Herm. Contr.*

Dignus verò posteritatis memoriâ Ernesti Ducis exitus. Is anno, superiore venatui intentus, cùm temerè densi nemoris se frutice inumbrat, ab Adelberone Comite feram appetente, sagittâ lethiferâ, pro fera sauciatur. Ergò certus periculi, mortisque, corde verè contrito & humiliato, ubi sacerdotis copia non adest, præsenti nobilium coronæ, errata præteritæ vitæ, mœstus & propalam exponit; veniam dat læsus, oratque ab iis, quos unquam læsisset, & morientium habitu, animam denique ream præsentibus Christianè commendat. Mortalitate piè expletâ, funus, ut optarat, Wirceburgum honorificè defertur, atque apud Luitpoldum parentem Marchionem conditur: Ducatus Alemaniæ Ernesto filio & Giselæ, quæ mox tamen à Conrado Saliquo in thorum adscita, obtigit. Stirpem ex his vides Popponis &, sanguinem non solùm cum Dynastis Principibusque, sed cum Imperatoribus mixtum.

Luitpoldus pater & Ernestus frater Popponis Herbipoli sepulti.

III.

Imperator autem, postquam ad honores capessendos Popponis nomen edidit, omnibus consiliis maturè antevertendum ratus, per hosce dies Padebornâ Confluentiam accessit; veritus fortasse, ne insitâ Adalbero dominandi cupidine, vacuam præsertim sedem nactus, rerum novandarum consilium caperet. Quamobrem festinato itinere, Trevirim, ilico ipse Popponem adducens, ingressus est; atque fine anni comitiis de more celebratis, Popponem à se laudatum, communibus votis atque suffragiis item à clero populóque creari Antistitem, petiit. Quod cùm illi annuerent, Kal. Janua. sequentis anni consecratione Popponis prodierunt exoptatæ: namque sollemni cæremoniâ ab Erchanbaldo Moguntiacensi Archiepiscopo, quem Imperator eâ caussâ Trevirim advocarat, Henrico ipso pompam cum universo procerum comitatu, plurimum exornante, ingenti cum totius populi lætitia consecratus est. Inter Antistites sacrorum, qui frequentes adsuere, numerati Haimo Virdunensis, & Theodoricus Mediomatricum Episcopus. qui more ingenii sui consecrationi obnuntians, haud parùm turbavit, Et minus fortè anceps certamen habuerat, ni offensando toties, Regis ab se longè gratiam dimovisset. Verba recito Ditmari, percommodi nobis hic scriptoris: *Post hunc (Megingaudum) Imperator Popponem Luipoldi Marchionis filium, & tunc Babenbergensis Ecclesiæ Præpositum, Trevirensi præfecerat urbi; & cùm is ab Erkinbaldo Moguntiacensi Archiepiscopo, jussu Cæsaris, & licentiâ Verdunensis Episcopi, qui primus horum in ordine fuit confratrum, consecrari debuisset, à Thiederico Metensi Antistite, eò quòd à se justiùs hæc ordinatio fieri deberet, assiduâ acclamatione, & humili petitione*

Henricus Imp. Confl. accedit, & Trevirim.

ANNUS CHR. 1017. POPPO. XLVIII. ARCH. LXXIV. EPISC.

Popponis consecratio

Theodoric. Metensis cum Haimone Virdunensi de loco pugnat ordinationis Archiepiscopi.

Chron. li. 7. Chron. Frauco-fur. Eadem MS. ad verbum.

Metensis Episcopi inter suffraga-

neus excellentia satis inde deducitur.

petitione, id incassum prolabebatur. Nam Imperator hunc scripta demonstrantem, & banno id interdicentem non exaudivit, sed unctionem compleri præcepit.

IV. Monaster. B. Virg. aut S. Florini Confluent. Origo Canonicor. sancti Florini.

Clarebat priscæ per eos dies frugalitatis exemplis, & Apostolicæ disciplinæ legibus, pervetusta beatæ Dei Genitricis ædes, apud Confluentes, quæ S. Florini hodie fert nomen, cujus de primis initiis ut accuratè disseramus, haud licet per testes, quibus antiquitas caret idoneis. Id testatum clarissimis argumentis relinquit ejus loci clerus; Ottonis Magni ætate Ecclesiam illam & gratiâ multum valuisse Regis, & ejusdem beneficentiâ locupletatam. Quin Ruotberto & Henrico sacerdotium gerentibus, ab Hermanno Sueviæ & Alsatiæ Duce, decimas Humbacensis castelli, Monasterio cuidam Confluentiæ sito, & sub Dei Genitricis nomine dedicato, legimus donatas. His porrò diebus, & S. Florini Confessoris, & Virginis Matris inclyta patrociniis, cùm & Clericorum canonicè viventium haberet monasterium, & institutis majorum floreret eximiè, Henrici & Cunigundæ promptissimam in omnes, haud magno opere, prolicuit benefaciendi voluntatem. Is igitur anno, qui tertius imperii, & decimus quartus erat regni, cùm Francofurti degeret, Cunigundæ rogatu, ut ipse loquitur, pro remedio animæ suæ atque conthoralis, monasterio S. Florini mercatum in villa Gillenveldt cum summæ rei imperio, utensilibus, vectigalibus atque moneta, liberaliter attribuit; ejusq; villæ situm in Comitatu Bertoldi Comitis ad veterem Meinveldensem pagum, spectare docuit; tabulis ad eam firmandam donationem clero traditis sanè quàm luculentis; cum hoc Augustalis signi schemate.

S Florini collegium apud Confluentes ab Henrico. Imp. locupletatur. *MS. ejus loci.*

Gillenvelt mercatus attribuitur.



V. S Florini nomen celebre apud Confluentes.

Et quoniam huc jam ventum, ut S. Florini nomen, hoc tempore apud Confluentes illustre fuisse perspiciamus, non abstineo conjecturam facere, hoc vel superiore sæculo, patrocinium inolevisse Sancti, cujus morum claritas etiam ante Pipini ætatem apud Rhætos grata, miraculisque spectata fuit. Acta vitæ ejus, quæ Confluentiæ & Treviris in antiquis membranis leguntur, paternâ origine Britannum fuisse, matrem Hebrææ stirpis habuisse, editumque apud Rheni fontes in Rhæticæ vallis tacito quodam secessu, cui nomen Amatia produnt. Quem ortum sancti hominis fastorum Trevirensium autor, eleganter expressit.

Ortus ejus

Matth. Agric. ad 17. Novemb. in fast. Tr. SS.

Hic primis crescens dum surgeret annis,
Eductus peregrè est: nam convenêre parentes
Diversis orti terris, atque orbe profecti
Ex alio gemini: pater illi gente Britannus,
Hebræâ sed stirpe parens, externa marito
Externo virgo consuevit, lumine Romam
Optato, quid enim superis præscisse negatur?
Venit uterque parens, votum persolvit uterque.
Hic junxêre thorum, natam connubia prolem
Nomine Florinum donârunt, nominis apti
Haud lævo augurio, successus tradidit autor.
Ut tener à parvo proserpit surculus ortu,
Induiturq; novos flores, & amabile germen
Proventu justos pariturus divite fructus,
Sic puer excrevit tenui Florinus ab auctu
Profectum exorsus facilem.

VI. Heremuscia.

Et verò prima sanctioris disciplinæ rudimenta apud Heremusciam hausit, id loco inalpino nomen, ubi insignis dicata B. Petro Ecclesia stabat: sortitusque magistrum Presbyterum Alexandrum, qui cum ejus Ecclesiæ procuratione populorum Rhætiæ, sive illi Lepontii, sive Canini, quos à canis Grisones dicunt, salutem administrabat. Non silent etiam Canicunarum munitionem, eâ regione adversus barbaros extructam, ubi penu & annonâ cleri receptâ, cujus œconomiam S. Florinus rexit, jam gradu & virtutum incremento maturior. Hic, in pauperum egestate sublevanda benignior, ab æmulis in crimen & invidiam vocatur, ceu rem familiarem parùm providè & frugaliter haberet, Alexandro quoque suspectus, ceu Ecclesiæ bona perderet. At brevi probra hæc Sancto in laudem verterunt. Quippe Oenophorum ægrotanti vino repletum afferre jussus, & Canicunis inimicè exclusus, ubi vini copia non suppetit, Oenophorum implens aquâ, ad Alexandrum transtulit; qui, postquam in vinum abiisse lympham mirificè comperit, abjectus ad pedes Florini, supplex veniam petit, eumque sibi præesse, se ipsius jam ferre imperia, tanquam sanctioris, profiteri. Sed Florinus modestiæ studio Magistro non cedens, persistere in inferiore gradu, donec sacerdotii honore doctrinæque & Theoriæ studiis excultior, & Alexandro Rhætisque juxta probatus, post Magistri obitum discipulos collegit, circumjacentes populos Christianæ fidei mysteriis imbuit, errorem barbaris eripuit, magnoque virtutum splendore collustratâ Rhætorum Ecclesiâ, humili, suisque ignoto sepulturæ loco abstrudi voluit.

Lepontii, Canini, *vide Rhætia Alpina c. 15. Ægid. Schud.*

Canicunarum munitio.

S Florini res gestæ.

VII. Curia civitas & sedes Episcopalis *Henr. Glar. ad 4. l. Comment. Cæs.*

Est Curia in Rhætorum valle apud Plessuram flumen celebre nec inelegans oppidum, & Episcopali sede clarum; Metropolis olim istius Provinciæ, quæ Rhætia Curiensis inde fuit appellata. Hic inclyta viguit S. Florini memoria, etsi non parùm obscurata, ex quo Curienses Helvetiis confœderati, majorum pietatem, ac religionem abjecere. Certè de S. Othmaro primo Abbate S. Galli traditum literis, in Rhætia Curiensi, etiam Pipini ætate, præfuisse Ecclesiæ, cui titulus à S. Florino Confessore. Et hagiologia, S. Florini memoriam quoque geminant, cùm apud Curiam ei XVII. diem Novemb. apud Confluentiam assignent XVIII. ejusdem mensis. Nec piget actorum epitomen ascribere, quam vir doctrinâ virtuteque juxta reverendus Jacobus Tectonius S. Florini Canonicus, ex Confluentibus ad me misit. B. Florinus natione Curiensis, cum totam Rhætiam magno illo inter cætera conversæ in vinum aquæ miraculo illustrasset, & post Alexandrum magistrum suum Eremuscianæ ibidem Ecclesiæ regimen fideliter

Surius ad 16. Novembris.

S Florini Ecclesia in Rhætia Curiensi.

B. Florini elogium.

liter obiisset, præscius sui de hoc mundo transitus, plenus dierum & sanctitatis obdormivit in Christo..

VIII. Sed nec ab obitu destitit florere miraculis. Sicut enim fidem & innocentiam vivi, vino ex aqua facto, mirabilis & gloriosus in Sanctis suis Deus; ita etiam defuncti gloriam, vino ex glacie liquefacto prosecutus est, ut vinum serviret exhumati, & adhuc integri corporis lotioni; & lotio cœcorum, claudorum, ac languidorum necessitati atque curationi prodesset. Nam, qui propinquos duplici facto loculo, ne mortui pignus exportarent, falli voluerat, is trino monito Saturninum Presbyterum excitavit, uti rasum, lautumque vino corpus elevatum post altare S. Petri reconderet, ut nova inde ad languentes, obsessos, & cujusque generis malis afflictos, remediorum vis profflueret.

S. Florini miracula.

IX. Inde Poppo Romam pietatis nomine, simulque ut à Pontifice pallii usum impetraret, adiit. Benedictum Pontificem ubi convênit, præcipuo ab eo honore cultus, atque benignè, quamdiu istic quidem egit, & comiter ab eodem habitus. Neque verò pius Pontifex, pro Popponis incolumitate contentus, sæpiùs sacras divinæ majestati litâsse hostias, crebrò familiari etiam mensæ adhibitum, non potitis magis gaudebat recreare dapibus, quàm epulis divini sermonis, pro usitata consuetudine, reficere. Maturo autem jam vere reditum in Belgicam adornanti, pallii honorem cum hisce literis indulsit:

Poppo Romam profectus à Benedicto Pontifice colitur. *M. S. gest. Trevir.*

*Benedictus Episcopus servus servorum Dei, beatissimo confratri, & Episcopo Popponi S. Treverica sedis Archiepiscopo venerabili, aternam in Domino salutem, & Apostolicam Benedictionem. Apostolica solicitudini convenit, benignum erga fratres semper prabere affectum, eorumq́, petitionibus, qua rata rationabilesq́, videntur, commodare assensum. Proinde, dulcissime frater, quia postulâsti à me, uti juxta morem pradecessorum tuorum, usum tibi pallii concederemus, libenter tuo voto annuimus, solerter tuam commonentes fraternitatem, ut exterioris indumenti habitum, morum probitate exornes; talemq́, te in omnibus exhibeas, ut credita dispensationis officium, pastorali curâ, semper administrare studeas. Tunc enim veluti lucerna, qua in domo Domini lucet, cunctis apparebis conspicuus, si uti exteriori habitu, ita & interiore fueris adornatus; crucem Christi, quam sub pallii specie gestas in corpore, intus decreveris portare in mente; clamans cum Apostolo: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo: desideranter quoque & illud addens Propheta: Confige clavis à timore tuo carnes meas. Debitâ igitur caritate te admonentes, ab Apostolica sede pallium tibi transmittimus, hujus privilegii nostri autoritate statuentes, ut in celebratione missarum, his tantummodo solennitatibus eo adornatus incedas: videlicet in Natali Domini, in Epiphania Domini, in Cœna Domini, in Pascha, Pentecoste, & in Ascensione Domini; & festivitatibus sancta Dei Genitricis, & perpetua Virginis Maria; & in Natali sancti Ioannis Baptista; & in sollennitatibus omnium Apostolorum, & in sollennitate omnium Sanctorum. In festis quoque illorum Sanctorum, quorum corpora & reliquia, in tuo Episcopatu requiescunt, & in dedicatione tua Ecclesia; & in die annua ordinationis tua; & si, quando sacros ordines competenter facere decreveris. Concedimus etiam, carissime fili, crucem ante te gestari. Omnipotens Dominus fraternitatem tuam, dulcissime frater, hic & in futuro custodiat; sicq́, mentes nostras in servitio suo corroboret, ut pro benè administrata pastoralis cura officio, in aterna beatitudine laborem nostrum remuneret. Bene vale. Data VI. Idus Aprilis mensis, per manus Benedicti Episcopi, Apostolica sedis Legati. Anno Henrici invictissimi Regis Romanorum XVII. Imperii verò ejus * tertio. Indictione * XV.*

Pallii honorem impetrat

Pallii usus atque mysterium.

Transmittendi vox his ampla.

** IV. inchoato. * al. XIV.*

Episcopatu ad hunc modũ stabilito, reversus Poppo suã in diœcesin, variis eã prædonũ populationibus laceratam afflictamque, comperit. Quibus Ecclesiæ suæ vulneribus, ut tẽpestivè mederetur, undique omnia instituit remedia conquirere, & viros bellicæ gloriæ laudibus inprimis florentes beneficiis sibi feudisque jungere, quibus pacandæ provinciæ, tutandæque munus traderet. Horum igitur sedulitate, atque impigris usus armis, prædonies ubique castellis, quæ securitatis ipsi caussâ insederant, ejicere, & cæteros novarum rerum cupidos, in fide atque officio continere. Porrò, cùm unus Adelbertus imperata facere solus detrectat, atque ex castello S. Cruci olim dicato, quod in vicino urbis colle ad Meridiem situm, Episcopi curiam, servitia, atque commeatum omnem crebris excursionibus habet infesta; ad extremum Sikonis, hominis manu consilioque præstantis sollertiâ, contumacis inimici spiritus repressit; atque hâc fermè arte debellavit. Siko, qui ad id operam consiliumque Popponi detulerat, idoneo tempore ad castri fores solus ex urbe profectus, ab Adelberto tyranno sitis explendæ, pro amicitiæ veteris usu, potum sibi postulat: quem, cùm ille non gravatè per ministrum offert, ubi quantum satis hausit, nuntiari domino jubet, gratias ei permagnas haberi; futurúmque propediem, hoc ut restinctæ sitis beneficium, memori voluntate, atque adeò pari gratiarum merito, cernat repensum. Quibus dictis, Siko abiit, atque destinatos jam pridem animo dolos, ad fraudem Adelberti explicare cœpit. Dolia vini tricena, impositis totidem armatis, instruit; atque hæc ipsa præmunita vectibus, ansisque, singula binis fortissimis viris, iisque ad hostem decipiendum plebeiâ veste tectis, gestanda committit; eorum item armis indidem reconditis, denique vasa, ad occultandam fraudem, stragulâ veste, pannoque plurimo insternit. Quibus ita comparatis, Siko quærit ad peragendum inceptum, temporis opportũna: quæ ubi nactus, plenus spei bonæ, clam omnibus, urbe cum bajulis egreditur: ipse, raro satellitio, fores castelli pulsans, & aperiri jubens; audit solitum illud, qui vir, unde, & quid petitum veniret? Ad quæ nihil aliud ille, quàm renunciarent adesse cum honorario vino Sikonem, quo promissam jam pridem beneficii gratiam exsolvat. Hoc nuncio Adelbertus accepto doli ignarus, ostia patefecit. Tum Siko, vela, pannosque amovêre jussis, ubi brevi oratione munus præsenti Adelberto

Poppo diœcesin ab incursu prædonum liberat.

Stratagema Sikonis in arce S. Crucis capienda. *M. SS. gesta Trevirorum & Acta Popponis, unde excerpsit verbatenus scriptor vita Meinwerci Paderbor. Episcopi, anno 1615. à nobis Mogunt. apud Albinum evulgati.*

commendavit, signum adoriundi suis dat. Qui ad primum ilicò tumultum è vasis prosilientes, impetu in obvios quosque facto, cuncta cædibus atque strage fœdant; ipsique ante omnes Adelberto manus inferunt. Cæsis igitur & oppressis ad hunc modum, & exstinctis prædonibus, munitio solo æquata, & ad vastitatem redacta est. Siko autem, præter restituti decus otii, atque urbis ab Adelberto grassatore liberatæ, illustria à Poppone feuda beneficiaque tulit.

XI. Sckiva an Sckina seu Muncletium deletum à Poppone.

Eodemque pænè tempore Skiva, apud Saram fluvium, quod postea Montis clari nomen obtinuit, Adelberti castrum, jussu Popponis eversum, atque deletum funditùs est.

Adelbero Lutzeleburgius castra quæ occuperat, unà cum Palatio Popponi & Eccles. restituit.

Medio tempore Adelbero Lutzelburgius, ubi Popponis res vidit majorem in modum potentiâ ac felicitate stabiliri, multò quàm ante humilior, opique suorum diffisus, animum flectere, ac spiritus, quos feroces diu gesserat, tandem in angustum contrahere cœpit. Popponi itaque supplex factus, non modò Palatium ei atque occupatas Ecclesiæ arces, sed Castella etiam, quæ in ipsius antea potestate fuerant, * Circium, Rutichium, Sarburgum, atque Berncastellum, uno eorum sibi titulo reservato, cum præcipuis possessionibus, præclaro mutatæ voluntatis argumento, tradidit; atque monasterio inde D. Paulini, cui Præpositum fuisse monstravimus, repetito, omni abjectâ cogitatione honorum, ad salutare otium, posteris moderati exemplum animi proditurus, concessit.

* Sericum.

XII. Saraburgû arx juris Treverici, dicta olim Curbelium.

Saraburgi traditi præclarum in hujus ipsius arcis ruinis visitur monumentum. Arx autem, quòd perspicuis tabularum veterùm testimoniis exploratum habemus, Ottone magno imperante, in possessionibus S. Petri Comitatu vel pago Bedensi, numerata fuit, priscis Austrasiæ populis Curbelim vocabulo cognita, & Sigefrido Lutzilinburgensi Comiti, jure precario, dum Hadewigis conjux & filius Henricus superessent, inhabitanda concessa; inde occupata ab Adalberone Lutzelenburgio Episcopatum ambiente, novis tectis atque munitionibus est exculta. Abest Treviris decem circiter passuum millia ad Austrum pertinens, positáque in prætalta & minaci rupe, cujus imam crepidinem Saravus fluvius alluit. Unicus patet ex oppido, viâ in arcem, nobiliumque antiquam sedem ferente, accessus; reliqua, dejectis vallibus, aut præcipitiis undíque abrupta, præterquam ad occidentem, quà cum dorso rupis jugum miscetur, vicini montis declivioris. Sed corrigit id quodcunque naturæ vitium interjecta piscina, mille trecentorum fermè passuum, quæ montis etiam imminentis viciniam coërcet. Locum hunc amœnissimi soli, & pontificum secessu habitationéque cultissimum, nostrâ memoriâ Albertus Brandeburgius, fax & follis Lutheriani incendii, funestâ clade deformavit, ut ingredientibus, præter nudas ipsas insignium ædificiorum parietinas, & flammæ teterrimæ fuliginem, nil sese dignum adspectu objiciat. At verò, quæ in arcis sacelli ostio diruti Epigrapha venerabilis antiquitate, quia magnam historiæ præsenti fidem adversus recentiorum traditionem adstruit, hic prorsus adscribenda, ubi prius tamen monuero, fidei & antiquitatis

Conradus Vecerius in Henrici 7. encomio donum ait fuisse Lutzelburgici Ducis.

fortè nimium prodigos, qui sive asserendo stirpi Lutzeburgicæ honori; sive minuendo Archiepiscopis suo juri, hujus Saræburgi, ut & aliorum quorundam locorum, Berncastelli, & Rutuhæ, Adelberonem hæreditarium aiunt fuisse dominum; quodque eodem spectat, Vicedominorum aut urbis præfectorum, qui pro Archiepiscopo Treviris jus dixerint, ne sustinere quidem volunt nomen.

Kyriander part. 13. Comment. Aug. Trev. & scriptor vitæ S. Maximini.

Adelbero vicedominus Trev. nam probabile hunc titulum retinuisse, cū Archiepiscopatus spe excidit.

HOC CASTRVM A DNO ADELBERONE VICEDOMINO ET PRÆPOSITO SANCTI PAVLINI ÆDIFICATVM, ET AB IPSO ECCLÆ TRADITVM. ET POSTEA PER MVLTA TEMPORA NEGLECTUM, ET DESERTVM, TANDEM A BRVNONE TR. D. GRA ARCHIEPO, REÆDIFICATVM EST.

XIII. Bera seu Beronis castellum capitur à Poppone.

Poppo verò posthæc, cùm omnes munitiones, Adalberonis deditione, in fidem accepisset, Berncastellum acriter aliquamdiu, à prædonibus defensum restitit; sed ad extremum captum, & in potestatem suam adductum, dissipatis ac dirutis propugnaculis, funditus excidit.

Sacrorum solitudo durante schismate; præsertim in Basilica principe.

Cæterùm, toto eo tempore, quo Meginsgaudus Episcopatum, Confluentiæ sedens, moderatus est, insignem Ecclesia Trevirensis, factione Adalberonis, omnia tum populationibus atque tumultu miscentis, rerum omnium jacturam, damnúmque fecit. Enimverò, quod memoratu fermè incredibile, tam tetram in solitudinem, primariam & cathedralem D. Petri ædem redactam perhibent, ut nemine sarta tecta exigente, vel nimiâ vetustate lassas fulciente columnas, clerus sit coactus metu ruinæ, consueta templi sacra deserere, & cultus divini sollemnibus supersedere. Et adhuc reperias, qui istic sibi beatæ Helenæ Augustæ monstrari opera, Basilicámque Romani splendoris velut ævo intactam ostendi imperitè postulent. Monasteria eodem quoque tempore, lego opibus exinanita, ad inopiam rerum necessariarum prolapsa.

XIV. Poppo vastitatē abolet restauratione locorum.

Quibus omnibus simul malis, Poppo cùm mederi non posset, exoneratâ tandem aliquando diœcesi graviter incumbentium prædatorum mole, instaurandis atque ornandis Ecclesiis se deinde tradidit impensiùs; atque monasteria ea præcipuè, quæ intestina seditio exhauserat, prædiis atque honestis possessionibus locupletavit. Virginis Deiparæ ad Martyres domicilium, quod D. Benedicti disciplina à Theodorico devinctum fuisse diximus, cum hac ætate Canonici, Benedictinis per vim exclusis, occupassent; Poppo, his vicissim pro

Benedictini restituūtur monasterio ad Martyres.

merito

S. Beatus in Carthusia Confluentina.

merito eorum exactis, monachis locum inhabitandum restituit, & S. Beati Presbyteri cineres inde Confluentiam ad eum Montem transtulit, qui sanctissimo Carthusianorum excultus domicilio, ab eodem Divo hodiéque fert vocabulum. Et verò per hæc aliaque similia, pietatis ac virtutis opera, egregius Antistes maximè se salutaré, ipso statim Pontifictaus initio, diœcesi Ecclesiæque præbuit.

XV. MS. Theoder. tamob. Epternacense incédium. Uroldus Epternacen Abbas.

Sub exitu æstatis decimo quinto Kalend. Septembr. Monasterium Epternacense cum ipsa Basilica, tristi periit incendio; quod mox damnum Uroldi Abbatis industriâ, novis monasterii jactis fundamentis, vertit in gloriam. Hujus igneæ cladis memoriam, Uroldi Epitaphium canit:

Flamma vorax sedes templi consumpsit & ædes
Anno cum decimo præfuit à minimo.

MS, documenta Prumiens. Uroldus Abbas Prumiæ. Collegium Canonicorum Prumiæ Uroldus Abbas instituit.

Floruit eâ ætate & alius Uroldus Abbas Prumiensis, illustri, ut perhibent, Comitum Rheni Daunensium familia procreatus. Is insigni beneficentiâ, atque pietatis documento, collegium juxta monasterii sui septa cum Basilica condidit; illámque Popponis operâ sat ditibus agris honestatam, sanctæ Dei Genitricis honori præcipuè dedicavit, ac Canonicis demum excolendam attribuit. Extant tabulæ Henrici Imperatoris, quibus tam eximiam Abbatis munificentiam confirmare, ac beneficiis insuper novis cumulare voluit; quas etiam instituto more, in testes rogatis Popone Trevirorum, Heriberto Coloniensi, Erkenbaldo Moguntinensi Archiepiscopis, & aliis compluribus, utriusque ordinis Primoribus Francofurti XVI. Kalend. Novembr. Indictione XV. signari jussit. Atque hæc collegii Canonicorum Prumiensis, qui iisdem cum Abbatia mœnibus tenentur, fuere primordia.

XVI. ANNUS CHR 1018 Confluentini oppidi origo & incrementa.

Sequenti, præcipuo Trevirensem Ecclesiam beneficio Henricus Imperator Paderæbrunnæ degens affecit. Confluentiæ, etsi olim Romanâ statione, & veteris castri famâ, alióque cultu, crebro Regum accessu, Principum in adverso monte domicilio, Synodorum frequentiâ, res fuerat opulenta; hoc tamen tempore domicilio Archiepiscopi, Regumque diversoriis, atque veteribus duobus collegiis SS. Castoris atque Florini Confessorum quam aut incolarum frequentiâ, aut ullâ constitutæ Reipublicæ formâ notior erat, apud Mosellæ Rhenique populos. Pago antiquitùs contributa fuit Meinfeldensi; cujus pagi situs, elegans regione loci, non spatiosi magis quàm fertilissimi. Cùm itaque maximam partem publici juris ac regii esset id solum terræ, censeretque dignum munificentiâ suâ Imperator, locum ad ejus Ecclesiæ obsequium dominationemque ex asse redigi, cujus perpetuo cultu nomen quodcunque sanctitatis eo usque tulerat, fecit profectò, ut animæ cùm suæ, tum Cunegundis uxoris piandæ, & Confluentiam oppidum, cujus arbitrium summum, id est, regalia, fiscaliáque jura, plenè necdum Archiepiscopi acepti fuerant, Popponi ejusque posteris, eximium regiæ liberalitatis munus, impertiret, atque huic muneri Abbatiam * Trajectensem toties olim donatam adjungeret, utriusque possessionem sic elargitus, ut vectigalia telonii ac monetæ jura, arces, ædificia, mancipia utriusque sexus; agros, pascua, vineas, prata, silvas, & quicquid demum, veteri donationum formulâ, comprehendi solet, Ecclesiæ Trevirensi cedere donarique vellet.

* Trichtarum dici cœpta.

Deinceps itaque Confluentium vicus, Chortis regiæ nomen exuens, convenarum majore frequentiâ Regumque conventibus celebrari, Antistitum, Principumque aliis atque aliis ornamentis & beneficiis, instrui, in eam denique faciem oppidi coalescere; ut & florenti civium nobilitate, & justi municipii copiis atque institutis, mox abundaret.

Sub idem quoque tempus B. Symeon Syracusanus Bethleemitici ruris accola, & admirandæ sanctitatis monachus, in Gallias appulit; cujus, cùm non modò Treviri corpus, verùm etiam spiritum se quondam habuisse glorientur, curarum hæc nostrarum pars est, ringatur licet * antagonista, carptim quædam ex Eberuino Abbate doctissimo, qui cum hoc Symeone plurimum vixit, & vitam ejus luculentâ oratione exposuit, intermisso tantisper ordine temporum, ad summam virtutis ejus in posteros transmittendam, enarrare.

XVI B. Sy Græc. … venit i Gallian

* W. Ky dro com. August per 11. fol. Ista fun tiosorum

XVI Ejus narratio perstrin tur.

Symeon itaque in Sicilia, nobili atque inprimis celebratâ urbe Syracusâ, clarissimis est parentibus, Antonio Græci generis, & matre Calabra natus. Septennis atque oppidò puer Constantinopolim a patre perductus; qui baltheo militari sumpto, stipendia ibi facturus, eruditissimis viris, ut literis eum sacris, quantum illa ferret ætas, imbuerent, traditur. Horum in disciplina cùm annos adolescentiæ acerrimis literarum sacrarum studiis exegisset, tandem permotus exemplo nostratium, crebro ex Occidente, ad loca sancta commeantium, Hierosolymam & ipse sacratissima Christi incunabula, spretis omnibus humanarum rerum illecebris, petere, atque in augustis illis Judææ sedibus, domicilio fixo, vitam piè traducere constituit. Quod iter, multis per id tempus laborum difficultatibus obseptum, & plenum periculis, cùm magno tandem ille animo, pro Christi gloria, superasset, denique incolumis ad Palæstinum littus appulsus, ardenti animi studio sacrosancta redemptionis humanæ monumenta identidem lustravit. Et, quia fixum ac deliberatum ei, in sanctis illis locis per vitæ tempus universum commorari; Hilario eximiæ sanctitatis viro, qui peregrinis advenientibus ductor, iisdemque in ea regione commorantibus, esse præsidio consueverat; studium atque operam suam in illa sacra functione addixit; totumque septennium in eo munere præclarè posuit. Quo spatio temporis exacto, cùm altiora jam indies animo agitaret, literis tam Græcis & Latinis, quàm Syriacis, Arabicis, & Ægyptiacis apprimè eruditus, tædio multitudinis, atque perfectioris amore virtutis, ad solitudinem; & loca migrare secretiora; tum, sicubi in eremo præstantis animi atque disciplinæ magistrum, qui vitæ sibi solitariæ præcepta traderet, fuisset nactus, Eremitam profiteri in votis habuit. Interea Christo uno videlicet fretus, perrexit ad eremum, atque, dum intima deserti penetrans, tandem ad Iordanis fluenta pertigit, voti compos jam factus, monachum ibi perfectum reperit, cujus ordinem vitæ aliquamdiu contemplatus,

Syme commo tio in lo sanctis, eremo.

Educ & liter rum sci tia.

Erem diment

morúmque gravitatem, tyrocinii apud eum rudimenta deposuit. Sed, ab hoc brevi item relictus, quòd & is frequentiam turbæ devitans, illo clam in ulteriorem eremum secessisset, Symeon humanæ conscius imbecillitatis, neque ignarus, sine ductore, quàm variis incauta mens hominum, in eo præsertim vitæ genere, fraudibus atque occultis dæmonum ludibriis pateat, monasterium, quod apud Christi præsepe, in oppido Bethlehē erat Virgini Matri sacrum, adiit; atque ibi pro monacho se recipi, enixâ prece contendit. Id ipsum à cœnobiarcha cùm non difficulter impetrat, exacto biennio, rursus acris eum exstimulat cogitatio repetendæ solitudinis. Inde igitur ad montem Sinai ardentis rubi, neque consumpti spectaculo nobilitatum, excurrit; ibi, cùm post aliquanti temporis moram, locum reperisset secessui idoneum, ad rubri maris littora domicilium sibi, quod excisa petra suppeditabat, constituit; eóque adamato, quasi Deus obtulisset, biennium solo pane, qui ex vicino Sinai monasterio, diebus ei dominicis præbebatur, & lutulentâ aquâ victitavit. Sed neque ibi secretum tendit diutiùs; quàm offensus præternavigantium strepitu, & oleum salutare ex vicino monte promentium, ad monasterium, quod in Sinai montis crepidine stabat, sese contulit; ubi cùm aliquantisper item substitisset, assignata ei demum habitatio in ipsius montis cacumine, inculta sanè, & crebris Arabum assiduè desertum id latrociniis infestantium tristis & horrida. Hic tum, quas ille dæmonum illusiones, quas insidias pertulerit, cùm exequi nimis hic prolixum, cogitandum animis subjicimus.

XIX. At verò per ea tempora magna incessit homines religio, Palæstinæ loca sancta visendi, quæ in dies flagrantior incrementa capiebat: *nam ex universo orbe*, verba repeto Glabri Rudolphi, *tam innumerabilis multitudo cœpit confluere ad sepulchrum Salvatoris Ierosolymis, quantam nullus hominum priùs sperare poterat. Primitùs enim ordo inferioris plebis, deinde verò mediocres, posthæc permaximi quique Reges, & Comites ac Præsules; ad ultimum verò, quod nunquam contigerat, mulieres multæ nobiles, cum pauperioribus illuc perrexêre: pluribus enim erat mentis desiderium mori, priusquam ad propria reverterentur.* Richardus itaque Nortmanniæ Comes, Glaber appellat Rhotomagorum Ducem, cùm aliquando peregrinus Christi causâ, consuetudinem aliquam eorum locorum contraxisset, monasterio montis Sinai honestum pecuniæ subsidium addixit, quod ab ipsis tamen in Occidente statis tēporibus colligi volebat. Sed, cùm monachi, qui Hierosolymâ ad Richardum corrogādæ stipis causâ missi fuerant, in Nortmannia diem obiissent; renunciatum Abbati alios uti submitteret, qui præsentem paratámque pecuniam inde sumerent, & ad loca sancta deportarent. Abbas eo nuntio accepto, omnibus diligenter monasterii sui rationibus subductis, denique munus illud Symeoni, perspectæ sibi virtutis, & multarum notitiâ linguarum excellenti monacho, demandare constituit. Sed is interea in occultam eremum, priscum vivendi genus secutus, sese abdiderat. Unde quoquoversum suis in vastam solitudinem ad eum conquirendum dimissis, inventus demum, & ad monasterium reductus, mandata de Gallicana profectione ab Abbate accepit. Quibus initio quidem periculorum obtentu, cùm minùs se dicto audientem præbuisset, demum obedientiæ vim apud animum reputans, prompto parendi studio, cum monacho Cosma in viam se dedit.

Hist. l. 4. c. 6.

Hierosolymitanæ peregrinationis ardor.

Hist. l. 2. c. 2. Richardus Nortmanniæ & Rotomagi Dux loca sancta obit, & dotat.

Symeon à monte Synai per varia discrimina in Normanniā mittitur.

XX. Atque hic prima se conatibus adversam Babylon objecit; etenim graves à custodibus ejus urbis injurias perpessus, quod exploratorem eum rati, comprehensum ad urbis Præfectum, post jurgia atque contumelias deduxerunt. Sed liber à Præfecto, re cognitâ, dimissus, cùm navim Venetam, quam peropportunè paratam ibi offenderat, conscendisset, dies aliquot per Nilum, prospero flatu provectus, denique in piratas incidit; à quibus, vectoribus crudeliter omnibus jugulatis, ipsum etiam navigium est direptum. At Symeon, præsentis nequidquam periculi metu conterritus, in puppi, superstes omnibus, ac semet obdurans adversus mortem, immobilis perstitit; quoad infestos certatim unum omnes se petere, atque ad necem designare conspicit; atque tum ille, veluti de salute jam ante sua atque incolumitate certus, rejectâ veste, se fluctibus committere; atque singulari numinis fiduciâ, inter densum, quibus è navigio petebatur, sagittarum nimbum ad littus enatare vicinum, haud magis brachiorum remigio, quàm divino præsidio servatus. Ergò, ubi lasso jam corpore, nudus hostium se manibus eripuisset; à proximis, quod ad tegendum satis, quæsito vestimento, post ingentes demum itineris ærumnas, Antiochiam pervenit; ubi etiam à Patriarcha cæterisque Christianis benignè exceptus, atque omnibus est Christianæ charitatis officiis recreatus.

S Symeon à piratis in mare compellitur. Enatat incolumis.

XXI. Inter hæc, dum Symeon Antiochiæ degit in omnem proficiscendi occasionem intentus, migrârunt è Trevirorum finibus duo præstanti religione Abbates, Eberuinus, hujus narrationis autor, & Richardus Virdunensis Antiochiam, ut inde terram sanctam peterent. Hi, cùm alia distinent negotia, ut facilè inclarescit virtus, agnitum fortè Symeonem amicitiâ sibi devinciunt, permoti viri sanctitate; atque, ut opperiatur eorum in eam urbem reditum, precibus efficiunt. Igitur, ubi castè locis iis atque religiosè peragratis, Antiochiam reversi sunt, comitem itineris Symeonem, uti convenerat, incolumem Taurunum sive Belgradum urbem unà perducunt. At hic, ab urbis Præfecto Symeon transitu prohibitus, & pari utrinque mœrore à latere comitum avulsus, Deo exercente famulum suum, difficillimum ad mare, unde venerat, iter inops omnium reflexit. Demum itaque immenso per Italiam flexu, Rhotomagum in Gallias, quæ præcipua tum Nortmannorum civitas, innumeris terrâ marique afflictatus incommodis pervenit. Sed etiam ibi ne præterita mala haberet sola, morte Richardi Comitis, præter spem omnem, destinatâ pecuniæ summâ fraudatus, amisso itineris etiam comite; quem ex Oriente adduxerat, cùm hisce calamitatibus simul omnibus in præsentia nullum aliud suppeteret remedium; denique consilium proficiscendi in Treviros,

Eberuinus & Richardus Trevir. Abbates loca sancta obeuntes B. Symeonem in Treviros alliciunt.

atque

S. Symeon Theologiense monasterium adit.

atque antiquos itineris laborumque socios revisendi cœpit. Theologiense igitur monasterium per Lotharingiæ fines adeuntem, Eberwinus Abbas, qua par fuit humanitate, & officiorum alacritate virum sanctum complexus, apud se retinuit. Et vero Symeon inculpatæ vitæ & præstantium virtutum, magnis exemplis toti sese monasterio reddens venerabilem, hospitalitatis id quantivis obsequium, uberiore pietatis quæstu compensavit.

Apud Lemovices & Engolismâ innotescit.

XXII. Hæc de felici B. Symeonis ad Treviros adventu, reliqua annis quæque suis trademus, si unum tamen adhuc reddidero, quod ad hoc sancti Symeonis iter, virique eruditionem & sapientiam mirificè facit, promptum ex actis Lemovicinæ Synodi, quæ Annalium Ecclesiasticorum incomparabili scriptori libenter sanè debemus. Lemovicum Ecclesiam quæstio non tanti quidem, sed partium studio pertinax tamen exercebat; Beatus Martialis ex Domini discipulis septuaginta duobus Apostoli nomen sibi rectène haberet; cumque in longum it certamen, fortè apud Engolismam diversanti beato Symeoni eadem quæstio posita; qua de re in Synodo, hæc clerici Engolismensis fuit relatio: *Ante hos plures annos, quidam ex fratribus de monte Sinai, ad hanc partem devenerunt Occiduam, Dei dispensante nutu; moribus graves, doctrinâ Catholicæ fidei profluentes, vitâ per omnia honesti, utriusque linguæ periti: qui, cùm diu nobiscum Engolismæ fecissent, exspectantes Principem civitatis, & literis Græcis, & Latinis eos videremus ad unguem imbutos; super hac re interrogare curavimus eos eo tempore, quo hæc regula de Apostoli memoria in hac urbe frequentabatur, recuperata potiùs, quàm primùm inchoata, viventibus Rege Roberto, & Gauzelino Bituricensi Archiepiscopo. Ego autem Engolismæ positus, ubi etiam ab ineunte ætate educatus sum, dum inter alios quasi sciolus viderer, ante omnes & super omnes huic regulæ repugnabam, putans esse vanum & falsum, sive ex elatione descendisse, quia Martialem audiebam in hac urbe Lemovicensi prædicari esse Apostolum; & incautus rusticorum opinioni meam accommodabam intelligentiam, putans neminem esse Apostolum, præter duodecim. Itaque illos conveni Græcos, sciscitans, utrum Orientales Martialem nossent? Qui, alter Simon, alter Cosmas, consono ore responderunt, dicentes: Utique Martialem novimus Apostolum unum ex septuaginta duobus. Quibus cum diceremus: nescimus præter duodecim Apostolos. Habetisne, inquiunt, per istas Occidentales Ecclesias. Evangelistam Lucam, qui scribit alios septuaginta duos ..... respondimus ... à nobis non credi fuisse Apostolos, sed tantùm discipulos. Illi protinus nos fugientes, & signo Crucis se munientes, cœperunt deteSiari vocem nostram, dicentes: Discedite procul à nobis miseri, quia hæretici estis, cùm non credatis verbis Domini dicentis ad illos: Ite, ecce ego mitto vos, sicut oves inter lupos. Non creditis Apostolos illos, quos ipse incarnatus Dominus ad prædicandum misit?* Hæc de sancto Symeone, ab hoc circiter tempore repetita.

Cæsar Baron. annal. tom. 11 ad an. 1029.

S. Martialis, an dicendus Apostolus.

XXIII. S. Symeonis & Cosmæ socii mores.

Eruditio linguarum.

Religionis, & fidei tenax professio.

Ex notione ἀποστόλων argumentum.

XXIV. Henricus Imperator, Saxoniâ interim perlustratâ, à Goslariensi conventu, Moguntiam ad Palmarum celebritatem venit; Paschaque Ingelheimii peracto, proceres Aquisgranum evocat: *Atque ibi tum*, verba Ditmari sunt, *consilio Heriberti, Archipræsulis, Theodericum Metensem Episcopum, & Henricum fratrem ejus placavit.*

Anno sequenti Benedictus Pontifex, Germaniam adventu suo exhilaravit, & Babenbergam, rogatu Imperatoris, divertens, Basilicam sancti Stephani, quam prioribus annis Imperator ibi construxerat, ritè dedicavit.

Huc quoque retulero, quod Ditmarus de integra tandem pace cum Henrico Lutzelburgio ab Imperatore constituta, sed involucro temporis satis obscuro, tradit, ejus pacis, ac restituti Ducatus autore Poppone Archiepiscopo. Non piget hunc scriptorem fidei præclarum sæpè citare: *Cæsar dilectum sibi locum Bavenberg visitat: ibi tunc mense Decembri Henricum quondam Bavariorum Ducem, & tunc VIII. annos & pæne tot menses, suâ depositum culpâ, pristinis Imperator restituit honoribus die Dominicâ; sicut ei firmatum est prius, à Poppone Trevirensi Archiepiscopo.* Porrò octennium id amissi Ducatus, si a Metensi bello auspicemur, nam Treverico adhuc stetisse visus, proximè huc loci accesseris. Henricum verò constat à sorore Imperatrice Ratisbonam introductum, utque post diutinam maris jactationem suavior portus, ita lætioribus auspiciis desideratum honorem credideris recuperasse, quàm olim fortè insperatum adierat; adnitente præsertim Cunigunde, ut honorificè restitueretur, qui inhonorus, culpáque sua ejectus erat.

Ditm. lib. 7 [illegible]

Henric[illegible] Met[illegible] Episcop[illegible] & Henric[illegible] Bavariæ [illegible] S. Heri[illegible]tum [illegible] nient[illegible] Henrico Imp. reconcilia[illegible]tur

ANNU[illegible] CHR. 101[illegible]

Marianus Sc. Sigebert. Stephanus[illegible] Contractus [illegible]

Henric[illegible] Lutzelbur[illegible]gius resti[illegible]tuitur Bav[illegible] riæ ducat[illegible]

Poppo ej[illegible] restitution[illegible] auctor.

Cunigu[illegible]dis sororis opera.

Ditma[illegible] 7. verba ej[illegible] Fratrem suum inthro[illegible]nizavit.

XXV. Godefridus Arduennas inferioris Lotharingiæ: sive Belgicæ Dux, cùm jussu, atque auspiciis Henrici, nuper in Frisones pugnans, voce, incertum unde missâ, territus, fugiente exercitu, vivus in hostium potestatem venisset, hoc demum anno, custodiâ missus, quinto Kalend. Octobris excessit; eique successor Gozelo frater datus est: quem Wippo in vita Conradi Salici, aliique Ripuariorum, seu Mosellanorum quoque Ducem appellant: ambo in numero repositi benè meritorum de clero Metropolitanæ domus.

Godefridus Arduennas moritu[illegible] pro eo

M[illegible] [illegible] Sigeber[illegible] an. 1015.

Gozelo frater Godef[illegible] Lotharing[illegible] Dux

Otto Frising. 6. cap. 31.

Sed & pugna Florinensis, quam Lamberto Comite Lovaniensi cæso, felicissimam eventu Godefridus edidit, in fastos relata. Verba Diarii sunt.

Florinensi[illegible] prælium.

Pridie Idus Septembris commissum est bellum in Florinis à Godefrido Duce, in quo occisus est Lambertus.

XVI. Additur versiculus:

Marte perit duro Vichart occisus in illo.

Vichardu[illegible] occumbit eo prælio

Quem ex Treverica nobilitate virum fuisse principem, non difficilis sit conjectatio.

ANNU[illegible] CHR. 102[illegible]

Annus inde millesimus sequitur post Christi natalem vigesimus; quo diœcesis Trevirensis magno clarorum hominum proventu læta fuit. Engelbertus, Golfcherus, Theodoricus

Viri cl. apud Trevir.

Trithem. ca[illegible] Lutzelburg[illegible] & Brower[illegible]

cus, & Theodorus ad Divi Eucharii cœnobitæ præclaram obtinuêre famam scientiæ ac literarum: at Poppo Stabulensis Abbas, Richardus Virdunensis, &, de quo dicere cœpimus, Symeon, opinionem apud omnes præcellentis habuere sanctitatis. De Golfchero Trithemius non uno loco, facundiam styli, & oris ejus laudans, trium principum hujus Ecclesiæ Pastorum, Eucharii, Valerii, Materni scripsisse excomia; Gesta quoque Trevirorū, uno libro complexum. At Richardum sancti Vitoni Abbatem apud Virdunenses, & illius loci privata monumenta, & Sigebertus in Chronico celebrat virum, *piâ gravitate*, & *gravi pietate* discretum.

Golfcherus vel Golfinerus S. Matthiæ cœnobita. Catal. illustr. vir. Franc. hist.

Richardus Abbas sancti Vitoni. *Otton. an. 1027.*

XXVII. *Rupert. Tuit. vita S. Heriberti c. 26. & seq.*

Henricus per eos dies Rheni oram, quò minus pacatam haberet, infestis fiebat populationibus Ottonis, potentiâ atque armis spectati Comitis. Otto namque hic illigatus injusti thori vinculis, cùm solvi secernique ab ea uxore, quam legibus vetabatur adsciscere, se passus non esset, Erkenbaldus Moguntinensis, Episcoporum convocato concilio, in Comitis proterviam graviter invectus, de communi Præsulum sententia, Ecclesiasticæ communionis illum usu emovit. Hoc accepto Comes vulnere, velut adacto ad vitalia telo, majore, quàm antea, inflammatus irâ, omnem in Archiepiscopum potentiæ & armorum adparatum explicans, palam Rheni quietem infensare: parataque satellitum manu, quà fert impetus, igni ferróque in Moguntinum agrum grassari, pecorum & agrestium magno damno. Receptaculum belli arx Hamersteinia, quæ monte prærupto Rhenum subter labentem, excelsa contuens, duobus circiter passuum millibus infra castellum Antonnacense, Treverici juris est.

Erckenbaldus Moguntinus Archiepiscopus Ottonem Comitem excommunicat.

Rheni ora malè pacata per Ottonem Moguntinum infestat

Hamersteinia arx.

XXVIII.

Moguntini in primis, & cæterorum quoque flumen accolentium intererat, flagrantem irâ bellóque Comitem, aut voce mitigare; aut sedare justis armis. Sed Imperator Erkenbaldi ante omnia precibus & obtestatione victus, arma sibi sumenda duxit. Ergò vicinis undique Principibus ad illam expeditionem evocatis, cum exercitu ad Rhenum descendit; & loci naturam contemplatus, dispositis circum copiis, parat obsidere hostem. Maturescente deinde autumno, machinis & irruptione domiti propugnatores; & arx expugnata captaque, cum ipso Comite, in potestatem venit.

Henrici Imper. expeditio cōtra Ottonē Comitem & Hamersteinii expugnatio.

XXIX

Hac ipsa in obsidione, quod dignum literis, iræ adversus Heribertum Coloniensem olim natæ, iterumque suscitatæ Christianæ mansuetudinis egregio documento, simul ab Henrico sunt positæ atque sopitæ. Insederat Henrici animo tumor ille simultatis, ab eo inde tempore, quo regni gubernacula cœperat, Heribertum aversantis, quia insignibus regni diutius apud se retentis, tardiùs etiam ad partes accessisset. Altrinsecus suspicionem commovebat, ceu minùs surgenti gloriæ favisset. Saucium igitur Regis animum nacti, quibus invisa præsulis virtus, ad ea, quæ Cæsaris error atque casus invexerat, facilè tantum fomenti suggerunt, ut objectâ calumniarum nube, non tam voluntate, quàm errore præceps, & offensionem animi cum pertinacia retineret, & periret propter vim sceleris alieni; accessit denique ad exulcerandum penitùs offensi pectus, res ejusmodi. Quo tempore in arcis Hamersteiniæ, & Ottonis perdomandâ rebellione vigilabat, nuntiis ad Heribertum Coloniam missis jubebat, ut cum expedita is suorum manu sollemni obsequio suppetias veniret. Heribertus, eâ luce dierum, magno febrium ardore æstuabat, & morbi excusatione vacationem ejus muneris utique merebatur; Henricus, ut ad suspicionem prona sunt Regum ingenia, ratus verba sibi dari à Præsule, cujus sanctimoniam aversus; tum intueri minùs poterat, iracundè tum sanè; atqui si huc ad me gravatur accedere, ipse equidem, quando nuntiat per morbum sibi non licere, cubantem invisam.

Henrici Imp. insignis animi modestia erga S. Heribert. Coloniensem Archiepiscopum. *Sigeb. in chron. Rup. Tuitiens. c. 27. & 28.*

Dixerat hæc Imperator, & majores subdentibus faces æmulis, simul cum Ottone debellatum Coloniam sub Christi Natalem hoc animo proficiscitur, ut Heribertum aut sede suâ depellat, aut certè, quaquà possit, plagam aut dolorem inurat. Atque hactenus duntaxat divini sideris radium in Regis optimi pectore abscondi Dei summa benignitas tulit. Namque ejus diei nocte, quâ die cultus ab Heriberto omni officiorum genere civitatem ingressus est, secundùm quietem videre sibi præsentem visus Antistitem, oris & vestis majestate augustum, affarique: Cave Imperator in hunc conservum meum Heribertum graviùs quidquam, aut statuas, aut designes; nec ipsius unicè Deo carum caput esse, acceptumque nescias; quare, si quicquam erga eum fueris commeritus, quod nolles, ejus haud dubiè erit severa tibi quandoque reddenda ratio.

XXX. ANNUS Chr. 1021. Henricus ut iram adversus S. Heribertū conceptam domuerit.

Henrici visum.

Captatâ hac auribus voce, Imperator & viso mirabiliter immutatus; postquam diluxit, bona concordiæ atque Christianæ pacis animo secum volutans, ocyus ad ipsum Pontificem, veniæ deprecandæ, adit. Atque ibi, cùm Heribertus per summam observantiam mistumque lachrymis pudorem, caussas tam pertinacis iracundiæ sciscitatur, Princeps, edomitâ jam asperitate, præclarè sui iræque victor animi infimus, ac precum, gratiam præteriti postulat erroris; tum in æmulorum oculis, benigno complexu Præsulem ambit; atque ter illum osculo suo, pacis usitato symbolo, dissuaviatur. Neque modus hic supplicii, sed certioris argumento veniæ, postridie quoque, uno duntaxat clerico comitatus, Heribertum diluculo visens, in sancti Joannis oratorio, rejectâ clamyde, protinus ad ejus se pedes abjicit; humíque stratus obsecrationes instaurat, postulans eâ potestate, quâ præditi Pontifices, tam obstinatæ bilis piaculo solvi se, & veniam offensionum indulgeri.

Humilitas.

Heribertus tam raræ virtutis imagine velut attonitus, jacentem mox adlevat; & graviter accusantem damnantemque semet, reum usitatâ formulâ solutum, liberúmque pronunciat. Inde divinâ instinctus mente præsul, cùm diceret fore, ut mutuo posthac conspectu nunquam inter se fruerentur, ipséque brevi rebus exemptus humanis, vitam hanc migraret, Imperator ictus majore viri desiderio, charos iterum dare amplexus, & volventibus per ora lachrymis, manus, oculos, aliaque membra fixis oculis, insaturabiliter demulcere. Quo sanè tam germano, raroque expiati probè odii

XXXI. S. Heriberti vaticinium.

documento,

documento, præclaram Henricus iræ victoriam, & quasi quandam exaggerationem altissimarum virtutum, in imperii sui theatro, repræsentavit. Neque vana interim cecinerat Heribertus, ut qui decimo septimo dein Kalend. Aprilis, quem diem inter benè meritos, Trevirensis etiam Ecclesia quondam illi nuncupauit, cœlestium numero insertus est.

S. Heribertus Coloniæ moritur.

XXXII. ANNUS CHR. 1022. Aquisgranensis conventus.

Anno postero, celebris Aquisgrani omnium Germaniæ Episcoporum habitus conventus; quo etiam tempore tantâ siccitate laboratum, ut cùm præ ingenti aëris ardore passim mortales deficerent, tum aquarum inopiâ magnam stragem siti pecorum morientium daret.

Henricus Imperator jam tum Italiam spectabat, expeditioni paratus. Invitârat Benedictus Pontifex, & Græcorum se Apuliæ finibus insinuantium adventus stimulabat, ut maturaret, Apulorum Dynastis in Latinorum obsequio parùm fidis. Poppo Archiepiscopus, more hujus ætatis, copias ex gente sua magnas in id bellum sub signa coëgit. Ipseque antesignanus, cum Pillegrino Coloniensi Archiepiscopo, superatis Alpibus, priusquàm Cæsar cum exercitu adesset, ulteriora prætentare jussus. Autor est Leo Ostiensis, Popponem Archiepiscopum cum undecim millium copiis, per Marsorum regionem, iter fecisse, Pilligrinum Coloniensem viginti millia ductitâsse. Armorum fructus, Principum quorûdam rebellium coërcitio, repressióque; Troiæ quoque recens à Græcis in Apulia conditæ memoranda deditio.

Poppo Italicam expeditionem suscipit in Apuliam usque.

Lib. 2. c. 40.

Marsorum regionem armat' init.

XXXIII. Henrici & Procerum Germ. ex bello Apulo calamitosus reditus.

ANNUS CHR. 1023. *MS. Fuld. contradibus ad an. 1022.*

Cæterùm revertentis exercitûs clades, fructum militiæ non æquavit. Nam præeunte hic nobis veteri scriptore, Cæsar, victoriâ Dei ope partâ, Cassino, & sancti Benedicti memoriâ lustratis, ad Romanæ sedis apicem festinavit; ubi pace, gratiaque optimatibus sibi devinctis, celeri, ait, cursu nivosa Alpium cacumina transgressum, mortalitate tantâ insequente, quantâ vix oratio vel stylus exprimeret; tam raro quoque milite comitatum, ut honoris causâ submitteretur, qui in occursum ei appareret. Ex quo Popponis nostri & Pillegrini Coloniensis detrimenta facilè item æstimes.

XXXIV. Aribo Moguntinus Synodus Selgenstadiensis. *Baron. an. 1022. alii 1023. Burchard. Post. lib. 10. Acta Rer. Mogunt. l. 5. Trith. in Hirsaug. Chron.* Hericho S. Maximini Abbas.

Dum verò Præsules hi militaribus negotiis implicantur, Aribo Moguntinus Archiepiscopus, qui pridem Erkenbaldo successerat, Synodum suffraganeis suis Selgenstadium, ad Mœnum amnem indixit. Huic ex Trevirorum diœcesi, Abbates interfuêre Eberuinus Theologiensis, quem sæpè diximus, & Hericho D. Maximini, ambo inclytæ virtutis clarique nominis, atque Hericho quidem, in Imperatoris animo plurimum valuit; vir acer ac prudens, nec raro utilis, publicis pariter ac privatis imperii consiliis. Porrò Synodi hujus annus, ambiguâ Indictionis notâ, parùm accuratè circumscriptus.

XXXV. Roberti Regis Galliarum & Hērici Imper. congressus.

Vix interim, Italici belli curas Henricus absterserat, cùm omni ex Germania, Episcopos & principes viros evocat; & ad Galliarū Regis Roberti amicū colloquium invitat; seque ad illum congressum suoque magnificè instruit. Condictus eam in rem locus, & serēdo sermoni aptus, & securus habendo Concilio, ad limitem utriusque regni. Neque enim lectissimos hujus memoriæ principes minùs sacrorū, quàm Reipublicæ in commune salubriter administrandæ cura coquebat. Itaque, ubi ambo in confinis Mosæ fluvii ripis frequenti Procerum examine affuêre, velut apud Modestiæ & Clementiæ aram fascibus imperii submissi, certatum, uter alterum officio & obsequentiâ vinceret. Quo in certamine, sæpè aliàs spectata Cæsaris virtus eluxit; qui transito amne, Regem comiter occupans, ei prior salutem tulit. Renovatâ inde palæstrâ, missitandis invicem muneribus, câ urbanitate, mutuò donantis & accipientis, ut aurum immensum infectum factumque regificè potiùs exhibitum, quàm cupidiùs acceptum, appareret. Missi denique in concilium Episcopi, super Ecclesiæ & regnorum incolumitate; à quo nec abfuisse velim cum provincialibus suis Archiepiscopum Popponem. Placuitque in Italiam, itinere decreto, Ticinum adire Benedictum Pontificem ambos Reges; quæque à patribus hic consulta visa, in summum illius transferre arbitrium. Congressum hunc Glaber Rudulphus enucleatè descripsit; & ad Mosam amnem: Sigebertus, super Carum rivum apud Elvasium vicum. Saxo meus scriptor, à reditu Cæsaris in Italiam; magnum, inquit, habitum Synodale colloquium, in partibus Occidentalibus. Virdunensis Ecclesiæ monumenta in Haimonis Episcopi memoria, agnoscunt concilium Elvasiense. quo peracto, ab Haimone ferunt creatum Archidiaconum Hermenfredum, doctrinarum haud magis quàm probitatis famâ longè principem, qui S. Magdalvei Præsulis Basilicam, sacrarum Virginum olim contubernio decoram, novis operibus exaugens, collatis in medium de suo vectigalibus, Canonicos ibi viginti quatuor instituit, flagrantibus ad ejusmodi tunc beati Richardi Vitonini Abbatis consiliis, operaque potissimùm adjutus.

Sigebert. chron. … Rudulp. … c. 2.

Synodus … apud Elvasium.

Charus v. Chares fl. Elvasium *vulgo Eva… MS. in Chron.* Elvasien. Concilium

Hermenfredus Virdunen. Archidiaconus institutor Collegii S. Magdalve…

XXXVI. Richardus Abbas … Viton. * Herichon Harichone S. Maximini Abbate quæ mutatio facta *Ads Fuld. antiq.* *MS. Privil.*

Inter hæc * Harichone S. Maximini Abbate, singulare de bonis illius Monasterii ætas hæc Henrici Imperatoris sancti judicium spectavit, cùm ut * nuper Fuldæ & Hersfeldiæ, ejus autoritate ob disciplinæ inopiam, magna rerum conversio facta, ita & hic, opibus in immensum auctis, ipsa Abbatiæ dignitas ceu mole suâ pressâ & conquassata, memorabilem inclinationem subiit. Quæ res, uti gesta, utque publicis tabulis Henrici Cæsaris notata atque testata, strictim à nobis aperietur; quo accessiones hæ ac detrimenta fortunæ bonorum, Euripi ac freti instar usque ire nobiscum, & non stare, fluere ac refluere, sedeat animo.

XXXVII.

Henricus itaque cervicibus suis Rempublicam sustinens, sive huic amplificandæ fortibus viris locum industriæ & virtutis patêre voluit; sive otium quærere & vacationem mentibus Deo sacratis, regiis ab se signatis tabulis, ad memoriam posteritatis profitetur, se ex Abbatia S. Maximini in suburbio Trevirensi, ubi Haricho venerabilis Abbas præesse videtur, quasdam Curtes & Territoria, vide possessionum vim immensam, scilicet ad sex millia sexcentos, quinquaginta sex mansos, ab Harichone in beneficium accepisse; eoque fidelibus suis; Henrico Duci, & Ezzoni Palatino Comiti, nec non Ottoni Comiti, qui nihil dum ab ipso vel regno ad id tempus benè

Opulentia Monaster. S. Maximi.

Henricus Dux Bavariæ fortè regis affin. fr. S. Cunigundæ.

Ezzo Palatinus Comes Hermanni P. F. Eberardi Tr. Archiepisc. pater. Haricho S. Maximini Abbas ab Imperii publicis muniis absolvitur. S. Willibrordi Abbas. Henricus Imp. ablata S. Maximino bona servitii relaxatione compensat.

benè meriti licet, consequuti fuerant, beneficii feudique titulo hâc lege tribuisse, ut quia Haricho Abbas jam tum senio confectus, commodè Imperatori domi militiæque servire non posset, ipsi beneficiarii eorumque heredes, vice Abbatis & ejus successorum, ea munia pace belloque sustinerent. Atque ita Haricho ipsiusque successores à curia regia & omni expeditione, quemadmodum Abbas S. Willibrordi, Epternacensis, vacationem haberent, nisi quæ Reipublicæ necessitas eos Metim, Moguntiam, vel Coloniam ad consilium publicum vel colloquium prodire suaderet. Et, ne cum salutis suæ jactura videretur Henricus injustè auferre, quæ à Christi fidelibus piè fuissent olim in locum sacratissimum collocata, se reverentiâ Numinis & amore tactum justitiæ fatetur, tum consiliis quoque monitisque permotum Aribonis Mogontiacensis, & Popponis Trevirensis, ac Piligrini Coloniensis venerabilium Archiepiscoporum, aliorumque fidelium, servitium, quod alternis annis Imperatori ac imperio persolvere Monasterium S. Maximini solet, perpetuum condonare & indulgendo remittere; atque ita, quæ Deo, sanctóque Joanni Evangelistæ & S. Maximino abstulisse visus, resarcire & compensare; idque eâ fide & autoritatis robore, ut, si quis successorum à Monasterio ea servitia requireret &, repeteret, eorum nihil ante præstari fas esset, quàm omnia, quæ Henricus Imperator abstulisset, autor servitiorum redhiberet. Texit hinc Imperator prolixo censu longam villarum & Ecclesiarum per Moguntinum, Agrippinensem, & quàm latè patet Trevericum agrum seriem, quam instituto majorum confirmat Monasterio; vetátque illa prædia possessionésque alienari, aut beneficiis vel clientelis obnoxia fieri, sed Cœnobitarum usibus eorum jubet fructum & vectigal impendi. Actum Moguntiæ. Lutherius Cancellarius vice Aribonis Archicappellani. Prid. Kalend. Decembr. Indictione VII. Anno Dominicæ Incarnationis MXXIII. Annò verò domini Henrici II. regnantis XXIII. Imperii autem X.

XXXVIII. Harico S. Maximini Abbas Hierosolymam petens moritur in itinere. *MS. monast. S. Maxim.* ANNUS CHR. 1024. S. Poppo S. Maximino præficitur. *Apud Surium, de Ian. c. 19.* JOANNES XX. PONT. 2. 9. Hermannus Virdunensis Comes, Godefridi Arduen. F. qui & sub Ottone III,

Cæterùm Haricho Abbas Hierosolymam, religionis causâ, anno insequenti profectus, in itinere apud Myrream Lyciæ Metropolin decessisse traditur; atque in æde B. Nicolai Episcopi sepulturam nactus. Ei mox Henricus Imperator, S. Popponem Stabulensem Abbatem successorem, dedit, cujus memoriam vitæ luculento sermonis genere, Everhelmus Altimontensis, literis mandavit.

Per idem tempus Benedicto Pontifici, Joannes XX. ejus frater suffectus. Et Virduni ex Godefridi Arduennatis liberis Comes Herimannus Gozelonis Lotharienfium & Mosellanorum Ducis frater, consilii prudentiæque famâ clarissimus, in vita Wolbodonis Leodiensis Episcopi à Renero, & in actis Reginardi Præsulis ab Ægidio Aureæ-vallis Monacho celebratur. Qui S. Laurentii honore majorem in modum cùm delectaretur, accepissetque Popponem Stabulensem, omissam Laurentiani Monasterii curam in Reginardum Episcopum rejecisse, & Leodii Martyris cultum prisco ei resuscitato domicilio instaurari, religioni favens, hinc quadriennio Stephanum probatæ vitæ Cœnobitam ex S. Vironi Monasterio cùm sex ejusdem disciplinæ sociis Leodii Reginardo præsentavit, & pristino resarciendo Monasterio præclarè affuit.

Apud Gerbe. tom. 1. Leod. Episcop.

XXXIX

Henricus Imperator adulto jam vere, Babenbergâ cum Augusta conjuge Magdeburgum properabat; sed morbo per intervalla discruciatus, sequente Procerum Senatu, ægre istuc ad gloriosâ Christi anastasin venit. Atque hic tum, vix ambigo, accidisse, quæ de regno constituendo cum Proceribus egisse tradit Sigebertus: quippe, ex Cunigunde liberorum nihil tulerat, cui spes successionis incumberet; de successore consultus, Conradum, Franconiæ Ducem, virum splendidè natum, & in armis antè alios præstantem, imperio Principem edidit. Magdeburgi verò, ab Humfrido recens Archiepiscopo in locum Geronis designato, multâ veste auróque donatus, comitante Cunigunde Augustâ, Halberstadium, atque inde Goslariam adiit; sed ubi decem post diebus ad locum ventum, cui Gronæ nomen, validiùs morbo depressus, animam agere cœpit. Ergò, ubi supremum jam adesse sibi diem cernit, Cunigundem uxorem, & propinquos ejus accersens, moribundis in adstantes conjectis oculis: Recipite, inquit, quam mihi conjugem tradidistis, integram à me & intactam adhuc, illibatâ pudicitiâ virginem. Quibus ita gestis, maximâ apud omnes innocentiæ, & inprimis castitatis opinione relictâ, pridie Idus Julias in cœlum migravit; Conrado ex Wormatiæ Ducum prosapia, quanquam non sine certamine, Germaniæ regnum ineunte. Funus ejus ingenti omnis ordinis hominum luctu ac mœrore Babenbergam, quò decreverat, exportatum est, posito illi ab Hildegarde Poëtria, Epitaphio.

Henricus Imp designat Conradum Salicum successorem. *MS. Francofurt. Leo Ostiensis l. 2. c. 47 vita S. Henrici in 6. antiq. lect. & Cunigundis apud Surium 3 Martii. Schaba nostra ad B. Marianum. Sigebert. in Chron.*

S. Henrici Claudi mors. *Mart. Rom. XIV Julii.*

CONRADUS SALICUS REX GER. an. 14. *Otto Frisin. chron. l. 6. c. 28 Contract. Sigeb. in chro.*

At verò in Henrico sancto Imperatore, non pauca reperio, quæ ejus apud Treviros perennem memoriam mereantur. Principio S. Wolffgangum, meritorum in Trevirensem Ecclesiam, quâ præstantiâ virum? educatorem habuit. Sponsam ei, & gentiles devotosque clientes Lutzelburgum, pars gentis Trevericæ, dedit. Postremò acta vitæ palam fatentur in hanc Ecclesiam beneficum & liberalem: nam vetus autor, ubi ex itinere Romano deduxit in augustum religione Cluniacense cœnobium: *Inde*, inquit, *iter faciens, per Leodium & Trevirim transivit; & congregationes inibi Deo famulantes, plurimis largitionibus, & prædiis ditavit.*

XL. Henrici apud Trev. memoria & beneficentia. *Ditmar. in versibus ad l. 5. Chron. S. Henrici vita tom. 6. antiq. lect. & I. Gretz. D. Banberg vita S. Henrici cap. 26.*

De Cunigunda majorum literæ tradunt, mortalium rerum pertæsam, ubi migrationis Henrici anniversarius affuit, ad Confugiensis ab se de novo restaurati monasterii Basilicam dedicandam, accersisse Pontificum cœtum; eoque coram, in parthenone virginibus exstructo, victimæ instar ad Christi aram mactari voluisse, seque virginem, ut quæ maximè, labis integram, majore quàm templum religione, consecrari. In ipsa itaque dedicationis pompa prodiens suo cultu Regina, purpuram posuit, resectaque comâ, & velo cum annulis assumpto, cycladem fuscâ stolâ mutavit, quam sibimet suis manibus contexuerat. Atque ita in sanctæ conversationis officina,

XLI. ANNUS CHR. 1025. S. Cunigundis fit monialis. *Acta Sur. 3. Martii. Iac. Gretzer. cit. vita S. Cunigun. l. c. 9.*

infra

infra servilem prope modum, quindecim annos illa degens, & virginibus ob Christi amorem inserviens, sceptrorum mundique vanitatem ac fastum, insigni victoriâ triumphavit.

XLII. Confugia vel Confugiense monasterium *Caphungum Dimaro, vulgo Kauffungen, in Hassia Greize est & Hassia Circa ... Henrico Bavaria & Hassia principe, fra... ro*

Confugia verò seu Confugiense monasterium, quod antiquus vitæ scriptor nominavit, majores ipso Caphungum dixere, propè à Castellarum Hassico non incelebri oppido ad Fuldam amnem, dissitum. Cujus originem etiam ad Luduicum Pium referunt. Et Kauffungi nomen memoriáque Hassis non excidit, qui meminerunt sub Philippo Landtgravio circa salutis annum MDXXXI. prisci cultus & Sanctimonialium istic factam abolitionem. Incidimus & nos in veterum literarum monumenta, quibus testatum fiebat congregationi Kauffingensi multa quondam prædia in Comitatu Bertholdi pago * Trichira apud ostia Mosellæ, vico Leya Henrici Cæsaris munificentiâ obtigisse, jusque patronatus ostendebatur illius Ecclesiæ longâ ante ætate, quàm id petitione Sigebergensis Abbatis * controversum fieret, fuisse penes Antistitam Caufingensem.

S. Cunig Caufungensis Abbatissa jus olim habuit patronatus Ecclesiæ in Leya
* Trizira.
* Lis ea exorta an. 1293

XLIII.

At Aribo Præsul Moguntinus, instigatore Brunone Augustano Episcopo acerrimo, ultimam secutus Henrici Procerúmque voluntatem, Conrado deinde præcipuam operam adversus insolentiam Cunonis Vangionum Ducis, omnia regnandi gratiâ permiscentis, exhibuit: quippe Cuno hic, sive Conradus junior, quod ex Wippone narramus, cùm in Francia item Orientali prænobili exortus majorum stirpe, generis ac virtutis claritudine patrueli non concederet; & Lotharingorum secum facere studia non nesciret, haud faciles ad honorem aditus Conrado majori dabat; donec inflexis tandem vel superatis primorum animis, Conradus major, ut Moguntiaci ab Aribone inungeretur, obtinuit. Quare hic conciliandis sibi popularium studiis protinus per Ripuariorum fines Aquisgranum profectus, frequentem ibi Principum senatum habuit; variáque indulgentioris animi illecebrâ, imperii clientum sibi obsequia devinxit. Nec dubium, quin utriusque ordinis viri amplissimi, Poppoque noster, Regi tum novo alacriter apparuerint. Wipponis in illustrium Procerum hujus ætatis enumeratione verba sunt: *Trevirensem Archiepiscopatum gubernabat Poppo frater Ernesti Ducis, vir pius & humilis; qui eodem tempore filium fratris sui Ducem Ernestum, cum Ducatu Alemannico, sub tutela habuit.*

Cuno Dux Vangionum Salici patruelis.

Conradus Salicus Moguntiæ Rex inungitur.

Popponis Archiepiscopi præconium ex Wippone.

XLIV. ANNUS CHR. 1026.

Sed enim Conradus Salicus, imperio sic stabilito, anno postero, expeditionem in Italiam adornavit; partim, ut regnum id malè pacatum, armorum præsentium terrore componeret; partim, ut regium atque augustale diadema Romæ, veteri instituto majorum, acciperet. Sed priusquam Alpes transiret, quo firmioribus insisteret munimentis, insignia majestatis in filio Henrico conspicere maluit; cúmque Aquisgrani, per Pilligrinum Coloniensem Archiepiscopum, regio more vinciendum diademate & inungendum curavit.

Henricus Conradi filius Rex. *Marian. Otto & MS. Fuld. Sige. ad an. 1026. Lamber. & Contract. ad an. 1028.*

Brunonis seu Leonis IX. Episcopatus Tullensis initia

Quo tempore Bruno, qui Pontifex postea maximus evasit, cùm ob sapientiæ & virtutis laudem, tum necessitudinem inclytæ stirpis, quâ Conradum Cæsarem propè attingebat, autoritate ac gratiâ plurimum apud Regem valebat; eaque causâ ipsius Conradi Procerumque Palatii facilè studia tenebat, ut si quæ opulentior Ecclesia Pastore caruisset, ejus fastigio Cæsar cognatum Brunonem fuisset haud dubiè dignatus. Ereptus jam nuper Tullensibus erat Hermannus Antistes; quare omnium ordinum illius Ecclesiæ Summates missis ad Conradum & Brunonem legatis, hunc ab illo sibi sacerdotem postulârunt, qui olim à pueris apud Leucos parentum summâ voluntate a Bertholdo Episcopo in clero liberaliter piéque fuisset educatus. Cæsar inferiorem opibus ac dignitate ratus illam sedem; & Brunoni optans splendidiorem, quantum autoritate potuit, & Tullensium postulata distinere, & Brunonem ab illa suscipienda Ecclesia monitis precibúsque deterrere. Medio tempore abiens in Italiam Conradus, inter Principes alios & Brunonem comitari se voluit, ad quem cùm Leucorum epistolæ supplices perlatæ, acriùs animum ejus hoc sermonis genere extimulant, quo significabant vel eâ ratione haud negligi se oportere, ceu ob paupertatis probrum, destitutam & orbam Ecclesiam sprevisse videatur, dum aucupatur fortè digniorem. Quamobrem dedit tandem precibus eorum Bruno, ut per infestos Insubrium fines magnis itinerum & insidiarum periculis in Leucos descenderet, & faustâ populi clerique gratulatione, deducente eum Theodorico Metensium Præsule, Episcopatum istic iniret.

Ex actis ejus MSS.

Tullenses ab usque Italia flagitant Brunonem.

XLV.

Reversus hinc Conradus in Germaniam, Brunoni autor erat, quóne apud suos sollenne ordinationis munus capesseret, sed id honoris sui causâ in alteram expeditionem Italicam, & tempus suæ coronationis differret, quò scilicet majore cum dignitate ab ipso Pontifice ordinaretur Episcopus. Id quod cùm Poppo Archiepiscopus agi cognoscit, jus acriter suum tueri, ac pro virili huic consilio obniti. Conradus hinc unà cum Brunone, ad Popponem exorandum Treviros accessit; verùm, ubi oblatâ juri jurandi formâ, hanc velut arctiorem Bruno renuit, & Cæsar perstare in sententiâ Archiepiscopum, nec vim Metropolitæ resolvi posse didicit, controversiâ in medio relictâ, aliquandiu dilatus Bruno, done Wormatiæ Præsulum aggregato cœtu, utrunque Popponem & Brunonem istuc ad se evocavit; atque ibi tum consecrationis munere ad Popponem rejecto, & formulâ sacramenti nonnihil laxatâ, Bruno Leucorum Episcopus ritè creatus & ordinatus est.

MS. vita Popponis & Leonis IX. acta MSS.

Conradus Rex Treviros accedit.

XLVI. Poppo Brunonem consecrat in Wormatiensi conventu.

Posthæc Poppo Trevirorum Archiepiscopus, curis omnibus ad diœcesis suæ cùm tuendam dignitatem, tum disciplinam retinendam conversis, mores sanctimonialium lasciviâ luxúque remollitos, inprimis sanare aggreditur. Monasterium, ut diximus, erat in Trevirorum suburbanis, Palatioli, quod vocabant aulam Palatii, jam inde à Dagoberti ætate à virginibus Canonicam vitam profitentibus habitatum. Huc Archiepiscopus commissuram pallii, ut inde caligas contexerent, vestimenti genus, quo ad sacri sollennia uteretur, de more, dederat. Sed cui id opus injunctum, Medea, libidine non magis, quàm veneficiis erudita, Antistitis in se amorem ut raperet,

Monialium Palatiolensium corruptelæ & castigatio.

vestem pharmacis iis imbuerat, uti ad Popponem haud dubiâ spe nasciturae illecebrae, rediret. Poppo, ut corpori vestem aptavit, tantam ilicò philtri vim praeter morem expertus est, ut sensibus propemodum ad libidinem alienatis, cùm alioquin pudicitiam coleret apprimè, in nefariae mulieris amorem totâ mente atque cogitatione exardesceret. Demiratus itaque lascivientis carnis insolitam tyrannidem, ubi ad extremum veste mutatâ, alios atque alios eam periclitandi caussâ induisset, iisdem quoque illecebris sensim capi & pervelli ipsi se, haud dubio concepto pudore, sentiunt: tum denique ad urbis Praefectum fortè adstantem, delata vestis; qui, ad primum confestim libidinis sensum indignans fremensque, malo se carmine incantatum, publicâ voce denuntiat: sciscitantique originem mali, apud quem tam turpis nimirum flagitii labes resideret, rem totam Episcopus, ut erat, patefacit. Discessum inde ad cognitionem; & de justa poena tam tetro flagitio irroganda relatum; dictisque sententiis, omnium una oratio fuit, insignem dedecoris notam Ecclesiae Trevirensi inustam, atque ad hanc eluendam graviter exercendas esse majorum sanctiones; aequum proinde ac rectè factum videri, eam ante omnes, quae tam nefarium facinus fuisset ausa, procul ejicere virginum contubernio, reliquas ad patrati sceleris poenitentiam mutare vestem, atque pullis indui, quae candidis antea fuissent usae: adhaec, monasterium disciplinâ in posterum rigidiore adstrictum, arctioribus quàm antea legibus devincire. Quibus eum in modum decretis, primùm exactâ ab mali capite poenâ; tum salutaria, quae diximus, ad caeteras remedia derivata; quae cùm bona pars tenax vitae licentioris omninò respueret, visum est Archiepiscopo collegium id penitùs dissolvere, & reliquis ad alia quae vellent monasteria transeundi potestatem facere. Quod & deinde fecit; multis inde virginibus in monasterium Horreense, quod, Theodorico teste, integrâ per id tempus disciplinâ vigebat, traductis.

Carminis amatorii vis cui se daemon admiscet.

Urbis praefectus sub Poppone.

XLVII. *Theodoric. in inventione B. Celsi, Everhelmus c. 13 vita S. Popponis.* Monasterii S. Maximini corruptela.

Eadem quoque tabes Monasterium D. Maximini, ceu vulgato per contagionem morbo, his diebus incesserat; quae pestilentiosè eò fuit, quò periculosam magis atque difficiliorem curationem habuit. Poppo, quem Imperator Henricus Abbatem eligendum istuc miserat, pro eximio suo in religionem studio, omnia ejus loci abstergere probra, atque solutos monachorum castigare mores, primo quoque tempore instituerat. Quâ unâ re tantam invidiae flammam accendit, ut monachi dum omni conatu jugum amoliri à cervicibus, & ipsam imminentem jam in sedes illas quasi Salutem, procul arcere student, ad atrocia quaeque & memoratu tristia descenderint: quippe, omnibus refractis pudoris & reverentiae claustris, necem moliuntur primùm sancto viro, geniali fraude, nescio quibus in aede sacra operati praestigiis. Sed malè, proveniente daemonis artificio, vis aperta placuit. Ergò veneno dapes illinunt, & identidem ei ponunt, miscéntque poculum letiferum. Quorum ille machinationes, tam impias, ceu divinis quibusdam antidotis praemunitus, cùm saepius eludit, gravissimorum tandem scelerum, Deo ipso justas & celeres exigente poenas, ante finem vertentis anni, eorum nemo, qui sanctum virum veneficiis, atque devotionibus impugnâssent, mortis tristia spicula vitavit. Quo exemplo deinde reliqui perculsi, colere posthac omni officiorum genere Popponem, atque eximiam viri virtutem, majorem in modum revereri coeperunt.

S. Popponem venenis appetunt monachi.

Crimen id subita morte luunt.

XLVIII. Poppo peregrinatur in terram sanctam. *MS. Trev. & gesta.*

His ita gestis, Poppo Archiepiscopus, cùm Palatiolano parthenone abolito, liberiùs virginum dotem contrectâsset; & sexaginta annonas sive praebendas inde militibus perpetui stipendii feudique titulo concessas abstraxisset, peregrinationem Hierosolymitanam, ob reverentiam inprimis sacrosancti Sepulchri, tum poenitentiae causâ suscepit; impetratoque commeatu à Joanne Pontifice maximo, tantisper ut à dioecesi abesset, Ecclesiáque suffraganeis, atque nominatim Theodorico Metensi demandatâ, comite Symeone monacho sanctissimo, eodémque perito viarum, cum primariis è clero ac nobilitate longam illam & difficilem viam, religionis studio capessit. In Syriam cùm transmisisset, Symeon veteres necessitudines revisere cupiens, Antiochiae restitit, dum Palaestinam Archiepiscopus, totam obiret. Porrò autem, usque adeò intentâ curâ, singula terrae sacratae loca Poppo etiam atque etiam perlustravit; ut triennium in ea re paenè totum posuerit. Et quoniam vehemens accenderat cupido, Babylonis urbis visendae, captivitatis discrimen adiit; inde brevi tamen Symeonis, ut nonnulli volunt, operâ liberatus.

XLIX. ANNUS CHR. 1027. Conradus Rex Rom. fit Imperator.

Clavi dominici sanguine fundentis miraculum.

Sequenti anno Conradus, susceptis Romae Imperii insignibus, Augustus est frequenti Procerum Italiae conventu salutatus. Quo tempore etiam Treviris mense Junio, miraculum in Clavo Domini rursus extitit ingens, & valde commemorandum. Theodoricus Episcopus Metensis, pro absente Metropolitano, munus sacrorum gerens, cùm Trevirim identidem ad Presbyterorum ordinationes accedit, Clavum Domini, quem in altari publicè proponi, in speciem religionis jusserat, opportunitatem nactus, instituit dolo malo surripere. Submisso igitur clam novitio, quem in eam rem curaverat, genuinum ac verum, qui sacrosancta Christi membra perterebraverat, sustulit; atque nemine advertente, in albae sinum, pontificalibus enim indutus erat, demersit. Peractâ porrò re divinâ, cùm ab altari deducitur à clero, ecce tibi in terram ubertim manare sanguis, & guttatim è manicae sinu magnâ vi profluere coepit. Ministri, re territi improvisâ, & repentino quopiam morbi genere oppressum rati, accelerare gradum & festinare ad sacrarium. Ibi tum stans cruentatus ipse, & plurimo respersus sanguine, dum factum ultra jam celare non potest, incertus animi, & supra quàm crederes, quidnam secum ageretur demirans, prae metu paenè obriguit; ac denique in se reversus, & facti indignitatem coram Deo quàm diligentissimè reputans, piaculo insuper confessionis noxam, restituto sacro pignore, eluit; veniamque non difficulter, à praesenti clero impetravit; denique chirographo rem gestam contestatus, miraculi apud posteros minimè dubiam fidem, clarissimamque

Theodoric. Metensis Episcopus adulterinũ subjicit.

Sanguine multo perfunditur.

Theodoric. Eps Chirographo miraculum attestatur.

memoriam

memoriam reliquit; quam excipientes inde fastorum libri:

Duodecimo, aiunt, Kalend. Iulii, Clavus Domini effudit sanguinem Treviris.

L. Clavus suppositius adhuc asservatur & sanguis.

Extat adhuc suppositius, tam non genuino dispar, ut proximè veritatem imitetur. Et sanguis, quem Domini Clavus stillavit, usque ad hanc ætatem asservatur in hierotheca.

ANNUS CHR. 1028 Giselbertus Lutzelenburgius diœcesin incursat.

At toto illo triennio, quo Poppo Orientem, & loca Palæstinæ plena sanctitatis perlustrans, domo abfuit, multa tristia & fæda Trevirorum in agris, à Giselberto Comite Lutzelenburgensi & Conrado ejus filio, sunt patrata. Ambo quippe locum injuriæ nacti, spe certiore sive prædæ sive victoriæ cum expedita militum manu hostiliter diœcesin incursantes, per incendia villarum, ac ruinas, magnam hominum pecorúmque stragem ediderunt. Nec me præterit narratio, Gisilbertum jam pridem vitâ functum asserentium; quorum ego tamen fidem, dum antiquior annalium & Popponis actorum memoria suppetit, amplecti nolim.

LI. Popponis reditus è Syria.

Fine hujus anni, Popponem Archiepiscopum ex Palæstina, atque diuturna peregrinatione, unà cum Symeone reducem, Treviri, quâ par fuit animorum alacritate, exceperunt. Ejus itineris comites, utriusque ordinis viri clari, haud intacti ab sacrati religione soli domum reversi, ad conservandam votivæ peregrinationis memoriam, anniversarii jejunii sponsione semet obligarunt; unde in cathedralis Ecclesiæ veteri diario, ad sextum Nonas Maii, signatum reperimus:

Hic est jejunium, quod promiserunt Domino facere quotannis, qui fuerunt in Hierusalem cum TR Archiepiscopo Poppone.

At Poppo, mense Novembri cùm urbem iniisset, comperto Symeonem Eremitam, vitæ tranquillioris studio secessum captare, adeóque iis temporibus usitato exemplo, includi velle, optionem ei tulit, ubicunque vellet, sedem in ditione Trevirorum figendi. Qui, cùm in urbe Treviri perpetuò sibi commorandum divinitùs accepisset; locum in antiquâ mole, quæ arcis in morem assurgens, præcipuum ex veteri civitatis fortuna monumentum superest, quámque Nigram Portam tum vocitabant, assignari sibi postulavit; atque ita festo die B. Andreæ, circumfusâ ad spectaculum magnâ cùm populi, tùm cleri multitudine, ab Archiepiscopo, in angustum quendam ejus molis angulum inclusus est. Ubi, in magna vitæ asperitate, simplici pane & aquâ contentus, omnem in orationibus & solitudine duxit ætatem. Cúmque annos fermè ipsos septem horrifico specu abstrusus, & perpetuis expositus Aquilonibus, toto ad salutem impetu nititur, variis dæmon eum oppugnare petitionibus aggreditur, atque, sexcentis immissis teterrimarum imaginum spectris, revocare ab instituto vivendi genere, nunquam intermittit. At ille interritus & ad omnem mali spiritus occursum munitus stabat; & manebat in quadam quasi precationum assiduarum vigilia, contra diversos belluarum insultus, Græco sermone psallens; ut clypeo, sic oratione, ignita diaboli tela excipere, longo jam usu pugnandi doctus.

S. Symeon à Poppone includitur.

LII. ANNUS CHR. 1029 Poppon Abbatis humilitas. *Cons. Hersfel. Everhelm. c. 16 vit. Poppon.*

Anno postero, cùm esset Argentinæ sedes, Werneri Episcopi decessu vacua, & Conradus Imperator Popponem D. Maximini Abbatem ad eam ineundam perurgeret; ille humilitatis pretio postponens id genus fastigia, callido Imperatorem commento frustratur; clerico se procreatum simulans; ideóque sibi per Ecclesiasticas sanctiones aditum ad ejusmodi dignitatem interclusum. Ad quæ dicta, Rex haud dubio pudore suffusus, in præsentia quidem summæ Popponis modestiæ cessit, atque Wilhelmo cuidam, istius Ecclesiæ curam commendavit. Sed, ubi ab Ermingarde nobilissimi Principis Godefridi filia, certior postea factus est, Popponem non ingenuis modò parentibus, sed & patre ortum factis militaribus egregiè claro, viri eximiâ virtute atque animi submissione captus, vehementiùs, ut fit, eum extollendi studio exarsit; ambiendum ratus scilicet eum, qui minimè ambiret. Non magno itaque spatio temporis interjecto, universas regii juris latè Germaniam Abbatias, quæ caruissent Rectore, Popponis unius licet multum reluctantis industriæ, vigiliæque credidit; jusque ipsi vel eas per se administrandi, vel viros idoneos substituendi; tradidit.

Ermingardis Godefridi Lothari. filia, Popponi Abbati ... det.

Popponis D. Maximini Abbatis ... [illegible]

Et verò, quàm præclarè sedulóque hac tam amplâ potestate functus sit ipse, testantur inprimis excellenti non minus religione, quàm monasticæ disciplinæ peritiâ viri, quos diversis ipse deinde temporibus pro officii ratione, in varias quoquoversus Abbatias, descripsit. Et Hersfeldensibus quidem *Rodulphum dedit, futurum aliquando Paderesbrunensium Antistitem. Northbertum monasterio S. Galli subalpino. Wirciburgensibus Wolmarum. Post hæc Epternacensi Treviris finitimo Humbertum, morum integritate spectatum virum. Ellonem verò Bruvillerio S. Nicolai, apud Agrippinensem Coloniam tum primùm assurgenti; similiter Ultrajecti S. Paulo Herigerum; Mediomatricis S. Vincentio, Heribertum Rectores esse jussit. Walciodorum insuper Lamberto; Nuvilarium Theodorico; monasterium S. Eucharii apud Treviros Popponis Archiepiscopi nutu, Bertulfo attribuit. Porrò Everhelmus, qui hæc ipsa memoriæ consecravit, in Alto-monte Rector ab eo constitutus est; ut item Heribrandus cellæ D. Gisleni.

Monasteriis dat Præfectos.

* al. Rudon apud Surium

LIII. Bosonis villam seu Bosentdorff monasterio condidit Poppo Abbas.

Sed & ipse Poppo, Bosentdorffium in finibus Lotharingiæ peramœno secessu, juxta Niddam rivum, quem Saravus absorbet, monasterium ædificavit, & aggregatis in vitæ communionem cœnobitis, Cunonem Abbatem eis præposuit. Atque ad hunc modum Poppo, dum toto pectore languentes monasticæ vitæ curas, & disciplinas inertes exsuscitat, feliciore velut insertâ propagine, excellens S. Benedicti professio, multiplicato germine quasi fœcunda revixit, refloruitque.

ANNUS CHR. 1030

Annum inde millesimum tricesimum, conventu

Sigebert. in chro. Everhelm
Triburiẽsis conventus.
ANNUS CHR. 1031
Poppu Abbas pacificator regum Galliæ Germaniæque.

ventu ad Triburias tam sacro, quàm civili, Conradi jussu celebrato memorabilem prodidit Sigebertus.

Proximo, regnare in Galliis cœpit Henricus; cum hoc Poppo D. Maximini Abbas reconciliandæ gratiæ viam invênit, atque pacificatoris officium probè functus, ut inveterato dissidio, quod Francis occidentalibus, cum Germaniæ Imperatoribus erat, sublato, Conradus atque Henricus amicitiam denique fœdusque jungerent, auctor fuit.

LIV.
Epternacẽsis Ecclesia consecratur à Poppone Archiepisc.
S Willibrordus levatur.
Vita ca. 34. MS.

Anni verò exitu, Poppo Archiepiscopus, ædem Epternacensem, quæ arserat, invitatus ab Humberto, præcellenti abbate, XIIII. Kalend. Novemb. frequenti ad spectandum coeunte clero, populoque, sollennibus sacris adhibitis, consecravit; levatáque eodem die S. Willibrordi ossa, in tumulum honoratiorem sub altare ter maximæ Trinitati dicatum transtulit. Quæ tum in hac Translatione res supra mortalium vires divinitus gestæ sunt, Thiofridus Epternacensis Abbas ferè coætaneus, in S. Willibrordi vita, accuratè exposuit. Ejus hæc est narratio: *Anno progeniti Verbi MXXXI. à transitu ejusdem gloriosi Patris CCXCII. oratorii caduci fabricâ instauratâ Humberto Abbati, totiq. congregationi sedit sententia, ut XIV. Kalend. Novembris, invitato præclaro Poppone sanctæ Treverica sedis Archipræsule, & Defensore Henrico gloriosissimo Duce Boiariæ, inter Dedicationis sollemnia, ejus ossa transferrentur in locum, ubi hodie cum reverentia & honore debito recondita visuntur.*

Henricus Luzelburgius Boiariæ Dux Advocatus Epternacensis.

*Delecti sunt ad tam pretiosum inquirendum & effodiendum thesaurum Cænobitæ celebres, & in sancta conversationis proposito nobiles: qui, dum obseratis Ecclesiæ januis, pavimentum conarentur infringere, unus ex eis Thietmarus nomine, oblitus, nocturno se delusum phantasmate, bipennem libraturus, brachia quasi divinitùs colligata, sensit. Quare attonitus, & anxius animo, ab Huberto Præposito, in secretioris loci adytum deductus, monitusq. paternè, ut puræ Confessionis se gemitibus expurgaret, si cujus criminis sibi conscius esset. Ille verò hæsitans, cùm nihil ab se novi admissum invenisset, jussus est ad lavatorium divertere, & * sarabara sua diligenter inspicere. Quod cùm fecisset, & polluta vestimenta deprehendisset, jubente animum pœnitentiâ, sacro labori se reddidit. Egestâ autem humo, & effractis duabus cryptis, in tertia sanctissimum repererunt sarcophagum; & sericum desuper pallium, quod, mirum dictu, per tot sæcula non modò incorruptum, verùm etiam pulchrum & integerrimum usque in id temporis, ad Basilica Dei suspenditur ornatum; incorrupta vitæ ac meritorum tanti Pontificis evidens testimonium. Accessit inde Humbertus Abbas pro reliquiis distribuendis; & elevato paulisper operculo, videre meruit dilectissimum Dominum suum, jacentem illæsâ cucullâ & cilicio; & penè toto corpore integro; tantisq. flagrante odoribus, ac si delibutum esset unguentis omnibus; & aromata de carne mortua ebullirent pro vermibus. Idem inseruit manum, nec sine summa formidine, unam quoque de costis sancti viri extraxit. Cumq. omni diligentiâ obserato & elevato sarcophago, sacræ celebrarentur excubiæ, quidam ex Cænobitis Frithelo nomine, qui nobili ortus prosapiâ, deposito cingulo terrenæ militiæ, oblatis ante se duobus filiis indolis egregiæ, suavi se jugo subdidit servitutis Dominicæ, supervenit totâ debilitatus membrorum compagine, utpote intestinis ejus prolapsis & dependentibus in secessus confinio & margine, intimæ orationis prostratus obtulit hostiam; & exsurgens, nescius impegit in tumbam; & absque ulla mora ex collisione salutifera, visceribus in sedem revocatis, pristinam sanitatem adeptus est.* Hæc Thiofridus, qui de eodem Frithelone libro IV. carminum, quibus S. Willibrordi vitam complexus est.

Thietmari cœnobitæ punitio ob levem castimoniæ labem.

Vestimenta gloss. vox Tertulliani.

Pallium quo tectus S. Willibrordus.

S Willibrordi in sepulchro quiescentis habitus.

Odoris suavitas è corpore sancti expirantis.

Frithelonis nobilis Epternacensis Cœnobitæ miraculosa curatio.

Clarus militiâ, dum militis induit arma,
Sed vexilla ferens, cum sterneret acriùs hostes,
Lapsus equo jacuit; prolapsaq. viscera luxit.

LV.
Frithelo & Bertramus Epternacẽses Advocati ob injuriâ puniti.
Adelbertus Comes Namurcensis.
Bedensis pagi laus obscurata.
Borsceidtũ arx.

Ad hæc eadem tempora revocanda sunt, quæ de altero Frithelone Epternacensis monasterii Advocato Thiofridus memoriæ mandavit. Is Bedensi pago latè rerum potitus, cùm S. Willibrordi fortunas per se suosque fœdè divexasset, ausus denique est Namurcensem Comitem Adelbertum bello lacessere. Sed primâ congressione fusus, hostium minimo, suorum maximo detrimento fugâ se proripuit. Inde Bedensis pagi, cujus militiæ gloria longè percrebuerat, usque adeò laus obscurata est, ut gladibus posthac potiùs, quàm bellicâ virtute, innotuerit; ipséque Frithelo à gregario milite demum confossus oppetiit. Porrò, gener ejus Bertramus Borsceidti dominus, cùm pari injuriâ, & spoliorum licentiâ fertur in sancti Willibrordi fundos, non arce tantùm gentilitiâ potentiorum armis, sed avitis opibus, & thesauris exutus, omni deinceps honore caruit, & sacro illigatus anathemate vitam ærumnosam, & servituti proximam exegit.

LVI.
ANNUS CHR. 1032

Insequenti anno, cùm perfunctus belli Pannonici curâ Conradus, in hiberna Trevirim concessisset, Rudulphus Burgundiæ Rex, quem vocabant Jurensem, sine liberis moriens, regni diadema cum lancea, quæ Christi latus fixerat, cæterisque Burgundiæ insignibus, Henrico Conradi filio transmisit; atque inde jam tum nonnulli ferunt Imperatores Germaniæ regni Arelatensis insignia, titulósque usurpasse; Cancellario ejus regni instituto Archiepiscopo Trevirensi. Quâ de re nihil ut in præsentia explorati suppetit, sic loco suo copiosiùs inquirere, tempus monebit.

Regni Arelatensis origo.
Sigeb. ad an. 1034. Otto Fris. lib. 6. c. 3. Contract. Lazius. Blond.

LVII.
Everhe. c. 17.
S. Poppo vindicatur ab insidiatore Monacho.

Interea Abbas Poppo monasterio Divi Maximini Joanni nepoti tradito, ad Stabulense inspiciẽdum formandumque transierat; hic, ubi à dissoluto quopiam & protervo cænobita injuriosiùs habetur, ilico patuit sancti injurias Deo esse cordi; quippe, tam gravis irâ pœnáq; procacem petiit, ut pallore contracto, lentâ is deinde tabe paulatim arescens, denique misero mortis genere, testaretur iram Numinis.

Glaber Rodulp. l. 4. c. 5. Sige. in chro.
ANNUS CHR. 1033
BENEDICTUS IX. PONT. a 11 & amplius.
Mosellanorum Ducatus, Friderico Duce extincto, Imperatori cedit
* al. ut Lambert Gozilo & Gozelo.

Anno postero, quo Benedictus IX. improborum tyrannide Ecclesiæ suæ Romanæ gubernaculis pœne puer affixus, Fridericus Dux Mosellanorum Theodorici filius absque prole mascula decedens, Ducatum Imperatori suum reliquit. * Gothelo autem, Lotharingiæ qui Godefrido fratri successerat, cùm strenuam multis in rebus operam Imperio navasset, provinciam illam à Conrado, meritis suis, ac præstanti in bellis virtute nactus est; atque ita

Gothelo Dux Lotha creatur unà Mosellan. Dux.

ANNUS CHR. 1034

ita, per amplissima terrarum spatia Imperium à surgente Mosella, usque ad Scaldim extendit.

Limburgũ Spirense in monasteriũ vertitur. *Conrad. & Everhe. c. 16.*

S. Poppo Limburgẽsi monasterio novo consulit.

Vertente autem hoc anno Imperator, advocato ad se Abbate Poppone, ex gentilitio castro Limburgo, quod Nemetes inter & Vangiones situm, Basilicam suscitans, eam S. Crucis & D. Joannis Evangelistæ honori dicandam curavit. Quam ipse Popponi deinde commendans, monasterium simul exædificandi pro arbitratu, & monachos eò probatis vitæ legibus institutos deducendi, potestatem fecit. Quod, cùm incredibili utrunque pietatis studio Poppo administrâsset, cooptatis in novum monasterium religiosis ac perfectis viris, Joannem D. Maximini, quem diximus nepotem suum, Præfectum dedit.

LVIII.

Ebervin & Theodo. Ept. in vit. Popp.

B. Symeon mortem prædicit suam.

Subinde verò, B. Symeon de supremo sibi imminente vitæ die mirabiliter edoctus, Eberuinum Abbatem, comitem olim suæ peregrinationis, intrò ad se accersiit. Qui, ut cellulam ingressus, cum eo unà consedit, post preces, complexus, & mista lacrymis oscula, Symeon in eum intentus: Quoniam, inquit, propè adesse vitæ meæ finem, Deo revelante cognovi, id unum omnibus precibus oro, quæsoque te, ut ubi spiritus corpusculum hoc meum deseruerit, his me vestibus exutum, aliis, quas in eum mihi usum patrio more aptavi, ritè induere, atque huic ad extremum locello compositum cadaver, eo quo dixi modo, inferre velis. Ad quæ Eberuinus, attonito persimilis: Obsecro pater, quid si dominus Antistes in æde D. Petri, vel alio quo augustiore templo, sepulturam tibi constituat; cui Symeon, Fac intelligat, id unum esse in optatis, ut pro Christi nomine peregrina membra hoc ipso in loco putrescere patiatur; diemque exspectare mundo novissimum. Cumque sub hæc Eberuinus sermoni occurrens, futurum fortè diceret, ut morienti non adesset; constanter Symeon: Aderis, inquit, aderis utique: & quemadmodum decrevi tibique edixi, ita ordine cuncta nimirum à te gerentur. Tum Eberuinus, haud immuni religionis animo, acriùs vultum beati viri contuitus; tam simul divinum manare à corpore ejus sensit odorem, ut opobalsamo duceret, quamlibet fragrante, suaviorem. Atque hæc ita mense Februario Treveris gesta. Octavo deinde Kalend. Junii, cùm graviter Symeon jacere cœpisset, Stephano obsonatore, qui panem atque reliqua ei necessaria præbebat, cessare jam tandem, & consuetis supersedere ministeriis jusso, ne scilicet negotium contemplationi cœlestium deinceps vacanti facesseret: denique ipsis Kalend. Junii, præsente Eberuino, qui nuntio valetudinis ejus excitus, spirantem adhuc repererat, purissimam animam Deo reddidit. Porrò hâc vix dum migrante, confestim eximiam vitæ suæ innocentiam innumeris propè miraculis editis comprobavit: quippe mutilis atque distortis membris pristinos usus, cœcis quàm pluribus visum, & morbis quamlibet diris exagitatis, sanitatem & salutem minimè dubiam attulit. Funus ejus populus clerusque tantâ frequentiâ & assiduitate celebravit, ut hi diebus omninò triginta ad sepulchrum B. miracula coram patrantis, Deo hymnos, vix intermissis ad quietem vicibus, concinerent; illi, curarum veluti obliti ac rei domesticæ, sive honesto pietatis officio, sive curioso rerum admirabilium visendarum studio, cum facibus atque cereis frequentissimi funeris pompam exornarent. Temporis verò nostri rationes optimè congruere, vel ab hoc ævo doceant, quæ vetus Bibliotheca S. Petri suppeditavit diaria.

Moritur Treviris.

Cleri Treverici pietas erga Symeonem mortuum.

Annus obitus.

A Tritthemio Hirsaug. Chro. inductus Baron obitum retulit ad an. 1037.

KALENDIS IVNII ANNO MXXXIV. INDIC. II. CONRADO SECVNDO REGNANTE ANNO X. IMPERANTE AVTEM VIII. POPPONE VIDELICET TREVIRORVM ARCHIEPISCOPO HONOREM SVI PONTIFICATVS REGENTE XVIII. OBIIT B. SYMEON.

LIX.

ANNUS CHR. 1035

Tr. 1. Leod. Episcop. in Regino. Ægid. Sig. in chro. Otto Frisin. li. 6 c. 31. Pontius apud Papir. lib. 3. ann. Franc. Scriptor rerum Brunsvic.

Odo Campaniæ Celticæ Comes Lotharingiam bello petit.

Anno sequenti Odo Campanus Celticæ Comes, Rodulphi Burgundiæ Regis ex sorore nepos, quem vetus odium stimulabat, quòd is Henrico Conradi filio moriens regnum testamento reliquisset, fecialem res suas repetitum misit; legibus hæredum id regnum meritò sibi deberi, contendens. Aderat ei valida Tullensis nobilitatis conjuratio, quæ à Brunone Episcopo & Imperii Germanici studio alienior, rebus novis studebat. A Germania tùm procul degebat Imperator; eratque tumultuum plena & certaminum Italia; quare dum in Mediolanensis Archiepiscopi frangenda rebellione operam navat Reipublicæ Conradus; Odo interea fines Lotharingiæ, pluribus oppugnatis castellis, populatione atque incendiis pervastat, obsessoque frustra veteri, & præcipuâ Leucorum urbe Tullo, postquam vis irrita erat, arma aliò convertit; & mox Barrum nobile castrum magnâ mole adortus, expugnat. Gothelo autem Mosellanorum ac Lotharingiæ Dux Imperatori, ac nomini Germanico apprimè devotus, cùm res simul diripi suas cerneret, simul Imperatoris absentis proculcari majestatem, molestè Francorum eam insolentiam ferens, armatus obviam iit Odoni, expedito cum Lotharingorum, cæterorumque regni procerum exercitu. Apud Barrum cum hostibus acie decertatum; primoque congressu Albertus Comes Namurcensis cum fortibus aliis viris occubuit; quâ irritati clade Lotharingi, tanto ardore pugnam instaurârunt, ut non antea, quàm cæso Duce, & copiis Celticis sanè graviter attritis, à prœlio destiterint. Gotheloni itaque, fugato à finibus suis hoste, & Odone ipso interempto, gloriosa de Campanis victoria obvenit. Vexillum Odoni ereptum, in Italiam Conrado gratulationis causâ transmissum. cadaver, abscisso capite, Rogerius

ANNUS CHR. 1036. Tulium obsidet, & Barrum expugnat.

Odo à Gothelone Lotharingiæ Duce cæditur.

Catalaunorum Episcopus è prœlio extulit, quod apud Turones inde sepulturæ honorem invenit. De hac victoria Wibertus vetus rerum S. Leonis IX. seu Brunonis scriptor: *Oddone, vicinæ Marchiæ Francorum Comite per bellicosum patriæ nostræ Ducem Gozilonem turpiter morti tradito, pax per hunc Beato Præsuli, non solùm Lotharingiæ regno, verùm etiam adjacentibus provinciis restituta. Nam ejus intercurrente sapientiâ, legatione, consilio (apud Robertum Franciæ Regem) Romano imperio & regno Austrasiæ Iurensis Burgundia, quam Rudulphus Rex tenuerat, adjuncta.*

LX. Burgundia Jurensis à Germanis recuperata.

Per eosdem quoque dies, ut veteri signatum diplomate invenio, Poppo, rogatis in consilium Pilligrino Coloniensi & Bardone Moguntinensi, egregiâ virtute Præsulibus; adhibitis etiam provincialibus Episcopis, causam discussit. Thietfridi Trevirensis Ecclesiæ quondam Advocati; qui Luchardę quâdam matrimonio sibi junctâ, propinquitatis & sanguinis necessitudine, ad liquidum haud exploratâ; fecerat incertum, id conjugium an ratum ac legitimum esset. Controversiâ porrò diligenter multumque ab Episcopis hic disceptatâ, absolutus denique Thietfridus, grati ac memoris officio Ecclesiæ, cujus advocationis pronuper amplissimum munus sustinuerat, Michlenbaci XII. mansos, agrorum haud aspernenda spatia concessit.

Poppo matrimonii jura discutit.

Thietfridus Advocatus quondam, seu Defensor Ecclesiæ Trevirensis.

LXI. ANNUS Chr. 1037.

Proximo inde anno, cùm ædem primariam, quam ruinæ metu desertam, divinæque rei officiis orbam fuisse ostendimus, egregiis operibus Poppo jam instauraset, convocatis Trevirim Theodorico Metensi, Lamberto Virdunensi, & Brunone Leucorum suffraganeis suis conventum habuit provincialem; cui universus etiam Trevirensis clerus interfuit. Synodum hanc non præsentiâ magis suâ, quàm ope benignitatis, insigni & heroicâ munificentiâ, condecorarunt Adelbertus ex Lotharienfium stirpe dynasta, & ejus uxor Juditha; hæc quippe mulier eximio in monasticæ religionis cultores studio, atque liberalitate, cùm maritum trans mare in longinquam expeditionem profectum, mortem apud exteros obiisse accepisset, nuntiis & rumoribus incertis, planéque ita rem esse crederet, expiandi mariti criminibus, in beati Eucharii cœnobio subsidia paraverat; eámque in rem luculenta prædia, atque amplas ex Mosellæ vinetis possessiones, juxta Beronis castellum, Cubusámque, nec non Monendorffium vicum, cænobitis attribuerat. Sed Adelberto jam tum ad natale solum, seu ab inferis, nec opinante conjuge Judithâ, reverso, summâ utriusque voluntate, donatio rata sanctáque mansit. Quare hoc demum anno, in publico ordinum totius diœcesis conventu, sollemni attestatione, possessiones beatis Eucharío, Valerio, Maternóque Episcopis oblatæ, & monasterio D. Matthiæ perpetuum consecratæ sunt.

Synodus Trevirensis.

Ex MS. S. Eucharii. Albertus hic Lotharingiæ Dux appellatus, per prolepsin, & Juditha conjux Ecclesiæ Trevirensi benefaciunt. Judithæ Adelberti conjugis donatio S. Euchario facta.

LXII. B. Maternus ad ædem primariam transfertur.

Hoc peracto conventu, Poppo, XII. Kal. Novemb. sacrum D. Materni pignus, ex monasterio B. Eucharii, pompam insigni veneratione Episcopis cleróque ducentibus, ad summam ædem transtulit; templíque partem, eximiis antè donariis atque ornamentis affectam, magnâ hominum ad spectaculum effusâ multitudine, dedicavit; atque inde, pristinus fulgere Divi Petri Basilicæ nitor, cultusque sacrorum hactenus intermissus alacriùs repeti cœpit.

Templi primarii restauratio ac dedicatio.

LXIII. Ad hunc etiam annum, qui Popponis sacerdotii vicesimo secundo proximus erat, sanctimoniales Palatioli incoluisse parthenona invenio; quibus omnibus deinceps in varia loca dispertitis, Poppo Canonicos suffecit; quorum in præsens usque collegium, Virgini beatæ sacrum perstat. Exhibentur eo loco non obscura priscæ istius Parthenonis magnificentiæ documenta; in quibus hoc illustre, & insigni charactere sculptum in marmore Epitaphium est, avorum nostrorum memoriâ erutum quidem, at rursus jam terra celatum:

MS. Palatiolens. Eccles. Palatioli monialibus sufficiuntur Canonici.

Repertum an. 1479. 10. August.

Sponsa Redemptoris jacet hic tumulata Ruothildis,
Sursum glorifica tripudians anima.
Dum viguit mundo nituit castissima virgo,
Abbatissa chori candida virginei.
Mansit sub sacro speciosa Canonica velo.
Sed tamen in vita vera fuit monacha.
Ipsa kalendis septenis defuncta Decembris,
Ad sponsum rediit, quem pia promeruit.

LXIV. Adalberonis Lutzelburgici confessio morumque mutatio.

Per id tempus adhuc in humanis erat Adalbero, Giselberti Lutzelenburgi Comitis filius. Is, ut præteritæ vitæ omnes omnino maculas induceret, contractásque præsertim rapinis & ambitione sordes penitus obliteraret, anno postero, distributis suis passim per vicina monasteria prædiis, non adhærescentem modò nomini suo dedecoris notam eluit, verùm insignem ad posteros redempti erroris famam consecutus est. Extat ejus hoc diploma, quod subjicimus, ceu pectoris verè generosi præclarum argumentum.

ANNUS Chr. 1038.

LXV. *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Adalbero Præpositus sancti Paulini. Quoniam illas solummodò possessiones in æternum mansuras credo, quas, pro Dei quis amore feliciter erogat; iccirco ego Adelbero Dei gratia Præpositus S. Paulini Trevirorum, dominus de Ruttich, de Serico, de Sarburg, & de Berncastel, certissimâ fide credens, secundùm scripturam, sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna redimi posse peccata; quia,*

Adelbero & titulos & dominium utile harum arcium dû vixit ab Ecclesia obtinuit.

Præsens vita statum nescit præstare beatum,
Cùm sit inæqualis, nunc lucida, nunc pluvialis
timens instabilitatem loci, & personarum, mutationes rerum assiduas, vitamq; hominis certus non esse diuturnam; ignorans interim, quid crastina dies pariat; has inquam ob caussas Deo, cui omnia debentur, pro animabus parentum meorum, & pro peccatis meis maximis, quibus Deum ultiorem, personas Ecclesiasticas, monasteria nimis graviter offendi, cortes ipsorum destruendo, & deprædando bona ipsorum; aliquid de meis proprietatibus, quas, ipso jubente Deo, habere jussus sum, offerre disponens, sanus & incolumis, quia satis Deo cha-

Raptores Ecclesiasticorum bonorum.

*rum non est, qui illi hoc dat, quo ipse perfrui non potest, trado & tradidi monasterio Prumiensi & fratribus villam meam Wiltingen, cum omnibus appendicibus suis, exceptâ decimâ, quàm monasterio S. Mariæ ad Martyres legavi, & lego. Item villam meam Emmel do S. Maximino, cum omnibus appendicibus suis. Ad hæc villam meam Oefe sancto Martino. Item trado, lego & legavi villas meas Nenniche, Paltzele, Dilmere, & Helfeldt sancto * Euchario. quibus villas meas proprias addens Hempteren, Balderingen, Lampaiden, & quæ eo referuntur, omnia; chortemq́ meam in Bermeroldt, quàm venerabiles Archiepiscopi Trevirenses, Megingaudus & Poppo destruxerunt: hæc, inquam, sanctis patronis, & Dominis meis Euchario, Valerio, & Materno, cum pascuis ovium & pecorum, in terminis villarum prædictarum Emmelde videlicet & Wiltinch, lego ac legavi.* Descriptis, & in metas distributis hisce possessionibus, scriptum ita claudit: *Vt autem hæc donatio mea, & eleemosyna mea oblatio semper firma & robusta, stabilisq́, ac per hoc Deo placita, & mihi proficua perseveret, hanc eandem conscriptionis chartam à venerabili domino Abbate Bertolfo, pastore videlicet ipsius monasterii, rogatus sum roborare. Quam manu propriâ sigilli mei impressione roboravi. Facta autem est hæc donatio sollemniter anno XXXVIII. Indictione VI. Episcopatus Domini Popponis XXII. Pontificatus autem D. Benedicti Papæ * VIII. Anno VI. præsente venerabili patre ac domino Poppone Archiepiscopo Trevirensi, & viro religioso Bertolfo Abbate prædicti monasterii, & multis aliis Prælatis, clericis & laicis, in Ecclesia majore feliciter.*

Wiltingen.

Nennich. Paltzeln.

*al. S. Matthiæ Apost. sed perperam.

*IX.

LXVI. *Kyriander fol. 107. p. XI.*

Quod ad usurpatos Adelberoni titulos, hîc mirè sudat Trevirorum antidicus, ut quæ in possessionibus hujus Ecclesiæ, ante natum Adelberonem, castella veteres tabulæ reponunt, hæc contra testes & tabulas aversa, quasi arbiter quidam herciscundæ familiæ, in quos collibitum hæredes transcribat. Ruthiam enim arcem, sive Ruttichum, quod Roussiio Comitatui inter Lutzelenburgum, & Theodonisvillam nomen dedit, Adelberoni hæreditarium optat longè simplicius, qui Roussii, vel Ruthiarum originem Russis, jus veteris dominii Comitibus S. Pauli addicere maluit. Sed multum in his valent semperque valebunt, temporum & imperiorum vicissitudines, quæ modò huc, modò aliò transferunt rerum dominia.

Ruttichum, Rutia, Roussium castrum, à quo Roussii Comitatus, antiquè Treverici, nunc Lutzeburgici juris. *vid. hist. Lutzeb. de Comit. S. Pauli. Contract. & Sige. in chro.*

Conradus Imperator inter hæc, seditiones Italiæ majore motu coortas, cùm vix sedâsset, in Germaniam tandem, gravi conflictatus pestilentiâ, non sine mœrore funerum, reversus, sequentem annum temperandis regni negotiis dare cœperat; sed Princeps, quod Otto prodit sapientiâ consilioque magnus, & æquè belli ac pacis artibus insignis, Pentecoste Ultrajecti urbe tum Frisiæ, ritè celebratâ, pridie Nonas Junii, supremam, nec opinatâ morte, diem obiit. Ecclesiam Trevirorum magnis in vita beneficiis, & concesso Popponi diplomate, firmatis, quemadmodum & Henricus ejus decessor, cumulavit.

Conradus Imperator ex Italia reversus moritur.

ANNUS CHR. 1039. *Otto Frisin. l. 6. c. 31. & 18.*

Imperium inde Henricus Conradi filius occœpit; qui magistratus initi primo tempore, à Gisela Augusta matre atque Imperatrice rogatus, Comitatum Marwelis trans Rhenum, in territorio Einrichæ situm, quem jure quo optimo Conradus pater Popponi Archiepiscopo donârat, eidem successoribusque Idibus Septemb. Indictione VII. confirmavit. In magna verò limitum & possessionum vicissitudine, Comitatum hunc pervestigare jam difficile sit, etsi vestigia in Merebergi dynastia, quæ Nassoviæ tandem Comitibus, & Cambergæ olim Advocatis obtigit, deprehendi queant.

LXVII. HENRICUS NIGER Im. a. 17. m. 4.

Marweli an Marv diæ Comitatus trans Rhenum Einricha territorio Ecclesiæ Treviren. accedit.

Mare vel Mereberg dominiu

Id item temporis Fulco Comes Andegavorum, princeps totius Galliæ longè pacis artibus, & gloriâ scientiæ famosus, apud Mediomatricos spiritum posuit; cùm juvenilis ætatis offensiones ter Hierosolymorum sancto lustrato solo, probè expiâsset. Glaber Rudulphus hic mihi præit: *Ter Hierosolymam jam perrexerat, veniensq́ ad Metensem urbem, ibidem obiit; cujus corpus (in Turones) Lucanense ad monasterium, quod ipse construxerat, delatum est; atque in eodem sepultum honorificè.*

Fulco Comes Andegavorum Meti moritur.

Hist. l. 4. c

Annus insequens, qui post Virginis partum millesimus fuit quadragesimus; Cunegundis olim Augustæ, nunc Christi fidissimæ famulæ transitu signatus, quæ ad tertium Martii, cœlo vindicata, ut inter sanctarum virginum Choros palam in Ecclesia laudatur, sic & in Trevirensis sedis Ephemerides nomen ejus relatum, cum Friderici & Gisilberti fratrum memoria ex benefactis propagata.

LXVIII ANNU CHR. 10

S. Cunegundis mors.

Poppo quoque Divi Maximini, posteaquam totum jam septennium in Stabulensi monasterio præcipuis operibus exornando posuisset, & Basilicam, ingenti splendore à fundamentis inchoatam, non exiguo sumptu absolvisset, donariis ad extremum magni pretii templo illatis, ipsum etiam pro amplitudine, & ædificii splendore sibi dedicandum suscepit. Invitatis itaque præcipuis Germaniæ Episcopis, & ipso nominatim Rege Henrico, Nonis Julii magnâ cæremoniâ Hermannus Coloniensis Archiepiscopus, novam Basilicam B. Petro Apostolo, ac Divis Remaclo ac Martino consecravit, Henrico Rege illius diei lætitiam prosequente opimis agrorum donis, ex Amblaviæ vico, monasterio collocatis. Quæ ita quidem Stabuleti hoc anno, regni nimirum Henrici secundo, Indictione VIII. gesta, autor est in vita Popponis Abbatis Everhelmus.

LXIX Stabulensem Abbatiam Basilicâ novâ condecorat S. Poppo Abbas.

Cap. 18.

Sed & hunc, ac sequentem inde annum, Henricus Rex cum Bohemo, & Ungaro bellis vario eventu ferendis duxit. cùm interea Benedicti Pontificis autoritate, Archiepiscopo populoque Trevirensi summis id efflagitante precibus, B. Symeon numero Divorum, Confessor adscriptus est. Operæ pretium ipsius Popponis Epistolam ex vetustis membranis huc transscribere, quâ Benedictum Pontificem adiit, & ejus adversis rebus opem imploravit.

LXX. ANNU CHR. 10 *Contract. in Chron.* ANNU CHR. 10.

B. Symeon sanctus pronunciatur.

*Reverendissimo Patri Patrum, gratiâ & nomine Benedicto, Poppo licet indignus, divini tamen largiente clementiâ S. Trevirensis Ecclesiæ Minister, cum totius affectus dilectione debitam subjectionem. Superiori * tempore, cùm annuente veneranda memoriæ Domino Ioanne in hac sancta S. A. prædecessore vestro, amore*

*anno.

Diœcesis depopulatio sub Poppone.

visionis sepulchri Dei hominis IESV Christi Ierusalem profectus peregrè fuissem, in regione nostra pravorum hominum supercrevit iniquitas, ita ut nec adhuc manus possint ab incepta retrahere nequitia, omnia per circuitum diripientes & devastantes. Super quo sæpissimè deprecatus faciem Domini mei Regis, quatenus manum mihi porrigeret suæ animadversionis, nihil profeci. Sæpe etiam supra nominato Prædecessori vestro, pro eodem supplicavi, nec quicquam, usque adhuc consolationis impetravi. Quamobrem desidero, ut vel nunc solatietur mihi Deo amabilis Paternitas vestra, mittatq́; virum de honoratioribus ac prudentioribus vestris, qui mihi in necessitatibus meis consilio simul & auxilio suffragetur; auxilietur dico, de adversis; consilietur verò de his, quæ latere non credo aures vestræ sanctitatis. At verò, si hactenùs vos latuerunt, jam nunc obsecro uti benignum literis meis accommodare velitis auditum. Vir quidam vitæ sanctitate laudabilis apud nos diebus istis ex hac luce migravit; quem, si signis & virtutibus, quæ per eum Dominus operatur, credere debeamus, proculdubio eum cum Sanctis æternæ beatitudinis habere consortium non dubitamus. Sed non tam signa, quæ fidelibus & infidelibus communia sunt, quàm fidei virtus, quâ fideles ab infidelibus sequestrati sunt, qui ipse cum adhuc in corpore maneret, plurimum viguit, de ejus sanctitate nos certos reddit. Proinde accersivit nos tam clerus quàm populus Ecclesiæ nostræ, obsecrantes, uti literis nostris ad hanc A. S. cui vos, autore Deo, præsuetis, cum illius Viri sancti vita & miraculis missis peteremus, quod petitione dignum credimus; quatenus, si ita vobis cautum videatur, dato nobis vestri Apostolatus Decreto, nomen ejus liceat cum Sanctorum nominibus conscribi; cæteraq́; honoris sanctis debiti, ipsi impendi. Itaque, quid solatii, quid consilii super allevatione angustiarum nostrarum hinc & inde obortarum, Prudentia vestra mihi ineundum decreverit, sine longa temporis dilatione dignemini insinuare. Honor vester & meritum apud Deum & homines augeatur.

Poppo de latere Pontificis Legatû vel Episcopû Suffraganeum petit.

Postulat S. Simeonem consecrari.

LXXI.

MS. acta Popponis.

Popponis Epistolæ, qui Pontifex responderit, ex ipsis tabulis quibus Papa Benedictus memoriam D. Symeonis consecravit, pænè verbatim lubet attexere. *Quoniam crebris*, inquit, *nuntiorum indiciis, crebrisq́; literis clamor magnus, strepensq́; rumor ex Trevirorum partibus usque Romam ad nos, jamq́; etiam ulterius pervolavit, esse ibi viri cujusdam Symeonis admirabile corpus, signis & prodigiis, virtutibus & miraculis radians; Deum benediximus, toto corde, totâ mente, totis viribus, qui nostris benignè temporibus, intra sanctum suum corpus Ecclesiæ, hoc præcipuum membrum divino lumine accendit, ut sit lucerna ardens posita supra candelabrum, quæ luceat omnibus, qui sunt in domo Domini. Itaque convicti & pulsati à carissimo fratre nostro Domino Poppone ejusdem Treviris Archiepiscopo, concordi deliberatione determinamus, & altâ sententiæ radice fundavimus, eundem virum Dei Symeonem, quem Dominus commendat atque probat, significatione tantarum virtutum, sanctitatis ac gratiæ plenum, ab omnibus populis, tribubus & linguis Sanctum proculdubio esse nominandum; ejusq́; Natalem singulis annis recurrentem sollemniter observandum, & ferialiter celebrandum, ac venerandum adinstar diei festi; nomen quoque ipsius Martyrologio, Sanctorum nominibus suo loco inserendum.* Has porrò tabulas Pontifex Legato suo, quem Poppo ad se mitti in Treviros enixè postularat, tradidit; additis hisce mandatis ad Archiepiscopum. *Vobis in prælio stantibus, ad iniquitates pravorum hominum debellandas, ac spirituali gladio puniendas, quoniam in rebus divinitùs tibi commissis, vices Adjutorem Præsulem à nobis poposcistis, en dirigimus. Quem quidem honestas morum, ut nomine suo prodit, & sagax animi pulchritudo decorat; eumq́; huic gerendo negotio prorsus idoneum censuimus, quia Dei fidelem servum & prudentem cognovimus; ut cui & astutia serpentis est, & columbæ simplicitas; &, de ipsius quodammodo labiis fluunt mella pro captu audientium cœlestis ambrosiæ plena. Quare & eum à corpore nostro, velut dextrum brachium separavimus, precantes ei salutem & gaudium. Dirigimus ergo illum, ut solatia vobis afferat in necessitatibus vestris, tam scilicet in opere Consecrationis, quàm & in unctione Confirmationis, & si quid, in necessitatibus aliis, Deo favente valebit, pro libitu Sanctæ vestræ Fraternitatis.* Hæc Benedictus.

Legatus Apostolicus Popponi adjutor sacrorum attributus à Benedicto Pontifice.

LXXXII.

Consecratio itaque præsente Legato à Poppone, ut antiquis proditum est monumentis, peracta

Annus canonizationis sancti Symeonis.

ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS M. XLII. INDICTIONE IX. BENEDICTI PAPÆ DECIMO, REGISQUE TERTII HENRICI CONRADI REGIS FILII IV. XV. KAL. DECEMBRIS; FERIA QUARTA.

MS. Annales Popponis in Gestis.

Subinde Poppo Archiepiscopus, tametsi, quod Benedicto Pontifici conqueritur, improborum crescente licentiâ, plurimum ex direptionibus & hostili populatione damni undique caperet, pro eximio tamen suo in B. Symeonem amore, memoriam vitæ ejus impensiùs honorare cupiens, templum ei locavit, in veteribus iis ruinis antiquæ molis, quam vivus insederat; eundemque locum, nobili istuc adductâ congregatione Canonicorum, ad incrementum honoris, luculento patrimonio stabilivit. Atque hinc collegium B. Symeonis manavit, Virgini matri & B. Michaëli dicatum, quod ad nostram usque memoriam viris inter cæteros doctrinæ, morumque probitate claris, egregiè floruit.

B. Simeonis Collegium à Poppone Archiepiscopo fundatur.

LXXIII. ANNUS CHR. 1043 Hungarici motus Petro Rege pulso. *Contract. chro. Otto Frising. l. 6. c. 32-33.*

Henricus inde Rex, Sequanorum compositis negotiis, per autumnum & anni vertentis intervalla, Pannoniam, Petri Regis S. Stephani successoris exsilio fluctuantem, omni curâ retinere studuit. Immanes erant, & prorsus hostiles Ovonis tyranni in confines provincias impetus. Quippe, per vim & injuriam is, pulso Petro, in vectigale Germaniæ

Prœlium & victoria Marchionum Austriæ ex gente Popponis contra Ungaros.

regnum involaverat, & Petrum supplicem Henricus, uti par, in tutelam fidemque suam susceperat. At Uban seu Ovo, dum interea Danubio tenus, incendendo, prædando infesta habet omnia, Marchionum Austriæ, gentis nostri Popponis bellicam manum, invictasque dextras sensit. Exercitu namque bifariam diviso, pars valida Hungarorum Boiis imminebat, quà sub Septentrione Danubius affluit. Hic Adalbertus frater Popponis, filiusque Luitpoldus, subitò correptis armis, Ovonem prœlio aggrediuntur, & tot damnorum impigrè relatâ vice, Hungarorum ingentem multitudinem pænè funditùs deletam, internecione occiderunt.

LXXIV.

Constantiensis reconciliatio. *Pax Germaniæ.*

Inde Rex, ex Hungarico solo obsides ac munera, partemque regni cum Ovone pactus, Constantiæ frequentissimâ Synodo, delictorum in se veniam omnibus injuriâ condonatâ dedit; similiterque precibus ac hortamentis diffidentes graviter inter se odio, primùm Suevigenas, inde cæteros Germaniæ Principes, omni passim exstinctâ dissidii peste, revocavit ad concordiam; & eâdem operâ, regnum universum, propositis edictis, admirabili quodam & ad id tempus inaudito reconciliationis genere, pacavit.

Glaber Rudolph. l. 5 cap. 1. Otto Frising. l. 6. c. 32. Contract. & Lambert. Hersfeld. Agnes Pictava Regi Henrico Nigro jungitur; & Moguntiæ Regina consecratur. Nuptiæ Henrici in Ingelheim.

Quibus actis, Agnetem Guilhelmi Pictavorum Principis sive sororem sive filiam, nam vtrunque traditur, quam antea sibi apud Bisontium desponderat, Moguntiæ, regali more inungi, atque reginam consecrari voluit. Inde præcipuis Germaniæ Proceribus, & Episcopis secum Ingelheimium abductis, nuptias ibi non sueto luxu, sed astrictas novâ modestiæ formâ, celebravit. Quippe histrionum, parasitorum, & cujusque generis ludionum examen, qui exhilarandi facetiis & ludis, ut fit, convivii, magno numero istuc confluxerant, non sine ingenti eorum mœrore, ceu rebus prolatis, inanes, Palatii sui foribus exclusit, pauperi largiùs erogato, quod Satanæ mancipiis subtraxerat.

LXXV. *Luitpoldus Austriæ Marchio Treviris à Poppone sepelitur. Otto lib. 6. cap. 32.*

His interfuisse nuptiis Popponem Archiepiscopum nullus ambigo: etenim cùm Luitpoldus ibi Popponis ex fratre Alberto nepos, intra juventam præmaturo exitu raptus, diem lætitiæ destinatum, tristem sui funeris luctu fecisset, Poppo eum, teste Frisingensi, Trevirim devectum, in urbe sua, justis ritè persolutis, sepulchro tradidit.

Luitpoldi bellica virtus.

Luitpoldi autem, vel eo nomine maximè clara memoria, quòd mortem ejus ferunt, ceu publicâ procerum mœstitiâ decoratam; quanquam & eminuit in Ungarico bello ejus virtus, quâ secundum Ottonis Frisingensis præconium, non Orientalem modò limitem Ungaris eripuit, sed & incredibili felicitate innumerabiles Ovonis seu Ubani tyranni copias, in Austriæ limitem sese effundentes, occidione occidit atque profligavit. De eo sic veteres apud Treviros fastorum libri: *V. Idus Decemb. obiit Lupoldus filius Adalberti Marchionis.*

Ovo vel Uban tyrannus Ungariæ.

LXXVI. ANNUS CHR. 1044. *Sigeb. Contract. Lambert. Herffeld. Anselm. in Wazone Leod. Episcop. cap. 54.*

Sequens annus hieme gelidâ, atque perustis magna ex parte vitibus, calamitosus; tristem hiemem gravis pestilensque omnibus animantibus æstas excepit; quam comitata valida fames, insanabili quodam cladis genere, sex propè continuis annis propagatâ sterilitate, Germaniam & Galliam involvit.

Fames diuturna. Gothelo Mosellanorum & Lotharing. Dux moritur.

Obiit etiam diem suum Gothelo Mosellanorum & Lotharingiæ Dux; qui cùm duos post se filios Godefridum Gothelonem reliquisset, Henricus Rex, altero propter ignaviam repudiato, altero abjecto propter arrogantiam, Adalberto, quem nuper laudavimus, Ducatum Mosellanicum permisit. At Godefridus Gothelonis filius, avitâ se possessione depulsum, exclusumque graviter ferens, ut erat in armis impiger, atque oppidò exercitatus, recusatâ Lotharingiæ provinciâ, eâque ad fratrem Gothelonem relegatâ, hostem se palam ferre imperii, atque Regis detrectare jussa cœpit. Quos ejus animos hujus temporis scriptor Lambertus expingit: *Godefridus nobilissimæ indolis juvenis, atq. in re militari admodum exercitatus, quia ducatum patris non potuit obtinere, arma contra Rempublicam corripuit. Albertum Ducem, quem Rex patri ejus subjugaverat, prælio victum occidit: cædes hominum & depopulationes agrorum, quàm maximas fecit; loca omnia usque ad Rhenum, præter ea, quæ vel murorum præsidio hostilem impetum subterfugiebant, vel sese, datâ pecuniâ, redimebant, in cinerem redegit.*

Adalberto Mosellanorum Dux Godefrid. Gothelonis F. Dux Lotharingiæ rebellis imperio magna damna dat. Gothelo frater ejus ignavus Lotharingiæ Ducis locum occupat. Lambert. in Chron. ad ann. Godefridus Lotharingiæ Ducis malès; qui dictus Godfridus Arduennas junior. Adalbertus à Godefrido victus prœlio occumbit. Contract. & MS. veterum diariorum.

Procul eo tempore Henricus Hungariam, haud magnis vallatus copiis, incursabat? nec aberat à despicatu apud insolentem hostem militum paucitas Sed quod vires negabant, Henricus divinâ confisus ope, mutuatur ab audacia consilium: & transito Rabæ fluvii celeriter vado, Ovonem nec opinantem adoritur, primóque congressu, turbatis ordinibus, Rex in aciem pervolans, tantam Hungarorum stragem ipse edidit, ut exercitu validissimo fuso, atque prostrato, suorum è numero paucis, ut aiunt, amissis, victoriam reportarit longè clarissimam. E Trevericæ gentis proceribus, qui ceciderunt in acie iis majores, his omnino verbis parentarunt: *Anno Dominicæ Incarnationis MXLIIII. III. Nonas Iulii commissum est bellum in Ungaria à Rege Henrico & Marchione Adelberto Popponis fratre, & occisi sunt Sizzo Comes & Arnolt, & cæteri quàmplurimi.*

Henrici Regis III expeditio Ungarica Henricus Rex vincit Ungaros.

LXXVII *Natalem Domini Trev. celebrat. Condonat injurias.*

Henricus etiam eodem hoc anno Treviris incunabula Christi nascentis celebrans, reis læsæ majestatis, animo verè Christiano, veniam benignè indulsit, legémque, quam in Suevia apud Constantiam, magno Reipublicæ commodo, antea de pace tulerat, toto ubique regno promulgavit; sanxitque amnistiam & abolitionem omnium etiam privatarum injuriarum, atque ut passim in regno earum ab omnibus mutuæ condonationes fierent, instituit. Rem ad memoriam certè præclaram paucis verbis complexus Lambertus: *Rex*, inquit, *Natalem Domini celebravit Treviris: ibiq; omnes, qui in regiam majestatem deliquerant crimine absolvit; eandemq; legem per totum regnum promulgavit, ut omnes sibi invicem delicta condonarent.*

Atque hoc tempore Popponem ab Henrico III. Rege Ecclesiæ suæ tradunt immunitatem impetrasse, seu potius antiquum jus retulisse super teloniis & moneta, exceptione nominatim primario clero, & hominibus suis in Mayris Lotharingici tractus quæsitâ, apud Theodonisvillæ portorium.

LXXVIII. ANNUS CHR. 1045. Godefridus Lotharingiæ Dux redit in gratiam cum Imperatore. ANNUS CHR. 1046. *Sigeber. Contractus. & Schaffnab.*

Hinc anno postero, Godefridus Lotharienfis, hortatu amicorum spem haud dubiam veniæ pollicentium, si in Regis ultro voluntatem se permisisset, eorum consilia secutus, sponte in Henrici deditionem venit; atque captivum se in arcem Gibekesteiniam abduci haud invitè passus est; unde vertente etiam anno, obside filio, liber emissus, Aquisgranum tetendit; ubi Henricus tum fortè diem sacrosanctam Pentecostes agebat. Hic, procedentem in publicum ambiens Regem, ad ejus se pedes Dux humi prostravit, obtestans oransque, ut aperto pristino gratiæ loco, erratorum sibi veniam benignus indulgeret; simulque dignitatis amissæ expertem esse nollet. Henricus pro altitudine insitæ clementiæ non minus reputans laudabile, infelicis scire misereri, quàm frangere abjectum; sic animum emolliit, ut positis mox veteris injuriæ offensis, ducatum Mosellensem supplici restitueret, plusque insperatâ gratiâ Duci lætitiæ, quàm damni atque luctûs præterita stultitia afferret.

LXXIX. *Leo Ostiens. Chron. Cassin. l. 2. c. 20. Otto Frising. lib. 6. c. 32. Crusius ad an. 1044. Sigon. Blondus in Ital.* SILVESTER III. PONT. Italiæ tumultus ob schismata Pôtificum. GREGORIUS VI. PONTIFEX an. 2. m. 8. Henricus III. Rex injustè Gregorium deponit. *Hermannus Contractus.*

Interea gravi oborto, sacrorum comitiorum causâ, dissidio, Ecclesia Romana, ceu tempestatis repentinæ succussâ fluctu fœdissimè jactata est. Nam Benedictus IX. annis propè duodecim in pontificatu transactis, honore amisso, Silvestrum ejus nominis tertium successorem sustinuit. Quo item, Tusculanorum Comitum factione confestim abdicato, Benedictus rediit quidem, sed acceptâ pecuniâ, Gregorio VI. mox locum fecit; cujus sapientiâ & æquitate jacentis Ecclesiæ res allevari poterant, ni mox graviora subiissent.

Henricus Rex posthæc iter in Italiam, quod jam animo diu agitaverat, adornavit; eóque flagrantior illa cura tenuit, quòd jam pridem sederat, solemnia imperii Romæ accipere. Omnibus itaque ad eam expeditionem necessariis rebus comparatis, priusquam cum Agnete conjuge prodiret, ducatum Lotharingiæ Friderico Lutzelburgio, Henrici Bojariæ Ducis fratri, aliis filio, pro Gothelone ignavo tradidit; atque inde in Italiam appetente autumno, tanto cum exercitu iter fecit, ut, Anselmo teste, totius germaniæ & Alemanniæ Ducum, Comitum nobiliumque robur huic professioni accinctum habuerit. Quam certè Germaniæ solitudinem Henricus Franciæ Rex suam ratus occasionem, vocatis ad arma regni proceribus Aquensem urbem jam parabat irrumpere, cum Wazo Leodiensium eximiâ sapientiâ Præsul, sollerti ingenio consilioque suo, Francum ab armis & vi inferendâ cohibuit.

Wazo Leodiensis Eps. prohibet Henricum Fräciæ Regem ab irruptione in Germaniâ.

LXXX.

Porrò Henricus interim magnâ parte Italiæ peragratâ, cùm apud Sutrium, regiam abusus potentiam Episcopos convocasset, relatione de Gregorio Pontifice factâ, vitio creatum, id est absque suo suffragio vel assensu, videri voluit. Agi proinde ibi de sufficiendo novo, placere. Nec moratus: Suidegerum Bambergensem Episcopum, licet omnibus reluctantem modis, arreptum ex suo comitatu, pessimo exemplo Pontificem salutat, ac pro eo coli, omnes deinde Italiæ Episcopos procerésque suos jubet. Itum inde Romam ad festa Natalitia celebranda; ubi cùm Suidegerus fuisset, ipsis Christi natalibus Pontifex creatus, atque Clementis secundi nomine insignitus, ipse vicissim eodem die Henricum Augustum, cum Agnete conjuge imperii insignibus ornatum de more consecravit.

ANNUS CHR. 1047. CLEMENS II. PONT. m. 9. Henricus III. fit Imp.

LXXXI.

Dum hæc in Italia geruntur, Godefridus Lotharingiæ, seu Mosellanorum Dux, Henrico amoto procul ab oculis, miscère rursus omnia tumultu, & armis contra Imperatorem sumptis, recentem gratiam nil dubitat corrumpere veteribus odiis. Quippe, cùm spiritus, quàm pro conditione, gereret altiores, parum habitum benevolè se ab Henrico ratus, qui beneficium, quod jure sperare poterat, tot aluisset incommodis, adeoque possessoris fermè in supplicis nomen convertisset, rapto in belli societatem Balduino Flandrensi, qui cum Rege Franciæ faciebat, ultimam Lotharingiæ vastitatem & exitium, allatum ibat. Cladis hujus argumentum regia Neomagensis mirifici & incomparabilis operis incendio absumpta: Virdunum fraude captum; & incensâ Deiparæ Virginis primariâ Basilicâ fœdè dehonestatum. Belli hujus & remedii à Wazone illustri Antistite Leodiensi, raro beneficentiæ exemplo, Virdunensi clero allati, meminit Anselmus; qui ad urbem prævalido incendio vastatam, addit & ornatu suo spoliatam Basilicam ac funditùs denique subversam. Occultè verò Wazonem afflictæ urbis clerique solatio submisisse argenti libras quinquaginta, cum hisce verbis: *Ecclesia Leodiensis tantillum munus Virdunensi mittit Ecclesia, ut pars dimidia Canonicis aquè dispertiatur, pars residua ad reparationem Ecclesiæ reservetur.* Unde Wazonis & vivi, & mortui memoria apud Virdunensem clerum meritò perennis extitisse scribitur.

Balduinus Flandriæ comes.

Neomagi Gelriæ regia vastata. Virdunum captum & afflictum. *Sigeb. Contrad. Cont.*

Tom. 1. Leod. Episc. cap. 9.

Wazonis Episcopi Leod. in Virduneñ. Ecclesiam eximia liberalitas.

LXXXII.

Imperator inde ex Italia in Germaniam reversus, annuam Pentecostem Spiræ celebravit, & Theodorico Metensi, qui decesserat anno superiore, Adalberonem virtute prudentiaque stirpi suæ parem, ei successorem dedit. Fratruelem Theodorici, & magnæ prudentiæ & sanctitatis virum approbat Sigebertus.

Per eos dies Poppo Trevirorum Archiepiscopus, laxandæ semel inchoatæ templi structuræ gnaviter incumbens, cùm ardente primâ æstate cœlo, opera pœnè jam explicata perurget, ecce tibi nimio Solis fervore cerebro, quod jam calvitium nudârat, incandescente in familiarem sibi febrim recidit; ex qua paulò post ad sextum decimum Kalend. Julii exstinctus est, anno Pontificatûs primo & tricesimo, mense sexto. Atque hoc anno vitam cum reliquisse tum luculentè Contractus, fidus hujus ævi testis, tum extrema Epitaphii, licet mutili, verba docent. Corpus ejus amictu ornatuque oppidò pretioso, ut docuit avorum ætas, arcæ inclusum, post exequias, magnâ utriusque ordinis hominum frequentiâ celebratas, in æde, quam Beato Symeoni ædificaverat, humatum est; positâ supra pectus plumbeâ tabellâ, quæ reperta cum hâc inscriptione, patrum memoriâ: *Poppo Trevirorum Archiepiscopus obiit decimo sexto Kalend. Iulii.*

Popponis ægritudo & mors.

Sepultura in D. Simeonis.

LXXXIII.

Cæterùm incisum æri eleganti literarum formâ quondam Epitaphium, laminis plerisque vel amissis, vel detractis vix legitur. Et

præpostere

præposterè structuram versuum repositam, primâ mox fronte deprehenditur. Nihil tamen, quamvis lacerum à nobis præteriri par est, quo tanti sacerdotis memoria vitam retineat.

ANNO DNICÆ Incarnationis MXL VII. HENRICI SECVNDI REGIS XVII. IMPERATORIS AVTEM PRIMO, XVI. KL. IVLII OBIIT HVIVS TREVERICÆ SEDIS DEO DILECTVS ARCHIEPS POPPO.

Versuum modo fragmenta supersunt.

Versuum hæc vestigia.

----------CLARA MANENS LVX
-------SPES GRATISSIMA CLERI
HVNC VT CONSOCIIS IVNGERET ANGELICIS.

LXXXIV. Popponis vitæ capita quædam.

Jam verò quoniam ad hoc ventum, quæ per tempora de Popponis vita sigillatim exequi non licuit, hic saltem cursim, quo ne memoriam fugiant, apprehendantur. Liberalitatem omnibus ordinibus per vitam frequenter exhibuit. Nam trium Principum, Henrici Claudi, Conradi, atque hujus item filii Henrici liberalitate, ac multiplici beneficentiâ, non solùm gratiâ & honoribus auctus, publica ædificia, templaque magnifica exstruxit; ex quibus vel præcipua, quæ diximus; S. Symeonis Basilica, Primaria ædes ab eo inchoata; quam & opulentissimis donis auxit.

Donatio facta S. Petro Trev. Eccl.

Quippe Koreiiâ chorte donatâ, mox ad parentandi perenne munus explendum villas addidit, Iram, Odelingam, Wileziam, Suemicham, Beveram. Prædicant & ejus munificentiam B. Castoris Confluentini monumenta, quæ decumis omnibus * Salicæ quondam terræ Logensteiniæ, Partenheimiæ, Monasterii Kerlichiæ, Paffendorffiæ clerum B. Castoris donatum à Poppone auctumque memorant.

Donatio S. Castori Confluentiæ facta.

Popponem quoque Regum beneficentiâ sua auxisse industria non silent majores; vastum enim illud nemus, quod à Gelbi influente dixêre Kilewaldt Quinta rivo tenus Ecclesiæ censibus adjecit, & chortem Brunsfeldiam Eiffliani tractus à Kadelaoo Comite & Irmingarde conjuge ære quæsivit; ut & Enschæ prædium, super amne Mosella rivum Oleviæ, novo lapideo opere in urbem perduxisse, haud minore civitatis emolumento, quàm decore publico, proditum in Trevirorum Gestis.

LXXXV.

Gravi verò quondam rei frumentariæ penuriâ, difficilique remedio, cùm ad levandas ærumnas inopum, & ultima famis profliganda pericula vigilat Antistes, fortè ad urbem progresso pauperum fit obviam manus ingens, solitam ab eo præsenti suæ calamitati opem poscentium. Appendi ille jubet argentum. At rabidi pœnè fame exactores; nihil verò nummis, at pastu præsenti sibi opus esse. Tum Poppo, nihil existere præ manu cibariorum. Sed victi inediâ cuncti, unâ voce equos & jumenta daret; cùm non aures jam tantùm venter, sed & lingua palatum amisisset. Tum Pontifex equum iis, quo vehebatur, laniandum objiciens, exemplo suo complures ex comitatu ad tam expeditæ decus opitulationis perpulit. Illi verò fœdas, optatas tamen escas nacti, sine mora, in omnium conspectu illas discerpere, magnaque cum aviditate famem explere.

Famis potentia & magnitu-

LXXXV Popponis forma.

Corpore Poppo fuit amplo, & membris æquè proceris & congruentibus; altâ exporrectaque fronte, capillo circa verticem raro; prominenti ac recto naso, os ei exiguum ac decorum, vultus autem oblongior, porrectaque manus, ut docuit corporis inspectio. Sed enim hanc qualemcunque formam longè maximè illustrarunt eximia animi ejus ornamenta, quæ sanè dum posteris ostentare studium nobis potissimum; non deerunt, à quibus præclara pietatis, munificentiæ servandæ tutandæque diœcesis, exempla sumant.

Christina soror Popponis Treviris inclusa.

Sororem habuit Christinam; quæ virtutis capta pulchritudine, & fluxa perituri sæculi aspernata gaudia, ad B. Symeonis exemplum, intra parietes alicubi sacros inclusa, sibi Christoque sola vixit, qua de perantiqui ab hac ætate fasti: *III. Nonas Novemb. obiit Christiana reclusa Treviris soror Popponis ibidem Archipræsulis.*

LXXXVI Poppone non recte coli Dani Apostolum qui diversus ab hoc.

Sepulchrum ejus constet licet à Danis citeriori sæculo per errorem, pietatis nomine frequentatum, nihil tamen huic cum illo Poppone Danorum Apostolo fuisse commune, certo Septentrionalium scriptorum consensu tenemus. Quippe annis abhinc retrò plurimis de hoc Poppone narrat Adamus, ab Ottone & Adaldago Bremensi Archiepiscopo missum ad Henricum vel Ericum, Danorum Sueonumque Regem, ut Cæsaris nomine pacem liberumque cultum Christianis impetraret, ipsumque sanctimoniâ juxta ac sapientiâ præstantem, ut barbaris veram religionem approbaret, ignitum ferrum arripuisse manibus, ac impunè stupentibus illis illæsumque tractâsse. Ceratam quoque tunicam sibi circumdedisse, quâ incensâ, liquentes flammas tanto animi robore tolerâsse, ut veste prorsus ambustâ, hilari vultu, ne flammæ quidem fumum se sensisse testatus sit. Addit denique hunc Popponem Sleswicensem ordinatum fuisse Episcopum.

Poppo Trevir. falsò traditur fuisse Rom. Pont.

Sed & supinè scriptor ævi nostri eruditus, in sua Pontificum Romanæ sedis nomenclatura, Popponem hunc nostrum Damasi secundi nomine scribit Principem obtinuisse Cathedram; plusque ei existimationis Damasi nomen comparâsse, quàm Popponis Trevirorum Archiepiscopi, quâ dignitate ante summum sacerdotium functus sit. Necdum finis. Ac necessaria huic mutatio nominis fuit; quomodo enim Popionis vocem illam planè barbaram suavissimi Italiæ populi ferre potuissent? Vide & confidentiam erroris. At ne quis, ait, putet à vero abesse narrationem meam; sciat Ottonem Frisingensem libro sexto mihi harum rerum testem esse. Benè quidem illi cum hoc ipso teste; qui tam disertè Popionem Aquileiensium

Lib. 6. c. 32.

Patriarcham expressit. Sed tamen Ottonis, utinam in Pauli IV. memoria similis esse studuisset: nunquam eorum tam insolenter nomen & institutum lacerasset, quorum à Tridentinis Patribus, in amplissimo totius Ecclesiæ Theatro vitæ genus, sciebat collaudatum. *Seß. 25. c. 19*

Sed jam piget hujus excursus. Alios itaque reperio, qui Popponem Trevirensem volunt inter sanctos reponi propter excellentem virtutis opinionem; atque adeò non obscurum est Treviris anniversarium ejus diem frequentiore cleri conventu, in æde B. Symeonis celebrari; quanquam Poppo ejus ipse instituti autor; & aliò id retulisse, constet. *MSS. & author vitæ Meinwerci Paderbor. Episcopi.*

LXXXVIII.

Eberhardus 75 Episcop. 49. Arch. Eberhardi Episcopi genus & authoritas. MSS. Gesta Trev. Dietmari Herm. Coron. Hirsaug ad annum 1047.

Imperator inde, quem Spiræ per id tempus egisse diximus, ubi humana exuisse Popponem comperit, usurpato jure sacerdotum subrogandorum, EBERHARDUM Wormatiensi Ecclesiæ Præpositum Treviris initiandum submittit: qui more deinde sollemni, indicto sacrorum comitiorum die, cleri populique suffragiis Antistes creatus. Eberhardus autem Ezelino vel Ezone Alemanniæ Comite Palatino, & Mathilde filiâ Theophaniæ, ac tertii Ottonis, illustri utrinque ac Imperatoriâ stirpe natus, disertè à Tritthemio & in gestis Trevirorum non antiquis proditur. Agnoscit stirpem quidem illam Ditmarus, qui Mathildem infra regalem conditionem denupsisse meminit Ezoni Hermanni Comitis Palatini filio, at ex hoc matrimonio extitisse Eberardum haud scio an fidei securus asseruero, cùm titulum defuncti in priscis Ecclesiæ Trevericæ monumentis hunc invenio. XVIII. KALEND. MAII ☉ Henricus PATER EBERARDI ARCHIEP. TREV. quanquam Ezzo & Henricus, ut Nizo & Nithardus, Egbertus & Eppo, aliaque id genus apud veteres Theudiscos affinia sint.

LXXIX.

Interim Eberardus summâ vir & prudentiæ, & virtutis laude, in amicitia Cæsaris Henrici fuit; suaque in rebus imperii gerendis industriâ ita brevi animi indolem fidemque Principi probavit, ut Henricus eum & sentiret, & judicaret amplissimi sacerdotii successione dignum. Quare decessorem suum, quem imaginum splendore & muneris amplitudine exæquabat, famâ virtutum, si non assequi; at æmulari, omni etiam arte studuit.

Henricus Boiariæ Dux Tr. moritur. Herm. Contr. In Chron.

Procedente autumno, Henricus Boiariæ Dux Friderici Lotharingiæ Ducis Germanus, Treviris mortem oppetens ibidem sepulchro clausus est, ut in temporum suorum libro Hermannus Contractus annotavit; à quo nimium justâ ratione dissentiat Lazius, qui nullius quidem veteris scriptoris sua testimonio fulcit, permultum ambigas. Is Henricum sanctæ Cunegundis, & Friderici Mosellanorum Ducis fratrem vitâ cessisse vult, anno MXXVI. & illatum in cœnobium Osterhoven, cum Maria conjuge; quod Monasterium ab Otilone quondam Boiorum Principe inchoatum, ipse ab Hungarorum clade vindicatum instaurârit: filium verò hæredem reliquisse sui nominis, qui ab Henrico Nigro Bavariam adeptus, principatu vix sexennio potitus, bello Lotharingico suscepto, mortem * obierit. Sed nos in uno eodemque Henrico formas, colores & lineamenta hæc distinguenda non putamus.

Wolfg. Lazius li. 7. de Boiis, de uno Henrico facit duos.

** Lan. 1048.*

XC.

ANNUS Chr. 1048. DAMASUS II. Pontifex an. 2. d. 23 Popponis S. Maxim. Abbatis ad mortem alacritas

Septimo Idus Octobris Clemens quoque Pontifex vitâ excessit; cui Henricus anno sequenti Popponem Brixinensem seu Aquileiensem Damasi secundi nomine, usitatâ licentiâ, subrogavit.

Interea Poppo D. Maximini Abbas, cùm opinione sanctitatis omnium in se Belgarum ora convertisset, hujus denique anni principio sancti Vedasti Atrebatum Abbatiâ relictâ, Stabuletum festinabat, ad tyrocinii sui incunabula. Sed cùm divino afflatus numine, mortem suam jam adesse sciret, in Martiniano monasterio ex febri decumbens, cilicium sibi stravit, illudque nudis pedibus adiit, terram deinde prono corpore deosculatus, in asperrimo jacens strom te cœlum inhiabat; moxque elatâ voce illud Ecclesiæ responsum, velut Epinicium exorsus: *Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini*; viam sibi ad vitam beatam muniebat, haud immemor curæ tamen pastoralis. Nam Theodoricum monachum, quem à teneris omni pietatis genere imbuerat, accersens, è vestigio ire eum ad Imperatorem, nunciaréque jubet, ut monasterii Divi Maximini in Treviris ipsum Theodoricum Abbatem edat. At iis, qui aderant, curiosè ab eo sciscitantibus, ecquid igitur Stabulao fieri vellet, & quem iis successorem daret; locum cum respondit soli Deo commendatum velle. Quibus ita gestis, ipsa diei conversionis Divi Pauli primâ luce, quâ die mori semper in votis habuerat, sanctam Deo creatori animam reddidit, Octavâ nimirum Kalend. Februarii, Indictione primâ, septuagesimo ætatis anno regni verò Henrici Imperatoris decimo, ut accuratè notavit familiaris ejus, atque æqualis Everhelmus. Corpus è monasterio Martiniano Leodium; inde Wazonis Episcopi studio & pietate Stabulaum, suscipientibus obviis monachorum cœtibus, deportatum est; sepultúmque in Basilica Stabulensi, ubi miraculorum gloriâ viri sanctitas mirificè mox illustrari, spargique latiùs fama cœpit.

Theodoricum S Maximini designat Abbatem.

Ejus mors.

Translatio ad Stabuletum Watto seu Wazzo Leodiensis Episcopus, de quo Contract. Sigeb. & Anselm. in Leod. Epis.

XCI

Adalberti Ducis Loth. interitus.

Quod de Adalberti Ducis Lotharingiæ superioris interitu, ex Lamberto rerum ordo cogebat expromere, id facinus à Godefrido æmulo, hujus anni exitu patratum est, Sigeberto & Contracto testibus. Etenim Godefridus ferox animi bellique appetens, cum à Viridunensi clade implacabilis volitaret in armis, Adalbertus, cujus in tutela Lotharingia Mosellæ vicina, in ipsius fines populationem, at malè cautus, inclinavit. Quippe, Godefridus cum paucis, dimissâ multitudine, prædas agentem nactus nudo latere, invasit imparatum; ipsúmque & quotquot ex clientibus pugnam ausi, obtruncatos atroci cæde confecit. Nuntio cladis ad Cæsarem perlato, Mosellanici Ducatus gubernacula Gerardo Alsatiorum Comiti tradidit; ipse verò Mediomatricum ingressus fines, cum Henrico Francorum Rege, ob nuperam molitionem, aliasque controversias suspecto, datâ acceptâque sacramento fide, ex utrorúmque commodo fœdus icit.

Gerardus Alsatius Dux superioris Lotharingiæ seu Mosellaniæ, qui Latio Eberhardus, Anselmus & alii citati.

Pax inter Henricum utrumque Galliæ & Germ Reges.

Atque eo tempore Wazzo, rarissimi exempli Leodiensium Antistes ex humanis abiit, elogium apud posteros clarissimum adeptus.

Ante ruet mũdus, quam surgat Wazzo secũdus.

Wazzo Leodiensis Episcopus moritur 8. Julii.

Hinc

Anselm. in Gest. Leod. Episcop. c. 109.
ANNUS CHR. 1049
Lamb. in Chron.
Bruno Tullensis ad pontificatum Ro. evehitur.
Ejus Hymnus. MS Fuld. Tritthem ca. taleg ex comitibus Egesheim.
Amor in Tull. Eccl.

Hinc Argentoratum Imperator abiit atque inde in Boiariam; cumque ad Natalitia Frisingæ celebranda iter haberet, nunciatâ morte Damasi Romani Pontificis, petentibus Romanis, quod præclarè Lambertus observavit, Brunonem Tullensem Episcopum, quanquam renitentem, Wormatiæ procerum omnium & Episcoporum votis Pontificem nominavit; hominem, ut res deinde ipsa probavit, super spectatam vitæ innocentiam, immenso acrique studio disciplinæ & autoritatis restituendæ veteris Ecclesiæ. Dignationem hanc sacerdotalem antiqui stemmatis nobilitate, doctrinarumque studiis Bruno cumulavit. Nobili Francorum stirpe satum, & Conradi Imperatoris lego fuisse consobrinum. Hugo ei parens Comes Eginishemii & Dagsburgi, in Ducum Zeringiæ prosapiam descendens. Ferunt Ecclesiam primigeniam, id est Tullensem, tam castè adamasse, ut Pontifex Romanus, sponsæ minoris dotem titulósque non fastidiret; sed dum vita Comes, Episcopus etiam Tullensis dici vellet. Porrò Natalitiis peractis Tullo egressus, per Sequanos, deducentibus eum Eberhardo Trevirorum, Adalberone Mediomatricum, & Theodorico Virdunensi iter egit; tandemque Cluniacum venit. Ibi tum Hildebrandus, Soanensis Monachus, ex Tuscia, qui postea in magnis Ecclesiæ tempestatibus, Gregorii septimi nomine pontificatum, insuperabili magnanimitate, gessit, Brunonem, adiens, consilium ejus vehementer improbavit; neque rectè eum, neque ordine facturum ostendens, si sacrosanctum honorem, de manu laica, non autem cleri populique Romani arbitrio, & integrâ suffragatione, susciperet. Quod, ubi Bruno intellexit, aiunt positâ purpurâ, peregrini habitum sumpsisse, atque ita cum Hildebrando Romam ad comitia venisse, ubi, cùm de consilio Hildebrandi cleri se suffragiis permisisset; in Hypapanta domini, ut volunt, summâ omnium voluntate amplissimus ad eum honor delatus; nomenque Leonis ei obtigit.

Acta Rom. de S. Remigii Ievatione Contract. in Chron. Otho. Frisin. l. 6. c. 33 & Godofr. Viterb.
Bruno corripitur ab Hildebrando, quòd Regis laici jussu Pontifex fieret.
Rom. acta.
LEO IX. PONTIFEX a 5 m. 2. d. 8
XCII.
S. Leonis pontificatus exordium.

Quæ nos, cùm ita scripsissemus, venit in manus ipsa genuina Leonis vita, ab Wiberto domestico & familiari literis mandata, qui cùm altiùs ejus gesta repetit, præsagitionem ex duplici divinatione commemorat, quæ Brunoni de summo adeundo sacerdotio supernè injecta, antequàm vel ipsi vel mortalium cuiulli ea de re quicquam innotuisset.

Quotannis Romam adit Episcopus.

Solenne ei quotannis Romæ sanctorum Apostolorum limina salutare; eo itaque in itinere quod honores antecessit, ad cleri comitatum juncto quingentorum agmine, Italiam non ita pa atam ingressus, ubi pestifera lues, viæ Comites invasit, superfuso S. Apri reliquiis vini liquore, nullo negotio pestilentiæ virus profligavit, & hostiâ quotidie Deo per sacrificium litatâ incolumes in urbem adduxit. Hic, ubi sanctis commentationibus precibusque multum dat operæ, & fessus in vesperam per pietatis studia ducit diem, signis quibusdam Deus illi consequentia declarantibus futura significari voluit. Somno fortè solutus corpore vacabat, cùm visus sibi consistere apud Vangiones in primaria Ecclesia, & intueri magnum Senatum & frequentem Candidatorum, quorum pars præcipua Sacerdotes, & in iis agnoscere Bezelinum Archidiaconum familiarem, qui nuper in itinere è vivis excesserat. Hunc itaque sciscitatus, ecquod genus hoc hominum? audit, omnes eos vitâ functos, Principis Apostolorum obsequio & honori cumprimis fuisse deditos: & mox ipsum videbat Apostolum, qui pontificio amictu Brunonem indutum comite Protomartyre Stephano ad altare, cum incredibili vocum concentu prodire jubebat Sacrificii causâ, & immensam illam multitudinem reficere corpore Domini. Quod cùm ritè peregisset, mox à Communione data, se de S. Petri manibus quinque calices aureos accipere, at qui ponè sequebatur tres: denique tertiò vidit unum modò dari calicem. Quod somnium non etiam intellectum ad familiares Leo cùm detulisset, postea de Pontificatu ipsius, ut & Calicum numerum de regiminis ipsius, & successorum duorum annis facilè interpretati sunt.

S. Apri reliquiis curat lue infectos.
Visum I. quo illi signi ficatur Pontificium Romanum.
S. Petro dediti.
S. Petrus distribuit calices.
Leo S. V. an. Victo III. a Steph. I. annon completè præfuit.

XCIII.
Visum II de Ecclesia.

Simile illi tunc per quietem visum oblatum, quo Ecclesia Simoniæ & incontinentiæ labe multùm sanè tunc afflicta, ei in somnis apparuit anus invenustæ, comosæ & hispidæ deformi specie, quam posteaquàm, ut nimis insulsam & horridam, a se repellit, illaque etiam atque etiam vitabundo insistit, victus tandem monstri improbitate, ubi rugosæ fronti crucem impressit, in terram procidit; & mox anus antea tam invenusta ac deformis, admirabili ilicò pulchritudine & lepore ceu refecta, humo resurgens sese Brunoni visendam obtulit. Atque hisce tanquam insignitæ veritatis prævιis notis Brunoni Deus Pontificatum approbasse visus est.

XCIV
Bruno quo modo & qua conditione Wormatiæ Pontifex designatus.
Refugit honores.
Brunonis publica confessio.
Brunonis profectio

Jam verò Wormatiensis Conventus idem scriptor acta sic exequitur. Accersitum huc ad Curiam ab Imperatore, qui citra ipsius consilium nihil ferè magnum in Republica gerebat. Ibidem nil tale suspicantem, præsente Romanorum legatione Procerum & Pontificum omnium votis allectum quidem, at eâ recusatione & animi submissione, detrectasse honorem, ut impellentibus, & velut vim cunctis facientibus, tridui deliberationem poposcerit, quo precibus & jejuniis vacans, exploraret Numinis voluntatem. Hinc fugitans, iterum arreptus, publicâ confessione, quo deterreat suffragatores sui contemptu, cum multis lacrymis palam detegit & accusat anteactæ vitæ delicta: nec antea concedit electoribus, quàm idoneè sibi fore caveant, ut pace gratiaque ac totius Cleri populique Romani consensu, sedem ineat. Quibus ita constitutis, Eberhardo Trevirensi, & cæteris Episcopis, quos dixi, honoris causâ comitantibus in Leucos, inde mox in Italiam iter suscepit, &, ut vetus scriptor loquitur, *humilitate magistrâ, contra omnium Apostolicorum morem sumpto peregrini habitu, & cælestium rerum studio impensè deditus, apud urbem Augustam divinam meruit consolationem, dum in revelatione audivit, angelicâ voce resonare harmonicam modulationem, dulcissime canentem. Dicit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis. Invocabitis, & ego audiam vos, & reducam captivitatem vestram de cunctis locis.*

XCV. Ingressus in urbem.

Romæ appropinquans, cùm effusa tota urbs ei obviam ire parat, ipse occupans cleri populíque studium, nudis pedibus & flens mœnia subiit. Inde, quâ valebat oris facundiâ, adventûs sui caussam, & provinciæ, quam invitus adierat difficultatem, cleri Romani in electione prærogativam exponit, quâ non etiam obtentâ paratum ad suos se redire ostendit. Porrò, ubi clamorem & plausus omnium tolli cernit, & consensum in se, favoremque intendi, se clero populóque Romano, eis benè precatus totum permisit; & Dominica ineuntis Quadragesimæ Pridie Idus Februarii Apostolicæ Cathedræ enthronismum adeptus est. Atque hæc suppetente majorum raro testimonio, si non disertiùs & verbosiùs, at veriùs, uti confido, à nobis exprimi potuerunt.

Inthronizatio.

XCVI. Eberhardus Trevir. Archiepiscop. Romæ degens privilegia sancienda curat. Synodus Romana.

Eberhardus Archiepiscopus, eodem tempore Romæ degens, in celebri Episcoporum Synodo, à Pontifice pro autoritate & gratia, quâ longè plurimum apud eum pollebat, impetravit, ut veteres is sibi primatûs honores, amplissimis decretis, instauraret. Pontifex itaque in æde Laterani, cùm ipsa Dominica die Passionis, antiqua Trevirensis Ecclesiæ jura, publicè pro concione in magna hominum corona recitari jussisset; rogassétque à clero populóque adstante, vellent, juberentne rata & integra Ecclesiæ Trevirorum privilegia? acclamatum ab omnibus, velle; ac jure, primas Trevirensem Antistitem sibi deposcere. Quo audito, Pontifex Eberhardum mitrâ Romanâ decoravit; atque id illi, omnibusque successoribus Primatus insigne esse voluit. Inde frequenti Episcoporum conventu, quem in Laterano post dominicam in albis, Ecclesiæ constituendæ, abolendæque Simoniæ, collegerat, omnia Eberhardo privilegia, quæ Theodorico Joannes & Benedictus Romani Pontifices indulserant, in hæc verba confirmavit.

Primatus Ecclesiæ Trevericæ.

Synodi hujus Rom. meminit Contractus, & Acta Romana, quæ Synodi partes præcipuas in tempus post Pascha rejiciunt.

*Leo Episcopus Servus Servorum Dei, dilectissimo Eberhardo, Trevirensium Archiepiscopo, vestrisq; successoribus salutem in Domino. Æternum divinæ dispensationis consilium, quo decrevit per tempora distribuere omnia, nullâ rerum mutabilitate mutatur, nullaq; temporum diversitate variatur. Unde factum est, ut hujus æternæ dispositionis immutabilis ordo nostram de Tullensi Episcopatus humilitate mediocritatem ad Apostolicam promoveret sublimitatem; gratuito quidem dono, non aliquo exigente nostro merito. Quocirca vestra fraternitas, dulcissime frater, nos, nostrâ caritate victâ comitata est, & Romæ nobiscum aliquantulum remorata. Interea loci, cùm unicuique suum jus, suumq; rectum, quod vel ablatum penitus, vel aliquantulum immutatum esset, omnimodis restituere cuperemus, dilectionis vestræ privilegia nobis attulistis, quæ Primatum Galliæ Belgicæ, subscripto modo, vestris antecessoribus datum à nostra Apostolica sede asserebant, pro eo quod in exordio religionis, vestra Trevirensis Ecclesia, prima illis in partibus fidei rudimenta percepisset, per egregios dogmatistas, Eucharium, Valerium, Maternum, quos Beatissimus Petrus Apostolorum Princeps instruxit, & instructos ordinavit, & illuc ad prædicandum direxit. In quibus privilegiis, etiam antiquiora privilegia incendio memorantur consumpta; quæ, prænominatis Sanctis eorumq; successoribus, id est, Agricio, Maximino, Paulino, Severo, almificis utique viris, à primordio autenticè concessa erant de eodem. Quæ etiam privilegia Theodorico Trevirensi Archiepiscopo, Joannes XIII. Papa, Benedictus VI. necnon alius Benedictus VII. Egberto similiter Trevirensi Archiepiscopo, temporibus Othonis primi, & secundi, piâ dispositione contulerunt. Nos autem ea intuentes, & diligenter perpendentes, dignum duximus, cum consilio & consensu totius cleri, & populi Romani, idipsum de Primatu, sicut constitutum erat, confirmare, atque nostris Apostolicis apicibus corroborare. Quod, ubi in Ecclesia S. Petri in Dominica Passionis, cuncto clero, cunctoq; populo nos ipsi, sursum in ambone consistentes, præsentiâ * vestrâ revelavimus; & eadem privilegia legi fecimus, pro amore discipulorum S. Petri, quos prætulimus, Eucharii, Valerii, & Materni, ab omnibus acclamatum est, jure Primatum ipsum, vobis vestrisq; successoribus deberi; qui in cathedra sedetis discipulorum S. Petri. Quapropter omnibus ipsis laudantibus & respicientibus, pro investitura ipsius Primatus, Romanâ mitrâ caput vestrum insignivimus; quâ & vos, & successores vestri in Ecclesiasticis officiis, Romano more, semper utamini, semperq; vos esse Romanæ sedis discipulos, reminiscamini. Quod tamen in Synodo nostra, quam circa XVII. post ipsum Paschalem diem, Deo præsidente, celebravimus, Episcopis & Archiepiscopis, necnon & aliis ordinibus consentientibus, meliùs & firmiùs stabilivimus; eâ tamen ratione, ut singulis annis vos vestriq; successores, semel Legatos vestros ad nos nostrosq; successores mittatis; per quos vobis de nostris utilitatibus, illis in partibus agendis, remittamus; & semper vos ipsi tertio anno, Romam visitationis gratiâ, ut dulcissimi fratres, ad primogenitum fratrem veniatis; nisi fortè inevitabilis necessitas ingruerit. Quapropter desideriis vestris annuentes, secundùm præfatorum privilegiorum tenorem, per hoc nostræ Apostolicæ authoritatis privilegium decernimus, & confirmamus ipsum vobis vestrisq; successoribus Primatum, hoc modo, ut habeatis primum locum post Legatum Apostolicum in Galliam Germaniámve destinatum, &c. & si missus Romanæ Ecclesiæ defuerit, post Imperatorem, vel Regem sedendi, quæq; alia in privilegiis Theodorico concessis enarrata suis locis. Ego Halinardus Lugdunensis Ecclesiæ indignus Archiepiscopus, in prædicta Synodo residens, salvâ priscarum constitutionum firmitate, & Lugdunensis Ecclesiæ autoritate, hoc decretum laudavi; manuq; propriâ roborans, subscripsi. Ego Joannes Portuensis Episcopus in prædicta Synodo residens, confirmavi & subscripsi. Ego Cadalous Episcopus subscripsi. Ego Benedictus sanctæ * Tuscanæ Ecclesiæ Episcopus subscripsi. Ego Gerhardus Florentinus Episcopus ss. Ego Crescentius sanctæ Silvæ Candidæ, gratiâ non meritis Episcopus subnotavi. Ego Hugo * Asiliensis Episcopus ss. Ego Wido Astensis Episcopus ss. Ego Wido Vulturnensis Episcopus ss. Ego Cunibertus Taurinensium Episcopus ss. Ego Henricus Spoletus Episcopus ss. Data Idibus Aprilis per manus Petri Diaconi & Bibliothecarii, & Cancellarii*

Jactura veterum monumentorum.

* nostra.

Romanæ mitræ jus gestandæ Præsul Treverensis adipiscitur.

Synodi Romanæ sub Leone IX. tempus.

* Tusculana.

* Asisiensis.

Cancellarii sanctæ Apostolicæ sedis. Anno Domini Leonis noni, Papæ I. Indictione secundâ.

XCVII. Cella quatuor coronatorum. *Tom. 3. Epist. Pontif. lib. 1. regist. ep. 79.*

Paucis item post diebus Bruno eidem Eberhardo possessionem Cellæ quatuor Coronatorum Romæ cum omnibus eò pertinentibus bonis, hoc quod adhuc extat diplomate, innovavit, tradito per manus ejusdem Petri Diaconi XV. Kalend. Maias. In hujus verò sanctione dignitatis, adversarium Eberardo se tulit in primis acrem Hildebrandus Leonis in Germania, Galliaque Legatus, qui Coloniensis Ecclesiæ imbutus studio, vicinam & magni tunc nominis sedem Treyirorum splendore nimio, non patiebatur obscurari. Hinc ipse demum jam Pontifex factus, apud Annonem Archiepiscopum, gratiam illam studii pristinam literis renovans: *Ob recordationem,* inquit, *disciplinæ, quâ tempore antecessoris nostri in Ecclesia Coloniensi enutriti sumus, specialem ei, præter cæteras Occidentales Ecclesias dilectionem impendimus; & sicut adhuc Romanæ Ecclesiæ filii testantur, tempore beati Leonis Papæ, Trevirensi Episcopo pro honore Ecclesiæ vestræ, quod idem beatus Leo ægrè tulit, viribus totis restitimus.*

Hildebrandus legatus non favet Trevirensis Ecclesiæ privilegiis.

XCVIII. *Sigebert. & Contract.* Leo Papa in Galliam Germaniamque venit.

Appetente Autumno Leo Pontifex Alpes transgressus, partim ad labefactatos erigendos Ecclesiæ mores, partim ad exsolvendam sancto Remigio sponsam olim, Herimaro Abbate urgente, religionem, in Galliam primùm descendit. Qua de re sive Anselmus monachus Rhemensis, sive quis alius scriptor coætaneus luculentum commentarium reliquit, quem ex Ecclesiæ Rhemensis bibliotheca descriptum, Annalium Ecclesiasticorum autor Tomi undecimi spicilegiis attexuit. In eo Pontifex Leo narratur cum Romani cleri pace ex urbe discessisse, & Latii civitates obeundo, laboranti passim rei Christianæ, maturis consiliis affuisse, magnis itineribus in Saxoniam quoque venisse; atque inde, cum Imperatore Henrico prodiisse Coloniam ad Natalitia Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli istic peragenda. Et hinc, ut opinor, Aquisgranum iter habuit: ubi Godefridum Lotharingiæ Ducem, quem sacris interdixerat, in gratiam cum Imperatore restituit.

S. Leonis iter.

XCIX. Godefridi Lotharingiæ publica pœnitentia, ut vapularet palam. Ecclesiæ ædificandæ operam locaret.

Atque tunc etiam privatæ literæ Virdunensis Ecclesiæ docent, Godefridum Theodorico Episcopo reconciliatum; luendoque nobilis Basilicæ incendio, spectabiles ab seipso repetisse pœnas: quippe in restaurationem operis multa elargitum; &, ut pietas tunc rigorque Ecclesiasticæ disciplinæ fuit, nec decretam canonibus publicam verberationem recusâsse. Oportunè Lambertus genus piaculi literis mandavit, ut ridere desinant, quos minùs delectat hæc urbanitas, aut certè plorare non erubescant, quibus hæc disciplinæ severitas deest. *Facti in tantum eum pœnituit, ut publicè se verberari faceret, & capillos suos, ne tonderentur multâ pecuniâ redimeret, sumptus ad reædificandam Ecclesiam daret, & in opere cæmentario per seipsum plerumque vilis mancipii ministerio functus, deserviret.*

Leo Trevirim veniês ædem S. Paulini consecrat.

At Leo in hac eadem peregrinatione Metropolim suam recognoscens, raro & inusitato pietatis officio Treviros accessit; ibique septimo Idus Septembris, Eberhardi rogatu ædem Paulinianam refectam, atque instauratam Pontificio adparatu consecravit, dicavitque. Argumento rei gestæ jam evanescens pictura, & vetus lapis, ex ruina & templi incendiis bipartitò dissectus; qui in ipso Ecclesiæ vestibulo, fugientibus ævo literis, diversis in locis cum hac inscriptione cernitur:

ANNO INCARNATIONIS DOMINI MXLIX. AB LEONE IX. PAPA ANNO PONTIFICATUS SUI I. ROMANÆ SEDIS SL. ET * P TVL. VII. IDUS SEPTEMBRIS HÆC ECCLESIA DEDICATA IN HONOREM S. CRUCIS, ET S. PAULINI ET MARTYRUM OMNIUM, ET SANCTORUM PONTIFICUM FELICIS ET * MRI, MODOALDI. QUORUM HIC CORPORA REQUIESCUNT, HENRICI IMPERATORIS II. ANNO, IMPERII SUI III.

*simul & præ * TVL. an P. TVL.* * MARI.

Indulgent à Leone Paulinianæ basilicæ concessæ.

Consecratâ æde, levamento pœnarum, quæ piaculo debentur, largas Pontifex omnibus iis peccatorum condonationes indulsit, qui templum id religiosè statis anni temporibus inviserent; aram beati Clementis ibidem, raro quoque privilegio prosecutus, ne præter ipsum Archiepiscopum, ejusque Suffraganeos, & Abbates, ipsius Ecclesiæ Præpositum, Decanum, seu quem alium ordinarium sacerdotem, ulli ad rem divinam faciendam, istuc adire fas esset.

CI. Altare in S. Simeonis æde à S. Leone dedicatur.

Leonem hoc eodem tempore, dedicasse Treviris in sancti Simeonis inferiore templo altare, vulgi rumore famosum, nuper ex loci instauratione didicimus, Deo fortè perabsurdam, quæ de hoc altari sparsa, ex hominum animis eripiente fabulam. Basilicæ moles, cui Nigræ portæ olim nomen hæsit, à Poppone sancti Michaëlis patrocinio dicata, raritate, fabricæ opera hic omnia superat antiqua, ut propterea vix vulgò persuadeatur, hominum coaluisse manibus. Quamobrem Cacodæmonis auxilio exstructam fabulantur, atque ex altari, quod jam celebramus, conjecturam hanc faciunt: quippe conditorem, quò Genio malo inquilino non adversante fabricam inchoaret, ei suasisse, ut ubi altare moliebatur, istic aleatoribus mensa staret. Verùm ubi secus eam rem evenisse Cacodæmon sensit, impetu in altare facto, & unguis impresso vestigio, ita mensam altaris inclinasse, ut superficies declivis & obstipa deorsum vergeret. Et quia anathematis loco appensâ fortè parieti vicino grandis spina piscis cornu specie, idoneo ad fabulam asserendam commento, vulgus jactitat, unguem à Dæmone relictum, quem in convellendo altari detrivisset. Sed res ita habuit.

A fabulis vindicatur.

CII. Pavimentum haud usquequàque solidum, cum juxta ex sepulturis subsidente solo vitium fecisset, unà stipitem altaris traxit, ut pronum & incurvum existeret. Quare oportunè

hac

De novo consecratur.

hâc nostrâ memoriâ factum à Georgio Suffraganeo Collegii Decano, ut pristinum in statum altare resurgeret; cúmque ad novam consecrationem solutâ compage is altaris sepulchrum recluderet, in reliquiarum capsa hoc Leonis Papæ monumentum in plumbo repertum est, ex quo dedicationis memoria non obscurè colligitur.



CIII. Leonis IX. pons.

Manet etiam ab hoc Leone publicâ viâ pons, quem fama est Eberhardum ingredienti urbem Pontifici, honoris causâ stravisse.

H. Contract. Lambert. Adam Eccl. hist. l. 3. c. 31. vel 147 sed an. extremo 1051. Comment. act. Rem. append. To. 11 Baron. qua videntur esse Anselmi de quo Sigebert. vir. illustr. c. 151.

Remes invitantur Galliarum Episcopi.

Grave jam diu Ecclesia Christi atque insanabile, nisi maturè obviam iretur, vulnus acceperat, clero impunè fornicante, & sacerdotia acceptâ datâque pecuniâ, nundinante: ad quæ sananda mala, cùm studium omne suum, opémque Pontifex confert, primùm Gallicanam Ecclesiam, inde Germaniam Synodorum salubri, & opportuno remedio adjutare constituit. Treviris itáque cum Eberardo cæteróque Pontificum & cleri agmine digressus, ad Exaltationem Dominicæ Crucis Tullensibus suis affuit. Atque inde ad Galliarum Episcopos, & Abbates, missis mandatis, omnes Remos evocavit, tum ad cultum peculiarem sancto Remigio adhibendum, cujus & basilica novo opere egregiè exstructa dedicanda, & sacrum pignus humo levandum erat, tum etiam ad conventum bono publicæ disciplinæ constituendæ celebrandum.

CIV.

Quibus tam Augustis cæremoniis annuerat nuper Henricus Franciæ Rex se interfuturum; sed in alia mox diductus ab iis, qui Pontificiæ authoritatis culmen ob vitæ dedecora, flagitiáque reformidabant, etiam accessu prohibere Episcopos; & spem Synodi, ceu parùm licentiæ suorum accommodatæ intervertere cœpit. Verùm multitudine spontè confluentium, & alacritate omnis generis hominum, summam illam Vicarii Christi majestatem, & Apostoli sui Remigii renascentem gloriam coram oculis usurpare festinantium, superatus, cessit denique positis armis, & à vi, quam parabat, Rex abstinuit.

Leo Tullo Remos adit.

Aditu igitur jam facto liberiore, Leo tribus comitatus Archiepiscopis, Eberardo Trevirensi, Lugdunensi, & Vesontiensi, prosequente Romano clero, Remorum mœnibus successit; & ad sancti Remigii paratis hospitiis, in suburbano monasterio divertit. Hinc ipsâ luce Michaëlis Archangeli, prodiit magnifico adparatu in urbem, rei divinæ operaturus in principe sanctæ Dei Genitricis Basilica; atque hic cùm mysteriis se tantis præparans tantisper in sella Archiepiscopali acquiescit, Antistes Remorum ei dextrum latus, sinistrum texit Eberardus Trevirorum. Postridie innumero advenarum concursu, majore quoque sacrorum adparatu, Eberardo cum cæteris adminiculante, Sancti Remigii corpus levatum est, tensæque impositum Pontifex sacerdotalibus infulis redimitus, medios inter psallentium choros in urbem religionis, & spectaculi causâ intulit. Inde sacrâ reportatâ sarcinâ, sexto Nonarum Octobris Monasterii Basilicam novam sancti Remigii honori dedicat, quinto Nonarum in eadem Basilica Synodum exorsus.

S. Remigius levatur.

Synodus Remensis.

Primatus jus inter Treviros & Remos controversum.

In qua duo contigerunt ad res hujus Ecclesiæ illustrandas memoratu sanè digna. Nam in Synodi ingressu, obortâ veteri inter Trevericum clerum, & Rhemensem controversiâ, de jure moderandæ sessionis Synodicæ, ipsáque sessionis prærogativâ, Treviris primas post Romanam sedem, & Rhemis eundem locum sibi vindicantibus, Leo intempestivam ambitionem sapienter discussit, coronæ in morem sedilibus dispositis, & proximè à suggesto, quod sibi in medio poni jusserat, dextrâ Rhemorum, sinistrâ Trevirorum Archiepiscopis receptis, aliis, quos inter Adelbero Metensis, & Theodoricus Virdunensis Episcopi provinciales aderant, in fronte & à latere collocatis.

CV.

Alterum fuit; quod Petrus Cardinalis Diaconus, cùm in Episcopos Simoniæ reos fortiter inquirit, Everardus Trevirorum Archiepiscopus ibi consurgens, intrepidè se nec aliquid dedisse, vel promisisse pro Episcopatu, neque sacros ordines cuipiam vendidisse pretio, respondit. At * Rhemensis hujus violatæ religionis identidem postulatus, frustrando nectendoque moras, vix criminis suspicionem effugit. In Lingonensi verò, qui & hujus, & aliorum facinorum accusationem & invidiam sustinebat, id planè prodigiosum illic evenit, quod Vesontiensis Præsul, cùm patronus rei caussam perorare insistit, usum vocis, divinitùs repressâ linguâ, perdidit. Quam pœnam ipse, recuperatâ voce, à sancto Remigio, qui superstes olim Arrianum loquacem silentio condemnaverat, sibi irrogatam, publicè in Concilio profiteri non dubitavit.

* *Wido.*

Hugo Lingonensis accusatur.

Hugo Archiepiscopus Bisontinus divinitus obmutescit *Sigebert. in Anselm. est. Frisingensi Episcopo attribuit, sed apparet vitiosum esse lectionem.*

Hugonis Lingonensis accusatio.

Eadem paulo secus æqualis actorum Leonis scriptor in veteribus membranis sic expressit, ubi de Rhemensi Concilio loquitur. *Inter eos, quos Simoniacâ infectos hæresi gloriosus Apostolicus deposuit, Hugo fuit Lingonensium Episcopus, multis ac horribilibus infamatus accusationibus; qui vocatus ad reddendam rationem, venerandum & Deo ac hominibus amabilem Hugonem Chrysopolitanum Archiepiscopum utpote eloquentissimum expetiit causidicum ac prælocutorem. Hic coactus à Domno Apostolico, illius suscepit caussam dicendam; sed repentè obmutuit ante cunctorum præsentiam; ut profectò patesceret, Dominum noluisse falsis excusationibus verorum criminum tanti Pontificis inquinari linguam. Lingonensis igitur Hugo hoc miraculo exterritus, Concilii judicium effugit. cunctis verò pro infortunio præsentis Archiepiscopi afflictis & lacrymantibus, Dominus Apostolicus cum summa contritione cordis ad Christum conversus, suis sanctis precibus ejus impeditam linguam resolvit. Postmodum tamen præfatus Lingonensis Præsul, divino compunctus*

Hugo Chrysopolitanus, seu Bizontinus pius, eloquens.

Leonis IX. precibus usum linguæ recuperat.

Hugo Lingonensis expiat sua delicta.

punctus instinctu, ad Dominum rediit Papam, cum ingentibus lachrymis publicè crimina confessus, spontaneam suscepit pœnitentiam; & Romam nudis pedibus vadens, ab eodem pio Pastore nostro promeruit absolutionem; & in redeundo, nimiis confectus jejuniis, corporisq; maceratione, in bona perseverantia, vitam reliquit præsentem. Atque hæc tum Rhemis sub initium Octobris.

CVI. Pergit Leonis IX. familiaris scriptor: *Inde per urbem Mediomatricum remeans, petitu venerandi Abbatis Warini, consecravit ibidem sancti Pontificis Arnulphi Basilicam; ubi & exoratus à Domino Sigefrido Gorcensi Abbate, composuit in veneratione gloriosi Martyris Gorgonii nocturnalium responsoriorum dulcissimam melodiam.*

Leo IX. insignis Musicus componit cantica.

Synodus Mogûtina.

Deinceps Leo Pontifex Synodum Moguntiam omnibus propè Germaniæ Episcopis, indixit; quo, quadraginta ampliùs Episcopi, in quibus noster etiam Eberhardus, atque ipse Imperator Henricus, cum delectis regni Principibus, convenêre. Hîc, ut in omnibus conciliis superioribus, teste Petro Damiani, caussa Simoniacorum agitata, & clericorum pudicitia legibus severè vindicata est. Et quidem Sibecho Spirensis Episcopus, cùm præsente Pontifice, ob adulterii crimen traheretur in disceptationem, ipse se sacrâ communione, in detestationem animæ sumptam, purgâsse traditur, sed paralysi mox ita distortâ maxillâ, ut temeritatis quàmdiu vixit hanc retinuerit cicatricem.

Pet. Dam. in lib. Gratissi. simo. Scriptor alterum Leonis IX. Sibechonis Spirensis accusatio & periculosa purgatio.

CVII. Leo inde Augiam insulam adiens, & S. Crucis honori Basilicam dedicans, Dæmoniacum fremitu & clamore sacra turbantem tacitè & è longinquo, descripto Crucis signo, domuit, & spiritu maligno fugato, obsessum malo liberavit. Id quoque Mediomatricum Ecclesiæ decus, hoc anno contigit, ut Gotebaldus Metensis Ecclesiæ Præpositus, Cæsaris gratiâ, Patriarchatum Aquileiensem obtineret.

Leo IX. in Augia Dæmoniacum sanat crucis signo.

Gotebaldus Metensis præpositus fit Patriarcha Aquileiensis Ontradbu.

Cæterùm Leo Pontifex, per Boiariam Augustam, in Italiam regressus, anno sequenti, qui salutis millesimus quinquagesimus fuit, Veronæ Natalem Domini recoluit, atque sub autumnum visendæ Tullensis iterum Ecclesiæ tactus cupidine, ut nuper Romæ, ita Synodum Vercellis, ad Berengarii errores funditùs exstirpandos, celebravit.

ANNUS CHR. 1050 Leo Pontifex redit in Lotharingiam.

Berengarii hæresin Vercellis discutit.

Jam satis luculentam dissidii plagam Christi sponsæ dederat Berengarius, &, ut naturâ contumax est humanus animus, disceptando movendoque irritari potiùs, quàm sanari visus hostis. Sectam hanc in germine suo pullulantem Adelmannus Brixiensis, olim Berengarii in Carnotensi schola sub eruditissimo Fulberto, condiscipulus, animosè oppressum ibat, ut meritò Paulinum Metensem Primicerium reprehenderet, quòd in errore prodendo, sibi bonoque publico defuisset. Nam iisse per hominum ora scribit, quasi Berengarius de Corpore & Sanguine Domini, quod quotidie, in universa terra super sanctum altare immolatur, aliter quàm fides Catholica teneat, sentiret; *Hoc est ut illorum*, inquit, *de te dictis utar, non esse verum Corpus Christi, neque verum Sanguinem, sed figuram quandam, & similitudinem. Hac ante hoc biennium cùm audissem, fraternitatem tuam per Epistolam convenire, idq; ex te ipso certiùs sciscitandum esse decrevi. Sciens porrò familiarem tuum Paulinum Metensem Primicerium tibi propiorem, tibiq; aliquantò viciniorem esse, & meâ petitione, & suâ pollicitatione, delegavi ipsi hujus negotii executionem. At ille, non enim in hac re laudare eum possum, negligens, sive alterutrum, sive utrumque nostrum, usque adhuc reliquit me suspensum.* Sed, quia Vercellis nec Berengarius vocatus affuit, & qui ab eo missi, primum conflictum non sustinuêre, omnium sententiâ error damnatus est. Ab hac Synodo Pontifex Tullum suum revisurus, in Lotharingiam, superatis Alpibus, transiit.

CVIII. Adelmannus Brixiêsis.

Paulinus Primicerius Metensis. To. 3. biblioth. PP.

Berêgarii damnatu. Lanfranc. cont. Beren.

CIX. Natus tunc Imperatori ex Agnete conjuge filius Henricus; apud quem anno postero, vix à sacro fonte renatum, plerique Germaniæ Proceres dicere sacramenta, jussi.

ANNU Chr. 10 Contract. in hoc anno. Lambert.

Mox apud Augustam Vindelicorum Pontifex & Imperator, ambo consociavêre sermonem; & compositis ordinatisque ut licuit Ecclesiæ rebus, Purificationis lucem ibidem pietate solitâ, exegerunt. Medio tempore obiisse provinciam Lotharingiæ, & sacris administrandis dicandisque Basilicis sui nusquam non provocâsse desiderium, Leonem observo. Eumque Eberardus honoris caussâ plurimum comitatus, etiam Viridunum usque, cum sancti Magdalvei Ecclesia istic solenni cultu, Deo superisque nuncupata. Pari quoque religione, apud Leucos, vicinumque Mosellam loca ritè Deo dicata sunt. Nec dubitem cum æqualis ævi sæpè laudato scriptore Beatum Leonem hoc tempore cœlesti monito permotum, sancti Gerardi pignus Episcopi Tullensis insigni pompæ gloriâ elevâsse, ac transtulisse in honestiorem sedem.

Leo Pont fex colloc tus Henri Romam proficisci tur.

S. Gerard translatio

CX. Leone inde Italiam repetente, Henricus Spiræ Jejunia cineralia exorsus, ac postea Resurrectionem Domini, Coloniæ celebratum it: filiumque ab Hermanno urbis Archiepiscopo ibidem optat aquâ salutari perfundi; mox & ab eodem novam, quam Goslariæ Deiparæ matri ædem excitaverat, placuit dedicari.

Hermannus Arch episc. Colon. quen Trit. in Hirsaug. Chron. facit Eberhardi fratrem, baptizat Cæsaris filium

Legitur in monasterio Beati Maximini, Theodorico Abbati concessum diploma, quo Imperatoris suffragatione, Leo authoritate suâ rata esse omnia jubet, quæ monasterio à Regibus, Dagoberto, Pipino, Carolo, Luduico, Arnulpho, Henrico, Conrado, & tribus Ottonibus concessa fuerant; eaque in ullos alios præterquàm hospitum & cœnobitarum usus erogari vetat; denique anathemate cavet, ne cui monasterio bona eripere per vim, impunè liceat. Datum septimo Kalend. Februarii per manus Udonis sanctæ Apostolicæ sedis Cancellarii, & Bibliothecarii, & Tullensis Primicerii. Anno Domini Leonis IX. Papæ secundi, Indictione quartâ, anno Incarnationis Domini MLI. At annis superioribus Henricus Imperator, cùm possessiones quasdam è pago * Einrichio monachis invitis alienâsset, eodem hoc tempore Pontificis hortatu, restituit; & ne unquam inposterum occupari à quoquam possent, tabulis scriptis prohibuit.

Theodoricus S. Maximini Abb. Leonis privilegio munitur.

Ex eodem diplomate. * al. Heinrichium in tractu Caténe [illegible] cujus caput à [illegible] [illegible] versus Loganam.

CXI. Sequenti autem anno, in maximo cleri atque præstantium virorum conventu, Eberhardi Antistitis operâ vectigalia hujus Ecclesiæ

ANNU Chr 10 Eberhard auget Ecclesiæ sua vectigalia

Ex MS. & archivo Episcop. Walramus Arlunæ Comes beneficiarius Ecclesiæ Trev. *pro quo hist. Luxembur. Henricum supponit.* Adelheidis conjux, *pro qua Adelam alii ponunt.* Meinfeldici tractus fundi S. Petro donati. *quod observa contra Origin. Palat. c. 3. fol. 26.*

majorem in modum auxerunt. Aderat Walramus Aralunæ Comes, novæ gentis titulus, sed ex Lutzelburgia, ut putatur, propagine, cum Adelheida conjuge, Walramo & Fulcone liberis. Is cùm sancto Petro Treverico multis esset beneficiorum feudorumque nominibus obstrictus, Henrico Imperatore, & universo probante clero, prædiis optimis atque fructuosissimis, quæ nominatim tabulis inserta, à Beato Petro auctarii loco acceptis, queis in vita modò ipse, conjux, liberique fruerentur; possessiones vicissim, prædiaque complurima, ex Mosellæ pagique Meinfeldici tractu, vicinaque regione Sancto Petro donavit, cum eo, ut liberis & uxore morientibus, universa redirent pariter ad Archiepiscopum, & ejus successores; & interea filiorum alteruter Præsuli, cis Alpes belligeranti, quadraginta peltatis; trans Alpes verò, viginti duntaxat, ejusdem armaturæ subsidiò, venirent. Quæ ita Treviris Precariâ lege peracta, Indictione currente quintâ. Porrò, quia hoc Eberhardi, ut majores appellârunt, de Precaria rescriptum, totâ diœcesi ita celebratum fuit, ut in pervetustis Ritualium membranis apicum ductu ex prototypo sumpto ad posteritatis memoriam clerus exemplar (existente originali in archivo Principis, quod manibus meis contrectavi) retinuerit, committere nequeo, quin & Annalium horum memoriæ tabulas easdem consecrem.

CXII. *Tabula Archivi MSS. & Lectionarium S. Symeonis Iul. mensis.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ego Eberhardus gratiâ Dei Trevirorum Archiepiscopus, quamvis indignus. Noverit omnis ordo Ecclesiasticus, imo omnis populus Christianus, & qui est, & qui venturus est; Conventionem sive Precariam, quam cum Comite Waldramo de Arlo, & uxore ejus Adelheide convenimus, annuente & suggerente serenissimo, victoriosissimo, & Christianissimo Domino nostro Henrico Rege III. Imperatore II. Villas nostras, imò Ecclesiæ nostræ Bussavvilre, Mereche, Fulde, Osima, Evesche, Serveche, Bureche, Eile, Machera, Miena, Billiche, Sulime, Aule, Ierang, Palenzela, exceptâ Congregatione sanctæ Dei Genitricis Mariæ in eadem villa serviente, omnibusq; ad eandem Congregationem jure pertinentibus; omnes has villas, & ad eas pertinentia, cum omni integritate & utilitate, quali nos ad nostros possedimus usus, exceptis servientibus, necnon venatoribus, piscatoribus, fabris, cæmentariis, architectis sive latomis nostris, eorumq; beneficiis, Walramo de Arlo, & uxori ipsius Adelheidæ, in Precariam dedimus, cum legitima Advocati nostri astipulatione, Cleri, Militiæ, & filiorum Ecclesiæ nostræ præsentia, consilio atque favore. E contra prædictus Walramus, & conjux ipsius Adelheidis, Prædia in* Obtimetdinc, & in Pulicha, Canida, Retheroth, Lemona, Cuberna, Alcana, Langenfelt, Bucho, Enerich, Rigila, & villis circumjacentibus ad prænotata prædia pertinentia; & prædia, quæ possidebant in Trogona, & circa rivum Trogona fluvii, cum Ecclesiis, areis, vineis, molendinis, agris, pratis, silvis, venationibus, pascuis, aquis aquarumq; decursibus, piscationibus, mancipiis utriusque sexus, cum banno & constrictu inquisitis & inquirendis, & omni utilitate, quæ vel haberi, vel excogitari potest; & tali potestate & constrictu, quali vel antecessores illorum, vel ipsi post illos possidebant, cum adstipulatione justa & consensu filiorum suorum ad principale Altare S. Petri in proprietatem tradiderunt, hac videlicet conventione, ut, quousque viverent, supranominatis Ecclesiæ nostræ prædiis, quæ in Precariam acceperant, liberrimè uterentur. Post eorum verò mortem tantùm ad filios eorum Walramum & Folconem hæc eadem Precaria transiret. Eis verò de hac vita discedentibus, cessante penitùs Precariâ, & cessante sive hæredum, sive affinium, sive successorum eorum potestate, in hæc præscripta Ecclesiæ nostræ bona, omni sive controversia sive inclamatione sopitâ, in jus, ditionem, usus & utilitatem Trevericæ Ecclesiæ ejusdemq; Ecclesiæ Episcopi rediret. Similiq; ea prædia, quæ S. Petro in proprietatem Comes Walramus & uxor ejus dederunt, & cum adstipulatione, ut dictum est, & consensu filiorum ipsorum supradictorum, tradiderunt, in Ecclesiæ nostræ proprietate & potestate, quietè, securè atque liberrimè perpetualiter manerent. Præterea quoddam prædium in Egla, item & aliud in Corricha, sæpedictis Walramo & uxori ipsius concessimus, hac videlicet pactione, ut prædia in Mandernacha & circumjacentibus villis, ad illa pertinentia, injustè illis ablata, si acquirere possent, S. Petro traderent; si verò acquirere non possent, ipsi & post mortem ipsorum, quicunque filiorum eorum Walramus sive Folco alterum superviverent, ea ipsa bona in Egla & Corricha in finem vitæ suæ habeat, & Episcopo Trevericæ sedis hoc inde servitium faciat, scilicet XL. scutatos ex ista parte Alpium, & si iter Episcopi vel regia expeditio ultra Alpes fuerit XX. mittat.* Et ut hæc Conventionis & Precariæ pagina firma & inconcussa permaneat, Sigilli nostri impressione eam firmavimus. Data anno Incarn. Dom. MLII. Indict. V. Hi testes, qui interfuerunt, Ruricus Corepiscopus, Arnoldus Corepiscopus, Ruricus Præpositus, Gerramus Præpositus, Adelbero Presbyter, Hugo Præpositus; Godescalcus, Werenbertus, Reginerus, Rutardus, laici. Arnoldus de Salmana, Arnoldus de Arstein, Bezelinus de* Ham, Adelbero de Madelbert, Odelbrecht de Stalle, Dietfrid Advocatus, Anselmus Bern, Anselmus Hartman. EBERHARDUS ARCHIEPISCOPUS.*

Henrici Imp assensus
* *Buschweiler, Mertzig, Fuchte, Osame, Evesche, Serveche, Bierich, Eile, Machera, Mirinam, Welschbillich, Seul, Aigle, Erang. Pal.*
* Palatiolum, & ibi Canonicorum Collegium.
Archiepiscopales operæ, & beneficiariis assignata.
Militia Tr. quæ ferè penes nobilitatem.
Ochtendunck hodie Pulich. Cande.
Dron. Ansono Drabonus.

Walramus & Folco Arlunensis Comitis liberi.

Pacta conventa. *corrige hinc Lutzebur. hist. narrationem in Arlun. Marchio p. 13.*

Manderscha, haud lõge Aquæbilicho apud Mosellam.

Expeditiones Episcoporum & eis impensa servitia.

Viri illustres & nobiles sub Eberhardo Archiepiscopo.

* Ara gentilitia superest, mascula stirps abiit.

Atque hæc sanè Marchionatus Arlunensis Ecclesiæ Trevericæ quam pridem innexi, vincula quædam arctiora fuerunt, quæ ut aliis perrumpere, ita nobis incorrupta ad posteros transmittere, placuit.

CXIII. *Hist. Luxenburg. cit.*

Gerardus Tullens. Eps Sanctis adscribitur.

Udo Tullensis Eps. Leo Pontifex Ungariã Imperio reconciliare studet.

Hoc eodem tempore Leo Pontifex, ut edidit Sigebertus, frequenti in Synodo, Gerardum Leucorum, quintum supra se olim Episcopum, ob admirationem virtutis & eximiam vitæ sanctitatem, inter Divos relatum cœlo dicavit. Certè Leonem autor ipsius vitæ coætaneus, cùm jam Udonem Primicerium pace Cæsaris sibi successorem apud Leucos legisset, tertiò scribit in Germaniam venisse, ut Ungariæ Principes ab imperio Romano alienos, & tributa recusantes, in gratiam restitueret; sed aulicorum pravis consiliis obstructas invenisse Imperatoris aures; atque ita Ungaros, qui retineri indulgentiâ poterant,

rant, distractos, per cædes & populationes redditos infestiores.

CXIV. *Contract. Lambert.*

ANNUS CHR. 1053.

Porrò Wormatiam Leo digressus, cum præcipuis regni Episcopis atque principibus, ipso etiam præsente Henrico, Christi nascentis lætitiam usurpavit; impetratisque ab Imperatore contra Nortmannos, qui graves in Apulia D. Petri atque Ecclesiæ Romanæ patrimonio imminebant, haud contemnendis Lotharingensium ac Germanorum auxiliis, cum iis in Italiam, procedente Brumâ, decessit; ac Godefridum Lotharingiæ Ducem, cum Friderico fratre, quem sibi Cancellarium, ac deinde Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Archidiaconum adsciverat, in hostem duxit.

Godefridus & Fridericus Lotharingiæ Duces fratres.

CXV. SS. Eucharii & Valerii inventio Bertulfo Abbate.

Paucis ante annis, incredibili Trevirorum gaudio, Bertulfus S. Eucharii Abbas, corpora SS. Eucharii atque Valerii, primorum apud Treviros Evangelii præconum, ignorata ad id usque tempus, in lucem extulerat, Eberhardo cum duobus adstante suffraganeis, Adalberone Metensi, & Theodorico Virdunensi. Cùm autem Henricus Imperator Ottonis III. æmulatus exemplum, qui olim pignora BB. Sabini Episcopi & Exsuperantii Diaconi Martyrum istuc Spoleto intulerat exornandæ novæ Goslariensi Basilicæ Sanctorum reliquias ab Eberhardo Archiepiscopo mitti sibi in Saxoniam, vehementer expeteret; Eberhardus tam piæ Imperatoris nihil ratus abnuendum voluntati, nuper inventum Beati Valerii corpus, præstantibus aliorum additis Divorum exuviis, ad eum deportavit. Quam rem Henricus diplomate testatus, ad cumulandam beneficii gratiam, & memoriam ad posteros celebrandam, in hæc verba literis mandare voluit:

B. Valerii Goslariam ab Henrico Imp. translati narratio.

Henricus divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Augustus. Omnium Christi nostrorúmque fidelium, tam futurorum quàm præsentium sollers noverit industria, qualiter nos venerabilis Eberhardi Trevirensis Archiepiscopi charitativam poposcimus benignitatem, ut nostræ Voluntati aliqua sanctarum reliquiarum consolatione satisfaceret, & tali thesauro monasterium nostrum, quod Goslariæ in honorem beatæ Mariæ perpetuæ Virginis, & sanctorum Apostolorum Simonis & Iudæ, à fundamento incepimus, & Deo adjuvante, perfecimus, ditaret. Quam videlicet petitionem, venerabilis jam dictus Præsul fideliter attendens, corpus S. Confessoris Valerii Archiepiscopi, cum aliis quàmplurimis Sanctorum reliquiis, nobis benignè & honorificè apportavit. Quod, ut justum erat, suscipientes summâ devotione, in prædicto monasterio Dei, suiq; servitio inibi pleniter & canonicè ordinato, prout potuimus, cara pignora venerabiliter recondidimus. Sed ne S. Eucharius tali successore, tamq; amabili socio, ex parte nostra, absq; omni remuneratione careret, ideoq; nobis implorantibus auxilii sui gratiam non impenderet, prabendam monachorum Deo sanctoq; Euchario regulariter servientium, aliquantulum augeri desideravimus, ut eò melius ac delectabilius vigilarent in DEI laudibus. Quamobrem ob honorem ipsius gloriosi Confessoris Valerii, nec non interventum Agnetis

Henrici munificentia in S. Eucharii cœnobium.

nostri thori & regni charissimæ consortis, & propter dilectionem fidelis nostri Archiepiscopi superius nominati, & pro anima nostræ felicitate, prolisq; dilectæ prosperitate, & antecessorum nostrorum requie, ad altare S. Eucharii, in augmentum prabendæ fratrum inibi Deo servientium, de nostra hæreditatis parte, villam quandam, quæ Vilmar nuncupatur, cum omnibus eò pertinentibus, dedimus atque tradidimus, &c. Actum Goslariæ anno MLIII. Indict. sexta. anno autem Domini Henrici tertii. Regis, Imperatoris secundi, regni XV. Imperii septimo. Porrò Vilmaria non obscurum est apud Loganam fluvium municipium, inter Runchelium, & Weilburgum, Wiedanæ & Nassoviæ gentis oppida medium administrationis Trevericæ.

Vilmari donat S. Matthiæ monasterio.

CXVI.

Eodem porrò cursu temporis, quo duorum hujus Ecclesiæ primâ dignitate Sanctorum effossi cineres, etiam ab Eberhardo Trevirensi sacrum B. Matthiæ Apostoli corpus in magnam adductum eâ tempestate hominum oblivionem, inquiri cœptum, inventumque nec ita tamen in propatulo positum, ut agnosci vulgò posset; id quod errorem posteris objecit, ut ne probè locum conditorii haberent exploratum. Legimus in vetustæ fidei codicibus, qui ante annos amplius quingentos, de miraculis Apostoli conscripti, hodiéque in beati Eucharii monasterio asservantur, perquirendi hinc ab Episcopo sumptam occasionem. Henricum Imperatorem, quo tempore inchoato à se Goslariensium templo expoliendo intentus, admirando religionis studio reliquias divorum undique conquirebat, B. Matthiæ & trium cæterorum Divi Petri discipulorum ossa nonnulla ad se perferri vehementer expetivisse, idque multis & assiduis precibus, ut aliquando consequi posset, ab Archiepiscopo contendisse. Eberhardum autem ancipitem num quidquam funestis urbi toties illatis incendiis, & hostilibus armis afflictæ superesset, atque, ut aliquid reliqui barbaries illa fecisset, ubinam loci fortè abditum id delitesceret incertum, petenti semper negasse Imperatori.

B. Matth ossa Treviris invest riteque ibid. coli

MS. Codice B. Matthiæ

Origo primæ inventionis S. Matthiæ.

CXVII.

Aliquanto verò post tempore, Romam negotiorum causâ profectum, quam urbem haud semel eum adiisse, certa tradit Annalium fides; atque ibi tum fortè, in manus venisse librum, qui duodecim certamina Apostolorum, eorundemque passim per orbem venerandos edebat tumulos: eo autem perlecto, comperisse Divum Matthiam ab Helena Constantini matre primùm è Palæstina Romam, & inde per Agricium Patriarcham traductum in Gallias, ac Treviris apud augusta Divorum Eucharii, & Valerii, & Materni corpora inter Aquilonem & Austrum in sinistro latere collocatum. Quâ exploratâ re, domum Treviros reversum Antistitem, cùm imperator postulatis insisteret, in hanc diligenter se dedisse cogitationem, ut sacratos Apostoli cineres, altâ humo tum fortè demersos, clam tamen populo paucisque consciis, lucis aspectu donaret, & ab ignorationis & latebræ injuria religio è vindicaret. Convocatis itaque Suffraganeis suis, Adelberone Metensi cognomento Sancto, & Theodorico Virdunensi, qui Magnus appellatus, cum augusto cincti

S. Matthiæ translatio Palæstina Romam, inde Treverim.

S. Matthiæ prima inventio occultior.

amictu & infulati glebam beati Apostoli repertam attentassent, cœlestem quendam & odoriferum halitum exspirasse, & mirifico afflatu suo recreasse circumfusos; Theodoricum autem Virdunensem Episcopum, cùm pronus immineret loculo, ut quidpiam de sacro corpore reliquiarum aufferret, divinitus ita prohibitum, ut retro proruens, purpurei pluvialis eam partem, quæ ossa tetigerat, à cætera veste divulsam, in sarcophago relinqueret. Unicum tamen affuisse tum Cœnobitam Presbyterum, cui se contrectandum condendúmque beatus Apostolus impunè permitteret: qui Episcoporum consilio, quibus jussus locis, occultè magnáque religionis significatione Apostoli pignus tripartito reposuit. Atque de hoc Presbytero posteri narrarunt, qui ab æqualibus ejus acceperunt, ex hoc Apostolici pignoris attactu eam divinitus impetrasse gratiam, ut quoties de Apostoli laudibus, eo præsente sermo misceretur, digiti utriusque manus quos medios appellant, oleo stillarent. Memorant, & Henricum Imperatorem non prorsus caruisse votis; sed quemadmodum ei in S. Matthiæ reliquiis factum sit satis, Deo quàm aliis, exploratius fuisse. Nec deinceps Apostoli beata ossa terræ fuisse mandata, sed intra Basilicæ septa certo loco deposita. Hactenus libri veteres.

Presbyteri digiti qui S. Matthiam contigit, oleo stillant.

CXVIII. Sed quando cùm horum fide parum congruunt, qui B. Hieronymi memoriâ, quàm annorum curriculo non brevi. D. Agricius antevertit, S. Matthiam qui esse adhuc in Æthiopia pugnant, principio omnium hoc monendi sunt, virorum illustrium illum elenchum, quem pro clypeo objiciunt, haud paucis locis Sophronio atque Græcorum scriptoribus aspersis, interpolatum; nec haberi sanè posse genuinum. Sed Apostoli quoque Matthiæ nusquam loci meminisse D. Hieronymum, ut, & meliorum codicum vulgata lectio, & vetustissimæ notæ, quos Treviris aliquot inspeximus, perspicuè docebant. Præterea, ut aut Sophronii, aut cujusque alterius valeat autoritas, illud tamen ex synopsi testimonium his æquale licet opponas; vitâ functum S. Matthiam Sebastopoli; ibique, juxta solis fanum sepulturâ conditum; quæ profectò civitas non inter Æthiopiæ, quæ quidem notæ fuerint urbes, sed Ponto Cappadociæ à Ptolomæo, annumeratur. Auctori verò Synopseos, sive is Dorotheus ille Tyrius Presbyter, quem sub Diocletiano floruisse agnovit Eusebius, sive potiùs quispiam recentior Abbas Romanus extitit; quamvis non pauca tradat ab historica veritate aliena; Menologium tamen Græcorum, cùm virtutis atque ingenii laudem concedit; fidem aliquam eâdem operâ conciliat.

S. Matthias an in Æthiopis quieverit.
In lib. de viris illustribus S. Sophron. Hierosol. obiit sub Heraclio 636. diversus à Sophronio coætaneo S. Hieronymi. Observat idem Marianus Victorius ad Hieron. S. Matthiæ B. Hieron. in vir. illust. non meminit.

Eccles. hist. l. 7. c. 26. Ad 5. Iunii edit. Ingolst. De Dorotheo confusa in Ind. expurg. ex Baro. &c.

Verùm enimverò, indicibus sanè variis inspectis, vix ex iis quicquam explorati erui posse statuimus, nisi ex eventu res & possessorio titulo, lucem accipiat & interpretationem.

Apostolorum sepulturæ variè assignantur, ob translationum varietatem.

CXIX. In venerandis Basilicæ Fuldanæ reliquiis, qui asservantur S. Bonifacii Martyris & Archiepiscopi viatorii libri, Apostolorum catalogos exhibent, quos hic in medium allatos, haud pigeat inspicere. Prior extat in novi Testamenti Harmonia, Codice, quo Martyr ipse, dum vixit, usus est, hoc titulo:

In libris S. Bonifacii, de Apostolorum sepulchris.

QVIBVS LOCIS SINGVLI APOSTOLI IACEANT, id est:

Petrus & Paulus, Romæ.

Joannes Evangelista, Epheso.

Andreas, Patras.

Philippus, in Asia, civitate Hierapoli.

Matthæus, in Pontum.

Iacobus, Hierosolyma.

Bartholomævs, in Phrygia, civitate Dolici.

Thomas, in India, civitate Iothabis.

Iacobus Alphei, in civitate Ioppe.

Simon Zelotes, in Cappadocia, civitate Cæsarea.

Iudas Iacobi, in provincia Phenice, civitate * Byreto. [* Berytho.]

Marcus Evangelista, Alexandria.

Lucas Evangelista, Antiochia.

Timotheus, Epheso.

Philippus unus de septem, Cæsarea Palæstinæ.

Stephanus Protomartyr, Hierosolyma.

Ioannes Baptista in Samaria, civitate Sebaste.

Caput Ioannis Baptistæ in provincia Phenicæ, civitate Emetza.

Barnabas & Silas Cypro, civitate Constantia.

Vides hîc omissum tumuli S. Matthiæ locum, quia is fortè S. Bonifacii ætate ignoratus. Nam glossema ad oram marginis hoc adscriptum codici. Hîc habetur, ubi tempore S. Bonifacii fuerint corpora Apostolorum. Alter Catalogus reperitur in libro, qui gladiorum ictibus malè acceptus, tempore martyrii; cum hac inscriptione:

CXX

NOTITIA REGIONUM & Civitatum, quibus sanctorum Apostolorum & Evangelistarum venerabilia corpora requiescunt.

B. Ioannes Baptista, requiescit in civitate nomine Sebasta.

B. Petrus Apostolus, requiescit Romæ in provincia Tuscia.

B. Paulus Apostolus, requiescit Romæ in provincia Campania.

B. Andreas Apostolus, requiescit Patras in civitate, in provincia Acaia.

B. Iacobus Apostolus, requiescit in Erosolyma, in provincia Syria.

B. Ioannes Apostolus, requiescit Efesii, in provincia Asia.

B. Bartholomæus Apostolus, requiescit Lycaonia, provincia Armenia.

B. Thomas Apostolus, requiescit Æmina, in India Saracinorum.

B. Philippus Apostolus, requiescit Hierapoli, in provincia Phrygum.

B. Matthæus Apostolus, requiescit in Erminea, in terris Amonitarum.

B. Simon Cananæus Apostolus requiescit Hierinto, in terris Quadi.

B. Matthias Apostolus, requiescit Hierosolyma, in provincia Syria.

B. Iacobus alter, requiescit Hierosolyma; in provincia Syria.

B. Stephanus Martyr, requiescit Hierosolyma in provincia Syria.

B. Marcus Evangelista, requiescit Alexandria, in provincia Ægypti.

B. Lucas Evangelista, requiescit Boethia, in provincia Mesopotamia.

In hac notitia utique vetustiore, Matthiam Apostolum agnoscis tumulatum in Palæstina. Sed tamen neque Palæstinam, aut si mavis Æthiopiam, vel Cappadociam Apostoli semper tenuisse corpus, sic intelligitur. Quæ sanctæ Mariæ Majoris nomine, superest Romæ Basilica, hæc ipsa titulum ad hanc usque diem in abside præfert, servati istic olim Apostolici pignoris, adeoque testes hujus rei nonnullæ dum superstites, quæ istic exhibentur, Apostoli reliquiæ.

Baron. ad Martyr. Ro.

CXXI Neque abs re fuerit, sancti Antonini hîc interponere judicium, etsi paulò secus, quàm si arbiter caperetur ab hac ætate. ait itaque in quadam legenda, quæ Treviris habetur, sic de eo legi: *Matthias in lege Domini erat doctissimus, corpore mundus, animo prudens, in solvendis sacræ scripturæ quæstionibus acutus, in consilio providus, in sermocinatione expeditus. Qui, cùm per Iudæam prædicaret, multos signis & prodigiis convertebat. Unde Iudæi invidentes ipsum in concilio statuerunt. Duo igitur, qui eum de blasphemia accusaverant, in eum primi lapides miserunt, injustè condemnatum. Qui, cùm lapidaretur, à quodam securi in capite percutitur. Ipse extensis in cælum manibus, spiritum DEO reddidit; cujus corpus de Iudæa translatum Romam; exinde Treviros, secundùm illam legendam, deportatum est; sed secundùm alios, Romæ dicitur communiter requiescere in Ecclesia S. Mariæ Majoris sub lapide porphyretico; cujus caput populo monstratur.* Hæc Beatus Antoninus.

1. par. Chro. Tit. 6. c. 15.

S. Matth. vita.

Passio. Translati

CXXII Contigisse sancti Matthiæ Evangelium prædicationis in Judæa, testatur etiam Isidorus. Lapidum ictibus, & gladio periisse, translatumque in Treviros, cum antiquis Ecclesiæ sancti Eucharii monumentis, consentit Perionius. Extiteritne hujus Apostoli vita ab Abdia, exploratum non habemus; scimus tamen, ut spuriam rejectam; nisi fortè damnent eam, quæ olim apud Treviros ex Hebræo in Latinam conversa, quæ quidem etiam publicè non extat. Ea quippe vita, quæ cæterorum Apostolorum actis adjicitur ad calcem libelli Abdiæ inscripti, à recentiore quopiam Treviris edita, facilè intelligitur; cùm vitam ex Hebræo volumine excerptam se latiùs expositurum, idque non sine indagationis erutæque veritatis ope, profiteatur. Verùm in acta Apostoli accuratiùs inquirere, operæ non est præsentis; reliquiarum namque ipsius vindicatio jam nos tenet. Baronius certè in suis ad Martyrologium notis, laudat antiquam inscriptionem, quæ in Ecclesia sanctæ Mariæ Majoris Romæ opere musivo cernitur elaborata:

Lib. de vita & morte Sanctorum.

Cf. Bar. ad 24. Feb. notis in martyrol.

Ad 25. Iulii

CXXIII IN HAC SACRA BASILICA CORPORA SANCTORUM MATTHIÆ APOSTOLI, HIERONYMI DOCTORIS, ROMULÆ ET REDEMPTÆ VIRGINUM RECONDUNTUR.

S. Matth. titulus sepulchralis Romæ.

Porrò Onuphrius Panuinus, Attilius Serranus, & alii, qui de septem urbis Romæ Basilicis scripsère, distinctiùs quoque reliquias hasce proponunt; traduntque originem templi circa salutis annum trecentesimum quinquagesimum tertium, Liberio Pontifice, miraculo nivis contigisse, quæ medio æstatis cœlo delapsa, examussim aream Ecclesiæ extruendæ dicandæque monstrabat. Corpus Apostoli, aiunt, quiescere sub altari majore; at ca-

S. Mariæ Majoris Basilica Romæ quan. exstructa

at caput seorsim censeri inter reliquias, quæ marmoreo in ferculo ibidem conservantur, & die Paschæ populo exhiberi solent. Ex quibus id satis jam manifestum relinquitur, Apostoli sacrum corpus ex provinciis Eois in Occidentem denique translatum, & quod Treviri inficias non eunt, in urbium urbe primitùs depositum. At eo in loco sic immotum hæsisse, non ut in Galliam aliquando ejus ossa penetrârint, majorum fidelis reclamat traditio; cùm & inventio apud Treviros subinde increbuerit, & luculentis affirmata sit miraculis, notata locis temporibusque; contra, terrarum alibi non perinde hæc cernas, in lucem collocari.[a] Alioquin fieri potuisse credas, ut res in oculis hominum proposita, regione templi celeberrimi, & cultu nobilissimæ civitatis, intentum, ac defixum in hac cogitatione Præsulem fugeret? Ut pueriliter factum ab eo taceam, qui illa ipsa quæ manibus tenebat Romæ, hæc tam solerte domi curâ indagandâ, & omnibus duceret vestigiis persequendâ. Enimverò sit ita, fugerit eum res tanti, & conquisitionis hic ardor Romæ refrixerit; quid igitur? tantámne industriam studiumque posterorum excitare potuit Eberhardus, ut illa quærendi sitis, ne toto quidem annorum propè sexaginta circuitu sedata sit? donec optatus in populi conspectum, è tenebris tandem iis emergeret thesaurus?

S. Matthiâ in Treviros translatum topicis argumentis ostenditur.

CXXIV.

Sed undecunque demum huc beatus Apostolus importatus sit, vocari in dubium, aut possessionem tam caram ullius petitione solicitari, non patiuntur Treviri. nam Apostoli si quæris ubi cubent ossa præcipua; ubi fulgeat venerabilis ejus vertex, adducent in rem te præsentem, & augustis hisce cineribus sacrosanctos esse sibi dicent penates, & excelsis hisce præsidiis, muros urbis suæ stare tutos. Quod si in judicium rem deducas, & eos pressseris arctiùs, scripturas etiam ac tabulas obsignatas afferent, queis Helenæ Augustæ, & Silvestri Pontificis favore, nutu, Agricii auspiciis, advecta hæc ossa doceant. Ostendent in veteris oratorii augusta sede titulo suo conspicuum fuisse Apostolici pignoris monumentum. Urgebunt etiam, cur inducto primi Patroni nomine, nam Eucharium olim tectum id septumque sacrum tenuisse quis nescit? posteri totam patrocinii locique gloriam Apostolo Matthiæ cedere ac deberi voluerint? Unde tantæ populorum coitiones, peregrinorum concursus, incolarum vota, suppliciaque & Apostolici patrocinii prodigia excitari potuerint, exquirent. Denique utrorumque caussâ probè cognitâ & disceptatâ, efficient fortè non obscurè, ut utrique parti æquiùs meliùs, cavente priscorum fide, Treviri juxta ac Romani pignoris utrinque participati gloriam titulúmque sibi meritò vindicent, possideantque: non sine Prætoria tamen exceptione. NI TREVIRI IN POSSESSIONE SINT, AUGUSTI, ET APOSTOLICI PIGNORIS, FUERINTQUE AB MULTIS SÆCULORUM ÆTATIBUS, ATQUE ADEO NI NUNC ADHUC POSSIDEANT. nec caussa suppetat, cur non, UTI POSSIDENT, fieri, vis vetetur.

Caput S. Matthiæ Treveris asservatur.

Vindiciæ pro S. Matthiæ possessione.

L. 1. ff. utrubi. §. retinendæ jusf. de interdict.

Sanè Joannes Enenius vicini nobis sæculi Trevirensis Proëpiscopus, vetus Usuardi sibi lectum Martyrologium attestatur, in quo ad KALEN. SEPTEMBRIS disertè memoria celebrata sancti Matthiæ Apostoli, in Treviros Româ translati; cujus lectionis hodiéque vestigia manent in editione Molani.

In lib. de reliquiis Tr. Ecclesiæ Martyrolog. Usuardi S. Matthiæ transl. in Trev. attestatur.

Sed ut ad intermissa me referam, Godefridus Lotharingus, degens in Italia, Beatricem potentissimi quondam Italiæ Marchionis Bonifacii viduam sibi matrimonio copulavit; iisque nuptiis ingentes, atque adeò ob magnitudinem suspectas Imperatori opes quæsivit. Nam Bonifacius Tetaldi filius Canussii Comes, Parmæ, Mantuæ, & Ferrariæ Marchio, & Dux Tusciæ, tantas in Italia opes possedit, ut omnium Italicorum Principum habitus suo tempore fuerit longè primus, & filiâ Mathilde Heroinâ postea evaserit multò clarior.

Godefridus Lotharingiæ in Italia ducit Beatricem.

Lambert. Sigeb. Leo Ost. l. 2. c. 89. Tritt. Catal. Eccl. scriptor. Sigon. de regno Italiæ ad an. 1007.

Bonifacius Italiæ Princeps Pater Mathildis Heroinæ.

Fridericus autem frater Godefridi, Legatus à Leone Pontifice Maximo Constantinopolim missus, quæ per multorum capitum hæreses foedè discerpta, à Romanâ Ecclesiâ nimis quàm obstinatè dissidebat, egregiâ animi celsitudine eam legationem obiit. Aderant ei istius sæculi decora Petrus Amalphitanus Archiepiscopus, & Humbertus ex Tullensi monacho Cardinalis, Episcopus Silvæ Candidæ, ambo divinarum literarum studiis, & artibus disserendi ad unguem expoliti: hic Græci quoque sermonis peritiâ ad immortalitatem clarus. In certamine de Ecclesiæ Primatu, azymis, suffocato, aliarumque rerum controversiis, cùm contra starent Michaël Cærularius Patriarcha, Leo Acridanus Bulgarorum Episcopus, à Niceta Pectorato Monacho victoriæ initium factum; qui Latinam Ecclesiam, fidémque, quam oppugnarat, amplexus, Constantini Monomachi, Imperatoris jussu, scripta sua flammis ipse abolevit. Cæteri inde, pugnâ declinatâ, cùm Legatorum fugerent aspectum, intra ipsa templi sanctæ Sophiæ penetralia, præsente clero populoque, eâ spiritus libertate damnati sunt, ut execrationis carmine super altari relicto, Legati mox egressi, etiam pulverem pedum, Apostolico ritu, excuterent, & compositis ibidem Latinorum Ecclesiis, cum honore ac munerum gratiâ, Monomacho applaudente, in Italiam redirent.

CXXV. ANNUS CHR. 1054. Friderici Lotharingi legatio in Græciam.

Tom. 6. antiqu. lect. in Humberto.

Leonis IX. Epistola.

Leonis IX. Legatorum Constantinopoli cum Michaele Cærulario & cæteris schismaticis congressio.

Porrò, ubi Romam venêre Legati, Leo Pontifex morbi magnitudine superatus, quam vitæ sanctimoniâ & miraculis sibi nominis celebritatem pepererat, eandem quoque moriens Coelo intulit; ejúsque non publicè tantùm in Ecclesia, sed apud Tullenses item divinis in officiis, ad XIX. Aprilis memoria perennat. De Frederico autem narrat Leo Ostiensis, Henrici Cæsaris perstrictum invidiâ, Cassinum adiisse; atque ibi, in præsentia Legatorum Cæsaris, pretiosissimâ, quâ tunc utebatur, veste positâ, religionis habitum sumpsisse, & fratrum coetui mox associatum, renuntiari id Imperatori jussisse, quò nosset, qui mundum universum sprevisset, eum esse jam omni facilè invidiâ superiorem. Atque hæc provincialia ornamenta in hominibus, eodem propè solo & Ecclesiæ gremio

CXXVI. Leonis Pontificis mors & sanctitas.

Lib. 2. c. 90. Lambert. in Chron.

Lambert. Schafnaburg. Contractus.

Henricus junior Rex Aquis inungitur

mio natis & eductis reticeri fas non erat.

Imperator inde, proceribus atque Episcopis Germaniæ Aquas venire jussis, filium Henricum puerum per Hermannum Coloniensem Archiepiscopum, Lupoldo Moguntino, ut de jure suo tantisper decederet, vix exorato, Regem Germaniæ inungi, consecrarique voluit.

Gerardus Eistatensis Episc. fit Rom Pôt. VICTOR II. Pont. an. 3. ANNUS Chr. 1055

Secundùm hæc gesta, Romani ab Imperatore cùm novum Pontificem flagitassent, in locum defuncti Leonis, Henricus comitiis Moguntiæ habitis, Gerardum Eistatensium Episcopum, rarâ atque excellenti prudentiâ virum edidit; cui Victoris inde secundi nomen impositum; annoque sequenti, sedere primùm cœpit; qui annus item expeditione Henrici in Italiam adornatâ, memorabilis.

CXXVII. ANNUS Chr. 1056 Victor Pôtifex & Henricus Imp. Goslariæ côveniunt

Nec magno tempore medio, Victorem Pontificem maximum è Galliis, ubi conventum Tolosanum egerat, in Saxoniam adventantem, Henricus insigni ac regio planè occursu excepit; atque deinde Goslariam coëuntibus eâ frequentiâ, quam vix quisquam meminerat, universis pænè regni Principibus, & regiis ibidem ostentatis ad magnificentiæ famam & luxum opibus, cum Victore, Deiparæ Natali sacram diem, posuit.

Marian. Contract. Lamb.

Henricus Imp. moritur

HENRICUS JUNIOR IV IMPERAT. a. 9. m. 10. *aliis VII.

Verùm publicam ejus diei lætitiam, non ita multò post, luctus ex morte Henrici Imperatoris secutus, hominum memoriæ exemit. Decessit verò Henricus, præsente Pontifice; Nonis Octobris, filium Henricum, annos modo * quinque natum successorem relinquens.

ANNUS Chr. 1057. Synodus Colon. sub Victore Papa II. *Annal. Han. L. Mœurs.*

Anno postero, quo Victor Pontifex Coloniæ Synodum celebrasse, & in gratiam Godefridum Arduennatem & Balduinum pium Flandriæ Comitem apud Henricum Cæsarem, restituisse dicitur, Eberhardus Trevirorum Archiepiscopus, decessorum suorum vestigia secutus, veteres atque amplissimos Ecclesiæ suæ honores, novis impetratis, à Victore, diplomatis, instaurare perrexit. Extant eodem cum superioribus exemplo VII. Kalend. Maii data, per manus Aribonis Diaconi, vicè Annonis sanctæ Romanæ & Apostolicæ sedis Archicancellarii, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopi: anno tertio domini Victoris secundi Papæ, Indictione decimâ.

CXXVIII.

Porrò Anno is, ex Præposito Goslariensi, Hermanno nuper in Pontificatu suffectus, magnitudine rerum gestarum, & sapientiâ suâ omnem longè latèque Germaniam, ac Italiam postea complevit.

Gulizanus vicus.

Tangit hîc me beneficiorum sancti Servatii grata memoria; quibus Gulizanum Mosellæ vicum Patronus optimus sæpè cumulavit: sed, qui sui cupidis clientibus plerunque propitius, hunc jam ultorem injuriarum, & vindicem extollimus sacrilegæ cupiditatis.

Andernacensis conventus.

Godefridus Dux Lotha.

Convenerant tunc Andernaci apud Rhenum dynastæ, quotquot iis ferè locis potentiâ & opibus præcellebant; Anno & Eberhardus Archiepiscopi, Godefridus Dux Lotharingiæ, Henricus Comes Palatinus. Hi, quò immaturam & imbecillam fastigio Henrici Regis ætatem, institutis præceptisque suis allevarent, consilia sociabant & autoritatem.

Gulizani coloni S. Servatii.

Palatinus Henricus Ecclesiæ Trajectẽs Ministeri fis.

Habebat Guliza tunc colonos propriis legibus ac libertate munitos; qui in familia sancti Servatii censebantur. His Palatinus Henricus, qui Ecclesiæ Trajectensis Ministerialis, eaque causa non spernenda vectigalia capiebat, Advocatum dabat; nobili plerunque & equestri genere; Militem vocabant. Sed pro licentia eorum temporum, quæ tutelæ credita, sæpiùs rapinæ destinabantur. Quamobrem Gulizani, cum ferocis & insolentis animi advocato miserè conflictantes, rerum suarum quotidie damnum faciebant: ut præsentis injuriæ conciti dolore, propinquum Andernacum petere, & cum Rege queri de Palatino & ejus Advocato, non dubitarent. Verùm Advocatus minaciter interpellans, si se delatum irent, tristiora mox experturos, denunciabat. Eunt questum tamen coloni: & euntium vestigia premit Advocatus; at habitu longè dissimili. Nam hunc irâ fastûque juxta tumentem, vehebat eximio ornatu superbus equus. Is instratus ostro, pictisque vestibus, fronte & pectore monilia jactans, prorsus ingressu, motûque, se domini moribus attemperabat. Erant in comitatu Principum, ut solet, deliciarum causâ, belluæ; & in iis alligata, quâ prætervehebatur Advocatus, immanis ursa. Hæc ad equi conspectum, seu instinctâ rabie, seu actâ à Deo, ruptis loris se impetu in Advocatum tulit, prostratúmque atroci laniatu visceribus haustis, repentè confecit. Inde mox, ne gustatâ quidem prædâ, mitior accurrit ad manus sui magistri, ceu ultionis tantum ministerio defunctâ, adeò non famis cupidine extimulatâ. Facti magnitudo simul ex propinquo innotuit Principibus, stuporem scilicet cunctis attulit; nec dubium ulli fuit, sancti Servatii injurias, Deo fuisse cordi.

Advocati Ecclesiæ bona violent interitus.

Ursæ sævitia.

CXXIX. Alterius Advocati mors.

Nec disparem exitum ejus, qui huic successit, fuisse perhibent; quem, cùm neque divini vel humani juris reverentia, neque flagrantis pœnæ documentum, à fraude nequitiáque subduceret, equus ultra morem ferociens, hominem retro effudit, elisoque corpore, spiritum extorsit. Hæc scriptor gravis, in actis sancti Servatii posthumis.

MS. Colleg. Soc. Jes. Confl.

CXXX. *Leodiensis l. 2. Contract. & Lambert.*

Fridericus Gothelonis Mosellaniæ Ducis F. fit Pont Rom dictus Stephanus IX.

STEPHANUS IX. Pont. an. 1

ANNUS Chr 1058

BENEDICTUS X. Pont.

Victor Pontifex, cùm sub idem quoque tempus vitâ exisset, dispicientibus, quem ei idoneum virum sublegerent Romanis; nullus ad cœleste munus id gerendum aptior occurrit Friderico Gothelonis Mosellaniæ Ducis filio, qui antea monasterii Cassinensis Abbas, & ex abbate Presbyter, dein Cardinalis evaserat: hunc seriò licet obnitentem, tanto omnes consensu, quanto vix quenquam alium ante, abstractum de monasterio ad Apostolicæ dignitatis fastigium evexêre, Stephani illi nomine dato. Pontificatu inito, labentes Ecclesiæ mores exemplo Leonis emendare aggressum, morbus intercepit, & Florentiæ gravius hoc incumbente, quarto Kalend. Aprilis, sequentis anni conspicuâ sanctitate, rebus humanis excessit. Subrogatus ei vitio pretioque Joannes Veliternus, quem Benedictum decimum nuncuparunt; quod, ubi Hildebrandus, qui legatione in Germania pro Stephano tum fungebatur, reversus didicit, ipso annitente Godefrido

Lotharin-

Godefridus Lotharingiæ & Tusciæ Dux occurrit schismati. *Leo Ost. li. 3. c. 11. Lamb.*

Lotharingiæ, tum quoque Tusciæ Duce, eum abdicare coëgit; atque, de consensu Henrici Regis, justioribus comitiis, Gerardum Burgundionem, Florentinum Episcopum mense Januario substituit; is Nicolai secundi nomen tulit.

CXXXXI. NICOLAUS II. Pont. 2 a. m. 6. Lintburgicæ Ecclesiæ dedicatio.

In Lintburgensis Basilicæ trans Rhenum monumentis edi hoc anno illustrem observo, non principis quidem ædis, ut autumo, sed partis & oratorii cujuspiam dedicationem:

Anno Dominicæ Incarnationis MLVIII. Indictione XI. III. Idus Augusti dedicatum est hoc Oratorium in honore D. N. IESV Christi, & S. Mariæ semper Virginis, & victoriosissimæ S. Crucis, & B. Georgii Martyris &c.

CXXXII. ANNUS Chr. 1059. Hericus IV. rex Lintburgensem Ecclesiam ditat.

Hanc verò temporis notam ad Basilicæ totius corpus haud pertinere, tum ejus origo longiùs hinc remota, tum templi faberrimè structi splendor, tum denique discrepans anniversaria Dedicationis memoria, quam occupat jam Dominica sequens Kalendas Maii, perspicuè doceant. Cæterùm anno sequenti Henricus Rex adhuc integer animi, raræ munificentiæ documento, hanc inclytam sancti Georgii patrocinio sedem fundis, qui centum octoginta jugerum ambitu arari possent, prolixe cumulavit: id quod profitetur insigni diplomate. [Quo notum esse cupit, qualiter ob interventum dilectissimæ genitricis Agnetis Imperatricis Augustæ, nec non ob remedium animæ patris sui, felicis memoriæ Henrici Imperatoris Augusti; simulque ob petitionem Capellani sui Embrichonis sex mansos; tres scilicet in villa Brechelbach, duos Seckaha, & unum Westerna, in pago autem Logenahe, & in comitatu Embrichonis Comitis sitos, ad altare sancti Georgii martyris in loco Lyntburch dicto, cum omnibus pertinentiis suis, &c. ac cum utilitate, quæ ullo modo inde provenire potest; in usum fratrum ibidem Deo servientium, in proprium dederit. Clausula donationis ceu regalis Traditionis, continet signum Domini Henrici quarti Regis.



Gebhardus Cancellarius vice Luitpoldi Archicapellani recognovit. Data sexto Kalend. Junii, anno MLIX. Indictione duodecimâ. Anno autem ordinationis Domini Heinrici quarti Regis, & tertii Imper. * quinto. Goslariæ in Dei nomine feliciter, Amen.]

* al. IIII.

CXXXIII. Agnetis Imperatricis donatio. * Herschberg. * Hildenhain. Anno 1062.

Sed & ipsa Agnes Augusta ex dote sua, duos his adjecit mansos, unum in * Haderesbach, haud procul Molesberga, alterum in * Hildenhagen citra Westerburgum, sub Comite Nassouvio; quam donationem abhinc triennio filius Henricus Goslariæ degens collaudavit, recognoscente chartam Friderico Cancellario, vice Sigefridi Archicancellarii Kalend. Martii. Indictione XV. Ordinationis Henrici Regis octavo, regni verò sexto. Qui verò Loganæ tractum penitiùs exploratum habent, ex hoc prædiorum situ, Comitatum Embrichonis æstimant, quantum scilicet ex aspero & macilento solo, & nobilis germinis, & colonorum haud inertium eduxerit, cùm mansiones illæ seu mansi cum finitimis agris, totam eam efficiant plagam, quæ Septentrionalis inter Molesbergam, & Weilburgum, complectitur partem superiorem Comitatus Deitziani; & Westerburgi, Ellariensem, Belsteinianam, ac Weilburgensem dynastias perstringit, ubi Ecclesiarum antiquissimæ duæ Matrices agnoscuntur, Clesebergia prope Frichhovium, in editi montis jugo, ruinis jam prope suis sepulta, & S. Georgii Bergensis, cui familia S. Georgii & Brechenensis ager olim subjacuit. Lintburgenses Canonici horum beneficiorum memoriam in fastis quoque suis conservare studuerunt. VI. Idus Augusti ⊕ Henricus Imperator, à quo & ejus conjuge ac filio ejusdem Henrico Rege habemus octo mansos & curiam * Dominicalem in Brechelbach, &c.

Comitatus Embrichonis tractu Loganæ & Westerwaldiæ. *Chron. Lintburg. MS Ioannis Mechtelii.*

Clesebergi. Ecclesiæ montis Bergen Ecclesia matrix S. Georgii.

* Fronhoff. Brechelbach.

CXXXIV. Conradus Comes Lutzelenburgensis violat Eberhardum Archiepiscopum.

Per id tempus factione Comitum Lutzelenburgensium, pax diœcesis atque diuturnum otium Treviris turbatum; quippe, qui opibus jam atque potentiâ validi, res suas augendi stabiliendique, ut fit, occasionem undique captabant, ii nihil materiæ sive ad cupiditatem, sive ad audaciam, & bellicam laudem ignaviâ clanguescere sinebant. Eberardus Antistes fortè irritatis utrinque animis, neque enim certas inimicitiarum caussas veterum quisquam prodidit, diœcesin suam lustrans, fuit, cùm in Conradum Comitem militariter ferocientem, ipse nihil hostile meditans, incideret. Is impetu in Episcopum inermem facto, multa impiè in Eberhardum, multa indignè in ipsos viæ comites perpetrat: eò progressus audaciæ, ut violentas adhibuisse manus Christo Domini non contentus, veste Pontificali dispoliatum, abruptóque sacro, quod collum ambiebat, pallio, furenter invaderet; ac denique sanctum Chrisma, quod ad Ecclesiasticos usus Antistes circumferebat, barbarâ impietate in terram effusum scelerate profanaret. Quibus ita pro libidine gestis, Eberardum comprehensum in carceres Lutzelenburgum sub custodia duci per suos imperat. Hujus injuriæ fama in Treviros perlata, vehementiùs procerum ac civium animos, ac cleri inprimis consternavit; clausis igitur ceu publico mœrore & justitio templis, ac intermissis aliquamdiu sacris consilium ineunt cleri, populique primores vindicandi Principis, & in libertatem restituendi: quo mox explicato, nuntium mittunt Romam ad Pontificem questum injurias.

MS. Gest. Trevir.

Eberhardus Archiepiscopus captivus abducitur.

Pontifex

CXXXV
Pontifex Comitem abdicat sacrorū communione.

Pontifex re compertâ, pro eo ac debuit, indignatione accensus, Conradum, cæterosque reos abstentos pronuntiavit, neque ad communionem piorum, nisi ab uno Eberhardo, cui injuria ea esset irrogata, reduci posse voluit. Misso itaque ad Eberhardum novo pallio, ac cura expiandi Comitis ei delegata, propensæ erga Trevirorum Ecclesiam ejusdemque Pastorem, curæ ac solicitudinis argumentum dedit. Pontificiis inde mandatis Lutzelenburgum perlatis, Eberardus custodiâ missus, obsidibusque datis, non ita multo post Comes ad injunctum sibi piaculum accipiendum; Treviros mœrens pœnitensque accessit. At Archiepiscopus privatum dolorem injuriæ Christianæ moderationi subjiciens, reum caput Hierosolymitanâ peregrinatione semel in vita suscipienda, tantum obstrinxit, atque ita in gratiam cum Ecclesia Conradum restituit. Is porrò violatè religionis fibras etiam omnes elidere cupiens, sub arce Lutzelenburgo monasterium sancti Petri Principis Apostolorum honori postea inchoasse scribitur: quod, cùm Benedictini cœtus novâ coloniâ frequentasset, ipse in peregrinatione moriens, Clementiæ viduæ filioque Wilhelmo eam benè merendi propensam voluntatem reliquit, quâ cum primis extrema contexentes, Folmaro tandem Abbate ex Treviris accersito, ad insignem eum locum amplitudinem perduxere; iisque omnibus ornamentis affecere, quibus deinceps Monasterium D. Virginis Lutzelenburgense, cujus hodie in extrema collis regione stant laceræ parietinæ, vehementer effloruit. Ferunt biennio post Conradum ex Palæstina translatum à familiaribus, Monasterii novi cryptâ conditum: & Clementiam eodem loco post tumulatam. Utriusque cineres anno MDXLII. belli Gallici injuriâ, hâc sede abolitâ, exportatos in S. Joannis Baptistæ xenodochium, quod inde à Benedictinis habitari cœpit.

Eberardus custodia [illegible]ittitur
Conradus accipit piaculum Treviris.
Monasteriū S. Benedicti Lutzelenburgense
MS. documenta Hist. Lutzemb. de exordio monasterii varie Bruschius in Catalogo Monast. Ger.
Conradus Comes moritur in Hierosol. peregrinatione.
Folmarus Abbas, incertum unde, vixit an. 1128 quare à Conrado non videtur accersitus
Conradus Comes sepelitur cum conjuge Lutzelburgi.

CXXXVI.
ANNUS CHR. 1060

Annus millesimus sexagesimus pestilentiâ coortâ insigni, neque minus asperâ hieme tristis; quare, qui hunc excepit, corruptis gelidâ brumâ frugibus, annonam vehementer, & famem accendit.

ANNUS CHR. 1061
Henricus Palatin. Comes insaniens, fit monachus.
Lamb. contract. vit. B. Annonis l. 1. c. 32 ap. Sur. 4. Decemb.
Gorzia.

Quo etiam tempore Henricus Palatinus in Epternacense monasterium deportatus, jam tum parum sui compos, ærumnosam ibi vitam exegit. Haud obscura apud veteres hujus viri memoria; sed vel in primis celebratur in actis beati Annonis Coloniensium Archiepiscopi. Paucos ante annos hos Gorziam illustre quondam monasterium Lotharingiæ, speciei religionis inierat; atque ibi baltheo posito, pristini honoris ac cultus insignia, vili monasticâ togâ mutarat, admirante vicinâ Germaniâ, quæ spiritus viri ac tyrannidem experta, norat. Unde consentiens scriptorum hujus ævi fuit interpretatio, aut cacodæmonis instinctu hortatúque, aut atrâ bile, mentisve vecordiâ, non ratione ac judicio, delegisse monasticen. Et verò minus aptum fuisse regno Dei, vel exitus ipse docuit, cùm subinde respiciens retro, quam ad aratrum semel miserat manum, populationibus incendiisque rursum admovit; deterior mox seipso, mulieris simul amore, odioque factus. Sed, quos etiam adamasse visus, hos primùm, adeoque omne servorum Dei nomen sic est persecutus, ut armis, flammâ, multiplicique damno eorum deinceps agros, fortunasque divexaret: Ecclesiastici ordinis tyrannum diceres. Antequàm mundo valedicturus secederet, Annoni Archiepiscopo arcem trans Rhenum, regione loci amœnissimâ, apud Sigam amnem in monte positam, tradiderat coactus, ut ea monachis cederet habitatio; unde hodieque Sigebergense monasterium nobile, cum oppido durat. At postquam melioris pœnitentia, conjugium, honos, opes, quæque despectui ante erant, denuò cuncta placuére, ipse veteres res per injurias quoque repetitum ire, & Ecclesiam maximè Coloniensem, eo nomine gravibus atterere damnis rapinisque. Quibus malis, dum irâ, juxtáque cupidine flagrans insistit, ipsum denique Annonem, intra urbis Agrippinensis mœnia clausum, obsidere parat, armatis circum dispositis cohortibus, quæ cuncta depopularentur. Ergò beatus Antistes, cœlesti armaturâ tectus, longè diverso certaminis genere, vim Palatini propulsare. Siquidem anxius animi, accinctus cilicio, fususque in preces, tantum publicæ caussæ misericordiâ apud suos evaluit, ut concursu civium armisque, Palatinus Mosellam versus, in Cochimam arcem, nunc Treverici juris, se trepidus fugâ metuque conjiceret.

Lamb. c. 4.
Fit ex apostata tyrannus cleri.
Sigeberg[illegible] & monast[illegible]
Tradition[illegible] modu[illegible]
c. 19. attingitur vita S. Annonis.
Henricus Palatinus Coloniam urbem & Annonem obsidet.
Cochima vel Cochema, olim imperialis

CXXXVI

Medio tempore, validis utrimque copiis magno adparatu contractis, cùm Anno, decernátne prœlio cum hoste feroci pendet animi, mirificum inter precandum accepit responsum perituri mox Palatini. nam simul ad illud tricesimi quarti Psalmi perventum: *Veniat illi laqueus*, Pontifex ceu spiritum jam pectoris angustiâ haud ultra teneret, partem eam magnâ voce identidem ingeminat. Mirum dictu, paucos post dies eductæ copiæ; paratæ jam ad pugnam quasi stabant acies, cùm Palatinus juxta alibi residens, præceps amentiâ subitò immissâ, conjugem* Adelheidam, cujus amore cœnobium deseruerat, arripit, simulque bipennem ejus cervicibus illidens, caput avellit ab humeris. Mox inde cursu foras præsiliens, ceu præclarè re gestâ, cum plausu, & cachinno, ritu gratantium, præclarum scilicet ab se factum memorat facinus. Sed ad tam atrocia dicta, visaque sanè exhorruit præsens multitudo, & veluti ad privati doloris sensum obstupefactus miles, positis armis, ad sua quisque dilapsi sunt. Ipse verò Palatinus furiosus & amens, onustus vinculis, captusque in Treviros tandem, ut dixeram, perducitur, ubi Epternacensis monasterii claustro septus, domesticâ vixit calamitate, atque ærumnâ contentus, cùm in aliena grassandi insano, nec copia, nec voluntas superesset.

*Mathildem scribit.
Amentia correptus necat uxorem.
MS. S. Servatii vita
dicitur ea in thalamo securi excerebrasse.
Epternaci miserè vivit & moritur.

CXXXVII
Palatini Lotharii qui?

Porrò consilii & rationis esse censeo, immò interesse publicæ rei, haud sileri, Henricum hunc Palatinum Comitem, bis à Lamberto nomine affici Lothariorum: an, quia stirpis Lotharingicæ, quod præfractè nemo inficietur? an quia respectu veteris regni Lotharienfis, ea ad ipsum dignitas manarit? quod præferas, non in magno ponimus discrimine. Facilem quippè dijudicationem habet, priscè

Palatinorum varietas.

Palatinorũ varietas.

cuique regno suos fuisse Palatinos: hosque quovis in regno plures, cognomento, titulis, limite, ad internoscendum distinctos. id quod vel hujus sæculi perpetuus firmat usus, in quo fidi scriptores celebrant Saxonicos variè, Boicos, Wittelsbachios, Lutharios, & id genus alios, dissimili claritudine.

Originis priscorum Palatinorũ obscuritas. *Orig. Palat. c. 3. fol. 18. & 21. item c. 11. fol. 81.*

Unde qui in Palatinæ gentis laudem gloriamque originis, extra modum proni, quique collatis veterum Palatinorum opibus, sedibusque, Termino parum propitio, quò libitum, per Rheni Mosellæque fluxus, & interamnenses agros eorum imperia proferunt, ingenuè fatentur, Palatinorum, quicquid ante coalitam cum Rheni Palatinatu Bavariæ stirpem floruit, hujus progeniem & imagines parum liquidò compertas, aut prorsus incognitas. Neque enim Palatinam prærogativam in una ulla familia ceu hæreditariam stetisse, sed Cæsarum beneficio inclinatam, iisse quàcunque fuisset Principi visum.

Palatinorum veterum conditio, eorumque possessiones arbitrio Cæsaris transmotæ. *Hub. Tom. de Pal. orig. f. 14. in eo argumento, Mirum quàm ineptit.*

Qua ex re, ut fit perspicuum, qui Præfecturam Palatii, seu Prætorii Comitivam gesserunt, hos, ubiubi summi Principis clientelâ devinctos, multa passim usuaria prædia, arces, castella jure beneficiario possedisse; ita illud nimis præceps, & perquàm inane, ipsoque Annalium contextu obruendum, in tanta possessionum locorúmque vicissitudine, & Regum, post exortos Septemviros, obnoxia plurimum, sæpè prodigâ ambitione, uni nunc cognomini, stirpi largiter admetiri, quod aliis sæculis, hominibusque probè divisum, scriptum, possessum est.

Palatinorum Lothariorum sedes.

Palatinos autem hosce Lotharios, Ripanorum in finibus, & diductius ad Mosellæ Rhenique limitem, sparsim tamen & descripto agrorum modo, inter Agrippinenses Treviròsque consedisse, sat sciens sum,

Sigebergensis monasterii fundatio. *Lambert. in chron. Vita S. Annonis c. 19. contra Palat. orig. c. 3. fol. 18. & c. 12. f. 83.*

Sigebergi montem præsidio tenuisse, nullo pacto, quod jactatur, Monasterium ibi fundasse, quæ semper laus uni Annoni debebitur. Cochimam item arcem apud Mosellam, sed pro Cæsare ac temporario jure, ut & alia quædam loca moderatos, nec ambigere, nec dissimulare delectet. Sed his, jam vadis, non citra judicium, exploratis, cursus sequatur liberior.

CXXXIX.

ALEXANDER II. Pont. 2. 11. m. 6. d. 21

ANNUS Chr. 1062.

Germaniæ motus ob Henrici pueritiam exorti. *Lamber. Sigebert. Contracti appendix Ott. l. 6. c. 34.*

Nicolaus Pontifex morte absumptus, successorem Alexandrum acceperat, cùm sequenti anno, Principibus Germaniæ tacitâ quadam simultate infectis, grave visum, ab Agnetis Augustæ, ceu feminæ nutu unius, regni pendere gubernacula. Quamobrem nec defuêre, qui parùm viriliter dicerent, consultorum fraude publica negotia geri, simulque huc propellerent, quibus eadem mens ut ereptâ regiâ prole, sollemnia Reginæ obsequia palam negarent.

S. Anno assertor Henrici IV. pueri & imperii. *Hist. Brem. Archiepisc.*

Anno itaque Archiepiscopus Coloniensis, dum prodesse Reipublicæ omnibus modis studet, assensu accepto procerum, inter assertores se principem utique professus, Othone Boiariæ Duce, atque Ecberto Comite adjutantibus; puerum matri omnia alia cogitanti, cum ipsis imperii insignibus eripuit; Coloniamque vel invitum & renitentem traducit. Ad extremum, matre licet eximiæ pietatis, at impari tantæ moli, ab imperii gubernaculo amotâ, semet ultro tutorem, ratione ejus facti apud Principes redditâ, tulit.

CXL.

Conventus Principum Treviris, cui S. Anno interfuit *Trimmi. & Remaclio 4. Tom. 2. Lud. Episcop.*

Per id tempus Anno Treverim, Conventus causâ, accessit; qui tunc Regis & Principum frequens illic extitit.* Ipse in Divi Maximini hospitio exceptus, moliri tunc occultè cœpit, ut Malmundariensem Abbatiam à Stabulensi dimotam suum in jus transferret; quod negotium brevi post expeditum habuit.

Malmundarium cedit B. Annoni Coloniensi.

ANNUS Chr. 1063. *Lambert. in chron.*

Imperii corruptela. *Adam Eccl. hist. Hist. Archiepisc. Brem.*

Porrò schismate jam tum in Italia, per Cadaloum exorto, anno postero, immaturâ & imbecillâ Regis pueri ætate, fœdam item in Germania res Ecclesiæ imbibere labem; quæ latiùs in dies nefariis pravorum hominum consiliis diffusa, exitialem hinc dissidii pestem Ecclesiæ procreavit, extremámque Henrico perniciem, cum sempiterno nominis ejus dedecore, peperit. Summa rerum penes Episcopos ferè Moguntinum & Coloniensem erat, Eberhardo Trevirorum intra quietem, ac jucundos otii fructus, se continente; tertius his, sed animo ac temeritate paratior accessit,

Adelbertus Bremensis Archiepiscopus Ecclesiæ perniciosus & Reipublicæ.

Adelbertus Bremensis Archiepiscopus; qui, cùm dominandi artibus & sollertiâ ingenii sagacis, in aulam irrepsisset, id apud Regem assentando moliendóque effecerat, ut cùm scilicet gratiosus in paucis, autoritate anteiret & dignitate cæteris, gravissima quæque in se unum trahendo, omnia arbitratu suo regni munia gereret, versarétque quà vellet.

Ecclesiasticæ libertatis interitus sub Henrico IV.

Adelberto itaque diversâ vitiorum viâ grassanti, adeò se abutendum tradidit Henricus, ut Episcopatus Abbatiásque palam proscribere, & opimos monasteriorum fundos sectioni subjicere; Ecclesiasticas verò dignitates non honestæ merito virtutis, sed fœdi conditione quæstus distribuere, neque pudori neque religioni duceret. Atque hisce tam indignis maculis paternâ effigie morum virtutis ac religionis haud minimum obrutâ atque infuscatâ Coloniam ad Natalem Domini speciosè processit.

CXLI.

ANNUS Chr. 1064. *Lamb. Her. Contract. appendix, Otto & reliqui.*

Schisma Cadaloi.

Inde verò Paschalia peragens Leodii, Italiam haud dubio motu ob Cadaloi schisma nutantem, Mantuæ concilio habito, quo Alexandri Pontificatus stabiliretur, Annonis Archiepiscopi Coloniensis ope prudentiáque in officio continuit; ac posthac Goslariam ad sollemne Natalitium; & hybernis exactis,

ANNUS Chr. 1065.

Henrici IV. armorum tyrocinium

Wormatiam ad Christi resurgentis festa tetendit; ibi demum jam puber, annum ingressus quartum decimum, ense & reliquo armatu, Episcopi Bremensis permissu nutúque accinctus est.

S. Annoni infensus.

Memorant tum certè propiùs ibi nihil fuisse, quàm, ut infelicis tirocinii rudimenta in Annonem Coloniensem adolescentiæ suæ moderatorem ferrum stringeret, & ni mater Augusta obstitisset, palam illi bellum inferret, quod liberiùs quàm volebat, habenas puero nuper adduxisset. Atque ita tum in Henrici adolescentia emicabant igniculi audaciæ & improbitatis futuræ.

CXLII.

Fridericus Dux Lotharingiæ moritur.

Gerardus Alsatus pro eo Dux instituitur.

Ad hunc usque annum Godefridi æmuli, & in Italiâ rerum potientis, vix ratione ductâ, superfuisse aiunt Lotharingiæ Ducatui Fridericum Lutzeburgium; quo vitam relinquente, Gerardus Alsatus Mosellanorum Dux, idem & Lotharingiam obtinuit.

S. Wolphelmus. *Sur. 22. April.*

Bruwilerẽsis monasterii in Ubiis incremẽta.

Per idem tempus clarâ sanctitatis, atque excellentis doctrinæ famâ Wolphelmus S. Maximini quondam cœnobita, atque Abbas deinde Bruwilerensis, prænobilis sub Agrippinensi Colonia Monasterii, enituit. Is, cùm

Bernardo

Sigebert. ad hunc an.

Bernardo excellenti Treviris cœnobiarchæ in schola pietatis operam dedisset, ab Hermanno Coloniensi Archiepiscopo Annonis decessore, qui tanti viri desiderium non ferebat; annitente clero præsertim, invitus propè abductus est. Dum Bruwilerensis autem cœnobii Wolphelmus magistratum gessit, Clottenum pagus ad Mosellæ ripam nec infrequens, nec obscurus, controversiarum ac certaminum plenus fuit. Richareda præpotens, & clarissimo Palatinorum sanguine matrona, postquam D. Petri Coloniensis clerum opimis agris atque possessionibus sibi devinxisset, animadverso, S. Nicolai Bruwilerense monasterium à majoribus suis fundatum atque constitutum: eorum invitata exemplo, prædio Clotrensi Mosellanæ regionis; ejus loci cœnobitas locupletare, & ibidem esse sibi sepulchrum vitâ functæ voluit.

Clottenum Mosellæ pagus.

Richareda ex Lutharitorum Palatinis Clotteni domina.

Ezelinum an Henricum Palatinum prodit fundatorem.

CXLIII

Trith. in Hirs. chron. ad an. MXI

Collegium Canonicorum ad Gradus Coloniæ.

At Anno Archiepiscopus per eos dies aggressus Divæ Virgini ad Gradus ædem ponere, cætúmque cleri eo loco adunare, donationem hanc probavit ille quidem, sed Richaredâ demum Coloniæ exstinctâ, seu ejus bona in Ecclesiæ Coloniensis jus & sacra transferant, seu quo obtentu alio, sponsio intercepta, funus matronæ in ædem novam Anno importari jussit, & Bruwilerensi caussâ destitutâ, ceu cum mulieris funere, Clottensem simul villam extulit. Quæ tam præpostera, ut ii rebantur, Annonis dispensatio, cùm dolorem cœnobitis gravem inussisset, Wolphelmus ad defensionem juris sui acriter incumbens, per varias in multos post annos litium ambages, & Episcoporum frustrationes, tandem ad ineundam possessionem cœnobitis suis locum aperuit. Atque hæc de Clotteno Treverici juris pago, cujus ad hæc usque nostra tempora, bonis Bruwileria fruitur, extat ultima sanè memoria.

Clottenum sibi vindicat S. Anno.

Cedit Bruwillero.

CXLIV. ANNUS CHR. 1066 Imperii motus sub Hêrico IV. erumpunt.

Lambert. M. Adami hist. Eccl. l. 3. c. 36. Hist. Brem. Archiep. ad an. hunc.

Consulatus Curiæ penes Adelbertum Brem.

Côcilium Triburiêse quo Henricus coercetur.

Anno postero ingens Episcoporum ac Procerum regni adversus Henricum Regem exarsit ira, quod jam Adelbertus Bremensis, ut vetus historia loquitur, Consulatum curiæ adeptus, insolentiâ morum eò processerat, ut tolerari amplius hominis fastus ambitioque non posset; & Henricum juvenili alioqui levitate mobilem, is quocunque demum collubitum, transversum ageret & impelleret. Indicto igitur à Moguntino atque Coloniensi Triburiam omnibus æquè sacris, atque profanis regni ordinibus concilio, audacter ac fortiter ab omnibus sententiæ graves in Bremensem Præsulem dictæ; uti ante certû diem Cæsar hunc ab se dimitteret, totumque se ab ejus consiliis & amicitia averteret; ni parêret, regno avito paternóque cariturum. Hoc tam acerbo ac gravi decreto ad Regis aures perlato, priusquam concilium difflueret, maturato ipse itinere ad eum locum venit, ubi Proceres adhuc in conventu unà degebant: cumque irritatos omnium in se animos, tum nunciis, tum ex parum benigno eorum aspectu præsens haud obscurè colligeret, æstuare, multáque secum volvere cœpit. Neque interim ipsorum quisquam fuit, qui vel Cæsarem respiceret, vel ejus gratiam secutus de sententiâ sibi discedendum, existimaret. Itaque perplexus, atque incertus animi, cùm fugæ consilium apud se reputat, prohibitus à comitatu, atque in Episcoporum tutelam redactus, arbitrium rerum gerendarum ad Episcopos transferri, ut consueverat antè, non gravatè passus est.

Proceroru constantia adversus Henr. IV.

Episcopo in Rep. g renda au toritas.

Porrò Adelbertus, aulæ præcipitia expertus, insigni dedecore ac probro, cum omnibus sectatoribus procul à Regis latere pulsus, nihilo feliciùs habuit Bremensem Ecclesiam, opibus ac potentiâ sanè tum prænobilem.

Adelbert Bremensi à R ... tere dim vetur

CXLV Everardu Arch pi ... Judæ ... cuperit, eorú ... de tollitu è medio. *MS. Gesta Trever.*

Jus Archiepiscopi i Judæos.

His rebus ita apud Triburiam gestis, Ebérardus ex eo conventu Trevirim reversus, ceu unum id diœcesis cumulandæ saluti adhuc deesset, obstinatam Hebræorum gentem, quæ frequens tum in urbe habitabat, redigere ad Christiana sacra maximoperè studuit; prò potestate atque officio minitatus urbe iis excedendum, ni ante Paschalia festa morem gessissent. Quare ita vehementer asperatos perfidorum animos accendit, ut consilio, de consciscenda ei nece inter se agitato, oportunum ad perficienda cogitata, quærerent tempus. Excussis igitur in ante diem XVIII. Kalendas Martii diligenter consiliis, quo die, proximo Paschali, sacro fonti ex ritu Ecclesiæ Pontifex operam daturus erat; factâ ex cera ad Episcopi similitudinem imagine; clericum ædis Paulinianæ, nomen ei erat Christiano, sed Pseudo-Christianum ego potiùs dixerim, corrupêre pretio, ut ad stygias hasce machinationes, imaginem eam undæ salutari immersam ablueret, ac veluti infantem, sacro fonte tingendum, expiaret. Ubi igitur dies sanctioris hebdomadæ extremus illuxit, Archiepiscopus pontificali ornatus amictu, & stolâ incinctus, ad sacrosanctum lavacrum cum honesto clericorum agmine prodiit. Tum verò Judæi præparatam jam maleficiis iconem Lychnis inserentes, accendêre; eâ porrò absumptâ dimidiatâ, Pontificem sacris ministeriis insistentem vires omnes subitò liquêre. Re divinâ nihilominus constanter prolatâ, elanguidus Antistes ac veneni afflatu fascinoque, uti creditur, propemodum enectus, abscessit in sacrarium; ibi, positis coram Christi in cruce pendentis effigie genibus, fusus in preces, capútque in Archidiaconi sinum reclinans, collacrymante præsenti clero, spiritum exhalavit; annis in pontificatu exactis undeviginti paulò minus. XVII. Kalend. Maii, anni salutis supra millesimum sexti & sexagesimi, ut insignes ab hoc sæculo testantur scriptores. Lambertus ita; *Eberardus Trevirorum Archiepiscopus, dum in Sabbato sancto, tantæ diei mysterium solenniter populo exhibuisset, regressus in sacrarium, caput in sinum Archidiaconi reclinavit, circumstantibusq; fratribus, spiritum exhalavit.* Contracti appendix, *Eberardus Trevirensis Archiepiscopus, XVII. Kalend. Maii, Sabbato sanctæ Paschæ, completis à se ipsius diei officiis, ipsis sacerdotalibus vestimentis indutus, requievit in pace.*

Judæoru maleficiu per imag nis cereæ applicatio nem.

Lambert. & MS. ... Theoderic monach. Tr. MS.

Ad an. 106

CXLV. Eberardi elogium.

Fuit Eberardus probatâ morum sanctitate Pontifex, & in omni vitæ officio religionis ac prudentiæ singularis. Episcopatum pace, tranquillisque rebus florentissimum habuit; quem præcipuis ille, sanctis insistens majorum vestigiis, ornamentis decoravit; atque opibus auxit; duabus Abbatiis, S. Maximini Trevirensis, & B. Servatii Trajectensis, ad caput & patrimonium B. Petri, ut literarum

Abbatiæ S. Maximini & Servatii Traject. a Everardo di ... tertæ.

annalibus proditur, revocatis. Tumulum in æde B. Paulini, quod nemini unquam, nisi Divo contigit, sortitus est; mediâ templi areâ sepulchro eminente, quod tamen à posteris ei collocatum, tum manifestus error inscriptionis, tum literarum deformis sculpturæque incisæ lapidi modus; & super hæc, iterata crebriùs incendia, templique multiplex instauratio, satis arguunt: Epitaphium verò ejusmodi est:

PAVSAT HIC EBERARDVS TREVIRORVM ARCHIEPISCOPVS, QVI IN VIGILIA PASCHÆ SACRIS INSTANS OFFICIIS, EX CEREA IMAGINE PER JVDÆOS ACCENSA, INFIRMATVS, AD SACRARIVM DVCTVS IBIDEM FLEXIS GENIBVS ORANS, IN SACRIS VESTIBVS EXSPIRAVIT. ANNO DNI* MLXVI. XVII. KAL. MAII.

* MLX. VIII. Kal. Maii mendosè.

CXLVII. Atrox & funestum hoc maleficii teterrimi exemplum, in imagine cerea emersit, quod Satanas architectus è prisca scelerum officina, ministerio Judæorum exprompsit, idem inter venenaria mala præcipuæ noxæ memorandum. Etenim in Stygialibus sacris, Lamiarum mos antiquus obtinebat, ut ceream effigiem similem ei ponerent, quem devovebant; quod Horatius monuit in primæ notæ stygibus

Imaginis ceræ in veneficiis antiquus usus.

Lanea & effigies erat, altera cerea, major
Lanea, quæ pœnis compesceret inferiorem.
Cerea suppliciter stabat; servilibus utq;
Iam peritura modu.

Lib. 1. serm. satyr 8.

Sed artis propriæ vim, in Medea venenaria, Ovidius expressit:

Devovet absentes, simulacráque cerea fingit,
Et miserum tenues in jecur urget acus.

Lib. Epistol. Hypsypelæ.

At hic Judæi, seu tacito solùm inito cum dæmone fœdere nocuerunt, quod baptismus imaginis & lustratio, scilicet amica superstitioni Symbola suadent; seu, quod arbitror, pestiferâ quâ vi, halituque venenoso in Præsulem ab imagine transfuso, grassati sunt, sanè cùm timori remedium tam detestabili scelere peterent, immerentis animam Præsulis, pulchriore excessus sui gloria cumularunt.

Adi Martinum Delrio disq. Mag. lib. 3 p. 1. q. 4. sect. 4.

Veneni quâ noxâ Eberhardus Archiepiscopus interierit.

FINIS LIBRI UNDECIMI.



R.P. CHRI-

R. P.

CHRISTOPHORI BROWERI
SOCIETATIS JESU,
ANNALIUM TREVIRENSIUM
LIBER XII.

Annus Christi 1066. Eberhardi 75. Trev. Ep. ult.
Alexandri II. Pont. 5. Henrici IV. Imp. 11.

I. NUNQUAM hoc ætatis mediæ cursu, majorem Ecclesia tempestatem adiit, numquam est schismatis sæviore jactata procellâ, quàm cum sacerdotio ac regno letali à se invicem dissidii veneno, avulsis, ipsa ægra atque omnis indiga remedii, procul à corpore putrescentia & soluta membra, non modò non ad unius quasi conspirationem revocare capitis; at longiùs etiam, quàm coagmentationis natura conditioque ferret, dispersa atque projecta, ne colligere quidem, dolore omnium, quos ad eum diem senserat, acerbissimo potuit. Subeunt igitur tristia ea tempora, quibus Symplegadum instar, Italia Germaniaque inter se concurrentibus, & sacerdotibus velut œstro percitis, luctuosa schismatis ac dissidii pestis, Henrico IV. authore, in Ecclesiam validè incubuit; ac omnes pene Reipublicæ partes, insigni scelere perculit. Quâ, licet fluctuatione partium, res Trevirensis, ceu vi quadam æstus appetita atque concussa, paulùlum etiam ultrò aut citrò mota sit, vigilantiâ tamen quâcunque gubernatorum, acerbior & ultima propulsa vis, exteriore sese littorum vestigio tenuit.

Treviricæ civitatis côditio & subjectio.

Comment. Aug. Trev. Kyriandri.

Archiepiscopi imperium in civitatem Trevir.

* Caroli IV. & Rudolphi II.

MS. Memoria, Popponis, Eberardi & sequentium Pontificum.

Quibus de rebus, cùm deinceps, pro operis instituti ratione, dicendum sit; antequam ad inchoatam seriem Annalium redeamus, pauca de urbis Treviricæ statu, prægustanda sunt. Summam hac tempestate rerum omnium penes unum fuisse Archiepiscopum; tam multaque indicia sunt; ut qui è posteritate publicatis commentariis id inficiari, ac Principis autoritatem oppugnare acriùs etiam ausi, eos non modò fidem ac vadimonium deseruisse, sed meditato quodam Ecclesiastici nominis odio & juris insidiosi machinis autoritatem hujus sedis oppugnasse, non acta modò doceant ultimæ vetustatis, sed liquidò pronuncient * judicium sententiæ. Etenim, quod oculis subjiciet ipse temporum contextus, vitæ necisque potestas summo sacerdoti delata: populique salutem is, adversus ingruentes bellorum tumultus, vel armis si res ita tulisset, vindicavit; tum caducæ civitatis ipse mœnia struxit, novamque sedem majorem in splendorem, publicorum operum magnificentiâ, quod constat ex Popponis & aliorum Episcoporum, actis adduxit, & excoluit. Palatium præcipuum ac tutissimum urbis domicilium, habitationis causâ insedit. Molem in urbis cadavere, omnium ex veteri fortuna præcellentissimam, Sancto Simeoni, ac templo ejus pro jure suo seposuit. Judæorum regimen arbitratu suo flexit. Telonium, vectigalia, terræ, ac singulorum quoque capitum census, jura omnia civitatis, & quicquid demum solens regalium nomine censeri, uni cessere Præsuli. Jus verò dedit is per Comitem sive Præsidem, quem ætas illa Vicedominum & Majorem Domus Ecclesiæ Trevirorum, postea Advocatum appellavit; atque huic delecti ex civibus Senatores accensiti, qui Scabinorum nuncupatione senatoria munera fungerentur; quorum ex sententia, judicioque, leges & momenta caussarum temperabat. Præsidis verò officium sive imperium, quia plerùnque in rerum capitalium, & privatarum administratione Prætor obibat & explebat, iccirco hunc majores Sculretum, ceu noxæ, debitive juris exactorem olim nuncuparunt.

Aquæduct. Popponis.

Ex porta Simeonis, ejus jussu, templum extruit.

Vita Ratbodonis & Egilberti.

Vicedominus Trevirî Major domus Comes seu Advocatus.

Juris antiqui, ut Archiepiscopus Scabinos creet & instituat.

Schultetus, Teutsch. Scholtheiss.

II. Porrò eidem Præsidi, creditum militare imperium; unde, si in hostem ducendum, seu quo alio Pontificis jussu proficiscendum, devincta ipse Archiepiscopi beneficiis feudisque nobilium studia tenebat, & populi prompta in quamlibet expeditionem obsequia. Atque ea tum Militia dicebatur Trevirorum, robur quoddam eo tempore, & firmamentum Archiepiscopalis authoritatis, equestri præsertim virtute constans. Et quanquam pro magnitudine imperii ac dominatus in urbem, tantâ Pontifex Treviris autoritate, quantâ vel Anno Coloniæ, vel Moguntiæ Sigefridus polleret; eam tamen sic demum usurpabat, si à Rege, inserto digitis annulo, & ferulâ, baculove in manus porrecto, sollemni avitóque more, confirmata sibi fuisset: tum etiam suscepto invicem ipse sollenni sacramento, fidam Imperio se navaturum operam, spopondisset. Atque hic sanè ritus, Investituræ jus referebat, quod jam tum, nimiâ Imperatorum vel Regum licentiâ, ad aulæ penetralia sic à templis transierat, ut cum Episcopos vulgò

Lambertus. Schaffnab. Sigebert.

Militia Tr. plurimum ex nobilitate.

Investitura & Regaliũ concessio.

Investituræ ibuius

I Greez. l. 2. contra Regalicatorem.

 regalium

regalium munerum nexu, & obsequio clientelari domi forisque haberent obnoxios, prioribus iis malo consortio, sacerdotia tandem ipsa adjungerent, magnáque contemptione, & injuriâ summæ sedis, Jeroboamum Israëlis Regem imitati, sacerdotalia sibi jura honoresque deposcerent. Tanta dulcedo summis fastigiis insidet, etiam ex alieno, suas non opes sed decora augendi.

Dit. in chro. sub Ottonib. & Henrico, variis exemplis. item Lambert. 3. Reg. c. 12.

III. *Goffrid abbas Vind. de invest. Laicorum*

Investituræ juncta Simonia.

Investitura licita.

Neque dissimulandum hunc Investituræ ritum, hæresis quoque notâ fuisse respersum, cùm Simoniaca pestis eum inficiebat, & laicus hinc, aut pecuniam sibi vindicabat, aut quod amplius, Episcopi, vel Abbatis personam; tametsi fuit, cùm Reges non suâ, sed alienâ autoritate, id est, summi Pontificis permissu concessuque, munus ferulæ, virgæque tradendæ, justè usurparunt. Non graviùs, quàm veriùs mos hic, tam adulatione & ambitûs specie, quàm avaritiâ & ataxiâ fœdus, cum ab antiquioribus aliis, tum in vita Beati Ottonis Babenbergensis, ab hujus memoriæ veteri scriptore notatus: *Per id*, inquit, *tempus, Imperatores Ecclesiarum investituras conferebant; & quoties Episcopus quispiam discessisset è vita, Ecclesia cui praerat, pedum & annulum ad Imperatorem transmittebat, ab ejus aula petens sibi dari Episcopum. Itaque multi nobiles, & præstantes viri vel cognati, vel filii Principum Imperatoris aulam sequebantur, Capellanorum ei ministerium exhibentes, spe alicujus obtinendi Episcopatus.*

Surius in Iulio. lib. 3 regist. Gregor. VII. Epist. 18. ... in Trol. ... loc.

IV. Capellanorum nobilium & regiorum laudabile institutum.

Ne verò moderatos & abstinentes campum ambitionis in Principum aulis quæsiisse putes, monuimus olim ad Meinwerci Patherbornensis Episcopi, rarissimi exempli vitam, operam à nobilibus hisce Capellanis, & eruditis apud Imperatores optimè plerumque positam. Nam, cùm arma Martiales à Musarum castris, & literis alienissimi homines gnaviter tractarent hoc tempore, ut religio, & sapientiæ studia ab iis essent longè, viros Palatio innutriri, ac insuescere sacrarum, civiliúmque rerum callentes, publica res suadebat. His domestica & Palatinam militiam; his Cancellorum decus, & Principum arcana, & responsorum oracula, denique admissionum, & inductionum officia, utpotè quibuscum à pueris religio, & disciplina in monasteriis, & Collegiorum cœnobiis adolevisset, Princeps tutissimè credebat. Atque in hoc genere spectati non pauci, qui oblata sacerdotia fortiùs repudiarint, quàm alii ambiisse visi sunt, ut exemplis Sanctorum Hereberti Agrippinensis; Godehardi Hildenesheimensis, Brunonis Leucorum, sive Leonis IX. ac ipsius denique Ottonis Babenbergensis Episcoporum, monstratu facile est.

Eorum in Palatio munus.

Ambitu multi carent.

Atque hæc tum in sacerdotum ac Antistitum institutione seu cooptatione vitia inerant; hæc in eos ab Imperatoribus jam inde à Caroli Magni, & supra, ætate derivata Imperii & potestatis amplitudo. Sed quia obloquitur hic, & in veteri controversia vocem tollit Consultus juris & actor caussarum mediocris, næ facio invitus, ut in ambiguas res, non secus ac notas lectorem abripiam. Delitigat igitur iratus ille, Trevirim hoc tempore sui juris liberam civitatem, ex suo corpore Prætorem & Senatores pro potestate nutúque suos allegisse & creasse, sine ullo Archiepiscopi respectu; & Comiti Vicario nescio cui morigeratam, & à quo hæc ipsa rerum summa descenderet. Et vide tragulam, quam in hâc præcipiti pugnâ in suum ipse jugulum intorquet. Quippè de Scabinorum Collegio, eorúmque Præside Schulteto, quem vult à Comite Trevirorum constitutum, differens, fatetur etiam, in occulto latente veri fide, liberum esse debere conjecturæ locum. Quasi verò in palmari negotio, & arce caussæ, homo partium studiosior quàm veritatis, absque suffragatoribus testibusque, conjectando fidem mereatur, aut inveniat.

Kyriand cavillationes, & inscognoscia deteguntur.

Part. 13. à pag. 243 per seq.

Comes Trevirorū quis, à quo constitutus, cui subjectus.

V.

Schultetus & collegiū Scabinorū.

At, inquit, si secus habet, ergò quâ tempestate vel occasione, quove titulo Trevirorum Archiepiscopus, in ipsa civitate instituendi Schulteti, creandorúmque Scabinorum autoritatem & jus adeptus sit, si quis compertum habeat, ecquid profiteri vereatur? Ego verò mirer potius, Juris Antistitem tam artis suæ oblitum, ut quod tot annorum retro serie, bonâ fide captum, possessum, ut memoriam omnem supervadat præteritam, ad ejus æquitatem stabiliendam interesse putet, origo lateat, an comperta sit. Et lapsus igitur cursusque fluminum, eâdem operâ inficias eat, quia fontes plurimum aut ignoti, aut difficiles investigatu. Quidni ergò hic quoque locum habeat, quod pro libertate civitatum, ille valere non parùm voluit? Quod primùm necessitas suasit, donatio priscorum Regum peperit; hoc usus & consuetudo jus fecit, Regum & Imperatorum succedentium pietas, consensus, autoritas, firmavit atque sanxit; haud infelici eventu, magnóque hujus Reipublicæ bono, per tot sæcula usque in præsens, Deo superisque faventibus jure propagato.

Parte cit. p. 147.

Kyriandri technæ.

Sed cuniculis etiam vetustam annalium memoriam, idem avertere conatur, cùm Theodoricum, quem tunc Trevirensis Ecclesia Comitem & Vicedominum habuit, ceu quemdam duntaxat militiæ, aut judiciorum Præsidem à Rege datum, de suo comminiscitur. Etenim, tot adductis in medium testibus de Theodorico Trevirorum Comite, cur unum alioqui omnium quidem famâ fidéque præstantissimum omisit, à quo Theodoricus hic Major Domus Ecclesiæ Trevirorum, nuncupatus est? Cùm illo præsertim testimonio, tum ad muneris conditionem, tum ad præfecturæ genus explanandum, nihil sanè fieri potuit luculentius. Nam hodiéque Majores, in Præfectorum numero sunt, & Cathedrales Ecclesias, Domos, usus vernaculus appellitat. Igitur, ut ab hâc contentione discedam, qui huic Comiti militiam Trevericam concedit, subjicitque; is comitem ipsum Ecclesiæ atque Archiepiscopo addicat, mancipétque, fas legesque postulant.

Lambert. in Chron.

Majores. *Meyer.* Domm.

VI. S. Annonis auctoritas dignitasq; in imperio. *Ecclef. hist. l. 3. c. 17.*

Iis temporibus Anno Coloniensis ad exterorum usque invidiam, cuncta humana divináque jura, in Palatio Regis moderabatur; unde Adam Bremensis Ecclesiæ Canonicus, ut de superstite tum, ore libero: *Exaltavit*, inquit, *parentes suos & amicos, & Capellanos, primis honorum dignitatibus omnes cumulans, ut illi alteris succurrerent infirmioribus. Quorum primores erant, Wezelo Magdeburgensis, eorúmque nepos, Burchardus Halverstadensis*

Episcopus.

S Anno autor Episcopat' ineundi B. Conrado.

Episcopus. Similiter Cono Treviris electus, sed invidiâ cleri, martyrio coronatus, antequam inthronizatus: & alii quos enumerare longum est, studio & favore Annonis elevati sunt..... Multa igitur ab illo viro in divinis & humanis egregie facta comperimus

VII.

Et quoniam huc jam ventum, Beati Cunonis seu Conrardi ingressum, accuratiùs exponere, res ipsa hortatur. Anno Agrippinensium Præsul, ubi Trevirensem Ecclesiam, post Eberardi mortem, sacro-sancto vacare magistratu, neque Episcopum habere didicit, pro amplitudine potestatis, & usurpato Regis jure, Conradum ex Comitibus ortum de Phullinga, patre Egilolffo, matre Azecha natione Suevum, Primicerium & Præpositum summæ ædi Coloniensi, ac Presbyterum consanguineum suum, ad id fastigium dignitatis evexit, adductúmque ad Henricum, annulo & baculo, sollennibus investituræ insignibus, exornandum curavit. Celeriter hæc fama pervolat in Treviros, venire, insuper habitis comitiis, non clerici suffragiis lectum; non populi septa passum, sed uno Annone sequestro, creatum Episcopum. Simul igitur, ira atque indignatio primorum cleri animos accendit; invicem vibrante se querelâ solicitant; ereptum non modò antiquum sibi suffragiorum jus, sed ne loco quidem consultationi de novo subrogando Præsule relicto, spretos se universos, & per summum nefas præteritos. Hinc circumsistere magno fremitu Majorem Domus Ecclesiæ, rogando alternis, suadendóque ne tantam ignominiam, ac dedecus patiatur redundare in Ecclesiam antiqui honoris. Sed memor fidei ac muneris sibi traditi, insignem omnibus communiter irrogatam ab Annone contumeliam, audacter illi regerere, ac pro virili rependere, ne dubitet, memorabile posteris exemplum proditurus, ne audendo tentent similia.

Theodoricus monachus Theolog. hac exponit. L. Schaffna. Contradius, Sigeb. Vesp. Trecem... S. Remacli ... Tom. 1. ... Leod. Chron. magnum ... ex gestis ...

B. Conradus designatur Archiepisc. Trevirer.

Cleri Trev. impotentia adversus Præsulem designatū.

Major Domus Ecclesiæ Theodoricus Comes.

VIII.

Theodorici Comitis ferocia militaris.

Agebat eo tempore Majorem Trevericæ Domus Theodoricus Comes adolescens ardentis spiritus, naturâ ferox, & præceps juventâ. Is agi quoque dignitatem suam ratus, si remissiùs, ac cunctantiùs, quàm pro voto cleri, publicum negotium gereret, ilicò ostendit, nullum se periculum eorum causâ recusaturum; contenditque sacramento, nunquam commissurum, ille novus ut Episcopus urbem ineat, clero populóque invito. His consiliis expeditis, Theodoricus per præconem, ministeriales, civiúmque lectissimos evocat; & explicato negotio, quidque facto opus sit, ostenso, facilè prisci juris specioso titulo concitat, & doloris injuriæque memoriâ, ad arma capessenda, pro veteri electionis honore impellit. Hortatur itaque omnes, ad decimum quintum Kalendarum Junii frequentes in armis ad imperium præsto sint.

Ergo, ubi ea dies affuit, Conradus cum lectissimo ac decoro comitatu, nec sine manu militari, passuum millia sedecim à Treviris, in villa Biedburgensi, Bedonicum, seu Bedensem pagum appellant veteres, urbis ineundæ spe, morabatur. Aderat ei Legatus ab Henrico, Einhardus Spirensis Episcopus, vir magni apud Regem & nominis & gratiæ: huic ea cura delegata, Conradum uti clero, populóque Regis nomine commendatum, apparatissimâ pompâ in urbem introduceret; atque inaugurationis sacræ munus, suâ præsentiâ, cohonestaret. Equis igitur, ad sollemnem ingressum, lautè sterni, atque omnibus ad ejus diei lætitiam festivè comparari jussi, Theodoricus, qui hæc omnia diligenter ante exploraverat, literisque ac nuntiis præceperat, sub quartam noctis vigiliam, ære campano signum ad arma dari suis jussit. Cognito ejus consilio, civis, milésque raptim ad arma, sicut condictum, prosiliunt. Tum Theodoricus; undique manu quàm maximâ potest coactâ, de improviso ad Conradi stationem accurrit; suósque, quo ne arma renudentur, arborum frondes, ramósque prætendere jubet: mox levi certamine à clientibus Episcopi pro foribus hospitii, cum Theodorico, non sine sanguine ac cæde, commisso, effractis demum vi ferróque januæ repagulis, intimum, ubi Conradus, atque Einhardus seniores agebant, conclave perrumpit. Ibi tum reliqui Conradi comites, ingenti metu, propè exanimati, trepidare, & quà quemque in tenebris pavor agebat, per nemorum ac fruticum recessus elabi, ac diffugere. Einhardus Episcopus ad templi asylum confugiens, ab ipsis aris avulsus, propè nudus indignè colaphis, & pugnis urgetur. Theodoricus interim Comes cum suis animo ad prædam converso, equos, vasa, vestē, reliquámque supellectilem, fœdè diripere; vulneribus alios inflictis sauciare, alios nexu constrictos in vincula trahere.

Theodoricus Comes Treverensis Conradi designati Episcopi oppugnat.

Capit & c... ripit.

IX.

Porrò, cùm Spirensem Episcopum, in præsentiâ rebus omnibus exutum, vilique impositum jumento, cùm aspera verborum contumelia dimisisset, in Conradum omne virus acerbitatis effundere; eum atrociter vinctum, in Urtzichium, vicinum eâ tempestate castrum, abduci in custodiam jubere; consilium medio temporis spatio capturus, quid illo fieri majoribus placeret. At ii, an in capitis quæstionem judices sederint, aut in necem viri conspirarint, parum certa memoria. Id minimè dubiam fidem habet, Theodoricum, pro insita animi sævitia, cùm dies ipsos quatuordecim carceris ærumnis eum attenuasset, crudeliter ac indignè prorsus in Conradum immerentem consuluisse. Etenim, ubi Kalendæ Juniæ illuxerunt, quatuor efferis, & immani ferocitate militibus traditum, clam duci ad supplicium imperavit, additis mandatis, ut nisi quàm severè, atque atrociter in eum animadverterent, scirent, apud se quidem nullam ejus rei sibi gratiam relictum iri. Igitur crudelia jussa sæviore ministerio cumulantes, Conradum squalore carceris, atque inediâ benè maceratum, in vicini montis prærupti fastigium pertrahunt; vestibus spoliato, nudatóque caput obnubunt: tum revinctis ceu noxii ponè tergum manibus, amarissimè congesto probro; atqui jam periculum faciemus, inquiunt, Deúsne honori tuo volens propitius faveat; & Episcopum fieri te Treviris, annuat. Quod sanè tum velle eum, non ambigemus, quando tam innoxio casu, ex summo nimirum fastigio montis, præceps & illæsus rues. Inter hæc rerum, verborumque ludibria, simul per densa fruticeta ac vepres, ex rupe celsissima præcipitant; cumque ille identidem excussus, atque è summo

Urtzichii castro includit. *al. Urtzhpg & Urtzegi*

B Conradus martyrio afficitur.

Supplicii acerbitas.

H. Contract appendix. apud Bertholdum haec eadem.

Præceps rupe dejicitur.

vertice

vertice devolutus; ingenti admiratione percussorum, incolumis ac nullo vulnere ad montis imam radicem consisteret, adeò ferrea pectora commovere præsentissima religio non potuit, quin tertiò reductum, pari immanitate per senticeta & aspera saxa devolverent; at ne tum quidem ullo, præterquam luxati brachii incommodo. Quo spectaculo territum, aiunt, ex militibus eum, qui sceleris nefandi conscientiam haud sustinens, veniam injuriæ Sanctum rogavit, obtinuitque; cæteris verò tribus, in cœpto maleficio persistentibus, Conradus fœlicem beatámque mortem cruentis tandem horum gladiis, amissâ maxillâ, & cranii parte, miserè confectus, oppetiit; martyrii palmam innumeris paulò post adeptum se miraculis, haud obscurè testatus.

Incolumis per saxa ruit.

Resipiscit unus percussorum.

X.

Jam etiam audiat, & exhorrescat lector, quàm falsè & petulanter innocentiæ insultet improbitas. Nam ad carnificina perfunctos Comes: Ubi noster Episcopus? Ad quem scelerati; Pontificalem ei mitram imposuimus quidem, at Cathedram tamen ille nunquam ascendet. Percussorum verò, quod diligenter à majoribus annotatum, nullus suâ morte defunctus; sed alius alio casu, quo dignus exitu, vitæ finem invenit. Duo in se, belluarum ritu, vertêre morsus; alteri escâ, quam deglutire nequit, oblisæ fauces, ac præfocatæ.

Percussorũ amarum probrum.

Ultio divina percussores secuta.

Martyris cadaver quadraginta diebus jacuit inhumatum; & foliis principio tectum, Dei nutu ab agricolis, Lonsetum, id villæ nomen, habitantibus, repertum septimo Idus Julii, ante fores Ecclesiæ istic terræ mandatum est. At inde opera Theodorici Virdunensis Episcopi, qui inter solennia sacrorum Novellis in castro suæ diœcesis agens, cœlesti instinctu ad id inflammatus, & Albonis Theologiensis Abbatis studio, in monasterium Theologiense honesto pompæ spectaculo, traductum, & septimo Kalend. Augusti ibidem, decentiore tumulo reconditum fuit.

Lonsetum trans Mosellam.

B. Cuno vel Conradus Theologiensi monasterio tumulatur.

Quæ ita hoc anno, Indictione quartâ, Treviris acta; quo nimirum anno crinita quoque stella Paschalibus, tristi aspectu effulserat, prodidit horum temporum æqualis Theodoricus cœnobita Theologiensis; idemque res à Conrado cum stupore mortalium, ad ejus sepulchrum mirè patratas, ut coram ipse magna ex parte suis oculis inspexit, sic prolixâ veráque narratione, memoriæ posteritatis commendavit.

Adstipulatur Theodorico Lambertus, cujus hæc narratio: *Episcopatum Eberhardi per interventum Coloniensis Archiepiscopi, suscepit Cuno Præpositus Coloniensis. Graviter & indignè nimis tulit, tam clerus, quàm populus Trevirorum, quod ipsi in electionem ejus admissi consultiq; non essent; seq; vicissim hortabantur, ut insignem hanc contumeliam, insigni aliquo exemplo, eluerent. Erat tunc temporis Major domus Ecclesiæ Trevirorum Diedericus Comes adolescens, tam naturâ ferox, quàm ætate. Is die, quo Episcopus urbem ingressurus sperabatur, cum ingentibus copiis ei obviam processit, atque in ipso lucis crepusculo, priusquam hospitio progrederetur, super eum irruens, paucos resistere tentantes occidit, cæterosq; inopino terrore perculsos, facilè fugavitq; opes, quas amplissimas advexerat, diripuit; ipsum Episcopum captum, traditumq; in manus carnificum, de rupe altissima præcipitari, & sic interfici jussit. Corpus ejus à religiosis viris collectum, atque in monasterio Doleiensi sepultum est; ubi usque in præsens tempus, magnis, ut fertur, miraculis, divinitus sæpè illustratur.*

Accedit Contracti appendix, in ejusdem rei testificationem: *Eberardo Conradus Coloniensis Præpositus, electus à Rege, succedere debuit; sed à clero, & civibus Trevirensibus refutatus est. Unde quidam Comes, de militia Trevirensi, nomine Theodoricus, eundem Conradum Trevirim tendentem comprehendit; & diu sub custodia maceratum, quatuor militibus enecandum commisit. Qui dum eum ter per quoddam præcipitium dejecissent, & nihil ei, nisi brachium collidere possent, unus ex illis pœnitentiâ ductus, ab eo veniam impetravit. Alius autem, volens eum decollare, maxillam ejus tantum abscidit. Et sic ipse, dignus Deo Martyr, ad Dominum migravit Kalend. Iunii. Sepultus ad Abbatiam quandam nomine Doleiam. Tres autem milites mortis illius autores digna ultio postmodùm subsecuta est; nam unus illorum acceptum cibum deglutire non valens, alii duo manus suas lacerantes periêre.*

XI.

Addunt domestici annales, facinoris hujus indignitate, tantâ exarsisse irâ Cæsarem, ut Civitati Trevericæ excidium comminatus sit; sed Sapientum monitis placatum, posuisse furorem. De parricidii immanitate, gravis item extat Sigefridi Moguntini Archiepiscopi ad Alexandrum Pontificem expostulatio, quam annalibus hisce quoque deberi putamus. *Quia maxima quæque Ecclesiasticæ disciplinæ negotia ab ipso Præsulum vertice debent examinari, cujus ex injunctâ omnium Ecclesiarum sollicitudine speciale privilegium est, quod per nos non possumus corrigere, ad patrocinium Almitatis vestræ referimus, quod etiam pridem ad vos pervenisse cognovimus, de crudelissima & inaudita nece designati Trevirensium Episcopi; qui Christianis temporibus nefandissima & sceleratissima Neroniana & Deciana persequutionis cruciamenta expertus, horribili & execrabili pœnarum genere, addictus est morti. Ad cujus monstruosæ necis ultionem, testamenti sui recordatus, primum assurgat Dominus IESVS CHRISTVS; deinde vestræ autoritatis fortissima & patrocinialis manus. Sacris namq; Canonum decretis sancitum est, ut sicubi Episcopus ordinetur, qui vitâ vel moribus à tanta discrepet dignitate, vel, qui ad tantum ascendat apicem subreptione, non electione, ei audientiam non negari; & hoc etiam præter sententiam Romani Pontificis non debere fieri. In qua re, si Clerus vel populus cujuslibet Civitatis se sæculari potentiâ viderit prægravari, ad sacram vestræ sedis defensionem habeat confugium; cui, præcipiente Domino, delegatus est Primatus omnium Ecclesiarum. Nunc verò, ne dum isti, de quo agitur, canonica daretur audientia, ne dum vestri examinis exspectaretur sententia, quasi furtivâ latrocinantium manu, captus & spoliatus, deinde gravissimâ de loco ad locum transportatione afflictus, tandem, ut asserunt communi eorum consilio, morte turpissimâ multatus est. Qua de*

Sebast. Tengnagel. [illegible]

Ultio B. Cõradi ab omnibus Germaniæ Eps apud S. Ap. quæsita

Exaggeratio facti.

Occupatio ex parte Trevirorũ.

Primatus Pontificis Romani.

Injuria cædis.

re quam

Conquestio Episcoporum.

re quàm graviter unanimitas fratrum sit concussa, quàm atrociter audax facinorosorum hominum violentia ad sacri ordinis injuriam sit erecta, vestra Sanctitatis est, prudenter perpendere; & hoc nefarium scelus canonicè ulciscendo, ne de cætero tale quid præsumatur, posteris exemplum relinquere. Orat ergo Sanctitatem vestram socialis Fratrum nostrorum Concordia, & hoc, à vestri culminis patrocinio tota implorat Ecclesia, ut tanti sceleris authores diligentissimè perquiratis; inventos districtissimè puniatis. Qui, si fortè dissimulando latent, gladio Spiritus sancti, velut putrida membra de corpore Christi abscindatis; & ut omnes etiam Sacerdotes nostri eos perpetuæ maledictionis anathemate feriant, firmissimè præcipiatis. Hæc de communi Episcoporum sententiâ Sigefridus. Nec dubium, quin tandem non solùm in facinoris authores, sed in ipsum quoque Trevericum clerum justa expetierit ultio atque censura.

XII. Udo Archiep. 50. Episc. 76. Udonem veteres omnes appellat

Compresso igitur ac sedato deinde omni tumultu, Udonem, quem vulgus Adonem appellitat, reducto, per pessimum licet neque imitandi exempli facinus, antiquo jure suffragii, clerus populúsque consentiens, Antistitem legit; virum cum cæteris virtutibus inclytum, tum splendore natalium, & ingenii doctrinæque excellentiâ, comprimis illustrem. Stirpis originem arcessebat à veteri claráque Nellenburgensium Comitum familia, patre natus Eberhardo, non ut Lazio placuisse comperio, Eppone; matre verò Idâ, monasterio Benedictinis legibus, apud Schaffhusium in Suevia, nomini duodecim Apostolorum condito, celeberrimis. Et, quià Brunonem Archiepiscopum sanguinis propinquitate contigit, Breitthemiorum & Lauffensium Comitum quoque stirpi innexum fuisse, crediderim. Sacro inito magistratu, curas statim omnes ad ornandam ædis primariæ inchoatam à decessoribus structuram, perficiendámque, convertit.

Udonis stirps.

XIII. ANNUS Chr. 1067. Theodorici B. Conradi interfectoris exitus.

Anno autem postero, Theodoricus comes, Majórque Ecclesiæ Trevirensis, qui, ob vesanæ sævitiæ rabiem, piaculum adhuc sancto Conrado debebat, postquam, operum cœlestium, quæ apud ejus sepulchrum, crebrò tum edebantur; & fama miraculorum, longè latéque fines diœcesis pervagata, illius etiam ad aures accidisset, fidem iis, ut accommodaret, adduci nequaquam potuit; cúmque ad extremum ipse experiundi causâ ad Theologiense monasterium veniens, superbo gradu, Basilicæ vestibulum calcaret, occultâ quâ vi arcente eum à templi limine, ingredi nequiit; atque ita inani, ac irrito conatu, unde venerat, pedem referre coactus est. Paulò post solum ab Henrico Rege, exsilii causâ, vertere jussus; acri animum denique ejus subeunte actorum pœnitentiâ, peregrinationem Hierosolymitanam ultrò suscepit, in qua, cùm navigio vectus mari se credidisset, Deo tandem meritum effusi injustè sanguinis expetente vindictam, atroci ac sævâ coortâ tempestate, cùm omni comitatu, fluctibus haustus, miserandum in modum interiit. De eo Sigebertus: *Theodoricus Comes Trevirorum de martyrizato Conrardo apud Deum & homines reus; exsilio mulctatur ab Imperatore; & susceptâ peregrinatione Hierosolymam eundi, quid de eo, & de omnibus, qui in comitatu ejus erant, actum sit, nescitur adhuc.* Verùm rei gestæ seriem & eventum luculentè consignatam, ab hujus temporis scriptore Bertoldo Constantiensi invenisse, mihi gratulabar. Is igitur ad annum Christi MLXXIII. *Theodoricus Comes*, inquit, *pœnitentiâ ductus, pro facinore quod in Conrardum Trevirensium Præsulem deputatum commisit, licèt multa pericula obstarent, ardenti tamen fide, cum multis aliis Hierosolymam cœpit ire. Qui, cùm mare navigio intrarent, subitâ tempestate circumventi, statim obtenebratâ die, quò irent, incerti, cœlesti lumine, sæpiùs exhilarantur. Deinde, non jam mortem in periculis timentes, sed vitam æternam præmeditantes, marinis fluctibus emundati à peccatorum sordibus, migrarunt ad Dominum XIII. Kalend. Martii; nempè Theodoricus Comes, Wideroldus, Marquardus, cum aliis centum tredecim; quos plerosque Treverici generis extitisse, creditu non difficile.* Atque hoc certè testimonio, Mariani censura lenitur, qui omnes Theodorici facinoris administros, malâ morte dixit periisse.

Repellitur occulta vi ab Ecclesiæ ingressu.

Sig. in Chro.

Marian. Scot. Theodoric. & alii.

Theodorici & comitum ejus, religio, pœnitentia, naufragiũ.

XIV. ANNUS Chr. 1068. Ordinatio Udonis.

Porrò, insequenti anno, Udo primùm Archiepiscopus ordinatus est, siquidem ab isto, ordinationis suæ primordia numerasse, vetustis traditur literarum documentis.

Hẽrici Regis vitæ dedecora.

Interim Henricus Rex à concepta semel flagitiorum turpitudine, adeò nihil animum retraxerat, ut turpem sacrorum nundinationem contaminaret tetriore divortii infamiâ, quod cum nupera sponsa parabat. Quippè abhinc biennio, Bertham Othonis Marchionis Italiæ filiam connubio sibi sociarat; quam mox haud benè convenientem, &, ut aiebat, naturæ vitio thoro non idoneam perosus, ac deinde repudiare enixè cupiens, Moguntinum Antistitem ad indicendum super eâ re, anno proximo Moguntiæ conventum, præmiis ac pollicitationibus, impulisse scribitur. Verùm, ut ex editis nuper Sigefridi Moguntini epistolis colligitur, is in perplexa re Alexandri Pontificis sententiâ potiùs, quam Henrici cupiditate niti maluit. Moguntiam igitur cùm omnes regni proceres, dictâ die, convenissent, affuit ibi Alexandri Pontificis Legatus Petrus Damiani, Ostiensis Episcopus, vir ævo gravis, & spectatâ doctrinæ famâ vitæque innocentiâ; qui pro ratione muneris sibi à Pontifice commendati, Moguntinum cæterósque proceres severissimâ periculi denunciatione, ab eo moderando vel ineundo conventu, deterruit. Quod, ubi Henricus in itinere didicit, pedem referre, ac abire jam retrò cogitabat in Saxoniam; sed amicis, quòd ita Principes, quos frequentissimos Moguntiam evocasset, eluderet, id dissuadentibus, eorum rogatu consilióque, Francofurtum accessit. Ibi eum Germaniæ proceres, cum legato adeuntes, graviter ac severè in primis officii ac dignitatis commonuere; denunciavítque palam Legatus, ni mentem verteret ad meliora, Pontificem censuram in eum Ecclesiastici Canonis explicaturum; neque Imperatorem, ubi id exposceret, quandóque consecraturum. Quibus auditis, fractus magis, quàm inflexus: *Siquidem ita vobis*, inquit, *fixum atque constitutum est, agam certè & imperabo egomet mihi,*

ANNUS Chr. 1069 Mogũtinus cœtus discussus de Henrici divortio.

Pet. Damiani Synodo Mog. præest.

Héricus IV uxorem abjectam recipit.

ferámque, ut potero istud onus, quando sublevari aliter nequeo; atque ad eum modum, Reginam iterum, ceu concordem placatus recepit; ita tamen, ut qui infelicium affectus est, ejus deinde cônsuetudinem, quàm invitus admisit, tam citò aspernaretur.

XV. ANNUS CHR. 1070.

Anno salutis recuperatæ millesimo septuagesimo, monachi nonnulli ex Calabria, legibus adstricti Benedictinis, ad seditiones vitandas eorum ac dissidia, quibuscum iis istic vivendum, in Treviros profecti; inde seu invitantibus Dynastis, seu favore Godefridi junioris Arduennatis Beatricis conjugio in Italia florentissimi, in Lotharingiæ fines venêre, quà Comitatus Chiniacensis objacet; atque in loco, qui Vallis Aureæ deinde nomen sortitus est, fundamenta, novo exstructo monasterio, collocarunt; ibique se ex instituto, intermissâ vitæ monasticæ disciplinâ, revinxerunt. Inde congregatio monachorum Vallis Aureæ, Arnulpho de Chinio Comite, benignam postea Cœnobitis operam dante, profecta.

Aureæ Vallis origo ex MS. illius monasterii.

Alexander Papa Episcoporum regnû moderantium causam sibi deposcit.

Eodem pænè tempore, Pontifex Alexander, variis ad se, de Henrici simonia atque insolentia, criminibus delatis, pro eo ac par erat, consultoribus ejus succensens, Archiepiscopos Moguntinum & Coloniensem, & Bambergensem Episcopum, Romam ad se venire jussit. Bambergensi vitio datum, quòd pecuniâ viam sibi ad sedis honorem munisset: omnes simul accusati, quòd Ecclesiasticos magistratus dignitatésque, turpi corrupti largitione, impertivissent. Cæterùm, quæstione discussâ, tuti à damnationis periculo, Romæ etiam, ut perhibent, venali tum jure, causam à sævitia ad clementiam transtulêre; etsi Archiepiscopi, interpositâ juramenti fide, Alexandro satis cavisse visi.

XVI. *Lambert. in Chro. l. Marian. Flan.* Godefridus junior Arduennas quâ virtute & gloria obierit Godefridus Gibber ejus F. Dux Lotharingiæ. *Bertoldi epita. ad Contractum. Sig. in Chro.*

Per eosdem quoque dies, Godefridus Dux inferioris Lotharingiæ, omnibus pænè terris, Lamberto teste, magnitudine rerum gestarum compertis, mortem occubuit; ac relictis filio, præstantis indolis juvene, Godefrido Gibbero, & filiâ Idâ, Godefridi Hierosolymorum Regis matre, Virduni sepultus est. Scribit de illo Bertoldus coævus, fuisse ad quamvis occurrentem peccatorum memoriam in compunctionem lachrymarum effusum ac facillimum; largissimum in erogatione eleëmosynarum, laudato exitu vitam destituisse hujus anni exordio, pridie Natalis Domini.

S Servatius apparet Godefrido Arduennati.

Atque dignum hîc memoratu, quod in actis S. Servatii, ex filii ore acceptum, scriptor æqualis, de Godefridi morte, literis mandavit. Etenim, cùm in Italiam copias deportaret, tristem ei speciem alicubi in quiete oblatam S. Servatii, comitisque pueri, quem gladium bis acutum dextrâ vibrare cernebat. Puero etiam mandata Servatium edere, ut feriret; & unà digitum intendebat in Ducem: damnorum enim & cladium dedisse plurimum in subditis imperio suo locis. Actutum, nec segnem irruisse juvenem, & Ducis visceribus gladio capulo tenus immerso, lethalem imposuisse plagam. At Godefridum tam tragico spectro attonitum, exclamasse quoque, jam ilicò tunc à puero se interemptû esse. Nec vana somni species, in casum veri quippè lethi abiit: nam expergefactus Dux,

Punit Ducem ob Ecclesiastica bona liberiùs divexata.

non sine ingenti solicitudine, & sanguinis se profluvio, & intestinorum magno dolore sensit discrutiari. Cúmque medici artis suæ positâ fiduciâ, in una Cœli solique mutatione remedii vim ponunt, illacrymante conjuge Beatrice, & prænunciante fatum, Lotharingiam repetiit: ubi præteritæ vitæ errata, damnaque Ecclesiarum in mentem revocans, ad cætera pœnitentis animi piacula, vestem quoque monasticam sumpsit, & castigatæ licentiæ severitatem exemplo suo sanxit.

Pœnitens moritur.

XVII. Gerardus Mosellanorum Dux moritur. Theodoricus Alsatus F. succedit.

Eo item tempore Gerardus de Alsatia, Dux Mosellanorum & Lotharingiæ, qui Alberto annis retro duobus supra viginti successerat, supremum vitæ diem confecit, Ducatum filius Theodoricus excepit. Quæ nos tam exquisitè de Mosellanorum & Lotharingiæ Ducum successione tradimus, ut frustra esse liqueat, qui eorum imagines, vel successiones cum Lutzeburgica gente vel serie, vel aliorum stirpe confundere solent.

Stirps nobilis Cõfluentinorum.

Cuno de Confluentia.

S. Florini Ecclesiam & monasterium dotat.

Longè gloriâ famaque liberalitatis stirpem quoque suam commendare jam tunc cœperunt, quibus agnomen gentile à Confluentia civitate fuit. In his certè familiam duxit Cuno Adelberti filius, opulentiâ non magis, quàm religionis studio clarus; qui vitam communem apud sancti Florini clerum opibus suis attollere gestiens, luculentos sanè fundos Ecclesiæ S. Dei Genitricis Mariæ, & inclyti Confessoris Florini, in villis Bubenheim, Wissa, Asca, Buneha, cum agris & vinetis obtulisse non contentus, adjecit in minore Confluentia trans Mosellam tres vineas, & in majore Confluentia quicquid possidebat in loco, cui Campethes erat nomen. Atque hanc donationem Egelbertus Archiepiscopus in suo diplomate ab origine repetens, factam testatur sexto Idus Novembris, præsidente Trevirorum Ecclesiæ B. M. Archiepiscopo Udone, anno Dominicæ incarnationis MLXX. Indictione * VII. anno autem Pontificatus ipsius Præsulis IIII. adstantibus præclaris cleri personis, Folmaro, Hungero, Brunone, Richardo Archidiaconis. Constantino, Effrido, Henrico, Conrardo Cappellanis. Nec non præsentibus laicis liberis ac illustribus. Poppone Comite, Adelberto Comite, Cunone, ejusque fratre Adelberone, Adelberto vicedomino, &c.

Donationis celebris attestatio.

* VIII.

XVIII. *Ex MS. D. Paulini.* Martyrum Trevirensium percelebris inventio.

Porrò eodem stractu temporum Trevirensem clerum acris incessit cupido, Divorum reliquias, quas vesanus Nortmannorum furor, ad hunc usque diem celaverat, è latibulis atque conditoriis, quibus majores, barbarorum metu, eas abdiderant, eruendi; atque in antiquum venerationis locum restituendi. Sed abolitâ prorsus loci memoriâ, negotium id in primis arduum atque difficilè faciebat. Itáque, consulto ea in re potissimum Deo, exoratóque opus esse statuunt. Florebant eâ ætate, in D. Paulini monasterio, viri antiquâ morum severitate, & religionis laude celebres, in quibus Cuono fuit templi Pauliniani æditúus. Ad hunc Folbertus homo peregrinus, idemque luminibus captus, cùm fortè divertisset, Cuono ejus raram atque admirabilem vitæ innocentiam conspicatus, obnixè rogat, ut quoniam, pro reliquiarum inventione supplices ipse cum sociis ad Deum preces

S. Paulini monasteriú sive collegium clero communis vitæ floret. Preces fusæ pro invẽtione reliquiarum.

communi-

communiter jam adhiberet, suas ille privatim quò voti compotes citiùs fiant, jungere ne recuset. Ille, ut ad omnia pietatis opera per se erat vehementer inflammatus, acri in eam rem unam studio incumbere; pervigiliis, inediâ, ac cæteris corporis afflictationibus precum ardorem intendere. Unde accidit, ut posteaquam diu multumque jugi Deo fletu Martyrum inventionem Folbertus commendasset, nocte quâ concubiâ pervigil in oratione, alienato à sensibus animo, ipse aliquamdiu in mentis excessu persisteret. Ibi tum visus sibi cernere monasterium subterraneum, amœno diffusum & patentissimo loco, ac simul ingentem in eo cæsorum multitudinem, trunca vulneribus membra & laceros artus ostentantium. Ex his, cùm nonnullos imminere sibi, ac veluti ad hoc tantum, ut interrogarentur, offerre sese identidem animadvertit, collectis aliquantisper animi sensibus, Quin, obsecro vos, inquit, Domini, unde & quinam estis, agite, dicite, amabo vos, à quo tam malè mulctati? Tum quispiam ex iis senectâ gravis: *Nos paganorum fugientes olim persecutiones, & ab iis ad pœnas requisiti, istas, quas vides plagas accepimus.* Nec plura; Folbertus extemplò ad se reversus, cùm, quæ per quietem ipse viderat, aliis exposuisset, divino velut afflatus instinctu cecinit, si preces quomodo cœpissent, pari animorum ardore & æquali curâ, continuent, fore, ut priusquam hic orbis anni vertat, compotes voti, thesauris fruerentur optatis. Illi igitur, autorem minimè levem satisque fidum rati, cujus oracula monitáque sequerentur, pergere in incœptis; atque auxilio etiam implorato aliorum, decernunt impensiùs se dare in studium divinæ precationis.

Folberti cæci rara pietas.

Folberti cæci admirabili visu päditur locus ubi Martyres defossi.

XIX. Visû aliud quo martyrum conditoria reteguntur. Frideburga monialis Horrei superno monito de reliquiis docetur.

Interea abierat in Hispaniam Folbertus, debitum Divo Jacobo Apostolo votum facturus; cùm in Horreensi monasterio Fridiburgæ sanctimoniali, ejusmodi res contigit. Meridiano tempore in æde sacra commorans, cùm fortè precibus, ut fit, indormisset, secundùm quietem audire vocem est visa, humana clariorem, jubentis schedas, quas bibliotheca servaret aureis exaratas literis, ilico conquisitum iret. Expergefactam, atque quòd nihil cerneret, præ metu magis hæsitantem, iterum ac tertiò vox eadem instantior monebat, & graviter jam aurem ei vellebat; donec animi confusa, consternatáque abscedens, morem cœlesti voci gerere tandem obfirmat. Scriniis itaque diligenter omnibus, atque forulis excussis, dum abstrusas veteris memoriæ schedas pervolutat, venit in manus sacer de Divi Paulini laudibus conscriptus olim hymnus; quo cùm obiter sepulturæ locus, atque aliorum item Martyrum essent res annotatæ, consilio ad peritiores relato, placuit accersiri quempiam ex D. Paulini collegio, quòd hanc rem maximè tum illis esse curæ non ignoraret. His igitur Frideburga, simul ac omnia visa auditaque ingenti cum audientium stupore enarravit, hymnusque ad cleri manus perlatus est, consensu haud dubio omnium, quorum id huc usque studium fuerat, de inquirendis in æde B. Paulini reliquiis, anno postero, agi intentiore curâ cœptum.

Hymnus de S Paulini & Martyrum sepulchris.

XX. ANNUS CHR. 1071.

Itaque re Udoni Archiepiscopo nuntiatâ, ejus autoritate cryptam atque altaria quædam, refossâ humo, demoliendi potestatem fieri postulant. Quâ impetratâ, constituto die, præstantissimos quosque, tam ex clero, quàm Episcopi comitatu viros, quorum sub oculis res tota gereretur, adhibere visum. Hi igitur cum spectaculo intenti, pleníque venerationi adstarent, ibi tunc incredibili omnium lætitiâ, tredecim inventa, partim ex sacra Thebæorum militia, partim ex senatorio corpore Trevirorum Augustæ sacrosancta Martyrum pignora. Quin altiùs retectis cryptæ fundamentis, etiam ad pretiosum beati Paulini corpus fodiendo deventum; apud cujus loculum tabula reperta marmorea, jam inde à Nortmannorum illuvie terris obruta, atque alia item subter eam plumbea; quæ cæterorum corporum positum atque collocationem, tum Martyrum etiam certamina atque nomina, his omninò verbis, edebat:

Udo Arc[hi]episc. po[te]statem f[aciet] inquiren[di]

Tredeci[m] invéta M[ar]tyrum co[r]pora.

B Paulini tumulus patefit.

XXI. Tabula martyrum Trev. me[m]oriam c[om]plecten[s] reperta.

IN hac crypta jacent corpora Sanctorum, secundùm sæculi dignitatem nobilissimorum, secundùm Dei autem voluntatem Martyrum pretiosorum. Nam * *Rictiovarus Maximiani præfectus, legionem, jussu ipsius circumquaq. persecutus, hanc etiam urbem, propter ipsos est ingressus; quorum innumeros cùm hic occidisset, hos quoque hujus civitatis Principes, fidei Christianæ confessores, cum ipsis occidit; corpora quorum hic circum circa sunt collocata. In medio verò ipsorum S. Paulini Clarissimi Trevirorum Archiepiscopi corpus est ferreis catenis suspensum;* **quod ibi S. Felix, hujus sedis Episcopus, à Phrygia, totius* * *provinciæ viribus translatum, tertio Idus Maji honorificè suspendit; qui & istud monasterium in honorem sanctæ Dei Genitricis, nec non eorundem Martyrum, construxit. Nam præter horum Principum corpora, innumerabilia ejusdem multitudinis corpora in hoc monasterio sunt comprehensa; quorum nomina, sicut innumerabilis populi, & peregrinorum non potuerunt reperiri, excepto uno Ducis vocabulo, qui Tyrsus vocabatur. Hujus itaque & eorum Martyrum vocabula, quorum hic videri possunt sarcophaga, aureis literis in hujus cryptæ pariete conscripta fuerunt; quæ inde devoti, qui tunc erant Christiani, huc transtulerunt, quando Nortmannos hanc urbem, sicut cæteras undique urbes, depopulaturos esse, præsciverunt. Hic ergo, qui in dextro sancti Paulini latere est repositus, Palmachius vocabatur, qui Consul & Patricius toti huic civitati principabatur. In sinistro autem latere ipsius qui jacet, Tyrsus vocabatur; cujus nomen solius de tanta multitudine ideò notatum, quia ipse ejusdem legionis gerebat Ducatum. Ad caput hujus S. Paulini septem jacent hujus urbis senatores nobilissimi, martyrio cum ipsis Thebæis coronati; quorum medius vocatur Maxentius: juxta quem dextrorsum qui jacet proximus, nomen habet Constantius, post quem est Crescentius, postea Iustinus. In latere autem sinistro Maxentius, Leander; juxta quem Alexander; postea Soter. Ad pedes verò sancti Paulini altrinsecus, positi sunt quatuor viri genere & virtute Clarissimi, qui licet tempore pacis occultè Christum colebant, tempore tamen persecutionis apertè adeò & constanter fidem Christianorum defendebant, & ipsi* * *Rictiovaro in faciem resistebant,*

* Rictius Varus.

Thebæi Treviris [à] Rictio V[a]ro passi.

S. Paulin[i] corp*, qu[od] ex Phryg[ia] transtulit S. Felix E[p.] Trevir.

* regni.

Martyres Treverici innumerabiles.

S. Tyrsu[s] Dux Thebæorum.

S. Palmachius Consul Trevir.

S. Senator[es] VII. urbi[s] Treverica[e]

S. IV. Athl[e]tæ, qui cl[a]riore martyrio per[]functi.

* Rictio Varo

*resistebant, quod eos quasi ad exemplum aliorum, diversis tormentorum generibus multum afflictos, tandem in præsentia sua fecit decollari. Alter ergo duorum versus Austrum positorum, interior scilicet Hormisda, exterior autem Papyrius, vocatur; alter autem eorum, quorum latera Aquilonem respiciunt, interior item Constans; exterior Iovinianus, vocatur. Ingressus est autem Treverim * Rictiovarus IIII. Non. Octobris; & eâdem die occidit Tyrsum cum sociis; sequenti autem die Palmachium cum aliis Principibus civitatis; tertiâ verò die eadem exercuit in plebem sexus utriusque.* Addit Sigebertus & aliud indicium præter Tabulam hanc, aureas etiam literas parieti inscriptas, tempus signasse & dies passionis.

* Rictius Varus.

Sig. in Chron. ad hunc an.

XXII. Hujus tam inexspectatæ, novæque rei deinde fama, cum latè per Germaniam vicinamque Galliæ oram hominum sermone percrebuisset, atque animos omnium, sanctâ quâdam religione ac pio visendi studio excitasset, placuit Archiepiscopo Basilicæ cryptam, humilem illam quidem, ac temporum injuriâ tunc obscuram, magnificentiore opere mox explicare, dignúmque Sanctorum majestate ei addere splendorem. Quod, dum ille molitur opus, interea Treviris non deerant, qui improbo, malignóque dente carperent Martyrum inventionem. Sed, ut à calumniis seipsam religio non rarò vindicat, res accidit ad impiorum redarguendam sive stultitiam, sive maledicentiam coërcendam, in primis admiranda. Cryptæ laxandæ fodiebatur terra; eamque egeri oportebat in vicinam templo paludem, quæ tum in Occidentali parte, tetri materiam flatus exhalans, Basilicæ salubritatem vitiabat. Atque hic, cùm effossa inter rudera, & varia terræ rejectamenta, Clericus, cujus ante fores agger jacebat, albentia quædam ossa fortè conspicit; unum ex iis, subeunte tacitâ animum religione, levatum, feminæ custodiendum tantisper tradit, dum in templo, decenti loco, reponatur. At contemptrix illa sacrorum, non sine irrisu, postquam clerici superstitionem increpuisset, reliquias domum quidem abstulit, sed repentè cardiaco tacta morbo, tantis inde dolorum stimulis pungi se, vexarique intimis præcordiis sensit, ut, ceu propinquâ morte, pœnitens, nutu atque significatione viaticum postularet. Tum arcula, in quam venerandum os illa condiderat, proferre jussa; simul, ut recludere ac promere velle os cœpit, tanta mox ibi vis sanguinis ex osse sacro profluxit, ut fontis instar ebulliens, faciem, ora, manúsque mulieris, ubertim respergeret; adeóque pellitam manicam, quâ dextrâ tegebatur, largo cruore perfunderet. Quo facto, mox pristinam corporis integritatem quoque recepit. At sanguis interim, cùm manare non desisteret, clericus miraculo tam insigni perculsus, confestim ad ædem Paulinianam accurrit; scriniúmque cum osse in templo, compertâ reliquiarum sanctimoniâ, collocavit.

Udo Archiepisc. cryptam Martyribus novam molitur.

Miraculo insigni calûniæ maledicorum refutantur.

Os sacrati martyris sanguine manat.

Meminit hujus Lambertus.

XXIII. Inde, famâ rei gestæ omnes pænè Ecclesiastici magistratus exciti, in Paulinianam Basilicam convenere; habitóque de reliquiis sacris consilio, terram egestam in solum esse transferendam sacratius, & os, quod etiam tum sanguinem fundere non desinebat, reponendum in ara maxima censuerunt. Hoc consilio omnium consensu probato, festivo æris campani sonitu multitudinem ad templum convocari placuit; quæ cùm certatim, magno istuc numero, confluxisset, incredibili admiratione ac stupore defixa, coram oculis miraculi religionem præsentis, toto pænè triduo, hausit. Siquidem quinto Nonas Martii sanguis exuberare cœpit; & tertio Nonarum ejusdem mensis, desiit. Tanta verò sacrati virtus ossis hujus fuisse proditur, ut aqua, quam vel leviter tinxisset, tetigissetque, ægris quibusvis etiam salutarem præsentemque medicinam adferret.

Sanguinis ex osse sacro manantis prodigium.

Cæterùm hæc, quando Treviris divinâ quâdam ac cœlesti virtute gerebantur, Archiepiscopus domo aberat; qui, posteaquam in urbem reversus, magnitudinem miraculi comperit, ædem orationis causâ cum reo quodam Aquitano piaculis obstricto, continuò petiit. Aquitanus is ferream manicam indutus, vincli immanitate, brachio ob putorem & saniem propemodum erat vulneribus confecto & adeso. Is, ubi præsente Antistite, multa cum prece, Sanctorum monumenta, venerabundus obit; manicâ repentè solutâ, ferrum cum tinnitu in sublime sponte exsiliit; ipse verò prostratus, & impetûs vi afflictus solo, ut ex casu sese collegit, non brachium modò vinclis, verùm & animam hoc tam insolito ostento, nexu criminum expeditam, sensit. Etenim mos hâc ætate susceperat, ut magnorum criminum rei piaculi causâ ferro onusti, Sanctorum memorias obirent; & tunc pacem veniámque consecuti censerentur, cùm Dei & Divorum ope, ferri & compedum molestiâ soluti, divinitus hæc vincula excuterent.

Miraculis variis comprobatur martyrum Inventio.

Udone Archiepiscopo præsente Aquitanus nexu laxatur.

Compeditorum probatio.

Rursus, ipso Palmarum die, mulier linguâ atque auribus capta, inspiciente & admirante clero, utriusque officium recuperavit. Mox quinto Kalendas Maii, in sollemni supplicatione, puer mutus & elinguis brachio debili, à parentibus in cryptam deductus, ut supplex osculum Martyrum sepulchris infixit, confestim inusitato sermone, patrem compellans, protentâ manu, quam ante hac non moverat, lucentem apud sepulchra de more cereum monstravit. XXIV.

Surda & muta curatur.

Puer elinguis vocem recipit.

Enimverò his, atque ejusmodi compluribus, admirandæ sanctitatis indiciis, quæ enarrare hîc, dum copia fatiscunt, nimis prolixum fortasse, atque injucundum etiam foret, præsens Martyrum inventio, longè latéque celebrata fuit: id quod Sigebertus etiam & Lambertus Chronicorum hujus sæculi Principes, silentio non prætererunt.

Fuit per id tempus, Germaniæ status longè miserabilis, Rege Henrico, propter ætatem ac bonæ mentis inopiam, procellæ sævientis impetum haudquaquam sustinente. Monachis itaque, refractis antiquæ disciplinæ & Christianæ modestiæ vinculis, ad amplissimarum Ecclesiarum honores sedésque non viâ virtutum, ut assolebat, sed ambitu ac fœdâ profusione grassantibus, tantam in invidiam, universum sacri gregis corpus adductum, ut omnes eâdem causâ pravos æquè atque bonos passim implicaret; miscerétque innoxium criminosis. His itaque malis seu XXV.

Regni Germanici fluctus malè Henrico gubernante.

Lambert. in Chron.

morbo

Monasteriorũ corruptelæ.

morbo quodam monasteriis languescentibus, Episcoporum virtute præstantium consilio accersiti, ex Italia antiquæ severitatis monachi; & qui in horum instituta concedere noluissent, ii monasterii septis exclusi, ac alibi exsulare jussi.

XXVI. S. Maximini monasterium utcũque floret.

Per id itaque tempus S. Maximini Cœnobitæ, quorum virtutis ac disciplinæ fama non penitus interierat, ab Annone Coloniensi, in Sigebergensis domicilii novam coloniam deducti. Verùm, cùm Italicis se accommodare posse institutis negarent, iidem in Treviros honorificè paulò post remissi sunt.

Regis Henrici licẽtia.

Sed neque hujus mali vis, monasterii sese limitibus continebat, verùm ultra, in omnes imperii ordines prolabi se passa, vagabatur latiùs. Etenim indomitâ & effræni Regis indole, quidlibet audere atque agere in proclivi; iis præsertim, qui aulæ penetralibus incubantes, pravis eum adulationibus sibi devinxerant. Jure igitur judiciisque sublatis, incisis omnis honestatis, & legum habenis, victrix scilicet exultabat improbitas. Premebantur innocentes; pupilli & viduæ diripiebantur impunè; in monasteria verò, & Ecclesias, omnis se malorum tempestas effundebat; quippè, quarum compilare fortunas, divexare census, opes exhaurire, quotidianus quidam cupidorum hominum jocus & ludus erat.

Marianus in Chron.

XXVII. ANNUS CHR. 1072. *Bertholdi appendix ad Contractum, Lambertus Adam. li. 4. cap. 32. & seq.*

Quibus superantibus, atque aliis indies emergentibus malis, anno sequenti regni Principes, contra Henricum inière conjurationem; quam nisi Adalberti Bremensis Episcopi mors opportunè restinxisset, in maximum Germania præceps ierat bellorum incendium. Henricus inde Coloniâ Trajectum ad Paschale festum ibi exigendum profectus, tam asperis hìc indignantis populi rerum, verborumque contumeliis, exceptus est, ut de reddenda Republica Annoni Coloniensi Archiepiscopo cogitaret; qui licet jam tædio rerum mortalium, & juxta ætate ingravescens, tantam negotiorum molem omninò recusaret, annitentibus tamen cunctis, atque omni precum genere, ut administrationem susciperet, eum obtestantibus, concessit. Finem inde vivendi fecit Adalbero Metensis, cujus sedem Hermannus tenuit, Leodiensis Præpositus.

Anno Colon. rogatus Imperii curam suscipit.

Adelbero Metensis moritur.

XXVIII. ANNUS CHR. 1073. *L. 1. Registri Greg. 7. To 3. epist. Pontif.*

Sequens annus, morte Alexandri probatâ vitæ innocentiâ Pontificis fuit insignis; quem cleri jussu Romani Hildebrandus Archidiaconus excepit, qui Gregorii septimi nomen tulit.

GREGORIUS VII. PONT. A. 13. *Thiofrid. in MS. vita S. Willibrordi.*

Ad hæc etiam tempora refero, quæ Thiofridus Abbas Epternacensis in S. Willibrordi mirandis rebus à Walachris, illius patroni felicibus auspiciis domi militiæque gesta memoriæ prodidit. Est Walachria ex quinque Zelandiæ insulis una, quam S. Willibrordus fidei Christianæ radiis primus olim illustravit. Hanc cum Flandria perhibent fuisse continentem, sed abruptam denique Schaldis intermeantis incursu. Basilicam habuit nobilem & miraculis illustrem, quæ cum aliis fundis Epternacensi monasterio subjecta, ab hujus loci Antistite, jus & sacra accepit: Westcappellam nuncuparunt majores, in qua S. Willibrordus accepto vulnere ob fusum & aspersum altaris crepidini sanguinem, ad hoc ætatis Insulanorum religionem alebat; quæ & aucta percussoris non solùm interitu, sed in omnem ejus posteritatem expetente pœnâ, cùm quicquid alterutro sexu parentes ederent, semper breviore membro aut longiore, aut certè gravi morbo vitiatum nasceretur.

Walachria insula Zelandiæ à S. Willibrordo cõversa.

Ejus Basilica Westcappella.

S. Willibrordi, qui hic sauci tus, relig

Insula quoque mirificâ rerum copiâ & habitatorum abundans frequentiâ, tum robore præstantium equorum felix, sed insanis Oceani fluctibus usque tundi terique solita, postquam Christi fidem suscepit, à S. Willibrordo littore tenus sulco ad certum spatium descripto sic conservata traditur, ut arenarii colles, Dunos incolæ dictitant, S. Præsulis beneficio excitati, tanquam obices, maris impetum prohiberent, & furentis insaniam comprimerent.

Insulæ d tes & eju conserva *MS. vita S. Willibr & S. Lamb na apud A terum in a 1018.*

XXIX. *Iac. Meer. l. Mareb* Zelandis insulæ Fl driæ Cor tibus à C saribus at tributæ.

Flandrorum monumentis traditur, longissimi belli occasionem ejus gentis Comitibus cum Hollandis & Zelandis extitisse, insulas Zelandiæ, quas Cæsarum beneficio jam dudum sibi vindicabant. Reliquerat nuper Balduinus Pius Balduinum & Robertum liberos; quorum Robertus junior cognomento Frisius, fusis fugatisque nepotibus ex fratre, Flandriam anno superiore per vim occuparat; rebusque ex animi sententiâ illic constitutis, arma in Walachros, Mitthilburgensibus vel inprimis infensus, parabat, insulæ toti, eorum caussâ, minitans exitium. Insisto veteris authoris jam deinceps pænè verbis & sententiis, ut pro gravitate cœpti operis, vulgatis traditisque minus adimam fidei. Rupertus itaque Comes, cum Morinis inito consilio, ex Francigenis & Germanicâ gente eam contraxit vim copiarum, ut compositis ad pugnandum denis Flandris vix singuli Walachri obsisterent. Nam legiones ter denas navibus impositas, quæ mille viris singulæ constabant, per Schaldis alveum, cui tunc * Meermuro nomen, in hosticum subvexit exposuitque. Walachrenses & multitudine hostium, & imminentis periculi magnitudine perterriti, legatos de pace obviam mittere, bellum frustra deprecari. Quamobrem ceu extremis, & desperatis in rebus agmine facto, ad opem superûm confugère, prece multâ, votisque Basilicam S. Willibrordi, quam sanguine suo consecrarat, implère; sed, quod caput, ubi salutaris hostiæ se mysticâ dape corroborarunt, sponsione sanctâ obstrictos se declararunt, annuum censum Patrono persolvendi, si ipsius propitio interventu, victoriæ votique compotes evaderent. Nec mora, religione ac fide in eorum calescente pectore, pyxidem, in qua sancti Præsulis servabantur reliquiæ, sublatam, summo vexilli suspendunt; earumque freti præsidio, pugnam audent. Magnâ ab iis provisione curatum, nè prælium inituri solis radios adversos obtuerentur. Hoc primo ad victoriam omine, pugnatum inde est tantâ virtute, ut hinc viros, inde pecudes putares. Victi Flandri, cùm ad naves confugerent, alii in ratibus suis fædè perempti stratique, alii in mare præcipites acti, undas cruoris sui purpurâ tinxerunt. At Walachri, ut nobis ab eo relatum, qui prælio interfuit, tres modò de suis desiderarunt, qui incuriâ & spontè suâ perierant. Et acceptum à fide

Roberti c gnoment Frisii in W lachros si ptum bel lum.

MS. cit. a.

Ruperti f Roberti c piarũ m gnitudo.

* Meermur

Walachre ses ad S. Willibror opem co fugiunt.

Sacrâ Eu charistiâ se commu niunt.

Reliquia S. Willibrordi ve xillo alli gant.

Flandror strages.

Columba in acie visa Walachrensium.

dignis, columbam alitem volitasse tam diu juxta Walachrensium aciem, donec feliciter prœlium confectum esset. Denique Triumphatori omnium Deo Opt. Max. votis ritè persolutis, rapta duo ex hostibus vexilla Epternacum in Trevitos missa, & sancti Willibrordi memoriæ, cujus patrocinio bellum hoc profligatum, dedicata sunt. Æquor adhuc suum decurrit Thiofridus.

Vexilla Roberto Comite erepta Epternacū delata.

XXX.

Cap. 36. vita S. Willibrordi MS.

Intervallo annorum hæc gesta videntur.

Pax apud Walachros inter se discordes mirabiliter confecta.

Walachrorum & Zelandorum in S. Willibrordum Apostolum suum & Abbates Epternacenses observantia.

Defuncti externo bello Walachri, hinc in mutuum & civilem sanguinem exarserunt; eoque furor iit discordiarum, ut cæsis nobilioribus Insulæ, nullus ad eos ingressus exitusque inde tutus esset. Nec arma die ipsâ Parasceves ponebantur, quo vel ligni Dominici adorandi in templo copia daretur. Fessi tamen, & post multa suorum funera dolore fracti, deliberant communi legatione accersere ad se Thiofridum Epternacensem Abbatem, ut is autoritatem interponens fidissimi Patroni S. Willibrordi, cujus scilicet is vice fungebatur, mersis rebus consuleret, & distractos inter se animos sanctiore fœdere jungeret. Hunc adventantem Walachri 16. longis navibus Insulâ egressi, in portu Antwerpiensi expectabant; sed ob itineris casum moras eo nectente, cùm generalis Placiti dies triduo post immineret, redire coacti, necessariis suis ac amicis excipiendi Abbatis munus commendarunt.

XXXI.

Magna tum in Zelandiæ insulis ob pluviarum inopiam agrorum siccitas erat, quæ sterilem annum, & agricolis tenuem exilemque messem portendebat. Ergo, ubi vela ventis dant Walachri, nautico celeusmate: O Domine, inquiunt, ô S. Willibrorde; si ad nos populum tibi peculiarem, tuíque studiosum venturus es aliquando, indicium dato Apostolatûs tui, frugiferum imbrem. Nulla mora:

Pluviæ in siccitate à S. Willibrordo impetratæ.

Jamq; polo pressæ nubes densantur in imbres,
Spissat aq; fluunt.

Itaque pluviâ voluntariâ Deus hæreditati suæ segregatâ, Dilecti sui adventum prænuntiabat. Vix portum hi tenuêre, cùm Antwerpiæ affuit hujus historiæ scriptor Thiofridus, sancti Willibrordi Vicarius; qui festo illius civitatis occursu à clero cum pompa reliquiarum & Augustâ specie vestis, obviam prodeunte, ceu quidam Angelus Dei, imo ut Christus ipse, ingenti cum gloria exceptus est. Atque Antwerpiæ multorum inter se dissidentium conciliatis animis, eorum honorificâ evectione navibus in Mitthilburgensium portum delatus est. Crepusculo diei, Insulani undique concurrentes, littora complerant; ingentíque vocum & lætitiæ significatione, Thiofridum Abbatem, tanquam ipsum de cœlo missum venientem ad se Willibrordum excipiunt, & in templum deducunt. Ac præter gentis morem; spontè in disciplinam & reverentiam compositi, frequentes in concilium veniunt. At

Thiofridus Epternac. Abbas honorificè à clero populoque Antwerpiensi excipitur.

Mitthilburgensium portus.

Thiofridi Abbatis in Zelandiam adventus, & prudens de pace cōsilium.

Ille regens dictis animos, & pectora mulcens,

leviora tantum, ceu molli brachio in præsentia commonere, & percurrere, magis ardua & immitia tractatu, sequentem in lucem rejicere. Quâ quidem ille viâ paulatim jungere discordes, & inimicitiâ disjectos pacis legibus ingressus est adstringere; Deo sanctóque Willibrordo miris interim modis frangente contumaciam eorum, qui ægriùs placari se passi fuissent. Nam, qui veniam offensionum submissè deprecantibus obstinatiùs negarunt, alius à Dæmonio obsessus, alius luminibus captus, non nisi ad Sancti reliquias, & ad meliora versi, malo caruere.

Divinitus puniti implacabiles.

XXXII.

Pacis ineundæ & conciliandæ ritus.

Hinc ad universæ pacis negotium conspirantibus omnium animis, placuit de singulis utrinque cæsorum familiis septena capita deligere, atque horum communi, tum Abbatis illiusque comitum arbitrio, concordiæ fœdera concipere. Ergò more gentico, rei sanguinis depositis prius tricenis tripla compositione * libris, inductâ mutuâ irarum oblivione, viri procerâ staturâ, & generis ac roboris præstantiâ lectissimi facti milites seu clientes ultorum sanguinis, ac iidem humilium & longè se inferiorum obsequiis fideique, sancto Willibrordo patrocinante, dediderunt. Atque hæc otii tranquillitas tunc in gente aspera, audace, bellicosa, quæ ferro nunquam domari potuit, interprete Eckhardo Cænobita egregio, qui ante conversionem inter Insulæ primores extiterat, authoritate Thiofridi Epternacensis Abbatis, ac denique cœlesti ope sancti Willibrordi, Zelandorum Apostoli & Patroni, parta est.

* à libra. Rei, clientes facti læsorum.

Walachrensium ingenium.

Walachrensis pacis autores.

Eodem tempore Anno Coloniensis Archiepiscopus, graviter earum rerum specie commotus, quæ præter æquum & bonum in aula quotidie gerebantur, vocationem à Rege procurationis publicæ postulavit, senectam causatus minimè tantis regni tractandis negotiis idoneam, vel laboribus sustinendis parem. Henricus sanè haud gravatè petenti commeatum dedit; vel eo nomine plurimum quoque lætatus, quòd procul è conspectu Annone remoto, ipse quasi pædagogo severissimo liberatus, in omni se deinceps libidinum atque flagitiorum cœno volutaret licentiùs.

S. Anno Reipub. gerendæ curam ponit.

XXXIII.

Saxonū cū Henrico Rege dissidium.

Epist. 10. l. 2. Regist. & hujus temporis Chronologi Lamb. Vita S. Annonis. Epistola Sigefridi Mogunt. in monumen. tis Sebast. Tengnagel.

Primùm igitur cùm Saxonum ac Thuringiæ populos, quos aulico luxu atque perenni ferè sumptu exhauserat, irritasset, hos utpotè jam infensiores, nec facilè acceptâ semel offensione placabiles, erat in animo frangere; atque Suevis, quos unicè complectebatur, in eorum sedes traductis, exuere legibus ac imperio. Itaque regionis circumquaque ambitum castellis præsidiisque claudere velut indagine cœpit; & locis editioribus, firmâ dispositâ militum manu, suos inde populabundos in agris vagari Saxonum; atque omni eos contumeliarum genere divexari passus est. Inde, lacessito jam otio civili, ne sacra tranquilla, & à scelere intacta haberet, Moguntinum Episcopum, ad id sponte suâ inclinantem, & omnia Romæ molientem, ad imperandas Thuringiæ Ecclesiis, contra omnia vetustatis exempla decimas, indictâ Erfordiæ Synodo, perpulit. Quibus, propter facti indignitatem, conciliabuli istius decretis morem non gerentibus, & si porrò instaret, Pontificem se appellaturos profitentibus, Henricus ibi præsens Deum, fidémque suam testatus, capitali pœnâ pronuntiavit, se animadversurum in eos, qui provocare ad Pontificem Romanum fuissent ausi. Quibus ille rebus publicè non ingentem solùm regno calamitatem, sed extremum sibi dignitatis vitæque discrimen

Erfortensis Pseudosynodus in causa decimarum.

privatim

privatim accersivit, nempè Saxoniæ populis temerè ad arma concitatis, & alienatis ab se omnium penè regni Principum animis.

XXXIV. ANNUS CHR. 1074. Gregorius recens electus Udoni causam Virdunēsis Ecclesiæ commendat. *To. 3. ep. Pont. l. 1. Reg. ep. 81.* Theodorici Virduneñ. Episcopi adversus monast. S. Michaëlis conatus.

Annus jam septuagesimus quartus supra millesimum illuxerat, cùm Gregorius, ipso propè Pontificatus ingressu, quo loco eminere apud se Udonem vellet, ampli ei delatâ functione muneris, ostendit. Jam tum Theodoricus Virdunensis Episcopus animi moderati opinionem vix sustinebat, cùm aliena jura parum æquâ æstimatione prosequutus, parvi duceret admonitus, spernere Pontificis imperia. Monasterii sancti Michaëlis incolas, novâ consuetudine premebat, id agens, ut quotannis in unum congregati, Virdunum cùm Litaniâ Cathedrale templum adirent. At illi onus id futurum rati autoramentum novæ Jurisdictionis, morem velut inusitatum constanter recusarunt. Theodoricus igitur, quos jussu non poterat, vi atque potentiâ flectere exorsus, demum commercio sacrorum renuentes expulit, & locum eorum sacris officiis interdixit. Neque interpellatus à Gregorio, ut solveret, pacémque daret, animum induxit. Ergo Pontifex hominis pertinaciæ diffisus, negotium dat Udoni, ut ex ipsius, & suâ parte convocatis & junctis sibi Suffraganeis, Herimanno Metensi, & Popponc Tullensi, ad colloquium evocet Theodoricum; doceátque à Pontifice, animo sanè æquo non accipi, ab eo reverentiam sedis Apostolicæ neglectam, suæque voluntatis esse, communionem sacrosancti & divini ministerii primo quoque tempore restitui; tempus caussæ dictioni utrinque constitui, quæstionem vel istic in Synodo, aut se coram, Romæ disceptari. Quod si parère Theodoricus recuset, tunc copiam fore Udoni, ut unà cum collegis, Apostolicâ authoritate locum anathemate solutum, interdicto expediat, ipsum verò Theodoricum, pertinaciæ & contemptûs rationem apud sedem Apostolicam reddere compellat. Data Romæ prid. Non. Maii, Ind. XII.

XXXV. Hermanni Metensis Episcopi apud Gregoriū gratia. *To. 3. ep. Pont. l. 1. Re. ep. 84.* Hermanni Bambergēsis Episcopi noxa.

Per eos quoque dies Hermannus Metensis Episcopus apud Gregorium constantis amicitiæ fundamenta jaciens, opinione virtutis, consiliisque deinceps plurimum in paucis profecit. quippe, cùm nuper exordio sui sacerdotii Romam adiisset, sic animum sibi Pontificis demeruit, ut idoneum unum arbitratus sit, cui Hermanni Babenbergensis Ecclesiæ caussam commendaret, cujus tum dignitas per varia dedecora, velut infamiæ nube obscurata vacillabat.

Gregorii VII. zelus erga Ecclesiasticam disciplinā. *Marian. in Chron. Otto Frisin. l. 6. c. 34.*

Etenim Gregorius VII. Pontifex Maximus, ante susceptum Apostolicæ cathedræ honorem, quæ erat præstans viri erga Ecclesiam pietas, gravissimè semper disciplinæ Ecclesiasticæ censuram exercuerat; vitiorum cùm omnium acerrimus hostis, tum vel Simoniacorum avaritiæ, vel turpi Nicolaitarum libidini, præcipuè infensus. Verùm, ubi ad hoc culmen dignitatis ascendit, gnarus, in Germania hæc ipsa scelera non ire solùm præter oculos, sed velut in publicum missa, usque eò Clericorum evaluisse pectoribus, ut Regis atque multorum Antistitum exemplo juberi magis appareret, quàm vitari, nihil antiquius vel prius habuit, quàm ut effrænem illam improborum licentiam coërceret; tum etiam Regis animum, turpiter in Ecclesiarum nundinationes effusum, velut injectis Apostolici rigoris habenis, adduceret idem, & ad officium revocaret.

Schismatis diuturni initium.

XXXVI. *Lo. 2 Regist. ad epist. 12. Notat To. 3. Lamb. Sige. Marta. bertol. Constan.* Lateranēse Concilium. Investitura laica damnatur. Item concubinatus cleri.

Conventu igitur frequentissimo Episcoporum Romæ in Lateranum coacto, duo potissimum capita, ad præsentem emendandum Ecclesiæ statum sancivit; quorum alterum ad sacerdotia pertinebat; alterum ad clericos. Et primò quidem cavit, ut qui à laico Investituram acciperet; & qui daret, & qui acciperet, anathemate plecteretur; posteriore, ne clerici contra omnia antiquitatis exempla uxores ducerent; neu turpi concubinarum sese consuetudine implicarent: qui verò retinere eas omninò decrevissent, sacerdotium dimitterent; nec quisquam ad sacerdotium vocaretur qui non perpetuum cælibatum profiteretur; atque eo decreto facto, literas ad omnes Episcopos, tam Italiæ quàm Germaniæ dedit, præcipiens, ut feminas à cleri passim contuberniis longè pellerent. Inde, nonnullis Germaniæ Episcopis, qui Henrico ad hæc ipsa mala facem prætulerant, sacrorum interdicto notatis, ilico missi in germaniam cum Henrici matre Episcopi; Ostiensis, Prænestinus, Curiensis & Comensis; quibus hoc negotium datum, ut Synodi decreta publicarent; maximéque nascentem dissidii flammam inter initia, priusquam latiùs proserperet, virtute atque consilii sapientiâ opprimerent.

Lateranēsis Concilii decreta publicantur in Germania.

XXXVII. * Pipo, Bibo. Gregorius Udoni accusationem Popponis Tulleñ. Epi. defert *To. 3 l. 2 Regist. epist. 10.* Crimina Popponi Tul. Episc. objecta.

Eo tempore * Poppo, Tullensis Episcopus gravi simultate, cum ædis Leucorum Custode clerico primæ dignitatis contractâ, sacerdotio ac officio virum honoratum alioqui, depulerat. Etenim, cùm justis imperiis opprimere Custodem non posset manu militari obtrectantem amovit; & fortunis omnibus exuit, quia Popponem ob vitæ dedecora, jubendi autoritate, excidisse diceret. Quare apud Gregorium Romæ inquinatissimæ vitæ criminibus Episcopus arreptus, multis de caussis à clerico accusabatur; nempe quòd ad Episcopatum, pactione præmii, pervenisse, rumor esset; quòd Archidiaconatus, consecrationes Ecclesiarum, ipsasque adeo Ecclesias venderet; quòd cum muliere publica, ex qua jam prolem sustulisset, in fornicatione jaceret; quod hanc denique justi matrimonii specie, sibi copulasse, percrebesceret. Quibus auditis, Gregorius postea literas ad Udonem XVII. Kal. Novemb. dedit Indict. XIII. hortatus eum, ut adjuncto sibi Herimanno, venerabili Episcopo Metensi, clericum officio custodiæ Ecclesiæ, quod abstulisset, cæterisque dignitatibus ac fortunis, auditâ caussâ, Tullensem restituere cogeret; inde clero convocato, inquirere in mores ac vitam Episcopi pergeret, quo scilicet explorata cuncta in futuram, anno proximo, prima hebdomade Quadragesimæ, Synodum Romam perferrent. Ita Gregorius. At si quid horum criminum in vita Popponis hæsit, id expiatum ab illo tandem, tum Romanæ Synodi eventus, tum privata Ecclesiæ Tullensis acta docent; quando piaculi caussâ, Hierosolymitanum iter suscepit; & hinc, Divionem adiens, se intra monasterii penetralia lugens abdidit;

Indict. XIII respondet anno sequenti. Udo Archiepiscop. & Hermannus Metēsis inquirunt in vitam Popponis Tullensis.

Popponis Tullen. pœnitentia.

quod

quod utrunque recentiores festivè, dicam, an imperitè laudarunt, cùm Hierosolymam adiisse schismatis vitandi, monasterium petiisse virtutis perfectioris causâ, narrant. Theodoricum autem Virdunensem Episcopum, quia Gregorius hic cum cæteris in Popponem ferre judicem præter solitum omittit, in contumacia tunc perstitisse, vereor; ex qua tamen emerserit.

Theodorici Virdunensis Episcopi cótumacia.

XXXVIII. *Saxonicum bellum.*

Interea, dum hæc in Italia Galliáque geruntur, Saxones irâ atque indignatione nihilo pacatiores, coire in cœtus, & acerrimum adversus Regem bellum conflare: itaque ingenti voluntariorum coactâ manu, castella atque præsidia in collibus circumquaque ab Henrico disposita, subito concursu adoriri, magnâve mole oppugnare, & proruere. Quâ re Henricus animadversâ, ita mox concidit animo, ut suos ilicò pacificatum ad Saxones mitteret; nihilque reliqui faceret, quod ad implacabiles eorum animos mitigandos pertineret. Dispiciebat enim sua jam tum pericula, eorum certè quidem non magis rebellione justâ, quàm inopinatâ omnium fermè Germaniæ procerum ab se defectione, perculsus. Mediam quippè inter Saxonici tumultus molem, cùm impar sustinendæ prohibendæque, militem ac reliqua pro ejus sæculi more belli ministeria Principibus imperasset, alii tergiversantes, alii palam etiam jussa detrectantes, ad oppressionem innocentum, unquam arma se laturos pernegabant. In his, cum alii fuere togâ, sagóque clari, tum animi magnitudine, atque immobili adversus sedem Apostolicam obsequio eminuerunt, postquam mali vis erupit, Theodoricus Dux Mosellæ superæ, & Udo Trevirorum, cujus etsi transversum partes animum egerant, ipso nascentis procellæ initio, mox tamen, ubi Gregorius signum sustulit; & intra Ecclesiæ Catholicæ castrorum principia stetit, & ab inimica factione, & Regis studiis sese abjunxit; atque ita plurimos tam opinione virtutis, quàm eruditionis famâ notos, in partem meliorem traxit. Quamobrem Henricus, velut altiùs hoc impresso vulnere, præcipuum in Udonem aliquamdiu odium gessit.

Henrici IV. metus ob Saxonum & Principum aliorum defectionem.

Lotharingiæ Principes obsequium Hérico negant. Lamb. Chro. Theodoricus Dux Mosellæ superæ. Udo Trevirorum Pontifici se jungit.

XXXIX. *Legati Apostolici Henricum aversantur & conventum agi petunt.*

Venerant jam Legati à Romano Pontifice in Germaniam, quibus cùm Noribergæ Rex obviam venisset; illi eum aversati, ceu qui cum abstentis, & notatis Episcopis non modò commercia sociaret, verùm iis etiam ope, & patrocinio adversus sedem Romanam adesset, unum id modò Pontificis nomine postulabant, ut conventum sibi in Germania habere liceret, in quo Episcoporum & Abbatum, qui sacros honorum titulos auro redemissent, causam cognoscerent. Adversus quæ, cùm Episcopi ita tenderent, ut rem eam novam longéque à suis rationibus alienam esse dicerent; neque authoritatem hanc cuiquam, nisi ipsi Pontifici præsenti delaturos; Legati Babenbergensem Episcopum, & alios nonnullos, quos eadem caussa involverat, à communione divini officii tantisper secreverunt, donec ad se adeuntes, coram crimen objectum diluissent. Henricus autem, ut se respiceret ac resipisceret à legatis benignè monitus, sapienti eorum consilio non modò non paruit, sed etiam Episcopos, quos potuit, clam in Pontificis odium armare perrexit.

Episcopi rei damnati.

Henricus pertinaciâ retinet.

XL. ANNUS CHR. 1075. *Lamb. Sigeb. in Chro. Act. Conc. Baro. Tom. 7.*

His ita gestis, Henricus Argentorati Natalitia celebravit; inde, cùm Moguntiam paucis post diebus contendisset, Demetrium Regem Russorum (qui nobis Ruteni, veteribus erant Roxolani) cum ingentibus auri, argenti facti infectique, tum pretiosæ vestis quoque muneribus, obviam habuit. Is, quòd à fratre esset per vim regno pulsus, auxilium adversus fratrem ab Henrico petitum venerat. Henricus amplissimâ Legatione in Russiam decretâ, nullum, cui id munus mandaret, idoneum peræquè reperit, ac Burchardum Ecclesiæ Trevirensi Præpositum; eò quod hujus sororem Demetrii frater, qui regnum tyrannide invaserat, matrimonio sibi junxerat. Itaque Burchardus princeps ejus Legationis, Regis authoritate in Russiam profectus est cum mandatis, ut cum illo de injuriis expostularet, quas fratri intulerat; moneretque, nî brevi vim, & arma Germanici Imperii experiri vellet, regno injustè parto mox ultro decederet.

De Rutenis à S.A. receptis.

Demetrius Russorum Exrex ad Henricum IV. confugit.

Burchardus Ecclesiæ Trevirensis Præpositus in Russiam Legatus mittitur.

XLI.

Secundùm hæc, Regem Henricum belli Saxonici nova denuò cura distrahit; in quod, cum acriori, quàm unquam aliàs, impetu consurgit, magnâ usus celeritate, in Saxoniam duxit. Ubi sine statione ac custodiis, epulis vinóque Saxone diffluente, equis etiam virisque longè ac latè per immensa camporum fusis, tam improvisò callidus hostis supervenit, ut plurimùm terroris celeritas ipsa Saxonibus afferret; quippè cum tumultuario exercitu raptim ducto, ægrè ad pulverem eminùs conspectum occurrerent. Pugnatum utrinque nihilominùs, ingenti primum cæde; ac, ut in odio civili, plurimo sanguine: verùm, ubi inclinatâ tandem acie, divina humanáque consilia rem Saxonicam destituere, inusitatâ, inauditâque strage miseri concisi sunt. Saxonicâ hac expeditione, validis è gente suâ adductis copiis, studium operámque suam navarunt Theodoricus Mosellaniæ, & Godefridus Gibber, bello prompti Duces.

Saxones ab Henrico celeritate oppressi.

Cruentâ pugnâ cæsi.

Godefridus Gibber, Laberto dictus Gozelo & Theodoricus Mosellaniæ contra Saxones. Lamb. [illegible]

At hujus pugnæ Henricus curâ perfunctus, dimisso exercitu victore, Wormatiam præcipuâ tum sibi fide devotam accessit. Quò paulò pòst, Burchardus Præpositus Trevirensis ab Russia veniens, eam ad Henricum Synthesis pretiosæ, munerúmque vim attulit, ut eorum præstantiâ vinceret ætatis præteritæ memoriam. Henricus igitur rarâ vestis, & diversi cultûs specie delinitus, facilè animum intestinis, ac domesticis bellis occupatum, à Demetrii negotiis abstraxit; ejusque fratrem Ruzenorum quiete regnum possidere, permisit.

Burchardi Præpositi Trev. reditus ex Russia cũ muneribus.

XLII. *Gregorius Henrici Regis ingeniũ variis modis pertentat.*

Porrò Gregorius Pontifex, accepto de Saxonum clade nuncio, etsi privatim indoluit, ne tamen ferocientis in se Regis animum magis irritaret, benignè sinum ei ac gremium matris Ecclesiæ patefecit; facilemque salutis viam ostendit, dumne remedia & salutaria monita, quæ offerret, prorsus abjiceret. Gratulatus itaque ei Saxonum vim repressam, dolendum tamen interim significavit, esse ibi tantum Christiani sanguinis effusum.

Lib. 3. Regist. epist. 7.

At verò,

Henrici hypocriſis *Ibid. epiſt. 10.*

At verò, ut mutabile ſemper Henrici ingenium, & nullo conſtantiæ gradu munitum, ita lenitatem hanc & ſummam conſilii ſui moderationem, fruſtra fuiſſe, brevi Gregorius expertus eſt. Etenim Henricus, dum in Germania effræni licentiâ, ſacra profanis miſcebat, omnia jura temerabat, Pontificis Eccleſiæque vim & autoritatem elidens, cleri libidinem, & nundinationes alebat, interea crebris & literis, & legationibus, Romæ extremam profitebatur adverſus Gregorium ſubmiſſionem, ejus, ſe, Eccleſiæque filium jactitans; in fide ſubjectum, in dilectione unicum, in devotione præcipuum. Quibus ille quidem artibus optimum quemque ad ancipitia flectebat, ignaros utique, quemadmodum Rex idem & abjicere ſe tam ſuppliciter Romæ, & domi nequiſſimus, tutum ſcelus habere poſſet.

Plurimos allicit incautos, in quibus,

Udo cum ſuffraganeis *Regiſt. lib. 3. epiſt. 12.*

Huic itaque errori parùm cautus, in magno ſchiſmaticorum contagio, implicitus Udo Trevirorum, literis à Gregorio datis, ipſe atque Theodoricus Virdunenſis, & Herimannus Metenſis graviter muneris atque officii ſui admoniti ſunt; quia cum abſtentis non obſcurè conſilia ſua junxiſſent: *Rogamus*, inquit Pontifex, *& admonemus, ut quod ſchiſmaticorum perſuaſione deliquiſtis, competenti emendatione corrigatis; ut ſicut mater veſtra de exceſſu veſtro condoluit, ita de ſatisfactione lætetur.*

XLIII. Popponis Tullenſis Epiſcopi pertinacia.

Porrò iiſdem in literis Pontifex aperit, quæ deinde conſilia Popponis Epiſcopi Tullenſis extiterint: nam primo conflictu recuſaſſe quæſtionem memorat; neque aliter quàm armis objecta crimina paratum diluere; quin & Henricum Regem, cujus ex aula Cancellarius prodierat, concitaſſe in Pontificem vehementiùs; quare ni reſipiſcat, mandata dat, ut eum anathematis ſententiâ confodiant.

Sigefridi Moguntini damnatio *Regiſt. l. 3. epiſt. Pont. Lambertus in Chron.*

Damnationis cauſſa.

Porrò triſtis ea, & metuenda Gregorii ſententia fuit, quâ, hac in eadem cauſſa longè ampliſſimi tunc in imperio faſtigii Sigefridum Moguntinum Archiepiſcopum Romæ in Synodo publicè damnavit, & ſacerdotio exuit, nullâ niſi mortis periculo reſipiſcenti oblatâ veniâ, donec ſatisfaceret. Caput damnationis præcipuum, quia ſchiſmate conflato, conatus fuiſſet Epiſcopos & Abbates regni Germaniæ, à ſanctæ Romanæ Eccleſiæ communi matre abſtrahere, ac divellere. Quod certè judicium à gravibus licet authoribus ad hunc annum relatum, in ſequentem transferri tamen malim.

Regiſtr. lib. 3. epiſt. 10. Gregorius Henrico veniam offert.

Regi etiam oſtenſa ſpes veniæ, facultate ad quemlibet Epiſcopum rejectâ, qui nodum anathematis ſolveret, quo ob aliorum conſuetudinem temerè ſuſceptam ſe obvinxiſſet; ſed exulcerabant ſaucium Regis pectus, Epiſcopi plerique rei, in Gregorium malè animati; quò difficilior ejus erat curatio.

XLIV. B. Anno Archiepiſc. Colon. moritur.

Annus jam properabat ad exitum, cùm pridie Nonas Decemb. Anno Colonienſis Archiepiſcopus, inſignem laudem probatæ ferens ſanctitatis, abiit ex humanis: huic, priuſquam decederet, per quietem quid evenerit, quò Pontificibus hujus Eccleſiæ ſua quoque conſtet laus integritatis, operæ eſt narrare. Hæſerat ſanctiſſimo viro olim illatæ à Coloniæ civibus inſignis contumeliæ, acceptæque injuriæ diuturnior memoria, quàm Chriſtianâ amneſtiâ ferret. Hæcque ipſa tantilla labecula, quantam deformitatis vitæ cæteroquin purè atque integrè actæ notam aſpergeret, manifeſto Deus indicio, Præſuli oſtendere voluit. Viſus itaque ſibi aliquando mente à ſenſibus avocatâ, domum ingredi, eximio undequaque ornatam ſplendore; inibi verò, in ſubſelliis ſuis ex ordine conſidere, ut aſſolet in conciliis, Antiſtites, præter ornatum habitúmque pontificalem humano auguſtiorem, indutos veſte puriſſimâ, atque niveo quaſi candore tinctâ. In horum numero Popponem atque Eberardum Trevirenſes Archiepiſcopos, alióſque quamplurimos ſeu vitæ conſuetudine, ſeu de famâ virtutum, & literis duntaxat ſibi notos. Se porrò veſtibus perinde ac reliquos candidis & æquè pretioſis indutum; hoc tamen diſcrimine & pulchritudinis quodam intervallo; quòd ſuas, quâ pectus tegerent, traxiſſe ſordes, ac turpem aliquam imbibiſſe maculam, apparebat. Quâ nimirum ille re, cùm plurimum de ſplendore decedere, atque partium cæterarum nitorem obfuſcari ſimul animadverteret; objectâ, ceu manifeſto pudore, manu, celare nævum atque maculam eam obtegere, ſtudiosè conatum. Inde viſus ſellam miri operis atque elegantiæ, cernere itidem ſibi in reliquorum conſeſſu poni eximio decore apparatam; quam cum effuſâ animi lætitiâ, & quaſi geſtiens occupare aniteretur, Arnoldum Wormatienſem Epiſcopum ibi aſſurrexiſſe; ac blandâ voce, ne conſideret unà, vetuiſſe; reliquis haud placere Patribus affirmantem, hunc nempè, in ampliſſimum illum Pontificalis gloriæ conſeſſum recipi, quem tam deformis hærens indumento labes turpificatum eo loco, manifeſtè indignum proderet. Quibus ita dictis, ſimul egredi foras, & abſcedere juſſum, cum lachrymis, & animi mœrore incredibili paruiſſe. Atqui properè tum inſecutum Wormatienſem; & ad abſtergendam ex eo dolore moleſtiam, bono eſſe animo juſſiſſe; brevi námque moriturum, atque in concilium eorum, quos viderat, & quibuſcum eſſe tantoperè cupiiſſet, hâc demum expiatâ labe, cooptandum. Hæc ita Annoni in quadrageſimâ accidiſſe, Lambertus author eſt; quando ſub ipſa Paſchalia cives, quibus ob veteres offenſas, nondum ignoverat, veniâ & incolumitate donatos, non in urbem modò ſuam revocavit, verùm & communionem ſacrorum, cum omnibus fortunis jam olim iis ereptis, magnâ facilitate indulgentiâque Chriſtianâ reſtituit.

B. Annoni apparent Archiepiſcopi Trev. Poppo & Eberadus.

Injuriarum memoria quàm inviſa Deo.

Arnoldus Wormatienſis Epiſcop. in viſo S. Annonis

XLV. S. Helenæ Eccleſia in pago Uhren ab Udone dedicatur.

Hoc anno comperi, apud Juræ montis pedem, amœnâ planicie, in veteri ſuburbano vico, reſtitutam Eccleſiam, in quâ olim Numeriani Antiſtitis oſſa cubarunt, nobili S. Helenæ excitato patrocinio, quod ad hanc quoque diem obtinet. Titulus Dedicationis ſaxo inſcriptus ecce iſte legitur:

ANNO DOMINICÆ INCARNAT. MLXXV. INDIC. XIII. VI. KALEND.

SEPTEMBRIS, DEDICATVM EST HOC ORATORIVM IN HONORE SANCTÆ HELENÆ, A V. TREV. ARCHIEPISCOPO VDONE, ORDINATIONIS SVÆ ANNO VIII. IN QVO EST PARS SEPVL. CHRISTI DOMINI ET SANCTORVM SIXTI, LAVRENTII, FORTVNATI, MARTYRVM, REMIGII, MAXIMINI, NAZARII, PRÆDICTÆQVE MATRONÆ HELENÆ, ET S. MARGARETÆ, ET S. CHRISTINÆ VIRGINIS.

XLVI. ANNUS CHR. 1076 *Lamb. Bertol. Constant. in append. ad Contractum.* Henricus IV. à Gregorio Romam evocatur. Anno sequenti Henricum Goslariæ Natalem Domini, & conventum regni propter Saxoniæ Principes, qui in deditionem venerant, agentem, Legati Pontificis adierunt, ei palam denuntiantes, ut Quadragesimæ secundâ hebdomade, ad Synodum Romæ indictam, de criminibus, quorum insimulabatur, caussam dicturus adesset. Quod si facere detrectet, fore, ut à corpore Ecclesiæ separatus, anathemate plectatur, & sacramentorum communione careat. Quibus auditis, tam vehemens Henricum ira cepit, ut abjectis ilicò, ceu gravi acceptâ contumeliâ, Legatis, Pontificem ipsum honore ac magistratu celsissimo pellendi stolidum haud minùs, quàm improbum consilium susciperet. Igitur ad id agendum, quod animus exhorret, profanus homo, dum non sacris imperia servire, sed imperiis subdi sacra vult, omnes, qui in regno suo essent, Episcopos atque Abbates Wormatiam in Septuagesima convenire jubet; totam in eo verti salutem regni, suamque ratus, si Pontificatum Gregorio primo quoque tempore abrogasset.

Henrici adversius Pontificem iræ.

Pontificem stolide cogitat abdicare.

XLVII. Udo Archiepiscopus Romæ degit. Trevirensis Archiepiscopus Udo per id tempus à fluctibus, atque illâ sæviore, quæ imminebat, tempestate, Romam tanquam in portum confugiens, sese ad Gregorium Synodi caussâ receperat; ubi procul negotiis regni tumultibusque, quod superfuit à curis publicis otii, Martyrum prodendis certaminibus impendisse traditur. Quâ quidem in re, quantâ diligentiâ industriaque versatus sit, si editio primæva non fallat, testatur in Martyrologio ipsemet, cùm apud Ravennam sepositum, in hanc unam incubuisse curam affirmat, ut antiqua etiam, & vetustæ probatæque lectionis exemplaria de via lustraret; atque eâdem memoriæ posterorum prodendæ caussâ, quàm emendatissimè simul exscribenda curaret. Atque hac sanè quàm præclara, & insigni Reipublicæ Christianæ navatâ operâ, duo mihi fuisse consecutus excellentissimus Pontifex videtur; alterum, quòd plurimorum cœlitum gloriam, hoc velut auctario fastorum, cumularit; alterum, quòd egregias Martyrum pro æterni Dei amore susceptas capitis dimicationes & fortia eorundem facta, titulósque ab oblivionis injuria pulchrè vindicarit. Udo Martyrologium scripsisse putatur.

XLVIII. Hæc quidem olim ego scripseram; cùm Aloysium Lipomanum Veronensem Episcopum, observassem singulare profiteri studium, in Udonis hoc commentario è tenebris eruendo ab se collocatum. Et inter Martyrologos ceu laudatissimum à Molano, Baronio aliisque tam multis animadvertebam celebrari, ut pertinaciæ notam subvereri cogerer, si judicium ab his meum voluissem sejungere. Monebam etiam, Annalium Ecclesiasticorum scriptori obrepsisse, quod, quæ Adoni Trevirensi in prolegomenis Martyrologii accepta tulerat, hæc alio loco Adoni Viennensi Episcopo eidémque Chronographo assertum iret; cum Martyrologiis operam dedisse, aut in Italia peregrinatum, non tam esset promptum de Viennensi, quàm Treverico testari. Super hæc persuasu difficilè mihi videbatur, primos editores, quibus id Martyrologium debemus, pseudepigraphum titulum subjecisse, aut alienum de suo commentos fuisse; cùm præter eos, quos laudavimus, Auctarium vetus ad Usuardum, Platina, Nauclerus, Petrus de Natalibus Adoni Treverico suffragium ferant. Quod igitur postrema Adonis Antuerpiana editio Trevirensem expungeret, sufficeretque Viennensem; id uno incertóque Everbodiensis Codicis titulo dubitabam an persuaderi posset. En me, fateor, sæpiùs cogitatio ancipitem tenuit, quòd, qui Treverico constanter operis autorem vindicet, vix ejus tam altum de Sanctis vel actis Ecclesiæ propriæ defendat silentium, præsertim cùm hujus temporis Thebæorum & Trevirensium Martyrum inventionem fuisse, & eorum concertationem, qui sub Mauritio militarunt, in Adonis Martyrologio tam prolixè describi, nemo nesciat. Sed caussam hanc, quæ & alias in se rationes continet, dum aliunde magis liqueat, in medio nos relinquimus. In Pauliniana interim eximiæ vetustatis Ecclesia, Martyrologium Adonis mos obtinet quotidie recitari; cujus illic membranaceum exemplar egregiâ fide per omnia respondens editum, aut quoque superans, ostenditur: quippe per menses digestum habet in fronte Martyrologium illud antiquum & venerabile, quod ab urbe Roma testatur Ado à Pontifice Romano Aquileiam cuidàm missum Episcopo; & post hujus decursum, novus ille præscribitur Titulus: *Incipit libellus de festivitatibus SS. Apostolorum & reliquorum, qui*

Udo an Martyrologii autor, quod jam Adoni Vien. inscribitur.

Rationes affirmantes. *Præm. ad Martyrolog. Rom. c. 9. edit. prior. Tom. 10. anno ad annum 878.*

Ratio dissentientis.

Martyrologii Adonis exemplar apud Trev. & usus in Eccl. Udonis perchara.

Discipuli

Discipuli aut vicini successoribus ipsorum fuerunt. Hæc in Ecclesiastico ritu ponderis magni, in historia, studii fortè non jucundi, ut levia præterire noluimus, cùm ad Martyrum fastos Ecclesia tam sæpè nos, ceu ad libros exemplorum Christianæ fortitudinis, ire jubeat.

XLIX.

Udo S. Luitwini vitam censet & approbat.

Celebrat Thiofridus Epternacensis Abbas in nuncupatoria quadam æternæ memoriæ Udonem Archipræsulem, qui vitam S. Luitwini ab se conscriptam, testimonii sui examine corroborarit; ut vel hinc Sanctorum illustrandæ memoriæ Præsulem hunc favisse, appareat.

Lambert. & Bertoldus

Conciliabulum Wormatiense Episcoporũ Germaniæ adversus Greg. Pont.

Aderat jam dicta ab Henrico conventui dies, cùm Wormatiam clerus frequentissimus in quo præter Abbates, Episcopi quatuor erant & viginti, prodiit. Horum peropportunè studiis inflammandis, intervenit Hugo Cardinalis Blancus, quem pravi mores Gregoriíque judicium, loco ac dignitate motum, obscurabant. Is, relatione de vita Gregorii, scenicis persimili fabulis, ceu in theatro facta, Episcopos Germaniæ tam blandi carminis mulcedine, huc illexit, ut inauditâ hominum ætate, censurâ, quantum in ipsis, Gregorium, summo solio deturbarent; quippè perverso comitiorum jure, pontificatum cœpisse; ac propterea, cui mos gereretur, indignum censeri. Cui decreto sententiæque, manus dantibus cæteris, pauci, quibus æquitas veritasque cordi, in aliam partem iere.

Hermãnus Metensis & Adalbero Wirtzburg. schismati nituntur.

Quorum in numero Adalbero Wirtzburgensis, & Hermannus Mediomatricum Antistites; qui rem certè præposteram, & à sacris legum scitis esse prorsus alienam affirmabant, Episcopum quemlibet etiam absentem, nullo generali concilio, nullis legitimis accusatoribus, nullis idoneis testibus, nullis probatis criminibus, condemnari, nedum Pontificem ipsum, caput Episcoporum sacrosanctum, & inviolatum magistratum, adversus quem, legibus ac more majorum, neque Episcopi neque Archiepiscopi reciperetur delatio.

Wilhelmi Trajectensis Episcopi factio.

Verùm, perurgente Wilhelmo Trajectensi, cujus tum in aula consilia valebant, ejus coacti pertinaciâ ac factione, vim denique partium non sustinuerunt. At cæteri Episcopi, ceu jugulatâ jam citra pulverem Pontificis causâ, plenas contumeliarum, & maledicentiæ vanissimæ literas, cum nuntiis Romam mittere, Gregorióque denuntiare, horresco referens, ut pontificatu, quem contra leges Ecclesiasticas usurpasset, confestim se abdicaret, sciretque certò, quicquid post eum diem ageret, juberet, decerneret, id indictum, irritum, infectúmque deinceps, ab omnibus habitum iri. Hæc tum impiè ac flagitiosè gesta Wormatiæ.

L.

Msnu. veter. Seb. Tengnagel S. Gebhardi, Epist. adversus schismaticos. Salisburg.

Prodiit nuper in lucem præclara S. Gebhardi Salisburgensis Archiepiscopi Epistola apologetica, Hermanno Episcopo Metensi flagitanti inscripta; qui in hoc tristi Ecclesiæ divortio Catholicorum Episcoporum contra Schismaticos sententiam habere perspectam cupiebat, quo respondere posset his, qui contraria loquerentur aut sentirent.

Wormatiẽsis conventiculi pernicies.

In hac Gebhardus de Wormatiensi Conciliabulo, sensus aperit suos, Wormatiæ, testificans, omnis calamitatis, quam deinde Ecclesia perpessa, initium extitisse. Istic Schismaticos, unde se accensos fuisse jactabant, primùm incendii facem emisisse, & injuriam non tam retulisse, quàm intulisse. Neque enim tunc Gregorium adhuc ullam anathematis sententiam destinasse; sed istos, primitias discordiarum, ipso ignorante nec opinante, superbâ & repentinâ temeritate obedientiæ & authoritati Apostolicæ nuncium, remisisse; & hoc fermento totam Ecclesiæ massam corrupisse. *Quid ergo*, inquit, *tam citò intercidere potuit* (*Gregorius*) *ut qui nuper ante Natalem Domini tanta in Ecclesia magnificentia fuit, ut ad nutum illius dignitatum mutationes fierent, idem paucis post Nativitatem diebus, non conventus, inauditus, totius etiam ignarus dissensionis, proscriberetur? Ab illa enim die, qui tanti habitus est ab eis; immò ab omnibus, nullam eorum legationem accepit, usque dum illa veniret, quâ dictum est: DESCENDE, DESCENDE; interdicimus tibi omne jus Papatus.*

Schismaticorum Episcoporum in Germania perversitas.

Dicant ergo hujus Legationis compositores, qui Conventui Wormatiæ habito intererant; ubi gratis à se jugum disciplinæ projecerunt, ubi sanctæ obedientiæ libellum repudii conscripserunt, ubi novam hanc mundo legem condiderunt, ut servus Principis summo Pontifici Cathedram Episcopalem interdicendi jus habeat? Dicant ergo, dicant, etsi non nobis, tamen Ecclesiæ justè adversus eos proclamanti, respondeant, quibus præcedentibus causis, talia ex debito recompensarint? Si autem competentem rationem reddere non possunt, immò, quia non possunt, fateantur necesse est, novæ se confusionis authores esse, antiquæ pacis & quietis perturbatores, legum divinarum & humanarum destructores. Hæc & alia fortiter juxta ac sapienter, in eâ causâ, S. Gebhardus.

LI.

Gregorii VII. magnitudo animi.

Gregorius verò nuntii hujus indignitate, nihilo infractior, Apostolicæ disciplinæ gravitatem, authoritatemque majorum in oculis gerere, animi firmitate, ceu rupes verberata fluctu, inter secundas & adversas res, immotus.

Bertoldi appendix. Regist. Epist. Pontific. l. 3. post Ep. 10.

Romæ Synodum cogit.

Quare, tametsi præsentem dignitati ac nomini suo pestem comparatam cerneret, omnes tamen suas curas, in Ecclesiæ Romanæ ac Reipublicæ salute defixit; Conventúque Episcoporum, quibus Udonem Trevirensem annumeres, Romæ indicto, literas furiales illas recitari palam jussit, quas Germania, multorum tum capitum bellua, evomuerat. iisque lectis, ita vehementer omnium animi in Henricum, pro merito, exarserunt, ut de consensu ac voluntate Episcoporum, sententiam Pontifex longè gravissimam pronuntiaret, cùm adversus Regem, tum cæteros rebelles Germaniæ antistites.

Episcopos Germaniæ & Regem excommunicat.

Ac Henricum certè, avitis Germaniæ atque Italiæ regnis excidisse, simulque populorum obsequiis jure spoliatum; insuper, cum Sigefrido Archiepiscopo Moguntino, Wilhelmo Trajectensi, & Babenbergensi, sacri anathematis vinculo irretitum, edixit. Eadem cæteris denunciata pœna, nisi de criminibus Romam profecti, se coram, satisfecissent.

Hoc tam severo edicto, in Germaniam, perlato, plerique Principum, Henricum aversari; neque, ut in ejus conspectum vel colloquium prodirent, adduci posse. Itaque cùm ille in diem Pentecostes, Principes Wormatiam

matiam advocasset, idonei omnino nulli occurrerunt; & cùm rursus Moguntiæ, in festum S. Petri eos adesse jussisset, pauci affuere; iique, & studiorum ac voluntatum inclinatione, secum ipsi graviter dissidentes.

LII. Godefridi Gibberi Lotharingiæ Ducis, & Guilhelmi Trajectēsis Episcopi mors funesta.
Godefridus Bullonius Lotharingiæ Dux.

Non supprimendus hic tristis & luctuosus Godefridi Gibberi Lotharingiæ Ducis exitus; quem Bertholdus, suppar huic ætati, authorem perhibet, & principem in Pontificem conjurationis; sed hoc anno, dum naturæ paret, alvúmque purgat, coci vilissimi manu illâ parte saucium, eo ex vulnere ante noctis meridiem miserè spiritum effudisse. Ducatus Lotharingiæ post eum, in Godefridum Bullionium nepotem ex sorore trāslatus est, ut idoneo loco à nobis dicetur. Wilhelmum etiam Trajectensem Episcopum ferunt inter probra & maledicta, quibus Pontificem lacerabat, non effugisse subitæ ac contumeliosæ mortis famam.

LIII. Udo Româ reversus vitat Episcopos excommunicatos, & impellit ad religionem multos.

Udo Archiepiscopus Trevirorum Româ nuper reversus, communionem cum Archiepiscopo Coloniensi & Moguntino, aliisque id genus Antistitum compluribus aspernabatur, quod sacro eos anathemate à Gregorio Pontifice obligatos nosset. Denunciabat eis interea, sibi extra ordinem, quod summis quidem precibus constitisset, factam à Pontifice colloquendi, solo duntaxat cum Rege, copiam, nullo præter hanc vel mensæ, vel orationis, aut cujusque sacri officii permisso commercio. Ejus igitur authoritatem & sententiam complures alii secuti, paulatim aulicis sese eripere corruptelis, & migrare Palatio; ne pestilentis ea contagio dissidii, & dirum anathematis malum in ipsorum denique perniciem longiùs iret.

Schismaticorum maledicentia.

At contrà, quibus fides, decus venale; omniáque ambitioni & gratiæ pervia; hi scilicet fremere atque indignari, minas passim atque omnia probra bonis ingerere. Iniquam esse, ac habendam susque deque Romani Pontificis censuram, qui se neque ritè ad Synodum evocatos, neque cognitâ probè causâ, in disquisitionem adductos, præcipiti magis furore, quam ratione, divinis mysteriis ac congressu piorum interdixisset. Episcopum Trevirensem, aliósque omnes, qui cùm eo ad evertendum Reipublicæ statum jam olim conspirassent, aliò mentem consiliáque, aliò linguam habere conversam; an, scilicet id agi, ut sua Apostolicæ sedi stet autoritas? Quin potius, ut veritatis odium umbra religionis velatum, impetu in Regem vadat, ejúsque majestatem subruat ac pessundet.

Udonis Archiepiscopi insectatio.

LIV. Gregorius Regem & schismaticos omnes ad pœnitētiam invitat.

Interea Gregorius vitia, non homines odisse, Christianum & pastorale ratus, octavo Kalendas Augusti ad sacerdotes ac Principes Germaniæ literas dat; quibus, post graves de Henrici perfidia, & vulneribus ab eo Ecclesiæ illatis querelas, hortatur eos ut jam vel in ultima mala prolapsum erigant, & cacodæmonis potestati ereptum, ad veram flectant pœnitentiam. Deinde cæteros omnes, qui Henrico ad eam diem studuissent, facili paratâ veniâ, ad Ecclesiæ Catholicæ gremium invitat. In magna quoque & ancipiti cura bonorum, cùm censuræ metus multorum Episcoporum animos variè distraheret, Herimannus Metensis Episcopus, pro amicitiæ pristinæ reverentia, & fidei integritate, Gregorium consulens, egregia ab eo responsa, de sedis Romanæ eminenti super omnes autoritate, tulit. Extant ea literis octavo Kalend. Septembris, Indictione XIV. Tibure datis; ubi & eâdem operâ, Tullensis Episcopi caussæ cognitionem adhuc dilatam fuisse, perspicitur: *Jubemus*, inquit Gregorius, *ut alloquamini venerabilem Archiepiscopum Trevirensem, fratrem videlicet nostrum, ut Tullensi Episcopo, ne se intromittat de Abbatissa Monasterii montis Romarici, interdicat; & quicquid contra eum statuit, unà tecum irritum ducat.*

Herimanni Metensis Episcopi consilia & litteræ ad eum Gregorii.
Tullensis Episcopi caussa.
Udo Gregorio carus.
S. Romarici montis Abbatissa.
Lib. 4. regist. epist. 2.
Gregorius supremum de Rege cōsilium Germaniæ impertit.

Consecuta hinc III. Non. Sept. Indictione incipiente XV. nova ad proceres Germaniæ Pontificis mandata; quibus eos Regem abstentum, & diademate spoliatum, si resipisceret, jubebat benignè suscipere, consiliariis tamen remotis ab eo pravis, & melioribus suffectis. Vetabat interim à quoquam eum nexu solvi, aut in gratiam reponi; quoad Apostolica sedes annueret. Quod si verò pœnitentiæ spem nullam offerret, potestatem eis alium Regem eligendi faciebat, arbitrio tamen ad se ejus confirmandi, eligendi etiam ad Agnetem Henrici matrem consilio delato; ut cui sacramentis & fide essent obstricti.

LV.

His igitur acceptis mandatis, Principes unam patriæ libertatem, atque Ecclesiæ salutem in conspectu habentes, variis primùm inter se consiliis privatim initis, ubi tandem, nullo ab Rege ostenso ad pœnitendum regressu, remediisque spretis, omni se religione Henrico parendi censêre exsolutos, comitia ad XVII. Kalend. Novemb. Principi creando novo Triburias indixerunt. Ad quæ, cùm dictâ die frequens conventus affluxisset, percommodè cecidit, quòd eodem Pontificis etiam Legati supervenêre: quippe Sigehardum Patriarcham Aquileiensem, & Altmannum Passaviensem Episcopum, viros omnibus & ingenii & virtutis bonis ornatissimos Gregorius miserat; qui palam cunctis Germaniæ populis facerent, Henrico jam exautorato, ad subrogandum alium, Apostolici consensûs & autoritatis integra ferri suffragia. Commercio igitur omnium vitato, quique rei schismatis, quique functiones Ecclesiasticas detestando quæstûs genere polluissent, prodiêre Legati, & enarratione criminum Henrici propositâ, omnia ejus anteactæ vitæ flagitia, jam inde à prima ætate exposuerunt; simulque, alium ejus in locum suffici, qui meliùs regnare didicisset, placere ostendunt.

Triburiæ conventus. Principum Germaniæ deliberatio de novo creando Rege.
Sigehardus Aquileæ Patriarcha & Altmannus Passaviensis Episcopus Gregorii legati.

LVI. Henricus rex ne regno privetur, fit Legatis Gregorii, & Principibus supplex.

At Henricus, qui Oppenheimii, cum suis sese continebat, Rheni fluvio mansionem utrámque dirimente, animi multum pendêre, optimates de se, totiúsque regni summa, crebris legationibus ultro citróque missis, prensare; orare etiam atque obtestari, ne tantam nomini suo maculam inurerent, neu se majorésque suos, tam turpis repulsæ maculâ, notatum irent: si quid peccatum esset hactenus, aut minus ex ipsorum voto administratum, novâ morum emendatione obruturum errata; nullam posthac Reipublicæ partem, ipsis inconsultis suscepturum; ad extremum, de summo fastigio suo tantùm etiam concedere, ut

cuncta

cuncta juris arbitriique ipsorum faciat, solis sibi regii nominis, cultúsque insignibus retentis; quæ semel eorum suffragio, judiciisque ritè sumpta, sine maximâ regni labe, & suffragatorum dedecore, ponere haud posset. Quod si vero huic orationi; sæpiùs dilati promissis, non crederent, paratum adhuc se, quibuscunque vellent sacramentis, obsidibúsque cavere, & fidem facere.

Sed Principes variè perplexum, & freto simile toties experti Henrici ingenium, haud facilè demoveri se pati, quoad Sueviæ atque Saxoniæ Proceribus, etsi flagitii manifestum, comperendinandum tamen, denique visum est; causæque cognitionem Pontifici Romano integram servandam; quo cum, ut festo Purificationis Augustam usque prodiret, acturos se recipiebant. Interea Henricum jubent omni abstentorum familiaritate abdicatâ, dimissóque exercitu, privati in morem, cum Theodorico Virdunensi Præsule, ministris, quos Principes ipsi probassent, assumptis, Spiram concedere; ibidémque in otio Pontificis adventum, & rei exitum præstolari; ac nî intra finem vertentis anni, anathematis vinculo exemptus, atque in communionem Ecclesiæ, gratiámque Pontificis sit restitutus, tum verò liberum omnibus jus fore, quem unum velint Regem, in ejus locum sublegendi.

Principes Germaniæ Henrico leges præscribunt.

LVII.

Henricus fractus ac edomitus tandem his Principum decretis, morigerari, quam consentientis in suum exitium Germanici tum regni nervos viresque experiri, maluit. Igitur, quod restabat, optimates perhonorificam ad Pontificem Romam legationem decreverunt; quæ oratum communem orbis terrarum Pastorem iret, ne difficillimo Reip. tempore, inclinato Germaniæ regno, deesse; neu affectas omnes penè graviter ejus provinciæ partes, negligere vellet. Neque verò ad evitandam sævissimæ tempestatis procellam, conventu Augustæ cogendo, remedium invenire se præsentius.

Regist. Greg. Pont. Lamb. Bertoldus, Blond. lib. 3. Platina, Sigon. &c.

Legatio ad Pontificem decreta nomine Germaniæ Procerum.

Cum his mandatis, Udo Trevirensium Archiepiscopus Legationis ejus Princeps, Romam denuò profectus, omnia ordine Pontifici exposuit. Qui cum, pro eximio suo in Ecclesiam amore, fide, ac pietate, Germaniæ Principibus obsecutus, urbe exiisset, Henricus, in eo caussæ suæ victoriam ponens, si anno, jam præcipite, cum Ecclesia in gratiam rediret, simúlque haud commodè secum actum iri existimans, si se Augustæ infensis judicibus, ac multò infestioribus accusatoribus committeret, omni ope enitendum sibi putavit, ut Pontifici priùs in Italia, quàm emetiretur Alpes, occurreret; atque ab eo anathematis absolutionem, quoquo modo, impetraret. Quippè hâc unâ absorptâ curâ, reliquum facilè constabilitum iri. Enimverò, si demum id, quod jam piaculum habeatur, cum Principibus securè congredi, consilia cum iis & verba jungere, atque fidem etiam amicorum, si opus sit, implorare; omnia denique agere, moliri, fas fore, quæ nunc religionibus impedito, & ab omnibus notis amicisque deserto, nimiùm quàm sint impervia.

Udo Archiepisc. Principum Legatus ad Pontificem.

Henricus Rex anathemate solvi optat.

LVIII.

Appropinquante igitur Natalium Christi luce, exiguo ac sanè miserando comitatu, Spirâ cum uxore & filiolo digrediens, in Burgundiam externæ fidei transit, nemine prorsus ex numerosa tot Principum, quorum fœcunda paulò ante regia, officii caussâ, vel humanitatis abeuntem prosequente, sed nec aliquo usque terrarum deducente. Quem sanè tam miserandum pariter, & erubescendum Regis statum, qui fixiùs intueatur, ruinam ejus majorem esse cernat, quàm, quæ ab humanis opibus consiliisque posset importari; quippè, cùm quos abjiciunt injuriæ feroces, sæpè sublevant miseriæ. Sed nobis etiam tacentibus, religionis toties spretæ, hic ultrix adest ira divina, & ruentem usque temeritatem comitatur.

Henrici Regis sors & miseranda conditio.

In Burgundiam profectio ingloria.

LIX. ANNUS CHR. 1077.

Durissimo itaque anni tempore, altissimâ nive, & ingenti itinerum labore trajectis Alpibus, collectóque paululum in Sequanis animo & procerum comitatu assumpto Henricus in Italiam pervenit. Cumque Pontificem ad Canusium egregiè munitum Italiæ castrum in via substitisse fit certior, eò progressus, ad redimendam ejus gratiam, nullum humanæ opis præsidium omisit. Itaque Mathildis Comitissæ consobrinæ gratiâ, & Hugonis Cluniacensis Abbatis ope fretus, jam infimis ipse precibus, jam missis legatis, ut religione solveretur, contendens, denique à Gregorio in oppidum Canusium ita receptus est, ut intra secundum mœniorum ambitum, nam triplici lorica castrum id sepiebatur, foris ante portam, omni excluso comitatu, se contineret. Atque ibi tum, regio posito cultu, omníque posthabito aulici splendoris ministerio, nudis pedibus, laneis indutus, sæviente hieme, jejunus multo cum fletu, usque ad vesperam perstitit. Neque primo die responso accepto, idem secundâ & tertiâ luce factitavit. Quartâ demum die Pontificis in conspectum admissus, variis ac diversis sententiis dictis, his denique conditionibus latis, in communionem restitutus est; ut quocunque loco, ac tempore, Pontifici placuisset, commune procerum Germaniæ judicium subiturus, ad caussam de criminibus sibi objectis dicendam, se sistere paratum offerret. Interim ipse pro privato se gerens, haud ullum Imperii munus attingeret; atque omnes, quorum perniciosis hactenus usus consiliis, seque rémque publicam perditum iisset, à sua perpetuùm familiaritate procul arceret. Quod si de Principum voluntate regnum penes eum mansisset, obsequentem se Pontifici daret, ad corrigenda, quæcunque contra leges Ecclesiasticas, pravâ consuetudine, inolessent. Si quid de hoc fœdere diriperet fraudarétque, irritam fore partam anathematis absolutionem; nec pro criminibus diluendis judicium impetraturum; Principibusque Germanicis Sacramento parendi solutis, Regem alium, in quem suffragatio consensisset, creare deinde, jus fasque fore. His ita constitutis, atque ab aliis item Episcopis sanctè confirmatis, Henricus sollemni ritu expiatus, in gratiam Ecclesiæ, Pontificis authoritate, redactus est.

Henricus se Pontificis gratiæ permittit

Lamb. chron. Ciaccalli appendix. Leo Ostiens. lib. 3. c. 48. Dom. l. 2. c. 1. Tom. 3. epist. Pont. Lib. 4. regist. ep. 12.

Gregorii Canossa, seu Canusium Mathildis Tusciæ Ducis oppidū.

Henrici apud Canusium piaculum admirabilis patientiæ.

Henrici Regis absolutio arctius legibus & conditionibus astricta.

LX.

Sed evulgatâ jam Principis infamiâ, non remedium, ut sperabatur, sed incitamentum ad novas subinde turbas attulit: nam paulò post, quæ, in illo Rege summa erat animi & ingenii mobilitas, Episcoporum

Henricus ad pristina revolutus.

Italiæ factione, cui Guibertus Ravennæ Archiepiscopus facem præferebat; ejus regni amittendi extremum in periculum adductus, homines improbos, quos juratus à suo contubernio removerat, iterum advocavit; eosque, ut antè, ad privata publicáque regni negotia, adhibere cœpit. Ergo, omnibus consiliis præceps atque devius, perturbatis humanis ac divinis perjuriò legibus, insidiis quoque capiti Gregorii & Mathildæ structis, efferatâ in Gregorium libertate, rursus se intulit. Quâ ejus tam inopinatâ vecordiâ; reliqui Episcopi, quos eadem tabes invaserat, in spem certam impunitatis erecti, ex Germania ad eum in Italiam advolant; ibique cum eo, consiliorum atque dedecorum interrupta paulisper commercia consociantes, teterrimæ discordiæ flammam, & incendia vix sopita, resuscitant. Hæc deinde, ubi reliqui Germaniæ Principes acceperunt, oportunum otium deliberandis ac decernendis rebus, per Henrici absentiam nacti, apud Ulmam habito Senatu in communi patriæ concilio statuunt, ut optimates Saxoniæ, tum quoque cæteri omnes, quibus Respubl. curæ esset, ad tertium Idus Martii Forchemium Bambergensis ditionis accurrant, & communi consilio, quid facto opus, in tantâ Imperii vertigine, decernant. Romanum quoque Pontificem, missis literis, certiorem faciunt, ut quoniam in Purificationem, metu insidiarum, præsto non fuisset, saltem Forchemii die dictâ conventui præesse, & adesse vellet. Pontifex id temporis etiam agebat apud Canussium; deliberatúmque ei erat non ante pedem retrò ferre, quàm benè vertente Deo, optatam Ecclesiæ reddidisset tranquillitatem. Igitur acceptis literis, quanquam minimè eum fugeret, quo jam pridem Henricus in se esset animo, misit nihilominus ex Cardinalium ordine, qui eum invitaret ad liberandam semel datam, sanctissimóque juramento roboratam fidem, moneretque ut in Germaniam, ad conventum Forchemensem à Principibus, communis rei causâ, tertio Idus Martii ineundum accederet. Sed, cùm ne ita quidem Gregorius ab exulcerato corruptóque Principe æqui quidquam impetrasset, per Legatos Germaniæ Principibus renuntiat, ut quoniam ipse obsessâ viâ interclusus, ac prohibitus aditu Germaniæ, communibus de Ecclesia consiliis interesse non posset, ipsi suis interim rebus, atque adeò regno universo, quoquo possent modo, consulerent, ac idoneis etiam præsidiis statum suum communirent; quoad, patefactis itineribus, & custodiis remotis, ipse tutò accedere, atque communicatis consiliis, quæ in rem utriusque, tam Ecclesiæ quàm regni opportuna essent visa, decernere posset.

Ejus in Pontificem ira, & nova conjuratio.

Germaniæ Principum adversus Henricum consilia.

Paulus Bernriedensis synchronus in vita Gregorii VII.

Pontifex Gregorius in Germaniam invitatur.

Pontifex Henricum ad meliora flectere studet.

Potestatem dat Principibus quæ velint in Regem statuendi.

LXI.

Forchemēsi conventu Henrico imperium abrogatur.

Sigeb. Abbas Vrsperg.

Rodulphus Sueviæ Dux Rex instituitur.

Adi lib. 7. regist. Tom. 3.

Quibus intellectis rebus, Forchemium ad conventum Principes die locoque constituto, non expectato Pontifice, profecti sunt; neque ulla cunctatio apud eos, quin Henrico confestim magnâ animorum consensione regnum abrogarent; ac Rodulphum Sueviæ Ducem, virum opibus & bellicis laudibus abundantem, illi sufficerent. Quod factum, cùm ægrè Legati collaudassent, nec ipse Pontifex approbasset, discessum est Moguntiam; atque ibi Rodulphus, Paulo Bernriedensi coætaneo teste, præsentibus S. A. Legatis, per Sigefridum Moguntinum, & Wecilonem Magdeburgensem Archiepiscopos, eorumque Suffraganeos sollemni more duodecimo Kalend. Aprilis Rex Germaniæ est inunctus.

Epist. Pont. Itali recentiores, & Onuphrius l. 5. Metrop. Saxon. c. 2. In vita Gregorii VII.

Henricus ad tristem hujus tam repentinæ mutationis nuntium attonitus, Legatos ex templo ad Pontificem mittit, Theodoricum Virdunensem, & Bennonem Osnabrugensem Episcopos; oratum adversus Rodulphum suppetias; quas cùm Pontifex tum se denique laturum affirmasset, cùm, utriusque caussa discussa, sibi probè constitisset; Henricus iracundiâ demens, Pontificem aversatus, ab virtute, & armis auxilium sibi quærendum statuit. Quare Italicis in magno motu relictis, citato gradu in Germaniam sese conjicit, Alpium faucibus nequidquam à Rodulpho munitis, ac insessis. Quippè Henricus, deflexo Aquileiam versus itinere, apud Ratisbonam, circa Calend. Julii ex improviso constitit; & mox ipsum Rodulphum pugnâ adortus, prælio secundo facto, in fugam vertit. Inde Sueviam incurrere, atque incendiis rapinisque provinciam illam lacerare non destitit. Quæ, dum ita cum magno armorum tumultu in Germania administrantur, Udo Archiepiscopus Trevirensis, cum Theodorico Virdunensi, Romæ degebat.

LXII.

Henricus Pontificis opem frustra implorat.

Marian. Ursperg. Sigeb.

In Germaniam redit armatus.

Rodulphū Henric. pugnâ vincit.

Udo iterum Romæ legatus.

Gregorius autem, ingravescente in die seditionis morbo, exquisitam aliquam curationem allaturus, novum in Laterano conventum indixerat; in quo præter alia, cùm Theodoricus Virdunensis Henrici Legatus, ut caussa ibi Henrici atque Rodulphi cognosceretur, enixè postulasset, assentientibus cunctis, placuit ut novi Legati à latere Apostolicæ sedis, homines eruditionis ac virtutis laude florentes, in Germaniam mitterentur; qui, Proceribus in unum congregatis, de præsenti controversia judicium exercerent, & pacem inter Henricum, ac Rodulphum constituerent. Et quia multos, blandâ spe munerum, illectos, huic paci adversaturos Pontifex non ambigebat, proposito refragantibus anathemate, cavit, ut nemo Rex, Archiepiscopus, Dux, Marchio, Comes, milésve Legatis impediendæ gratiâ pacis, obsisteret. Legati lecti tres, Udo Archiepiscopus Trevirensis, Bernardus Cardinalis Diaconus, & Bernardus Abbas Massiliensis. Hi, cùm superatis Alpibus in Germaniam descendissent, Henricus, rebus prosperè adversus Rodulphum in Suevia atque Alemannia gestis, ad omne superbiæ genus inflatus, pacem, quam enixè postulaverat antea, repudiavit; & quò minùs Legati Pontificii pactionem fœderis cum Rodulpho sancirent, obstitit.

LXIII

Lateranēsis conventus.

L. 7 regestri Bert. appēdix.

& excommunicatio Henrici.

Legati Româ ad Henricū Regem à Gregorio, inter quos Udo Trev. Archiepiscopus.

Henricus IV. victoriâ insolens pacem Gregorii repudiat.

LXIV.

Inde, quàm arctè viis obsessis omnibus, & diligenter etiam literarum nunciorumque omnia commercia secluserit, testatur Epistola Gregorii pridie Octobris, Indictione primâ incipiente, ad Udonem Archiepiscopum Trevirensem, ejúsque Suffraganeos data, quâ in magna Germaniæ constituendæ, pacandæque sollicitudine, quæ sua consilia ante tres menses extiterint, motus eos sedandi, exponit; aitque se tunc literis iis junxisse item sacramentum Regis, quo scilicet eo perlecto cognoscerent, quàm rectè officio ac fideliter

Lib. 5. regist. Epist. 7.

Gregorii ad Udonem mandata de pace inter Henricum & Rodulphum.

is suo

is suo functus esset; quippè, à cujus clientibus seu ministris, postea Gerardus Ostiensis Episcopus in Longobardia, Bernardus Abbas in Germania capti fuissent. Itaque nihil dignum adhuc exspectatione, & promissis ab eo præstitum. Hortatur ergo Pontifex, ejusdem argumenti literis repetitis, quia priores an accepissent, erat incertum, & pro authoritate suâ quoque jubet, ut Udo atque collegæ Rempubl. suscipiant, cunctaque ex literarum præscripto moderantes, tot cladibus simul & controversiis finem imponant. Nempè enitantur, ut omnes intelligant, quàm illis cordi sit Ecclesiæ libertas, & communis omnium salus. Enimverò, si caussam hanc destituerint, metuendum sanè, ne quà tetrior malorum pestis irruens, uni non modò populo Germaniæ, sed orbi Christiano toti dedecus, cladem & exitium afferat.

LXV.
Tom. 3. epist. Pont. l. 5. reg. ep. 15. & 16.
Gregorii literæ diversæ ad Udonem, & de tempore quo scriptæ.

Reperiuntur & aliæ binæ epistolæ Româ missæ, quæ ad caussam quidem hanc, & Udonem Trevirensem pertinent, scriptæ Indictione primâ, septimo Idus Martii; quæ, nisi numerorum notæ fallunt, utique sunt in annum sequentem rejiciendæ. Prioribus Gregorius monet, ab se in Synodo Romana Legatos de pace constitutos, quos impedire nefas sit, & religio; submissum verò harum nuncium, ut cum Udone Trevirensi Archiepiscopo, de loco & tempore conventûs agat, ad quem accedere Legatos opportunè deceat. Alteris Udonem, utpote cui Henrici partes adversus Rodulphum demandatæ, excitat; ut pro concordiæ bono nitatur, ejusque revocandæ consilia omnia exploret, quibus inde ad se Romam perlatis, ipse ceu fidus actorum interpres, in urbem venire ne differat. Cæterùm, cùm hujus anni exitu Udonem esse in vivis desiisse, publica juxta docent ac privata literarum monumenta, aut sanè tardiùs, necesse est, ut in magno armorum tumultu, & insidiis itinerum, Pontificem de Udonis morte factum certiorem, aut hæc Gregorii mandata, quod præposterè non fiat, legationis hujus, quam diximus, actis inserenda; etsi Pontificum epistolæ ea ad insequentem annum accommodent.

LXVI.
Udonis Archiepiscopi mors.
Chro. Citiz.
Ms. Trevi. & Abbas Ursperg ensis.

Henricus itaque hâc legatione suppressâ, cùm in Suevia bellum majore mole administrat, atque Twingiam arcem obsidione premit, Udo Archiepiscopus solo, quod illum in lucem extulerat, vitâ functus, acerrimus fidei, ac sedis Apostolicæ vindex, magnóque integritatis splendore collucens, ad cœlos migravit. Retulit ex Magdeburgensis Ecclesiæ monumentis Paulus Langius, Udonem repentino mortis genere sublatum, ut luctuoso casu, cum schismaticis eum exæquet. Sed Udonem publica privatáque monumenta, ab omni schismatis suspicione vindicant. Tenuit Episcopatum in magnis Germaniæ, atque Ecclesiæ certaminibus, invicti roboris constantiâ, annis undecim, mensibus circiter quinque; & ex Suevia Treviros deportatus, in Basilica sancti Petri Primariâ sepultus est. Authoritas, dignitásque formæ ei fuit eximia, nam & procero corpore, & facie erat venustâ; & ore cumprimis facundo, ut nihil illi, sive ad amplissimas legationes obeundas, sive ad insignem promerendam Pontificum & sedis Romanæ gratiam, vel ingenii, vel artis, vel fortunæ deesset.

LXVII.
Ex Udone duo facti Episcopi supino errore.
Extat Ecclesi. catal. & Crat. polum.

Committere hîc sanè quidem nequeo, quin posteros moneam, quid culpandi sint, qui Udonis & Adonis non distinguenda vocabula discriminant, nouóque hinc Episcopo, cujus Trevirensis Ecclesia neque locum, neque numerum agnoscit, catalogum augent; atque ut ferè erroris leve momentum gravius secum pondus trahit, quando, aut ubi obierit Ado, reperiri negant. Sed hic illustrandæ veritati, reliquus sermo datur historiæ.

Schismatis vulnera in Treviros redundant.
Henrici IV. præcipitia, & odia in cleri saniorem partem.

Defuncto igitur Udone, statim, quasi cum illo ipsa salus emigrasset, acerbo ducenda funere, antiquæ religionis fideique factâ velificatione, tetram in schismatis caliginem Ecclesia Trevirensis immergitur. Henricus namque creberrimis, uti diximus, sacrarum legum vinclis irretitus, & Apostolicâ toties notatus censurâ, dolore vulnerum, id, quod in pœnis his extremum est, Pontificis authoritate ejuratâ, demum omnia religionis jura subjugare sibi constituit; sacrique & profani discrimine sublato, cum omnibus se bonis Principibus infestum exhibuit, tum vel maximè Episcopos, clerumque immani odio vexavit; notâ proditionis & perfidiæ omnibus inustâ, qui partes Ecclesiæ Romanæ studiosiùs sibi defendendas, vel constantiùs retinendas duxissent.

LXVIII.
Episcopi Germaniæ qui constantiores, & sanctimoniâ quoque clari.

Porrò autem, in hâc communi Reipubl. Christianæ tempestate, eximia quorundam Episcoporum, & invicta animi magnitudo elucescebat; qui dum nascenti quoque sceleri resistunt acriùs, sedibus suis frequenter & diæcesibus excussi, atque ab ovibus procul pastores abacti, sub alieno solo liberè trahere spiritum, quàm in proprio turpiter servire maluerunt. Celeberrimi inter hos emicuere Sanctus Gebhardus Salisburgensis, Hermannus Metensis, Adelbero Wirtzburgensis, sanctus Altmannus Bataviensis, & Adelbertus Wormatiensis Episcopi, animis adversus tristia validi: & infracti.

S. Altmannus * Patavix vel Passaviensis.
S. Gebhardus.
Acta MS. Egelberti, & vita S. Altmanni edita à Sebast. Tengnagel.
Egelberti Episcopi futuri ingenium.

Sanctus Altmannus * Bataviæ, cùm pro egregiâ suâ in Gregorium Pontificem fide, clericis suis decreta Gregorii de loco superiore enarrasset, quibus ille & Henrico conferendi sacerdotia, potestatem, & jus investiendi abrogabat; & clericis feminarum commercium severissimè interdicebat, Egelbertus Ecclesiæ Bataviensi Præpositus, præfectúsque scholarum, furore accensus, execrabili audaciâ, palam obloqui in Præsulem suum, & studio Regis, Episcopo se objicere in conspectu cleri, nihil dubitavit. Et addunt sancti Altmanni acta, tantùm, ac tam præcipitem excitatum ibi tum cleri furorem, ut ni ope divinâ, & Optimatium favore fuisset repressus, Præsulem suum fuerint manibus discerpturi.

LXIX
Egelberti genus.

Ortus autem Egelbertus is claro genere Optimatium Boiariæ; multísque publicè in regno cum fide gestis muneribus, Regis animum promeritus emerat. At Episcopus, Præpositi sui moribus ingenióque haud parùm offensus, postquam ad meliora flectere nequiit, communione Ecclesiasticâ spoliatum Romam ad Pontificem ire jussit.

ANNUS CHR. 1078.

Interea Henricus, ineunte sequenti anno, Trevirum

Henricus Rex Trevirim ad comitia accedit.

Egelbertus Archiep. 51. Episc. 77.

Electionis antiquæ ritus, præsentibus provincialibus Episcopis.

Theodor. Vird. schismaticus.

Herman. Metensis.

* Pipo. Poppo Tullensis.

Henrici Regis iniquitas in electione impedienda.

Trevirim ad comitia creando novo Antistiti, ad quartum circiter Iduum Januarii, accesserat. Quod ubi comperit Egelbertus, ipse ad Regem Treviros quoque adiit, haud dubiam in spem erectus amplissimi potiundi sacerdotii, cùm propter merita, quæ jam in Regem ipsius plurima extabant, tum recentem quoque à Pontifice Romano defectionem. Quod certè propositum, licet ambitionis manifestum, faciente tamen Henrico, non difficulter tenuit. Dies jam electioni constitutus in propinquo erat; venerantque Trevirim, Theodoricus Virdunensis, schismati quidem inprimis obnoxius, sed & Henrici partibus, cui deditus is ante alios, & factione depravatus; Hermannus etiam Metensis, & * Bibo Tullensis, ambo tunc Catholicæ pacis assertores. Inde cùm Episcopi, clerus, & populus, divisis pro utriusque studio suffragiis, ad comitia prodiissent, apparebat, irritatis animis, Catholicos ad suos vota inclinaturos. Quæ, ne libera essent, Henricus providit; decretóque cavit, ne cuiquam, nisi quem sibi probatum iri nossent, suffragatione adessent.

LXX.

Simoniæ deditus Hénricus IV.

Comitiorum dissensio.

Egelbertum Treviris obtrudit Hénricus IV.

Primùm itaque clerus prærogans, ex suo collegio viros magistratu illo dignissimos proponere, atque Henrico eosdem, arte quâ possunt, conciliare. At ille, per intercessionem ne crearentur, ob id solùm contra venire, quod aurum & pecuniam, cujus tum, honore venali, magna sitis, candidatorum nemo promeret. Triduo igitur, per Regis avaritiam, ejusmodi certaminibus extracto, quarto tandem die Egelbertus accessit; cui haud dubium Episcopatum Henricus favore, ac spe jam antè desponderat. Eo igitur præsente, cùm rursus ad electionem primores consedissent, tum ibi ad clerum conversus Rex: Quoniam, inquit, in legendo Antistite parùm adhuc convenimus; quin saltem in hunc, vel me authore, suffragii calculum, uno omnes consensu, mittitis? Cui, cùm Theodoricus Virdunensis solus annuisset, exigua pars de plebis minutæ quisquiliis, vocem ejus secuta, ratum Egelberto Pontificatum effecit. At Hermannus Metensis, Bibo Tullensis, clerus propè universus, ac populus, secessione factâ, Episcopum dirarum religionibus devotum respuerunt, fraudem comitiis, vimque adhibitam, graviter questi; tum Regis etiam violentiâ, homines idoneos ad eam functionem à se illatos, turpiter repulsam passos. Ad hæc clerus, & pars sanior plebis, cùm in ipsum Regem, & potentiâ tutum, & authoritate, quam ipse contra Gregorii decreta furenter usurpabat, impetus fieri nequit, flexere iras in Egelbertum, atque mistis precibus minisque Tullensem, atque Metensem obtestati sunt, ne contra scita majorum, contra sacras Pontificum sanctiones, Episcopum vitio creatum, atque invitis, per fraudem atque vim impositum, sacrare vellent. Quibus, id nunquam se commissuros, affirmantibus, domos quisque suas rediere. Henricus autem, Idibus Januarii Egelberto annulum, baculúmque sollemni more tradidit; & Pontificis Maximi authoritate spretâ, de sacerdotiis æquè atque sceptris, regio more, consulere perrexit.

Huic unus favet Theod. Virdun.

Catholici abnuunt, Egelbertú.

Treviri orant ne consecretur schismaticus.

Egelbertus investiturâ donatur.

LXXI.

Gregorii Pontificis literæ ad Hermannum Episcopum de non alienandis Ecclesiæ bonis.

Popponis Tullensis caussa revocatur in medium.

Subinde Hermannus Metensis, cum majore, quàm unquam aliàs ardore Gregorii partes, Pontificiámque majestatem propugnat, gravissimam Henrici ob id indignationem expertus, ceu Regi rebellis, urbe suâ pulsus est. Extant hoc anno datæ ad eum literæ Gregorii, undecimo Kalend. Novembris, Indictione secundâ incipiente, quibus Metropolitano præterito, denique Popponis Episcopi Tullensis causam Hermanno commendat. Nosse quippè eum, quanto jam is tempore se fatigarit, egeritque pro repellenda, quam injustè sibi impactam contenderet, infamiæ dica. Quoniam igitur, ob imminentes regni tumultus ad sui purgationem sex Episcopos contrahere non possit, ei jus illud remitti, & in præsentiâ quatuor huic quæstioni sufficere, ex quibus duo quoque differri queant in proximam quadragesimam. Monet itaque, ut laboranti fratri manum porrigat, & in parte succedat oneris, ita, ut si reum esse constiterit, idoneis eum remediis sustentet, ac sublevet. Quæ certè Pontificis oratio, Popponis in gratiam restituti, clarum ibi se argumentum continet. Porrò literis iisdem peramanter Hermannum ita monet: *Pervenit ad nos, quod propter instantem inimicorum tuorum infestationem, bona Ecclesiæ tuæ largitus sis quibusdam militibus; & eo modo honoris tui dignitas quotidie, quod non optamus, minuatur, atque decrescat. Proinde, tuam volumus admonitam esse prudentiam, ne alicujus magnitudine tribulationis coactus, Ecclesiasticas cuiquam hæreditates largiaris, unde multùm te postea pæniteat; cùm quod modò turbatus egeris, nullo modo emendare potueris. Oportet autem, ut totam spem tuam in Domino ponas; certissimè sciens, quia Dominus non derelinquit sperantes in se. Confidimus enim, omnipotentem Dominum, vestris aliorúmque religiosorum, quos in partibus vestris plures esse cognoscimus, orationibus placatum, pacem Ecclesiæ suæ citò esse daturum.*

Bona Ecclesiæ non rectè tradi militibus seu nobilibus, etiam tutelæ respectu.

LXXII.

Romana Cócilia sub Gregorio 7.

Rodulphi victoria.

Bertoldi appendix.

Ita sapienter certè Gregorius; sed duobus etiam hoc anno conciliis Romæ, Martio mense, & Novembri celebratis, infesta Regum arma dirimere, pacemque revocare nequiit, Rodulpho licet ad omnem æquitatem, & caussæ moderationem prompto; qui septimo Idus Augusti in Saxonia interim ab Henrico lacessitus, apud Struvam ei occurrit; & editâ pugnâ felici, nec incruentâ, victor Henricum, nobilissimo quoque in acie occumbente, totis campis fugavit, & ingenti clade affecit. Cecidit eo in prœlio Wecilo, Magdeburgensis Episcopus, frater beati Annonis Coloniensis.

ANNUS CHR. 1079

Henricus Rodulphi victor.

Ursperg. & Marian. in Chron. Bertoldi appendix. Sigeb. ad an. 1077.

Rodulphi apud Gregorium de Henrico querimonia.

Anno sequenti verò, Henricus iterum cum Rodulpho apud Fladecheimium signis collatis conflixit, prœliumque, ereptâ Rodulpho per Uratislaum Bohemiæ Ducem lanceâ, eventu secundum fecit; qua de re questus Rodulphus, per Legatos Romæ apud Gregorium in Synodo, quam contra Berengarium coëgerat, simul exposuit, quemadmodum Henricus, omni spe pacis, ac fœderis abruptâ provincias vastandi, calcandíque sacra, finem nullum faciat. Id, quod Legati à Gregorio deinde in Germaniam missi, ut coram oculis usurpabant, ita retulerunt ad Pontificem, testatâ

stati in Henrico omnia esse plena pertinacis & indomitæ contumaciæ; Rodulphi partes ad obsequium faciles.

Egelbertus stabiliendo honori præsidia conquirit.

Per id tempus, Theodoricus Virdunensis Gregorii Pontificis hortatu, Hermannum Metensem in fidem atque amicitiam susceperat. Egelbertus verò Trevirorum, cùm pro consecratione obtinenda, precibus omnes fatigaret, vetante ac prohibente Pontifice, nihil æqui vel iniqui impetrare poterat. Igitur per Theodoricum Virdunensem, clari tum in aula nominis & gratiosi, Pontificem flectere se posse sperans, ut literas has, adulatione turpi respersas, ad Pontificem daret, autor ei fuit.

LXXIII Theodorici Vird Epist. pro Egelberto ad Gregorium missa *Extat MS. in Gestis Tr.*

Gregorio summo Pontifici, carissimo Domino, ac reverendissimo Patri, Theodoricus Virdunensis Episcopus qualiscunque, tamen suus; dilectionem, quam Patri filius; subjectionem, quam Prælato subditus; servitutem, quam Domino servus. Posse tibi obedire maxima est mihi jocunditas; posse servire, non parva hilaritas. In quo enim venerabor te, in eo beatum Petrum, in quo obediendo, serviendo te, mihi conciliabo in eo beatum Petrum Apostolum. Monitus à te suscepi confratrem meum Metensem; ut te ipsum; attendens illud Dominicum: Qui vos recipit, me recipit; caussam ejus meam feci; negotium ejus meum existimavi; eadem nobis adversitas, eadem fuit prosperitas. Ad hoc me invitavit mutua fraternitas, debita charitas, sed præcipuè jussio tua, benevolentia tua, & habita in me fiducia. Præterea Trevirensis Ecclesia, cum gravi dolore pedibus paternis tuis advolvitur, filia Dominum pulsat, insolabile sui detrimentum, his temporibus me interprete, deplorat. Vidua per biennium ferè, quanta passa est & patitur? quantum afflicta est, & affligitur? foris pugna, intus timores. Elegit virum de plebe dignum sacerdotem, idoneum patrem, communi assensu, teste conscientia meâ coram DEO, & coram te quod nihil simoniacum contra jus Ecclesiasticum intercurrerit, quod nihil Simoniacum, etiam petitione remota, intervenerit. Consecrationem ejus miramur differri, dilationem tam gravem miramur potuisse tibi inculcari; illud maximè, quod paternis hac desolatione nos adeo gravari. Gravissimum onus est mihi, solum esse in medio nationis pravæ & perversæ; solum patre & fratre illo expulso, alio non consecrato. Si Ecclesiam, si statum Christianitatis curas, locum nostrum respicias; & cùm vita patris in omnibus spectata, ordinationem mereatur, Metensi & me tuo exaudito, nullius obtrectatione ulterius differatur; persolvet tibi, quod patri filius, quod prælato subditus. Deinde quibusdam interpositis. *Quomodo Rex sit tecum, & tu cum Rege, modo mihi rescribas tuo.*

Ecclesię Tr. patrocinium fictū, Egelberti caussa.

Vide schismatis impudentiam.

Hermānus Episcopus Metensis expulsus. Egelbertus Trevir. dilatus.

LXXIV. Theodorici Virduneñ. Episcopi gratia apud Gregoriū.

ANNUS Chr. 1080 *Lib. 7. regist. Epist. 11.*

Hac tam rari candoris & pietatis in cōmunem Ecclesiæ parentem professione, Gregorius Theodorici animum æstimans ut in magna tum obsequentium & bonorum virorum inopia, ejus fidei tametsi fluxæ res, mandare non dubitavit etiam gravissimas. nam tertio Kalendas Februarii anni incuntis, qui à salutifero Virginis partu erat millesimus octogesimus, literis Romà missis, cognitionem caussæ Arnulphi Comitis, ut reor, Chiniacensis, ei detulit; qui Henricum Leodicensem Episcopum ad sedem Apostolicam iter facientem, rebus omnibus exspoliatum, insuper jacturam rerum & ultionem injuriæ abolêre, sacramento coëgerat. Quare Comitem repetundarum reum, ultimis stimulari censuris ad satisfaciendum jussit, solvi quoque Episcopum religione jurisjurandi.

Arnulphus Comes Chiniacensis spoliat Hēricum Leodicensem.

LXXV.

Hæc privatim in Trevirensi Republica Gregorius; at in communibus Germaniæ malis, nusquam non evigilans, ubi jam adultâ Henricum & corroboratâ nequitiâ volitare, & non improbè modò perrumpere omnium legum vincula, sed proculcatis sacris & Ecclesiæ spretâ majestate, fœderis & concordiæ obstruere vias omnes didicit, vere novo celebrem agens Romæ Synodum, publicè ibi Beatos Apostolos Petrum & Paulum contestatus, extremis illum atque sectatores, Ecclesiæ pœnis involvit; ademptúmque ei regnum, ac Rodulpho confirmatum, pronunciavit: Quibus Gregorii decretis, vehementer Henricus exasperatus; ut eum ulcisceretur, majore jam nocendi impetu Synodum apud Moguntiam ex finitimis locis, & deinde ad septimum Kalend. Julii apud Brixinam Boiariorum contraxit; quâ Pontificem Gregorium falsis appetitum criminibus, indignisque contumeliis oneratum, sede movendum, atque illo honore, per summam injuriam, dejiciendum curavit, Guiberto Ravennate maculoso homine, & à Gregorio sæpiùs damnato, cum in locum sublecto, & Clementis tertii nomine ei imposito. Extat apud Urspergensem pars eorum decreti, petulantissimâ linguâ per summam adulationem conflati, quod ad improbissimi modò sæculi istius mores delibandos, inspicere satis, aut fortè nimium sit.

Bertold. in append. Post Gregorii lib. 7. registri. Greg. VII. pœnas & censuram contra Henricum instaurat.

Henricus Gregorium abrogans criminationibus oppugnat. *Ursp. Sigeb. Mar. ad an. 1081.* Guibertus Ravennas antipapa. *Adi Epist. & Gebhardi. Dom. I. L. 6. 8.*

Hoc igitur conventiculo à Simoniaca cicatrice stigmosis Episcopis peracto, tam alti inde Henrico surrexere spiritus, ut omnes ad Rodulphum opprimendum vires curásque transferret. Igitur irâ majore belli, cum hoste ad fluvium Ellestram pridie Octobris summo congressus prælio, Rodulphum, sed non incruentus acie vicit; qui letali accepto vulnere, & dextra saucius, Mersipurgum delatus, uno die prælio superstes, piissime spiritum in Romanæ Ecclesiæ obsequio posuit; tanto fidelis populi præsertim Saxonici luctu, ut eleëmosynis penè innumeris animam defuncti obtinendæ pacis caussâ prosequerentur. Quo liberiore styli indignatione scriptoris anonymi oratio proscindenda, quam hæretici fidissimæ Bertoldi ac sinceræ narrationi opponunt; cùm abscissam Rodulphi dextram monstrasse ait, dignissimam perjurii vindictam. Quid enim hoc aliud est, quàm insultare Christiano sanguini? &, si vera narrat, immeritò talia perpesso. Huic etiam pugnæ apud Paulum Langium invenio cum Coloniensi interfuisse Egelbertum Archiepiscopum; acceptaque clade, rebus omnibus à Saxonibus exutum, in parte victoribus.

LXXVI. *Chron. cit. Helmoldi Sclav. chro. c. 29. & ex Saxon. Paulus Langius, Bertoldi appendix.* Rudulphus Rex acie vincitur, & piè moritur. *Scriptor anonym. vita Henrici IV. To. 4. Germ. script.* Eleemosynæ pro anima Rodulphi piè erogatæ. Calumniatores Rodulphi Regis repressi. Egelbertus infeliciter pugnat.

Claruit hac ætate non obscurà eruditionis famâ, Wenrichus Trevirensis Ecclesiæ primum Scholasticus, atque inde Episcopus Vercellensis; qui librum de regni ac sacerdotii dissidio Gregorio Pontifici inscriptum, perso-

LXXVII. Wenrichus ex Trevir. Scholastico Vercellēsis Episcopus.

Sigeb. in viris illustrib.

Schismatis culpa non vacans.

nâ Theodorici Virdunensis inductâ, contexuit, Pontificisque caussam ex vulgi sermone sugillans, nec ipse schismatis opinionem si Sigebertum attendimus, evasit.

Rodulpho autem Rege, ad eum modum, quem diximus, è medio sublato, Henricus hâc unâ curâ levatus, inde ad Gregorium, quem suis acriter conatibus adversari sentiebat, honore omni & potestate exuendum, spectabat. Anni igitur proximi vere, exercitu in Italiam deportato, pridie Pentecostes, cum Clemente, & aliis schismaticis Episcopis, quibus se aggregarat Trevericus Egelbertus, Romam accessit. quâ re locum aperuit utriusque ordinis Principibus, ut de Rege sibi novo parando, qui Rodulpho & industriâ, & studiis esset par, consilia inirent. Memores itaque Saxoniæ, Alemanniæ, & Boiariæ proceres, quibus essent odiis ac injuriis ab Henrici partibus distracti, quot cladibus irritati; Gregorii item constantiâ erectiores, Hermannum, è medio ditionis Trevericæ gremio, & animi &, generis nobilissimum virum, quem virtute armisque præcipuè norant excellere, Regem sibi statuunt, pridie sancti Laurentii.

ANNUS Chr. 1081 *Ursperg. Marian.*

Egelbertus cum Rege Romam adit.

Hermãnus Rex à Catholicis in Rodulphi locum eligitur. *Bert. & cit.*

LXXVIII. Hermãnus genere Comitum Lutzelburgiorum. *Bertold variis locis & MS. libri Franc. Guilman. l. 5. Habsburg.*

Hermãnus Romanæ sedi devotus.

Erat Hermannus is, quod hucusque fermè mansit obscurum, Lutzelburgiorum Comitum prosapiâ; Conradi Comitis, uti reor, filius, à quo violatus olim Eberardus Trevirorum Archiepiscopus, eo nobis lætiore memoriâ prosequendus, quòd genus id clientelæ Trevericæ, cujus etiam sanguis illustrium imaginum serie longè propagatus, in Balduini demum immortalis Episcopi, & Henrici septimi Imperatoris ortum, atque inde in Bohemiæ sceptra, confluxit. Sed & Hermanni virtus eò magis quoque spectata, quòd Conrado fratre in schismatis dedecore acriter pro Henrico dimicante, cùm Germania nihil aliud, quàm præda esset perduellium Episcoporum, hic caput suum pro salute Reipubl. devovit, magisque divinis præsidiis, quàm opibus humanis insistens, Ecclesiæ rem afflictam suscepit; & pietatem orthodoxam pro virili vindicavit. Eum Lotharingiæ Principem nonnulli, vulgus scriptorum genere Lotharingum celebrat, famam opinor secuti, quod apud Mediomatricos educatus, in eorum urbe Meti honores amplissimos gessit; & principatum fortè Lotharingiæ & Arduennæ Imperatoris vice gubernavit; alioqui Hermãno Metensi Episc. arctissimo amicitiæ fœdere clientelari obsequio devinctus. Cujus gratiâ & excellenti tunc apud omnes Catholici nominis autoritate, faciliùs etiam Hermannum, arbitror, emersisse ad regium splendorem. Etenim Hermannus Metensis, ut quis alius in Imperio Præsul, hoc anno specimen edebat pertinacis adversus Gregorium obsequii, fideique immobilis. nam & extorris, & undique injuriis comitum, insidiis clientium, quos schisma Henrici involverat, appetitus, nihil eveniebat, quò remissiùs sibi agendum in religionis, & Gregorii caussa duceret. Leguntur Gregorii literæ, ab Idibus Martii ad Hermanni quæsita, de principatu Romanæ sedis, argumēti præclari, & magni roboris, ad Henricianorum causam jugulandam; quas utinam relegere non pigeat, qui quantum in Reges

Lotharingus cur dictus *Otto Frisin. l. 6. c. 34. & cat. Flandria Marchionis in Baldu. 6. (allfleck Helmodo dellus, forte per tiam injuria. Chron. Sclav. c. 30.*

Hermanni Metensis Episcopi rara constantia *Lib. 8. regist. Grego. ep. 21.*

Gregorius Hermannũ Episcopum de Primatu Pontificis instruit.

etiam Pontifex Romanus authoritate valeat, nescire volunt. Id quod, si Otto Frisingensis, huic ætati proximus, pius juxta, ac eruditus Episcopus attendisset, non tam præcipiti oratione cum Henricianis; quenquam ante hæc tempora, à pontifice Romano Regem, aut communione, aut regno spoliatum, negasset.

In Ottonem Frising. conferenda. 35 16. ubi haereticum glossam. NB.

Hermannus Rex, postridie sancti Laurentii, in collimitio Boiariæ, & Alemanniæ quo nomine tunc Sueviam appellabant, apud Hostette, cùm hostium innumeram propè multitudinem affluere, conventus & electionis impediendæ comperisset; exiguo licet ipse cinctus militum agmine, directis tamen in hostem signis; inopinato tantâ vi in eos irruit, ut fugâ, cæde, vires eorum omnes attereret, ac profligaret.

LXXIX. Hermanni Regis victoria. *Bertold. appendix.*

Atque hæc prima victoria Hermannum spes suas longiùs proferre docuit; itaque ex Bavaria victor in Saxoniam transgressus, Natalem domini Goslariæ, insigni gloriæ pompâ, peregit: & quia Sanctus Stephanus, cujus tutelæ urbs & Ecclesia Metensis consecrata, Regi delectus olim patronus, placuit hujus festo die, adnitentibus procerum votis, ibidem diadema regni, & solennem unctionem ab Episcopis accipere.

ANNUS Chr. 1082. S. Stephanus Hermãno Regi patronus.

Hermannus Rex in Saxonia coronatur.

LXXX.

Interea Henricus, tegente latus Apostatâ Guiberto, & assectante eum Egelberto Trevirensi, in Italia copiis contractis, Leoninam urbem, quia Transtiberina prohiberetur, obsidere aggressus, Romam castellis passim erectis, crebra suorum irruptione infestam habuit; verùm Romanis addito Sancto Petro fidelium Principum robore, haud segniter se defendentibus, nihil admodum tantâ molitione dignum effecit.

Hẽricus IV. Leoninam urbem obsidet. quæ à Leone III. sic vocata, *ut Sigebert. in Chron.*

Hermannus Rex, de urbis Romæ certaminibus, & obsidione certior factus, sanè vehementer indoluit: quare, & Ottone Duce Saxoniæ administrandæ pro se absente imposito, ad opitulandum Ecclesiæ illinc in Sueviam abiit, Italicam expeditionem animo ac spe complexus. Natali ergo de more in Suevia celebrato, cùm justæ jam undique copiæ in unum venissent, nuncius ei subitus perfertur de Ottonis Ducis obitu, cujus industriâ ac robore tergum adversus Henrici partes munierat; quamobrem omissâ susceptæ expeditionis gloriâ, redeundum ei fuit in Saxoniam, ne ex morte Ducis major ibi motus existeret.

Hermãnus Rex Italiam cogitat. ANNUS Chr. 1083.

Ottonis Saxoniæ Ducis obitus.

Henricus interea post longam atque irritam oppugnationem, cùm fessis, aut corruptis pecuniâ propugnatoribus, urbem etiam Romam veterem, tertio Nonas Junias suæ potestatis fecisset, Romani quidem pro Pontificis honore ac dignitate conditiones pacti sunt, at eventu pro Henrici ingenio parùm felici. Quare & Gregorius, qui sancti Angeli, sive Crescentii arcem, quod in nomen moles Hadriani tum abierat, præsidio tenebat, & eam contra Henricum impigrè defendebat, ut Regi se tot religionibus obstricto, atque odio à se implacabili averso dederet, neque Apostolicæ putavit esse dignitatis, neque suæ salutis. Itaque additâ sibi nobilitate Romanâ, in arce perseveravit; omnesque Tiberinos pontes, & munitiora Romanorum præsidia, in potestate habuit. At Henricus,

LXXXI. Henricus Romam universam subigit.

Hadriani moles Gregorium protegit.

hibernis

Hẽricus IV. Romam ingreditur.

hibernis in Italiâ peractis, tandem à Romanâ plebe, quam pecuniâ itidem emisse fama erat, ut urbem pacificus adiret, invitatus; Senis, ubi constiterat, digressus, Romam XI. Kalend. Aprilis, porta Lateranensi, delecto procerum agmine stipatus, init. Postridie Episcopis, qui dissensionum studio ab Ecclesiâ fuerant divulsi, congregatis, Gregorium damnavit; atque Clementem ex eorum authoritate subrogavit.

Clementis antipapæ successus. Lib. 2. dec. 2.

Egelbertus Trevirorũ pseudoepiscopus Clementem antipapam consecrasse dicitur. Sed

In dubium vocatur.

Porrò, quod Blondus memoriæ mandavit, cùm nemo omnium esset Cardinalium vel Episcoporum Ecclesiæ Romanæ, qui Clementem ritè sacrare vellet, Bononiensis, Trevirensis, & Mutinensis Pseudoëpiscopi, sic enim ipse loquitur, cæremoniis in illum, Romanis Pontificibus adhiberi solitis, sunt abusi. De Egelberto Trevirensi, ut cohonestandæ cæremoniæ adstiterit, adsenserim Blondo; at consecrationis ullum attigisse munus, falsum eum dixerim, quando nec ad id ipse tempus sacerdotio initiatus extitit, & vetustiores ab hâc ætate, in quibus eminet Bertoldus, Mutinensi & Aretino tunc Exepiscopis, functionem præcipuam attribuunt: & Godefridum Bullionium hâc expeditione Henrico operam navasse perhibent, Lotharingiæ Ducatûs arridente præmio, quem avus maternus obtinuerat.

Godefridus Bullionius militat Hẽrico IV.

LXXXII. *Henrici IV. inunctio schismatica, qua Imp factus ejus nominis III. Psal. 108. Bertholdus in Chron.*

Glorioso Paschæ hinc illucescente die, Henricus a Pontifice novo, ceu quàm Gregorius plus ille posset, qui nihil poterat, Imperatoriis insignibus ornari, atque cum Bertha conjuge inungi de more voluit. Sed induit utique maledictionem infelix ibi sicut vestimentum; & istâ tam profanâ oblitus inunctione sanè quidem intravit, sicut oleum in ossibus ejus. Affuit & ilicò Robertus Calabriæ Dux, ultor Gregorii, fugatâque Germanorum manu, urbem rebellem diripuit, majoremque ejus partem flamma devastavit. Quare suorum deforme trahens agmen Henricus, satis celeri istinc ex Italia se fugâ proripuit.

Germaniã repetit.

LXXXIII. *Theodoricus Virdun. pro Egelberto nititur.*

Medio verò tempore, Theodoricus Virdunensis, qui validus amicitiâ Cæsaris, penè summam in Germaniâ, Rege absente, tenebat literis ac nuntiis ad eum in Italiam missis, cùm statum ei Germanici regni aperuit, tum vehementer, ut Egelbertus Trevirensis Archiepiscopus initiaretur, rursum pugnavit. Henricus, ut Theodorico cupienti ne deesset, & responsum ad postulata daret, literas ex Italia ad eum invicem misit; quas ex antiquis provincialium librorum monumentis erutas, ad hanc nempè historiæ partem illustrandam, subjicimus:

Hẽrici Imp. privatæ literæ ad Episcopum Vird. MS. Trevir.

Rex Henricus Dei gratiâ Romanorum Imperator & Augustus, Theodorico Episcopo, dilectionem nulli majorem. Inprimis scire te volumus, nulli nos hominum fidere magis quàm tibi; neque Episcopum Trajectensem eo à nobis in regnum dimissum, ut monitor tibi, sed potiùs in regni tractandis negotiis adjutor adesset. Deinde, ad singula, quæ mandasti, hac paucis responsa damus, innumera nobis reservantes coram aliquando, & ubi unà fuerimus, promenda; tuúmque in sinum effundenda. Quod ad illa, quæ aversis in margine notis, de Romanis rebus mandata complexus es: principio omnium, die S. Benedicti memoriæ dicatâ, Romam ingressi sumus. Quemadmodum autem ipsi nos Romani exceperint, aut nobis cum iis, quid negotii fuerit, aut quos discedentes reliquerimus, cùm ab aliis audire potuisti, tum literis etiam nostris, quas nondum accepisse te credimus, fies omninò certior. Licèt certè aliorum prædicatione, quàm nostrâ cognoscere te hæc omnia maluimus, quæ in nos, plenâ manu beneficia Deus immortalis congessit. Quippè incredibile tibi videatur, quod tamen re ipsâ comprobatum, Romæ præteritis diebus evenit; quando ita denis hominibus, ut ita loquar, Deo auxiliante, confectum à nobis est, quod denis omnino millibus effectum majores non præstitissent, et cui non ingentem, ea res prodigii simillima, admirationem pariat? Iam verò, quod fidem omnem superat, cùm in Germaniam reditum paramus, expugnandæ Romæ pariter cogendæq; ad deditionem spe lapsi, ecce tibi Romani, missis ultro Legatis, supplices nobis facti, ut urbem inearnus obsecrant; séque in omnibus dicto nobis audientes fore, spondent. Itaque diligenter ab iis factum est. Nam & magnâ alacritate introeuntes nos exceperunt, & omnibus nostram caussam studiis complexi, perhonorificâ demum pompâ singularíque fide nos abeuntes prosecuti sunt; ut confidenter ac liberè gloriari jam cum Deo liceat, Romam adeò universam, exceptâ unâ Crescentis arce, in manu esse nostra. Quod reliquum est, Hildebrandum legitimo omnium Cardinalium, ac totius populi Romani judicio scies abjectum; & Clementem Papam nostrum pro eo in Apostolicâ sede locatum; me quoque faustâ Romanorum acclamatione Imperatorem consalutatum, atque solemni ritu, sacro Paschatis die, ingenti cum totius populi applausu consecratum. Quibus actis, benè favente Deo & S. Apostolo Petro, ab urbe Germaniam versus iter cœpisse, ut inde quantocius ad vos maturemus reditum. Gaudeant, qui velint; doleant, qui velint: nos Deo propitio adsumus. Dominus ille, quem literis tuis memoras, quid rerum agat, cognoscere non magnoperè laboramus; quod verò tu monuisti, providendum omni ratione ne noceat; operam dabimus, ne nocere possit. De Saxonibus autem, Saltzburgensi Archiepiscopo, & Adelberto Comite, aliisque ad nos redire cupientibus, quia in tuis libenter consiliis acquiescimus, id modò enitendum, ut pax sincerè conveniat; atque ubi restituti fuerint, in fide sibi manendum, omninò intelligant. Tu verò cura, quanti apud me es, ut Augustam ad nos adire, & sub festum diem Apostolorum Petri & Pauli occurrere matures; quippè, si Deus volet, ipso festo die erimus Ratisponæ. Quamobrem etiam atque etiam contende, nobis ut adesse, & tuo adventu exhilarare queas. Insuper mandat tibi Apostolicus Clemens, & Imperator Henricus, ut sicut nos diligis, ita Archiepiscopum Trevirensem è vestigio consecrari festines. Vale.

Romæ deditæ narratio.

Clementis & Henrici coronatio.

Theodoricus Virdun. ad occursũ Imp Henrici Augustã invitatur.

His literis Theodoricus perlectis, conversionem rerum tam subitam vehementer admiratus, fidem ut literis adhiberet, adduci vix potuit. Quod etiam in caussa fuit, cur Egelbertum Trevirensem, exploratâ jam Imperatoris voluntate, consecrare distulerit; præcipuè, cùm is à Suevorum copiis sic apud Ly- LXXXIV.

Egelberti consecratio differtur.

Bertoldi Appendix. Suevi Héric. Imp. premunt.

cum in Vindelicis distineretur, ut sine summa dimicatione, vix ad inferas Rheni partes exitus pateret. Igitur antequam in consecratione procuranda quidquam attingeret, Henrici adventum sibi exspectandum putavit.

LXXXV. Henrico Imper. redeunte ex urbe Procerum cœtus Mogũtiam confluit. Sigefridi Archiepisc. Mog. mors. Wicelo schismaticus successor

Interea Henricus, vitato Suevorum congressu, Ratisbonam elapsus, inde transito Rheno, Moguntiam contendit; ubi Episcopi, ac nonnulli Principes, de more obviam ei honoris atque officii caussâ progressi, resistebant. Sigefridus Moguntinus paulò jam ante vitâ relictâ in pace Catholica decesserat; Wicelonem successorem nactus, clericum Saxonem, eruditione rarâ ab Halberstadiensi Episcopo fugitivum, & per omnia cum Henrico facientem.

Egelbertus Treviren. à Theodorico Vird. Moguntiam perducitur.

Egelbertus itaque Trevirorum, adventu Imperatoris jam animosior, cum uno Theodorico Virdunensi Moguntiam adiit; reliquis duobus Hermanno Metensi, & Bibone Tullensi, quod funesti contagionem schismatis detestarentur, non prodeuntibus. Apud Wicelonem Moguntinum Theodorico erant omnia prona; minimóque negotio ab eo impetratum, ut Egelberti consecrationem is, pondere authoritatis suæ, proveheret. Alios deinde Episcopos prensans, obtestansque solicitat, ut quia collegæ Suffraganei, Metropolitani sui interesse consecrationi refugiant, ipsi studio Christiani officii, pro iis eo in munere adstare sibi vellent, sacrisque ritè gerundis, oratione ac manu favere. Quod cùm ex præsentibus nonnulli recepissent, Theodoricus Egelbertum sollemni pompâ deductum, properè pontificalibus infulis, & reliquo ornatu circundare, tum Archiepiscopum etiam consecrare, nequidquam est veritus.

Egelbertus Moguntiæ à schismaticis consecratur.

LXXXVI. Gregorius Henricum & Antipapam in Germania excommunicatos denunciat. *Bertold. cit.*

Per id tempus Gregorius, quod Romæ nuper Henrico præsenti anathema dixit, id jam pleniore coacto Episcoporum consessu, denunciatione novâ instauravit; Guibertum Antipapam, Henricum ejusque sectatores, diris omnibus ac devotionibus prosecutus. Cujus suæ sententiæ interpretes, in Franciam Petrum Albanensem Episcopum, in Germaniam Ottonem Ostiensem, Legatos misit.

Hermanni Regis virtus & Religio.

Interea Hermannus Rex, æquitatis & religionis egregio temperamento, fœderibus ac gratiâ magnas fecerat partium accessiones: & cùm anno postero, Goslariæ Natalem Domini celebrasset, Henrici causæ studiosis, copiam sociandi verba fecit XV. die post Epiphaniam: quo die Saxones publico in colloquio caussas exposuêre, cur sibi cum Henrico nihil rei commerciique esse posset, quem jure merito, ceu sacris omnibus interdictum vitarent. At enim, cùm ibi pugnarent Henriciani, facere non potuisse Pontificem, ut quem exspoliasset antè, hunc serò tandem, juris ordine præpostero, appellatum, judicaret & condemnaret, sapienter Saxones, quod utinam iis perpetuum foret; se judicium sedis Apostolicæ NEC DEBERE, NEC POSSE RETRACTARE. eam quippè caussam ipsis cum Gregorio potiùs disceptandam, qui Regem damnasset, non cũ Saxonibus, qui sedi Apostolicæ morem gessissent, cujus sententiæ intercedere, sibi fore nefas.

ANNUS CHR. 1085. Saxones A. S. devotissimi.

LXXXVII. Synodus Quintelinburgi in Saxonia.

Hos sermones inde secuta Quindelburgensis celeberrima Synodus; ipsâ Paschatis hebdomade, Ottone Gregorii Legato Præside, & præsente Hermanno Rege, cum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus Saxoniæ, Alemanniæ, vicinique Rheni. In hac sententiis fortiter dictis, vindicatus sedis Romanæ principatus: Wicelonis Moguntinæ Ecclesiæ invasoris, ut & cæterorum omnium, qui à schismaticis initiati, damnata ordinatio: nomina quoque multorum Episcoporum de more cereis accensis proscripta; quorum tamen catalogo Egelbertus Trevirensis abest, seu quod minus inveteratus, seu Hermanni Metensis Suffraganei, quem haud dubiè hic affuisse, non levibus caussis persuadeor, spe quâ meliore protectus: sed ejus interim Ordinatio Synodi censuram non effugit.

LXXXVIII. Henricus Moguntiæ conventu coacto affligit Catholicos. *Dodechinus & Sigebert. Urspurg.* Proscribit & spoliat Episcopos.

Non abierat mensis, cùm Henricus ad vesaniam usque jam furens impietate, huic mox Synodo Novam Moguntiæ coactam opponit, ubi in Principum ordinis utriusque conventu, præsente etiam tum Egelberto Trevirorum, omnes in Gregorii Pontificis abdicationem subscribere coëgit, reliquis Episcopis, qui cum Gregorio facerent, partim explodi, atque submissis aliis, Ecclesiis suis spoliari; partim damnari, & sacrorum usu interdici, jussis. Inter alios, quos nulla unquam periculi dubitatio à susceptâ constantiâ revocavit, Hermannus Metensis, & Adelbero Wirtzburgensis, civitatibus ac sedibus suis exacti, rursum extorres facti sunt; eorúmque in locum suffecti Pseudoëpiscopi.

Hermannus Metẽsis iterum exsul.

LXXXIX. Trevirensis Ecclesiæ cõstantia in Catholica retinenda concordia.

Egelberti in clerum populumque impetus.

Dimisso conventu, Egelbertus Trevirim adiit, atque in eo multum operæ posuit, ut exasperatos in se cleri ac civium animos, gliscentémque indies discordiæ tumultum leniret; & ad aliquem otii fructum adduceret. Sed, ubi apud potentes nihil blanditiis, apud invalidam plebem parum quoque minis proficit, clerum, Principis irâ objectâ, compescere; populum verò, gravibus impositis mulctis, ac sævâ bonorum direptione, punire ac premere, ingressus est. Quâ re invidiæ certè plenissimâ, multorum in se odia, simultatésque provocavit; ut clerus juxta ac populus eum aversatus, palam sperneret, atque ullam inposterum cum illo sibi rerum divinarum societatem fore, negaret. Tum verò ex iis, qui opibus atque authoritate pollebant, nonnulli eum adeuntes, liberè compellabant: quoniam ad Pontificatus ipse culmen omnibus ingratus atque invisus ascendisset, atque de absenti Regis manu sollennia Pastoris insignia accepisset, violassétque decretum, quo Gregorius à laico quoquam Ecclesiasticis ornari muneribus Episcopos vetuisset; ob hæc ipsa nimirum, Treviris certè quidem, Episcopum eum esse non posse; neque, ut cupiat valeátque, se cum eo communionem inituros; aut passuros, ut in suscepti honoris gradu consistat, ni adulterino Pontifice repudiato, Gregorio deinceps audientem se dicto fore, atque ejus salutaria amplexaturum decreta recipiat. Quod ubi Egelbertus audivit, præceps iracundiâ, atque hâc libertate popularium haud minùs exardescens, millies se mortem oppetiturum antè respondit, quàm fidem illi datam fallere, qui se ad id fastigium

Egelberto sua crimina exprobrant cleri primores.

Egelberti in schismate pertinacia.

dignitatis

dignitatis evexisset; Gregorio autem tum denique ... iturum, quando ipse cum Imperatore in gratiam rediret, atque amicitiam cum eo colere instituisset.

XC.

Egelbertus ordines impertire sacros aggressus destituitur à clero.

Cleri veteris in sacerdotali capessendo gradu alacritas.

Medio tempore, dum tacitis hisce simultatibus animi utrinque exulcerati, jurgiis ac rixis crebrò miscendis indulgent, dies adfuit, quâ die sacros de more ordines Egelbertum impertire, ac creare sacerdotes, pro muneris ratione oportebat. Hanc ipse jam pridem spe atque animo conciliandi sibi cleri viam affectabat; quippe potiore tum atque honoratissimâ cleri parte ad dignationis sacerdotalis fastigium pertendente. Ergò futurum, non ambiguus agebat, quin hos, quos ipse consecrasset, pluribus sibi nominibus jam tum obnoxios haberet; nec verè unquam ab iis se damnari, qui authoritatem confessi, honorem ac vim muneris spontè aperuissent. Quod ejus consilium tam vafrum cùm clerus animo praeciperet, in sententia perstitit, & venire ad initiamenta detrectavit. At urgente enixiùs, atque etiam ut accederent, hortante Pontifice, illi contrà: Quia Pallium, inquiunt, quod Ecclesia Romana Metropoli nostrae debet, neque dum adeptus es, impositionem à te manuum accipere contra exempla, scitáque majorum nolumus; atque certè, si Pallium quo quidem opus habes, parare tibi decretum, Pontifex tibi Gregorius unicus & verus Ecclesiae Catholicae pastor adeundus; illi supplicandum; quem frustra hucusque despexeris. His atque aliis objectis impedimentis, ob quae initiandi potestatem, interseptam religione, intelligeret Egelbertus, in praesens quidem tam liberâ & apertâ victus oratione, cleri ordinandi munere sese abstinuit, paucisque diebus interjectis Theodoricum Scholasticum Monachum eo saeculo comprimis literatum, Romam ad Clementem, pro obtinendo Pallii munere legavit:

Palli usu clerus Egelbertū monstrat non esse Catholicum.

Ordinari ab eo recusat

Theodoric⁹ schismaticus monachus pro pallio Romam mittitur. Is

Maledicos libellos contra Gregorium sparserat.

Theodoricus monachus ex urbe rediēs S. Martini abbatia donatur.

Is Theodoricus, à fingendis coenobitarum ingeniis ac moribus Scholastici nomen adeptus, duobus effusis in lucem maledicentiae plenis libellis, Gregorii acta Pontificis, virulento calamo insectatus, Clementinae factionis se vindicem tulerat; atque hoc velut impietatis auctoramento, Egelberto fidem industriámque suam egregiè probarat. Hic igitur, ubi Romam ad Clementem adiit, Clemens audito legato, reputans cum animo esse nonnullos, qui se respicerent, atque ab se sacerdotiorum jura requirerent, gaudio vix temperavit, atque in Pallii usu concedendo, magnam sanè facilitatem praestitit. Theodoricus igitur, re benè gestâ domum reversus, ob praeclaram hanc in impetrando Pallio navatam Praesuli operam, ab eo deinde Martinianâ Abbatiâ donatus est; cujus facultates tum temporis satis instructas & lautas, quoad praefuit, sic decoxit, ut rerum ad alimenta necessariarum vix copia privatim monachis suppeteret. Quod verò ad sempiternam nominis ejus infamiam longè turpissimum est, Gestorum publica memoria eum exitialis necromantiae damnat.

XCI.

Tavena ad Saram S. Maximino subjecta.

Sub id tempus, Egelbertus, Ecclesiam in Tavena, qui locus quatuor passuum millia à Saraburgo, pertinet ad Austrum praeterlabentis aspectu Saravi, sedem praebens amoenissimam, novo diplomate, anno nimirum Christi millesimo octuagesimo quinto, Pontificatus VIII. ordinationis II. dato, condecoravit; donationemque factam sigillo suo ratam testatamque scivit. Ea namque aedes nuper à Dominico quodam, redditibus ac necessario proventu liberaliter aucta, atque ab Udone Archiepiscopo sacrata fuerat. In quam postea S. Autoris Episcopi, & B. Quiriaci Presbyteri cineres, è D. Maximini monasterio, cujus in peculio est, translati, crebrâ miraculorum gloriâ famaque multo augustiorem reddiderunt.

S. Autor Episcopus & S Quiriacus Tavenā translati.

Gregorii Pontificis obitus & encomium. Bertold. ad an. hunc & 1085.

Nec multò post Gregorius VII. Pontifex, nuper Româ Salernum digressus, inexsuperabilem spiritum, quem Ecclesiae liberaliter hucusque impenderat, in creatoris sui sinu deposuit, assertae dignitatis Apostolicae nomen immortale consecutus, praesentissimâ suorum hostium fame, pestilentiâ, & vario lethi genere subitò pereuntium, ultione.

XCII.

Hermānus Rex à parte Saxonum deseritur.

In hoc etiam publici doloris acervo, cùm pars Saxonum Hermannum pertaesa, sese Henrico temerè applicat, libertatem & clementiam stolidè amissam, poenitentiâ consilii, vix recuperavit. Ita hostibus Henrici melius erat, quàm amicis. Hermannus itaque pace suis redditâ, cùm Natalem in Saxonia celebrasset, venientem in se magno copiarum adparatu Henricum suis è finibus ejecit; quem Alemanni dein Ratisponae nacti, circumfusis undique copiis longo tempore tenuerunt inclusum.

Conradi Lotharingici Comitis mors. Bertol. chron.

Conradi duo Comites Lutzellburgii an Hierosolymam adierint.

His quoque diebus, auctor est Bertoldus, Conradum, ut quidam interpretantur, Lutzelburgi Comitem, Hermanni Regis fratrem, in gratiam restitutum cum Ecclesia, in Hierosolymitano itinere vitâ excessisse; quam fortè peregrinationem ipse exemplo avito, promptiùs inierat. Nam duos hujus nominis Comites domestici scriptores agnoscunt, primùm Eberardus Archiepiscopus Hierosolymam ire coëgerat; hunc prioris nepotem schismatis poenitentiâ, ut eò concederet spontè forsitan invitavit. Bertholdi enim haec narratio est: *Conrardus Comes frater Hermanni Regis, sed indefessus fautor Henrici, in fine tamen, ut aiunt, reconciliatus Ecclesiae, in Hierosolymitano itinere obiit.* Verùm haec de Conrado secundo Lutzelburgensi Comite accipi non posse, illius aetas longiùs propagata, facilè pervincit. Quin & Metensis Ecclesiae Pseudoëpiscopus, cujus nomen excidit, fertur etiam tunc, arreptâ poenitentiae tabulâ, schismatis evasisse naufragium, sed pro illo mox prosiliit Bruno Adelberti Comitis filius probrosâ vitâ, & pecuniâ sacerdotium id sacrilegè adeptus.

Metensis Ecclesiae Pseudoepiscopi.

XCIII.

ANNUS CHR. 1086.

Egelbertus in Bohemiam Legatus mittitur. Uratislaum primum Regem consecrat. Cap. 22. Moguntino conventu regalis honos Uratislao decernitur.

Quo tempore Egelbertus Trevirorum ab Henrico Rege Pragam in Bohemiam missus, ut lapso & inclinato jam veteri Moravorum regno, Bohemiae Ducatum, regio titulo afficeret; & Uratislaum Ducem, primum Bohemiae Regem, consecraret. Quod in historiâ Bohemicâ sic narrat Aeneas: *Anno sexto, & LXXX. supra mille ab ortu Salvatoris Christi, apud Moguntiam in Concilio Principum, ab Imperatore Henrico ejus nominis quarto, Vratislaus Rex declaratur, Moravorum regno, quod supra exstinctum diximus, in Bohemiam*

miam translato. Polonia, Silesia, Lusatia, Moravia, Bohemorum imperio adjecta. Egelbertus Trevirorum Archiepiscopus cum eo Pragam missus, qui coram provincialibus, Regem inungat, regalibusque adornet insignibus. Id eodem anno factum, acclamante populo: Vratislao Regi salus, honor, atque victoria. At cùm, teste eodem Ænea, regium id decus homini non provinciæ datum, existimaretur, iccircò Conradus frater, filiique Uratislai tres, Ducis titulo regium posthabuerunt, donec Uladislaus quarto loco natus Uratislao, Friderici I. & Procerum Germaniæ primorum nutu regiam dignitatem suo hæredumque suorum nomine consecutus est. Neque de Archipincernatu, vel Electoria Bohemi sive Ducis sive Regis dignitate quidquam hæc ætas definit, aut commemorat: de quâ difficile est plus intelligere, quàm quantum ex monumentis post annos centum & amplius conscriptis, suspicari licet.

Uratislai successores, Duces. *Æneas c. 24. Radevicus l. 3. c. 13.*

Bohemiæ Electoratus difficulter hoc tẽpore ostenditur.

XCIV. Miraculum apud D. Simeonis sepulchrum.

Ingens etiam per idem tempus, apud D. Symeonis sepulchrum, quo inclyto, beatus Anno Coloniensis Antistes gloriari Treviros dicere solebat patrono, secundo Idus Maii patratum miraculum; nam qui mutus & elinguis, & auribus insuper carebat, repentè per omnes undique capitis meatus profuso sanguine, Divi ope cum oris vinculo solutus, tum aurium vitio liberatus est.

Hermanni Regis cum Henrico IV. prospera pugna, & cœlestis victoria. *Bertol. Const. Dodechin. Abbas Ursperg. &c.*

Hermannus Rex interea, associato sibi Welphone Bavariæ Duce, cum Saxonum & Alemannorum copiis, Wirciburgum Franconiæ caput obsidione premebat, Adelberonem Episcopum restituendi, refrenandique rebelles, percupidus, quum Henricus viginti millium exercitu, ad opem ferendam obsessis, propiùs accessit. Nec, numero licet impares, fiduciâ tamen causæ cessêre Hermanni partes, sed expedito suorum cum agmine, impigrè Henrico non procul Wirciburgo in Bleicofeldensi campo occurrunt; atque ibi, cùm præexcelsam Crucem plaustro subvehi solitam in acie ostenderent, post supplices preces & lacrymas, acerrimo inito conflictu, tam atrocem edidere stragem, ut quindecim modò desideratis è suis, novem mox cernerentur acervi è schismaticis stratorum cadaverum; prædâque multâ captâ, cum ipsa Regis suppellectile. Hermannus verò clarissimam hanc, & divinam victoriam adeptus, ad suos lætus ovansque cum pace reversus est.

Acervi cadaverum schismaticorum.

XCV.

Magna hinc cura Principum animos insidebat, ut tanto profuso civium sanguine, ad aliquam moderationem Henrici furorem flecterent; & si quidem cùm Ecclesia in gratiam rediret, spem regni pacatè ineundi facerent. Quamobrem in annum sequentem indicto colloquio, armis & malo compulerunt, ut ad Nemetum fines aditus securos daturum se, promitteret. Necdum ad id usque tempus summæ sedi pastor certus obtigerat, cùm Maio mense tandem Desiderius Cardinalis Cassiniensis Abbas exoratus Electorum suffragiis cessit, & Victoris tertii nomine, iniit, discordiis etiam tum flagrante vel inprimis Italia. Sed Victor memor loci ac gradus, in quo consisteret, ilicò atque de conventu procerum ad Kalendas Sextiles, haud procul Spirâ agendo, certior factus est, literis ac nunciis eò missis, decessoris acta judiciúmque palam ibi probavit; & Henricum, totámque factionem ejus anathemate perculit.

ANNUS CHR. 1087 Henricus Imp. à Principibus ad pacis cõsilia invitatur.

VICTOR III. PONT. an. 1. m. 3. d. 24. *Baron. refert ad an. superiorẽ Victoris elect., ad hunc verò consecrationem ex Leone Ostiẽ. l. lib. 3. c. 65. & seq.*

Henricus à Victore Pontifice damnatur.

Hermannus etiam Metensis Episcopus; cùm in Italiam per hosce dies Reipubl. caussâ profectus, à schismaticis pro vindice Romanæ sedis acerrimo agnoscitur, in Tusciam captivus abductus, diuturno carcere maceratur. At Victor Pontifex, quatuor non amplius mensibus consecrationi suæ superstes, suo magis, quàm Reipubl. tempore cessit è vita; sollicitudinemque bonorum haud parùm auxit: sed minuit illam Ottonis Cardinalis Ostiensis successus, qui ex cognato Remorum solo oriundus, & Cluniacensi disciplinâ imbutus, magno virtutum incremento anno sequenti, IV. Idus Martii Pontifex electus, Urbani secundi nomen sumpsit, præclarè nuper in Germania de caussa Catholica, & Saxonum gente meritus.

Hermãnus Metẽsis Eps. fit captivus.

ANNUS CHR. 1088

URBAN. II. PONT. an. 11. m. 4. d. 18.

Metensium provincialis urbs, egregium item hoc anno facinus ausa, Brunonem sedis suæ subsellorem, etsi generis nobilitate, & Henrici gratiâ validum, è cathedra tamen ejecit, jurejurando professa; non recepturam ullum alium, nisi legitimum Pastorem.

XCVI. Metenses Brunonem Pseudoepiscopum expellunt.

Inter hæc, Hermannus Rex, factione Eggeberti Marchionis; qui æmulus ejus gloriæ semper imminebat, exagitatus, dum Saxones pœnitendâ levitate Henrici favorem studiaque rursum captant, deposito sponte Regis titulo, in privatam vitam, Henrico lubente, concessit. Mox dein, Lotharingici cujusdam castelli subitâ oppugnatione, dum periculo se offert incautius, fragmine saxi quassatus, oppetiit, & Metim sepulturæ caussa delatus, Ottonem Palatinum, Rineci Comitem, filium reliquit. Ut Bertoldum hic laudatæ fidei testem proferam, quorundam facit dicacitas, ejus est oratio: *Saxones à fidelitate S. Petri discedentes, Henricum quem multoties abjuraverant, receperunt. Unde Hermannus Rex Catholicus, ab eis in Lotharingiam secessit; ibique non multo pòst viam universæ terræ arripuit. Anno Dominicæ Incarnationis MLXXXVIII. regni verò ejus VII. Indictione XI. & in patria sua Metis, honorificè sepelitur.*

Hermannus Rex sese abdicat. *Bertol. Marian. Sigeb. Helmod. c. 30. sed Henricianus Scriptor anonym. Tr. Germ.*

Hermanni Exregis interitus.

Otto Palatinus, Rineci Comes, Hermanni F.

Addit idem, Saxones hoc eodem anno conjuratione Eggeberti Marchionis, Henrico rebelles, depulisse eum munitione, quam obsidebat, regiis insignibus ablatis; mox in monte, quò turpissimâ fugâ evaserat, coronâ cinctum, coëgisse ad confessionem anathematis, & spem reconciliationis.

Substructum etiam hoc tempore, & consecratum ab Egelberto augustissimum oratorium, Martyrum Trevirensium; quod in D. Paulini cœmeterio insigni religione supplicantis istic assiduo, populi, tum aggestis sacrorum ossium acervis venerandum conspicitur. Atque hoc ipsum religiosissimum illud Trevirorum sacrarium est, unde tot, tamque exoptati à bonis, hàc nostrâ memoriâ, Sanctorum Martyrum cineres deprompti, non in remotas tantùm & extremas Europæ oras perlati sunt, sed & Africæ immensitatem, quàm vasta est, Arabiæque ac Persidis extrema circumvecti, longissimo marium cursu, non sine ingentium testimonio miraculorum, Patrum

XCVII. Sacellum martyrum Trevirensium in B. Paulini cœmeterio.

Martyrum Trevirensiũ memoria, & honor ad Indos usque & in novum orbem prolatus.

Societatis JESU opera, studióque in Japones Chinásque, non solùm in Indiarum deserta penetrarunt. Undè factum est, ut Trevirensium Sanctorum, qui in Galliarum angulo delitescebant, alio in orbe nunc etiam præcellens memoria vivat.

XCVIII. Lapis marmoreus in ædiculæ frontispicio collocatus, literis incisam hujus dedicationis memoriam, & Egelberti nomen in præsentem usque diem ostentat.

ANNO INCARNAT. DOM. MLXXXVIII. ID. XI. X. KAL. OCT. AB EGELBTO TREVIROR. ARCHIEPO DEDICATV HOC ORAT. ROGATV CVONONIS PPOSITI, IN HONORE S. CRVC. TS. MARIÆ MATRIS D. SQ. MICHAHELIS ARCHGL. ET S. MAVRITII SOCIOR. Q. EI' T OMIV SCOR. IN CVI' ALTARI CDIDIT DE SEPVLCHRO DNI. RELIQVIAS LAZARI AMICI DNI. AC SCOR. MART. PANCRATII, SEBASTIANI, DIOGENIS, NEC NON SCARVM VIRGN BARBARÆ, CECILIÆ, REGN. HEINRICO IMP. III. ANNO IMPERII SVI QVINTO.

ANNUS CHR. 1089. Godefridus Bolonius *al. Bouillon.* tandem fit Dux Lotharingiæ inferioris. *Sig. in Chron. Bertol. append.*

Proximo, volunt Lotharingiæ inferioris Ducatum, quem Godefridus Gibber jam diu vacuum possessore reliquerat, Henrici beneficio, Godefridum Bolonium, Gibberi ex Ida sorore nepotem adeptum esse.

At civilis belli furor, membris utrinque, post tot vulnera accepta, fermè exsanguibus, comprimi posthac, & in seipso paulatim amisso vigore, residere cœpit. Guibertus Antipapa nuper Româ pulsus, fidem dederat, se muneris Pontificii nihil in posterum usurpaturum.

IC. Urbani II. Synodus frequens in Laterano.

Urbanus quoque, Synodo centum quindecim Episcoporum convocatâ, disciplinam Ecclesiæ & majorum scita, egregiè stabilierat. Quamobrem Germaniæ Principes cum Henrico collocuti, fidem, auxilia, obsequium regnumque tranquillum promittebant, si Guiberto & schismati valedicere, & Ecclesiæ concordiam amplecti vellet. Neque Henrici animus iræ tunc aut pertinaciæ tantum indulgebat; quin flecti ad saniora potuisset; sed, ut Regum culpæ rarò privatæ sunt, obstabat omnium fermè communis Episcoporum caussa, qui ruente Guiberto, unà ruere sacerdotia sua, nec locum dignitatis ullum ita posse retineri cernerent. Hi ergò penitus obstruxerunt Imperatoris aures, feceruntque in Civitate Dei ne cives, & affectus tanto tempore divisi coalescerent.

Henricus Principum colloquio tentatur, ut pacem Ecclesiæ recipiat.

Schismatici Episcopi obstat unioni.

C. Bruno Pseudoepis. Metensis fit extorris.

Bruno Pseudoëpiscopus Mediomatricum, urbe nuper fugatus, nondum ejus Ecclesiæ finibus tunc excesserat, donec Hermannus Episcopus, ex Italia redux, & diuturno carcere tolerato, confessione, totiésque laudatâ constantiâ gloriosior, hoc anno ad sedem suam rediit, magnis bonorum omnium gaudiis exceptus: quo ex tempore Bruno desertus ab omnibus, morúmque dedecore ipsi Henrico invisus, denique ad Adelbertum patrem, qui Catholicis apprimè studebat, perfugit. Nec Hermanno diu vita comes extitit, qui egregiorum operum suorum anno millesimo nonagesimo, IV. Nonas Maii, moriens præmia tandem consecutus est. Quadrigæ junctus erat igneæ quatuor Germaniæ Præsulum, qui ardentis spiritûs impetu, procerum, & nobilium quicquid Catholico nomini militabat, inter abrupta schismatis, unà secum per adversa atque secunda trahebant. Quare, ut ejus mors luctum bonis omnibus, ita gaudium improbis attulit.

Hermannus restituitur.

Bertold. ad hos annos.

ANNUS CHR. 1090. Herm. Ep. Metens. piè & magna cum laude moritur.

Postero, Wilhelmus Hirsaugiensis Abbas, vir illustri sanctitate, & eximiâ disciplinarum scientiâ, multis passim monasteriis erectis, decessit, cùm hoc Trevirensis Ecclesiæ monasteria S. Eucharii, Maximini, Mediolacense, & Martinianum, sanctissimum icere fœdus rectè factorum, quæ quisque pro virili collegisset fructu, meritis, orationumque subsidiis ritè inter se communicatis.

ANNUS CHR. 1091. *Wilh. Hirs. Abbas. Adi Trith. in Chro. Hirs & Bertold.* Monasteriorum inter se pia fœdera.

Non obliterari hìc famâ se patitur Sigebertus Gemblacensis, quem hæc eadem ætas, magnâ quidem eruditi & studiis literarum exercitati ingenii laude florentem, sed Heinricianâ factione devium scriptorem habuit. Hic, ut de se ipse testatur, primâ juventæ face apud Mediomatricos, in S. Vincentii monasterio quasi ludum formandis Cœnobitarum ingeniis aperuit, ac in prodendis ad usum memoriamque posteritatis, ingenii sui monumentis, studium operámque posuit. Inter alia Henrico Imperatore postulante, Trevirensibus se respondisse memorat, de jejunio quatuor temporum, cùm ipsi Bernonis cujusdam placita secuti, à consuetudine Leodiensis Ecclesiæ seorsum irent, dissentirentque. Inde ad Gemblacense monasterium Namureæ ditionis transiens, totum in literas se atque officia religionis abdidit, integrior famæ futurus, si à schismaticorum contagio longiùs refugisset.

CI. Sigeberti Gemblacensis elogium.

Lib. de Eccles. script. editione Suffridi.

Meti in S. Vincentio tradit disciplinas & commētatur.

Scribit ad Trevirēses.

Deditus schismaticis.

Egelbertus insequenti anno, quamquam universis ordinibus infensus, præcipuà apud clerum flagraret invidiâ, quòd intestinum foveret cum Ecclesia matre dissidium, multa tamen

ANNUS CHR. 1092.

ANNUS CHR. 1093. Egelberti in Ecclesiã suam merita.

tamen nec obscura documenta frugi Pontificis daturus erat, nî pestifero schismatis veneno, pulchritudinem honesti corrupisset. Namque sub annum salutis millesimum nonagesimum tertium, cùm Ecclesiæ jus disceptando vocaretur in periculum, acre cum Henrico Comite Limburgensi, eo nomine certamen suscepit; quod, cùm ex æquo & bono restingui non posset, ad acerbiora quoque remedia confugit.

CII.

Arlunensis Marchionatûs controversia sub Egelberto. Walrami & Adelheidis Arlunẽsis donatio ab Henrico Limburgio oppugnatur.

MSS. & aliquid l. Bert. hist. Lutzeb. sed fide suspecta.

Henricus Limburgi Comes Egberto bellũ infert.

Arlunum pervetustum oppidum est Galliæ Belgicæ in Lutzelenburgensium finibus, quod passuum millia XLV. circiter abest Treviris versus hibernum occasum, variâ antiquitate, priscæ magnitudinis & nobilitatis memoriam hodièque contestans. Id oppidum, cui Marchionatus titulus annexus, pia, quam diximus Adelheidis Comes possederat, Walrami & Fulconis Comitum genitrix, opibus atque divitiis præpotens matrona, quæ orbata Walramo marito, singulari in B. Petrum Trevirensem religione, legibus iis, quas olim in Precaria Eberhardi Archiepiscopi exposuimus, opulentissimos Ecclesiæ Trevirensi fundos, ipsamque adeò suam dotem, ùt quidam volunt, authoritate & consensu Henrici III. Imperatoris & adstipulatione liberorum, permiserat. At Henricus Limburgius, qui neptem Adelheidis ex filia connubio duxisse traditur, tam ampli patrimonii spe evolutus, consurgere per æqua & iniqua, & donationis ordinem, à marito & liberis haud dubiè olim sic approbatum, ut in ea jus omne sive hæredum sive successorum affinium, cessaret, violentâ manu confundere parabat. Cumque ob id ingentes ipse motus exciret, atque turbato diœcesis otio, hostiliter etiam in hosce fines invaderet; Egelbertus, pro ea quâ erat morum severitate, Henricum Trevirim ad rationem facti sui reddendam evocavit; sed Egelberti authoritatem Dux nihili reputans, posteaquam venire abnuit, diris hominem detestationibus involvit. Cujus ille vulneris dolorem haud ferens, majore quàm ante diœcesim maleficio laceravit.

Excommunicatur ab Archiepiscopo.

Quare, cùm repetito anathemate censuram Egelbertus intendisset, usque adeò Henricus indignatione exarsit, ut è vestigio copiis in unum contractis, adversus ipsam Trevirorum civitatem, ingentem armatorum vim educeret.

Egelbertus resistit Limburgio arma intẽtanti per Ecclesiæ ministeriales.

Quâ de re, Egelbertus factus certior, convocatâ item ad se quantam potuit clientium manu, Henrico, infesto cum exercitu, dicto die, obviam sese tulit; factâque copia pugnæ, acie cum illo decertavit; & D. Petro, uti creditum est, opitulante, magnâ strage editâ, Henricum turpi eum ignominiâ repulit, atque intra fines pedem referre coëgit.

Et vincit acie.

CIII.

Id præterea quoque memoriâ dignum, quod Henrico deinceps sacrum anathema, licet ab Episcopo non probatissimo illatum, spernenti, contigit. Etenim apud se, cùm familiarem militem invitatum in mensa haberet, appositis jam epulis, ad assidentem Dux non minùs falsè, quàm impiè facetus: Quin tu surgis, inquit, & ilicò foras egrederis? Quippe excommunicatus, me præsente cibum utique tu hîc hodie non capies. Tum ille: Ecquis me rogo abstentum dedit, nisi idem ille, qui & te à divinis mysteriis removit? Et simul Henricus revocato sodali, cùm unà rursus assedisset; Jam mox, inquit, scies, quænam excommunicationis hujus, ab Egelberto nobis inflictæ, vis sit; namque si canis hæc, quæ fortè mensæ tum inhiabat, objectum panis bolum avida non trajecerit, certi erimus piorum nos communione exterminatos. Et simul bucceam misit; quam cùm detestata, ne gustasset quidem canis, tum certè non dubiâ uterque religione perfusi, aditâ Treviri, anathematis vinculo solvi se ab Egelberto submissè simul petierunt, simul & impetrarunt.

Excommunicatio quã metuẽda, in cane mõstratur.

CIV.

Henricus Limburgius anathemate solutus Egelberto reconciliatur.

Eius satisfactio.

Lex hæc de excommunicatis & proscriptis renovata à Fride. Imp. 1187.

In Pace Nuib. berg. Edita apud Urstis.

Atque hanc censuræ condonationem, liti exortæ super Arlunensi Precariâ & Marchionatu modum imposuisse, creditu haud difficile est: siquidem legibus & more susceptum erat, ut qui fractæ pacis, & violentiæ Ecclesiis & agris per incendia & raptus illatæ teneretur, ejiceretur à communione fidelium, nec priùs absolveretur, quàm læso damnum restituisset. Quod, si anathematis vinculo annum & diem mansisset obstrictus, universo jure, honore, & communitatis emolumento, ac omni feudali privilegio spoliabatur, ad testimonium, júsque dicendum, & civilia cætera gerenda munia, prorsus inhabilis. Quæ quidem incommoda Limburgium absolutionis beneficio evitasse, & onere aliquo suo redemisse, non dubites.

I. Bertel. de Arlunensi Marchionatu in histor. Lutzeburg.

Quanquam hujus narrationis ambigua, parùm cautè, ne dicam imperitè, à recentioribus video tractari, & ejus momenta aliorsum flecti; præsertim cùm fundi & prædia controversa ex legis Precariæ vi, justo possessionis titulo in hanc Ecclesiam transfusa sint; quemadmodum & ipse Marchionatus Arlunensis in eandem est donatione translatus, quem Lutzeburgensis Comes ab Trevirensi Archiepiscopo feudi loco ceu beneficium accipere, & recognoscere consuevit.

Marchionatus Arlunensis.

In actis Theoderici Archiepisc. an. 1229. Tabul. Episc. & in actis Balduini.

Conradus Henrici F. à patre deficit.

His ita gestis apud Treviros, Conradus Henrici Imperatoris filius, à patre ad Italiæ populos, nec temerè, si quidem Dodechino scriptori hujus ætatis credendum, defecit.

Henrici nequitia.

Henricum námque in Adelheidem conjugem accensis odiis, cùm indignissimis eam contumeliis afflixisset, eò impudentiæ prolapsum ferunt, ut carceribus mancipatam, non hominum modò singularium libidini pervulgaret, verùm Conrardo etiam filio prostitueret. Quod tam nefarium, & detestabile facinus suscipere in se pudicus adolescens cùm recusasset, Henricum, aiunt, iratum, patris erga ipsum officium exuisse; & Conrardum filium esse suum negavisse. Sed, sive ex hoc fonte dissensio exorta, sive religio, & Principum Italiæ studia, adolescentem eam in partem egere, fanè constat Mathildis potentissimæ in Italia, simulque immobilis adversus Romanam sedem obsequii, & Welphonis mariti Bavariæ Ducis præcipuo consilio, atque operâ, regni Longobardici ab Anselmo Archiepiscopo Mediolanensi sumpsisse diadema; urbésque complures pro salute, & concordiâ Reipubl. Christianæ conjurasse contra Henricum. Itaque injuria, seu impietas patris, filium Regem non solùm fecit, sed sanguinis etiam sui victorem.

Bertold. Constant.

Mathildis & Welphonis Bavariæ studia in Conradum & S. A.

Conradus Henrici IV. F. Rex Longobardiæ.

Sub

CV. Paulinianæ Basilicæ incendium. *Fridericus Præpositus in libello de relig. Eccles. S. Paulini c. 22.*

Sub id tempus Kalend. Augusti Basilica Pauliniana oborto casu, incendio tota pœne cum monasterio conflagravit; & quanquam flamma latiùs serpens, viciniáque corripiens cuncta, fœdè depasceret, & parietum labes tigna, trabesque ad ruinam impelleret, magnâ tamen curâ Superûm, & luculento miraculo S. Modoaldi capulum ligno fabrefactum, & ara B. Clementis ejusdem materiæ privilegiaria, cùm recens inventorum crypta Martyrum, à flammis intacta permanserunt. Periit ingens hôc incendio vis marmoris, & antiquarum tabularum; quas ex ruinis istuc ad nobilissimi templi splendorem, Christiani traduxerant. Neque unquam ad pristinum deinde nitorem sive magnificentiam, hâc acceptâ clade Basilica surrexit.

Marmoris & antiquarii instrumēti amissio.

Metensis Ecclesiæ solitudo.

Postquam ab hominibus demigravit Hermannus Catholicus Antistes, ingens Ecclesiæ Metensis solitudo, & miserabilis orbitas est consecuta; cùm civitas aliquod continenter annis pastore viduata, Catholicam clero fuente partem, miseris modis cum pessimis ingeniis conflictaretur; & Henricus malis consultis pervicax, comitiorum jura legésque perturbaret. Mediomatrici, cùm gravem, quem ex Episcopi desiderio concipiebant, animi mœrorem, neque die ipsa, neque successus spe meliorum, leniri cernerent, metu denique, quo distinebantur, absterso, Popponem ex Trevirensis Ecclesiæ sinu, virum ingenio, & nobilitate facilè Principem, ad Episcopatus culmen accersivere; in quo certè priscæ solitudinis, varieque jactatæ sedis suæ solatium atque perfugium experti sunt.

Poppo ex Clero Treverico Metensis Eps.

CVI. S. Gebehardus Constāt. Eps Legatus Urbani per Germaniā. *Bertol. Constāt. ad an. 1084. & 1089. &c.*

Principem eo tempore locum obtinebat inter Episcopos Germaniæ Gebhardus Constantiensis, Bertholdi Zeringiæ & Sueviæ Ducis filius, quem Urbanus Pontifex, schismatis veterno cæteris fermè sopitis, vicariâ suâ potestate induerat, omnia sacrorum jura & ordinationes Episcoporum ejus arbitrio subjiciens. Gnarus itaque clerus Metensis, Egelbertum Metropolitanum magno religionis obnoxium piaculo, sordescere in schismate, refutato, quem Henricus offerebat, Adelberone, Popponem non ab alio, quàm à Gebhardo Constantiensi Episcopo, & sedis Apostolicæ Legato, voluit consecrari. Quod ita factum VI. Kalend. Aprilis, in medio quadragesimæ, notat Bertholdus Constantiensis Presbyter, quem in hac memoria testem unicè complector: qui & hoc eodem anno, quod sanè memoratu tristissimum, Metensem Ecclesiam narrat, Tullensem & Virdunensem ab obedientia Egelberti Trevirensis excommunicati discessisse, eique in posterum se non parituras, apertè palamque denunciasse. Quâ certè judicii gravitate confixus Egelbertus, gladii mucronem utique sensit, qui Christi monitu separare filium à patre, & filiam adversus matrem armare solet.

Popponem Metensem Episcopum consecrat.

Egelbertus Archiepisc. ab Eccl. suffragan. repudiatur.

Matth. 10. Luc. 12.

CVII. Excommunicati variis pœnis à Deo ad pœnitentiam flectuntur.

Cæterùm cùm pertinaciùs jam hominum animis inolesceret ignominiâ, quam excommunicationis pœna invexerat, numerusque reorum tantus existeret, ut ad eorum fugienda commercia, quæ Majorum religio erat, etiam sedibus & domiciliis relictis pii longiùs vitabundi demigrarent, placuit inter hæc Deo Optimo parenti, complurium, licet rebelles, in obsequium sui compellere voluntates: annum quippe sequentem Germaniæ dedit multiplici clade ac mortalitate insignem. Crebra informi genere mortis spontè pereuntium suspendia, ferarum ac luporum funesti incursus; fœdæ quoque tempestates, cum turbine ac inundationibus, cœlo dejectæ. Sed nihil perinde flexit obstinatos animos, quàm pestilentiæ diritas, & tot funerum oculis quotidie obversantium adspectus, terrórque in horas exspectatæ mortis. Hinc passim omitti læta & inania voluptatum, cessare commessationes, deseri tabernæ vinariæ, joci, ludi; proferri, & certatim ambiri sacerdotes idonei, quorum non impedita potestas esset, queisque mirificè & prolixè sicubi occurrerent, omnes se suáque commendabant. Quid hîc cesso testimonium veritati reddere? Quantæ autoritatis & amplitudinis apud Majores hosce sacerdotes fuisse arbitremur, quos hæresis & improbi nos mores docuere jam contemnere? quantæ disciplinæ & fidei Christianos, qui unicum afflictæ suæ salutis remedium quærere norant apud sacerdotes? quos ubi sprevimus, Christum & salutem abjecimus.

ANNUS CHR. 1094 *Ber. sup. cit.*

Mortis varia species.

Pestis sævitia. & disciplina.

Sacerdotū reverentia.

CVIII. Ecclesiæ inter schisma profectus.

Illud autem repetere memoriâ non injucundum, inter schismatum & domesticarum offensionum sinus inextricabiles, quibus ille serpens antiquus, tanquam spiris omnium ordinum homines involvebat, Ecclesiam tamen semper lætam, atque fœcundam, singularem retinuisse crescendi facultatem; nimirum, ut illud hic adspiceres, arcam usque diluvii aquis attolli, ferrique fluctibus, superiorem at undis obrui contra sacerdotum & Regum prava jubentium fastigia. Quippe monasteria, non solùm nova iis quoque regionibus, quibus maximè belli clades incumbebat, tunc surrexêre; sed Duces, Marchiones, Comites ipsi magno numero sæculum deserentes, ad infima servorum Dei obsequia descenderunt, & se suáque monasteriis impigrè consecrarunt. Quin & integri hominum cætus, nascentis Ecclesiæ vitam communem æmulati, vicos, agros, possessiones ad pedes famulorum Christi abjecêre, illorum nutu arbitrioque vitæ rationes omnes moderati.

Monasteriorum & religionis incrementa. *Bertold & Otto Frising. l. 7. c. 9.*

CIX. *Bertold. variis locis.*

Præter viginti autem amplissima monasteria, quæ paucis hisce annis in Bavaria, Sueviáque sunt exstructa, his quoque diebus in Treviris, haud procul Antonnaco introrsùm à Rheno, Lacensis Abbatiæ fundamenta jacta, Henrico Palatino Comite, & Adelheida conjuge erogantibus impensas. Enimverò, cùm in propinqui lacus silvoso colle, peramœnis juxta pratis, ii suum haberent domicilium, Virginis Deiparæ præcipuo studio, ac veneratione accensis, ejus honori memoriæque jam dudum in votis erat locare templum. Quod eorum consilium, inde non obscuris significationibus, divinitus approbatum, eò feliciores habuit exitus, quò crebriores eæ significationes, testatioresque fuerunt. Etenim, quà cadentem respicit solem lacus, istic nocturnis sæpè facibus ac luminibus omnia collucere cernebant. Quò etiam citiùs factum ab iis est, ut cùm in sanctissimæ Christi Matris tutelam patrociniúmque jam ante se dicassent, quò signa tam cœlestia ducebant,

Lacensis Abbatiæ origo. Henrici Palatini Comitis & Adelheidæ pietas.

Godefridus Comes ab Arres, & Hadewigis ejus conjux.

eo sequerentur, eodemque in loco votam ædem attollerent. Pollicebatur promptam in hanc rem operam suam Hadewigis tum vidua, conjux olim Godefridi Comitis Arresii, quæ arcem Nickendich inhabitabat. Ergò jactis jam tum templi fundamentis, & duabus firmo non minus, quàm eleganti opere, surgentibus cum odeo turribus, Henricus ipse, adstante Egelberto Trevirorum Archiepiscopo, cœnobitis cum in locum convocatis, necessaria vitæ & cultui subsidia attribuit, magnisque possessionibus rem monasticam sustentavit. Quæ ita hoc anno Henrici IV. Regis anno XXXVIII. Pontificatus verò domini Egelberti XIV. peracta traduntur, pro testimonio signantibus, Sigefrido privigno, Henrico Limburgio, Dodone Lurenburgio, Maffrido de Wieda Comitibus. Atque hæc quidem præclari Lacensis Benedictina disciplina cœnobii fuerunt initia, sed relicta demum & ut loco dicemus, à Sigefrido privigno perpolita. Nam Henricus operis autor, anno proximo diem suum obiit: de quo Bertholdus nihil dissimulans. *Henricus*, inquit, *Palatinus Comes, multum & ipse dives, sed Apostolicæ sedi non adeò obediens, viam universæ terræ arripuit divitiasq; multas à multis sibi inutiliter diripiendas reliquit.*

Wilhelmus Lutzelburgi Comes his à nonnullis additur. *Adi Palat. orig.*

ANNUS Chr. 1095

Henrici Palatini mors.

CX.

Lutulfus Leonis Papæ filius monasterium juxta Tullum exstruit.

Nobile tunc juxta Leucorum urbem monasterium clericorum, quod Canonicum Romani appellant, à Lutulfo sanctissimi Leonis Papæ filio, sanctæque Tullensis Ecclesiæ Decano, constructum, & clericos istic sub Præposito aggregatos, qui regulam B. Augustini sequerentur, idem Bertholdus memoriæ prodidit: additque Lutulfum hoc anno in Longobardia degentem, ab Urbano Pontifice retulisse privilegium, quo cœnobitis ipse regulam Beati Augustini ceu vitæ futuræ normam sancivit, & Abbatis eligendi jus concessit; quandoquidem Tullensis Ecclesiæ moribus tunc receptum, ut Præpositi congregationum hujusmodi, Abbates & dicerentur & consecrarentur, uno dempto baculi usu, quem iis portare nefas. Porro Lutulfum hunc à Brunone, qui usque à pueris continentiam in clero, & pudicitiam adprimè coluit, & vindicavit, non ex thoro susceptum, sed, quod non insolens huic ætati, pro filio postmodum in Italia à Leone adoptatum, loquitur ipsius Leonis summa vitæ integritas.

CXI. Belli sacri initia. *Will. Tyr. l. 1. bell. sacr. Otto l. 7 c. 2. & 9. Virdun. & c.*

Synodus Placentina.

Per idem tempus, memorabilis illa & sacra Hierosolymorum expeditio, sua primordia cœpit; & exitiale Sarracenis Turcisve Christi hostibus, bellum Pontifex Urbanus, igne, cœlesti Christianorum pectoribus latè per Occidentem implicito, conflavit. Synodum apud Placentiam nuper habuerat, ut nunquam aliàs, frequentissimam, de schismatis inveterato malo, & morum, qui collapsi in clero, acriore censura. Ibi tunc aderat Orientis legatio, opem postulans afflictis rebus, quas ob crebras Mahometanorum victorias, ruere docebat in pejus, & in ultimum præcipitare casum.

Urbanus ergò & proprio ingenio, & avito majorum exemplo inflammatus, Longobardiâ compositâ, & Conradi regno, spe quoque potiundi imperii stabilito, transit in Galliam, à recti tenore multum sanè tunc deflexam. Quare apud Claromontium in Arvernis, illustri coacto Concilio, Philippum Regem matrimonii jura violantem castigavit, & legibus ad severitatem revocatis, militiam Christianam, Galliæ Proceribus persuasit. Inde Christi Natalem Arelate memorabili exigens pompâ Turones ad novam Synodum excurrit, ibique ardorem sacri belli longiùs propagavit. Cúmque Mathildis Heroïna parentum Bonifacii & Beatricis, tum vitrici Godefridi memor, Juveniaci nobilem Parthenonem, quem olim S. Scholasticæ importato corpore illustratum meminimus, didicisset prisci dedecoris jacturam fecisse, beneficentiâ suâ & Urbani autoritate effecit, ut hoc anno meliorem in faciem locus rediret, ad pristinos mores virgineus cœtus assurgeret.

Claromontana Synodus in Galliis.

ANNUS Chr. 1096

Turonensis Synodus.

Juveniacensis Parthenon à Mathilde Heroina Italiæ restauratur.

CXII. Militiæ sacræ initia.

Interim Urbani operâ, non Francia solùm Occidentalis, sed & præstantes bello Duces, civitatésque, quæ in Italia, quæque in Germania, Britanniáque eam hauserant flammam, converterant studia animósque in curam salutiferi belli. Quin etiam Clerici & Monachi & sexus feminarum imbellis, quibus alioqui vacatio, voluntariam extra ordinem militiam professi, operam virésque huic expeditioni impigrè venditabant. Signum omnibus ab Urbano traditum crux, è purpureo panno confecta, quam quòd vestibus super dextram scapulam affixam gestabant, Cruce signati milites, atque ipsa expeditio Cruciata vocata est.

Cruce signati. *G. Tyr. l. 1. c. 17. l. 9. c. 5. l. 6. c. 8. l. 3. c. 17.*

Eminuêre inter Principes vicinæ regionis, Godefridus Bullionius, ejusque Germanus Eustachius, eximiæ domi nobilitatis, scientiæque in bello. Etenim Godefridus in Boniensi tractu oræ Belgicæ Eustachio Comite natus, & Idâ matre Lotharingâ, ubi Godefridus avunculus, cognomento Gibber, mortalitatem explevit, ipse hæres, & Dux utriusque Lotharingiæ, uti dixeram, ab Henrico Cæsare salutatus est; cui fortem magis, quàm laudatam in bello item adversus Saxones, & Gregorium VII. operam navarat.

Godefridus Bullionius aut Bolonius Dux Lotharingiæ utriusque & militiæ sacræ.

Eandem quoque sacram militiam gloriâ belli clarus & consilii, Henricus Ascha Mosellanus, cum duobus cognatis Machrâ oriundis, Francone, Sigemaróque, professus, servatæ postea urbis Antiochiæ gratiam decusque meruit. Associatus & iisdem Raymundus Comes Tullensis.

CXIII. Henricus ab Ascha forte Esch. *Tyro mendosè Sascha.*

Franco & Sigemarus à Machra. *mendosè Tyr. Machefa.*

Raymundus Comes Tull.

Hi igitur, cùm ingentem undique Lotharingorum, ac finitimorum Belgicæ Germaniæque populorum, ex bellicosis circumquaque provinciis multitudinem concivissent, bonáque cuncta moventia redegissent in pretium, finibus suis adeò frequentes egressi sunt, ut urbes habitatoribus suis destitui, voluntario exilio mutari patriam, ardentiùs cerneres alienæ salutis, vitæ, fortunarum incolumitatem appeti, quàm propria cuncta deseri.

Sacræ militiæ antesignani numerantur *à L. Meiero in Flan. annal. & Gallis scriptorib.*

Prima proficiscentium agmina, quæ dispersis globis in Pannoniam influxerant, irritatis Ungaris & Bulgaris, ingenti clade accepta, propositum non tenuere. Etenim feminarum erubescendo, & apostatarum turpi comitatu, sine rectore præcipites ad omnem licentiam, nec docti manus ad prœlia domini, in rapinas

G. Tyr. l. 1. & c. 18. per seq. Bertold. ad hunc an. Otto cit.

Christiani exercitûs pars punitur.

& inertes

& inertes tumultus ibant. Atque ex hoc fuere numero, qui Treviris, Coloniæ, Moguntiæ, Spiræ, Wormatiæ, Emichone Duce, omnia juris ac disciplinæ abrupêre vincula; quique tam immane adversus Judæorum præcipuè gentem odium conceperant, ut quacunque iter esset, luctum lacrymasque miserabili populo ferrent.

*Emicho fortè Comes à Liningen ut Nauclerus interpretatur.

CXIV. Judæorum Trevirensiû ærumnæ.

Eo fortè tempore, quo in Trevirorum fines armata hæc multitudo sese infudit, metu malorum impendentium tantus Judæos, in hâc urbe tum frequentes, terror circumstitit, ut ex luctu versi in desperationem, non parcerent ætati, cui etiam Christiani pepercissent; quare, cùm liberos parentes letho potiùs ipsi, quàm offerri baptismo vellent, stolidè jactitabant se Christianorum ludibrio ereptos eos, in Abrahæ sinum præmittere. Feminæ verò orbitatis doloribus ictæ, & spe amissâ, potiùs quàm ut cruciarentur trahendo animam, manicis sinúque lapidibus impletis, quo pressu ponderis exitum accelerarent, se de ponte in Mosellam præcipites agebant. Qui verò deletæ ibi propè gentis suæ superesse malebant exitio, assumptis secum rebus & liberis miserabili agmine, ad Palatium profecti, totam pænè urbem questu & lamentis implebant.

CXV. Egelbertus Palatium inhabitat.

Degebat tum in Palatio Egelbertus; cui cùm se mæsta turba ad pedes provoluisset, primorúmque orationem necessitate ultimâ expressam, infelicium matrum ululatus ac puerorum, qui necis comites trahebantur, excepisset, Egelbertus omnes in fidem acceptos Palatium ingredi jubet. Tum verò opportunitatem eos ad sanctam Christi fidem redigendi idoneam nactus: *Infelices*, inquit, *cernitis jam, ut scelera in capita vestra ubertim ea omnia redundent, quæ crudeliter atque impiè quotidie suscipitis, quando Filium Dei blasphemis vocibus ac maledictis lacerantes, atque omnibus sanctissimam matrem ejus probris & contumeliis incessentes, Christum venisse in carne pernegatis? En hujus jam facinoris in caput vestrum expetente piaculo, in ultimum ruitis vitæ salutisq. discrimen. Equidem, id primum atque supremum nunc testari profiteriq. non desinam, ut si sententia stat in perfidia hac præduros, & immobiles sic perseverare, non vitam hic vobis incolumem, non animas ab ignibus sempiternis acerrimisq. suppliciis tectas, amissâ vita, fore. An non ipsi vobis manifestè blandientes, sensus à ratione aversos corrumpitis? cùm quæ majores olim vestri tot ante Christi nascentis incunabula retro sæculis, futura cecinerunt, hæc ipsa rerum gestarum veritate expleta jam dudum, atque certissimis eventis exhausta, inani stultaq. semper spe penduli vanissimis votis, ceu absentia, & neque dum parta desideratis? Agite, quis obsecro mentes animosq. vestros fascinat veternus? quæ tam vesana dementat opinio? evolvite prisca Patrum oracula, repetite cum animis vestris atque recognoscite Prophetarum monumenta, ac sacrosancta eorum vaticinia excutite: invenietis profectò, quem vos in serum usque differtis, quàm brevi temporum curriculo, divinus ille puer Daniel, Christi adventum circumscripserit: Septuaginta*, inquit, *hebdomadæ abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Anne rogo vos literarum vestrarum intelligentiam ullam habetis? considerate etiam atque etiam, quantam communis lætitiæ segetem cum bonis omnibus, tum præcipuè nobis allaturi sitis, si genus vestrum inseri nostro, ac veluti traduce quapiam, religionis unius sanctissimâ culturâ propagari sinatis. Enimvero, id si precibus meis adducti consilii sq. facietis, si ad sacrosanctam Evangelii veritatem, si ad fidei Christianæ splendorem vos adduci, si deniq. fonte vos salutari ablui patiemini; & expetitum incolumitatis salutisq. fructum consequemini, & avitis possessionibus restituti tranquillam certamq. sedem possidebitis, & ego vos, conjuges, liberos, fortunasq. vestras meam in fidem acceptas, adversus hostium quascunq. injurias tegam, incolumesq. præstabo.*

Judæos ad baptismum invitat.

Daniel. c. 9.

Quæ cùm Egelbertus ita dixisset, tum quidam ex illis Micheas sectæ peritiâ facilè princeps: Quando igitur præstat, adeóque necessarium est, Christianam nos fidem amplecti, atque tot imminentium undique cladium, metu eripi; quin præcepta fidei Christianæ mox edisseris, nósque in fidem receptos, è manibus ilico ad cædem & cruorem poscentium eripis? cui cùm cætera fex assensisset, Egelbertus præcipuis Christianæ fidei mysteriis obiter imbutos, præcipiti magis, quàm salutari consilio cœlesti omnes continuò lavacro tinxit; quippe, qui sequenti anno omnes, uno Michea excepto, in pristinos perfidiæ errores, metu jam procul abacto, revoluti sunt. Narrationem hanc Bertholdus argumento non absimili illustrat: *Apud Wormatiam*, inquit, *Judæi Christianos persequentes fugiendo ad Episcopum properabant, qui cùm non aliter illis salutem, nisi baptizarentur, promitteret, inducias colloquii rogaverunt. Et eâdem horâ Episcopi cubiculum intrantes, nostris foris exspectantibus, quid responsuri essent, diabolo & propriâ duritiâ persuadente, se ipsos interfecerunt.*

CXVI.

Judæi ma[le] creduli, a[b]luuntur [ba]ptismate.

ANNU[S] CHR. 10[98].

Urstar. Dodech. in appendice.

Chiniaci Comitum, quod castellum cùm veteri comitiva, Lutzeburgensi provinciæ annexum, in Arduenna propè à Bullionio apud * Semmoiam amnem, quem haud procul Maceria Mosa recipit, præcipua hoc tempore & militiæ, & religionis laus enituit. Arnulphus duobus liberis, Ottone & Luduico, nurúque Adelheidæ florens (fabellas hic & parùm certa stemmatum commenta spontè prætterimus) quo religionem opibus ac potentiâ non inferiorem haberet, hoc anno sub castri imo pede, quod in excelsa rupe conditum, Ecclesiam S. Walburgis, accersitis ex S. Arnulphi Metensi monasterio cœnobitis, frequentavit, iisdemque sub Præpositi regimine domicilium attribuit excolendæ pietati, & procurandæ suæ suorúmque saluti.

Chiniacu[m] Prioratus Comitum gloria.

Ex hist. Lutzemburg.

* Simoys.

Otto & Luduicus Arnulphi Chiniacensis Comitis filii.

S. Walburgis Eccles[ia].

Secundùm hæc Henricus ex Italia, à Mathilde invicta femina fugatus, cùm Ratisponam iniens, Hebræam gentem durissimis anno superiore casibus, passim in Germania jactatam didicisset, ita graviter illam infelicium sortem ultus est, ut veteris & antiquatæ legis ritus agere ipsos deinceps impunè permiserit; quæstionemque severè in eos exercuerit, qui

Henricus Rex Judæ[os] asserit.

qui opes fordidiffimæ multitudinis, fe vel invito, vel infcio, compilatas avertiffent.

CXVII. Horreenfis monaft. ftatus.

Hoc eodem flexu temporum, Jonza monafterio Horreenfi Præfecta, fpectatæ induftriæ ac prudentiæ femina, ad fuperos migravit. Cujus in locum Egelbertus, cùm Luicardam fuam ex fratre neptem juvenili ætate, atque eximiâ formâ, quàm virtute commendatiorem, fubrogaffet; virgines parùm eam fuæ difciplinæ ac monafticæ gravitati idoneam arbitratæ, crebris apud Deum precibus inftitere, ne hâc labe caftiffimæ religionis domicilium dedecorari vel infici vellet. Quod, cùm frequenter, non die, non nocte ad orationem intermiffo fpatio, factitaffent, demum uni præ reliquis in precationis ftudium ardentiùs incumbenti, B. Dei Mater per quietem fe fe obtulit, Angelorum undique ftipata cœtu, ejusque lateri hærentes comites notâ fanctitate, ac cœleftes ejufdem olim collegii virgines, Irmina, Anaftafia, Modefta, quæ tacito aftabant ac mœfto vultu. Porrò Deipara eam affata: Aufculta, inquit, filia; craftinus ubi dies illuxerit, fororibus tuis fac ex me renunties, ita nempe decretum & conftitutum effe Deo, ut quàm præeffe fibi Antiftitam nolunt, hæc, fceleribus earum ita merentibus, flagelli ipfis loco contingat; atque in adminiftratione tot annorum fpatia exigat, ut innumerabilium, quas irrogabit illa, moleftiarum tædio, omnes etiam vitæ diuturnioris ultrò cupiditatem abjiciant. Neque tamen illa communi veftræ faluti ac difciplinæ officiet, verùm ingentem iræ divinæ cumulum pravâ fibi ipsâ gubernatione, fponte accerfet. Quæ cùm fanctiffima Mater edixiffet, repente cum fuis dilapfa comitibus, virginem deferuit. Illa autem, cùm obfervatam fibi in quiete D. Genitricis imaginem, & hortamenta cœleftia fororibus expofuiffet, Luicarda, omnium confenfu in ipfarum collegium pro Abbatiffa recepta, annis 40. Horreenfi monafterio præfuit. Atque hic fentimus, etiam quamlibet in fpeciem innocentibus, non omnia refpondere ad votum, præfertim cùm occultis ex cauffis, providentiæ divinæ arcanum, coronas patientibus nobiliores fabricatur.

B. Virgo Horreenfi Sanctimoniali apparet.

Magiftratus mali, pœna quædam peccantium fubditorum.

Lucarda Egelberti Archiepifcopi neptis Abbatiffa Horrei, annis 40. Virgines exercet.

CXVIII. ANNUS Chr. 1098 *l. Vitriac Orientalis hift. c. 16. Tyrius lib. 6. c. 8. Bertol. & recent. Paulus Æmil. hift. Franc.* Nicæa Bithyniæ & Antiochia bello facro expugnata. Sacri belli fucceffus.

Anno fequenti militiæ facræ Duces, qui partim ex Italia mari advecti, partim terreftri itinere per Ungariam acceſſerant, cùm primum Nicæam Bithyniæ, inde Antiochiam Salamanfæ Turcorum Principi eripuiffent, plurimùm iis certaminis fuit, ut Antiochiam, cui hoftis vicino è monte infeftus imminebat, confervarent. Fuit fanè, cùm longa inedia vigiliisque fractis ac feffis prope defenforibus, hoftes in fummam muri coronam evaderent, & clam fcalis admotis, quâ parte Henricus Afcha curabat, turrim occuparet; quo animadverfo periculo, robore virium tanto Henricus occurrit, ut faucios lacerófque de muro præcipites ageret, & Antiochiæ fervatæ pænè folus gloriam reportaret. Periit in ea defenfione Sigemarus, hoftili gladio transverberatus. Franco quoque lethali vulnere faucius, è prælio domum reportatus, ambo Mofellani nobiles.

Mofellani nobiles Antiochiam confervant

CXIX ANNUS Chr. 1099 * *al. 8. Kal. Junii.* Hierofolyma à Chriftianis expugnata. *Tyr. lib. 8. c. 5. & 18.* * *al. 15. Julii.*

Itum inde eft fequenti anno, concordibus animis, ad urbem fanctam recuperandam, cœptáque * Junii die feptimo Hierofolyma haud fegni obfidione premi; quæ cùm per paucos deinde dies ingentibus utrinque animis oppugnata fuiffet, & defenfa, tandem quarto Non. * Julii Godefrido Bolonio, ftupentibus cunctis, per pontis lignei machinam irruente, capta, atque in Chriftianorum poteftatem redacta eft. Hâc victoriâ partâ, Godefridus ab univerfo exercitu Rex eft Hierofolymorum falutatus: verùm ille neque titulum, neque regium fumere cultum voluit, haud par effe dictitans, ut ea in urbe aureâ ipfe coronâ fe redimiret, ubi Chriftus Dominus Deusque fpineam geftaffet.

Godefridus Buillonius Rex Hierofolymorum.

CXX. PASCHALIS II. Pöt. a. 18 m. 5. d. 14.

Pofthæc etiam Pontifex Urbanus, reparator quidam cadentis orbis, diem fuum functus eft; cui Pafchalis II. fucceffit. Ad hunc annum quoque revocant donationem Adelheitæ Palatinæ Comitis, Lintburgenfis Ecclefiæ documenta, quæ ex priore marito Hermanno Sigefridum filium fufcepiffe videtur. Nam Lintburgi ipfa degens, volente & præfente Sigefrido filio, clericis S. Georgio Canonicè famulantibus Manegoldi Capellani fui beneficium, quod in villis Muda & Bifena fex manforum difcriptione patebat, ob animæ fuæ falutem, & Hermanni conjugis perpetuam redemptionem elargita eft. Quod autem fcribitur hæc donatio peracta anno imperii Henrici XXXVIII. fatis proditur, titulum Annalem effe mendofum, cùm Henrici Imperium ad annum modò vigefimum tertium pervenerit. At donum idem infequentis fæculi anno XXIV. Adelbertus Magontinus Archiepifcopus, locuplete fcripto ac teftium numero, confirmavit. Cæterùm Muda villa tredecim circiter paffuum millibus verfus occidentem Lintburgo diftans, S. Gangolfi Ecclefia & cruce in turris faftigio vetuftiffima infignis eft, cujus Annales numeri docent, hinc XCVI. retro annis templum id collocatum. At Bifena in rivo cognomine notior eft, qui cùm arcem adit & peninfulæ ferè forma cingit, quam gens Ifenburgica pro domicilio ftirpis infedit, haud ineruditâ conjecturâ utuntur, qui arcem eam ab hoc rivo Bifeneburgum potiùs, quàm Ifeburgum cum vulgo dici malint.

Adelheitæ Palatinæ donatio facta, Linth. Eccl. Hermannus Palatinus. Sigefridus F. Muda & Bifena.

Hen. factus Imp. 1084. ergo a. 1099 eft 16. Imp. Adelbertus Magontinus confirmat donationem Crux vetus in Muda cum notis Arabicis.

MS. Chron. L. Mechtelii.

FINIS LIBRI DUODECIMI.

NOTÆ

NOTÆ ET ADDITAMENTA
AD
TOMVM PRIMVM
ANNAL. TREVIRENSIUM
BROWERIANUM
R. P.
JACOBI MASENII SOCIET. JESU.

ANNOTATIO I.
ad Annum Christi 312.

De loco ubi Constantino signum Crucis objectum.

Locus ubi Constantinus signum Crucis in cœlo viderit, investigatur.

UIs terrarum locus Christianæ religionis insignibus, quæ Crucem præferunt, de cœlo illustratus primùm fuerit, non abs re futurum arbitror, si diligentiùs investigetur. Hunc enim ego campis dixerim Elisiis, hortisque Thessalicis beatiorem. Nicephorus Romanis illum videtur agris honorem deferre; sed Eusebius hujusce rei disertissimus juxta fidelissimusque testis, qui rei gestæ seriem ex ore Constantini excepit, *in procinctu profectionis è Gallia, cùm iter faceret*, id evenisse memorat. Prudentius verò, qui sub Theodosio, Arcadio, & Honorio Imp. vixit scripsitque, ita contra Symmachum Heroïco in versu disserit de labaro Crucis formato.

In vita Constant.

Prud. l. 1. contra Sym.

Hoc signo invictus, transmissis Alpibus, ultor
Servitium solvit miserabile Constantinus,
Cùm te pestiferâ premeret Maxentius aulâ.
Testis Christicolæ Ducis adventantis ad urbem
Mylvius, exceptū Tyberina in stagna Tyrannū
Præcipitans: quānam victricia viderit arma
Majestate Regi, quod signum dextera vindex
Prætulerit, quali radiarint stemmate pila.
Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, clypeorum insignia Christus
Scripserat, ardebat summis Crux addita cristis.

I. Hoc est insignia Crucis tam in Labaro, quàm in galeis expressa ferebantur, ut ex numis apud Baronium anno Christi 312. propositis colligimus. Ex quibus facilè liquet, sentire illos Constantino ante superatas alpes, atque è Gallia primùm moventi, hoc Crucis divinæ spectaculum objectum esse. Verùm quo id Galliæ loco evenerit, nemo istorum definit. Ægidius Gelenius ante paucos annos *Sacrarium* vulgavit, de magnitudine Coloniæ Agrippinæ, in quo hanc gloriam illius Archi-Diœcesis agris vendicare conatur, locoque olim nostris limitibus incluso, nunc vicino, quem Sintzig appellant, quasi dicerent, *visio victoriæ*, vel *sanctum signum*, ubi D. Helena supra Regiomagum, ad Rheni & Aræ Confluentes, varias excitavit Ecclesias, nonnullas in forma Crucis, & clavorum, unam etiam in honorem S. Mauritii & Thebeorum; qui suis adfuisse de cælo copiis existimati sunt: cùm Nazarius in panegyri memoret, *in ore omnium Galliarum esse, exercitus visos, qui se divinitus missos præ se ferebant*. Iterum à Rheno venisse Constantinum adversus Maxentium ab eodem sat disertè traditur, cùm inquit: *Non credentes illi quidem (ut audio) te Constantine ipsum adesse. Quis enim crederet tam citò à Rheno ad Alpes Imperatorem cum exercitu provolasse?* Videtur igitur Coloniæ, ubi pontem recens Constantinus extruxerat, collectis illic quos habebat exercitibus militari viâ Sintzichium pervenisse, ubi inter spem metúmque fluctuans, hoc Crucis spectaculo ad audendum sit excitatus. Matre utique his visis, tum etiam accitis, ut refertur, sacerdotibus signi Crucis interpretibus (in quibus Maternus II. Ubiorum id temporis Præsul) cunctantem exstimulantibus. favetque etiamnum huic sententiæ porta Sintzichiana à D. Helena nuncupata, & postea tot per Rhenum Aramque Ecclesiæ Materno, ut fas est credere, suasore excitatæ. Hæc indicia sunt, quæ in hanc mentem Gelenium, Ubiorum solo visæ Crucis gloriam vendicantem inducunt. Nec prohibebo Lectorem in probabili disceptatione, quin assentiatur.

An in Archidiœcesi Coloniensi juxta Sintzig spectata Crux fuerit?

Gelen. in Sacr. Colon. lib. 1. Syntag. 2. ex Nazarii paneg.

Præterire tamen illa non debeo, quæ pro Trevirorum honore faciunt, suadentque juxta Noviomagum, in vicino ejus loci monte, qui Rhenum inter Mosellámque huic flumini adjacet, hanc Crucis imaginem Constantino objectam fuisse. Cujus quidem sententiæ non ego primus autor futurus sum, sed nobilissimos ante me historicos Miræum, Chifletium, & Bucherium fuisse comperio. Argumentum potissimùm ab Ausonio Gratiani Cæsaris præceptore, qui triginta circiter post Constantinum annis floruit scripsitque, ratione non incongruâ, petitur. Sic ille cecinit: II.

II. An potiùs Noviomagi ad Mosellā visa in agro Trevirensi.

Mira. in præf. ad Coron. Belg. Chifl. in Vindic. Hisp. an. 1645. edit. c. 15. Bucher in Belg. Rom. l. 8. c. 6.

Ausonius Edyl. 10.

Et tandem primis Belgarum conspicor aris
Nivomagum, Divi castra inclyta Constantini.

Purior hic campis aër, Phœbusq; sereno
Lumine purpureum reserat jam sidus olympū,

Cur castra inclyta, inquit Chifletius, *nisi quia fulgore gloriæ splendentia, ob cæleste Constantini visum? Et cur idem Constantinus locum illum à castrorum suorum metatione celebrem esse, ædificiisq; cultum voluit, nisi quia insitato ibi prodigio, beneficioq; cælesti est affectus?* Freherus idem Nivomagum castris idoneo maximè loco inter Rheni Mosellæque flumina collocandis perquam censuit opportunum, & ut præsens ejusdem arbiter his verbis describit, quibus (licet & ipse ego accuratè lustraverim) præ meis uti malui. *Prætorium*, ait, *loco edito & opportuno* (ad pedem montis) *situm, hinc Mosellæ alveum, inde jugi dorsa circumquaque circumspiciens fossâ cinctum. In eo turris rotunda ipsissimum Romanorum opus, ingentibus quadris* (Saxis) *extructa fundo solidæ rupi imposita, quam murus cum pinnis ambit, quadratas turres circum habens, opere firmissimo, nec humana vi facilè solvendo. Etsi humanarum rerum vices passum appareat; diruptis, & hinc inde dispersis* (*vel parietibus inspersis*) *antiquis sculpturis, inscriptionibus, statuis, sarcophagis, quarum pars etiam ibi visitur; pars Lutzelburgum in hortos comitis Mansfeldii translata dicitur.* Pergit Bucherius eorundem castrorum spectator; *supra vicum* (quo prætoriana castra comprehenduntur) *qui in valle Mosellæ adjacet, ad sinistram fluvii ripam mons erigitur, aut collis sat præceps, in supremo planus, & instar soleæ equinæ, peninsulæq; fluvio circumclusus, planè sui seu munitione, seu capacitate castris ponendis, stativisq; habendis aptissimus: accedente præsertim Treverica Cæsarum aulæ limitisq; Rhenani vicinia. Prorsus ut Gallicum Romanorum exercitum eò sæpè confluxisse, stativa habuisse, & exinde in varias expeditiones eductum, mihi persuadeam. Certè Constantini castra, & quidem inclyta, disertè vocat Ausonius. Tot aliis per omnem Galliam, imò per solum Rhenum locis castra metatus aliquando fuerat Constantinus, cur Nivomagensia ista, quasi κατ' ἐξοχὴν, præ ceteris inclyta caneret ei penè σύγχρονος Ausonius?* Sic denique concludit Bucherius: *Nivomagi ergò prope Treviros ad Mosellam, nec procul à Rheno in Belgica prima* (*quod, in lucem è tanta oblivionis caligine aliquando revocatum, felix genti nostræ faustumq; sit*) *Constantino indulta est vivifica Crucis apparitio, id est, omnis boni fons Christianæ fidei stabilimentum, Ecclesiæ post tot persecutiones æterna pax, instauratio, serenitas, securitas, & quædam quasi cœlestis παλιγγενεσία.* Eum porro locum castrorū, ut hodiedum in ruderibus superest ex apposita licebit figura utcunque intueri.

Marquardus Freh. in hoc Ausonii poem.

III. Constantinus Magnus Castra Noviomagi celeberrima habuit, quorum adhuc Rudera visuntur.

A. Prætorianæ aulæ turris et muro reliqu.. B. Castra prætoriana ad teli iactum extensa. C. Rudera turrium. D. Militaria Castra in hoc Monte explicata.

His

IV. His aliud argumentum longè etiam evidentius, ut opinor, adjecturus sum, quo haud procul Treviris hanc Constantino objectam esse visionem declaretur. Nam si Constantinum id temporis Treviris moratum esse, castraque ac militem in vicinis Rheni ac Mosellæ locis habuisse docuero, & si inde desertâ Galliâ Germaniaque in Italiam contra Maxentium migrasse ostendero; jam quoque suasisse videor istic locorum signum illi salutiferæ Crucis objectum fuisse. Illud verò non admodum difficilè erit, si videlicet nobis constet, ubi Constantinus post devictos, bestiisque objectos Francorum Reges Ascaricum & Gaisum, post Bructeros deinde superatos, post cæteras trans Rhenum domitas nationes, post instratum eidem Rheno pontem, ac denique post Maximinianum Herculeum superatum, totumque Septentrionem altâ pace compositum, quieturus tantisper à laboribus, & adversus hostem potentissimum Maxentium sese armaturus consederit. Id verò factum Treviris, quæ erat Gallici sedes Imperii, præcipuorum id temporis scriptorum consensione adeò certum est; ut recentiorum vix quisquam, licet maximè velit, dissentire queat. Huc ad aulam regiamque, & conjugem suam, post plerasque sese expeditiones recepit. Et quò potiùs, quàm ad ipsam Imperii sedem? De qua suis in versibus Ausonius:

Constantinus Treviris aulam suam habuit, ubi post bellicas expeditiones versabatur.

Trevericaq; urbis solium — —
Imperii vires quod alit, quod vestit, & armat.

Ubi & ipse, & miles suis in castris, aut hibernis stativisque inter Mosellam & Rheni flumina, tutissimo adversus hostiles insidias impetumque loco confidebant.

V. Hîc in amphitheatro Francorum Duces Ascaricum & Gaisum bestiis pro vita depugnaturos, cum plurimis captivorum publico spectaculo objecit; hîc quinquennalia exsolvit vota; hîc celeberrimis cum Fausta nuptiis sociatus est, Socerúmque Maximinianum omni humanitate tractavit: hîc post superatos hostes, stratum Rheno pontem, Maximinianum prostratum, præter oratores alios applausit disertissimus Belga, alterque Rhetor missus ab Æduis. Neque exinde quicquam ab eo memorabile ante Italicam contra Maxentium expeditionem (quam ab illo Crucis spectaculo orsus est) legimus perpetratum; sed potiùs omni ope adnisum fuisse, ut Trevirim sedem Imperii sui hostium spoliis novísque operum, cum munimentis tum ornamentis, supra pristinum etiam decorem, extolleret. Sic, ut verba audiamus, orator Belga ad Constantinum Treviris perorat: *Video hanc fortunatissimam civitatem, cujus natalis dies tuâ pietate celebratur, ita cunctis mœnibus resurgentem, ut se quodammodò gaudeat olim corruisse auctior tuis facta beneficiis: video Circum maximum, æmulum credo Romano: video Basilicas, & forum, & opera regia, sedemq; justitiæ in tantam altitudinem suscitari, ut se sideribus & cælo digna & vicina promittant. Quæ certè omnia sunt præsentia tua munera. Quacunq; enim loca frequentissimè tuum numen illustrat, in his & hominibus omnia & muneribus, & mœnibus augentur.*

In panegyrico RACEREM.

VI. Constantinus Trevirim velut novam egregiis operibus præsens excitavit.

Quod si igitur Gelenius existimet, ad pontem illum Coloniæ perficiendum, Divitióque contra Transrhenanos perficiendo adhæsisse, dum contra Maxentium signa tolleret, magnopere fallitur. Nam hoc ipso tempore dum ponti instruendo dant operam, Constantinus Treviris in aula sua substitit, quodque propinquus instituerat, remotus perficit, cùm idem sic illum post victum Maximinianum Francósque ad pacem compositos orator alloquatur. *Agrippinensi ponte faciendo reliquiis afflictæ gentis insultas, ne unquam metus ponat, semper horreat, semper supplices manus tendat: cùm tamen hoc tu magis ad gloriam Imperii tui, & ornatum limitis facias, quàm ad facultatem quoties velis in hostem transeundi. Quippe cùm totus armatis navibus Rhenus instructus sit, & ripis omnibus usque ad Oceanum dispositus miles immineat. Sed pulchrum tibi videtur, ut revera pulcherrimum est, ut Rhenus ille non solùm superioribus locis ubi aut latitudine vadosus, aut vicinia fontis exiguus, sed & ibi novo ponte calcetur, ubi totus est, ubi jam plurimos hausit amnes, quos hic noster ingens fluvius, (Mosella) & barbarus Nicer, & Mœnus invexit.* Treviris ille morabatur, firmandæque & ornandæ urbi; templisque etiam ad cultum idolorum, veri adhuc Numinis ignarus, extollendis ditandísque intentus erat. *Augustissima*, ait idem panegyricus, *illa delubra tantis donariis honestasti, ut jam vetera non quærant. Hic igitur tantisper quiescens, alias*, ut Eusebius inquit, *mundi partes animo complecti cœpit, ut his qui opis indigerent, subsidio maturior adveniret... Et, ne vitam quidem vitalem sibi fore dixit, si civitatum omnium Reginam* (Romam à Maxentio oppressam) *ita afflictam esse pateretur, ideoq; ea parare satagebat, quæ ad tyrannidem delendam spectare videbantur. At cùm accuratè lustrando comperisset, propter maleficas & fallaces Magorum præstigias à tyranno studiose conquisitas, multò firmiore sibi præsidio opus esse, quàm quod res militaris suppeditare solet, Deum sibi adjutorem quæsivit.. Ac quærenti illi talis subiit cogitatio. Eorum qui antea Remp. attigissent plerumq; omnes spem suam in Deos complures conjecisse... neque quempiam Deorum prohibuisse quominùs nefandâ internecione opprimerentur. Solùm ejus Patrem ad contrariam viam divertisse, eorum damnasse errorem, solum Deum verum totâ vitâ veneratum, eúmque omnis Largitorem boni comperisse. Eum igitur, quem Pater sanctè adorasset, solum colere instituit. Quocirca hunc obtestatus est, ut quinam esset, vellet ei significare, tum rebus animo propositis dexteram adjutricem porrigere. Ita precanti visio divina & admirabilis apparuit. Quam siquis fortè alius dixisset, non tam facilè persuadere potuisset. Verùm cùm Imperator ipse victor nobis longo tempore post, cum notitiâ eramus & familiari colloquio ab eo dignati, narraret, & jurejurando confirmaret, cui dubium esse poterit, quin rei ita memoratæ sit omninò fides adhibenda, præsertim cùm tempus postea consecutum ratum orationi testimonium dederit. Cùm jam sol ad medium cœlum ascendisset, die in pomeridianum tempus paulatim inclinante, dixit se Crucis signum ex lucis splendore figuratum, in ipso cœlo, soli imminens manifestè oculis adspexisse, inq; eo inscriptionem horum verborum IN HOC*

VII. Agrippinensem super Rhenum pontem egregio opere absens per suos stravit.

Euseb. in vita Const. lib. 1. c. 20. & seq.

De Roma à Maxentii Tyrannide vendicanda sollicitus, Crucem divinitus objectam spectat, & Christum agnoscit.

VINCE.

VINCE. Admiratio ingens ipsum & totum exercitum, qui eum quopiam iter facientem comitabatur, adeòque hujus prodigii spectator factus erat, incessit. Sed dubitatione admodum intra se distrahi, quid tandem ostentum illud vellet, asseruit. Atque eum diu multúmque de eo cogitantem oppressit nox. Ibi ei dormienti Christum Dei, cum signo in cælo monstrato visum fuisse, præcepisséque, ut exemplari ad imitationem illius signi, quod in cælo apparuerat, fabricato, eo tanquam præsidio in præliis cum hostibus committendis uteretur. Hactenus Eusebius, cujus in re tanta orationem non censui esse prætereundam.

VIII. Subjicit deinde Constantium artificibus convocatis, Crucis labarum designâsse, quod describit, in quo Christi nomen per X & P Græcorum hoc modo ☧ expressum erat. quod hodiedum, ad S. Paulinum, Ecclesiæ pro insigni servit, & passim olim Trevirensium Christianorum sepulchris adhibitum fuit, nummis etiam tam Constantini, quàm Constantis (quorum unum in Proparasceve Broweriana reperies) Treviris excussis impressum est, ut proinde hoc loco non producam.

Vide Brow. in proparasc. de Sepulchris vet.

Quo spectaculo, post interpretes è Christianis Sacerdotibus adhibitos, ita animatus Constantinus fuit, ut, potissimâ exercituum parte ad Rheni custodiam relictâ, contra Maxentium prælato hoc labaro in Italiam transgressus omnia Victor, cum ipso Maxentio Tiberi merso, subegerit. Ita enim secutus Constantinum Româ orator, ibidémque post victoriam applaudēs loquitur. *Vix quartâ parte exercitûs contra centum millium armatorū hostium alpes trangressus es; ut appareat penitus considerantibus, id quod nos fugit in amore trepidantes, non dubiam te, sed promissam divinitus petere victoriam.*

Magna contra Maxentium fiducia victoriæ, licet exiguo milite, progreditur.

IX. His ergo consideratis, ubi videlicet Constantinus proximè ante expeditionem moratus sit, quid priùs, quid deinde egerit, non video quemadmodum, vel suum tueri Gelenius Sinzichium, vel locum aliquem apud Lingonas impetrare Vignierius, aut hunc Augustoduno honorem vendicare Morinus possit; cùm loca illa jam antè, in suis expeditionibus tantùm Constantinus, ceu peregrina, attigerit, Treviris juxta castra, & sæpè, & diu, & ultimo denique Italicæ profectionis adornatæ tempore, velut domi in aula sua, cum matre, conjuge, & liberis versatus sit. Ego, nisi quis nostris certiora dederit, pro Treviris standum pronuntiabo.

II. ANNOTAT. ET AUGMENTUM ad annum Christi 327.

De S. Helenæ natali solo, gestisq; & de Toga Christi inconsutili, clavo Domini, alitsq; ex Oriente huc translatis S. Reliquiis.

NOn immeritò Augusta Trevirorum Urbs pro D. Helenæ Imperatricis laudatissimæ Natalibus dimicationem adversus obtrectatores plures suscipit, cùm illustris hæc mulier, velut cynosura quædam cælestis, Christianum orbem tenebris gentilitatis circumfusum, pietate ac religione suâ plurimum collustrârit. Et multò hoc facit honestius, quàm pro famosa olim Menelai Helena, non calamis, sed armis pugnacibus Græci decertarunt.

Non diffiteor rationes esse, cur Britanni illam sibi, contraque etiam Dardani, ac Bithyni eandem sibi vendicent. Illis præcipuè panegyricus à Browero citatus scriptor favet, quem Britannicarum rerum scriptores, & cum Baronio Alfordus nuper, prolixâ dissertatione historicâ secutus, hanc suæ nationi laudem arrogat. Bithynam cum Nicephoro Lipsius proximâ ætate asseruit, sensitque Constantium, *cùm ad Persas à Diocletiano & Maximiano missus iret Legatus, Drepanum Bithyniæ venisse, atque istic Helenam hospitis cognovisse filiam, ex qua Constantinum susceperit.* Nonnihil ab hoc loco, sententiâque deflectit Julius Firmicus priscæ ætatis ante Nicephorum scriptor, dum in libris Matheseon inquit: *Constantinus Maximus D. Constantii filius apud Tharsum* (Bithyniæ, ut vellet Lipsius) *genitus, à primo ætatis gradu gubernacula Imperii retinens.. Romanum orbem salubri gubernationis moderamine sustentat.* At Henricus Valesius, non vulgaris quoque doctrinæ vir, suis in Ammianum Notis Dardanam, & Naisso Daciæ urbe genitam, contenditque in Firmico, non *apud Tharsum* sed *Naissum* (ut ex MS. exemplaribus sibi compertum asserit) legendum, quod ex Stephano Byzantio stabilit, dicente: *Naissum urbem Thraciæ patriam Constantini esse Imperatoris.* Quanquam *Daciæ urbem*, non *Thraciæ* dicendam affirmet. quibus Cedrenum aliosque, & ipsum in supplemento Ammianum, accedere contendit.

I. Pro Natali solo D. Helenæ pugnāt diversi, sed vincūt Treviri.

Eccles. hist. lib. 7. c. 18.

Verùm Treviri non invalidis argumentis obsistunt, &, si minus Constantinum, certè Helenam suo natam cœlo, non inani titulo gloriantur. Quæ cùm parciùs à Browero pertractata animadvertam, in tanta obversantium contentione, non existimavi prætereunda. Et 1. quidem ipsa pugnantium inter se adversariorum dissensio, cùm nihil apud illos firmum relinquat, atque in ipsis etiam hallucinentur tam loci, quàm personarum nominibus: cùm alii Drepanum, alii Tharsum, alii Naissum, alii Bithyniam, alii Daciam, alii Thraciam assignent, & pro Constantio, Nicephorus Constantem, Firmicus Constantinum producat; non nisi conjecturis rem agi manifestum est. Jam verò potissimum Britannorum ex panegyri fundamentum, cum Browerus atque ante ipsum Lipsius quoque elidat, nihil deinde, & his præterquam in domesticis, & seræ ætatis testibus, jure suspectis, adminiculi restat; ut proinde jactata hactenus veritas maximum apud Treviros præsidium repertura videatur. Nam si ex ipso Constantini M. decreto, si deinde ex Silvestri aliorumque Pontificum diplomatis pro his probabilius causa definiatur, non erit opinor, qui resistat. Adferet hac in re fidem lucemque alter Imperator Constantinus Porphyrogenitus *in libris Basilicōr*, quibus constitutiones II.

Imperiales

Imperiales complexus est. Ipsa autoris verba, ut apud Baronium quoque versa recitantur, quibus Romanum filium admonet, non temerè cum quavis gente nuptias esse conciliandas, audiamus. Quia his ipsis rarum Constantini M. decretum complectitur, quod juverit non ignorare, *Siqua*, inquit, *unquam natio ex infidelibus his borealibus gentibus postulaverit, ut cùm Romanorum Imperatore affinitatem jungat, ac vel filiam ejus sponsam accipiat, vel propriam dedat filiam; utere his verbis, & irrationabilem illorum petitionem repelle, ac dicito: de hoc negotio, atque argumento præceptum esse, ac formidabilem, atque indeprecabilem Constitutionem Magni & Sancti Constantini, in sacra mensa Catholicæ Christianorum Ecclesiæ descriptam: ne unquam Romanorum Imperator affinitatem cum natione contrahat, diversis moribus ac peregrinis à Romanorum statu utente: maximè verò quæ alterius fidei sit, nec sacro initiata baptismo præterquam cum solis Francis: Hos enim solos Magnus ille vir Constantinus Sanctus excepit: quod & ipse habuit ex partibus illis ortum:* ἐκ τούτων τῶν μερῶν ἐγεννήθη Κωνσταντῖνος, *ita ut cognatio, multumq; commercium sit Francis ac Romanis. Et cur Imperatores hortatus est, ut cum illis solis connubia inirent? Propter antiquitatem partium illarum, & gentis claritudinem atque nobilitatem.*

Porphyrogenneta lib. Basilic.

Constantinus Magn. Francis amicus, quod his fœderatus ex matre eis vicina ortus sit.

Ubi quivis veterum non ignarus historiarum, Trevirim intelligi facilè videt, cùm hæc velut altera Roma, & sedes occidentalis per Galliam Imperii, jam Constantii & Maximiniani illic bellantium tempore Francos in consortium & defensionem sedis hujus imperialis recepisset. Unde Eumenius in sua ad Constantium oratione panegyrica: *Sicut*, inquit, *Maximiniane Auguste nutu tuo ad Nerviorum & Trevirorum arva jacentia, velut postliminio restitutus, & receptus in leges Francus; ita nunc per victorias tuas, Constanti, Cæsar invicte, quidquid infrequens Ambiano, & Bellovaco, & Tricassino solo Lingonicoq; restabat, barbaro cultore revirescit. Quin etiam illa, cujus nomine mihi peculiariter gratulandum, devotissima nobis Æduorum civitas, ex hac Britannicæ facultate victoria* (*quâ*, ut supra dixit, *gentes Francorum illic penitus excisæ*) *plurimos quibus illa provincia redundabat, accepit artifices*, ut Alfordus hinc frustra ad Francos qui in Britannia sub Constantino agebant hanc gentis laudatæ, & orti ab illis Imperatoris, gloriam transferre conetur.

III. Sed cùm nobis pro Matre Constantini Helena potiùs, quàm pro Constantini patria hæc suscepta lis sit, illustrius ex archivo nostro testimonium depromam, à Silvestro ejusdem ætatis Pontifice Trevirensi Ecclesiæ, in Helenæ Augustæ gratiam, Apostolico diplomate tributum, quod inter Metropolitanæ & Archiepiscopalis Ecclesiæ diplomata collectû ante annos facilè trecentos, à Balduino Trevir. Archiepiscopo in libro pervetusto exhibetur, cujus cùm partem aliquam Browerus, nec tamen ex integræ fidei apographo dederit, & P. Sirmondus inter posthuma scripta reliquit. Ego totum verbotenus hoc loco reddam. Sic enim Silvester Papa Treberensi scribit Ecclesiæ.

*Sicut in gentilitate propriâ virtute, sortire & nunc Trebir primas, ac super Gallos & Germanos prioratum, quem tibi præ omnibus harum gentium Episcopis in primitivis Christianæ religionis Doctoribus scilicet Euchario, Valerio, & Materno, ac per baculum caput Ecclesiæ Petrus signavit habendum, suam quodammodo minuens dignitatem, ut te participem faceret. Quem ego Silvester ejus servus successioneq; indignus, per Patriarcham Antiochenum * Agritium renovans confirmo, ad honorem patriæ Dominæ Helenæ Augustæ Metropolis ejusdem indigenæ. Quam ipsa felix per Apostolum Matthiam à Judeâ translatum * cum Tunica & clavo Domini, & dente S. Petri & sandaliis S. Andreæ, & capite Cornelii Papæ, ceterisq; reliquiis, magnificè ditavit specialiterq; provexit. Hujus privilegii conscii nocivi æmuli communione dirimantur, quoniam Anathemate maculantur.*

Ex pergameno charta MS archivi Metropol.

A Sede Apostolica Treviri olim, propter Helenam indigenam honorati.

*NB. Antiochenum, exemplare antiquo Vireduneńsium P. Sirmondus non reperit.

* Idem exemplar Sirmondi in nonnullis sequentibus variat, ut apparet Virdunensem in Trevirensi archivo non satis accurate transumpsisse.

Has literas hodie dum sacræ illæ cum Tunica Christi inconsutili Reliquiæ à Trevirensibus possessæ stabiliunt, aliæque subinde, ab eadem sede obtenta diplomata confirmant: quorum illustre exemplar Leonis X. circa annum Christi MDXIV. producemus, ex cujus sigillato probè autographo nonnulla hoc loco verba juverit deprompsisse. *Ecclesia*, ait, *Trevirensis à D. Helena Constantini M. Matre; quæ ad id regiam suam domum, quam Treviris habebat, dedicavit, magnificè structa & dotata, ac variis reliquiis* (*postquàm ipsa B. Helena à Hierosolymis, sacratissimis Cruce clavisq; Dominicis inventis reversa fuerat*) *annuente ac concedente Beatissimo Silvestro PP. Tunica videlicet inconsutili D. N. I. C. & uno ex clavis, quibus idem Dominus N. crucifixus fuit, ac capite S. Cornelii, aliisq; sacratissimis reliquiis multipliciter decorata, & à dicto Constantino, & aliis imperialibus largitionibus adeò illustris effecta, ut rectè secunda Roma, ac Domina Provinciarum, ac omnium Ecclesiarum Germaniæ & Galliæ prima dici meruerit.* Quo testimonio nescio an graviùs illustriusque rebus Trevirorum extollendis firmandisque queat reperiri. Quod Silvestrini diplomatis non argumentum tantùm, sed & fidem magnoperè stabilit, nisi quis existimet Romanam sedem, post ventilatam tot sæculis caussam, sibi tamdiu, proprio etiam Romanorum honore, pro Tunica contendentium, neglecto, illudi passam.

Diploma Silvestrinum à Leone X confirmatum cum privilegiis Trevericæ Ecclesiæ concessis propter D. Helenam

IV. Audis igitur à Silvestro dignissimo verissimóque Magnæ Principis Helenæ præcone. Metropolis Trevericæ hanc appellari indigenam; hoc est inde genitam; audis Trevirim ejusdem signari patriam: audis ex Leone regiam istic possedisse domum, quam magnificè locupletatam ornatámque transformarit in Dei Ecclesiam: quod si quis neget, illum hodiedum lapides, muríque Romanâ arte structi, opere, ut liquet, antiquissimo, atque ipsa, si chorum exceperis, operis forma erroris arguet. Hæc, ut traditionem famámque constantissimam, & plurium Manuscriptorum suffragia, ex diversis archivis deprompta taceam, cuivis prudenti ad explorandam Helenæ patriam satis esse duxero. Nec recolo autores à Browero productos, unum his alterúmve adjiciam, in quibus Berengosus Abbas celebratæ fidei vir, ita de Crucis inventione disserit.

Treviroruḿ indigenam fuisse, variis testimoniis stabilitur.

Lib. 2. cap. 2.

Nobilitatem Helenæ apud Treviros ædificiorum suorum adhuc antiqua testatur gentilitas, ubi pavimentum domus illius variis marmoribus, & pario quondam marmore stratum benè declarat, quantum ibi præ aliis videretur habere primatum. Præterea verò ipsa planicies parietum fulvo auro, velut hyacinthino textu depicta benè testabantur insignia nobilitatis ejus invictæ. Insuper etiam prædiorum ejus copia Ecclesiis Dei olim undiq; collata benè declarant, quàm nobilissimâ generis polleret antiquitate. Cæterùm ruri illam sentio in suburbanis juxta urbis mœnia natam ædibus, atque ex Principum Secundinorum, Veredariis & mercimoniis præfectorum, domo; quorum alibi monumentum proposui (Tom. 1 pag. 87.) haud procul Treviris dissitum. Unde ob hospitale munus, factum, ut D. Ambrosio in funere Theodosii eandem appellare *stabulariam* placuerit, sed planè *felicem*, à qua tantum in Ecclesiam orbéque universum boni promanârit. Cui & illa suffragantur Ottonis Frisingensis verba, dum inquit: *Helenam ex pago Trevirorum oriundam dicunt, unde eandem Ecclesiam plurimum eam decorasse tradunt.*

Nó in urbe tantùm, sed & loco suburbano, Helenæ etiamnum nomine insigni, versata est.

Otto Frif. l. 4. c. 41.

V.

Et verò supersunt hodiedum suburbeni loci hujus juxta pagum Uhren, quo prisca urbis Trevericæ mœnia excurrebant in colle vicino monumenta: ubi & manifestum est arcem stetisse in collis olim vertice, à Principibus viris habitatam, & superstes etiamnum in collis latere quadrata antiqui operis, ad defensionem instructa turris, juxtaque amœnissimis scaturiens aquis fons, ab omni retro memoria Helenæ nomen custodit. Nec defuit Majorum pietas, & servata diu loci religio, quæ ab Udone Trevirorum Archiepiscopo anno salutis M. LXXV. sacræ ædis ad fontem substructione aucta innovatáque, nunc rursus bellorum temporumque iniquitate, Reliquiis D. Helenæ aliò translatis, cum æde concidit, exspectátque novum pietatis antiquæ memoriæque instauratorem. Quanquam Treviri in æde Metropolitana, Helenæ olim palatio, ejus se honorem recordationemque patriæ domus abundè testari arbitrantur. Ut hac in caussa dissentientes à nobis historicos, non nisi ignoratione rerum Trevericarum deflexisse ad errorem apparet.

Rudera Palatii suburbani, & fons Helenæ nomine insignis.

Ex Palatio illius Metropolitana Ecclesia formata est.

Sed & Alfordus, quamvis nescius, Trevirorum traditioni suffragatur, de quorum *urbe*, inquit, *Helenæ nomen æternum esse voluit, cuso numismate paulò posteriùs cùm Constantius esset Imperator, aut potiùs cùm filius regnaret. Numismatis inscriptio erat hujusmodi. FL. HELENA AUGUSTA. & in aversa parte sic. SECURITAS REIPUPLICÆ. infernè verò S. TR. hoc est, signatum Treviris. Si Helena in Flaviæ gentis nomen transiit, si Augusta titulo aucta est, noli Lector putare illam, aut Drepanensis hospitis filiam, aut à Constantino omninò derelictam.* At Trevir, cum venia Alfordi, subjiciet quoque: noli Lector putare Britannam aut Coëli Regis filiam; sed Trevericam potiùs ubi & Flaviæ domus gentis, & Helena tam ante conjugium, quàm Augusta conjux, & libello repudii oblata sedit, ac vel ipso Numismate teste versata est, ut ex adjecto schemate cognoscere licebit.

In Annal Eccl. Britan. ad an. Christi 292. n. 3.

Numi apud Treviros in memoriam illius excusi.

Cæterùm alia testimonia Trevericorum prætereo, & cum Lupoldo Bebenbergio Episcopo Bambergensi concludo: *Habet multorum assertio, quod S. Helena Mater Constantini de Treviris fuit oriunda*, quibus siquis acquiescere noluerit, certiora ab illo quàm dedimus exspectamus.

Bebenb. de zelo Principum Germanorum.

VI.

Constantinum facilè patiar in Britannia natum, quo Constantium Helena conjux sit insecuta, si tamen Porphyrogennetæ & decreti supra allati id sententia ferat. Quanquam enim sufficere Britannis ad sanam panegyristæ applaudentis interpretationem hæc possit gloria, quod exortus istic Imperator Constantinus nobis fuerit; ad illius tamen decoris communicationem etiam Treviri erunt admittendi. Nàm Constantinum in Britannia quidem acceptasse nomen Cæsaris, nondum tamen Imperatoris & Augusti, nisi postquàm Maximianus Herculeus, à proprio filio Maxentio aversus, cum Fausta filia in Galliam Treviros veniens, eidem imperium detulisset, multorum testimoniis, & panegyricis quoque id temporis orationibus, Treviris eidem inter nuptiarum & imperii delati solennia recitatis, probatum accepimus. Ut terra eadem, quæ Matrem nascentem primùm vidit, prima viderit filium Imperatorem. Quæ cùm Browerus satis attigerit, mihi non lubet immorari.

Constantinus M. Treviris primũ Imperatoris & Augusti nomen admisit.

Brow. an. Chr. 306. & 307.

VII.

Porrò de connubii, quo Constantio juncta fuit, honestate, paucis etiam videndum est. Jam olim enim diversâ scriptorum sententiâ hujus conjugii integritas in controversiam abstracta est, quæsitumque teste Zonara, Fueritne Helena concubina, an uxor Constantii legitima, quàm ipse definire non ausus, in medio disceptantium reliquit. Zosimus verò homo ethnicus & Constantino periniquus in utriusque contumeliam nullo veritatis argumento absolvit, concubinam fuisse affirmans: quod quàm sit vanum, vel ex eo solùm Baronius arguit, quod Eutropio & Victore testibus Maximianus Herculeus, cùm oblatâ Theodorâ filiâ Constantium in filium generúmque adoptaret, primo coëgerit libello repudii Helenæ oblato, eam abdicare conjugem: neque enim concubinis id fieri solitum. Deinde Constantini, ad exemplum Patris Constantii, laudata in panegyri publicè continentia tantam labem non admittit, nisi impudenter mentitum oratorem afferas. Fortè nonnullis errandi occasionem præbuit lex vetus Rom. quâ cautum erat, ut si Præfectus cohortis, vel equitum, aut Tribunus, contra interdictum, uxorem duceret, in ea provincia, quàm officii caussa adierat, matrimonium non esset; cùm ratio potentatûs, ut ait, ejusmodi nuptias prohiberet, tamen cùm eadem

Zonar. tom. 3. Annal.

Zosimus lib. 2.

Bar. in Ann. ad annũ Christi 306. Eutrop. l. 9. Victor in Diocl.

Panegyr. 2.

D. Helena legitima Constantii Imp. uxor.

L. Præfect. ff. de ritu nuptiar.

lex

lex post officium, ejusmodi stare nuptias, nisi renuntient, asserat; neque matrimonii robur iniquâ infringi lege possit; solúmque barbaræ, non Romanis adscriptæ gentis (qualem Helenam esse censemus) feminæ hoc interdicto potentur, non est quod de Helenæ, vel connubio, vel repudio disceptemus. Hoc coactum, illud voluntarium, corpora quidem conjugum, non animos separavit. Et quâ fronte panegyricus orator dicere Constantino nisi honestissimè nato poterat: *Inter omnes participes majestatis tuæ, hoc habes Constantine præcipuum, quod Imperator es, tantaq; est nobilitas originis tuæ, ut nihil tibi addiderit honoris Imperium, nec possit fortuna numini suo imputare, quod tuum est ... Imperium nascendo meruisti.* Adde Justiniani Imperatoris decretum, quo Constantini Matrem suam egregiis piæ voluntatis honorisque signis prosequentis affectum probat, quando mari Ptolemaico Helenæ nomen tributum stabilit. *Ab omnibus,* de hoc mari inquit, *Helenopontus nuncupator quod illi nomen à pientissimo Principe Constantino impositum est, occasione honestissima Matris Helenæ scilicet pientissimæ mulieris, quæ nobis etiam sacrum Christianorum invenit.* Quo testimonio tanto utor lubentiùs, quòd plures historici perperam senserint, Helenam à filio suo Constantino, ad orthodoxam fidem primò traductam, postquam illa jam conversum, ad Judaismum à religione Christiana traducere conata esset.

Eumen. paneg. 9.

Constantini erga Matré reverentia.

Oðat. 14. Const. 28. quod pulchro.

VIII. D. Helena ante Constantinum filium Christiana.

Quare hæc altera ejus vitæ labes, per ignorantiam malitiámve aspersa, paulò erit diligentiùs eluenda. Originem hujus erroris ex Baronio repetam. Eusebius, Constantini quàm Matris ejus Helenæ majorem notitiam assecutus, hanc ab ipso in fide sensit instructam, quòd primam hujus Augustæ domus conversionem, ad Crucis ab Imperatore visæ spectaculum referret. Ex quo, aliisque Græcis, ut Zonara & Cedreno, qui Helenam Bithynam esse sentit, acta Silvestri Papæ, magnâ parte apud Metaphrasten corrupta sunt, plurésque cum Mariano Scoto, & Antonino historici in errorem inducti. Res ita habet. Judæi hoc tempore, quo totus sese orbis Christianum profiteri sub Constantino cœpit, de sua secta tuenda soliciti, eos, qui à se transibant omni genere injuriarum persequebantur, utque vires firmarent, gentiles quoque Judaismi erroribus circumventos ad se traducere conati sunt, ac rebellione conflatâ, Rom. Imperium evertere. Verùm *ille amputatis auriculis, rebellionisq; nota corpori impressâ, satis habuit, quibusdam ad spectaculum circumductis ita refractarios correxisse.* At Silvestri Pontificis acta vel universè, vel certè suis partibus, commentitia, referunt, Helena agente Judæisque favente coram ipsa & Constantino Romæ Synodum institutam, in qua diversarum provinciarum Episcopi numero septuaginta quinque, sacerdotes verò Judæorum centum ac novem, exceptis duodecim ab Isachar eorum Pontifice destinatis, comparuerint. Verùmtamen à Silvestro adversus omnes triumphatum fuisse. Sed ut falsum est, id temporis summos fuisse Judæorum Pontifices, qui ab eversione Hierosolymorum creari desierunt: ita erratum quoque, quod eisdem in

Baron. ad an. Christi 315.

Metaph. die 2. Ian.

Nunquam Judæis, nisi pro conversione, favit.

Chrysost. ad. vers. Iudæos hom. 2. tom. 5.

Silvestri acta apud Metaphrasten corrupta sunt.

Silvester Papa Judæos in concilio erroris Cõvincit.

Actis Silvester Sabbathino derogasse jejunio feratur, cùm illud constanter Romanos tenuisse constet, uti à mendacio non abest, quod asserant diem Dominicam ab eodem institutam, quæ ab Apostolorum temporibus usque fuit observata. Cujusmodi erroribus pluribus obnoxium scriptum fidem nisi à meliore autoritate non potest mereri.

IX.

Interea, quod cum Judæis Helena Synodum, pro illorum salute solicita promoverit, nolim prorsus inficiari, cùm Gelasius Pontifex Actorum Silvestri meminerit; sed autoris dixerit incerti, quem ætate posterâ temerarius locupletator Eusebium fecit Cæsariensem. Quis porrò eventus disceptationis (si qua admittatur) cum Judæis susceptæ fuerit, & quid favor Helenæ Matris (cujus summa, ut Eusebius tradit, apud Constantinum filium reverentia) effecerit, decreto in Judæos lato patet, quando ad Evagrium Præfectum his verbis Imperator scribit: *Judæis & majoribus illorum & Patriarchis volumus intimari. Quod si quis post hanc legem, aliquem, qui eorum feralem fugerit sectam, & ad Dei cultum respexerit, saxis, aut alio furoris genere, quod nunc fieri cognovimus, ausus fuerit attentare, mox flammis dedendus est, & cum omnibus suis participibus concremandus. Siquis verò ex populo ad eorum nefariam sectam accesserit, & cõciliabulis eorum se applicuerit, cum ipsis pœnas meritas sustinebit. Data XV. Kal. Nov. Murgillo, Constantino Augusto quartùm, & Licinio quartùm Consulibus.*

Gelas. Pap. Conc. Rom. libro auth.

Constantinus M. Judæorum insolentiam gravibus edictis coercet.

X.

Quis igitur hoc tempore sentiat Matrem Helenam Judæorum sectæ adhærentem, ac Constantinum ad eandem provocare conatam esse, & patrocinium eorum suscepisse, quando ipsa in favorem Christiani nominis à filio nondum baptizato hanc adversus Judæos legem impetravit, decimo Imperii illius anno, quo & Synodus Judæorum Romana, memoratur celebrata. Paulinus supparis ævi gravis autor, ad Severum scribens, nos opinor non fallet, cùm dicit: *Mansit hoc seculi prioris nefas in tempora nostris proxima, Constantini; qui Princeps esse Principibus Christianis, non suâ magis, quàm Matris Helenæ fide meruit.* Cujus sententiæ Ambrosium egregium suffragatorem reperio, dum de beneficiis Helenæ in filium Constantinum unà cum Cruce & clavis Domini collatis memorat, *Helena multò amplius invenit, quod Imperatori conferret, quàm quod ab Imperatore acciperet,* quod falsum esset, si à filio converso fidem orthodoxam accepisset. Tertium iisdem, disertissimæ sententiæ testem, adjiciam Theodoretum; *Helena,* ait, *laus omnium piorum ore ac sermone prædicata est, & hoc eximium mundi luminare* (Constantinum Imp.) *peperit, & pietatis alimenta eidem suppeditavit.* Postremò Berengosus Abbas Trevirensis apud D. Maximinum incola, quod Monasterium à D. Helena excitatum olim, viris religiosis illuc ex Oriente, cum Agricio traductis, suam, ex archivis ejus loci, nobis promat sententiam. Is in erudito de inventione Crucis opere libro 1. cap. 1. sic loquitur. *Beata Helena Trevirorum quondam civitatis indigena, post gratiam baptismatis, operibus cœpit insudare pietatis, quia cum perfecta in fide, & perfectior in charitate, nobilis erat genere, sed*

Epist. 11.

D. Helena Constantinum ad religionem Christianã extimulavit.

Ambr. orat. Theodos. Imp.

Theod. lib. 1. c. 18.

Bereng. l. 1. de invent. Crucis cap. 1.

nobilior sanctitate... Unde ex semine Senatorum nobilium, nobilem quendam (Constantinum) *generavit filium... Sed licet* hic *secundùm dignitatem sæculi nobilis esset ex semine patris, nobilior tamen, in his quæ Dei sunt, erat ex progenie matris, dum post acceptam gratiam Dei viventis, nobilitati corporis nobilitatem prætulit mentis.*

XI. Helena dū Constantio jungeretur Christiana fuit.

Imò verò, quod cum Constantio Treviris jungeretur Catholica esset, ex ejusdem dissertatione manifestè satis deprehenditur. *Interna, inquit, pietatis, & externa pulchritudinis ita instructa est norma, ut & Deo placeret in animo, & Constantio in forma... Officiosa erat in obsequio viri, sed officiosior in obsequio Dei.* Quod magis etiam disertè libro tertio exponit, cum de Constantio ait: *postquam Gallias hinc & illinc ubiq; peragravit, tandem ad Trevericam urbem famosissimam declinavit, quæ tunc temporis eò divitiis & rebus erat opulentior, quò armis & militibus videbatur esse potentior. Licet enim fortis esset ex provinciis & civitatibus undiq; adjacentibus, divinâ tamen gratiâ fortior erat à credentibus. Maximè cùm per B. Eucharium ac socios ejus, ita sterilis esset idololatriâ, & fide fœcunda, quod non immeritò Roma vocabatur secunda. Interim autem dum Constantius Romanum imperium per Gallias ubiq; dilatavit, B. Helenam Virginem, pro nimia pulchritudine, quam habebat, amavit... Tandem amabile prosecutus desiderium, eam sibi sociavit in connubium... Ille adinstar speculi humani radius fuit imperii, in his quæ sunt sæculi: hæc autem radio fidei divinæ se imprimens legi, speculum erat imperii in his quæ sunt sæculi, & in his quæ Dei.* Quibus satis manifestè tradit Helenam Trevericam Virginem priusquam Constantio jungeretur orthodoxam fuisse. Accedit, quod non obscurè Eusebius aliique scriptores Constantium Catholicâ religione imbutum ex hac vita abiisse sentiant, quod utique beneficio Helenæ, post Theodoræ obitum, illi rursum ut ait Berengosus, connubiali thalamo sociatæ est assecutus, filiabus ex Theodora susceptis in eandem cum patre religionis sententiam concedentibus, quandoquidem Licinio Constantia jam ante Constantini conversionem fidei nostræ mysteriis initiata nupsit, ut à Baronio est observatum.

Lib. 3. c. 4.

Constantius suam cum fide salutem Helenæ debet.

XII. Baron. an. Chr. 315. Cur diu Constantinus filius ethnicus manserit?

Quod verò Constantinus tamdiu à Catholica fide alienus, licet ab orthodoxa parente genitus, manserit, non mirabitur, quisquis cognoverit, illum jam adolescentem, à Constantio, ex novercæ Theodoræ oculis, ad Diocletianum, ac subinde etiam Galerium Imperatorem, gravissimos Christianorum hostes, amandatum fuisse; ubi siquis rectæ mentis hæsisset affectus, erat dissimulandus. Vicisse certè Helenæ in Deum pietas, & pectus Constantii emollivisse videtur, quando ille à Diis variis argumentis aversus uni se Deo addixisse visus est. Ipsum hac in re Eusebium, ejusdem ætatis scriptorem, juverit auscultasse, qui postquam memorabile exemplum clementiæ Constantii in subditos deprædicasset, quos liberaliter, citra rigidam tributorum exactionem, habitos, præ se divites esse cupiebat, existimans opes subditorum, in necessitate sui etiam Principis esse: subjicit exemplum alterum, *quod perspicuè*, inquit, *testatur*, *quàm fuerit erga Divum Numen sincerus. Expulerant siquidem ubique terrarum pios, juxta edicta Imperatorum, hi qui inter gentes passim primores erant. Ex ipsis autem Imperatorum aulis prodibant, qui primi omnium Deo dilecti Martyres pietatis certamina subibant... Ita ut brevi tempore passim regia piis viris destituerentur... Solum verò Constantium sapiens quadam cogitatio subiit, qui & factum designavit, & auditu stupendum, & actu summoperè admirandum. Etenim cunctis quos in aula secum habebat, etiam reliquis, qui sub Præsidum erant potestate, propositâ optione hoc ænigmaticè constituit; ut aut iis, qui dæmonibus sacrificarent, apud se manere, ac consuetis honoribus potiri liceret, aut iis, qui hoc detrectarent, accessus ad se interclusus esset, pellerenturq;, & à consuetudine ac familiaritate sua alieni redderentur. Quo facto dividebantur in duas partes* (etiam fideles) *ita ut pars sacrificare vellent, pars nollent, atque hoc pacto deprehensum est, quo quisque esset animo præditus. Hic jam admirabilis Imperator, quod in sophismate latuerat, aperit, atque illorum qui sacrificare volebant, cùm metum, tum philautiam condemnat; horum verò, qui detrectabant, conscientiam erga Deum vehementer laudat. Deinde illos tanquam proditores Dei indignos esse decrevit, qui cum Imperatore essent. Etenim quomodo Imperatori fidem servarent hi, qui erga Deum deprehensi sunt perfidi?... Et hoc pacto totum Imperii tempus stabile & quietum, cùm filiis, tum uxori nactus, unà cum servorum obsequio domum universam uni Regi Deo consecravit, ita ut nihil defuerit, quin domestica multitudo in ipsa regia Ecclesia Dei fuerit. cui etiam aderant ministri Dei, qui continuò pro Imperatore supplicabant.* En quantum una mulier Treverica boni ad universalis Ecclesiæ bonum, fideique incrementum Christiano attulerit orbi, brevi non sine divini Numinis ope ac providentia filium eidem datura Ecclesiæ, per quem vera religio totius mundi oris vulgaretur. Quia hæc inprimis causa, quòd pater Constantius ante mortem ad Christum conversus esset, Constantinum inter anxia religionis consilia fluctuantem, ad unius Dei opem contra Maxentium tyrannum implorandam convertit, ut jam supra ex Eusebio vidimus.

Euseb. lib. 1 de vita Constant.

XIII. Constantii Imper. stratagema, quo aulam ab adulatoribus & Deo infidis purgavit.

XIV. D. Helenæ in Orientem profectio.

Nunc splendidam D. Helenæ legationem, quâ Orientē pro religionis Christianæ studio, in utroque orbis climate illustriùs propagādo, adiit, aliquantò parcius à Browero descriptam, pressiùs Annalibus nostris prosequamur. Etenim in tam illustri conatu Trevirorum heroinam illius historiæ scriptorem deserere nefas existimem. Illa enim postquam semel religionis divinæ zelo inflammata, illius longè lateque propagandæ amore succenderetur, conatibus ipsius Imperatore omni ope patrocinioque favente, non contenta plagis Occidentalibus, ad Orientales sese etiam oras, Christi natalibus ac morte illustratas, effundere gestiit. quare ut verbis Paulini utar, *divino inspirata consilio, cùm Hierosolymam agnosceret nomine, filium rogabat, ut sibi facultatem daret, cuncta illa loca, Dominicis impressa vestigiis, & divinorum erga nos operum signata monumentis, purgare.* Hoc primum

Paulin. Ep. 11.

consilium,

consilium, ut loca illic à Domino vivente, moriente, ac resurgente, consecrata, idololatricis superstitionibus profanata, profligato idolorum cultu, dignâ veneratione honoraret; tum verò, S. Cruci, cui suam potissimùm filius deberet salutem, investigandæ, aliisque Christi & Passionis monumentis, ad Servatoris nostri memoriam, illustrandis sese impenderet. Jucundum est hac de re audire differentem in funere Theodosii Ambrosium: quam orationem cùm frustra oppressam vellent hæretici leviculis Erasmi conjecturis, in suspicionem non verentur adducere, ne suus Cruci jam in prima Ecclesia honor impensus constet. Sic igitur disserit: *Helena Mater Constantini anxia pro filio, cui regnum orbis Romani cesserat, festinavit Hierosolymam, & scrutata est locum Dominicæ passionis. Venit ergo, cœpit revisere loca sancta. Infudit ei spiritus, ut lignum Crucis requireret. Accessit ad Golgotham: ait: Ecce locus pugnæ ubi est victoria? Quæro vexillum salutis, & non invenio. Ego, inquit, in regiis, & Crux Domini in pulvere. Ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus?... Ego ad remedium peccatorum divinum è ruinis elevabo vexillum. Aperit itaque humum, decutit pulverem: tria patibula confusa reperit, quæ ruina contexerant, inimicus absconderat; sed non potuit obliterari Christi triumphus... Invenit, quod in medio patibulo prælatus titulus erat, IESUS NAZARENUS REX IUDÆORUM. Hinc collecta est series veritatis, titulo patuit Crux salutaris.* At Socrates gentilium dolo consuetam eo loci veterum Christianorum religionem extinctam memorat; siquidem illi rerum potiti delubrum Veneris ibidem excitârunt. Cui Sozomenus his verbis consentit: *Sternunt*, ait, *gentiles locum lapidibus, deinde fanum Veneris superexstruunt, postremò simulacrum in eo statuunt: ad eum sanè finem, ut & qui Christum in eo loco adorarent, Venerem viderentur colere, & temporis diuturnitate vera causa, cur homines eum locum venerarentur, veniret in oblivionem.* En diaboli artificium, ne inimicum sibi signum orbis Christianus possideret.

XV. Crucis Dominicæ investigatio.

Socr. lib. 1. c. 13.

Sozom. lib. 2. c. 1.

Dolus gentilium ad Crucem occultandam.

XVI. Ruffin. lib. 1. cap. 7. & 8.

Crucis Dominicæ inventio, & ab aliis miraculosa distinctio.

Sed, ut verbis Ruffini loquar, *cùm Helena religiosa femina properâsset ad locum cælesti sibi indicio designatum, cuncta ex eo profana, & polluta deturbans in altum, purgatis ruderibus, tres confuso ordine reperit cruces. Sed obturbabat reperti muneris lætitiam, uniuscujusque crucis indiscreta proprietas. Aderat quidem & titulus ille, qui Græcis, & Latinis, & Hebraicis literis à Pilato fuerat conscriptus: sed nec ipse satis evidenter Dominici prodebat signa patibuli. Hîc jam humanæ ambiguitatis incerta divinum flagitat testimonium. Accidit in eadem urbe, primariam quandam loci illius feminam, gravi ægritudine confectam, semineciem jacere. Macarius per idem tempus Ecclesiæ illius Episcopus erat. Is ubi cunctantem Reginam, atque omnes pariter, qui aderant, videt: Afferte, inquit, huc totas, quæ repertæ sunt cruces, & quæ sit, quæ portaverit Dominum, nunc nobis adaperiat Dominus. Et ingressus cum Regina pariter & populis... adhibuit primò unam ex tribus, & nihil profecit: adhibuit secundam, nec sic quidem aliquid actum est: ut verò admovit tertiam, repentè apertis oculis mulier consurrexit, & stabilitate virium receptâ, alacrior multò, quàm cùm sana fuerat, totâ domo discurrere, & magnificare Domini potentiam cœpit. Sic evidenti indicio Regina voti compos effecta, templum mirificum in eo loco, in quo crucem repererat, regiâ ambitione construxit. Clavos quoque, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, portat ad filium. Ex quibus ille frenos composuit, quibus uteretur ad bellum. Et ex aliis galeam, nihilò minùs belli usibus aptam, fertur armâsse. Ligni verò ipsius salutaris partem detulit filio; partem verò thecis argenteis conditam dereliquit in loco; quæ etiam nunc ad memoriam sollicitâ veneratione servatur.* Hactenus Ruffinus, quibus Theodoretus pari sententiâ, & Ambrosius illo, quo supra memoravimus loco, suffragatores accedunt. Et ille quidem memorat D. Helenam literas à Constantino Imper. ad Episcopum Hierosolymorum Macarium attulisse, quibus ei magnificentissimæ Basilicæ eo loci suscitandæ curam, sumptibus in eam rem designatis, commendavit.

Theodoret. l. cap. 18.

XVII. Baron. ad an. Christi 326.

Sed diversa ab Helena filioque ejus Constantino templa Baronius ex Eusebio, Hieronymo, Paulino, Severo, Cyrillo, ac Chrysostomo memorat excitata. Ut Christi ad cœlum ascendentis in monte olivarum; ubi impressa terræ Domini vestigia, nulla temporum hominúmque obtrita injuria, ut minimè deleri ita nec pavimento obtegi potuère, quin & ipsa, quâ in altum conscendit via, nullis hactenus fornicibus claudi potuit; sed patenti cœlum affulgens aditu contuendum reliquit. *Stat*, inquit Cyrillus, *ad hodiernum usque diem mons olivarum, qui ascendentem in nube oculis fidelium modo commonstrat, & portam qua ascendit in cœlum indicat.* Templum quoque inferius excitavit in ipso montis antro, ubi Apostoli & Discipuli à Christo arcanis mysteriis initiati fuerunt. Tertia Basilica ad Domini præsepe structa, raro pretiosoque opere auri argentíque metallo exornata tectáque fuit. Præter quas Eusebius aliam in memoriam Christi patientis, aliam in sanctissimæ Crucis honorem, tertiam in loco sepulturæ Dominicæ Ecclesiam refert ædificatam.

Christi ascendentis in monte Olivarum vestigia.

Cyril. Cat. 14.

XVIII. D. Helenæ in afflictos liberalitas.

Porrò dum Constantinus bello occupatus *Sarmatas, Gothos, aliasq; barbaras nationes armis edomuit*, ut Ruffinus tradit, Mater fisco Imperatorio ad omnem liberè pietatis usum freta, &, ut habet Eusebius, *regiarum opum magnificentiâ instructa, omnem Orientem peragrat, cum universo populo quasq; civitates incolenti, tum simul, tum privatim singulis eorum, qui ad ipsam accedebant, infinita munera largita est, infinita etiam ordinibus militaribus, quasi plena manu distribuit. Quæ verò pauperibus omnibus rebus nudatis omniq; ope & auxilio destitutis dispertierit, vix enumerari possunt. Quippe in alios grandem vim pecuniarum conferre; aliis corporis tegumenta prolixè & largiter suppeditare; vinculis eripere alios; alios tum laboribus in metallis effodiendis afflictatos, tum fraude & injuriâ oppressos liberare: deniq; ab exilio alios in patriam revocare dignata est.* Jam verò quantâ demissione Regina eadem aliis Deo consecratis personis inservierit, Theodoretus nobis Ruffinúsque supra citati exponunt. *Reliquit enim Hierosolymis,*

 verbis

Ruffin. l. 1. c. 8.

Erga Virgines religiosas obsequium.

verbis illorum loquor, *hoc religiosi animi indicium Regina venerabilis. Virgines quas ibi reperit Deo sacratas* (adverte lector id jam temporis floruisse cœnobia) *invitasse ad prandium, & tanta eas devotione curasse dicitur, ut indignum crederet si famularum uterentur officiis. Sed ipsa manibus suis famula habitu succincta, cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet, & Regina orbis, ac mater Imperii famularum Christi se famulam deputaret.* Tam piæ matris ingenium non degenere filius Imperator sequebatur, de quo Eusebius ita loquitur: *Maximis autem eos honoribus prosequebatur, qui vitam suam cælesti Philosophiæ dedicassent. Sanctissimum ergo perpetuarum Virginum cœtum constanter colebat, quod in earum mentibus Deum ipsum, cui se consecrarant inhabitare crederet.*

Euseb. lib. 4. c. 28.

Erga religiosos veneratio.

XIX.

Nec in hisce se terris zelus Helenæ concludi passus est, non quidem in Indias sese ad transportanda inde trium Regum corpora (ut apud Capgravium ignoto scriptori cominisci lubuit) sese transfundens, cùm res adeò notabilis Eusebium cæterósque Græcorum scriptores fugere non potuerit, silere omnes non sit credendum; sed in Bithyniam ad S. Luciani Martyris, recenti memoria & gestorum miraculis celeberrimi, sepulchrum honorandum properavit. Cùm vulgari etiamnum clauderetur tumulo, postquam Delphinos in mari vectores nactus, deficiente humano obsequio, in littus depositus fuisset. Unde non tantùm sumptuosam viro Dei Basilicam, verùm & urbem Drepanum ædificiis cultam, mœnibusque validioribus cinctam, frequenti colono ex vicinia traducto nobilitavit, quàm deinde ex Matris nomine Helenopolim Constantinus voluit appellari. Unde fama de Helena illic nata ad posteros emanavit.

Erga Sanctos eorúmque reliquias honor.

Hinc porrò sacris Christi Sanctorumque locupletata reliquiis cum Agricio Patriarchali in Oriente sedi designato, ad occiduæ sedis Archiepiscopalem dignitatem illi Treviris committendam, in Italiam deflexit, ubi tamen valetudinis causâ subsistere coacta, sanctum Præsulem cum pretiosis reliquiarum cimeliis, quarum supra in diplomate Silvestrino memoria est, quamprimùm transmisit, Ecclesiamque ex imperialibus illic bonis locupletandi plenam facultatem indulsit. Mirum est, quot una mulier per Gallias, Belgicámque utramque, ac Germaniam inferiorem, Britanniamque, Ecclesias in Dei Divorumque honorem, exquisito atque in hunc diem usque locis multis perdurante opere excitarit. In nostris hisce oris etiamnum visuntur Treviris, Sinzichii ad Rheni & Aræ confluentes, Bonnæ, Coloniæ Ubiorum, ac Sanctis, eáque nobilissima, cum forma, tum opere templa, quæ primam religionis majestatem testantur. Constantinus, quâ erat in Matrem pietate, nihil quod in suis possideret opibus, nihil, quod Imperii autoritate impetrare posset, denegabat. Ubi verò Matrem jam octogenariam inclinante ætate deficere intelligeret, abesse non sustinuit; sed Oriente relicto, adsistere morituræ, atque extrema discedentis verba spiritumque excipere voluit. Eusebii hæc verbis juverit intellexisse. *Demum*, inquit, *cùm naturam*

Ecclesiæ plurimæ toto orbe ab illa excitatæ.

Euseb. lib. 3. c. 45.

satietate vivendi explevisset Helena, & ad meliorem statum evocaretur, octogesimumq. ferè ætatis suæ annum confecisset, & ad extremum vitæ exitum propè venisset, decrevit secum, statuitq. coram Imperatore filio suo, unico Principe mundi potentissimo, hujusq. liberis Cæsaribus, nepotibus suis, testamentum suum facere & sigillatim nepotibus suis, quæ sibi in toto orbe terrarum supreterent, facultates dispertire. Quibus rebus ad hunc modum cõstitutis filio suo tanto tamq. eximio Imperatore, ei præsto assistente, sedulò inserviente, & manus illius tenente, finem ita vivendi fecit, ut beatissima quidem jure optimo, non mori prudentibus videretur, sed vitam caducam & fragilem cum cælesti & æterna, & verâ commutare. Quæ Theodoretus paucis complexus: *ubi* inquit *filio, de pia vivendi ratione plurima præceperat, & eum benedictionibus, quæ ab exeuntibus è vita dari solent, munierat, hinc ad alteram vitam demigravit.* A cujus morte licet Silvester Pontifex abesset, non tamen defuere ab illo submissi: *Quanquam*, inquit Eusebius, *urbis illius, penes quam imperium est, Episcopus ingravescẽte ætate præpeditus abfuit, ejus tamen presbyteri, qui aderant locum suppleverunt.* Ita defuncta piissimè, atque à filio honorificentissimè inter duas lauros porphyretico sepulchro condita quievit, de qua Martyrologium Gallicanum ad diem Augusti decimam octavam sic habet: *Pietatis ergo profecta Hierosolymam, Crucem Domini cum clavis mirabiliter invenit, loca sacra superstitionum spurcitiis ethnicarum judaicarumq. expurgavit, ædificiis splendidis instruxit, donariis exornavit. Romæ Crucis Basilicam deinde condidit, quam salutiferæ Crucis parte insignivit: in Galliæ decoramentum etiam religiosè propensa Aureliis Principem ædem construxit, in Christi Crucifixi venerationem. Cujus & tunicam inconsutilem Treviros pro cultu observandam misit, cum plerisque aliis humanæ redemptionis monumentis.* Ex quibus unus è clavis, & pars coronæ spineæ, cujus, in opposito schemate, unicam in suo virgulto spinam justâ magnitudine exhibeo, quemadmodum & clavus illi, quàm habet formæ ac longitudini commẽsus est: ut si præsens nequeas, saltem oculis in figura admireris.

XX.

Romæ in præsentia Constantini piissimè defuncta.

Theodor. lib. 1. c. 18.

Lib. 3. c. 7.

XXI. Breve elogium D. Helenæ.

Togã Christi inconsutilem & Clavum Treviros transtulit.

XXII.

Verùm quæres, quid illa particula clavi ex Tullensi Ecclesia huic apposita schemati designet? Rem posteritatis memoria dignissimam quam ante sexennium peculiari scripto de clavo Domini complexus est vir doctissimus, Andreas du Saussay Ecclesiæ Tullensis Episcopus, hic paucis mihi quoque est percensenda.

Refert ille ex gestis S. Gerardi Episcopi Tullensis, & ejusdem Ecclesiæ tabulis, illa quæ subjicio. *Cùm*, inquit, *Beatus Gerardus divini cultus amplificandi studiosissimus Cathedralem suam Ecclesiam* (verba recito autoris ex lectione Ecclesiæ desumpta) *à fundamentis ampliore spatio & splendidiore ornatu exædificandam curasset, ingruente jam Dedicationis tempore, ad Theodoricum Metensem Episcopum, ac Brunonem Trevirensium Archipræsulem profectus memoratur, ut eos ad tam pium consecrãda Ecclesia à se exstructa officium invitaret. Cùm itaque ob quædam gravioris momenti negotia, quibus tunc temporis distinebantur, iter*

Clavi Dominici particula mirabiliter Tullensibus cõmunicata.

illud



illud suscipere non possent, summis ab utroq; precibus efflagitavit, ut aliquâ saltem sacrarum reliquiarum portione, quæ illis abundantiùs suppetebant, novam illam suam Ecclesiam donare ornareq; dignarentur. Itaq; factum est ad B. Gerardi preces, ut à Theodorico partem silicis sanguine Protomartyris Stephani, & quasi madentis, à Brunone autem corpus S. Aproniæ reciperet, Claviq; Dominici, qui Treviros asservatur portionem, in hunc qui sequitur modum. Cùm illum B. Gerardus, defluente ab ejus oculis largo lacrymarum imbre, sacris manibus attrectaret, contigit ut dum in Clavi cuspide digito quasi semitam ducit, atque tantillum sibi concedi rogat, magnâ omnium admiratione dicto citiùs, ea Clavi pars, quâ pius Pastor digitum duxerat, velut graviori quodam mallei ictu tacta, suopte nutu abscinderetur; sicq; B. Pontifex Gerardus voti compos factus, domum repetens sacris illis pignoribus nobilitatam Ecclesiam suam honorificentissimè consecravit. Atque ex eo tempore magni populi frequentatione & frequentiâ apud Tullenses festũ illud celebrari cœpit.

XXIII. Hæc postquam ex Lectionario, ut ait, Tullensi recitasset, subjicit, ex observatione propria, S. Gerardum B. Gauzelino in Episcopatu Tullensi successisse, anno Christi 993. ac subinde novam Ecclesiæ fabricam, anno circiter millesimo salutis nostræ, absolvisse, quo tempore Brunonem Archiepiscopum Treviri cùm nullum censeant, illum utique ad catalogum hunc probè conficiendum, Theodoricum inter & Egbertum, quorum ille anno discesserit 970, hic 989. collocandum esse. Quo pacto veræ omnia historiæ ac Chronologiæ consona fore pronuntiat.

Sed pace tanti viri & Tullensium dixerim, hanc non minùs historiam, quàm Chronologiæ rationem suis adjunctis fallere, nec solidâ niti veritate. Nam ex ipsis se in primis verbis destruit. Si enim B. Gerardus Gauzelino successit anno Christi 993. Ecclesiæque structurâ anno 1000. absoluta, cum Brunone Præsule Treverico de reliquiis impetrandis egit; id quemadmodum fieri potuerit non assequor; cùm Brunonem ante Egbertum, adeóque ante duodecim & amplius annos defunctum esse concedat. Si enim Egbertus anno 989. obiit, jam ante ipsius prædecessorem Trevericum Brunonem obiisse necesse est. Deinde falsum est Theodoricum Archipræsulem Trevirorum annò Christi 970 vitâ functum; cùm quinto post anno etiamnum superstes, à Bonifacio Pontifice recèns inaugurato vicarius Papæ Apostolicus per Galliam Germaniámque universam vulgato diplomate pronuntiatus sit

Lectionarium Tullense in hac historia corrigendum est.

Indictio-

verbis illorum loquor, *hoc religiosi animi indicium Regina venerabilis. Virgines quas ibi reperit Deo sacratas* (adverte lector id jam temporis floruisse cœnobia) *invitasse ad prandium, & tanta eas devotione curasse dicitur, ut indignum crederet si famularum uterentur officiis. Sed ipsa manibus suis famulæ habitu succincta, cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet, & Regina orbis, ac mater Imperii famularum Christi se famulam deputaret.* Tam piæ matris ingenium non degener filius Imperator sequebatur, de quo Eusebius ita loquitur: *Maximis autem eos honoribus prosequebatur, qui vitam suam cælesti Philosophiæ dedicassent. Sanctissimum ergo perpetuarum Virginum cætum constanter colebat, quod in earum mentibus Deum ipsum, cui se consecrarant inhabitare crederet.*

Ruffin. l. 1. c. 8.

Erga Virgines religiosas obsequium.

Euseb. lib. 4. c. 28.

Erga religiosos veneratio.

XIX.

Nec in hisce se terris zelus Helenæ concludi passus est, non quidem in Indias sese ad transportanda inde trium Regum corpora (ut apud Capgravium ignoto scriptori cõminisci lubuit) sese transfundens, cùm res adeò notabilis Eusebium cæterósque Græcorum scriptores fugere non potuerit, silere omnes non sit credendum; sed in Bithyniam ad S. Luciani Martyris, recenti memoria & gestorum miraculis celeberrimi, sepulchrum honorandum properavit. Cùm vulgari etiamnum clauderetur tumulo, postquam Delphinos in mari vectores nactus, deficiente humano obsequio, in littus depositus fuisset. Unde non tantùm sumptuosam viro Dei Basilicam, verùm & urbem Drepanum ædificiis cultam, mœnibusque validioribus cinctam, frequenti colono ex vicinia traducto nobilitavit, quàm deinde ex Matris nomine Helenopolim Constantinus voluit appellari. Unde fama de Helena illic nata ad posteros emanavit.

Hinc porrò sacris Christi Sanctorumque locupletata reliquiis cum Agricio Patriarchali in Oriente sedi designato, ad occiduæ sedis Archiepiscopalem dignitatem illi Treviris committendam, in Italiam deflexit, ubi tamen valetudinis causâ subsistere coacta, sanctum Præsulem cum pretiosis reliquiarum cimeliis, quarum supra in diplomate Silvestrino memoria est, quamprimùm transmisit, Ecclesiamque ex imperialibus illic bonis locupletandi plenam facultatem indulsit. Mirum est, quot una mulier per Gallias, Belgicámque utramque, ac Germaniam inferiorem, Britanniamque, Ecclesias in Dei Divorumque honorem, exquisito atque in hunc diem usque locis multis perdurante opere excitarit. In nostris hisce oris etiamnum visuntur Treviris, Sinzichii ad Rheni & Aræ confluentes, Bonnæ, Coloniæ Ubiorum, ac Sanctis, eáque nobilissima, cum forma, tum opere templa, quæ primam religionis majestatem testantur. Constantinus, quâ erat in Matrem pietate, nihil quod in suis possideret opibus, nihil, quod Imperii autoritate impetrare posset, denegabat. Ubi verò Matrem jam octogenariam inclinante ætate deficere intelligeret, abesse non sustinuit; sed Oriente relicto, adsistere morituræ, atque extrema discedentis verba spiritumque excipere voluit. Eusebii hæc verbis juverit intellexisse. *Demum*, inquit, *cùm naturam satietate vivendi explevisset Helena, & ad meliorem statum evocaretur, octogesimumque ferè ætatis suæ annum confecisset, & ad extremum vitæ exitum propè venisset, decrevit secum, statuitque, coram Imperatore filio suo, unico Principe mundi potentissimo, hujusque liberis Cæsaribus, nepotibus suis, testamentum suum facere, & sigillatim nepotibus suis, quæ sibi in toto orbe terrarum suppeterent, facultates dispertire. Quibus rebus ad hunc modum cõstitutis filio suo tanto tamque eximio Imperatore, ei præsto assistente, sedulò inserviente, & manus illius tenente, finem ita vivendi fecit, ut beatissima quidem jure optimo, non mori prudentibus videretur, sed vitam caducam & fragilem cum cælesti & æterna, & verâ commutare.* Quæ Theodoretus paucis complexus: *ubi* inquit *filio, de pia vivendi ratione plurima præceperat, & eum benedictionibus, quæ ab exeuntibus è vita dari solent, munierat, hinc ad alteram vitam demigravit.* A cujus morte licet Silvester Pontifex abesset, non tamen defuere ab illo submissi: *Quanquam*, inquit Eusebius, *urbis illius, penes quam imperium est, Episcopus ingravescẽte ætate præpeditus absfuit, ejus tamen presbyteri, qui aderant locum suppleverunt.* Ita defuncta piissimè, atque à filio honorificentissimè inter duas lauros porphyretico sepulchro condita quievit, de qua Martyrologium Gallicanum ad diem Augusti decimam octavam sic habet: *Pietatis ergo profecta Hierosolymam, Crucem Domini cum clavis mirabiliter invenit, loca sacra superstitionum spurcitiis ethnicarum judaicarumque expurgavit, ædificiis splendidis instruxit, donariis exornavit. Romæ Crucis Basilicam deinde condidit, quam salutifera Crucis parte insignivit: in Gallia decoramentum etiam religiosè propensa Aureliis Principem ædem construxit, in Christi Crucifixi venerationem. Cujus & tunicam inconsutilem Treviros pro cultu observandam misit, cum plerisque aliis humanæ redemptionis monumentis.* Ex quibus unus è clavis, & pars coronæ spineæ, cujus, in opposito schemate, unicam in suo virgulto spinam justâ magnitudine exhibeo, quemadmodum & clavus illi, quàm habet formæ ac longitudini commẽsus est: ut si præsens nequeas, saltem oculis in figura admireris.

Euseb. lib. 3. c. 45.

XX.

Romæ in præsentia Constantini piissimè defuncta.

Theodor. lib. 1. c. 18.

Lib. 3. c. 7.

XXI.

Breve elogium D. Helenæ.

Togã Christi inconsutilem & Clavum Treviros transtulit.

XXII.

Verùm quæres, quid illa particula clavi ex Tullensi Ecclesia huic apposita schemati designet? Rem posteritatis memoria dignissimam quam ante sexennium peculiari scripto de clavo Domini complexus est vir doctissimus, Andreas du Saussay Ecclesiæ Tullensis Episcopus, hic paucis mihi quoque est percensenda.

Refert ille ex gestis S. Gerardi Episcopi Tullensis, & ejusdem Ecclesiæ tabulis, illa quæ subjicio. *Cùm*, inquit, *Beatus Gerardus divini cultus amplificandi studiosissimus Cathedralem suam Ecclesiam* (verba recito autoris ex lectione Ecclesiæ desumpta) *à fundamentis ampliore spatio, & splendidiore ornatu exædificandam curasset, ingruente jam Dedicationis tempore, ad Theodoricum Metensem Episcopum, ac Brunonem Trevirensium Archipræsulem profectus memoratur, ut eos ad tam pium consecrãda Ecclesiâ à se exstructa officium invitaret. Cùm itaque ob quædam gravioris momenti negotia, quibus tunc temporis distinebantur, iter*

Ecclesiæ plurimæ toto orbe ab illa excitatæ.

Erga Sanctos eorúmque reliquias honor.

Clavi Dominici particula mirabiliter Tullensibus cõmunicata.

illud



illud suscipere non possent, summis ab utroq. precibus efflagitavit, ut aliquâ saltem sacrarum reliquiarum portione, quæ illis abundantiùs suppetebant, novam illam suam Ecclesiam donare ornareq. dignarentur. Itaq. factum est ad B. Gerardi preces, ut à Theodorico partem silicis sanguine Protomartyris Stephani, & quasi madentis, à Brunone autem corpus S. Aproniæ reciperet, Claviq. Dominici. qui Treviros asservatur portionem, in hunc qui sequitur modum. Cùm illum B. Gerardus, defluente ab ejus oculis largò lacrymarum imbre, sacris manibus attrectaret, contigit ut dum in Clavi cuspide digito quasi semitam ducit, atque tantillum sibi concedi rogat, magnâ omnium admiratione dicto citiùs, ea Clavi pars, quâ pius Pastor digitum duxerat, velut graviori quodam mallei ictu tacta, suopte nutu abscinderetur; sicq. B. Pontifex Gerardus voti compos factus, domum repetens sacris illis pignoribus nobilitatam Ecclesiam suam honorificentissimè consecravit. Atque ex eo tempore magni populi frequentatione & frequentiâ apud Tullenses festū illud celebrari cœpit.

XXIII.

Hæc postquam ex Lectionario, ut ait, Tullensi recitasset, subjicit, ex observatione propria, S. Gerardum B. Gauzelino in Episcopatu Tullensi successisse, anno Christi 993. ac subinde novam Ecclesiæ fabricam, anno circiter millesimo salutis nostræ, absolvisse, quo tempore Brunonem Archiepiscopum Treviri cùm nullum censeant, illum utique ad catalogum hunc probè conficiendum, Theodoricum inter & Egbertum, quorum ille anno discesserit 970, hic 989. collocandum esse. Quo pacto veræ omnia historiæ ac Chronologiæ consona fore pronuntiat.

Sed pace tanti viri & Tullensium dixerim, hanc non minùs historiam, quàm Chronologiæ rationem suis adjunctis fallere, nec solidâ niti veritate. Nam ex ipsis se in primis verbis destruit. Si enim B. Gerardus Gauzelino successit anno Christi 993. Ecclesiæque structurâ anno 1000. absoluta, cum Brunone Præsule Treverico de reliquiis impetrandis egit; id quemadmodum fieri potuerit non assequor; cùm Brunonem ante Egbertum, adeóque ante duodecim & amplius annos defunctum esse concedat. Si enim Egbertus anno 989. obiit, jam ante ipsius prædecessorem Trevericum Brunonem obiisse necesse est. Deinde falsum est Theodoricum Archipræsulem Trevirorum annó Christi 970 vitâ functum; cùm quinto post anno etiamnum superstes, à Bonifacio Pontifice recèns inaugurato vicarius Papæ Apostolicus per Galliam Germaniámque universam vulgato diplomate pronuntiatus sit

Lectionarium Tullense in hac historia corrigendum est.

Indictio-

Indictione tertia, Ottone VIII. jam anno imperante. Quod suo tempore exhibemus. Falsum etiam anno 959. *Egbertum*, ut Saussayus inquit, *decessisse*; cùm is anno 993. ab Ottone Imperatore diploma obtinuerit, quo subtracta Trevericis Archiepiscopis Abbatia Trajectensis ad Mosam restituitur, quàm suo rursum loco offeremus legendam, denique agnoscit Saussayus ipse, *corpus S. Apronia*, verba repeto, *non à Brunone Archiepiscopo Trev. sed à Brunone Archiep. Coloniensi* (*ut in MS Codice expressum*) *pretio vel precibus adeptum esse, qui ab Angesito Episcopo Trecensi Corpus S. Apronia, qua ortu Trecensis erat, impetraverat*: quod quàm verosimile sit, ignorare non potest, qui intellexerit S. Gerardum origine Ubium à S. Brunone Agrippinensi ad Metensem Cathedram evectum, æternâ illius amicitiâ, ob virtutem, fruitum fuisse. Ut mirum sit, quomodo Saussayus hoc errore agnito non potius statuerit Ecclesiæ Tullensis lectiones, suamque chronologiam, quam nostrorum ordinem Archiepiscoporum immutandam. Illud enim omninò necesse est, nisi totam historiæ substantiam eversum eant.

XXIV. Veritas rei [illegible] Equidem rem totam non immeritò suspectam haberem, si non inspecto ipse coram clavo deprehendissem planè hebetem, & ad ligna transfigenda ineptum, nisi aliis acumine præmunitus fuisset, tum verò etiamnum vestigia rupturæ observassem. Cui notæ cùm accedat Tullensis Ecclesiæ traditio, & singularis ad posteros usque traducta pietas ac devotio, non possum tantum illis Dominicæ passionis pignus mea sententia abjudicare. Fruantur sanè ad inflammandum amorem honoremque erga Christum patientem. Verùm tamen errorem ex nominum temporumque confusione in Lectionarium Tullense transfusum, meo consilio, religionis stabiliendæ gratiâ, expungant.

Originem erroris illius, quantum assequi sum visus aperiam, ut tantò certiùs corrigatur. Eodem Christi anno 965, qui Brunoni Archiepiscopo Coloniensi fuit vitæ ultimus, duo Theodorici, alter Ottonis Imper. consobrinus alter Magontinensis Ecclesiæ Præpositus & Treverica Diaconus, ille Metensi, hic Trevirensi Infulæ jussu fuit suffragiis destinatus uterque laudis & exspectationis eximiæ. Ante hos jam Tullensi Ecclesiæ Præpositus Gerardus fuit annis aliquot, quos certo calculo definire non possum. Ego sex septemve, quos illi pro excitanda cathedrali Ecclesia Saussayus tribuit, non abnuo; atque hinc concludo, Gerardum à Brunone Coloniensium Archiepiscopo, ut vita utriusque viri sancti habet, ad Tullensem sedem provectum esse circa annum Christi 960. quem eidem annum ex Metensium Annalibus à Browero in MS. reperio assignatum, sexennioque in majoris Basilicæ S. Stephano consecratæ structura positum, cujus vestigia sanguinis, in cruentis lapidibus relicti atque à D. Helena Hierosolymis asportati, beneficio Theodorici Metensis aut Trevirensis acceperat. Quæ, ut Romanis in monte Cælio ob portionem sanguinis, uti Miræus refert, ab Helena acceptam; ita Gerardo Tullis sub hoc titulo excitandæ Ecclesiæ præcipua visa est causa fuisse. Et hæc Chronologia cùm variis argumentis in nostris firmetur Annalibus, ad hos lectorem remittimus. Manifestum sanè est, in eandem Gerardi communionem, non alium aliquem è Trevericis Archiepiscopis Brunonem, sed Theodoricum eodem tēpore præsidētem accersitum esse, à quo particula illa Clavi Domini sit impetrata.

XXV. Unde Clavi Dominici apud Treviros fama [illegible] Et verò res ita habuisse hoc tempore credi potest, ut Gerardus, qui erat erga Divorum reliquias pietate, singulari erga Clavum Domini amore succensus sit, cùm recentis miraculi celebritate, quo clavus ille insidiis Brunonis Ubiorum Archiepiscopi, transferendus à Treviris, manante ubertim sanguine, & se, & furorem prodiderat, magnopere inclaruisset; ut quàmplurimi illius solùm videndi cupiditate exardescerent, cui geminum illud est, quod Browerus anno 1027. sub Poppone, & Saussayus de eodem Clavo hoc loco refert. Quare, ut correctior sit lectio Tullensis Ecclesiæ, de Gerardo dicendum erit, quod *ad Theodoricum Episcopum Metensium alterumq. Trevirensium & Brunonem Coloniensium Archipræsulem, profectus memoretur*, pro impetrandis reliquiis, idque anno Christi 965. factum oportuit: cùm idem & Brunoni ultimus in dignitate fuerit & Theodorico utrique primus, nisi fortè malis pro Brunone Theodoricum Trevirensem substituere, præsertim cùm illud de reliquiis S. Aproniæ à Brunone acceptis vacillet. Legitur enim in vita S. Gerardi à Wierico Abbate scripta, Notis D. Joannis Miclotii Vicarii generalis Tullensis adhibitis, quod ipse cum S. Apri lipsanis S. quoque Aproniæ sororis corpus repererit, divumque Martyrem Elisium sarcophago exemptum publicæ exposuerit venerationi, ac deinde partem sacrorum ossium potissimam Brunoni Coloniam transmiserit, quod quemadmodum cum lectionibus ejus Ecclesiæ ac D. Saussay interpretatione conciliari possit, nondum intelligo. Malo tamen in re ancipiti illius Ecclesiæ opinioni suffragari, atque ex illa Wiericum emendari, quàm publicæ autoritati adversus privatam deesse, aut datas acceptásve invicem reliquias asserere. Sed hæc paucis ad fragmentum Clavi Dominici Tullensibus asserendum, de S. enim Gerardo alibi in Metropoli prolixior sese dabit occasio differendi, ubi de Tullensibus, hujus Metropoli succenturiatis, erit agendum.

III. ANNOTATIO
ad Annum Christi 407.

De Barbarorum in Treviros Galliamq. totam excursionibus, Stiliconis perfidiâ, Constantini perduellis tyrannide, & sede Romani Imperii Treviris Arelate translatâ.

IAM quinto Romani Imperatores sæculo Galliis supremâ potestate dominabantur, & sedem quidem occidentalis hujus Imperii Treviris sæculis circiter duobus collocarunt. Primis quidem Posthumi Tyranni, sub Vale-

riano

I. Sedes Romani in Galliis Imperii quando, & quâ de causâ Treviris collocata.

riano & Gallieno imperantis auspiciis, deinde Constantio illic Chloro Constantinoque Imperatoribus augustalem domum firmantibus, quòd nulla Rom. imperio sedes adversus barbararum gentium frequentes in Galliam Hispaniamque irruptiones, quàm hæc Trevirorum urbis, inter Mosellam Rhenumque fluvios, opportunior videretur. Sive enim defensionem Romanorum militum spectares, nullo tutiùs ad Rhenum loco quàm inter gemina hæc flumina, tanquam fossis aquarum, vallisque altissimorum montium muniti subsistebant, ex propinquo suas per Rhenum legiones & præsidia distributuri: sive oppugnationem Germanorum aliorumque trans Rhenum infensarum sibi nationum molirentur: utriusque jam fluminis possessionem nacti, magnum ad victoriam emolumentum occupabant. Quocirca & Julius Cæsar quinquaginta ante Christum annis his oris potitus, nihil majori opere gloriâque, & momento ad harum terrarum inviolatam possessionem executus est, quàm, ut Treviris in potestatem redactis, Mosellam sibi Rhenumque vendicaret, quibus obtentis, res Romanorum inconcussa diu his regionibus per annos 456. stetit, donec sub Honorio demum Imperatore languens jam dudum Romana virtus, fluctuansque his oris Imperium, partim Cæsaris ignaviâ, partim Stiliconis Ducis proditione, à Wandalis primùm, ac deinde Francis est occupatum.

II. Stilico natione Wandalus Dux Theodosii & filiorum tutor, Germanos Gallosque ad obsequiũ Rom. revocavit.

Fuit, ut loquitur Orosius, *Comes Stilico Wandalorum imbellis, avara, perfida, & dolosa gentis genere editus*, cujus Pater sub Valente militaverat, ipse educatus natusque ad militiæ artes, exercitui Imperatorio à Theodosio præfectus; utque fidem militaribus virtutibus, in barbaris jure suspectam, adderet, Serena illi Theodosii ex fratre neptis in thalamum data est; ac deinde post superatum cum Arbogaste Gallo Eugenium Tyrannum Treviris atque in Galliis dominantem, Honorii & Arcadii filiorum tutor à Theodosio moriente designatus est. Unde nata Ruffini, qui Arcadium hactenus rexerat, invidia & æmulatio.

Quare, Stilico à morte Imperatoris reliquias Gallicani tumultus compositurus, ad Rhenum Belgicamque primam ac Germaniam utrámque profectus, suâ in bellis felicitate, quàm armis formidabilior, plerosque ad obsequium revocavit. Unde Claudianus in quartum Honorii Consulatum sic Augustum de Stilicone alloquitur.

Claud. in Consf. Honor. V. 440.

Hunc tamen in primis populos lenire feroces,
Et Rhenum pacare jubes. Volat ille citatis
Vectus equis, nullaq; latus stipante catervâ
Aspera nubiferas quà Rhætia porrigit Alpes
Pergit, & hostiles (tanta est fiducia) ripas
Incomitatus adit. Totum properare per amnem
Attonitos Reges humili cervice videres.
Ante Ducem nostrum flavâ sparsere Sicambri
Cæsariem, pavidoq; orantes murmure Franci
Procubuere solo. Iuratur Honorius absens
Imploratq; tuum supplex Alemannia nomen
Basternæ venere truces, venit accola silvæ
Bructerus Hercyniæ, latisq; paludibus exit
Cimbrus, & ingentes Albim liquere Cherusci &
Ante tubam nobis audax Germania servit
Cedant Druse tui, cedant Trajane labores,
Vestra manus dubio quidquid discrimine gessit
Transcurrens egit Stilico, totidemq; diebus
Edomuit Rhenum, quot vos potuistis in annis &
Ut Salius jam rura colat, flexosq; Sicambri
In falcem curvent gladios, geminasq; viator
Cùm videat ripas, quæ sit Romana requirat.
Ut jam trans fluvium, non indignante Cayco **
Pascat Belga pecus, mediũq; ingressa per Albĩ **
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

* Caucho.
* al. [illegible] legunt alii.

III. Honorium Imper. Treviros ad sedem Romani illic imperii transire passus nõ est, ut sibi illic autoritatem arrogaret.

Ex quibus Stiliconis principio fidem felicitatémque in gentibus ultra citráque Rhenum conciliandis animadvertes. Verùm Honorium trans Alpes in Italia reliquit, neque ut par erat, sedem Trevericam, ubi in officio contineri hæ gentes potuissent, adire passus est, fretus illius simplicitate ac pueritiâ, ut ad se unum potissimùm hæ gentes respicerent, & aliquando etiam fortunæ suæ ad imperii fasces in Eugenium filium ex Serena conjuge susceptum transferendos, velificarentur. Eádem tamen expeditione Gallias, utrámque Belgicam atque ipsam etiam Britanniam ad quietem pacémque colendam composuit. Nam Marcomere & Sunno Francorum Regibus limites pacísque leges prætergressis multatisque & aliis in horum locum suffectis, Gallis Romanísque penè totam Cisrhenanam ripam integram restituit. Hinc idem Claudianus:

Marcomerem & Sunnoné Francorum Reges oppressit.

Regia Romanus disquirit crimina carcer,
Macomer Sunnoq; *docent; quorũ alter Etruscũ*
Pertulit exilium; cùm se consideret alter
Exulis ultorem, jacuit mucrone suorum,

Lib. 2. v. 168.

Qui proprios aspernari Reges, quàm Romanos lacessere maluerunt. De Gallis verò idem, in laudibus Stiliconis:

Grates Gallus agit, quod milite tutus inermi,
Et metuens hostile nihil, nova culmina totis
Ædificet ripis, & sævum gentibus amnem *
Tibridis in morem domibus prævelet amœnis.

* Rhenum

Deinde Britanniam sic loquentem inducit,

Illius * *effectum curis ne bella timerem*
Scottica, ne Pictum tremerem, ne littore toto
Prospicerem dubiis venturum Saxona ventis.

* Stiliconis.

Britanniam Germaniámque composuit.

Quin ipsis etiam trans Rhenanis populis Stilico cum Honorico genero latè imperabat. Hinc idem Vates:

Lib. 1. in Eutr. v. 380.

Tunc fortè decorus
Cum Stilicone gener pacem implorantibus ultro
Germanis responsa dabat, legesq; Caycis *
Ardↄus, & flavis signabat juxta Suevis.
His tribuit Reges, his obside fœdera sancit
Indicto: bellorum alios transcribit in usus
Militet ut nostris detonsa Sicambria signis.

* Cauchis.

IV. Stilico in summa felicitate & authoritate per ambitionẽ transversum rapitur.

Tantæ apud omnes autoritatis atque existimationis Stilico, quâ prope solus in Occidente atque Oriente rem sustentabat Rom. quàm ad primum felicitatis apicem, ex quo per varios Tyrannos & militarem insolentiam præceps ibat, restituere potuisset, si par virtuti fides homini barbaro fuisset. Sed ambitio transferendi ad se suósque à legitimis hæredibus Imperii transversum egit. Hinc Germania Galliáque paucis annis pacata, ut sibi suísque liberiorem illius possessionem vendicaret, Honorium procul à Rhenano Imperii limite, irruptionibusque barbarorum reprimendis abesse voluit, ut suo hos consilio tantò faciliùs obsequentes, citra Honorii observationem haberet.

V. Sedem Gallicani imperii Arelatum transfert, ut Rhenum Barbaris relinqueret apertum.

Suasit igitur, obtinuitq; statuente Augusto, ut sedes Gallicani regni dignitatisque, Treviris posthabitis, Arelatum transferretur, ut ex ipsa Honorii constitutione, ad Agricolam Galliarum Prætorem, postea anno Christi 418 data, satis declaratur, in qua Petronii sub Stilicone præfecti consilium de transferenda Arelatum jurisdictione probatur stabiliturque, quanquam Lugdunensis adhuc Belgicæque provinciarum cura Prætori Treviris relicta, stetisse aliquo post tempore videatur.

VI. Alaricus Gothus Italiam ingreditur.

De rebus Geticis cap. 29.

His porrò cùm ordinandis immoratur Stilico, Alaricus Gothorum Rex ingenti stipatus barbarorum exercitu penetravit in Italiam per Pannonias, & Sirmium nullo prorsus, ut Jornandes ait, obsistente ingressus; cúmque tertio abesset Ravenna milliario, ad Honorium legationem misit, sedémque in Italia sibi suisque postulavit, pollicitus cum Romanis fidem atque arma se sociaturum, cui postquam Honorius pro Italia Gallias obtulisset, acquievit ille, seque per Alpes Cotias Pollentiam contulit, ubi Stilico ab his aversus consiliis, neque Gothis satis ad suum fidens propositum, collecto ex Rhenano Gallicanóque præsidio milite, Alarico sese objecit; alternis quidem principio cladibus, verùm denique profligato hoste victor, ut Alaricus postremò Italia anno 403. pulsus ante 408. eodé reversus non fuerit.

A Stilicone Italia, rursù pellitur.

Radagaisus Scytha ab eodem superatur.

De regn. success. c. 95.

Ita & Radagaiso immani Scytharũ Duce armis victricibus prostrato, in suis Stilico Wandalis plus sibi præsidii adfuturum ratus, hos proditorio ad Imperium Rom. animo, unà cum Alanis, Suevis, ac Burgundionibus, invitavit, *Spreto Honorio*, ut Jornandes, *regnoq; ejus inhians, Alanorum, Suevorum, & Wandalorum gentes donis illectas, contra regnum Honorii excitavit, Eucherium filium suum paganum, & adversus Christianos insidias molientem cupiens Cæsarem ordinare.* Wandalos verò, ad Sinum Codanum Istrumque sitos, in Germanis censet Plinius: *Germanorum*, ait, *genera quinque Vindeli seu Vandali, quorum pars Burgundiones, Varini* (seu Warni nunc Pomerani maritimi) *Carini, Guttones* (seu Gothi) *Alterum genus Ingævones, quorum pars Cimbri, Teutones ac Chauchorum gentes. Proximi autem Rheno Istævones, quorum pars Sicambri.* (Franci &c.) *Mediterranei Hermiones, quorum Suevi, Hermunduri, Catti, Cherusci. Quinta Peucini, seu Bastarnæ, supradictis contermini Dacis.*

Cum Wandalis varii Barbari Rhenum transgressi.

Plin. l. 4. c. 14.

VII. Burgundiones Alemãniam occupant.

Ammian. l. 28.

De Burgundionibus Mamertini panegyricus asserit: *Agros Alemannorum occupavere, sed suâ quoque clade quæsitos.* Cui accedit Ammianus, dum scribit, anno Christi 373. *Burgundios à Valentiniano seniore bellicosos, & turmæ immensæ viribus affluentes, eoq; metuendos in Alemannorum excitatos perniciem, ad usq; Rheni ripas progressos.*

VIII.

Lib. 7. c. 37.

Stilico horum Barbarorũ opera imperium pro Eucherio filio invadere cogitat.

Hi igitur mutuis opibus ad Romanum imperium evertendum jam dudum aspirabant, ut his Stilico ad suæ ambitionis consilium sibi utendum esse putaret. *Parvi pendens*, inquit Orosius, *quod sub Imperatore imperabat, Eucherium filium suum, sicut à plerisque traditur, jam inde Christianorum persecutionem, à puero privatoq;, meditantem, in imperio quoquo modo substituere nitebatur. Quamobrem Alaricum cunctamq; Gothorum gentem pro pace optima & quibuscunq; sedibus suppliciter, ac simpliciter orantem occulto fœdere fovens, publicè autem & belli & pacis copiâ negatâ, ad terendam, terrendamq; Remp. reservavit. Præterea gentes alias copiis viribusq; intolerabiles Alanorum, Suevorum, Vandalorum, ipsosq; simul motu impulsorum Burgundionum, ultro in arma sollicitavit.* utque faciliùs Rheno totáque Galliâ potirentur, militem præsidiarium se...um in Illyricum abstraxit, tanquam illud ab orientali Arcadii Imperio ad Honorii obsequium traducturus.

Lib. 7. p. 284.

Quo ordine Wandali Germaniã Galliamque occuparint.

Gens igitur Wandalorum *primùm*, ut habet Salvianus, *à solo patrio effusa est in Germaniam primam nomine barbaram, ditione Romanam, post cujus exitum arsit regio Belgarum; deinde opes Aquitanorum luxuriantium, & post hoc corpus omnium Galliarum*: Trevirique eàdem vastitate perculsi sunt. Qui Barbarorum successus militi Britannico in Insula relicto curam eam incolis injecit, ut hanc à se tempestatem averterent; quod aliis aliisque Tyrannis ex suo delectis corpore præstare conati sunt. Et primò quidem ineunte anno 406. Marcum quendam Imperatorem dixêre, quem tamen fastidiosi obsequii miles, mox, pro purpurâ, suo cruentatum sanguine libitinæ immolavit, surrogato in locum, ut dignitatis, sic exitii quoque imminentis Gratiano.

Tyranni à Britanno milite delecti.

IX. Constantinus perduellis Wandalis oppositus.

Tertius ab his Constantinus Tyrannus, boni nominis sui omine aliquanto felicior, quod illi ad militarem sævitiam declinandam profuit; cùm alioquin, ut humili loco editus, ita parùm militaris & inconstans homo, nihil Constantinianum, præter nomen & fortunam ex Magno illo Cæsare possideret. Suis, quod admirandum plerisque fuit, in expeditionibus per quadriennium, ante ultimam sortis vitæque catastrophen, satis fortunatus, sive Ducum suorum fortitudine, sive ignaviâ hostium.

Prosper. in Chr. ad an. 407.

Ille igitur, ut Prosper in Chronico loquitur anno salutis 407. *Honorio*, ut ait, *Septimùm, & Theodosio secundùm Coss. ex infima militia ad solam speciem nominis, in Britannia Tyrannus exoritur, & ad Gallias transit*, atque, ut Zosimus ex Olympiodoro refert, Bononiam Galliæ apud Morinos urbem tenuit, seque illic loci, quâ potuit arte munivit, dum & advecto ex Britannia commeatu, & collecto ex Galliis barbarorum vim formidantibus, milite firmior, martias hostium vires non impari robore posset experiri. Verùm re cognitâ Wandali, licet Germaniæ etiamnum primæ inhærerent; Nemetum & Argentoratensium urbe potiti, in Belgicam sese alteram effuderunt, oppressuri novum Imperatorem, dum adhuc imbellior arma præpararet. Sed ille Justiniano Romanis militibus præfecto, & Noviogaste Celtis imperante fretus, cùm intra sua firmus præsidia, Wandalum ad prælium anhelantem contemneret, hic, ut commeatum subduceret Constantino, omnem latè Belgicam secundam depopulatus, recessit, ac Germanorum sub Romana tutela urbes, ut Moguntiacum vicinaque loca expugnare aggressus est, ne his præteritis, hostem à tergo, Gallias expugnaturus, relinqueret.

In Galliam transgressus contra Wandalos se tuetur.

Interea Constantinus Gallico & Aquitano inprimis corroboratus milite, ultro jam hostem quærere instituit. Quocirca militari Romanorum

X. Wandalos jam firmior ultro petit, & profligat.

manorum itineri quod Bononiâ, Teruanâ, Atrebato, Cameraco, Bavaco, per Nervios, Noviomagumque Treverica ditionis oppidum in Mogônos primamque Germaniam ducit, ad pugnandum jam accinctus progreditur. Nec Wandali præsidiario Germanorum freti milite certamen detrectant. Unde, ut refert Zosimus, *acri in Constantinum prælio illati sunt. Ac victoriâ quidem Romani potiti sunt, majore barbarorum parte jugulatâ; Sed quod fugientes insecuti non essent (omnes enim ad internecionem usque cecidissent) facultatem eis concesserunt, ut resarcitâ, quam acceperant clade, & collectâ barbarorum multitudine, rursus hosti pares evaderent.* (Zosimus l. 6.)

XI. Constantinus Treviris rursum sedem figit, Stiliconis Ducibus inde fugatis.

Constantinus interea de Galliis ad suum obsequium traducendis sollicitus, Augustam Trevirorum sedem, occiduique Imperii aptissimum solium occupare instituit; ut hoc fretus, Occidentalis Imperatoris præ se speciem dignitatémque ferret, populósque Galliæ, tanquàm juris antiqui defensor, ad se converteret.

Subsistebant ibidem Stiliconi Honorióque etiamnum addicti Duces *Limineus prætorio præfectus, & Chariobaudes militum ibidem magister*, qui militum suorum paucitate, & Victoria Constantini felicitate perculsi, salutem fugâ potiùs, quàm belli aleâ quærendam existimabant. Hinc ad Constantini signa tutelámque, contra Wandalos, Gallia brevi totâ ad Alpes usque conversa est. Qui, *ne Barbari liberum in Gallias aditum haberent, Rhenum quoque præsidio munivit idoneo.* Quæ res in Italiam delata, Stiliconis magis consilia, quàm Honorii Imperium turbavit. Quare is, cùm Alaricum à se invitatum expeditionem moliri in Italiam, & Constantinum rejectis Wandalis Galliarum jam tenere imperium eodem penè tempore acciperet; Senatui Romano autor fuit, ut quatuor librarum millibus Alarico oblatis pacem redimeret, & militem adversus Constantinum hostem decerneret. (Zosimus lib. 5. — Idem lib. 6. p. 111.)

XII. Sarum Stiliconis Ducem, primò victorem, deinde fugat, imperiumque Galliarum obtinet.

Certè reipsa, ut Zosimus ait, *Sarum Ducem Stilico contra eum cum exercitu ablegavit. Is Iustiniano Constantini Duci, cum copiis suis obviam profectus, tam ipsum, quàm majorem exercitus partem interfecit. Et ingenti prædâ potitus, quòd Constantinum intellexisset se recepisse Valentiâm, urbem ad sui defensionem satis idoneam, hanc ipsam obsidere instituit. Alter copiarum Constantini Dux, cum Saro de pace collocutus, amicè quidem ab eo exceptus est: sed ultro citroq; præstitis sacramentis, confestim interfectus jurisjurandi religione à Saro violatâ. At ubi Ducem Constantinus sufficeisset Edobinchum natione Francum, atque jam è Britannia cum suis Gerontius Dux adventaret, Sarus horum Ducum in re militari, tum experientiam, tum fortitudinem veritus, Valentiâ discessit, quam septem diebus obsederat; cumq; Sarus hoc modo incolumis pervenisset in Italiam, Constantinus collectis universis copiis suis Alpes idoneo præsidio muniri decrevit.* Hactenus Zosimus.

XIII. Arelatum quoque sedem Imperii variis de causis transfert.

Subinde verò Constantinus, jam Wandalorum simul & Stiliconis Honoriique victor, ut hos magis ex viciniore Italiæ loco Barbarosque in Aquitaniam transgressos observaret, Treviris Imperii sedem, Stiliconis exemplo, Arelatum transtulit. Hispanias sibi etiam, eâ occasione faciliùs è propinquo vendicaturus. Quanquam inferiores Magistratus Treviris reliquisse censendus sit, Apollinarem quoque Sidonii Avernorum Præsulis avum, prætorio Galliarum, Liminei fugitivi loco, præfectum dixerit: verùm ex innata Constantino inconstantia brevi, Rustico suffecto, mutandum.

XIV.

Laborabat interea de Alarico in Italiam revocando Stilico, illo quidem, ut adversus Constantinum duceretur, prætexu; magis tamen, ut Eugerio filio ejus operâ contra Honorium stabiliretur Imperium. Quam hominis ambitionem fovit recens ex Oriente significata Arcadii Imperatoris mors, qui Theodosium post se filium hæredem reliquerat; quò & Honorius & Stilico iter adornabat, uterque ut aiebat, rebus pupilli consulturus; sed hic veriùs, ut illo sublato, regnum suis, quâ posset arte, vendicaret. Sed machinationes Stiliconis, denique per Olympium quendam ejus familiarem, & Honorio & Romano militi patefactæ, exitio autori suo fuerunt. Quando jam Sarus atque ipsimet Barbari magno ab ipso numero ad innocentiam Honorii tuendam, à Stilicone defecêre. Unde Ravennæ ipse subjectus gladio, Eucherius & Serena Mater Romæ periere, Thermantia Stiliconis filia à thalamo Imperatoris rejecta est. *Casus igitur Stilico est*, ut inquit Zosimus, *ad X. Cal. Sept. Basso Philippoq; Coss.* (hoc est anno Christi 408.) *cum annos tres & viginti præturam in exercitu gessisset.* (Stilico machinationibus suis detectis, morte perfidiam luit.)

XV. Constantinus cum Honorio imperium partitur, & ad Consulatum simul admittitur.

Constantinus interea inducias cum Wandalis Aquitanis pactus, ne pluribus impar hostibus procederet, Hispanias, vel spontè, vel armis occupatas, per Constantem filium ex claustro ad castra traductum invasit: ideóque rebus ad votum fluentibus, legatos ad Honorium in Italiam misit, docuitque se bono Romanæ reipub. compressis Barbaris, ac perduellibus repressis, pacem amicitiamque cum ipso spectare, communibus Imperium armis adversus omnem hostem defensurus, quod non nisi invitus coactusque à militibus suscepisset. Ut idcirco Honorius necessitate magis, quàm voluntate persuasus, tanquam excusationem probaret, illi ad societatem Imperii suscepto vestem imperatoriam per Eunuchos submiserit, atque ut consortem regni consulatum secum adire passus sit. Quod vetus nobis inscriptio, Treviris in basilica D. Paulini reperta, his verbis testatur: Ἐνθάδε κεῖται Εὐσεβία ἐν εἰρήνῃ ἐσσα κωμῆτις, ἀπὸ κώμης Ἀδδάδων. ζήσασα μικρὸν πρὸς ἐτῶν ΙΕ. ὑπατείᾳ Ὁνωρίου τὸ Η. καὶ Κωνσταντίνου τὸ Α. μηνὶ πανέμου ΙΒ. ἡμέρᾳ ΚΙ. Β. ἐν εἰρήνῃ. Hoc est: *Hic jacet Eusebia municeps, ex vico Addanâ, quæ vixit annos paulò minus XV. Consulatu Honorii VIII. & Constantini I. Mensis Iulii XII. die. quiescat in pace.*

XVI. Breve Constantini imperiû morte absolvitur.

Ex qua epigraphe liquet, ante Julium hujus anni, quem censemus esse Christi 409. pacem Honorium ac Constantinum inter sancitam, & utrumque renuntiatum fuisse Consulem, Imperiique Rom. consortem. Quæ tamen post biennium amicitia, armis utrimque resumptis, violata intercidit, quando Constantinus Arelati obsessus, rebus desperatis, post Edobinchum perfidè sublatum, sacerdotio initiatus, Honorii Ducibus certis se legibus dedidit. quibus tamen neglectis,

unà cum Juliano filio, contra jurisjurandi fidem interfectus est.

XVII. Hæc aliquantò disertiùs, quàm Browerus, ex Zosimo lib. 5. & 6. Orosio libro 7. Sozomeno lib. 9. aliisque exponere placuit. De quibus, si quis prolixiora etiamnum desideret, hic Belgium Rom. Bucherii adeat, & sigillatim pleraque expensa ab illo reperiet. qui cum ex Frigeride pleraque stabilivisset, circa annum Christi 411. ex eodem subjicit: *Trevirorum civitas à Francis direpta incensaq; est secundâ irruptione.* Additque: *Prima igitur Trevirorum eversio à Vandalis initio anni 410. illata: Secunda eodem anno senescente, à Francis Vandalorum victoribus: Tertia ista ab iisdem Francis secundò eam irrumpentibus hoc item anno 411. vergente repetita.* Ita aptè dixerit Salvianus: *excisam ter continuatis eversionibus summam urbem Gallorum.* Quam quidem sententiam, ut Browerus amplectitur, ita in annorum calculo nonnihil deflectit.

Treviri intra bienniū ter excisi.

Lib. 6. de gubern. Dei.

XVIII. Porrò Salvianum, hujus calamitatis oculatum testem, quem supra loquentem Browerus induxit, paulo altiùs excidii hujus causas arcessentem audire proderit. Cùm ex ipsâ illius oratione Trevirim ipsius fuisse natale solum aperiri nobis videatur. *An*, inquit, *fortè credimus, quòd captivus animo populus ille non fuerit, qui latus tunc in suorum captivitatibus fuit. Captivus corde, & sensu non erat, qui inter suorum supplicia ridebat? Fragor, ut ita dixerim, extra muros præliorum, & intra muros ludicrorum confundebatur, vox morientium, voxq; bacchantium, ac vix discerni forsitan poterat, plebis ejulatio quæ cadebat in bello, & sonus populi, qui clamabat in circo. Et cùm hæc omnia fierent, quid aliud talis populus agebat; nisi, ut cùm eum Deus perdere adhuc fortasse nollet, tamen ipse exigeret, ut periret. Nec loquor de longè positis, & quasi in alio orbe submotis, cùm sciam etiam in solo patrio, atque in comitatibus Gallicanis, omnes fermè præcelsiores viros calamitatibus suis factos esse pejores. Vidi siquidem ego ipse Treviros domi nobiles, dignitate sublimes, licet jam spoliatos, minùs tamen eversos rebus esse, quàm moribus.* Hæc ille, quæ ex Browero supra continuantur, ostenduntque Salvianum patrii soli calamitatem deflere, cum luget Treviros. Cùm enim de solo patrio, ac deinde comitatibus profligatis queratur, à Trevirorum calamitosa subversione exordium ducit; ut apud hos natalem sibi locum designare judicetur. Cujus viri decus in illa temporum nube, & ignominia morum, utcunque suâ virtute ac scientiâ Treviros illustrat.

Salvianus oculatus excidii Trevirici testis, patrii soli excidium luget.

XIX. Cæterùm & Coloniæ suos habuisse consanguineos ex ejusdem illius ad Amicos Epistola compertum est. *Adolescens*, inquit, *quem ad vos misi Agrippinæ cum suis captus est, quondam inter suos, non parvi nominis, & de quo amplius dicerem, ni propinquus meus esset. Matrem is Agrippinæ viduam reliquit, probam, honestam, verè viduam, fide nobilem.*

Colonia cū ejusdem Salviani amicis per Francos occupata.

Hæc verò urbs non à Wandalis, sed Francis è Germania trans Rhenum invadentibus, & Treviros quoque altero excidio à Salviano descripto vastantibus, est occupata, ut ex Procopio planiùs constabit. *Rhenus*, ait, *in oceanum immittitur, ubi paludes non paucæ, quas primitus Germani incolebant, barbara tum gens, nec magni momenti viri, qui nunc Franci vocantur. Post eos in Orientem solem Thoringi, barbari quoque degebant, Cæsaris Augusti nutu sedes illas tenere permissi. Ab his Burgundiones in Notum ventum vergentes inhabitavant. Suevi deinceps & Alemanni, gentes validæ, liberi omnes, jam diu superiora colebant loca. Porrò Germanis finitimi accolæ erant Armorichi* * *qui cum cætera Gallia Romanis jam pridem parebant, adeoq; Romanorum tum milites erant. Hos Germani, cùm obsequentes sibi facere vellent ut qui finitimi essent, & quàm habebant politiam seu Remp. immutassent, eorum agros assiduè populabantur, & copiis universis invadebant, Armorichi verò cùm & virtutem, & in Romanos benevolentiam præ se ferrent, viros in eo bello fortes se præstiterunt. Cumq; vim eis inferre Franci non possent, societatem & connubia mutua precabantur, quæ Armorichi non inviti mox admisère. Erant enim utriq; Christianæ fidei sectatores. Sic enim, unum hi coëundo in populum, in magnam evasère potentiam. Romanorum interea milites alii, qui in Galliarum extremis erant custodiæ causa constituti, cùm neque Romam redire jam possent, nec ad hostes, ut Arrianos* (quales erant Wandali) *concedere; sese cum signis ad hostem* (Francum cum Amorichis junctum) *contulere, & locum insuper* (puta Agrippinam) *Armorichis Germanisq; prodidère, ac patrios mores, continenter servatos, suos transmisère ad posteros.* Hæc Procopius, quæ à Zosimo confirmantur simul & illustrantur. *Transrhenani*, inquit, *Barbari cuncta pro libitu invadentes, eò tunc incolas Insulæ Britanniæ, tum quasdam Celticas nationes redegerunt, ut ab imperio Rom. deficerent, & Romanorum legibus non amplius obedientes arbitratu suo viverent. Itaque Britanni sumptis armis & pro salute sua periclitati, civitates suas à Barbaris imminentibus liberarunt. Itidem totus ille tractus Armorichus, cæteræq; Gallorum provinciæ Britannos imitatæ, consimili se modò liberarunt, ejectis Rom. præsidibus, & propriâ quâdam rep. ex arbitratu suo constitutâ. Hæc Britanniæ Celticarumq; gentium rebellio, quo tempore Constantinus iste regnum usurpabat, accedit. Cùm ipsius in imperando socordiâ moti Barbari hasce grassationes instituissent.*

Procop. p. 26.

XX. Franci Germani transrhenani, cum Armoricis jugum Rom. excutiunt.

* Arborichi [illegible] Zosimo Armorichi vocat. & Cæsar Armoricas.

Zosimus l. 6.

Ultimis Constantini perduellis annis Britanni cum Belgis deficiunt.

XXI. Ex his igitur facilè intelliges, quod caussa præcipua eversi Romanorum apud Gallos Imperii fuerit, translata à Treviris regni sede, & neglecta Rheni limitúmque custodia. Quæ Stilico quidem primus animo proditorio molitus est, Constantinus ignavo & consiliorum bonorum experte firmavit, suo tamen uterque exitio, & Romani ad gentem aliam Imperii inclinatione. Quibus verò Franci Germanorum ex locis ad Amorichos societate initâ Rhenóque superato transierint, quíque illi Armorichi fuerint, ex Procopio haud difficulter elicies. Si enim Franci ea Germaniæ incoluere loca, quæ paludibus intercepta Rhenum Oceano sese immergentem tangunt, si Armorichi Rheno interjecto his finitimi; jam illos Montenses, Westphalos Frisiósque fuisse, necesse est; hos verò populos eum tractum incolentes qui Rheni Oceanique septentrionalis ac Britannici littoribus intercipitur. Qui cùm junctis deinde viribus consiliísque in Romanos

Trevirici sedes Imperii translata Romanorū exitum fuit.

Multi Imperatores Rom. imperium perdiderunt.

Romanos arma sumpserint, mirum non est exteræ gentis jugum jam, tot novis indies Tyrannis, veluti ex hydra multicipiti pullulantibus, invisum fractúmque, militari virtute excussisse. Nullum enim propius ruinæ imperium est, quàm quod à multis imperantibus sustinetur. Multorum in regendo potentia, unius semper viribus est posthabenda.

XXII. An, & quàdo Franci Christiani fuerint.

Sed quod Procopius addit, utrásque Francorum & Amorichorum gentes, jam tum fidei Christianæ disciplinam amplexam fuisse, id universè sentire non possum, cùm sub hæc tempora primus Francorum Rex Chlodovæus orthodoxam professus fidem legatur, & in Frisonum postea Westphalorúmque conversione à Willebrordo aliisque laboratum sit. Quocirca Ubios ego, Trajectenses, aliósque inferioris Belgii populos, hoc Christianorum nomine censeri putem, quos à Wandalis aversos, nonnulli etiam Christianæ religionis Franci sibi addixerint, qui etiam spem conceperint, faciliùs Francorum reliquos à gentilissimo, quàm ab Arianismo Wandalos ad veritatem adducendos. Cùm gentilem, quàm hæreticum corrigere multò esse faciliùs experientiâ compertum sit.

IV. ANNOTATIO
ad Annum Christi 429.

De Aëtio Rom. Duce Francis devictis certam in Ripuaria sedem indulgente, & Burgundionibus à Trev. Episcopo ad fidem conversis.

I. Franci sub Pharamundo primo illorum cis Rhenum Rege in Ripuaria quievêre.

De Aëtio Trevirorum contra Francorum insolentiam egregio defensore paulò uberiùs est inquirendum. Erant Franci à Constantio ex Belgica utraque ad Germaniam secundam, & Ripuariam, ut appellabant, (quæ à Mosella per inferiorem se Rhenum extendebat) rejecti, jámque aliquot, sub Pharamundo, primo illorum cis Rhenum dominantium Rege, annis quieverant, pace cum Romanis & Honorio devincti. Sed cùm Imperatore defuncto Mulier Placidia imperaret, Valentiniano filio solo nomine præfecto, & successor Pharamundi Clodio juvenili ardore regni terminos per utramque Belgicam, armis importunè raptis, propagari vellet: non defuit Placidiæ strenuus militiæ Dux, Scytharum feroci natione progenitus, quem tamen ex Ausonia matre Gaudentius pater sustulisset.

II. Aëtius Roman. Dux inclytus Chlodionem Franc. Regem rebellantem frangit.

Hunc jam Hunnorum in Pannonia, & Gothorum in Aquitania domitorem, adversus Francos Placidia destinat, bellorum ut successibus tumidum, ita materiâ lætum; præsertim, quòd illi cum nobilissimo gloriæ & victoriarum æmulo Bonifacio, Africanæ militiæ præfecto res esset; quem, ut autoritate, sic felicitate suâ, prævertere atque opprimere moliebatur: ne esset, qui secum gratiâ apud novellum Imperatorem Placidiámque certare posset. Quod esse præcipuum ambitiosorum in aula hominum certamen assolet: ut cum aliis omnibus gloriosè dominentur, invidiæ turpiter serviant, gravissimorum plerumque scelerum nutrici. Ceterùm is, ut habet Frigeridus, si ingenium moresque æstimes, *à puero prætorianus, medii corporis, virilis habitudinis, decenter formatus, quo neque infirmitudini esset, neque oneri: animo alacer, membris vegetus, eques promptissimus, sagittarum jactu peritus, conto impiger, bellis aptissimus, pacis artibus celebris, nullius avaritiæ, minimæ cupiditatis, bonis animi præditus: nec impulsoribus quidem pravis ab instituto devians: injuriarum patientissimus, laboris appetens, impavidus periculorum, famis, sitis, atque vigiliarum tolerantissimus.* Quæ tamen universa animi bona, solus livor ambitióque corrupit, non quietura, donec Felice ac Bonifacio æmulis honoris sublatis, favore & beneficiis imperantium solus potiretur. Interea ad bella strenuè perurgenda expeditus, ut cæteris Imperii Rom. hostibus, ita Francis metuendus fuit. Nam, ut ait in Chronico Prosper: *Felice & Tauro Coss. pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci possidendam occupaverant, Aëtii Comitis armis est recepta.* Verùm quænam illa pars, non definitur. Juverit hac de re Ægidium Bucherium accuratum veteris historiæ in Belgio suo Romano investigatorem audire.

Apud Gregor. Turon. l. 2. c. 8.

Aëtii indoles ac mores.

An. Chr. 428.

III. Lib. 15. c. 1.

Id saltem certum, inquit, *Francos tunc grandi prælio (ab Aëtio) superatos, si non planè trans Rhenum, certè ad ipsum fugatos, & nonnisi uno alteróve post anno, circa annum 430. reparatis trans Rhenum maximè viribus, iterum in Aëtium incurrisse, iterumq. victos, in pace tamen* (ut notat Idacius) *ab eo susceptos, credo, quod jam Bonifacium æmulum à Placidia revocatum (ex Africa, quam evocatis Vandalis ab Hispania turbabat, ut adversus Placidiam & Aëtium se muniret) in gratiam fortè receptum metueret. An Colonia quoque Agrippina ad Belgicam Rheni ripam sita, Francis priore pugna fugatis, ad Romanos tantisper, Aëtiumq. redierit, nihil comperio. Pace certè, post secundam pugnam indultâ, Francis remansisse, ex Imperii Notitia haurimus, quæ paucis post annis edita, nullam Coloniæ mentionem facit, probabili argumento eam tum in Francorum partem delapsam relictámve. Sed neque ulla Romanorum in hisce partibus præsidia Francis viciniora memorat, quam Lagiense propè Tungros in Germania secunda (hodie Luage ad Jecoram rivum, ubi castelli, & ruderum planè Romanorum vestigia restant, à me visa discussaq.) tum Epulense Belgicæ primæ, hodie Yvois ad Carum fluvium, qui in Mosam paulò supra Sedanum influit: Trevirorum item Fabricas, Thesauros, Cynegia, & similia: præsidium denique Antonacense, hodie Andernach ad Rhenum, infra quod nullius ultra Romani loci memoria est.*

Aëtius Francos devictos nova pace conciliat.

Colonia Ubiorum non verò Treviris Francis, subjicitur.

Loca præsidiis Rom. firmata.

IV. Treviri rursum Romanis asserti.

Treviros igitur, si fortè pace anni Christi 416. Francis relicti sunt, rursus ad Imperium hâc Aëtii victoriâ rediisse asserendum est. Nec ideò tamen urbem istam quadruplici jam eversione prostratam (ego triplicem solùm hoc tempore censeo) Aëtius restaurandam judicaverit; tum quia limitanea, & Francis nimium exposita jam esset; tum quia omnis ejus dignitas Arelatum jampridem translata, ibidem multò

commodiùs haberetur. Satiùs fore visum, si modicum in ipsis ruderibus præsidium, & fabrica quadam, opificiaq́, erigerentur in fortuitos belli contra Francos, Burgundiones, aliosq́, vicinos hostes, usus; majore vel in ipsis tanta urbis ruinis, quàm vel Antonaci, vel Epusii commoditate repertâ.

V.

Quæ loca cisrhenani Franci possiderint sub Chlodione.

Cæterùm tribus aut quatuor hisce Romanorum præsidiis nullum Septentrionalius Notitia memorat, evidenti argumento quidquid terrarum ab linea per ista loca ducta, in Septentrionem Orientemq́, ad Rhenum porrigitur, Francis, aut Saxonibus (qui Bataviam & loca maritima invaserant, unde in Britanniam se effundebant) ex pacto à Romanis indultum, aut ex necessitate & imbecillitate derelictum. Prorsus ut Chlodionem etiam ante editam Notitiam, seu annum Christi 438. regnum Francicum cis Rhenum recepisse, tenuisseq́, necesse sit. Ex hac tam commoda pace Chlodioni abs Aetio rursum indultâ factum existimo, ut plerique Francorum veterum historici, tametsi Faramundi, ceu primi eorum cis Rhenum Regis, subinde meminerint, nova tamen Francorum Monarchia primordia velut ab hoc Chlodione deducere videantur, eumq́, primum Regem crinitum appellent.

VI.

Chlodio Pharamundi nō Theudomeris filius.

Hæc Bucherius, qui eadem priscâ deinde historicorum fide magis illustrat; tum ut ostendat, Chlodionem Pharamundi, primi cis Rhenum Francorum Regis, sub quo lex Salica condita est, filium, & Marcomiri Cattorum Regis ex eodem nepotem: tum ut sedem Regiam in castro Dispargo cis Rhenum constitutam evincat: & Fredegarium Compendiatorem Gregorii Turonensis, qui Chlodionem malè ex Theudemere Francorum Transrhenanorum Rege natum docet, ex Prospero Pithæi centum annis Gregorio vetustiore, aliisque historicis corrigat: dum neque Gregorius Pharamundi meminit, Epitome verò dicat: *Franci electum à se Regem creant nomine Theudomerem, filium Richimeris, qui à Romanis interfectus est. Substituitur filius ejus Chlodeo in regno utilissimus vir in gente sua, qui apud Hesbargem castrum residebat, quod est in termino Thoringorum.* Sed rectiùs Prosper Pithæi, apud Scaligerum de tempore, pœnè coævus scribit, *Pharamundum regnâsse in Francia, solisq́, eo anno defectionem fuisse.* quæ ut Chronicum Alexandrinum notat, accidit Indictione I. Honorio duodecimùm, & Theodosio octavùm Consule, hoc est, anno Christi 418. Quod & Sigebertus in Chronico ad suum Christi annum 419. stabilit, asserens *filium Marcomiri Ducis Pharamundum, à Francis Regem ordinatum.* Et prior Epitome gestorum Francicorum (duæ enim habentur) *Mortuo Pharamundo*, ait, *Chlodionem filium ejus crinitum in regnum patris ejus elevarunt. venientesq́, sagaciter, in finibus Toringorum* (sive Tongrorum) *ibi resederunt. Habitavit itaque Chlodio in Dispargo castello in regione Germania. Propterea omnes regiones gentium, quæ ultra Rhenum fluvium sunt, hoc nomine nuncupantur Germania.* Consentit Ado Viennensis sub Gratiano Imper. *Post Pharamundum*, inquit, *Franci Chlodionem ejus filium sibi Regem statuunt. Ab hinc Franci in finibus Thoringorum habitantes crinitos Reges habere cœperunt.*

Epitome posterior Greg. Tur. cap. 9. n. 7.

Buch. lib. 14. c. 9 n. 6. & 7. & lib. 15. c. 9. n. 8.

VII.

In finibus Tongrorum Hesbargi vel Heinsbargi Chlodio Regiam sedem collocavit, agro id temporis Treverico.

Quibus consentanea tradit Aimoinus lib. 1. cap. 4. ut quemadmodum discedere ab hac sententia queat prudens Lector, mihi sanè non liqueat. Pateat etiam manifestè hos cis Rhenum Toringos non esse alios, quàm quos contractiori voce Tongros & olim, & hodie nuncupamus, à Thoringis Transrhenanis, huc jam pridem ante Romanos & Cæsarem receptis, Advaticâ etiam illorum Metropoli ad Jecoram rivum excitatâ.

Quod si igitur Francorum id temporis sedem, Fredegario Hesbargum, aliis Dispargum appellatum in finibus Tongrorum investiges, aliud verius reperturum te nullum autumo, quàm quod hodiedum inflexâ nonnihil voce in Juliaco olim Treverico agro ad rivum Worm situm, Hinsbargum nuncupatur. Neque enim quod nonnulli existimant Duisburgum Cliviæ, aut Distemium ad Demeram in Brabantia fluvium intelligi commodè potest; quod illud ultra Rhenum, hoc ultra Mosam, neutrum in Ripuaria Cisrhenana, aut Toringorum situm finibus, vel cum Hesbargo Fredegarii, cui plurimum tribuendum, affine videatur, quodque præcipuum rei caput est, neutrum perinde, ut Heinsbargum Chlodioni pro totius regni curis defensioneque opportunum fuerit. Cùm hoc in medio, illa vix aut ne vix quidem intra regni fines sita, nimio à mediis Francorum terris incommodo separentur. Nam Chlodionem, postquam ex Belgica secunda per Aëtium cum clade rejectus esset, ultra Mosam latè dominatum, aut trans Rhenum imperium retinuisse, nullâ nobis certi scriptoris autoritate exploratum est; sed cis Rhenum in Toringorum finibus regiam collocâsse, neque ultra Romanorum præsidia, in Notitia Imperii expressa, vi pacis excessisse constet. Hæc ex Gregorio Tur. ut satis certa stabiliuntur, qui lib. 2. suæ hist. tradit: *Francos è Pannonia digressos primùm littora Rheni incoluisse: dehinc transacto Rheno Thoringiam transmeâsse, & Chlodionem apud Dispargum castrum habitâsse in termino Thoringorum.* Quæ sanè verba aliam, quàm dedimus sententiam vix admittere videntur.

VIII.

Hæc aliquantò prosequi copiosiùs libuit; ut intelligeret Lector, hoc etiamnum tempore sub Romanorum Imperio stetisse Treviros, licèt hos à Wandalis semel, bisque à Francis eversos, Romani Duces propriis distracti æmulationibus instaurare, arcemque illic belli adversus Germanos, aliosque Barbaros constituere, cum Imperii Romani in Galliis ruina, neglexerint. Unde Hunnis deinde sub Attila irruentibus, ac Francis denique validioribus, ut Treviri, sic Gallia universa, hoc destituta munimento, præda fuerunt.

Treviris eversis, Gallia periit.

IX.

Burgundiones ab Hunnis pressi ad Christi præsidium fugientes baptizantur ab Episcopo Trevirensi.

Nec omittendum hoc loco, quod ad Severi Trevirorum Episcopi primæ Germaniæ Apostoli, & Burgundionum gloriam spectat, qui ab Hunnis sensim ad Rheni possessionem aspirantibus pressi, humanâ ope destituti ad divinam sese, successu pœnè hactenus inaudito, converterunt. Socrates rem universam tam in sua, quàm tripartita historia exponit, ad annum Christi 430. *Rem*, inquit,

planè

Socrates lib. 7. c. 30. & Tripart. hist. l. 12. c. 4.

planè memorabilem eodem ferè tempore gestam exponam. Est gens quadam barbara trans Rhenum fluvium incolens, quos vulgò Burgundiones appellant. Illi vitam quietam agunt, & penè omnes fabri lignarii sunt, & spiritum eâ arte sustentant. Hunnorum gens crebrò in eorum fines incurrens, agrosq; vastans, complures etiam non rarò trucidavit. Illi igitur, non ab ullo homine opem petere, sed Dei cujuspiam potestati se totos permittere decernunt. Ac cùm Romanorum Deum fidelibus suis certum afferre præsidium cernerent, communi omnes consensu ad Christi fidem complectendam versi sunt. Et ad quandam Galliæ civitatem profecti (indubiè Trevirensem, ait Bucherius, & viciniorem, & celebriorem, tametsi tot excidiis laceram) *postulant ab Episcopo baptismo donari* (is planè, inquit idem, Severus hic noster) *cùm 7. illis jejunii dies præscripsisset, & catechizâsset, octavo die baptismi lavacro tinxit, & cum pace dimisit. Illi fidenti animo contra tyrannos gradiuntur: nec spes fefellit. Quippe Uptaro Hunnorum Rege, cùm se cibo nimium ingurgitâsset, nocte medio disrupto, Hunnos duce carentes adorti, permultos pauci, tria scilicet millia contra decem, commisso prælio victoriam consequuntur. Ex quo tempore gens ea Christianam religionem ardenter excoluit.* Quæ Severo Trevirorum Episcopo rectè tribui facilè agnoscet, qui consideraverit illum à venerabili Beda in Britannia cognitum, laudatumque, *quòd gentibus primæ Germaniæ verbum Dei prædicaret.* ut ex Browero luculentiùs intelliges. Nondum autem illo tempore Burgundiones penitiores Galliæ ad Ararim, Rhodanumque tenuisse sedes. Verùm illa tantùm juxta Rhenum, cum Wandalis flumen transgressi, Alemanniæ tenuisse loca, quæ Stiliconis indultu occupaverant, satis ex veteri historia, de gentium migratione, manet exploratum.

Lib. 19. c. 13. n 14.

X. Victoria illustri Hunnos opprimunt.

Beda lib. 5. hist. Ang. c. 21.

XI. Prosper. in Chronica. Suis non contenti rursum opprimuntur.

Sed Burgundiones hâc elati victoriâ, cùm haud multò post Gundicario Rege ac Duce in vicinos sese Belgas infestis armis exercitibusque infunderent, promptis ab Aëtio viribus, quà Hunnorum, quà Francorum, aliorumque cum Romanis Barbarorum, non repressi tantùm, verùm universi pœnè oppressi periêre; ut intelligerent, non minùs paratum justè se adversus iniquos invasores defendentibus à Deo auxilium, quàm aliorum possessiones sine jure invadentibus pœnam esse.

Sidonius hunc in Burgundiones belli apparatum, cui Avitus cum Aëtio interfuit, in Aviti panegyrico versibus nonnullis stringit.

Vers. 230.

Aëtium interea, Scythico qui sæpè duello (trux Edoctus, sequeris... Belgam Burgundio quem Presserat, absolvit junctus tibi. Vincitur illic Cursu Herulus, Chunnus jaculis, Fräcusq; natatu, Sauromata clypeo, Salius pede, falce Gelonus.

XII. Treviri utcumque instaurati.

Nihil tamen hoc bello in Treviros Burgundio molitus esse cognoscitur; quòd Severum illic, opinor, Trevirorum Antistitem, salutis suæ præcipuum authorem, magnique viri sanctitatem venerarentur, urbis etiam sæpiùs afflictæ calamitate tangerentur. Quanquam existimandum, quod Aëtius apud eosdem substiterit, cùm ex Notitia Imperii constet Romanorum illic *fabricam scutariam & balistariam erectam fuisse. Procuratorem thesaurorum & monetæ Triberorum extitisse, Præpositum* item *Argentariorum Procuratorem Gynecii Belgica primæ illic habitum, & Procuratorem rei privatæ Cynegiorum Triberorum.* Quæ sanè ostendunt, Treviris res fortunasque Romanorum, post tot clades, nondum penitus occidisse; sed per Constantinum, Aëtiumque, uti ex usu visum est, utcunque fuisse instauratas.

Notitia imp. pag. 138. pag. 141. pag. 144.

V. ANNOTATIO
ad Annum Christi 451.

De multiplici Trevirorum excidio, Attilæq; devastatione, &, num Salvianus illam descripserit?

I.

Quanquam Treviros ab Attilæ furore & tempestate hâc barbarorum in Gallias & utramque Belgicam detonante impunes transisse non censeam: tamen hoc esse excidium Trevirorum quartum, quod Salvianus deplorat, cum Browero sentire non possum. Et hujus quidem illam præcipuam causam habeo, quæ Bucherium, aliosque scriptores non fugit; quod Salvianus libros suos de Gubernatione & Providentia Dei, quibus quadruplicem Trevirorum ruinam deplorat, jam decennio penè ante quàm Attila vastator incumberet, absolvisse credatur. Siquidem libro 7. cladem illam Romanorum, quam Littorio duce, & Hunnis auxiliaribus, anno Christi 439. Theodosio septimùm, & Festo Coss. (ut Prosper vulgatus habet) à Theodorico Gothorum Rege, apud Tolosam in Gallia, perpessi sunt, bis proximam vocat. *Gothi*, inquit, *in discrimine positi, opem à Deo postulant, & prosperitates suas munus divinitatis appellant. Probavit hoc bello proximo infelicitas nostra. Cùm enim Gothi metuerent, præsumpsimus nos in Hunnis spem ponere, illi in Deo... Ipse Rex hostium* (Theodoricus Arianus) *quantum res prodidit, usque ad diem pugnæ stratus cilicio preces fudit... & ideò fidens processit ad pugnam, quia jam meruerat in oratione victoriam.* Addidisset his Salvianus graviorem etiam Dei pœnam; videlicet ipsos denique Hunnos, quibus fiderant, in Romanorum exitium versos, si post illam vastitatem, ab eisdem Romano illatam imperio, libros hosce suos conscripsisset. Citiùs hos igitur circa annum 441. vel 442. absolvisse necesse est. Et sanè absurda illius, ne dicam falsa esset oratio, si istam Littorii cladem diceret proximam, cùm altera Romanorum per Hunnos multò luculentior intervenisset.

Bucher. in Belg. Rom. lib. 16. c. 6.

Salvianus ante quartum Trevirorum excidium, libros de Gubern. Dei scripsit.

II. Quartum Trevirorũ excidium non ab Hũnis, sed Frãcis illatum.

Quocirca asserendum nobis est, quartum illud, & ad oppressionem prorsus fatale Trevirorum à Salviano deploratum exitium, nequaquam Hunnis, sed Francis autoribus deberi. Qui cùm ex Trevirorum urbe jam sæpiùs in se Romanos, reparatis viribus, & marte instaurato, irruere exercitibus infestis comperissent, Trevirique pugnaces & Christiani gentilium Dominorum jugum aspernarentur, excidione ultimâ, à potentioribus demum Francigenis oppressi sunt: ut supervniẽs

denique

denique Attila, nobilissima olim in urbe spem sibi præcipuam prædæ ereptam doleret.

III.

Ab Hunnis Trevirorū reliquiæ diripiuntur.

Cæterùm illo Hunnorum flagello in Europam universam extento Treviros etiam castigatos esse, vix ivero inficias, siquidem Nemetes, Vangiones, Moguntiacum, Antonacum, Agrippinam, populatrices harpyiæ illæ pervagantes, nequaquam à Trevirensibus abstinuisse manus, censendum est, cum in Tungrorum, Atrebatum, & Mediomatricum fines, Trecas usque ipsosque Catalauniæ campos effusi Hunni media utique terrarum intacta non pertransierint. Aimoini certè hæc est oratio. *Hunni Rhenum transeuntes, Metis civitatem concremant, Treviros diripiunt, Tungrense devastant territorium.* cui Harigerus & Ægidius Aureæ vallis Monachus, Sigeberto duce assentiuntur. Neque magnopere in Treviris expugnandis laborandum, quando jam suis urbs muris, propugnaculis atque arcibus excisa, cum viribus viros plerosque bellatores, tot continuatis exitiis oppressos, amiserat. Verùm cladis hujus Attilanæ, neque scriptorem, neque oculatum testem, licet adhuc superstitem, Salvianum extitisse, nobiscum facilè statuet, quisquis Salviani scripta vitamque cum his Trevirorum fatis temporibúsque composuerit. Neque dubitem communi illa Galliarum tempestate ejectum Treviris ad tutiora sese loca recepisse, quanquam Sigebertus nihil ab ejus furore tota Gallia securum fuisse asserat. sic enim habet: *Attila à Pannoniis egressus occidentale Imperium invadit, cum quingentis millibus armatorum. Et primò per totas Gallias per eos tanta efferbuit indignatio, ut nullam omninò civitatem, castellum vel oppidum, aliqua à furore ipsius potuerit tutari munitio.* Quod quanquam liberaliùs dictum existimem, cùm infra Coloniam ad Batavos & occupata à Saxonibus loca maritima, sese extendisse hanc barbariem Hunnorum vix memorabili à nobis exemplo cognoscatur; tamen quin longè latéque sese effuderint tot centena hominum millia, quorum Orosius Sigeberto plura, hoc est, septingenta millia censuit, dubitandum non est, Aëtio præsertim Romanorum Duce procul absente, & Theodorico Gothorum Rege, alteróque Chlodionis Francorum Regis filio faventibus: qui invisam sibi Romanorum potentiam hujus potissimùm armis infringendam, ac multitudine obruendam sperabant.

Aimoi. lib. 1. cap. 6.

Sigeb. in chron. ad an. 451.

IV.

Attila Galliarum vastator à Deo punitus.

Neque fefellisset opinio, nisi Attila in unius prælii aleam totius fortunæ periculum conjecisset. in quo Jornandes centum sexaginta duo hominum millia occubuisse, immani mortalium strage, commemorat, Attilámque desperatione rerum suarum rejectum in Pannoniam justâ Dei in arrogantem sacrilegúmque hominem vindictâ, qui nullis totâ Galliâ Dei sanctorúmque Basilicis violentas manus abstinuit. Agrippinæ tamen (si fas est credere antiquissimo Encomiastæ S. Ursulæ circa annum Christi quingentesimum, ut Gelenius & Crumbacchius referunt, peroranti) post incensam à Barbaris sub Attila Divarum Ursulæ sociarúmque Virginum cum suburbiis Ecclesiam, pavore cælitus immisso in fugam cum suo exercitu conjectus memoratur, ut ex hoc manasse principio illa Hunnorum in tot Virgines exercita crudelitas videatur, cujus rei veritatem licet suis ego autoribus propugnandam relinquam, proxima tamen Annotatione in hæc propiùs inquiram.

VI. ANNOTATIO ad annum Christi 454.

De sublato perfidè Aëtio.

NOn abs re futurum arbitror, si hoc loco de Petronio Maximo ad Treviros suâ origine spectante, atque hinc ad Senatum Romanum traducto, illa quæ Procopius refert, adferam. *Maximus*, inquit, *erat quidam è Senatoribus, è stirpe illius Maximi Tyranni, quem (Treviris diu occidentale moderantem imperium) Theodosius senior sustulerat, pro qua victoria Romani quotannis festum agunt. Huic uxor formosissima simul & prudentissima erat; quâ Valentinianus incensus cùm potiri cuperet, resq; admodum ardua foret, rem iniquam excogitavit. Maximum jussit ad se in palatium venire, quocum talis colludens, auro certo proposito, annulum ejus victor nactus est. Hunc clam ad uxorem mittit viri nomine, ut quàm primùm signo perspecto in palatium salutatum Imperatricem Eudoxiam veniat. Illa subitò paret, ac statim in Gynecæum longè à paratis ad id mulieribus deducta est, ubi Valentinianus occurrens vim ei attulit. Illa posthac mæsta domum regressa, calamitatem fatumq; suum flere, virumq; magnoperè detestari cæpit, ut qui occasionem isti rei dedisset. Maximus dolore ingenti perculsus, de insidiis contra Imperatorem secum meditabatur. Cumq; videret Aëtium tunc maximum Ducem, qui paulò ante clarissimam de Attila Massagetarum, Scytharumq; Rege victoriam retulerat, iis consiliis obstare; statuit suspectum illum Imperatori reddere. Tempus quoque commodum tunc visum, quòd longè abesset, quòd spes in eo potissima Romanorum esset; cum Eunuchis agit, quorum uti fidissimorum custodiæ, sui custodiam tradiderat Imperator, ut ei persuaderent Aëtium rebus novis studere. Imperator facilè credens, suspectamq; habens illius virtutem, mandat ut interficiatur.*

Procop. lib. 1. de bello Vandal.

I. Valentinianus Imp. flagitiosâ libidine Maximum ad ultionē accendit.

Fertur & proximum quendam ex Romanis interrogâsse: an Reip. foret utilis Aëtii mors? ille respondisse. Hoc ipse videret, benè an malè: se tantùm scire, quod sibi dexteram alterâ manu incideret. Igitur sublato Aëtio, Attila, ut qui nullum ampliùs adversarium haberet, nullo negotio cunctam populatur Europam, Occidentisq; imperium tributarium Constituit... Interea Romæ Maximus nullo negotio Imperatore interfecto tyrannidem capit, Eudoxia potitur, eamq; sibi conjugio jungit, quum fortè antea prima uxor decessisset, ejusq; tandem amore, dum unà cubaret, se fassus est virum interfecisse. Quare illa exacerbata priùs animo, ac de ultione viri cogitans, multò magis ob ejus verba & animum impudicum detectum, ad vindicandum facinus est incensa. Ubi igitur illuxit, Carthaginem mittit rogatum Gizericum (alii Gersericum, vel Gensericum Van-

II. Fortissimū militiæ Ducē Aëtium à Maximo falsò proditionis insimulatum Valentinianus deceptus tollit.

Postea ipse à Maximo interficitur, cui Eudoxia invita nubit.

dalorum

III. Eudoxia Maximum Genserico Vandalor. Rege advocato prodit.

dalorum illic Regem vocant) ut viri necem ab impio tyranno interfecti ulcisci velit. Ipsam verò indigna ab eo pati, imperium occupatum, omnia perditum iri. Addit quoque ex officio illum facturum, si adflictis auxilium ferat, quum in amicitia societateq́; Valentiniani esset. Constantinopoli nullam esse spem, Theodosio jam extincto, & Martiano imperante. Gizericus itaque avaritiâ inprimis permotus, speq́; opum maximè consequendarum, ingenti classe in Italiam adnavigans, Romam nullo adversante ingreditur.

IV. Ipsa, interfecto Maximo, cum Romanis opibus captiva in Africam abstrahitur.

Maximum è vestigio Romani fugientem insectati lapidibus obruunt, membratimq́; discerpunt. Gizericus verò Eudoxiam simul cum Eudocia & Placidia ejus ex Valentiniano filiabus capit, gazamq́; omnem imperatoriam in navibus positam secum in Africam tulit, ac si qua erant Romæ decora, inter quæ Jovis Capitolini tegularum ex ære auratarum partem dimidiam adripuit. Unam verò ex his navibus, ubi statuæ fuerunt, tempestate periisse dicunt; cæteras incolumes in Africam delatas.

V. Ita in libidine & ulciscendi cupiditate Roman. Imperium evertitur.

Hæc ex Procopio fusiùs dare placuit, tum ut animadverteres quomodo Deus scelera per scelestos plecteret, tum quemadmodum aliorum libidine, aliorum ulciscedi cupiditate, occidentale Romanorum Imperium præcipitarit; denique in extremum conjecerit exitium, barbarisque prædam fecerit. Valentinianus adulterio parricidium fidelissimi fortissimique Ducis Aëtii jungit, totúmque velut uno ictu exanimat Imperium, cùm illum Europæ defensorem, ac terrorem barbarorum, victimam alienæ cupiditati cædit, mox ipse futurus ejusdem tyranni victima. Maximus justum conceperat ex Valentiniani libidine dolorem, si justiore illam vindicta prosecutus, alienum simul imperium thalamumque (libidinis, per libidinem simul & crudelitatem, turpis juxta ac sævus ultor) non invasisset. Hæc ultionis immanitas cum Europa Gallias, Belgiúmque, ac Treviros etiam nostros, novis calamitatibus involvit.

Barbari quaquaversum in illud erupére.

Nimirum Saxones ex Batavia jam occupata in Britanniam Armoricúmque sese tractum effundebant Franci sub Meroveo Chlodionis vel ex concubina filio, vel affini, aut saltem Duce (in quo variant) generoso certè milite, ac Rege abs se; cæteris Chlodionis filiis diffidentibus electo, hanc vacillantis Romani Imperii occasionem avidè prensabant, ut regni in Galliis feliciter auspicati terminos per fertilissimam ejus cœli regionem latè propagarent.

VII. ANNOTATIO
ad An. Chr. 451. quæ tamen ad 237. referenda esset.

De historia S. Vrsulæ, & aliorum id temporis Martyrum, inter quos censetur S. Autor Trevir. Episcopus.

I. Quæ in historia Ursulana potissimùm controvertantur.

Controversia, quæ Ursulanæ passionis tempus locúmque ac personarum unà patientium diversitatem, velitationes in Oceano Britannico maritimas, ac profectionem Romanam, Cardinaliúmque, & Cyriaci Rom. Pontificis comitatum spectant, prioribus quidem sæculis agitata, hoc nostro magnis dissentientium concertationibus recruduit. Inter quos palmam facilè obtinent, duo Societatis Jesu scriptores Hermannus Crumbach Agrippinensis, & Michaël Alfordus Britannus; quorum hic Broweri nonnullibi vestigiis insistens, ut tot Virginum pro Christo ab Hunnis seu Coloniæ, seu ad Rheni ostia occumbentium Martyrium indubitatum sustinet ita, plereque cætera, vel inter incerta, vel inter fabulosa aut adynata collocat. Tempus patientium ad annum rejicit 453. salutis nostræ (quod Browerus biennio anticipat) Virginum in mari triennales velitationes lusumque ridet, Romanam peregrinationem aspernatur, Cardinales & Cyriacum ignorat; timidus, ut & Browerus noster, in iis rebus admittendis, quæ ut aiunt, revelationum magis, quàm historiarum veterum autoritate ac fide nituntur, quod illis majus, quàm his aberrandi periculum censeat immisceri.

II. In proponendo sepulchri signo Browerus ab originali discedit.

Cujus argumenta evolvere omnia, cùm à Trevericæ historiæ instituto alienum esse ducam, illud tamen cùm brevi historiæ discussione, videor præterire non posse, quod Browerus in Elisabethæ Schonaugiensis revelatione velut erroneum de signo sepulchri Ætherii perstringit. Nam ubi ipse usitatum Christianis signũ, quod inter A & Ω literas Christi nomen exprimit, in historia proponit;



ibi Crombachius, originalis ipse scripti ab Egberto fratre Elisabethæ Schonaugiæ asservati inspector figuram longè diversam, ab ipso etiam Browero agnitam, observat, quæ in forma Crucis R, E, & X in sinistro latere, & A in dextro, ita ut vides, complecteretur.

Quo quidem signo Elisabetha se ex revelatione S. Verenæ, quæ in Virginum numero fuerat, didicisse ferebat, indicatam esse Axparam, (A literâ tertiò repetitâ) consanguineam Ætherii, juxta sepultam. Si tamen meæ res interpretationi relicta esset; malim per initialem A vel Æ (quod verius censeo) literam *Ætherius*, & per cæteras disertè positas *Rex* legere: cùm in Axpara nullum Є sive E observetur, ipsique etiam monumento Ætherii figura incidatur, & Regis nomen in præmissa epigraphe negligatur; quod tamen signandum in primis videbatur: nisi fortè malis legere *Rex* & *Axpera*: ita enim in hoc signo utriusq; nominis literas reperies, & juncta intelliges corpora.

Interpretatio signi sepulchralis S. Ætherii.

Sed neque diffiteor Browerum ε in ω convertentem, non adeò absonè locutum, cùm familiare post Constantini Mag. ætatem priscis esset, hoc salutiferi nominis signum mortuorum sepulchris imprimere. Dubium nobis esse, de vita Elisabethæ, ejusque aut fratris Egberti integritate in tradendis à Deo acceptis non potest; sed quis fidem faciet, nihil in exceptione rerum traditarum, & ad posteros transmissione, irrepsisse humanum; cùm libido augendi mutandique præsertim ubi reprehensorem minùs formides, tuóque ingenio rem factam velis, nimium mortalibus sit familiaris? Quare historico in has tenebras revelationum sese abdenti, obscura semper est veritas, nisi cùm

alia probatorum testium scriptorumque simul autoritate fulcitur; tum enim ex ejusmodi interpretum, quorum vita à mendacio remota est, testimoniis non immeritò potest stabiliri.

III. *In S. Ursula vindicata Coloniæ impressa 1647.*

P. Crumbach Revelationes nõ pro fundamento historiæ; sed confirmatione adhibuit.

Quocirca Crumbachius cum Philippo Bebio qui ad Christi annum 237. Virginum Martyria retulêre, tam in credendo levis, in asserendo temerarius non fuit, quàm illum, non sine ludificatione, Alfordus fecit. Revelationes D. Hermanni Steinfeldiensis, aut certè Anonymi, atque Elisabethæ Schonaugiensis exploratæ apud nos sanctitatis hominum, ad historicæ relationis confirmationem, tanquam aliquod veritatis sigillum apposuit; non ut fundamentum collocavit. Priscam ipse producit Agrippinatum historiam S. Cuniberti ævo forsan & autore, ex priscis utique tabulis diligentiùs exaratam, non ex revelationibus, ut nonnulli fingunt, cusam, cùm ad eam revelationes ipsæ, ceu Ducem nos ablegent: Plurima veterum producit monumenta, inscriptósque Martyrum tumulis, cum ipsis nonnunquam annis (de quibus potissima est concertatio) titulos: ut prodigii instar & prope inauditæ in historia fraudis esse debeat, si tot lapides inscriptione suâ mentiantur.

IV. Auctor Trevirensis Episcopus, tẽpore Martyrii S. Ursulæ.

Recitat id ætatis viventium morientiumque Episcoporum nomina, qui in hanc caussam participes ævi vel etiam Martyrii venerunt, in quibus Pantulus Basileensis, auctor Trevirensis, Foilanus Lucensis, aliique, quorum vitam ad hoc tempus diversarum Ecclesiarum monumenta retulêre.

V. Non sine historiæ fundamẽto S. Cyriacus Põtificibus Rom. accensetur.

De Cyriaco Pontifice, loco Pontiani exulantis Sedem Rom. administrante, Ursulámque Coloniam ad Martyrium secuto, gravior solet esse difficultas. Verùm Augustinus Triumphus, Joannes Andreæ, Dominicus à Geminiano, S. Antoninus, Ludoicus Gomes Episcopus Sarmiensis, aliique apud eundem; hunc Cyriaco locum tribuunt, relictâque successori Anthero sede, Virginum apud Ubios triumphantium palmam auxisse contendunt, quibus Baronius frustra repugnat, quando alios plures longè minori adstipulatione fictos catalogo donat, præsertim cum historia Lombardica dictet, expunctum à clero Pontificum catalogo fuisse; quòd reluctantibus Romanis sede abiisset. Ego titulo sepulchrali multum censeo tribuendum, qui talis à Gerlaco Tuitiensi Abbate, viro literis ac pietate celeberrimo, sub Adriano Papa IV. & Friderico Rom. Imp. anno Christi 1155. repertus est.

Cur à Romanis Pontificium catalogo expungatur.

S. Cyriacus Papa Romanus, qui cum gaudio suscepit sacras Virgines, & cum iisdem reversus Martyrium suscepit. Alia lapidis epigraphe hæc fuit. *S. Foilanus Lucensis Episcopus veniens ab Apostolica sede missus, hoc in loco fuit occisus, & cum istis S. Virginibus est sepultus, & ferro peremptus.* Alterius sepulchri inscriptio talis est. *Pantulus Basileensis Episcopus Virgines sacras cum gaudio susceptas Romam perduxit, unde reversus Coloniam pervenit, ibiq; cum eis Martyrium suscepit.* Hi, aliique tituli, & in Ecclesia Ursulana, & in ipso Gerlaci autographo apud Tuitienses asservantur. Hæc igitur quando cum probata illius ævi historia conspirant, talesque id ætatis, locorumque agnoscuntur Episcopi, aut solidioribus argumentis à contradicentibus confutanda sunt, aut præjudicium obtinent inconvulsæ veritatis.

Ipsi adversarii Religionis nostræ, & peregrinationum sacrarum hostes, qui cum Molinæo hoc funditùs pietatis, sæculis primis institutæ, exemplum destructum vellent, hîc clarâ luce veritatis perstricti suffragantur: & Catholici sint, præsertim Britanni, qui non suæ tantùm genti, sed toti Ecclesiæ hanc gloriam ereptum eant: quando etiam suæ nationis Capgrawium in vita S. Ursulæ repugnantem cernunt? VI.

Ursulinarum Virginum peregrinatio certis testimoniis stabilitur.

Hæretici Catholicos illos obluctatores, opinor, ad saniorem sensum reducent. Joannes Stumphius eruditus historicus de Rauracis ita disserit. *Chronicon Basileensium nominat primum loci Episcopum S. Pantulum, qui Imperatore Maximiano, & Pontifice Pontiano, anno 237. rexit Ecclesiam, & unà cum undecim millibus Virginum Romam profectus, indeq; reversus in Germaniam Coloniæ cum ipsis martyrio affectus est.* Sebastianus Munsterus in suis Cosmographicis ejusdem, sed dubiâ fide, meminit. *Malunt*, ait, *primum Basileensium fuisse S. Pantulum circa tempora Martyrii undecim millium Virginum. Sed quia de hac historia aliqui dubitant, ego relinquo in medio.* Absolutiùs Henricus Pantaleon rem firmat, copiosiusque per adjuncta prosequitur. *Pantulus*, inquit, *Rauracorum Præsul Basileæ à Bisontina Ecclesia ordinatus, &c. magno zelo ibidem Christum docuit, atque Ecclesiam jam priùs cœptam in vera religione sui prædicatione confirmavit, id quod factum est anno 235. Accidit autem, ut eodem tempore S. Ursula Virgo Britannica, undecim millibus Virginum comitata, religionis ergò Romam proficisceretur. Ea cùm Basileam pervenissent, à Pantulo Episcopo liberaliter susceptæ, & in fide confirmatæ fuerunt.* Post hæc subjicit rem ad veritatis testimonium meritò observandam. *Extant*, ait, *adhuc Basileæ ejus profectionis de S. Ursula monumenta quædam, præsertim in earum hospitio, circa salis turrim, ubi diversatæ fuerunt.* Addit eundem Pantulum Romani itineris ducem, & Coloniam usque reducem Martyrii coronâ donatum, licèt alios in tempore à se referat dissidere. Urstisius denique in Epitome Basileensis historiæ asserit. *De Pantuli tempore, auctorum discrepantes esse sententias, ante monui* (Nota quæ sequuntur) *universi quidem ejus pastoralem curam D. Ursulæ peregrinationi conjungunt, eumq; simul accepisse Martyrii lauream referunt.* Et inferiùs. *Si ergo Pantuli Episcopalis cura in annum 230. incidit, patet piorum hominum cœtus, Christum sincerè colentium, &c. extitisse, dum Romani his terris imperitarent, vigeretq; publicè Gentilismi idololatria.* His & Trevirensis Ecclesiæ fasti adstipulantur, qui Auctorem Episcopum illic præfuisse circa annum salutis 236. memorant, & Martyrii palmâ haud multò post donatum, licèt causam locumque non exponant. Quibus opinor Alfordus testimoniis maturè ponderatis, admissisque, plus ad veram fidem gloriamque adjumenti suis Britannis contulisset. Verùm & Hetrusca tantæ rei historia momentum non

Lib. 12. c. 23. — *Lib. 3. Cosmog. c. 94.* — *Ad an. 237.* — *Cap. 7.*

non leve est allatura, quæ in Catalogo Sanctorum Italiæ apud Ferrarium de Foilano sic scribit: *Foilanus quartus Lucensis Episcopus eximiâ sanctitate refulsit, qui à Pontifice Romano cum Simplicio Episcopo Coloniam missus, ibi post multa incommoda, quæ passus est, demum Martyrio pro fidei defensione coronatus est 12. Cal. Novemb. quâ die Ursula Virgo cum sociabus virginibus, ab Hunnis ibi Martyrium passa est.* In cujus rei fidem monumenta, tabulasque Ecclesiasticas producit.

Ferr. in Catal. SS. 12. Octob.

VII. His demum Gelenius, accuratus rerum Coloniensium investigator, de Ursulana Ecclesia differens, his verbis subscribit. *Initium hujus Basilicæ debetur anno, quo tot Virginum millia pariter pro fidei & virginitatis amore fecerunt Martyrium. Is est salutis reparatæ, Eusebiano & vulgari calculo 237. vel sequens; ut (observa fundamentum) traditio Coloniensis, sepulchrales inscriptiones omnes, vetusti M. SS. Codices, & autores permulti Classici consentiunt, sub dominatu Maximini Gothi S. Ursulam cum Sodalitio Coloniæ trucidatam esse. Regebat eâ tempestate Coloniensem Cathedram S. Aquilinus, à Protoepiscopo S. Materno D. Petri discipulo quartus Antistes, &c. Qui reduces propè Coloniam insigni Martyrio laureatas 12. Octobris fugatis divinitus hostibus ... perhonorificè tumularat. In hujus agri limite occiduo (quem S. Ursula Regina cum multis Episcopis, Regibus, & præcipuis Virginibus sanguine purpurârat) idem Aquilinus eodem anno & mense, cum civibus, præsertim gente Clematiorum, & Clero, magnificum cœpit Templum, vel Memoriam, aut Martyrium (ut tunc dicebatur) ædificare, quod ab ipsis SS. Virginibus, veterrimâ nomenclatione, Sanctarum Virginum undecim millium dicebatur. Ita diplomata Coloniensium Archiepiscoporum antiquiora jam inde ab octingentis annis, Guntharii, & sequentium, Hermanni primi, Wichfridi, S. Brunonis, & aliorum dictam Ecclesiam nominârunt.*

In Sacrario Agrip. lib. 3.

Tempus Martyrii Ursulani.

VIII. Hæc ille, quæ latiùs, suisque etiam probationibus fulcita Crombachius prosequitur; ut mirum sit scriptorem inveniri posse, qui adversum tam luculenta testimonia calamum stringere audeat, Britanniæ præsertim, cui nescio, an ex veteri historia laus possit religionis major illustriorque offerri. Si monumentorum fidem à vetustate tollimus, præcipuum veritatis fulcrum demolimur, si tot oculatis nulla fides testibus, quibus ipsimet religionis nostræ hostes suo etiam cum dedecore & confusione manus porrigunt, cui denique erit credendum? Reperies apud Crumbachium, præter Sigebertum, centenos & ampliùs autores Romanum Virginum iter adstruentes: & quâ autoritate his obniteris? Invenies Coloniæ domum stellatam, Basileæ Ursulanam earum hospitiis nobilitatam, Rheinfeldiæ fontem à Cunigende, Mechtilde, & Wibrande excitatum, Eihelæ dicatam sepulchris illarum Ecclesiam, Argentinæ funus Aureliæ multis prodigiis celebratum, monumenta atque indicia peregrinationis Romanæ: & quâ fronte hæc universa despicies?

Indicia hodierna peregrinationis Romanæ.

IX. Verùm incredibile adversantibus Ubiorum traditioni videtur, tot Virginum, junctarumque his, cùm matronarum, tum virorum millia professione Christianâ, inter ubique adhuc per Germaniam dominantes idololatras, sub ethnico Imperatore rerum potiente, tam difficile per infestos hostes, Alpiumque invia, Romam usque, atque inde Coloniam iteratò penetrâsse. Non diffiteor ardua hæc, atque in sexu tali inexspectata commemorantur. Hinc tot, quot supra monui testimoniis scriptorum, monumentisque locorum signata res, hinc celeberrimum toto orbe Virginum Martyrium, tot miraculorum signis per universam Europam, quaquà earum reliquiæ delatæ sunt, illustratum. Quæ longè infra illam gloriam, fortè & Martyrii plerarumque æstimationem subsisterent, si sola illos Saxonum fuga ex Britannia Coloniam, in Hunnorum manus transtulisset. Cæterùm peregrinationes ad loca sancta, ut à primis Christianorum sæculis usitatæ, ita Alexandro adhuc Mammææ filio, principio anni 237. usque ad Octobrem, regnante, insigni Christianorum fautore, atque illo tempore, quo per Virginum iter Coloniæ, Treviris, Moguntiæ, Argentinæ, Constantiæ, Mediolani, aliisque cùm Germaniæ, tum Galliæ, Italiæque locis, Episcopi rem Christianam moderabantur, institutas Romam esse, nihil habet, quod cum ratione viribusque piarum atque animosarum Virginum pugnet, solamque ex raritate admirationem, ex religione laudem, atque ex zelo Martyrii immortalis in cœlo terrisque gloriæ coronam occupavit.

Peregrinatio hæc difficilis quidem, sed non incredibilis.

X. Sed Hunni, aiunt, Virginum, memorantur in historia Ubiorum interfectores, hos autem sæculo tertio Maximinum duxisse nemo asserit; Attilam sæculo quinto toti orbi metuendos immisisse constat. Nihil his moveor. Nam & Maximinum, origine Gothum, adductos junctosque sibi Hunnos & Alanos inter milites duxisse: cùm Italos maximè haberet, ob tyrannicum ingenium atque ignobile genus infestos, vix possumus inficiari. Certè Arnoldus Lubecensis Abbas de Auctore Trevirorum Archiepiscopo disertè hæc asserit. *Idem Pontifex Auctor, cum terra sua ab Hunnis vastaretur qui SS. Virgines Coloniæ trucidarant, civitatem Trevirorum tunc regebat, & orationibus suis illæsam protegebat*: quanquam eundem haud multò post eadem tempestas sævientis tyranni sustulerit, cùm tanquam bonus pastor animam pro grege posuit.

Hunni Virginum interfectores in Maximini exercitu fuere.

Lib. 4. cap. 8. Chron. Sclav.

Et verò faciamus Maximinum non duxisse Hunnorum exercitum: tempore tamen D. Cuniberti, quo Ursulana historia conscripta est, ob celebratam Hunnorum feritatem, mirum neutiquam videri posset, hanc vocem ad barbaram Maximinianorum crudelitatem exprimendam, præ cæteris, esse adhibitam, cùm Maximinus exercitum ab iisdem, unde Attila traxit regionibus collectum, sub Alexandri signis auspiciisque haberet; ut nunc Turcarum exercitus dicitur, qui multos sub se Hungaros ac Tartaros complectitur. Accedit quod Maximinus Christianis longè quàm Attila infestior, ut hunc à tam immani virginicidio magis abhorruisse credendum sit. Quin etiam si ejusmodi crudelitas in Attilæ tempus facinoráque incidisset, diversorum utrique historicorum illius gesta prosequentium,

qui tam rara atque inaudita minimè dissimulassent, calamis designata fuisset, quorum silentium prope invictum nobis est alieni remotiorisque temporis argumētum: cujus scriptores, si non defuerint, certè injuriâ gentilium, generosa Christianorum certamina omni studio occultantium, subducti interciderint, quod periculum ævo sævientis Attilæ, vulgatâ jam orbe toto religione, prope erat discussum.

XI. Britanni scriptores inconsultò resistunt.

Quamvis igitur in hac Agrippinatum sententia ingens ille Christianarum Virginum numerus, in regno, cum densis adhuc gentilitatis tenebris luctanti, admirandus consideranti rem penitiùs sese offerat: tamen nihil in illo occurrit adynaton; quando Zelo industriáque D. Ursulæ, suum initio consilium dissimulantis, sensim plures in societatem adductas, ad orthodoxam ab errore fidem traductas quoque existimandum est: ut non tantùm sine justa ratione Britanni, quorundam non magnæ fidei scriptorum suorum conjecturis, nixi potiùs, quàm assertionibus, tam firmatæ traditioni, totque historiarum, ac præsertim antiquitatum monumentis, quibus par nihil opponere queunt, resistant; verùm cum gloriæ etiam propriæ jactura obluctentur, eximiumque tot Virginum decus, quod ex Romanæ peregrinationis instituto, pietatisque rarissimæ exemplo, colligunt, si non omninò auferant, certè imminutum eant.

XII. Locus Martyrii non fuit ager Veronensis sed Coloniensis.

Quæ de Romanis Cardinalibus Regibusque illorum Martyrio immixtis obmovent, sat peritè Crumbachius diluit, ut his à meo etiam instituto alienis manum jure abstineam. Quæ de revelationum adjunctis inserunt, suis ego autoribus relinquo, atque in historia, aliunde satis probata, quiesco. Cæterùm Martyrii palæstram non agrum Veronensem, sed Coloniam Ubiorum extitisse contra Alfordum Browerus abundè tam ex literatis templi Clementiani saxis, quàm ex Wandelberto aliisque vetustis monumentis evincit, infringitque, haud multò post, conjecturas quibus iter Armoricanum, nuptialésque virginum in Gallia thalamos, ac novæ istic Britanniæ sub Attila stabilire primordia nititur, dum ex Sidonio, Venantio, Gregorióque Turonensi docet, non nisi sexagesimo post Attilam anno, qui salutis fortè erat quingentesimus decimus, Britannos insulâ suâ ejectos Armoricam insedisse. Quæ cùm repetere otiosum sit, ad Browerum te remitto, & sicubi ambigas, Crumbachii fundamenta cum Alfordianis composita poteris expendere, & intelliges hac in causa, quam diversorum scriptorum judicia ancipitem reddunt, muta etiam saxa incorruptam ferre apud Ubios sententiam. quibus si historicus fidem non præstat, videat sanè, ne intractabilior saxis ipsis jure videatur.

VIII. ANNOTATIO.

De Arbogaste, Auspicio & Iamirico, seu Iamblycho Trevirorū Archiepiscopo.

Tollunt Broweri de Auspicio, & Arbogaste hæsitationem, quæ deinde per Marquardum Freherum ex Bibliotheca Palatina Hanoviæ excussæ sunt Francorum Epistolæ. in quibus & Auspicium hoc tempore Tullensium præfuisse Ecclesiæ Episcopum, & Arbogastem ex celebri illa apud Treviros Comitum priscorum familia, regundæ urbi fuisse præfectum haud obscurè constat. Tum verò, quod observatu dignissimum est, Himerium Jamblychum (quem corruptè vulgus Jamiricum, vel Jamnericum appellabat) Trevirorum Augustæ præfuisse Archiepiscopum, cujus Auspicius Tullensis supremum in se jus, dignitatemque Archiepiscopalem venerabatur. Ipsam Epistolam jambicis, sed comicæ brevitatis, versibus conscriptam, hoc loco reponamus, quæ ut egregias Arbogastis dotes, ità Archiepiscopi nobis æstimationem paucis exponet. Sic habet num. XX.

I. Himerius dictus Jamblychus Archiepisc. Trevirorū, ab Auspicio Episcopo Tullensi laudatus.

Marq. Freherus in Corpore Francic. edit. Wechelianæ an. 1613. p. 200.

EPISTOLA AUSPICII EPISCOPI Ecclesiæ Tullensis ad Arbogastem Comitem Trevirorum.

Præcelso * *& spectabili his* Arbogasto *Comiti*
Auspicius, *qui diligo, salutem plurimam.*
Magnas cælesti Domino rependo corde gratias,
Quod te Tullensi proximè magnum in urbe vidimus.
Multis me tuis actibus lætificabas antea,
Sed nunc fecisti maximo me exsultare gaudio.
Major enim solus apparuisti omnibus,
Ut potestatis ordinem illustri mente vinceres.
Cui honor debitus majori nobis gaudio,
Nondum delatus nomine, jam est collatus meritis.
Plus est enim laudabilem virum fulgere actibus,
Quàm prætentare lampada, sine scintilla luminis.
Sed tu qui totis gradibus plus es, quàm esse diceris,
Erit credo velocius, ut reddant merita.
Clarus enim genere, clarus & vita moribus,
Iustus, pudicus, sobrius, totus illustris redderis.
Pater, in cunctis nobilis, fuit tibi Arigius;
Cujus tu famam nobilem, aut renovas, aut superas.
Sed tuus honor ejus est, ejusq; tibi permanet,
Et geminato lumine, sic tu præclaris omnibus.
Cujusque nemo dubitet felicitati præstitum,
Ut superesset genitrix tibi laudanda omnibus,
Quæ te sic cunctis copiis replet, & ornat pariter,
Ut sis abundans usibus, & sis decorus actibus.
Congratulandum tibi est, ô Trevirorum civitas,
Quæ tali viro regeris, antiquis comparabili,
De magno origo semine descendit tui nominis:
Certè virtutis ejus est, ut Arbogastis legitur.
Scribantur in Annalibus hujus triumphi pariter,
Sicut, & ejus scripti sunt, quem supra memoravimus.
Sed hoc addamus meritum huic, qui verè major est,
Quod Christi nomen invocat religioni deditus.
Fuit in armis alacer, ille antiquus; verum est:
Sed infidelis moritur, & morte cuncta perdidit.
Hic autem noster strenuus, belligerosus, inclytus,
Et quod his cunctis majus est, cultor divini nominis.
Nunc autem, fili sapiens, quæso dignanter accipe
Tui cultoris paginam, quam ex amore porrigo.
Primùm deposco, cupias collatas tantas gratias
In te reserves integras, & bonis multis affluas.
Unum repelle vitium, ne corda pura inquinet,

* expectabili vitiose legitur.

II. Arbogastes Comes Trevericæ urbis præfectus.

Pater Arbogastes Arigius laudatus.

Mater pari laude insignis.

III. Urbi Trevir. præfectus Arbogastes à magno Arbogaste oriundus.

Major avo Arbogaste propter fidem Christianam.

IV. Monita salubria Rectori populi data.

Quod

Vitanda cupiditas.

Quod esse sacris scribitur radix malorũ omniũ:
Cupiditatem scilicet, quæ in alumnos desævit,
Nec sæva parcit rabiem quorum amore pascitur:
*Hos, inquam, semper devorat, famem * edendi perferens:*
Et velut ignis addito succensa crescit pabulo.
Sed hæc non ita dixerim, quòd te hoc damnem crimine;
Tamen deposco diligens, ut nec scintilla vulneret.
Quam si fortè improvidus quandoque insęcaveris,
Citò flagrabit nimium augendum incendium.
Tende per mundum oculos, cerne primates sæculi,
Aut interire cupidos, aut in periclis vivere.
Corradunt, quærunt, inhiant, velut canes avidi,
Et hæc nec ipsi possident, sed nec relinquunt posteris.
Tamen non generaliter ista de cunctis dixerim;
*Sed ut paucorum dedecus sit multis * emendatio.*
Tu autem, vir eximie, judex multorum providus,
Tui repentè pectoris secreta judex perspice.
Hujus si ullam senseris parvã veneni guttulam,
Dulci perfunde oleo, ne serpat in visceribus;
Nec hoc ignoras oleum pro tua sapientia,
Quod est cunctorum pauperum mercatum eleëmosynis.
His te exerce studiis, hæc cuncta bona perage,
Ut mea tibi maneant, & perseverent gaudia.
Nam parum esse noveris, si quisquã nulla rapiat,
Et obdurata pectora sua præcludat miseris.
Non multum sibi consulit, qui sic evitat rabiem
Cupiditatis, ut simul incurrant avaritia.
Nam ista duo crimina, velut cognata genere,
Et geminata specie nimis conjuncta permanent.
*Hæc qui sectantur miseri, hoc uno * distant vitio,*
Quod unus horũ malus est, & ille alter pessimus.
Unde, mi chara dignitas, tu quæso, fili unice,
Sic ab alienis abstine, ut tua Sanctis tribuas,
Illudq; super omnia memor in corde retine,
Quod te jam Sacerdotio præfiguratum teneo.
Hanc, quæso, serva gratiã, & illis cresce meritis.
*Ut prælocuta * populis vox cælo sacra veniat.*
*Sanctum, & primum omnibus nostrumq; Papã * Iamblychum*
Honora, corde dilige, ut diligaris postmodum.
Cui quidquid tribueris, tibi in Christo reparas,
Hæc recepturus postmodũ, quæ ipse seminaveris.

* edendea

V. Avaritia regentes perdit.

* emenatio

Eleemosynis contra avaritiam pugnãdum.

* uno distat vitium.

Auguratur illum in Episcopatu Treverico Jamblycho successurũ.

* populi

* Iamblycum

Hæc Epistola, ut I. Sidonio lucem addit, quâ intelligas, quem ille Antistitem *consummatissimum virum* dixerit; & qua in urbe Arbogastes sedem fixerit; ita ab eodem vicissim mutuatur, dum ostendit Arbogasten Doctorum, Sanctorumque Episcoporum delectatum consuetudine, ad Sidonium, ejusque etiam consilio ad Auspicium dedisse literas, quibus vitæ piæ justæque traducendæ monita eliceret, atque illorum familiaritatem subiret. Unde etiam liberalis hæc Auspicii, quam Sidonius modestè declinârat, instructio promanavit. Jam verò Jamblychum hunc Trevirorum hoc tempore Archiepiscopum fuisse meritò credimus; ut quem Auspicius iccircò *nostrum* dicit, quòd non sibi minùs, quàm Arbogasti præfectum dignitate censeret, antiquissimo jure, quo Metæ, Tullum, Virdunumque hunc sibi Archidiœcesali authoritate apud Treviros præpositum venerati sunt. Illis tamen assentiri nequeo, qui hunc ordini Episcoporum Trevirensium, tanquam ab illis præteritum, inserere conantur. Quando neque locus illi idoneus superest, neque receptissimam, & tot diversorum authorum manu-scriptis exemplaribus, à prima retrò Christianorum memoria firmatam successionem, convellere fas est; tum deinde eosdem plura à diversis habuisse nomina, eademque sæpè diversimodâ scriptione expressa fuisse constet, illa præsertim, quæ à Græcis traducta, vulgi ignorantiâ malè usurpata, ac pronunciatione à nativa origine detorta fuère, ut icircò vel Himerium, vel Evemerum, hâc ætate Trevirensium Pontificio functos, hoc Jamblychi convenisse nomen, necesse sit. De Himerio verò cùm vulgò Jamricus, vel Jamnericus dictus legatur, non immeritò conjicimus dictum Jamblychum, quem ignoratione vocis Græcæ ita plebs rudis nuncupârit. Unde & origine Græcum, & utroque nomine Himerium Jamblychum appellatum fuisse, cum bona aliter sentientium venia, interpretamur. cessuri haud inviti, ubi justioribus rationibus quisquam oppugnârit.

VII. *Ægidius Bucherius in Belg. Rom. l. 19. c. 6.*

MS. Indices.

IX. ANNOTATIO
ad Annum 461.

Rescriptum Pontificis Leonis Magni quo descrimen inter Episcopos & alios Sacerdotes esse declarat.

LEonis Pontificis hoc loco rescriptum exhibendum censui, ut manifestum omnibus Romanæ Ecclesiæ, priscarumque consuetudinum oppugnatoribus evadat, quæ jam olim sacrarum cæremoniarum observantia, quod Episcopatûs Presbyteriique discrimen fuerit. Sic habet.

LEO ROMANÆ ECCLESIÆ & Apostolicæ Sedis Episcopus universis Germaniæ atque Galliæ Ecclesiarum Episcopis Salutem.

I. *Epist. 88 quæ est in Tom. concil. 86.*

CUm in Dei nomine in Romana Ecclesia Synodum Episcoporum, sive cæterorum consacerdotum, Christiq; fidelium coadunatam habuissemus, & de ordinationibus illicitis, super quibus crebrior ad nos illarum partium commeantium sermo pervenerat, atque de aliis necessariis Ecclesiasticis negotiis tractantes, sacrosq; Canones relegentes solerter egissemus; à multis lacrymabili nobis vultu relatum est, quod quidam Germaniarum ac Galliarum urbium Episcopi frequenter Chorepiscopos (qui juxta Canones Neocæsarienses, sive secundùm aliorum decreta Patrum iidem sunt, qui & Presbyteri) vel Presbyteros destinarent, qui absente Pontifice altaria erigerent, Basilicasq; consecrarent. Quod quidem non est mirum id præcepisse viros Ecclesiasticæ disciplinæ ignaros quod est Canonicæ regulæ contrarium, & statim à sæculari militia in sacerdotale ministerium delegatos, atque promotos. Ergò ne ultra talis à vobis licentia usurpetur, communi sententiâ statuendum oportuit; scientes, quia sicut Chorepiscopo, vel Presbytero illicita consecratio est altaris, ita & constitutio. In divinis enim literis

Leo Pontifex manifestum inter Episcopos & Choriepiscopos ac Presbyteros discrimen ostendit, & hoc in sacris administrãdis potestatem limitatam declarat,

præcipiente

Num. 4. *præcipiente Domino, solus Moses in tabernaculo Dei erexit altare, solus ipse unxit, qui utique summus Sacerdos Dei erat; sicut scriptum est de eo, Moses & Aaron in Sacerdotibus ejus. Ideoq; id quod tantum facere Principibus sacerdotum jussum est, quorum typum Moses & Aaron tenuerunt, omninò decretum est, ut Chorepiscopi, vel Presbyteri, qui filiorum Aaron gestant figuram, arripere non præsumant. Nam quamvis cum Episcopis plurima illis ministeriorum communis sit dispensatio, quædam tamen autoritate veteris legis, quædam novellis & Ecclesiasticis regulis sibi prohibita noverint. Sicut Presbyterorum aut Diaconorum, aut Virginum consecratio, sicut constitutio altaris ac benedictio vel unctio. Siquidem nec erigere eis altaria, nec Ecclesias vel altaria consecrare licet, nec per impositiones manuum fidelibus baptizandis, vel conversis ex hæresi paracletum Spiritum S. tradere, nec Chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare, nec publicè quidem in Missa quenquam pœnitentem reconciliare, nec formatas cuilibet epistolas mittere. Hæc enim omnia illicita sunt Chorepiscopis, qui ad exemplum & formam 70. discipulorum esse noscuntur, vel presbyteris, qui tandem gestant figuram, quoniam quanquam consecrationem habeant, Pontificatus tamen apicem non habent.*

Quæ omnia solis deberi Pontificibus autoritate canonum præcipitur, ut per hoc & discretio graduum, & dignitatis fastigium summi Pontificis demonstretur. Sed neque coram Episcopo licet Presbyteris in baptisterium introire, nec præsente Antistite infantem tingere aut signare, nec pœnitentem sine præceptione Episcopi sui reconciliare nec eo præsente, nisi illo jubente, Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi conficere, nec eo coram posito populum docere, vel benedicere, aut salutare, nec plebem utiq; exhortari. Hactenus Leonis Epistola quæ tamen integra absolutáque non videtur. Cùm neque conclusionem, neque diem annúmque complectatur.

II. Coram Episcopis multa Presbyteris non licent.

X. ANNOT. ET AUGMENTUM, ad annum Christi 476.

De Childerico Francorum Rege & Ægidio ab eodem superato, Trevirisque nunc huic, nunc illi servientibus.

I. DE Ægidio egregiâ cùm religionis Christianæ curâ, tum insigni armorum in bello, & moderationis clementiæque in pace gloriâ, Franciæ regnum per utrámque Belgicam & Germaniam inferiorem administrante, post depulsum solio à Francis Childericum, pauca mihi à Browero præterita, duxi adjicienda, quæ tam Gregorius, quàm Aimoinus in sua nobis historia suppeditant. *Meroveo*, inquit hic, *Rege Francorum hâc luce casso Childericus filius ejus solio sublimatur regio. Hujus regni primordia quibusq; bonis detestanda fuère. Hic namq; contra Francos primùm nequiter agens, cùm filias nobilium incesto contaminare non desisteret, regno ejicitur. Qui expulsus Regem Thoringorum Bissinum nomine petiit, tutam sibi apud eum latebram fore autumans: nec spe suâ frustratus est. Nam cuncto exilii sui tempore cum Rege conversatus, honorifico apud eum loco habitus est.* Erat ei quidam è Francorum proceribus familiaris (ut pressiùs meis verbis loquar) Winomadus nomine, qui ut furori tumultuantis populi cedendum suasit, ita spem reditus suâ industriâ Regi fecit, cui sensim popularium sese animos conciliaturum adpromisit, in eamque rem nummum aureum cum Childerico partitus, signum conciliationis fore dixit, si partem Regi submitteret alteram: nec differendum hoc pacto reditum suaderet. Cessit hâc lege Rex, Ægidióque, quem ex Romanis Gallias magnâ laude administrantem sibi Franci delegerant, locum fecit. In hujus quoque familiaritatem atque intima consilia Winomadus, quâ erat ingenii morumque felicitate, admissus est, ac fide jam per aliquot annorum decursu probatâ, Francorum nimiam Ægidio potentiam suspectam reddere fuit conatus, ideóque ut tributis magis premendos, sic potentiores quosdam atque infestiores Childerico è nobilitate, suasit, tollendos simul Francorum cæteros, tanquam ab hac aversus immanitate, ad vindicandam injuriam exteri hominis, revocato Childerico suæ gentis Duce, cœpit inflammare. Quos, ubi ad sua deprehendisset cõsilia pronos, Childericum submissâ aurei parte adesse jubet, & quanto licuit contracto per superiorem Mosellam Barrensemque ditionem milite venientem excipit, atque Ægidianis prælio victis, per Treviros Coloniam (ut habet Gregorii prior Epitome) ubi Ægidius hærebat, cum eodem progressus, magnâ Romanos clade stravit, Ægidio inde ad Suessiones fugâ elapso, nec multò post (insidiisne, an fato naturæ incertum) occumbente. Ejus loco Coloniæ per Germaniam inferiorem indulgente Childerico Sigebertus quidam ex consanguineis rerum potitus est; apud Suessiones Siagrius Ægidii filius successit, uterque postea Chlodovei victima.

Aimoin. l. 1. cap. 7.

Childericus Rex Franc è Gallia & solio eliminatus Winomadi aulici dolo reducitur.

II. Winomadus Mosellano armatus milite Ægidium Childerici æmulum profligat.

III. Childerici fortunam & amores Basina Bissini Regis Thoringorum conjux secuta, adulteri, cui hospes assueverat, thalamos conjugalibus prætulit. Quam ille posthabitâ cognati Regis benevolentiâ, neglectáque hospitalis lecti fide ac sanctitate, conjugii sibi legibus devinxit, ac Chlodoveum magnum ex ea Francorum Regem, sacrísque primùm Christianis initiatum suscepit. Tornaci multo tempore moratus, certè monumento sepulchrali conditus, quod nostro istic sæculo, sub Archiduce Leopoldo, anno Christi 1653. repertum, ossa cùm omni armorum regiique ornatus instrumento & inscriptione suâ exhibuit: rarum defuncti post tot sæcula Regis spectaculum. Sublato Ægidio Gallia universa inter Saxones, Francos, Alemannos, Burgundiones ac Visigothos aliquamdiu divisa fuit, nisi quod aliquam illius partem exiguo tempore Siagrius pro Romanis tuitus sit, donec Franci cæteris validiores, debellatis sensim reliquis, universæ propemodum Galliæ dominari cœperunt. Treviri sanè postquàm à Childerico occupati sunt, respirare ab hoc jugo aliquot sæculis non potuerunt.

Ex Basina Thoringorum Regi uxore Childericus Chlodoveum Magnum suscipit.

Ejus sepulchrum h[ac] sæculo repertum.

Treviri à Childeric[o] ad Franco[rum] imperium reda[cti] sunt.

XI. ANNOTATIO ad Annum 808.

De Chlodoveo Francorum ac Trevirorum Rege quemadmodum regnum armis dolisq; propagaverit.

I. Chlodoveus Magnus ad fidem conversus regnum fidemque promovere satagit, primus Trevirorum Rex Catholicus.

CUm Magnus ille Francorum Rex Chlodoveus, post obtentam ab Alemannis, auspiciis cœlestibus, victoriam, fideique Christianæ professionem publicam, jam & zelo propagandæ religionis, & cupiditate regnandi inflammatus, Belgica prima minimè acquiescens, huc omnem armorum pacisque curam verteret, ut regni limites amplissimis à Rheno & boreali oceano in meridiem spatiis propagaret, adeóque inter hostes amicósque parvo discrimine versaretur: Theodoricus Gothorum Rex in Italia, vicinam Chlodovei potentiam suum periculum interpretatus, eum ab armis, reliquiisque Alemannorum & Belgarum opprimendis revocare conatus est, literis (ex quibus fragmentum aliquod Browerus recitat) memoratu dignis, quarum consilium si Chlodoveus amplexus esset, Colonienses Belgiúmque inferiùs Francorum id temporis jugum non subjissent. Sic enim Theodoricus Chlodoveum (quem Luduinum, aut ut alii Ludovicum, quæ inflexione modica coincidunt, appellabat) in progressu Epistolæ alloquitur.

II. *Marqu. Freherus in Epist. Francorum n. 2.*

Theodorici Gothorum Regis literæ, quibus Chlodoveũ à belli consilio revocare conatur, ejus potentiam formidans.

Si cum reliquiis (Alemannorum) confligis, adhuc cunctos superasse non crederis. In talibus caussis accipere frequenter expertum. Illa mihi feliciter bella provenerunt, quæ moderato fine peracta sunt. Is enim vincit assiduè qui novit omnia temperare: dum jucunda prosperitas illis potiùs blanditur, qui autoritate nimia non rigescunt. Cede igitur suaviter genio nostro, quod sibi gentilitas communi remittere consuevit exemplo. Sic enim fiet, ut & meis petitionibus satisfecisse videamini: nec sitis solliciti, ex illa parte, quam ad nos cognoscitis pertinere. Quocirca salutantes gratiâ, honore, & affectione, quâ dignum est, illum & illum legatos nostros ad Excellentiam Vestram, consuetâ Charitate direximus, per quos & sospitatis vestræ judicium, & speratæ petitionis consequamur effectum. Quædam verò quæ ad nos pro vestris utilitatibus pervenerunt, per harum portitores verbo vobis insinuanda commisimus; ut cautiores effecti obtentâ possitis victoriâ constanter expleri.* [* optatâ] *Vestra siquidem salus nostra gloria est, & toties regnum Italiæ proficere judicamus, quoties de vobis læta cognoscimus. Citharœdum quoque arte suâ doctum pariter destinamus expetitum, qui ore manibusq; consona voce cantando gloriam vestræ Potestatis oblectet. Quem ideo fore credimus gratum, quia ad vos eum judicastis magno opere destinandum.* Ecce familiares, & humanitatis benevolentiæque plenas Theodorici literas, quibus tamen politicorum arte formatis, non tam Chlodovei rebus, quàm suis consultum ibat, jam tum formidans Gallicum illud fulmen, quod à Carolo Magno deinde in capita Italicorum Regum detonuit.

At Chlodovei major amplificandi regni, quàm amicorum monitis obsequendi cura fuit. Ipse Remorum supremus Antistes Remigius, cui deferre omnia Rex non immeritò videbatur, parùm probatum belli ardorem, cùm extinguere in cupidissimo latè regnandi animo non posset, salubribus tamen eundem præceptionibus moderari conatus est, & salutis potiorem, quàm gloriæ mortalis curam subjicere. Quod ex prudenti Epistola ad Chlodoveum data fas erit cognoscere. Ita habent recens productæ ex bibliotheca Palatina Francorum literæ.

III. Salubris instructio S. Remigii. quomodo regnum administrandum.

Freherus ibid.

DOmino insigni & meritis magnifico Chlodoveo Regi Remigius Episcopus. Rumor ad Nos magnus pervenit, administrationem vos secundam rei bellicæ succepisse.* [Vitiosè legitur * secundum] *Non est novum, ut cæperis esse, sicut parentes tui semper fuerunt. Hoc inprimis agendum est, ut Domini judicium à te non vacillet, ubi tui meriti, *quod per industriam humilitatis Tuæ ad summum culmen* perveneris: quia, quod* vulgò dicitur: ex fine actus hominis probatur.* [* qui — pervenit.] [* vulgus.] *Consiliarios Tibi adhibere debes, qui famam tuam possint ornare. Et beneficium tuum castum & honestum esse debet, & Sacerdotibus tuis honorem debebis deferre. & ad eorum consilia semper recurrere. Quod si tibi benè cum illis convenerit, provincia tua meliùs potest constare. Cives tuos erige, afflictos releva, viduas fove, orphanos nutri, si *poteris, etiam erudies: ut omnes te ament, & timeant.* [* potius est quam.] *Justitia ex ore tuo procedat. Nihil sit sperandum de pauperibus vel peregrinis, ne magis dona, aut aliquid accipere velis. Prætorium tuum omnibus pateat; ut nullus exinde tristis abscedat. Paternas quascunque opes possides captivos exinde liberabis, & à jugo servitutis absolves. Si quis in* conspectum vestrum venerit, peregrinum se esse non sentiat. Cum juvenibus* jocare; cum senibus tracta, si vis* regnando nobilis judicari.* [* conspectu vestro.] [* joca.] [* regnare,]

IV. Chlodovei ante conversionem erga S. Remigium affectus, & in Ecclesiam liberalitas.

Tanta libertate vir Dei consilia jam converso Chlodoveo impertiebatur, quem adhuc gentilem sanctimoniâ vitæ & monitorum æquitate sibi conciliarat, ut admiratione dignum sit, quod in condito abs Remigio testamento indultam legimus, quo & Trevirorum Ecclesiam gavisam esse jure sentimus. *Villas,* inquit, *quas mihi Dominus illustrisq; memoriæ Ludovicus Rex* (sic post baptismum compellare libuit) *quem de sacro baptismatis fonte suscepi, cum adhuc paganus Deum ignoraret, ad proprium tradidit, locis pauperioribus deputavi: ne fortè cùm esset infidelis, cupidum terrenarum rerum me arbitrari posset, & non potiùs suæ salutem animæ, quàm exteriora ab ipso bona requirere. quod & armiratus, intercedere me pro quibuscunque necessitatem patientibus, & fidelis ante fidem, benignè liberaliterq; concessit. Et quia ex omnibus Episcopis Galliarum pro fide & convocatione Francorum potissimùm me laborare cognovit. dedit mihi Deus tantam gratiam in conspectu ejus, virtusq; divina, quæ per Spiritum, me peccatorem plurima signa ad salutem præfatæ gentis Francorum operari fecit: ut non ablata solùm omnibus Ecclesiis regni Francorum restitueret; sed etiam de proprio gratuitâ bonitate plurimas ditaret Ecclesias. Neque priùs de regno ejus, quantum passus est Ecclesiæ Remorum jungere volui; donec ut hoc omnibus Ecclesiis adimpleret, obtinui.*

Quare

V. Regis & S. Remigii opera, fides amplificata, & erectæ Ecclesiæ.

Quare Regem jam Christo initiatum faciliorem multo liberaliorémque ad locupletandas instaurandasque jam collapsas Ecclesias, propagandámque per Galliam Germaniamque cisrhenanam, atque utrumque Belgium habuisse, nec in eodem quidem testamento præteritum est. Unde factum ut plurimæ horum locorum Ecclesiæ opes atque incrementa sua Remigio debeant. Ita *favente Rege Chlodoveo*, ut ait Baldericus, *Vedastum Remigius ordinatum Episcopum ad evangelizandum Cameraco & Atrebato urbibus dirigit.* Cui utique hanc rependi Rex gratiam cupiebat, quod prima à Vedasto religionis Christianæ rudimenta Tullensi in urbe hauserit, ab eodem ad S. Remigium sacri baptismatis lavacro initiandum Remos deductus, quo in loco quantâ gentilium ad fidem orthodoxam traductione, quantâ vitæ morumque sanctimoniâ versatus sit, ejusdem vitæ annalibus Belgæ Patres latè prosequuntur. Sed & S. Medardum eodem penè tempore, hoc est, anno Christi 501. ad Tornacensem Episcopatum destinatum esse, ut suo pastore orbum collabentemque instauraret, ex ejusdem Ecclesiæ monumentis Bucherius deducit.

Balder. in Chron. Atreb. l. 1. c. 7.

Boll. & Hensch. in vitis SS. 6 Febr.

Bucher. in Belg. Rom. lib. 20. c. 3.

Porrò Trevirensem quoque Ecclesiam post persecutionem Wandalicam, sub Chlodoveo ad fidem converso, respiràsse, ac præside sacrorum Vibitio, Remigio quoque aspirante, effloruisse rursum constat; ut res Catholica sanctissimorum virorum Goaris, Aprunculi, Galli, aliorumque præsidio & virtute id temporis apud Treviros ornata haud obscurè testatur, ideoque florentissimum haud multò post Archiepiscopatum Nicetius ingressus sit, ac propriâ etiam vitæ sanctitate magnoperè illustraverit, & sub tot egregiis Antistitibus prisca rursum populi Treverici pietas velut ex nube quadam ad lucem emerserit. Quæ causa etiam Chlodoveum suopte ingenio ad bella, imperiique amplificationem incitatum impulit, ut ad gravissimos Catholicæ religionis hostes, & per Orientem Occidentemque persecutores Arrianos extirpandos, ferrum, animosque converteret. Quare Francis, post susceptam unà cum Rege suo fidem, minimè refragantibus, adversus hæreticos arma movit. quæ strictiùs à Browero recensita, nos in primo è Francis Trevirorum Rege Catholico paulò disertiùs exponenda duximus, Gregorium Turonensem inter cæteros historicos fide dignissimum secuti.

VI. Trevirensis urbs & Ecclesia respiravit.

Gregor. Turon. l. 2. hist. Fran. c. 32.

VII. Chlodoveus Godegisilū à fratre Gūdebaldo Rege deficientē sibi jungit, Galliámque invadit.

Gundobaldus & Godegisilus fratres regno juxta Rhodanum Ararimque potiti, mutuâ, ut solet, æmulatione provocati, armis, insidiisque sibi infestis imminebant. Godegisilus ergo ut fratrem opprimeret, Chlodovei amicitiam foedúsq; occultè prensans, tributarium se suúmque regnum Francis addixit, si armis auxiliaribus illorum adversus fratrem rerum potiatur. Chlodoveus admissâ lege, instructóque milite contra Gundobaldum movere coepit. Quod ille sentiens, ignarus doli pactionúmque fratris Godegisili, ad hunc mittit, & oblatâ pace rogat, ut junctas fratrum acies in externum hostem ducant. Nec cunctatus Godegisilus adfuturum se brevi fraternis rebus parato exercitu promittit. Igitur tribus exercitibus ad Oscarum flumē, ubi Divionem urbem præterlabitur, ventum est. Sed jam ad congressum dispositis copiis, cùm præter spem omnem, fratris Francorúmque in se arma verti cerneret, Gundobaldus belli non inexpertus, per Rhodani sese ripas fugiendo Avenionem recepit. Mox Godegisilus tanquam jam securus regni Viennam triumphans ingressus; sed Chlodoveus Gundobaldum opprimendum ratus, Avenionem obsidione cinxit. Et verò à periculo vitæ fortunarúmque is non aberat, nisi desperantem rebus suis, vir illustris Aredius manu juxta consilióque promptus opportunè erexisset. *Age*, inquit, *patere ficto me transfugio ad hostem tuum Chlodoveum abire; dabo sensim operam, ne is tibi tuisq; exitio sit. Tantum pacis consilio, quod per illum tibi suggesturus sum, acquiesce, donec fortunam Deus meliorem suppeditarit.* Placuit Gundebaldo viri fides, seque ultro ipsi accessurum pollicetur. Aredius velut transfuga à Chlodoveo exceptus, dum, ut erat facundus eloquio, & consilio promptus, amoenúsque in disserendo, Regis animum occupasset, denique eò sermonem inflexit, ut obsidentium exaggerare incommoda, virésque obsessorum extollere inciperet, ac pacem bello anteferre. *Et quod*, ait, *emolumentum ab eversis bello regionibus habiturus es? tributum à Gundobaldo annuum postula, ut hac lege subjecto tibi Regi ac populis domineris; & abundè fortunis dignitatiq; tua consuluisti: Id si noluerit, justiùs in illum vires tuas experieris.* Non recusavit Chlodoveus, sed missâ legatione convenit, ut Gundobaldus certo quotannis tributorum onere Francis obligatus esset. Verùm parem deinde Francis fidem præstitit, quam ab illis & fratre Godegisilo expertus erat. Siquidem ut primùm Chlodoveus se receperat, collectis quibus poterat copiis Viennæ inclusum fratrem obsedit, qui inopiâ citiùs, quàm armorum potentiâ se expugnandum ratus, plures è plebe expulit, atque inter illos hominem, quem aquæductus cura manebat. Hic sese contemni indignatus Gundobaldum adit, seque citra noxam inducturum milites in urbem promisit.

VIII. Chlodoveus ficto deluditur foedere à Gundebaldo.

Idem. l. 2. c. 33.

Ergo subeuntes longo ordine per aquæductum ferreis instructos vectibus, ad lapidem, qui urbe media os, aquæductus claudebat, submovendum adhibuit, quo amoto, ignaris incolis, patefactus militi aditus, urbem occupatis hinc inde portis aperuit, suámque Godegisilus cum Arriano Episcopo perfidiam, frustra ad aras Divorum violatas perfugiens, dignâ morte expiavit. Gundobaldo autem profuit in Avitum Episcopum Viennensem id loci incidisse, à quo erroris Arriani convictus, orthodoxam se fidem clam venerari amplectique confessus est. Verùm populi & amicorum metu compulsus, ut palam profiteretur, ab Avito disertissimis illud argumentis suadenti, induci non potuit. Tantò potior apud vilem animum humanæ opinionis æstimatio, quàm propriæ salutis fuit.

IX. Gundebaldus fratris Godegisili perfidiam ulciscitur.

Cap. 34.

Anxiis hoc tempore Gallia consiliis fluctuabat; dum alii Francorum ambirent regnum; alii fastidirent. Plerique orthodoxorum Episcoporum metu odióve hæreticorum ad Chlodoveum orthodoxæ fidei initiatum aspirabāt, ut solet religionis dissensio primum esse mutandi

X. Gallia divisis studiis Francos admittit & respuit.

tandi

tandi regiminis irritamentum. Et Chlodoveus volentibus ad arma Francis adversus hæreticos utebatur. *Valde*, ait, *molestè fero, quod hi Arriani partem teneant Galliarum, eamus cum Dei adjutorio, & superatis illis, redigamus terram in ditionem nostram.* simulque annuente milite Pictavos contra Alaricum Visigothorum Regem exercitum duxit. Intercessit hic iteratis ad Alaricum simul & Chlodoveum literis Theodoricus Ostrogothorum in Italia Rex, ut apud Cassiodorum reperiuntur. In quibus, sic Chlodoveum alloquitur.

Cassiod. l. 3. variar. epist.

XI. Theodoricus iteratis Chlodoveũ literis à bello contra Alaricum avocat.

Luduin Regi Francorum Theodoricus Rex. Miramur animos vestros, sic caussis mediocribus excitatos, ut cum filio nostro Alarico Rege durissimum velitis subire conflictum, ut multi, qui vos metuunt de vestra concertatione lætentur. Ambo estis summarum gentium Reges, ambo ætate florentes. Non leviter regna vestra quassatis, si datâ partibus libertate confligitis. Impatiens sensus est, ad primam legationem protinus arma movere. A propinquis quod quæritur, electis judicibus expetatur. Abjicite ferrum, qui in meum pugnare vultis opprobrium. Iure patris vobis interminor, & amantis. Ille nos & amicos nostros patietur adversos, qui talia monita crediderit esse temnenda.

Aliis literis Gundobaldum Burgundionum Regem ad intercedendum quoque hortatus est: tum quòd Arrianorum fautor, eos oppressos à Catholicis, usitato hodiedum hæreticorum artificio nollet: tum quòd politicorum secreto, multos æquâ inter se potentiâ, quàm unum cæteris in Gallia dominantem regnare mallet; sibi tanto magis formidandum, quantò altiùs ex aliorũ ruinâ subsurgeret: cùm imperandi cæteris libido nullis terminis circumscribi soleat, nec adjectis expleri regnis, sed augeri consuescat.

XII. Idem Herulos Thuringósque contra Chlodoveũ excitat.

Quò circa Theodoricus, nihil intentatum relicturus, Herulos Thuringósque Francis propinquiores, ad arma pro Alarico sumenda incitare conatus est, ut aliis apud Cassiodorum literis compertum est. Sic habet: *Herulorum Regi, Guarnorum Regi, Thoringorum Regi Theodoricus Rex. Superbiam, divinitati exosam persequi debet generalitatis assensus. Nam qui vult opinabilem gentem voluntariâ iniquitate subvertere, nõ disponit cæteris justa servare, &c.*

Lib. 3. epist. 3.

Ideo vos quos conscientiæ virtus erigit, & consideratio detestabilis præsumptionis accendit, legatos vestros, unà cum meis, & fratris nostri Gundebaldi Regis ad Francorum Regem Ludovicum destinate; ut aut se de Visigothorum conflictu, considerata æquitate, suspendat; aut omnium patiatur incursum, qui tantorum arbitrium judicat esse temnendum. Quid quærit ultra, cui offertur absoluta justitia? Dicam planè quod sentio, qui sine lege vult agere, cunctorum disponit regna quassare. Sed melius est, ut inter initia perniciosa reprimatur assumptio, ut sine labore perficiatur omnium, quod certamen esse poterat singulorum. His aliisque argumentis adversus crescentem Chlodovei potentiam excitare vicinos Reges (quorum tunc multi, sed arctis spatiis per Europam dominabantur) Theodoricus ad arma conatus est. Sed illorum quivis cùm potentem bellicosumque Regem irritare formidaret, maluit extra dubiam Martis aleam consistere, quàm suam cum aliena fortunam periclitari. Ergò Chlodoveus exercitui per Turonensem agrum ducto, præcepit, ne quam illic vim cuiquam facerent, ubi S. Martini nomen coleretur, simulque ad Basilicam Divo sacram Legatos cum muneribus destinavit, qui ejus ad hoc bellum gratiam, indiciumque aliquod auspicatum, si Superis placuisset, implorarent. *Quibus ad locum*, ut Gregorius ait, *accedentibus, juxta imperium Regis, dum sanctam ingrediuntur Basilicam, hanc Antiphonam, ex improviso Primicerius, qui erat, incœpit*: Præcinxisti me, Domine, virtute ad bellum: supplantâsti insurgentes in me subtus me, & inimicorum meorum dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti. *Quod satellites audientes, & Domino gratias agentes, & vota Beato Confessori promittentes, læti nuntiârunt Regi. Porrò ille cùm ad flumen Vigennam cum exercitu advenisset, per quem locum transire deberet, penitùs ignorabat: intumuerat enim ab inundatione pluviarum. Cumq; illâ nocte Dominum deprecatus fuisset, ut ei vadum, quo transire posset, dignaretur ostendere. Manè facto cerva miræ magnitudinis, ante eos nutu Dei flumen ingreditur, illaq; vadante, populus, quà transire posset, agnovit. Veniente autem Rege apud Pictavos, Pharus ignea de Basilica S. Hilarii egressa, visa est ei tanquam super se advenire, scilicet ut lumine Beati Confessoris adjutus Hilarii, liberiùs hæreticas acies, contra quas sæpè idem Sacerdos pro fide conflixerat, debellaret.* Quæ hoc loco, ex Gregorio memorare lubuit; ut constet benè auspicantibus Cœlitibus bellum illud contra Alaricum susceptum fuisse. Et verò ostendit idem eventus, cùm decimo ab urbe Pictavorum milliario, Vocladensi in campo, fatali prœlio concursum sit; in quo post atrox certamen, Gothis in fugam versis, Rex ipsorum Alaricus occubuit, quanquam & Chlodoveus à contis Gothorum hinc atque inde latera ferientibus, ægrè se, tum armorum robore, tum equi pernicitate subduxerit. Avernorum hic multitudo ingens cum Apollinari Duce interempta est, regnumque Tolosanum à Francis occupatum, postquàm Gothi illud ab anno Christi 419. quo Wallia illud tenere cœpit, ad annum Christi 507. possedissent. Amalericus Alarici filius ab infortunato se prœlio in Hispaniam recepit, patrisque illic regnum sibi vendicavit. Chlodoveus verò illa, quæ ex Aquitanica Gothorum ditione Oceanum versus se porrigebant, Burdegalam usque pervasit, cunctisque Alarici thesauris Tolosâ sublatis, Engolismam venit, cui, ut Gregorii verbis per auxesim prolatis utar, tantam Dominus gratiam tribuit, ut in ejus contemplatione muri sponte corruerent, exclusisque Gothis, urbem suo dominio subjugaret. Neque à victoria Cœlitibus ingratus Turonos regressus multa Basilicæ Divi Martini munera consecravit. Duo sese hostes, si Procopium de hoc bello audimus, objecère victori: alter Gesalicus Spurius Alarici filius, quem Gundobaldus Burgundionum Rex, Chlodovei in hac pugna fautor, Narbonâ ejectum, non minori clade, quàm ignominiâ multavit: alter Theodoricus Ostrogothorum Rex, qui tam gentis religionisque suæ studio, quàm

Gregor. Tur. lib. 2. c. 37.

XIII. Bonũ omen belli Chlodoveus accipit.

XIV. Regem Alaricum bello vincit juxta Pictavos.

Procop. Goth. l. 1. p. 258. & seq. Cassiodor. l. 8. Epist. 10. Iornandes Getic. c. 58.

æmulatione Chlodovei provocatus, impetum victoris stitit, Francosque Carcassionem obsidentes depulit, quâ in urbe Alaricus quondam senior ante annos 97. cùm Romam occupasset, pretiosissimam Salomonis Regis supellectilem, ingentis pretii gemmis ornatam, Hierosolymisque traductam, ipse quoque victor spoliatorque condiderat; ut hanc sibi spem prædamque è manibus ereptam Chlodovei filius Theodoricus haud leviter doleret.

XV. Chlodoveus felicitate tumidus.

At nimiâ deinde felicitate ebrius Chlodoveus minus æquis propagandi Imperii rationibus institit, oppressoque, ut Browerus memorat, Coloniensium Rege Sigeberto, ejusque filio, Chararicum quoque (apud Ambianos, ut fas est opinari, imperantem) bello profligavit. Ille enim à Chlodoveo adversus Siagrium invitatus postquam instructo milite ambiguus hæsisset, cui partium minori suo discrimine accederet, ideoque eminus substitisset, ex eventu pugnæ consilia libraturus, cùm & victorem Chlodoveum offendisset, & victo Siagrio defuisset, illo in se provocato, facilè superatus captusque, cum filio comam tonsus inclususque monasterio est, quem filius in hac calamitate solaturus, ait: *In viridi ligno hæ frondes (comarum) succisæ sunt, nec omnino arescent, sed velociter emergent, ut crescere queant. Et utinam tam velociter, qui hæc fecit, intereat.* Quæ voces ad Chlodoveum delatæ effecerunt, ut post comas utrique cervices resectæ fuerint.

Greg. l. 2. c. 41.

XVI. Chararicû Regê cùm filio victû, primò comas, pòst cervices resecari fecit.

Supererat Ragnacharius Cameracensium Rex, sed in omne luxuriæ dedecus profusissimus, ut nec consanguineis quidem parceret, cui simili spurcitiâ lutulentus homo, Farro consiliorum & facinorum particeps adeò familiaris erat; ut siquid muneris deliciarumque à quoquam oblatum esset: *id diceret, sibi suoque Farroni sufficere.* Hinc invidia atque indignatione ringebantur Francorum ceteri. Chlodoveus hac utendum opportunitate ratus, inauratis armillis donisque, ceu verè aureis, sibi ex regiis ministris proditores addixit, collectoque repentè milite, cùm imparatum Ragnacharium improvisò premeret, hunc in fuga cum fratre Richario comprehensum, post exprobratum generis dedecus, ignaviamque, impactâ in caput securi, stygi immolavit, pari fato germanum prosecutus. A quorum morte, cum proditores aurum sibi adulterum oblatum esse quererentur: respondit Chlodoveus: tale aurum esse, qualis illorum fuerit in Dominum fides: nec aliud proditores mereri, qui vitam sibi concessam in gratia reponere debeant. Supererat, post hos consanguineos Reges Chlodovei sublatos, in Cenomanis frater illorum, Rignomeris nomine, quem per insidias quoque sustulit, ne quis ultor metuendus superesset, solusque rerum impunè potiretur. Memorat & Tritthemius Heribertum Trevirorum id temporis Principem à Chlodoveo sublatum, quod licet Gregorius ignorasse videatur, satis tamen exploratum nobis est Chlodoveum Treviris, nec consanguineorum quidem aliquem, Imperii consortem sustinuisse; cùm maius hoc tempore flagitium, apud regnandi sine æmulo cupidissimum Regem, nullum esse videretur, quàm esse agnatum Principem imperandique capacem. Ita Rex maximus virtutum juxta vitiorumque exemplar regium, posteris reprehensionis non minus quàm laudis ingentem de se materiam suppeditavit.

Ibid. cap. 42.

XVII. Ragnacharium Regê unà cum fratre victum peremit.

Proditores odit.

XVIII. Consanguineos quoq; interemit.

XII. ANNOTATIO ad Annum 562.

In historiam vitæ S. Nicetii, ubi de singulari zelo ac studio, quo Iustinianum Imper. & Alboinum Longobardorum Regem ab hæresi reducere conatus est, disseritur.

I. *Sirmondus in Concil. Gallic. & Freherus in Epist. Franc.*

NOn pigebit hoc loco de Nicetio gloriosissimo Trevirorum Episcopo adjungere, quæ ex Sirmondi Conciliis Gallicanis, & vulgatis à Marquardo Frehero Epistolis Francorum suppeditantur. Constat ex Browero egregius sanctissimi Antistitis Zelus, quo Ecclesiæ sibi creditæ autoritatem ac leges, non adversus plebeios tantùm, sed & purpuratos transgressores severis monitis factisque vindicabat. Ut si verborum non sufficerent, anathematum quoque fulminibus in Regum Principumque capita detonaret. Cùm ostri gemmarumque fulgor, dedecus apud se flagitiorum minimè obvelaret. Illâ Præsulis acrimoniâ factum est, ut ob incestos Francicorum Procerum thalamos nonnulli excommunicatione perstricti; cùm nec blanditiis, nec contumeliis minisque tenacem propositi Episcopum flecterent, ad Theobaldum Regem querimonias litemque deferrent, qui ubi Synodo in urbe Tullensium ad annum Christi 550. indictâ, hac de re plurium Episcoporum sententiam audiendam esse statuisset, Nicetio ad illorum judicia provocante, Mappinius verò Remensium Episcopus à S. Remigio quartus eòdem accitus à Rege, negasset se nisi causâ citationis exploratâ adfuturum. Quâ deinde seriùs cognitâ quàm ut Synodo opportunè adesse posset; scriptis ad Nicetium, quas subjicio literis, sese purgavit. Tales sunt:

Nicetius Francorû Proceres ob incestas nuptias excommunicat.

II. Synodus Tullensis ob hoc instituta.

Mappinius Remensis Archieps. ad Synodû à Theobaldo Rege vocatus nô comparet.

DOMINO SUO IN CHRISTO *Beatissimo Patri NICETIO Papæ Mappinius Episcopus. Evangelicæ lectionis doctrina testatur,* regnum in se divisum stare non posse. *Si hoc de mundi amatoribus, & in terrena cupiditate manentibus, rectè, & non immeritò credatur: Indubitanter rectius de Sacerdotum personis sentitur, si discordantibus votis ac studiis inter se dividui probentur. Aut quâ fiduciâ conditori nostro, qui nos in unitate compagis, quod est corpus sua deitatis, vivere præcepit, preces oblaturi sumus, si nos vicissim mutuâ Charitate seponimus? Ut quodam loco deificus sermo docet:* Studere nos côvenit, ut frater fratrem adjuvâs, sicut civitas munita & fortis, incôcusso fundamine stare possit: *scilicet, ut unius fratris mæstitia omnes æquanimiter compatiendo participemus, mutuisq; nos laboribus sublevemus. Pro qua re, piissime ac multum diligende Domine, indicamus: Nos literas filii nostri Domini Regis Theobaldi excepisse; ut in Tullensium urbe die Kalendarum Iuniarum adesse deberem: &*

nullam

*nullam causam evocationis declarantes, reciprocante paginâ indicavimus, nos illuc accedere non debere, quia causam conditionemq; nos constabat ignorare. Iteratis scriptis edocuit, Beatitudinem Vestram dum aliquos Francorum pro zelo divini timoris corripit, ac pro incestis conditionibus à communione Ecclesiastica removit, scandala seu anxietates multimodas sustinere. De qua re non mediocriter ingemiscimus, quod nos relatione vestra scire non feceritis; utrum ex canonicâ lectione damnantur; an pro pastorali diligentia, de mediocribus reatibus corrigantur. Licet nihil novi vos de his rebus invenire cognoscimus, quod prisca Patrum solertia non potuit reperire. Tamen absurdum esse videtur, ut à nobis recipiantur, qui à vobis secundùm seriem Canonum Ecclesiasticâ severitate abdicantur. Novimus enim si scienter hoc gerimus, quod criminibus aliorum misceamur; si ignoranter, reatui non subdamur. Quapropter salutantes charitate debitâ indicamus, simulq; suademus, ut nos in omnibus participes, tam tribulationum vestrarum incommodis, quàm prosperitatum commodis fieri studeatis. Nam nos mediante capite nostro, quod est Christus, nullis adversitatibus à vestra anxietate divellimur, nullisq; asperitatibus à vestra charitate dividimur. De qua re, si tam præsumptuosi non existimus indicare præsumimus. Decuerat, ut vestra consolatio pro huiusmodi conditionibus potius, quàm regia vocationis nos conferere debuisset. Quia pari modo, si nobis aliquid simile (quod imposterum arbitramur fieri posse) contigisset, statim ad vestram fraternitatem scripta direxissemus, ut nos congruo tempore vel loco coram positi videremus. Quanquam parere nos regiis præceptis in bonis rebus, & conveniat, & libeat: tamen non vestris minus scriptis, si studio charitatis, non * supercilio dirigantur despectionis, &c. Hoc tamen pleniùs noverit vestra perfectio: si ad nos iterata scripta Domini Regis ante quinque vel sex dies Cal. Iun. pervenissent, in die præfata præsentiam humilitatis nostræ in locum habueratis constitutum.*

III. Nicetio suam purgat absentiam, doletque sibi causam cõmunicatam non esse.

Negat excommunicatos à Nicetio se recepturum.

IV. Petit esse imposterum participes controversiarum, seque non deturum asserit.

* *supplicio despectionis.*

Ex his literis facilè intelligas, quæ tunc temporis Regum in conciliis indicendis atque in ipsos Episcopos autoritas; cùm illis absoluta non esset imperandi facultas; his parendi libertas maneret integra, tum consilium opemque regiam admissuris, cùm æquitas causæ postularet. Nec minus ex his liquet, quàm usitata hæc fuerint excommunicationis olim in prævaricatores fulmina, quibus Ecclesia in obstreperos detonaret, quantaque observatione ab omnibus, ipsisque etiam Regibus formidata, quàm consentiens Episcoporum in excludendis ab Ecclesia fulminatorum animus. Patet etiam jam tum Ecclesiam Tullensem Trevericæ archidiæcesi subjectam, in quâ postulante Nicetio Rex Synodum indixerat, ut de proscriptorum ab Archiepiscopo criminibus injuriisque cognosceretur.

V. Ex his liquet quæ Principum & quæ Episcoporum in synodis autoritas.

Quanta excommunicationis olim observatio.

Nec minus observatione dignum, quæ fuerit id temporis cum Trevericæ tum Remensis Ecclesiæ per Galliam autoritas, mutuâ quidem observatione, non tamen subjectione devincta. Magis illa ex Hincmari ejusdem Remensis sedis Archiepiscopi ad Nicolaum I. Pont. literis, circa annum Christi vulgarem 864. illucescet. *Inter Remensem, ait, & Trevirensem Ecclesiam hæc semper distinctio fuit (sicut in Ecclesiasticis monumentis invenimus, & vetustissimam consuetudinem semper obtinuisse comperimus) ut idem Episcopus non loci, sed ordinis dignitate prior, secundum sacras regulas haberetur, qui foret in qualibet istarum Ecclesiarum metropoli antea ordinatus.* Similia repetit in coronatione Caroli anno Christi 869. ad populum Metensem, in novissima Sirmondi editione: *Remensis*, ait, *& Trevirensis Ecclesiæ in hac Belgica, cum sibi commissis Ecclesiis sorores & comprovinciales habentur, sicut autoritate Ecclesiastica & antiquissima demonstrat consuetudo. Ac per hoc unanimi consensu & Synodalia judicia exercere, & quæ à SS. Patribus constituta sunt, debent concorditer custodire. Hâc privilegii conditione servatâ, ut qui prior de Rhemensi & Trevirensi Episcopo fuerit ordinatus, prior etiam habeatur.* Gloriatur illa Rhemensium Ecclesia S. Sixto, primo Episcopo à Petro Apost. submisso, verùm in pari cum Trevirensibus successorum seriè gloriaque demonstratâ deficit. Porrò ut ad Nicetium revertamur, illustris viri sanctitas, zelusque, quo profligare Eutychetis & Nestorii exortas hæreses conatus est, maximè fecit venerandum & Theodorico Francorum Regi ejusque filio ac nepti Chlodosoindæ singulari gratiâ conciliavit. Luculentissimæ hac de re extant literæ, quæ ex vetustissimo Codice Nazariano bibliothecæ palatinæ per Marquardum Freherum in Conditoribus Francicæ historiæ prodierũt anno MDC. XIII. Hanoviæ, quas ad memoriam posteritatis, gloriosis Nicetii actis non existimavi subducendas.

* VI. Par etiam autoritas Trevirensis & Remensis hoc tempore Ecclesiæ.

Zelus Nicetii adversus hæreticos.

Marq. Freherus in Condit. histor. Franc. editione Hanoviana an. 1613. p. 189.

Quin & in aula Francorum Regis Theodoberti præcipuum obtinuisse gratiæ locum, indolemque filii illius Theobaldi ad optima quaque morum formasse exempla, literis eisdem compertum est. Lubet ab iis quas ætate priores ducimus scribendo quoque ordiri. Erat Florianus Romani Monasterii presbyter, qui veteri consuetudine notus Archiepiscopo, pluribus eum literis salutabat, sanctique viri apud Deum intercessionem demissè implorabat. Et unis quidem circa annum salutis 550. exaratis sic eundem affatur, ut per illum gratiam Theodobaldi Regis adolescentuli captet. *Egregiam*, ait, *vestræ Sanctitatis famam audivimus, quæ ubique celeberrimo sermone vulgatur. Unde gratias agimus bonorum omnium largitori Deo, qui te talem opportuno prævidit tempore, quando confluentes toto orbe captivi tranquillissimum te portum salutis inveniunt. Captivos enim redimis, oppressos sublevas, saturas esurientes, pusillanimos consolaris. His ditatus mercibus Maximianam Paulinianamq; beatitudinem promereris, qui Angelicam vixerunt vitam in seculo. Hi te loco suo dignissimum propagaverunt heredem, quorum fidem atque constantiam, vestra nobis sanctimonia repræsentat. Quapropter salutationis obsequium famulanter insinuans, precor per eum, qui vos sacravit, ut pro me humillimo peccatore, innumerabilibus malis afflicto divinam Clementiam jugiter imploretis. Illud autem suppliciter quæso, ut Domino filio vestro gloriosissimo Regi Theobaldo insulam Lariensem, quæ CHRISTOPOLIS dicitur, plurimum commendetis; ut Romanis servis ejus sacramenta, quæ data sunt, omni-*

VII. Florianus Nicetium familiari epistola Salutat.

VIII. Nicetii opera misericordiæ, & vitæ sanctitas.

modis conserventur: ut regnum ipsius Deus augeat & conservet.

IX. Justinianus in Senio degener à muliere ad hæresin Eutychianorum incorruptibilium traductus.

Has aliasque prolixiùs à Floriano diductas in Freheri historia reperies. Mihi illas magis recitare lubet, quas egregio ad Imperatorem Justinianum zelo exaratas haud multò ante mortem destinavit. Pius antehac Imperator & religionis orthodoxæ adversus diversa hæresum monstra in Ecclesiam incumbentia defensor, dolosæ uxoris Theodoræ illecebris Eutychianorum propugnatricis ad ruinam, tanquam vasta arbor multis ictibus, est inclinatus. ita quidem, ut, cum Salomone juvenis ac vir prudens, Senex vixerit novæ hæresis deliratione per mulierem, propriæque existimationis arrogantiam, infatuatus. Siquidem ex secta Eutychianorum, cum illam quæ Incorruptibilium dicta est, quòd incorruptibilem & à passionibus eximiam Christi fuisse carnem assererent, in provinciali Synodo statuisset, omnibus Episcopis sub exilii interminatione tenendam esse, ductu suasuque Theodori Cæsariensis Archiepiscopi in Capadocia, cùm ipse literarum expers, alieno, ut in Jurisprudentia, sic in Theologia, judicio omnia decerneret. Stultissimo decreto, cùm de rebus sacris, & imperitus, & profanus homo, arrogantia intolerabili credenda universæ Ecclesiæ definiret. (*Evagrius l. 4. c. 38. & 39.*)

X. Nicetii literæ ad Justinianum quibus eum ab errore revocare conatur.

Quare miseratus lapsum cæcitatemque laudatissimi hactenus Imperatoris Nicetius, priscâ fretus notitiâ Justiniani, religionisque defendendæ studio impulsus, hisce illum literis peramanter serioque ab errore revocavit.

DOMINO SEMPER SUO IUSTINIANO *Imp. Nicetius cum suis, humilis; sed misericordia Domini Episcopus. In novissimis temporibus jam, ut sermo Evangelicus prædixit, prospicimus, & cùm tempus nostrum semper sit paratum, tamen finem (ut scriptura denuntiavit) venire sentimus. Sed beatus ille homo, quem cùm venerit Christus, invenerit ipsum vigilantem. Sol convertetur in tenebras, ab Oriente, id est, ab alto, hoc est à vita sancta. In integro mundo splendebas ut Sol, & cum omnes inde gratia Domini Rectores Ecclesiæ cuncti *consiliis ipsius gauderemus; de vulgante fama ex lapsu ipsius (ad *quem pervenire debuimus) contristati & humiliati usque in terram sumus. Dulcis noster IUSTINIANE, quis te sic decepit? Quis, ut talia persequereris, suasit? Quis, ut Christum purum hominem fatereris, docuit? Quis, ut in Iudæ consortium te transferiberes, circumvenit? Quis, ut illum, qui dixit:* Ego à Patre exivi, & veni in hunc mundum. *per circumcisionem, per baptismum, per passionem, ut cresceret, te docuit? Quis, ut qui cor miserum non habebas, arte repentè oppressit? Quis, ut Patres quos venerari debuisti, ad cædes, ad diversas cruces mitteres, provocavit? Quis, ut illa propter quæ Christus crucifixus est & Apostoli omnes pertulerunt, destrueres, provocavit? Quis, ut quod jam semel, bis & tertiò ab omnibus Rectoribus Ecclesiæ condemnatum fuerat, *ut adorares, commonuit? Nestorii & Eutychis (ut diximus) jam anathematizata, quotiens atque quotiens! secta, ut te de ipsa interimeres, quis imperavit? Ille, ille, qui Adam, ut contingeret arborem vitæ suasit, qui suo studio mortem adinvenit, circumvenit, qui Iudam, cùm Christum purum hominem fecit, & & pro homine tradidit, in ignem, quem, præparavit Deus diabolo & angelis ejus, misit. Dulcis*, dulcis noster IUSTINIANE, rememorare quæ promisisti cùm baptizatus es, quid per singula te credere dixisti: unum filium manentem in duabus substantiis cum Patre & Spiritu Sancto, non duos Christos testatus es. Cum excessisti, quid fecisti? quid tibi præparasti? Discute te, & benè prospice, & vide si non in loco perditionis te obligasti.*

[Margin: * consilii. * quem. * vel. * &]

XI. In ultima ætate stultè defecit.

Adhuc si vis vivis, si vis, revertendo, gaudes: Convertimini, *inquit*, ad me, & convertar ad vos. *Patres, à quibus benedictionem exspectare debuisti, in exilium transmisisti. Tu cum ultima ætate tua, te componere, & conjungere te ad Redemptorem tuum debuisti; ipse te, non alter, sed tu, & te & tuos decepisti. Cum Lactantius, ut dicit presbyter, loca sancta per Gallias propter Domini misericordiam visitaret, ante nos apparuit, quæ legis deprecavimus, & per IESUM CHRISTUM Redemptorem nostrum conjuravimus. Ergo literis præsentibus Deum nostrum conjuramus insuper, & contestamur, ut & tu revertaris, & quotquot perire suasisti in horrenda persecutione, revertere provoces: quod si non feceris, sit Iudex ille inter nos & te; sed quantùm citius, cui tu honores* abstulisti, & purum hominem fecisti, cum** tamen legisti: Ego, & Pater unum sumus. *Sed talis Pater, qualis & Filius, quia ita Pater, ut Filius. Quoniam** hoc *verum est; quomodo ad circumcisionem veniendo, ad baptismum, ad martyrium, meliora* (quod & Deus, & passionibus subjectus sit) *reprobantur, qui Deus & creator omnium esse convincitur. Festina, festina, sed protinus. Nam si te sic ultimus dies invenerit, qualis nunc hodie appares,* descendes ad inferiora terræ, & * pars vulpium eris. *Lætetur sancta Ecclesia de regressu tuo, quia vehementer luget de excessu tuo. gaudere nos in ultimo seculo positos facias, quos lugere post lætitiam de perditione tua fecisti. Ne dicas, vel in corde tuo,* Feci feci, vici vici. *Victus es & vinctus; sed inde, unde filius diaboli & inimicus Iustitiæ. Nam notum tibi sit, quod tota Italia, integra Africa, Hispania vel Gallia conjuncta, nomen tuum, cum deperditione tua plorant, anathematizant.*

[Margin: * tulisti. * legisti. * verum. * ad partes]

XII. Adjuratione Nicetii eum Justinianum percellere conatur.

Et si non, quæ docuisti destruxeris, & publicè voce clamaveris: Erravi, erravi, peccavi: anathema Nestorius, anathema Eutyches: *cum ipsis te ad supplicia sempiterna tradidisti. Salutamus plurimum, conjurantes per Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, per illum, qui in uno Trinus apparet, & in tribus unus agnoscitur; ut te de horrenda secta, & abominabili persecutione semoveas, & illos, qui te suadente in ipsam ceciderunt, ad meliorem viam* reducere studeas.*

[Margin: * venire.]

Hæc ille, sed Græcis, ut par est credere, ad Imperatorem literis, quas imperitus deinde Romanæ linguæ interpres transtulit, & quorundam etiam incuria mutilavit, erroribúsque corrupit. Ex quibus egregium viri pro Ecclesia Dei zelum, & animosum imperterritumque adversus tyrannum aberrantem animum facilè colliges, ut inter illos hujus temporis adulatores, qui summorum Princi-

pum

pum erratis blandiuntur magis, quàm resistunt: *canes muti, latrare non valentes*, minimè Nicetius noster reponendus sit. Porrò has dedisse ad Imperatorem literas in fine anni Christi 563. aut principio 564. quando superiori defectionem anno molitus palam fuerat, necesse est, quandoquidem hic vitæ ultimus Nicetio fuit.

Evagr. l. 4. c. 40. & l. 5. c. 1. Niceph. l. 17. c. 13.

XIII. Justinianus in hæresi malè interit.

Vanam autem sancti viri interminationem nequaquam fuisse sequens annus aperuit: quando, ut Evagrius illius ævi scriptor, & post illum Nicephorus memorat, Justinianus anno Imperii nono & trigesimo, cùm noctu dictaret libellum proscriptionis Episcoporum omnium, sententiæ suæ resistentium, invisibili ictus plagâ interiit, Christíque judicio perstrictus est, qui illius in Ecclesia judicium perversè occupârat. Quanquam Nicephorus extremo illum resipuisse spiritu, & castigantem Dei manum agnovisse tradat, non satis magno ad veritatem argumento; cùm neque Procopius, neque Evagrius ejus ætatis scriptores tantæ rei meminerint. Certè Justinum successorem errorem patris, & avaritiam, quæ erat incredibilis, damnasse, satis est compertum. Justinianus illam sui laudem moriens reliquit, quod bonarum legum per homines pessimos, optimus collector fuerit; & quamvis in libris has melius, quàm vitâ, avaritiæ & iniquitatis sordibus inquinatâ, expresserit, tamẽ præclarè de republica universa Christiana, inprimisque civili, tam egregio labore à se suscepto promotóque, meritus fuerit: inter meliores Catholici nominis Imperatores censendus, nisi defensam contra hæreticos diu Ecclesiam demum, velut in ultimo vitæ actu, destituisset.

XIV. S. Nicetii studium pro Alboino Longobardorum Rege per conjugem reducendo.

Eodem pænè tempore Nicetius de Alboïno Longobardorum in Pannonia Rege ad salutem ab hæresi revocando omnem diligentiam adhibuit. Magna illæ potentiæ famâ, & armorum gloria latè clarescebat, Hunnis, Gepidis, Bulgaris, Sarmatis, Suevísque fœderatus, Regibusque Francorum affinitate junctus, à quibus Chlodosoindam Clotharii Regis filiam, moribus præclaram, & Nicetio jam antè notam fœminam, uxorem duxerat. Per hanc sperabat virum ad saniora Orthodoxæ fidei revocari posse. Quare egregiè ad pietatem eruditionémque formatis literis, hanc ad Alboini conversionem instruere conatus est, quas posterorum memoriæ non putavi subtrahendas. *Cum*, inquit, *Legatos vestros, per Francorum Reges, germanos tuos, ire conspicimus, de prosperitate vestra solliciti sumus; sed illa inde audimus*, * quæ quàm magnificè *sonare & resonare etiam confitemur: quàm magna, quàm alta, quàm laudabilis, quàm utilis, quàm humana vel munifica, quomodo de pauperibus sollicita, quomodo de* * religione tuenda *astuta; quomodo in cuncto populo piâ conversatione splendida sis. Ille hoc porrò concedat, qui spiritum sapientiæ & intellectus jam dedit. Gaudemus ex hoc, gaudere nos Christus faciat de Alboino Rege, quem habes, & de felicitate sua triumphare. Stupentes sumus, cùm gentes illum tremunt, cùm Reges venerationem impendunt, cùm potestates sine cessatione laudant; cum etiam ipse* Deus *imperiis ipsum præponit, quòd animæ remedium non festinus* * *requirat. Scriptum legimus: quærite primùm regnum Dei, & omnia apponentur. Qui sic, quemadmodum ille, fulget famâ, miror, quòd de regno Dei, & animæ sua salute, nihil investigare studet; sed illos recipit, illis acquiescit, qui potiùs animam in gehennam perdant, quàm ad viam salutis adducant. Duos Deos esse prædicant, alium in Deitate Patrem, alium in Deitate, sed pro creatura, filium. Cùm Scriptura dicat:* Ego sum Salvator, & non est alius præter me. *Te Domina Clodosoinda per tremendum diem judicii conjuro, ut hanc epistolam & benè legas, & benè illi & frequenter exponere studeas, & ut ipsum interroges:* quis est Salvator? *Patrem dicunt esse Salvatorem, an filium? Quomodo duos esse, cùm unus est, & alius non est, denuntiant? Si dicent Filium, ergo Pater Salvator non est. & si dixerint Patrem, ergo filius non est Salvator, quia salvare, qui Salvator non est, nullum potest. Si dixerint: duo sunt Salvatores, istud scriptum nusquam invenient, nisi:* Ego & Pater unum sumus. *hoc est, Pater in Filio, & cum Filio, & Filius in Patre, & cum Patre, &c. omnis militia Angelorum per singulos dies clamat:* Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Zebaoth. *Non tres* * *sanctos, sed ter sanctum dixit Dominum Deum Zebaoth, sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus: Unus Sanctus, sicut unus Dominus. Unde & Iohannes Evangelista dixit:* Ipse est qui est, & qui erat, & qui venturus est Salvator. *Si ter nominavero, gradus esse videntur. Cùm Patrem audis nomine, major esse videtur: & ideo dixit:* Pater major me est, *sed nomine tantùm: in Deitate autem evidentissimè per Christum & per Apostolos ejus unus esse agnoscitur. Quia cùm à discipulo interrogaretur:* Domine, ostende nobis Patrem. *Et ille:* Me vides, & de Patre interrogas? *Vides, quia in Trinitate invocatur, & in una Deitate esse invenitur. Cùm Patrem audis, sine Filio esse non credis; cum audis Filium, cum Patre esse non dubites. Nec dubites tres in personis, cùm unus in Deitate esse agnoscitur. Et ideo ad discipulos dixit:* Ite, baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.? *In nomine dixit, non in nominibus, quia unam Deitatem dixit, non tres. Spiritus autem S. separari non potest; quoniam unde esse scitur gratia Dei, inde donum Dei esse cognoscitur. Ab ipso spirant bona omnia, sicut Apostolus dixit:* Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. *Et hinc Propheta dixit:* Tu solus altissimus. *Sed solum altissimum in omni terra salvator Iesu Nave, ipsum conspexit; & ideo dixit:* Noster es, an adversariorum? *Ille autem respondens, ait:* Ego sum qui sum, & alius præter me non est. *Abraham, qui dicitur amicus Dei, & probatur, tres vidit, & unum credidit, cùm tres adorat, Trinitatem (ut dixi) commemorat, cùm unum in domum intrare deprecatur, unam potestatem esse denuntiat. Nam Moysi quotiens atque quotiens dixit:* Ego sum qui sum, & alius præter me non est. *Quid nos ire per singula necesse est? Ad duodecim discipulos, quos habuit, veniamus. Quia ipsi Gothi hodie ipsis venerationem impendunt, &* * reliquias *eorum .... furtim* tollunt. *Sed nihil ibi habent, quia fidem illorum ad nulla repræsumunt. Quid est, quòd in Basilicis eorum corpora ipsorum hodie venerantur, non ingrediuntur,*

Gregor. Turon. l. 4. hist. c. 35.

Preherus in Condit. histor. Franc. de Epist. p. 190.

* *Quod quàm semper sonare etiã & sonare.*

* regione

* requirit.

XV. Duo esse Salvatores nostri non possunt, ideóque nec Dii gemini, sed idem Deus in Patre Filius, & in Filio Pater.

* Sancti.

XVI. Trinitatis mysterium à Christo apertè traditum.

* *Reliquias tollunt.*

XVII. Fidei miraculis quotidianis confirmata.

diuntur, &c. ubi cæcos hodie illuminari conspicimus, ubi surdos auditum, & mutos sanitatem recipere. Nam quid dicam de leprosis aut de aliis quamplurimis, qui quantacunque debilitate percussi sunt, ibidem (ad S. Martinum) *per singulos annos, alii & alii sanantur? &c. Nam quid dicam de S. Germano, Hilario, vel Lupo Episcopis, ubi tanta mirabilia hodie apparent, quantum nec dicere verbis valeo. Ubi tribulantes, id est dæmonia habentes, in aëra suspensi torquentur, & Dominos, quos dixi esse confitentur? Nunquid in Ecclesiis eorum sic faciunt? Non faciunt, quia Deum & Dominos Sanctos ibi habitare non sentiunt. Dæmon dæmonem non exorcisat. Nam ubi Sancti habitant, dæmon vagari non dimittitur. Id eò fit, ut locus ubi Deus est, ostendatur. Quid de Domino Remigio, & de Domino Medardo Episcopis, quos tu credo vidisti? Non possumus tanta exponere, quanta mirabilia per illos Deum videmus facere.*

Rothildis

XVIII. Crodhildis Clodoveũ Regem convertit.

Audisti ab avia tua, Domina bonæ memoriæ * *Crodhildi, qualiter in Franciam venerit, quomodo Dominum Clodoveum ad legem Catholicam adduxerit. Et cùm esset homo astutissimus, noluit acquiescere, antequam vera agnosceret. Cùm ista, quæ supra dixi, probata cognovit, humilis ad D. Martini limina cecidit, & baptizari se sine mora permisit: qui baptizatus, quanta in Alaricum & Gundobaldum Reges fecerit, audisti; qualia bona ipsi vel filii ejus in sæculo possederunt, non ignoratis. Talis ornatus, talis vir, qualis Alboinus Rex esse dicitur, talis famâ, quem mundus sic proponit, quare non convertitur? aut quare tardus ad requirendum viam salutis apparet? Deus bone, qui es Sanctorum gloria & omnium salus, tu te in illum mitte. Et tu Domina Chlodosuinda, cùm verbum facis solatium tribue, ut omnes de tali stella, de tali gemma sic gaudeamus, qualiter Deo placere possimus. Saluto tantùm, quantùm valeo, deprecor ut otiosa non sis, incessanter clama, incessanter canta. Audisti dictum:* Salvabitur vir infidelis per mulierem fidelem. *Nam scias, prima salus prima remissio est, qui converti fecerit peccatorem ab errore suo. Vigila, vigila, quia Deum propitium habes. Rogo, ut sic agas, ut & gentem Longobardorum fortem super inimicos facias, & nos de salute tua, vel viri tui gaudere concedas.* Hactenus ille, paucis, quæ in margine rejecta vides, ad saniorem sensum à me inflexis.

Dedisse verò has literas, non tam convertendo Alboino, quàm confirmandæ in orthodoxa veritate Chlodosoindæ, Nicetium mihi persuadeo, cùm difficiliùs longè sit mulieri virum hæreticum ab errore reducere, quàm suis in eundem blanditiis præcipitare. Illud quidem, ut Archiepiscopus pro suo in religionem zelo, voluerit, satis constat non esse assecutum. Siquidem Alboinus vir militaris de terreno magis regno, quàm cœlesti occupando amplificandóque sollicitus, dum in Italiam victor arma transferret, Chlodosoindam morte amisit, aliámque Rosimundam, cujus patrem Chunimundum prœlio succumbentem interemerat, specie captus, substituit. quam dum nonnunquam in parentis opprobrium, ex cranio Chunimundi in convivio vinum haurire voluisset, mulier

XIX. Chlodosoinda mortua Rex Alboinus in hæresi malè periit à Rosimunda interemptus.

impatiens contumeliæ, Helmigem Regis Armigerum, copiâ sui factâ, in Alboini cædem impulit, tyrannidem mariti vindicatura. Postquàm verò cum Helmige ad Romanos transisset, eúmque post facinus fastidiret conjugem, qui ex regio sanguine ortum non duceret, cumulatura scelus scelere, venenum in poculo Helmigi propinavit; quod cùm haustum abs se perientisceret, ad Rosimundam versus, reliquum exhaurire coëgit: ita Superis disponentibus, mutui sceleris vindices, infelices stygi animas, corpora Manibus Alboini immolarunt. Tantam hujus familiæ calamitatem unius Nicetii consilium admissum submovere poterat, nisi Regum aulæ pietatis consiliis minùs paterent.

Paul. Diacon. l. 2. de gestis Longob. c. 13. & 14.

XIII. ANNOTATIO ad Annum 643.

De S. Irmina & Adhela, fuerintne Dagoberti primi an secundi filiæ, & quorum uterque locorum fundator?

EXorti nuper historici sunt, qui non perfunctorio labore excussis veterum monumentis plura eorum, quæ de Francorum ac Trevirorum rebus Browerus disseruit; aut subruere, aut in alienum sensum traducere conantur, quorum cum nonnulla Dagobertum Regem Francorum ejusque liberos ac posteritatem ita tangant; ut Trevericam historiam fidemque monumentorum nostrorum labefactare videantur, minimè nobis esse dissimulanda putamus. Ex his præcipuum ferè est, quod non ita pridem Hadrianus Valesius Francicarum rerum non ignobilis scriptor, in tertio historiarum suarum tomo, asserere non est veritus, adscribendum fabulis, quod de Irmina, Adela, aliisque Dagoberti Regis filiabus nonnulli commentantur. Quod si verum, pari facilitate omnem penè, quæ apud Treviros est, antiquitatis memoriam negando subruet. Unde pressiùs hic aliquantum auctor rationesque ipsius ad trutinam historicæ veritatis erunt ponderandæ. Verba ipsius admetiar. Postquam enim facta atque infecta Dagoberti, velut ex diphthera minimè fallaci recitasset, censorio denique calamo adjicit. *Frigidum sit his addere, quas Regi Dagoberto filias nonnulli recentes auctores impudenter affinxerint: Beatam IRMINAM, & MODESTAM, mendacium regiæ originis ipso nomine præferentem, ambas Deo devotas Virgines: ADELHEIDEM, vel ADELAM, & ROTHILDEM, ut commentitias, ita & commentitiis viris nuptas. E quibus Irminam, Adelam, & Rothildem quidam Dagoberto minori Sigeberti filio assignare mavult. Piget referre quod affirmant; Modoaldum Treverica Ecclesiæ Episcopum Augustæ Trevirorum in palatio Dagoberti, Horreo dicto, Basilicam S. Mariæ ædificasse, ubi congregatis Virginibus Irmina Modestaq; præfuerint, Monasteriumq; loco cognomine à Dagoberto in filiarum gratiam liberaliter esse dotatum, atque Irminam Abbatissam Monasterii*

I. An S. Irmina Dagoberti I. Regis Franc. filia, inquiritur.

Hadr. Valesius tom. 3. lib. 19. pag. 151 in fol. Parisiis an. 1658.

II. Negatur à quibusdam.

S. Mariæ

S. Maria ad Horrea dimidiam partem vici Epternaci, Suræ fluminis impositi, quam possederat, Willibrordo Epternacensi Episcopo, anno 12. regni Domini Childeberti, Regis Dagoberti pronepotis, hoc est post patris sui obitum, anno 68. dedisse. Quas fabulas referre, refellere est. Constat quippe Dagobertum duos tantummodo filios, Sigebertum ex pellice, Chlodoveum ex conjuge Nanthilde superstites reliquisse, ac nihil præterea liberorum sustulisse.

Hæc aliáque iste autor, tanquam novus quidam in historia Francica Dictator, cujus studium se viginti & ampliùs tractasse annos nec sine aliorum laude, in præfatione ad tomum secundum profitetur. monetque censores nascituros, parem ante huc diligentiam afferant, quàm sibi obelum figant. Equidem laudem neque invideo, neque solertiæ laboribusque utiliter posteritati, & rei literariæ consecratis quicquam detraho; illud verissimum tamen sentio, nimio illum fastidio aliorum despexisse studia, laboresque audaci satis critirio dispunxisse. Nostris tantum immorabor, quæ de Dagoberto ejusque posteritate tractanda suscepimus. Nam atrocissimam historiæ Trevericæ, antiquissimis ac certissimis monumentis nostris plagam intentat màgis, quàm infert: dum impudentiæ illos arguit, qui nostras de Irmina Modoaldoque assertiones tueantur.

De Modesta Valesii error.

Dagobertum Regem Horreensis Monasterii sentimus fundatorem, Irminam ejus loci præsidem, Regisque dicti filiam, Modoaldum hujus instructorem, illius consilii factique promotorem. Nullibi verò, seu ex traditione, seu literis observatum video, quod Modesta regiis filiabus annumeretur. Lapsus ille manifestus Valesii, aut illius unde hausit autoris est, ut errorem alterum haud paulò leviorem, quo Willibrordum Epternacensem Episcopum vocat, dissimulē. Debebat tantus historicus in Bruschio Trithemioque saltem, aut certè Henschenii Dagobertis, quos volvit, explorare primùm, quid de Modesta assererent, quàm Trevirorum historicos arguere impudentiæ, quorum nec sententiam quidem assequeretur: qui licet de Modestæ successione in Horreensis cœnobii regimine discrepent, tamen Modoaldi Trevirorum Antistitis neptem, aut Willibrordi sororem, non verò Regis Dagoberti filiam nuncupant. De Irmina porrò, quamvis sola nobis traditio, non per Virgines tantùm cœnobii perpetuà illic successione propagata: verùm etiam in urbis ac Diœcesanis Archivis, variisque scriptorum monumentis, conservata possit sufficere; tamen ipsæ nobis fundationis literæ, quas ex Archivo Monasterii depromptas accepi transcripsique; icone etiam signóque Dagoberti Regis, probè ad aliorum similium authenticorum diplomatum formam scripturámque collatis, luculentissimum hac in re testimonium relinquunt. Quod alii ejusdem sæculi diplomatum exploratores gnari, statim, ut solos conspexêre, absque signis literarum, ductus, Gothico more formatos, uncialibúsque in principio & fine characteribus insignitum, repente Dagobertinum esse diploma pronuntiàrunt. Dabo primùm hoc loco, quod ab alio Dagobertino posteriore & auctiore (ab Henschenio producto) aliquantulum dissidet, & Dagoberti Regis sigillum, illâ quâ ponimus figurâ, præfert, quo posteriùs destituitur. utriusque tamen penes Virgines autographum deprehendi. Ita habet.

Trith. lib. 1. Annal. Franc. Brusch. lib. 2. cap. 11.

III. Irminam Regis Dagoberti filiam esse ostenditur.

Lib. 2. c. 10.

IV. Diploma Dagoberti Irminæ filiæ concessum.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. DAGOBERTUS divinâ præordinante providentiâ Rex. Si Ecclesiasticis negotiis, & Servorum & Ancillarum Dei utilitatibus quæque necessaria providerimus, & de nostris rebus aliquod beneficium conferre studuerimus, id nobis ad temporalis nostri regni statum, & æterni promerendum præmium incunctanter credimus profuturum. Comperiat ergo omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium, præsentium & futurorum industria, quia rogatu dilectæ conjugis nostræ Reginæ Nanthildis Monasterio in Treverica valle, in honore Sanctæ Dei Genitricis, ab Irmina filia nostra constructo, & Sanctimonialium coadunatione decorato, ex rebus proprietatis nostræ in pago Murlense, in Marca Burense, has villas Machera, Cornibe, Baldebruno, Hildenesheim, Walcheim, Speia, Brunneche cum terris cultis & incultis, vineis, molendinis, pratis, pascuis, silvis, aquis, aquarumq; decursibus, viis & inviis, exitibus & regressibus, & quidquid habuimus legali autoritate contradidimus; eâ scilicet conditione, ut pauperes Christi inde in reliquum temporalia subsidia habituræ, æternæ vitæ subsidia nobis supplicationibus suis apud Deum possint præparare. Præterea fidelibus nostris, tam præsentibus, quàm futuris, notum fieri volumus, qualiter dilectissima filia nostra Irmina allodium suum, quod Laudunensi Episcopatu in his locis Ludusa, Ancia, Balbengeis, Wartengeis, cum omnibus appendiciis ad eadem loca justè & legaliter pertinentibus, à sponso suo Hermanno scilicet Comite, in dotem legali traditione suscepit, pro remedio animæ suæ, & prædicti sponsi sui, ad idem monasterium, quod vocatur Horreum, cum XL. mansis, in ipsa Treverica valle sitis, & extra urbem istis villis, Ornava, Muntzenfeldt, Willarei, Routzuurt, Wintersdorff, Rubera, per nostram manum cum omni integritate contradidit, eâ scilicet ratione, ut Sanctimoniales inibi Deo, Sanctæq; Genitrici ejus perpetualiter famulantes, in iisdem bonis nullius personæ, magnæ vel parvæ, violentiam patiantur; sed victum & vestitum inde semper, absque omni inquietudine, consequantur: & ut hæc præsens traditio tam sua, quàm nostra, stabiliorem in Dei nomine semper possit habere firmitatem, præceptum hoc inde conscriptum manu propriâ subter-firmavimus, & sigilli nostri impressione insigniri jussimus.

Sequitur deinde: *Actum anno DC. XLVI. Incarnationis Dominicæ, Indictione IV. Sept. Kal. Sept. Anno regni Domini Dagoberti II. Treviris in Domini nomine feliciter. Amen.*

V. Multa veterum Diplomata per adjectos à posteris Christi annos corrupta sunt.

Quæ subscriptio fortasse, ut visum est Henschenio, adjecta corruptè fuerit, cùm nec ipsi sibi anni satis constent. Factúmque illud à Majoribus nostris locis pluribus inconsultè, quod cùm tempore Caroli Magni, ac sequentium Imperatorum Regúmque per Germaniam Galliámque hisce annorum notis signatas ejusmodi tabulas deprehenderent, vel fide, vel antiquitatis existimatione sine his

annis

annis diplomata crederent destituenda esse. Cùm pauci tempora nominàque Regum id ævi regnantium (quorum annis à regni cujusque exordio petitis sub Dagoberto signabantur pleraque) nossent distinguere, atque in sedem antiquorum sæculorum referre. Et quia ejusmodi ignorantiæ confusionisque remedium quærebant ab annis Christi, vel passi, vel nati, suam nobis ignorantiam testati, majorem confusionem induxère; quòd plerique imperitè, & suo quisque studio ingeniòque annos Regum, Christique atque Indictionum, composuerint, & multum hoc pacto de fide diplomatum apud peritos historiarum & antiquitatis gnaros detraxerint. Verùm quamvis non censeam hoc argumento annorum Christi adjectorum, ceu infallibili, diplomata vetera corruptionis argui posse; quod jam ante complures Dagoberti annos, haud multum à quinto sæculo Dionysius Exiguus Romani Monasterii Antistes æræ Christianæ vulgâsset in Gallia computum; tamen si quid inde justæ suspicionis in quibusdam diplomatibus oriatur, non iccircò statuendum est, ipso in corpore rerúmque tractatione, aut fundorum ac privilegiorum concessione vitiata esse: nisi alia hujus falsitatis argumenta deprehendantur. Qualia in malè usurpatis Trevirensium diplomatibus à Barriducæo scriptore Francisco de Rosieres, in Lotharingicorum Ducum Stemmatibus manifestâ fraude offendimus, quando illa cum genuinis Metropolitanæ ædis nostræ diplomatibus comparamus, & sine his Patres Belgæ Bollandus, Henscheniùsque in vita S. Sigeberti Regis Gall. 1. Febr. offenderunt, cùm plura istorum diplomatum errata censeant, memorèntque Franciscum ob deprehensam corruptelam, coactum anno 1583. coram Henrico III. Gall. Rege falsitatis convictum, palinodiam canere; edicto Regis ad posteritatis cautelam divulgatam, teste Ludovico Chanterello fabro, ante Considerationes Genealogicas domûs Lotharingicæ. Pleraque tamen hæc diplomata, quibus homo vanissimus Ducatum Austriæ Mosellaniæ inter veteres stabilire, & ficta quædam Lotharingis Ducibus (qui nativis sat abundant) ornamenta emendicare nequicquam conatus est, ex aliis melioris fidei diplomatibus pristinæ integritati restitui poterunt, ut à Browero tam in Dagobertino, quàm Sigebertino diplomate (licèt non integro) Modoaldo Antistiti exhibito, præstitum est. Nobis hoc loco satis erit Dagobertinum S. Irminæ filiæ concessum diploma adversus illius obtrectatores tueri. Et quia Novitius Francorum scriptor est, qui utriusque existimationem adversus probatissimam antiquitatem, non autoritate publicâ, sed opinatione privatâ vellicat, impudentiæque contra sentientes arguit, rationes hominis obiter exploremus. *Irminam cum Adela ac Rothilde cōmentitias*, ait, *esse filias, commentitiisq; viris nuptas.* Unde constat? quia nimirum *præter duos filios nihil liberorum Dagobertus reliquit.* Id verò unde certum est? quia, opinor, veteres de natis illi filiabus historiæ conticescunt. Clava illa Herculea est; quâ repentè Irminam se cum sororibus reliquis conficere uno ictu credidit. ut si confestim, quidquid unus

VI. Sub Dagoberto tamē æra Christi jam reperta fuit.

VII. Lotharingus scriptor Diplomata Trevirensium corruptè vulgavit.

Et publicâ palinodiâ retractavit.

VIII. Historici natas è Regibus filias sæpè prætereunt, quòd ad

penè Fredegarius, jejunus barbarusque scriptor, unde plerique hausère cæteri, de rebus prolibusque Dagoberti non asseruit, id infectum liceat affirmare. Etenim hoc scire Valesium eo loci oportuisset, certiorem historiæ priscæ fidem autoritatémque nullam posse adstrui, quàm quæ ex repertis diplomatis, monumentorumque veterum inscriptionibus hauritur, cùm ista (siquidem possessiones ac privilegia spectent) corrumpi sine possidentium clade non valeant: hæc in mutis plerumque lapidibus, sine cujusquam detrimento aut insidiis veritatem custodiant. Quâ igitur fronte impudentes appellat, cùm in tribus Henschenii Dagobertis (quos non sine invidentia reperti alterius Dagoberti, gravi supercilio contra autorem detonans, evolvit) manifesta diplomata Trevirensia atque Epternacensia, Irminæ genus dignitatemque complexa, viderit; legerit etiam iisdem in chartis epigraphen sepulchralem, quam in suo Dagoberto Coccius oculatus testis ex templo Alsatico Weisenburgensis Monasterii his verbis deprompsit: HIC RECONDITUM EST INTEGRUM CORPUS B. IRMINÆ VIRGINIS FILIÆ DAGOBERTI REGIS FRANCORUM, FUNDATORIS HUJUS MONASTERII. Quod Henschenius cum Tritheimio jam ante quingentos illic annos lectum fuisse, non immeritò opinatur; cùm Crafto Spanheimensis Monasterii Abbas anno Christi MCLII. Caput Virginis pro suo Monasterio impetraverit, & aliquot ex corpore ossa hodiedum Trevirensis Ecclesia possideat, adeoque post hoc tempus facta inscriptio talis de corpore integro vana esset.

Verùm quid multis in re certissima immoror? Testibus Valesium erroris convincam, omni exceptione majoribus, quosque etiamsi velit, falsitatis non ausit arguere, utpote ex ipsa Parisiorum Regali curia ante aliquot sæcula productis. Successerant olim in Benedictinarum Virginum deficientium locum Augustiniani instituti Virgines, quando illis in Francia lites de possessionibus motæ sunt, ideóque ad regium Francorum tribunal, quorum in ditione prædia obtinebant, confugere sunt coactæ. Sed discussa hæc brevi controversia est, quando antiquissimo Dagoberti Regis diplomate munitæ se Judici causarum stitère, quo discusso, & ad regulas veritatis explorato, cùm probatum esset: ne quæ deinde lites aliæ suborirentur, à Rege Philippo confirmatorium veteris illius privilegii diploma est impetratum, quod, cum regii sigilli à me inspecti imagine, his suis verbis subjicio.

PHILIPPUS *Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus universis, tam præsentibus, quàm futuris, quod ex parte religiosarum Mulierum Magistra seu Abbatissa in conventu Monasterii B. Mariæ in Horreo Trevirensi ordinis S. Augustini, nobis fuit exhibitum quoddam antiquissimum privilegium claræ memoriæ Dagoberti dudum Regis Francorum præclarissimi, dotationem seu fundationem prædicti Monasterii, & bona, seu hereditates, ipsi monasterio in dicta fundatione donatas continens, & declarans,*

successionem in regnis non spectent.

IX. Historica veritas ex diplomatis & monumentorum inscriptionibus præcipuè stabilitur.

Hensch. de Dagoberto lib. 2. c. 10. 11. 12. 13. Coccius cap. 18.

X. Judicium curiæ Franciæ de Irmina & diplomate Horreensi.

rans supplicando nihilominus humiliter & devotè, ut cum propter ipsius vetustatem privilegii dicto monasterio possit in proximo dispendium imminere, privilegium ipsarum renovare misericorditer dignaremur. Nos igitur progenitorum nostrorum, (quos semper ad Matrem Ecclesiam, religiosaq; & pia loca summa devotionis operam procul dubio gessisse, facti experti veritas manifestat) vestigiis inhærentes, dictarúmque religiosarum devotis supplicationibus inclinati, privilegium ipsarum, tenore præsentium renovamus & confirmamus. (Dicti verò privilegii tenor sequitur in hæc verba.) *In Nomine S. & individuæ Trinitatis, Dagobertus divina præord. Providentia Rex &c.* (Subjicitur porrò ad verbum, prout supra recitatur, ac dein concluditur) *Per hanc autem renovationem & confirmationem dictis religiosis, vel alia cuicumque personæ, nullum jus novum acquiri quomodocunque volumus, vel ipsis aut aliis quibuscunque aliquod præjudicium generari. Quod; ut perpetuæ firmitatis robur obtineat præsentes literas sigilli nostri fecimus appensione muniri, nostro & alieno in omnibus jure salvo. Actum Parisiis anno Domini millesimo trecentesimo septimo, Mense Aprili.*

Utriusque Diplomatis sigillum hic subjicimus. In quorum altero Regis figura ob deciduum caput, imperfecta est.

Perfricet nunc Valesius frontem, & *impudenter* hæc dicat affirmari. Adjicerem clarissima ex Gaspare Bruschio, Trithemio, Theofrido Epternacensi scriptore antiquissimo, Kyriandro, & Ordolpho Trevirensibus historiarum testimonia, qui omnes uno ore suffragantur: nisi oleum operámque me hic perdere existimarem, si soli lucem adderem. Porrò de Adela & Rothilde Irminæ sororibus, si Valesius ejusque sectatores Browerum legerint, non erit opinor, quod deinde ambigant, aut à nobis disceptationem ulteriorem requirant. Superest de anno dati diplomatis, deque Irminæ nativitate ætatéque difficultas, quæ ex annis Regis Dagoberti primi ejusque regni periodo dependet. Neque enim veritate & historiâ Trevirorum salvâ assentiri Henschenio possumus, Dagoberto secundo Nepoti triadem hanc sororum adscribenti. Nam ut infra videbimus, neque Dagoberti alterius ætas conditioque has proles admittit: neque alteri Dagoberto, quàm qui *Nanthilden* habuit conjugem, & cum *Modoaldo* Trevirorum Antistite vixit (ut alia argumenta prætercam) hæc potest soboles vendicari. Evincunt hæc citra controversiam, tam antiquissima è nostris archivis deprompta historiarum monumenta (quæ jussu Balduini Archiepiscopi Trevirensis, ante annos facilè trecentos per Ordolphum Secretarium collecta in meis sunt manibus) quàm inscriptiones sepulchrales, & diplomatum fida testimonia, quibus in eandem sententiam conspirantibus, non video quod majus robur in historica veritate de Proavorum temporibus factisque queat obtineri. Ordolphum in primis audiamus. Sic loquitur lib. 2. cap. 12. *Modoaldus Episcopatum suscepit temporibus Dagoberti Regis Francorum: qui videlicet Dagobertus plurima beneficia contulit Treberensi Ecclesiæ, & B. Modoaldo: sicut in ejus præceptione potest observari, quod congruum hic duximus sub silentio non præterire.* Recitat sub hæc diploma, quod Browerus ad annum Christi 643. sub Modoaldo produxit, in quo *Pontifex Modoaldus in territorio S. Petri nuper à fundamento construxisse monasterium Horrea vocatum, dicitur.* Pergit dein Ordolphus: *In palatio*, ait, *Dagoberti Regis, quod vocatur Horreum, Ecclesiam in honorem B. Mariæ Virginis construxit. ubi & congregationem Virginum instituit, quibus præfecit Matres, primo dilectam Deo Virginem Irminam ipsius Dagoberti Regis filiam. Deinde Modestam vita & nomine quandam sacratissimam*

XI. S. Irmina non fuit Dagoberti secundi, sed primi filia.

Ita nobis testatur antiquum MS. in charta pergamenâ ex archivo ædis Metropol.

mani Virginem, alumnam cœnobii S. Romarici quæ fuit filia sororis B. Modoaldi contemporanea B. Virginis Gertrudis. Post Modestam successerunt ei Anastasia, & Basilissa Virgines sanctæ. Prædictus igitur Pontifex præfato monasterio privilegium acquisivit, habens hunc modum: EGO LEO VICARIUS S. PETRI, &c. quod Browerus producit ad annum Christi 779. sub Carolo Magno Imper. & Wazzone Archiepiscopo Trev. Ad quod etiam tempus est referendum: neque enim Modoaldus per se, vel præfecisse Monasterio neptem suam Modestam, vel impetrâsse hoc privilegium, sed per suos successores, ipse tanquam primus cœnobii autor dicitur. ut frustra hic Browerus cum Henschenio hæsitent, dum Modestam Irminæ verentur subjungere, quòd in diplomate Leonis III. dicatur: *Cœnobium Horreense à S. Modoaldo Trev. Archiepiscopo, subministrante B. Modestâ filiâ sororis ejus, à regalibus horreis (à quibus & nomen accepit) in divini cultûs officium restauratum, post discessum B. Virginis Irminæ, quæ prima hunc locum provehendum suscepit.* Hoc enim Modoaldus non per se, sed Modestam à se piè quondam institutam, & S. Willibrordum, id temporis quo Modesta præfuit, Ecclesiæ Treviriensi subservientem, præstitisse censendus est. cùm hîc manifestè dicatur, ante Modestam præfuisse Irminam: hanc autem pòst Modoaldum fuisse superstitem nemo hactenus historicorum negaverit. ut proinde Modoaldi ac Modestæ regimen eodem componi tempore, nisi anto memorato à nobis sensu, non possint.

XII. Modesta neptis B. Modoaldi successit D. Irminæ in Horreensi cœnobio, ante Anastasiam. de quo immeritò Browerus dubitat ad an. 708.

Sed ad Ordolphum audiendum revertamur. Progreditur is cap. 13. his verbis. *Sæpè memoratus Pontifex* (Modoaldus) *aliam in Palatio antiquo, in suburbio sito, congregationem constituit, quibus Matrem similiter Dagoberti Regis filiam, nomine Adhelam præfecit, & Ecclesiam S. Martini in pago Megine construxit. Hujus etiam temporibus Paulus inclusus migravit ad Theologiam* (Monasterium) *quod præfatus Dagobertus Rex in suo proprio construxerat.*

XIII. Adhela soror B. Irminæ Palatiolensi Cœnobio præfecta.

Hoc igitur scriptore teste, tam Irmina, quàm Adhela Dagoberti I. filiæ habendæ sunt; cùm Modoaldum ante Dagobertum alterum vitâ functum esse, nullo contradictore, constet. Licet sub eodem Irmina & Adhela (quod Henschenium seduxit) adhuc superfuerint; illa etiam hoc tempore D. Willibrodo ad Epternacensis Monasterii fundationem liberali donatione subvenerit, quam Pipinus deinde Major domus, cum Plectrude conjuge, locupletavit. Neque tamen hoc pacto nimia Irminæ ætas tribuitur, quæ dotationem hanc Epternacensem, non anno duodecimo Regis Childeberti, ut Valesius comminiscitur, sed quarto, ut ipsum diploma fundationis habet (quod Browerus anno Christi 698. recitat) piè instituit. Caspar Bruschius, qui sua se ex antiquis Trevir. monumentis eruere profitetur in Chronologia Monasteriorum Germaniæ, *Horreum*, inquit, *Treviren se ex Dagoberti Galliar. Regis Palatio, seu Horreo potiùs Monasterium factum, olim Canonissarum, hoc est liberarum, & ab omni voto immunium Dominarum amplissimum Collegium, hodie verò Sororum instituti Benedictini præpotens*

XIV. S. Willibrordo in fundatione Epternacẽsis Monasterii B. Irmina subvenit.

Bruschius in litera H. mihi fol. 75.

Monasterium (quod S. Matthiæ Treviren si Abbati subest) in honorem B. V. Matris temporibus Modoaldi Trevirorum Archiepiscopi fundatum est anno Domini 626. locupletatum verò anno Domini 645. (quorum ille Modoaldi regentis primus, hic Dagoberti ultimus) *à Dagoberti Galliarum Regis ex Nanthilde filia, Domina Irmina Deo dilecta, Hermanno Comiti cuidam Gallicano desponsata, qui citiùs è vivis excessisse legitur, quàm conjuges coiissent.*

Mendosè ponitur anno D. 606. & Mathilde, quod hæc à Modoaldi ævo discrepant.

Consentit Trithemius de Viris illustribus ordinis Benedictini, & Wilhelmus Kyriander in historia Treverica, qui etiam diplomata idem confirmantia, quæ apud Browerum extant, producit. Illud sanè quod ad annum Christi 643. recitatur, Modoaldo Horreense Monasterium, tanquam jam conditum subjicit, quod deinde ab Irmina ad præfecturam admissa locupletatur: alterum, quod anno Christi 690. productum, ab Adhela palatiolensis Monasterii præside ac fundatrice, testamentariis tabulis anno Theodorici II. Regis XII. confectum. Quod contra Browerum nullo certo argumento Henschenius, nisi ad Adhelæ vitam prorogaret, ad Theodorici III. tempora rejecit. Præsertim cùm Adhela memoret, se *jam dudum* villam Palatiolum à Pippino Majore domus permutatione quæsitam ad proprii Monasterii usum extruxisse. At Pippinum hunc sub Dagoberto Magno præfuisse constat: nam alter Pippinus Herstallus post Dagobertum secundum defuncto jam Vulfoaldo Majore domus, & Palatiolo jam ab Adhela possesso primùm ad hanc dignitatem emersit.

Trith. l.3.c.158. Kyr. parte 9.

Deinde Dagoberti II. nulla apud Treviros memoria, palatium & sedes ac possessiones nullæ in usum religiosorum hominum conversæ sunt, verùm quidquid Ecclesia istic beneficiorum censet primo tribuitur. Regale illud horreum quod in Parthenonem versum est, villæ ac possessiones S. Maximino tributæ, S. Symphoriani templum Modoaldo impetrante excitatum, à Dagoberto Magno profecta sunt; ut tam ex diplomate Maximiniano, quod in Metropoli nostra ejusdem Monasterii fastis sub principium inserui, quàm ex Lapidis inscriptione à Browero ad annum Christi DCXLV. exhibita, cuivis perito eorum temporum arbitro manifestum erit. Agnoscunt hæc beneficia suis in diplomatibus, ut alios prætercam, Magni Imperatores Otto I. ac II. In quorum postremo hic ad annum Christi DCCCCLXIII, ita loquitur: *Privilegia piissimi genitoris nostri Domini Imp. Augusti Cæsaris Ottonis, cæterorumq; retroacti temporis Impp. ac Regum, Dagoberti videlicet, Pippini, Magni Caroli, piiq; Ludovici, successorúmq; eorum cœnobio S. Maximini concessa, vel attributa, cum consilio Wilhelmi, fratris scilicet nostri, nostrâ etiam autoritate roborare decrevimus.* Ubi nemini dubium primi Dagoberti memoriam recoli, quem in suis fundatoribus Maximiniani censent, & ipse etiam Henschenius agnoscit. Ita cùm in Horreanis diplomatibus Dagobertus producitur, alius non censetur, quàm qui Regiam Treviris aulam incoluit, istic loci uxorem liberosque aluit, Regalium ipse Horreorum, quæ in Monasterium vertit, possessor. Unde Egilbertus

XV. Dagobertus I. qui San-Maximinianos etiam Horreenses Virgines fundavit, quod is Horrei possessor fuerit, & cũ S. Modoaldo vixerit.

Treviro-

Trevirorum Archiepiscopus, sic in diplomate anno salutis MXCV. exhibito, ait, *Matrona nobilis Richardis nomine de Honrin, cuidam egregio viro juncta matrimonio, qui ministerialis fuit Ecclesiæ S. Dei Genitricis Mariæ in Treviri, quæ Horreum dicitur Dagoberti Regis: semet sponte eidem Ecclesiæ in ancillam mancipavit.* Joannes vero Archiepiscopus in diplomate anni MCCCCXCV. hæc habet. *Nuper ad magis incliti monasterii S. Mariæ in Orreo (quod gloriosissimi & Catholici Regis Dagoberti filia S. Irmina erexit, dotavitque, quodq; S. Modoaldus, tunc Trev. Archiepiscopus consecravit; in quo etiam, nedum jam memorata Irmina, sed etiam Modesta, Anastasia, & aliæ Virgines sanctè vixère) antiquitatem, dignitatem, & sanctitatem oculos nostros spirituales intendentes.. ad suam originem & S. Benedicti regulam reduximus &c.* Quæ ex Archivo Treverico producta, si nos fallant, unde veritatem eruemus?

Porrò Dagoberti II. in Alsatia ferè, ut Henschenius ponit, viventis, nullum apud Treviros aulæ vestigium, nulla cum Modoaldo consuetudo, nulla beneficiorum memoria. Et sanè oportuisset hunc in suis diplomatibus, ne cum primo confunderetur, aut pro more nomen usurpare secundi, aut certè iis distinctionis notis sua formare diplomata, ut distingui possint. Quod si Henschenius illum in Malmendariensi ac Stabulensi diplomatibus fecisse agnoscat, ut in quibus *Sigebertum Regem genitorem suum* profiteatur, quid obsecro causæ erit, cur in Trevericis ab eo neglectum dicamus? Illud planè ex more usuque sentiendum, ut ubi Dagobertus citra numeri, alteriusve distinctionis notam ponitur, istic primus istius nominis esse censeatur. Postremò frustra historicus receptam antiquitus traditionem convellere nititur, si certæ desint in oppositum rationes. Negligendus, si conjecturis, & argumentis errori facilè obnoxiis prisca recens natis oppugnet: ac tunc multò maximè, si, quod diplomatibus inscriptionibusque vetustis firmatum est (quibus nihil in historia solidius) hoc quorundam historicorum narratiunculis, tot labendi occasionibus expositis, ausit impetere. Et ubi demum memoriam proavorum durare aliquam posse credemus, si non apud illos, qui celebri quotannis festivitate primorum inter suos Fundatorum, eorum præsertim, qui sanctitatis fama claruère memorationem cum grata recordatione instituunt? Certè illæ, quarum principia ignorantur, Breviarii lectiones, quæ in Horeensi Parthenone recitantur, tales sunt: *Irmina Virgo filia Dagoberti primi Regis Francorum, post habiti sponsi Hermanni nobilissimi Comitis mortem, pudicitia constanter culta gloria excelluit, quæ aggregatis à Modoaldo in vita communionem Virginibus velū monasticum ad Horrea sumpsit.* Hanc igitur, siquid inviolatum in historia stare possit, sententiam admittere necesse est, ut argumenta argumentis, citra affectum comparanti, manifestum futurum est. Ut quid enim Dagoberto alicui, nec per umbram quidem Treviris apparenti, tot repentè liberos, Nanthildi Dagoberti I. exploratissimæ conjugi ereptos, assignabimus adversus perspecta tot historicorum & diplomatum monumenta,

XVI. Traditioni & Lectionariis vetustis multū tribuēdum.

quorum neque natalis, neque educatio, neque ipsa sit mater cognita?

Id quidem non diffiteor, de tertia Dagoberti I. filia, quam suo in Testamento apud Browerum Adhela Regentrudem appellat, quosdam scriptores conticescere. Verùmtamen ex antiquo Codice MS. Epternacensis Monasterii Theodoricus seculi duodecimi accuratus scriptor, hæc reliquit: *Dagobertus tantâ æquitate Lingonis judicabat omnibus, ut nullis præmiis intervenientibus, sine personarum acceptione sola dominaretur justitia, quam diligit altissimus. Veniens quoque Divionem, Ladonam, & Cabillonem, demum per Augustodunum, Autissiodorum ex Senonis Parisius* properavit, ibiq; Gomatrudem germanam Sichildæ Reginæ, quam Patre vivente uxorem duxerat, in villa Romaliaca relinquens, Nanthildem de puellis in matrimonium cum regali dignitate sibi copulavit. De hac filium Clodoveum, qui & Ludovicus nominabatur, & tres filias Regentrudem, Irminam, & Adhelam suscepit. Quarum Regentrudem marito sociavit. Adhela in villa Palatiolo monasterium instituit, & Virginum quas istic adunavit Abbatissa fuit. Irmina verò etiam Deo dicata monasterium in honore Dei Genitricis semper Virginis Mariæ ad horreum instituens Abbatissa venerabilis claruit.* Hunc verò scriptorem loqui de Rege Dagoberto I. quamvis apertum satis, tamen & ipse autor lib. 2. fol. 21. idem declarat, cum sic concludit. *A Ludovico Rege, quem baptizavit S. Remigius cum gente sua, usq; ad Schildebertum Regem, & Irminam filiam Dagoberti Magni, Deo dilectam Virginem, & usque ad Pippinos & Carolos nostros in superiori libello, quasi ex florigera prati amœnitate, decerptum de diversis floribus texere sertum procuravimus.* Cui cùm ipsum Adhelæ testamentum apud Brow. anno Chr. 690. productum conforme sit, quando *Regentrudem dulcissimam suam germanam* nuncupat: ut quid in re manifesta pugnamus? Et hæc quidem nostram de Magno Dagoberto sententiam magnopere confirmant: quanquam Theodorico curæ non fuerit, ut illo quo prodierint ordine proles enumeraret, & susceptas ante celebratum matrimonium, à postea natis separaret. Nam cùm à morte patris, quando Gomatrudem repudiavit, non nisi XVI. præfuisse annis memoratur, fieri non potuit, ut interea tot proles susciperet, quæ maturæ aut nuptiis, aut monasteriis præsertim regendis, patre adhuc superstite, essent. Sed neque diu ante natas oportuit, cùm ex donatione S. Irminæ Willibrordo ad Epternacensis Monasterii fundationem præstita, eam adhuc anno DCC. superfuisse constet; sed & brevi post extinctam (Modestâ, ac deinde Anastasia haud longo intervallo succedentibus) communicatio D. Willibrordi cum Anastasiâ, de qua Browerus ad annum Christi DCCIX. disserit, abundè declarat. Nihil igitur prohibet, si dicamus Irminam jam anno DCCII. desiisse vivere, sexennio deinde circiter præfuisse Modestam, ante munus Anastasiæ delatum. Ita enim salvâ diplomatum, ac tot historicorum fide, res nobis deinde integræ magis futuræ sunt. Adhela verò, quia adhuc cum Bonifacio (ut Browerus refert an. 719.) vixit, Gregoriumque

XVII. Dagoberti I. filiæ ex Nanthilde satis notæ.

MS. Theodor. fol. 14. p. 10.

* Parisios

illi Nepotem adjunxit; haud multò post fatis etiam gravi jam senio, & testamenti tabulis exaratis, concessit.

XVIII. Superest nunc, ut de Dagoberti Magni ætate regnoque videamus, quo illæ, quas Henschenius lib. 2. cap. 10. movet, difficultates solvantur. In qua re à certioribus ad minus certa progrediemur. Consentiunt plerique, & Henschenius ipse erudito juxta ac laborioso in S. Sigebertum Dagoberti M. filium commentario suffragatur, Fredegarium, & Monachum S. Dionysii, quique illos secutus est, Aimoinum, rectè annos regni XVI. Dagoberto tribuere, neque Browerum hoc loco vacillantem, jure deflectere, annos duos subtrahendo. Nam cùm illorum scriptorum autoritate, quorum aliqui coætanei, major haberi nequeat, meritò erit acquiescendum. Et hos annos quidem non à primo Austrasiorum regno, quod vivente patre sexennio administravit, sed ab hujus morte, quando totius Franciæ regimen auspicatus est, à dictis colligi autoribus, idem Henschenius contra Valesium sentit, ostenditque per singula quæque capita res à Dagoberto gestas, cum suis annorum notis ita distribui, ut in hac sententia accuratus lector possit acquiescere, quod tamen ita sentio intelligendum, ut explevisse Clotharius pater annum regni XLIV. regnando existimandus sit, & vivere desiisse XLV. quo Dagobertus eidem successerit, cùm Aimoinus de Clothario scribat, quòd *Trigesimo regni sui anno postquàm regnare cœperat, patre defuncto Monarchiam regni adeptus sit: & postea Monarchiæ suscepiæ anno XVI. paterni autem regni XLIIII. mortuus.* Cœpit igitur Monarchiam anno trigesimo, quem si primum Monarchiæ computes, ad XXIX. adjecti XVI. conficient annos XLV. quorum ultimo Clotharius vivere & regnare ut Monarcha desierit, Dagobertus verò incœperit: qui annus Christi DCXXIX. ut ex eo colliges, quod Gunthramus Burgundionum Rex anno Christi DXCIII. post eclipsin solarem anni præcedentis (ut notavit Fredegarius cap. 14.) decesserit, cui eodem anno Childebertus; post triennium verò, Childeberto defuncto, Theodobertus successit in Austrasia, & Theodoricus in Burgundia. Ad quos Gregorius Papa anno regni illorum primo, Christi DXCVI. Indictione XIV. epistolâ scripsit, quâ Augustinum in Angliam missum cōmendat.

In 1v. SS. ad 1. Febr.

Dagoberto I. anni regni monarchici XVI. jure adtribuuntur.

Lib 4. c. 7. c. 16.

Epist. 58. l. 5. Regestr.

Porrò cùm anno regni utriusque XVII. Theodobertus à fratre prœlio superatus, regno vitaque excidisset, annoque insequenti, qui erat Christi DCXIII. Theodoricus profluvio ventris extinctus esset, Clotharius, occisis hujus filiis, cum Brunichilde aviâ, multorum parricidiorum reâ, anno regni paterni trigesimo Austrasiæ, Burgundiæque moderari cœpit; qui cùm annis octo & triginta præfuisset, anno Christi DCXXI. Dagobertum filium ex Berthetrude conjuge jam defunctâ, susceptum, Austrasiis regendis præfecit, Regum Francorum primus, qui filium se vivo regni participem admiserit. Nec multò post, anno regni sui XLII. ut à vaga libidine juvenem coërceret, Gomatrudem Sichilis conjugis suæ sororem thalamo sociavit, quam ille prætextu sterilitatis, Parente jam mortuo, & B. Arnulpho Metensium Episcopo ad eremum digresso, submotis, quos maximè verebatur, custodibus, repudiavit, Nanthilde è ministerio (non *monasterio*, ut rectè Valesius tradit) in Reginæ locum surrogatâ. Ex qua cùm masculam deinde prolem non ferret, de tertia Ragnetrude in consortium thori octavo regni anno adscitâ, Sigebertum, Sanctum postea apud Austrasios Regem, suscepit, atque in omnem solutus luxuriam pluribus Reginis concubinisque matrimonii Christiani leges temeravit. Maturioribus tamen annis, sanctorum virorum, quorum ætas illa abundabat consilio, scelerúmque flagellante conscientia, ad mentem pœnitentiámque adductus, immensis penè largitionibus in Ecclesiam Dei & asceteria sacra per universam Galliam factis, cœleste Numen placare conatus est. Quas siquis per regnum Dagoberti cum suis diplomatibus colligat, ingens donationum volumen facilè confecerit; cùm sola Treviris nostra, non pauca, nec contemnenda sufficiat. Rarissimæ sanè munificentiæ exemplo, ut plures ex posteris reperiantur, qui ejus in potentia libertatem, quàm in pœnitentia liberalitatem imitentur. Demum, ut loquitur Aimoinus, *inclytus Rex Francorum Dagobertus annis sedecim gloriosâ functus regni administratione in Spinogilo 14. cal. Febr. diem clausit extremum.* Quibus sedecim, ad annos Clotharii parētis, & Christi DCXXIX. additis pervenies cum Browero ad annum salutis nostræ DCXLV. à cujus superius chronologiâ veterum historicorum ductu aliquantulum defleximus.

XIX. Dagobertus, patre mortuo, Gomatrudem, ut sterilem repudiat, Nanthilde Irminæ Matre substitutâ.

Aimoin. l. 4. c. 33.

Moritur anno Christi 645.

His ita constitutis quæritur: quando ac quomodo ex Dagoberto & Nanthilde intra annorum quatuordecim periodum & nasci & nubilis esse Irmina sororésque potuerint; cùm pluribus ante mortem annis Nanthildem Rex non duxerit? Cujus quæstionis apud continentem admodum Regem difficilis esset resolutio; sed cum in ministerio suo Rex Nanthildem præ Gomatrude dilexerit, illámque prolis gratiâ adsciverit; aut statuendum Irminam jam ante ex illa natam; aut hæc admitti tanquam filia non poterit. Quod postremum cùm historica nequaquam fides patiatur, prius erit concedendum. Adhela ante Sigebertum quoque lucem aspexerit: unde factum, ut Rex filiabus tantum nascentibus adjecerit ad Ragnetrudem animum, cujus etiam deinde nomen tertiam filiarum Ragnetrudem, propter optatum filii ex illa partum ferre voluerit, amore tamen in Nanthildem redintegrato, postquam Clodoveum ipsi filium peperisset. Nec mirum cuiquam videri debet, quod apud Fredegarium ejus ævi scriptorem, nulla filiarum extet memoria: cùm hæ passim à Gallicis scriptoribus neglectæ, nihil admodum (nisi primariis nuptiis aut facinoribus innotescant) ad historiam momenti adferant. Fredegarius etiam, ut & S. Dionysii Monachus à Treviris remotior, magis ante oculos posita, quàm peregrinâ sit perscrutatus. Quod si igitur diplomatum (ut jure facimus) ductum rationémque secuti, Irminam quatuor ante nuptias annis ex Nanthilde susceptam, Adhelam verò sex septémve annis post easdem statuamus, illa vixerit ab anno Christi DCXXV. usque

XX. Irmina ante Gomatrudem dimissam ex Nāthilde nata.

XXI. Sigebertus ex Ragnetrude, Chlodoveus ex Nanthilde Regi nascitur.

ad

ad DCCII. hæc ab anno DCXXXVI. usque ad DCCXX, potuitque à Modoaldo, etiam post natum ex ipsa Albericum Gregorii patrem, Palatiolano Monasterio inaugurari: cùm adynata hic nulla sint, quæque tot scriptorum monumenta evertant.

Ceterùm Broweri calculis si stare magis lubeat, pauci, quos adjeceris utrique anni nihil absurdi continebunt. Quod verò ad annos regnatis Dagoberti, quibus hæc diplomata firmavit, attinet, tam illi penè incerti sunt, quàm certum est contulisse. Siquidem anni illi regni Dagobertini pro ratione locorum mutati videntur, & principia numerandi sumpsisse diversa, cùm hos alii communiùs à regno Neustriæ, & patris Clotharii, cui Dagobertus ut Monarcha successit, morte ducant: alii, & præcipuè Austrasiæ regni incolæ, à regno illic sub patre vivente inchoato, ideoque annos regni censent duos & viginti: alii denique liberiore calculo, regni vitæque annos confundant; ut, cùm supra quadragesimum annis aliquot vixisse credatur, Ivo Carnotensis annos ipsi regni XLIV. assignet; & Cœnobitæ S. Dionysii (quos amplissimis possessionibus ac prærogativis, suoque demum moriens corpore donavit) quædam proferant diplomata, anno regni XXV. alia XXX. consignata, quæ cùm repudiare omninò non possimus, ab ipso regnantis exordio numerandum, & sic alter ille Henschenii Dagobertus cum sua prosapia locum non reperiet, aut certè à vitæ exordio ducendus calculus, ac fatendum ex sola aberratione, aut neglectu temporis diplomata non posse, quoad rei substantiam, erroris argui, quando ipsa tot seculorum in bonis obtenta possessio, agrique & villæ occupatæ pro suis Dominis testimonium veritatis loquuntur. Certè Trevericum diploma aliquod Modoaldo Archiepiscopo in Metropolitanæ favorem Ecclesiæ concessum à Dagoberto Rege fuisse, vetus in lapide Paulinianæ Basilicæ inscriptio, quam Browerus anno Christi 644. producit, abundè testatur. ut qui illius Regis in Trevirensem Archidiœcesin beneficentiam fabulis accensere conatur, contra valles montesque possessos, ipsosque etiam lapides nequicquam declamaturus videatur. Neque locorum unde hæc diplomata prodierunt, diversitas. suspicionem erroris confirmabit.

XXII. Unde diversitas annorum regni in Dagobertinis diplomatis reperta oriatur.

Equidem non diffitebor Francorum Reges, postquàm Romanis propulsatis, has Belgicæ primæ oras obtinuerunt, translatâ regni sede, quam Romani Treviris statuerant, Metis plerumque, dum regnum Austrasiæ moderabantur, consedisse. Parisiis verò dum Neustriæ, aut utrique regnorum præessent: tamen quin mutatis belli pacisque rationibus ac temporibus, diversas tenuerint per Galliam, Belgium, Germaniamque sedes, non est negandum. Ita non Moguntiæ minùs, quàm Treviris substitisse Dagobertum, producta ex Archivis diplomata memorant. Sic enim Maximinium diploma subscribitur: *Datum Moguntiæ pridie Nonas Aprilis anno regni XII.* cum nomine ac sigillo Dagoberti Regis. Quos ego annos Monarchici regiminis variis de causis esse statuo. Nam & illi usitatiores, præsertim in diplomatibus, & ad resipiscentis jam Regis vergunt tempora, & demum cum historia maximè congruunt. Neque obstat quod in Sigeberti filii jam Austrasiis præpositi gubernationem incidunt, hanc enim à suprema Dagoberti potestate dependentem fuisse, satis liquet; cùm Sigeberto, ac Chlodoveo subinde filio, non nisi sub tutoribus ductoribusque in ætate adhuc tenera regnum ita partitus fuerit, ut sibi in eosdem vim autoritatemque reservaret, nunquam suis, qui filios regebant, ministris hanc largiturus, manifestumque ex illo est, quod moriens condidit testamento, cujus sententia ab Aimoino proditur, à Browero ad annum salutis 644. summatim recitatur. quo cùm diversis per regnum Ecclesiis diversa esset elargitus, filios denique accersitos suis voluit donationibus assentiri, his illos vocibus cohortatus: *Vos autem filii, considerantes primùm naturæ religionem, cujus gratia etiam bestias ligat, manete fratres. Deinde reveremini me patrem vestrum, qui rogare malo, cùm possum jubere, ut statuta nostra inconvulsa servetis, sicuti vestra à successoribus vestris servari voletis: profectò scientes, quod si à nobis sancita contemptui habueritis, pari modo & vestra à posteris contemnentur decreta.* Hæc in loco Bigargio nuncupato, anno regni XIV. in publicis regni Comitiis X. Kalend. Maias facta memorat. Ex quibus liquet per utriusque filii regnum Dagobertum sibi potestatem largiendi Ecclesiis facultates regias vendicâsse, neque idcircò filiorum nominibus, quamvis regentium, diplomata signâsse.

XXIII. Locorum quoque diversitas unde nata.

Aimoin. l. 4. cap. 10.

XXIV. Filios ante mortem Dagobertus obligat ad fundationū suarum observationem.

Observandum verò hoc loco est (quod etiam hos annos diplomatum à Monarchiæ principio ducendos esse arguit) Dagobertum inter Reges Francorum reperiri primum, qui post usitatum priscis Regibus capitis diadema, hoc est, vinculum gemmis margaritisque distinctum, coronam decussato supra verticem circulo assurgentem, & parvo orbe in apice clausam, velut Monarchici regiminis insigne sumpserit. Talis enim in sigilli Regii effigie, ut supra liquet, diversis certæque notæ diplomatis expressus est. Quod posterioribus regni annis factum apparet, cùm in aureis priscorum nummis, Valesio teste, spectetur simplici lineâ margaritarum per frontem temporaque capitis redimitus: Unde & tali illum specie principio libri proponere malui, ne cum Imperatorum postea usurpatis coronis, illius ætatis mores confunderem. Priscos quidem Imperatores, vel laureo redimitos serto, vel duplici triplicique margaritarum circulo caput vinctos, vel coronâ etiam dentatâ (quali & Dagobertum, & alios Franciæ Reges Metzeray in sua profert historia, & Romanis Antoninus in nummis visitur) accinctos spectamus; sed nunc illa quæ Caroli Magni est corona, hactenus Romanis Imperatoribus in publica coronatione usurpata, lamellis aureis, pretiosissimis gemmis variè distincta, angulari rectaque figurâ assurgit, cruce ex semicirculo supernè eminente. Ab hac tamen forma diversam, propiusque ad illam Dagoberti Regis accedentem, quæ circulis supra caput coëuntibus, & orbe cruce signato clauditur, extra coronationis solennitatem, usurpant.

XXV. Regum Francorum prisca diademata, & corona à Dagoberto usurpata.

XXVI. Imperatorum coronæ.

Juverit hîc, quæ de Regis Dagoberti vita moribusque ex Fredegario aliisque Valesius, suo tamen judicio nonnunquam deflexa tradit, subjicere, quòd de tam celebri per Europam Rege Trevirorum & Francorum, pleraque nos scire conveniat. *Constat*, inquit, *Dagobertum in Austria per sex annos non minore justitiâ, quàm fortitudine regnavisse, dum Pippini Majoris domûs regiæ, Arnulphi Metensis Episcopi, aut Chuniberti Agrippinensis Antistitis consiliis utitur ac regitur, atque omnibus finitimis gentibus pariter terrori ac venerationi fuisse. Sed, postquàm patre mortuo revertit in Neustriam, eundem veluti sublato censore suo, remotoq; parentis metu, mutatis consiliis mores simul mutavisse, & ad cupiditatem libidinemq;* (manifestam, quam ante texerat) *descivisse, Ecclesiarum Procerumq; possessionibus manum adjecisse, tres uno tempore justarum uxorum loco, plurimas pellices habuisse, Gomatrudem uxorem repudiavisse, ut Nanthildem in matrimonium acciperet, & mox neglectâ Nanthilde, ex puella Ragnetrude filium tulisse. Planè ut mihi videatur ex nimia Venere periisse, & morbum dyssentericum traxisse. Omitto Sisenandum promissâ Dagoberto lance aurea statim auxiliis Francicis adjutum, & Regem Hispaniæ constitutum, lancemq;, quoniam non dabatur per Legatos, non semel repetitam. Omitto contentiones ejusdem cum patre, regiones aliquot Austriæ ab eo repetentis* (sub nuptias Gomatrudis) *à quo gratis regnum acceperat, & paternam pietatem atque indulgentiam improbè fatigantis. Omitto Charibertum parùm fraterno animo à fratre acceptum habitumq;, regnis Neustria atque Burgundia jure sibi debitis, exclusum, & vix Provinciæ Aquitanicæ aliquâ parte donatum. Omitto Chilpericum parvulum Chariberti filium, ejusdem jussu clam interemptum, & nefando scelere receptas, quas paulo ante dederat, Aquitaniæ regiones. Ex quibus intelligitur in Dagoberto nonnunquam cupiditatem cum crudelitate fuisse conjunctam. Quid Chrodoaldum referam, cui, cùm in patris ipsius sui deprecantis gratiam pollicitus est se parsurum, ad ostium cubiculi sui mox caput auferri mandavit? Quid Brunulphum commemorem, per summam injuriam jussum interfici, quòd sororis suæ filium Charibertum* (Dagoberti supra memoratum fratrem) *Regem ex more facere voluisset, nec æquo animo passus esset Neustriâ Burgundiaq; ab altero fratrum occupatis, alterum privatum fieri. quod è Francorum Regum filiis acciderat nemini. Iam verò iracundiæ & superbiæ Dagoberti, nullum majus afferre testimonium possum, quàm quod Arnulpho Metensi Episcopo in solitudinem secedendi, ac sacerdotii deponendi commeatum petenti stricto gladio minatus sit, filium ejus se occisurum, nisi remaneret: Et quod ob factam Sichario Legato suo, sed non immerenti, injuriam* (cùm negasset Christi servos cum gentilibus ut canibus fœdera sociare posse, ideoque à Samone ejectus esset) *Samoni Sclavinorum Regi statim bellum intulerit, multis futurum exitio. Timidum quoque ac diffidentem eum fuisse docent Pippinus Major domûs, & ceteri plerique Austrasiorum Duces, quàmdiu patris sui superstes fuit, in Neustria ac in Comitatu retenti. Effecit igitur Dagobertus, quod à nullo antea Francorum Rege factum observo, ut Austriæ, quam reliquerat, eminentissima premeret capita, Pippinumq;, quo ampliùs Consiliario uti nolebat, totus jam Neustrasiis Optimatibus* (in quibus Ega excellebat) *addictus, procul à patria in sua potestate, ac velut liberâ haberet custodiâ: Ne sicuti post Theodorici mortem pene privatus fecerat, odio mutati ab ipso cum sede consilii aliquid in Austria, jam Præfectus Palatii, multò majori nunc autoritate moliretur.*

Tom. 3. lib. 19.

XXVII. Dagoberti Regis vita & mores.

Laudanda in eo liberalitas fuit, laudanda in ædificiis magnificentia, si servâsset modum. Ac præ ceteris quidem Monasteria S. S. S. Dionysii, Mauritii, ac Martini excoluit. Inprimis rogatus ab Eligio (ejus aurifabro, viro Sancto) *censum, qui ex urbe Turonis fisco inferri consueverat, Ecclesiæ Turonicæ in B. Martini gratiam totum donavit, donationemq; scripto confirmavit, ut & omne jus fiscalis censûs sibi vindicaret Ecclesia, & in urbe Turonis, non jam Regis decreto, sed Episcopi literis Comes constitueretur. Sepulchrum quoque B. Martini auro & gemmis ab Eligio exornandum curavit. Præcipuè verò Basilicam Dionysii Martyris ita extruxit, tot Monachis ibi Deo militaturis prædia contulit, vix ut fidem referentibus autoribus habere possimus. Igitur Dagobertus, ut B. Dionysii optato patrocinio, precibusq; protegeretur, Basilicam ei fecit, haud magnam quidem, verùm opere & materiâ universis, quæ tum essent in Gallia Ecclesiis, excellentiorem & magnificentiorem, auro, gemmis & multis rebus pretiosissimis eam ornavit, marmoreis cujusque generis & coloris fulsit columnis, marmoreo pictoq; stravit pavimento, ex singulis parietibus, columnis, arcubus, vestes auro textas, & pallia holoserica margaritis distincta, suspendit: tot præterea, tantaq; opes, tot villas ac possessiones per omnem Galliam sparsas, Monachis, locis, Matriculariisq; donavit, ut plurimi tam profusam liberalitatem admirarentur. Constituit quoque, ut quemadmodum in monasterio Aucanensi Sanctorum Thebæorum, & Turonis ad sepulchrum B. Martini fieri solebat, Monachi in turmas divisi, die nocteq; suâ quisque vice psallerent.*

XXVIII. In Sanctorum Ecclesiis excitandis, ornandisque ac dotandis liberalitas.

Hæc aliaque idem autor prosequitur, latiùs Dionysiani Monasterii opes ac prærogativas exponens. Mirumque videri potest, quòd hæc etiam illo Dagobertus tempore agitaret, quo libidinis æstu devius, avaritiâ ac rapacitate cupiditates alebat, aliasque spoliabat Ecclesias, cùm hanc ditaret. Causam hujus erga Divum affectûs Aimoinus hanc refert. Dagobertum adolescentem venationibus Francorum Regum more delectatum, quâdam die agitâsse cervum, qui insequentium canum vim declinans, juxta Catuliacum vicum in ædiculam S. Dionysii confugerit, atque istic adversus canum, subire non audentium, morsus tutò, cum stupore persequentium, substiterit. Evenit deinde ut Dagobertus æmulatione adversus Sadregisilum aulæ paternæ Ducem conceptâ, graviùs exæstuaret; quòd hominem patris favore fretum, sese aspernari videret. ideoque fretus patris Clotharii absentiâ, sub amicitiæ specie ad mensam invitatum, gravissimis domi suæ flagellis subjici, servilemque in modum barbâ rasâ tonderi curârit.

Lib. 4. c. 17.

XXIX. Singularis Regis affectûs in Ecclesiam S. Dionysii Mart.

Unde

Unde reversi patris, graviterque hoc facinore commoti, iram fugiens, idem, quod nuper cervo fuisse animadverterat, asylum ad B. Dionysii aram quæsivit, obtinuitque. Nam submissi à patre quæsitores, cùm subire nequicquam conarentur, ipse demum Clotharius adfuit, frustraque à sepulchro Martyris avellere filium laborans, verso in favorem furore, ejus gratiâ, cujus illum protegi sentiebat, ignovit. Hinc Dagoberto Dionysianæ protectionis recordatio locum hunc deinde gratissimum effecit. Verùm hanc historiam primùm à S. Dionysii Monacho, ac deinde Reginone, Aimoino, Sigebertoque conscriptam Valesius in fabellis censet, ideoque fictam, ut primis suæ Ecclesiæ principiis Monachi majorem conciliarent admirationem; memoratque Gregorium Turonensem de hac S. Dionysii Basilica scripsisse, quòd suo jam tempore plura ostia complexa sit, & turritum Martyris in ea sepulchrum pallâ holosericâ, auro gemmisque distinctâ, ornatum fulserit, ut sola ædicula censeri vix possit. Ceterùm quidquid sit de cerva & canibus, quæsitoribusque ante ostium stupore defixis, alioque spectaculo apparentis Dagoberto Dionysii, (quod idem recenset) non existimo omnia hæc vanitatis condemnanda; sed Dagoberto adversus patris indignantis iram tutum hîc fuisse perfugium, cui ad Sancti protectionem confugienti, Clotharius illius reverentiâ Divi, pepercerit. Neque enim existimandùm est, quòd sine causa aliqua singulari Dagoberto, inter media etiam flagitia, hujus loci cura veneratioque hæserit. Præterea, ut tali aliquid causæ, ita tot scriptorum autoritati etiam tribuendum, ne temerè nimis à Majoribus nobis tradita respuamus. Sepeliri etiam hoc loco Rex voluit, ut ubi vivus animum fixerat, mortuus corpus locaret.

Valef. tom 3. lib. 18.

XXX. Dagobertus S. Dionysii protectione defensus.

Non tamen ignoro aliam à quibusdam hujus in Dagoberto religionis causam exhiberi, quam regiâ etiam Dagoberti confessione firmant, ex Heselacensis Monasterii Alsatarum fundatione depromptam; sic enim habet: Raptus in sublime, divinaq; Majestati inter choros Angelorum in habitu judicantis sedenti, præsentatus, ab austerissimis Ecclesiarum Patronis pro rebus Ecclesiasticis per rapinam distractis à me & consumptis, graviter & constanter sum accusatus. Cumq; conscientiâ gravatus non auderem defendere, ex arbitrio Præsidentis pœnæ sum addictus, diuq; cæso & pœnis atrocibus confecto adest Michaël Archangelus, flammeo gladio super me extento. Tandem advenit specialis meus Patronus Episcopus Dionysius, pro me satisfaciens S. Michaëli Archangelo, qui dilationem pœnæ & pœnitentiæ in tempus obtinuit. Idem ipse quasi modum statuens pœnitentiæ, in hoc mihi spem indulgentiæ obtinuit; si in honorem Dei & Sanctorum, quos magis offenderam, Ecclesias divinis servitiis aptas construerem. Quâ promissione lætatus, lubens vovi, dimissusq; à supernis redii. Igitur sub certa spe indulgentiæ & remissionis peccatorum meorum, reddens alacri studio votum, Monasterium in honorem S. Trinitatis ac S. Mariæ perpetuæ Virginis, quod Haselaque vocatur, in meo regno ac Diœcesi Argentinensi situm, construxi ... Datum, quod feci cum filiis meis, Chlodoveo scilicet atque Sigeberto, in dicto Haselacensi Monasterio fratribus ibidem divino famulatui devotè insistentibus. Huc traditioni interfuerunt Nanthildis Regina Francorum, cum filia nostra Rathilde. Adfuerunt & Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, &c. Actum est hoc anno ab Incarnat. Domini DCXIII. mense April.*

[illegible] Cointius in Dagob. Reg. cap. 17.

Hoc diploma, nisi falsifices, manifestum habes hujus Dagobertinæ liberalitatis argumentum. Habes istic & annos Christi, uti & in alio Dagoberti diplomate, quo Weissenburgense Cœnobium fundat, materiam disceptationis novæ inter eos, qui annos Christi hoc tempore admittunt, negántve. Quorum hi, si ex illo capite tot veterum diplomata conficta esse dictitent, me judice non erunt, ut supra monebam, audiendi. Addunt verò Aimoinus, Sigebertus, aliique, & ex his Baronius, seni cuidam Joanni in Sicilia, Dagoberti animam inter dæmones luctantem, objectam per visum fuisse, cui SS. Dionysius, Mauritius, ac Martinus, quos in vita precibus donisque eximiis coluerat, in extremo discrimine opem tulerint, ereptamque illorum violentiæ, in cœlum transportarint. Quod ut fieri potuisse, non ambigo: ita Valesio ejus spectaculi fidem suspectam esse non admiror. Neque enim nimis credulum, neque mira omnia respuentem in historia calamum veneror. Sanctorum operationes venerari, ut pii scriptoris est, ita & cauti fabulas declinare. Piè Dagobertum & prioris vitæ scelera deplorantem Regem vitâ functum esse, non historici tantùm, sed tot etiam pietatis relicta post obitum monumenta mihi omninò persuadent, indignorque Valesio hæc in dubium abstrahenti tam ambiguis dissertationibus, quibus non leviter ejus derogat pœnitentiæ, laudesque à Reginone, Aimoino, aliisque autoribus Dagoberto concessas, extenuat; cùm exaggeratis passim Regis vitiis, durus atque incredulus potiùs veterum scriptorum interpres, quàm benevolus excellentissimi inter Francos Regis virtutum deprædicator maluerit videri. Illi fuisse censent (ut Valesii verbis utar) *fortissimum in bellis, severissimum in judiciis, prudentem, cautum admodum & astutum, strenuum, Ecclesiarum ædificatorem & ditatorem, sacerdotum fautorem, sustentatorem egentium, peregrinorum exceptorem, in bonos & fideles benignum, & cum quadam mansuetudine benevolum, rebellibus perfidisq; terribilem, exterarum nationum crebrò victorem*, & plures Dagoberti virtutes hoc loco recitatas commemorant, quos Valesius oratione paulò ante inductâ confutat, & unus multos, ac novitius scriptor veteranos corrigit, ut sic vitiorum antecedentium memoria virtutum decus consequens obliteraret. Ego, si quod erroris in historia periculum sit, aberrare laudando non merentem Regem malo, quàm innocentem vituperando: & quamvis Francici nominis non sim, Francorum tamen honorem in Dagoberto jure magno tuebor.

Cointius c. 18.

XXXI. Dagobertus Rex à Valesio nimio contemptu celebratus.

Lib. 19.

***
*

XIV. ANNO-

XIV. ANNOTATIO

De Sigeberto & Dagoberto altero, Trevirorum ac Francorum Rege à nonullis prætерito.

I.

AGendum hic paucis de Sigeberto Trevirorum non minùs, quàm Francorum Rege, ejusque successore in parte Austrasiæ filio Dagoberto.

Sigeb. Gemblacensis in vita S. Sigeberti. Aimoini continuator. lib. 4.

Ut Sigebertum à Dagoberto Magno patre adhuc vivente in Austrasia regnâsse, ac Chlodoveum ejus ex Nanthilde fratrem in Neustria & Burgundia patri successisse compertum est; ita in annis regnorum utrique designandis non eadem historicorum est sententia. Præfectum uterque seu Majorem aulæ (quorum erat pleraque suo arbitratu, sed Regis autoritate administrare) sortitus est, virum laudatissimum; Sigebertus Pippinum sanctitate vitæ illustrem, ex quo sanctissimæ filiæ Begga & Gertrudis, filiusque Grimoaldus mox patris defuncti in Præfecturæ dignitate successor; Chlodoveus Egam, Nanthildemque Regis matrem, regni curas æquâ cum virtute prudentiâ sustinentem. verùm Egâ brevi sublato, Erchinoaldus Palatii Magister successit.

II. Chlodovei & Sigeberti fratrum dispar pietas.

His moderatoribus utrumque Francorum regnum annis facilè sedecim, ut plerique sentiunt, est administratum. quod Chlodoveum non fine scelere, sacris etiam Thesauris ex D. Dionysii æde in usus pauperum effusis, cùm propria in egentium subsidia largiri potuisset, moderatum ferunt; adduntque, cùm brachio S. Dionysii partem, religionis specie, abstracturus manum injecisset, temeritatem luisse amentiâ. At Sigeberti major in sacra Divosque pietas, cùm paternæ munificentiæ, præter devotionis continentiæque privatæ studium, æmulus, diversorum Monasteriorum fundator extiterit, Sanctorum aliquando fastis à morte adscribendus, quorum in vita honorem probatis moribus profusisque opibus erat prosecutus. Nec parùm incitamenti stimulorúmque ad pietatem hinc Cunibertus Agrippinatum è Trevirensi patria supremus Antistes, inde Pippinus aulæ è Belgio Princeps, sacrarum ille rerum, hic politicarum æquissimus arbiter, uterque vivum spiransque virtutum exemplar Regi adferebant. Nec Bathildis pari sanctitatis famâ Chlodovei fratris conjux, ut æmula, sic incitatrix deerat; ut, nisi Neustrasiorum Regem exceperis, utraque Francorum hoc tempore aula, decus orbis Christiani fuerit. Quanquam brevi rursum inertiâ ac libidine Regum infamanda; velut extremum in hac Merovingorum familia spiritum duceret.

III. Cunibertus Archiepisc. Colon. & Pippinus Dux viri sancti aulæ S. Sigeberti præfecti.

IV. Grimoald' in locum Pippini patris defuncti succedit.

Sensit aula Sigeberti Austrasiique omnes Pippini laudatissimi Principis mortem, ut par erat, graviter: & quamvis filius ipsi Grimoaldus spe magnâ succederet, pax tamen repentè ab Ottone Grimoaldi æmulo, Regis in pueritia bajulo, Magisterium aulæ affectante, turbata est. quem nisi majoribus viribus Regiâ exturbatum, atque in Alemannia tandem bello superatum oppressúmque, vitare non potuit. Mox alteram in Thuringos sub Rudolpho eorum Duce rebelles, expeditionem Rex ipse Sigebertus, armorum magis socius, quàm Dux, expeditionem cœpit. Sed illam superato cum suis Rheno feliciùs auspicatus est, quàm clausit. Siquidem principio adversus obsistentes in campo victor, dum in munitum sese castrum hostes recipiunt, disceptatio inter belli Proceres orta est: hostísne è vestigio in munitione expugnandus, an concesso ad quietem militi spatio, opportunè deinde urgendus: Hoc Grimoaldus cum Aldegisilo faciendum consultè urgebant: Illud Bodo Avernorum ductor cum Enobalo statuebant exequendum. Ergo dum Rex medius inopsque consilii neutri partium pro dignitate imperat, hi soli cum militiæ potioris robore in arcem enituntur, quos Rudolphus, re per exploratores cognitâ, cùm principio, ceu metuens admitteret propiùs, dein eruptione factâ circumventos simul cum ipso Bodone & Enobalo Marti immolavit, Sigeberto nequicquam suorum interitum lachrymis etiam prosequente. Quare postridie Rudolphum, quibus ipsi visum fuit fœderis conditionibus, in fidem amicitiamque recepit; ita ut titulo Vasallus, re ipsâ Thuringorum Dominus maneret.

V. Dissensione Ducum Sigebertus bello contra Thuringos vincitur.

VI. Sigebertus Grimoaldi filium Childebertum adoptat. Sed mox Dagobertum generat.

Interea Sigebertus aliquot annorum conjux steriles etiamnum thalamos colebat, cujus animum, ut cum regno Grimoaldus possidebat, ita haud difficulter persuasit, Childebertum ex se natum, ut in filium cooptaret. Id tamen ubi abs Rege factum, Dagobertus eidem haud multò post ex Imnichilde uxore genitus Grimoaldi spem fefellit, atque in regni expectationem educatus est; sed & Chlodoveo fratri tres ex Bathilde lectissima generis Saxonici femina liberi, Chlotharius, Childericus, & Theodoricus, succrescebant; ut nisi ficta ista ab Historicis non sit Grimoaldi immatura ambitio, plus illa temeritatis, quàm consilii habuerit, nisi Austrasios suo magis sanguine, quàm regio crederet delectari; quod in ipsius deinde Carolingis è sorore Begga posteris compertum est. Verùm tantùm augusta Francorum soboles nondum degeneraverat, ut populum, Regibus suis impensè faventem, illius pigeret; cùm aliquando flagitia in his tolerantiùs sustineat, quàm aliæ quædam nationes, libertati avidiùs inhiantes, imperantium virtutem.

Tres etiam ex Chlodoveo fratre nepotes accipit.

Aimoini continuator lib. 4. c. 42.

VII. Grimoaldus mortuo Sigeberto, & Dagoberto ablegato filium Childebertum in regno substituit.

Et suâ se exspectatione postea deturbatum Grimoaldus serò indoluit. Cùm enim post Sigeberti mortem, ut Francorum historiæ memorant, Dagobertum ille Regis filium suæ creditum tutelæ, parvulum etiamnum, tonsurâ Clericali transformatum, Didoni Pictaviensis urbis Episcopo in remotam Scotiæ Hiberniæve regionem, velut in orbem alterum tradidisset deportandum, suum ejus in locum Childebertum, velut adoptitium Sigeberti filium, surrogavit. Verùm Austrasii hujus citò pertæsi dominatum, Chlodoveum è Neustria adversus tam insolentes Dominos accersunt, cui parato milite opem ferenti, Grimoaldum cum filio captum tradidêre. Tum enimverò hic sensit, perfidiam denique suorum capita autorum ferire. Nam Parisiensi traditus carceri, inter varios miser cruciatus vitam ambitionémque exspiravit.

Porrò

VIII. Chlodoveus Grimoaldo victo Childericum filiū Sigeberti nepotem Austrasiis præficit.

Porrò Chlodoveus de sua magis, quàm Sigeberti posteritate sollicitus, quod in altero crimen plexuit, non omninò vitavit, dum Childericum, alterum ex se natum filium Austrasiis Regem dedit. Quanquam ex his non defuerint, qui inquisitum peregrè Dagobertum, earum fecerint rerum certiorem, quibus ille ad capessendæ coronæ spem, rursum fuit invitatus. Inter quos Imnechildem Dagoberti matrem, aliosque Sigeberti patris fautores fuisse, haud multò post clariùs patebit; ubi de patris patruique Chlodovei morte, ejusque in regno Francorum successoribus filiis, aliquanto distinctiùs erit inquisitum.

Henschenio facilè in eo assentior, quòd Chlodoveum fratrem Regis Sigeberti, decimum sextum regni annum superâsse sentiat; tum quòd puer regnum adierit, in quo tamen tres ex Bathilde filios tulit; tum quòd in supplemento Fredegarii tradatur, annis regnâsse XVIII. tum vel maximè (licèt id Henschenius non agnoscat) quòd post mortem fratris Sigeberti (in ultionem Grimoaldi) superfuerit; quem XVI. regni annis propagâsse vitam; tam Historicorum optimorum fide, quàm diplomatum monumentis stabilitur; quæ in posterius tempus ex vita S. Remacli tanquam Episcopatu jam defuncti, frustra rejiciuntur; cùm ille ad Episcopatum Stabuleti, & Malmundariensis Abbatiæ curam, vel ex ipsis diplomatum verbis, ubi *Episcopus & Abbas* dicitur, adjecisse visus sit. Verùm hos Sigeberti annos à morte patris, ut supra in Dagoberto I. monui, censeo numerandos; quod tamen illos non fecisse apparet, qui plures eidem regni annos admetiuntur. Et hâc viâ sententiarum diversitatem, ob quam Gemblacensis in Chronico, & vita D. Sigeberti à seipso dissidet, existimo propiùs conciliari, ac pervenisse regnum Sigeberti ad annum Christi DCLXII. in vita expressum.

Sigeb. Gembl. in Chronico, Vignerius in Chron. Burg. Molanus, Maldrancus, Miraeus aliiq.

IX. Imnechildis & Bathildis illustres Reginæ filios in regno piè dirigunt.

Sigeberto mortuo, Grimoaldus supremus aulæ Princeps, nonnullorum favore Procerum, Dagoberto herede submoto, filioque surrogato, brevi tyrannidis aliquot mensium fructu, periit, & Childericum filium Chlodovei habuit successorem, qui Imnichildem Dagoberti nepotis matrem, prudentiæ ac religionis egregiæ feminam, suæ habuit adolescentiæ, atque unà etiam regni moderatricem, astuto Chlodovei patris consilio, ut hâc autoritate eidem communicatâ, desiderium filii, ad hoc regnum nati, leniret. Ita Chlodoveo brevi defuncto, & Chlotario majori natu succedente, lectissimæ duæ feminæ, in Neustria Bathildis cum Erchenoaldo Palatii Magistro, in Austrasia Imnechildis cum Vulfoaldo Præfecto Regum infantiam regnúmque moderabantur: donec sublato istic morte Erchenoaldo, factione quorundam Principum Ebroinus solâ virtutum simulatione commendatus, præfecturam, & cum illa tyrannidem, occupavit. Hic igitur sub Chlotario in Neustria Burgundiáque ita pleraque moderatus est, ut geminâ autoritate sanctissimorum hominum, hinc Bathildis Reginæ matris, inde Leodegarii Augustodunensis Episcopi, inter septa æquitatis utcunque adstringeretur. Sed mortuo Chlotario III. post decimum-quartum regni annum (quem Henschenius eruditè ex diversis veterum stabilivit monumentis adversus Continuatorem Aimoini (cui denarius unus numerorum excidit) cùm de successore inter Francos nata esset contentio, & alii Childericum Austrasiæ Regem, Chlotario ætate proximum; Ebroinus verò Theodoricum fratrem natu minorem ad regnum omni contentione deposceret; ne videlicet ipse Præfecturâ aulæ per Vulfoaldum Childerici ducem exclusus, abire Principatu cogeretur; pervicit denique, & hinc Bathilde ad Monasterium, inde Leodegario ad Episcopatum digresso, impotentiùs in Francos imperium cœpit usurpare. Sed ut violenta imperia diuturna non sunt, Francorum Proceres junctis consiliis opibusque, Leodegario potissimùm aurigante, Theodoricum cum Ebroino interceptos, Monasteriis rasos includunt, & vel invitos in pietatis disciplinam redigunt, quam Ebroinus egregiâ pœnitudinis simulatione, ut vitam redimeret, velut ultrò sibi deposcere videbatur, gnarus vulpinam pellem leoninæ assuere, ut opportunè utrâque tegeretur. Accersitus igitur ex Austrasia ad Franciæ Monarchiam Childericus, Vulfoaldo moderatore amplissimi dominatûs habenas capessivit; sed ut honores facilè mores inflectunt, insolentiâ ac levitate solvi grassarique in nobilitatem cœpit acerbiùs, neque Fredegarii consulti probique monitoris consilia jam ampliùs patiebatur: ut Franci tam suorum amantes Regum cùm probantur, quàm contemnentes dum improbantur, de excutiendo hoc rursum jugo meditationem susciperent. Fredegarius itaque aspernantem se Regem, cùm ad Episcopatum redux deseruisset, isque liberiùs in facinora quævis proruceret, evenit, ut offensus Childericus à Bodilone primariæ nobilitatis viro, hunc per satellites arreptum, alligatúmque stipiti, acerrimâ flagellatione mancipii instar proscinderet. Quâ ignominiâ ita Bodilo cum Franciæ Proceribus exacerbatus est, ut raptis contra Regem armis, illum in Lanconia silva confecerint, Reginámque Bilichildem prægnantem cum sobole, ne quid ex Childerico superesset, pari furore, ac scelere etiam majore trucidârint, anno Monarchiæ illius tertio, regni XVII. Christi DCLXXXI. moxque ad Theodoricum conversi, Regiam iterum purpuram cuculli monachalis locò detulerint. Neque is cunctatus, facilè coactam pietatem deseruit. Gratissimus hic fortunæ lusus Ebroino erat, qui in cœnobio, tanquam carcere inclusus, ad pristinam regendi sub Theodorici umbra licentiam avidissimè anhelabat; sed Erchenoaldi grata apud Francos memoria Leudesium ejus filium conciliabat, ut hunc Regii Palatii Ducem, Leodegario suffragante, atque ad aulam rursus accito, constituerent.

X. Ebroinus Major domus in Neustria sub Chlotario scelerū egregius dissimulator.

In vita SS. 1. Febr. De vita S. Sigeb. §. 11. n. 17. & 18.

XI. Ebroinus Rege mortuo custodibusque submotis, tyrannizat, & cum Rege Theodorico captus monasterio includitur.

XII. Childericus præter Austrasiæ regnum Neustriam occupat; sed male insolescit, & à proceribus cum Regina occiditur.

XIII. Theodoricus in solium reponitur.

Ebroinus tamen inter hunc regni æstum occasione utendum ratus, ex Monasterii latebris erumpens, invênit homines, quibus in turbido piscari consuetum est, qui cum illo productum in publicum Chlodoveum quendam, velut Chlotharii filium, Regem creant, ac spe præmiorum erecti, sub auspiciis Monachi arma rapiunt, Regiosque imparatos facilè congressu profligant, & quidquid erat Regalis gazæ à Theodorico fugiente desertum, oc-

XIV. Ebroinus cucullo relicto tyrannidem rursum invadit Theodorico conciliato.

cupant, tum Ebroinus Legatione ad Theodoricum missâ significat, non ut hostem se, verùm ut amicum adesse, qui pristinâ cum illo dignitate ac sorte potiatur, itáque Chlodoveo neglecto, Regem Dominatúmque ad se, hærentibus stupentibúsque adversariis, pertraxit. Et Leudesius prima fuit tyranni victima, quem dolo interceptum perfidè interemit: moxque insidias, indignationémque ad virum optimum Leodegarium Antistitem opprimendum vertit.

XV. S Leodegarium sibi adversantem diro longoque cruciatu enecat.

Illo igitur cum Gerino fratre ad se perducto, hunc quidem lapidatione obrui, Leodegarium oculis erutis lento voluit supplicio, ad oblectationem vindictæ diuturniorem, consumi. Nam & per acuta nudipedem scruta ingredi, & os excisum labris nudari, & linguam denique præscindi jussit, diu fruiturus hoc crudelitatis spectaculo; quod ut fortissimè sustinere Christianum athletam vidit, ad Monasterium relegatum, & miraculorum gloriâ celebratum, post biennium interfici curavit; ut homo sceleratissimus jam cum ipsis etiam Superis pugnare videretur. Sed non diu impunis hæc illi fuit audacia.

Bello Pippinum Herstallum vincit.

Nam licèt ignavo ad omnia Rege, belli ad se pacisque transtulisset arbitrium, & Marte felix adversus Martinum, Pippinúmque, Austrasios ex Ansigiso patre Duces, feliciter decertâsset, Martino etiam post fidem datam interempto, ut jam neque Deum, neque homines timere videretur; tamen offensus ex nobilitate Ermenfredus Ebroini sævitiâ, cum paucis amicorum nocte intempestâ suis in ædibus hominem sustulit, seque ad Pippinum Herstallum, in Austrasia res publicas administrantem, recepit; regno Neustriæ adhuc penes Theodoricum, umbram Regis potiùs, quàm Regem, subsistente.

XVI. Domi ob tyrannidem occiditur.

Warato sub illo post Ebroinū aulæ magisterium adeptus, à proprio filio Gislemaro Præfecturâ spoliatus, demum Bercharium à morte successorem habuit. Quem mox, victo apud Textriciū Theodorico, anno salutis DCXCI. &conciliatâ cum Austrasiis pace, Pippinus Caroli Martelli pater, Dux aulæ supremus, excepit, nobilissimi generis subinde in Francia regnaturi, Princeps.

Sigeb. in Chron. & Annal. Metensib.

XVII. S. Sigeberto apud Austrasios successit Childericus ex fratre nepos.

Sed nos deductâ obiter Regum Neustrasiorum ex Chlodoveo successione, de Sigeberti quoque fratris ipsius apud Austrasios successoribus videamus. Dagobertum ipsi fuisse ex Imnichilde parente filium; qui Grimoaldi Ducis consilio in Scotiam, seu ut alii, Hiberniam ablegatus sit, jam supra tradidimus.

XVIII. An verò in partem regni Dagobertus Sigeberti filius admissus est, disceptatur.

At hunc factione quorundam Procerum in Austrasiam, partemque ejus regni juxta Rhenum obtinendam, Childerico patruele, ad matris Imnichildis sollicitationem indulgente, nunc probatum imus. Fecit hoc jam ante decennium P. Godefridus Henschenius, evicitque labore non vulgari, quo nonnullis Veterum monumentis, diplomatisque ex personarum temporumque confusione, haud parùm obscuris, lucem dedit. Quem triennio circiter consecutus Hadrianus Valesius, rerum Francicarum non ignobilis scriptor, ereptam sibi hujus inventionis palmam doluit, monuitque in præfatione Tomi II. se jam ante Henschenium ex historia Anglorum Malmenburiensis, & vita B. Salabergæ hunc Dagobertum eruisse, literisque eruderatæ antiquitatis thesaurum communicasse cum amicis, ex quibus hausisse auguratur Henschenium. Quem iccirco, ceu alieni contrectatorem, bile suâ perfundit, & aspernatur. At pace Valesii dixerim, nisi Henschenius solidioribus Dagoberti hujus regnum, ex diplomatum productione, columnis fulciret; nunquam ut assentirer, faceret. Tanti enim exteri unius scriptoris apud Francos non potest esse autoritas, ut rem adeò novam, tótque retro ignoratam historicis, peregrino assertori confidant.

XIX. Hæc admissio rari exēpli est, vixque fidem invenit.

Quot enim res sunt, quæ pugnare cum hoc Dagoberti regno videntur! Rara atque inaudita apud Francos Regis Childerici liberalitas, quâ florentissimam ille regni sui partem, quæ Alsatiam, Palatinatum, aliásque ad Rhenum ditiones complectitur, ultrò patrueli suo cedat; & is quidem, qui non levi postea discrimine totius Franciæ imperium captâsse visus est. Rara societas, quòd Imnichildis Dagoberti mater à filio separata, nepoti ejúsque rebus promovendis adhærescat. Rara negligentia, quòd Francorum Proceres, in tanto Regum suorum fastidio, neque Childerici, neque Theodorici patientes, excusso, aut permutato toties horum jugo, ad Dagobertum placidè modestéque regnantem, nunquam respexerint, quódque omnis inter hos illius memoria evanuerit. Rara indulgentia Regis, quòd Vulfoaldo, Martino, Pippinoque Ducibus in Austrasiq-rhenanis Provinciis plena rerum administratio adscribatur, nihil hi Dagoberto detulerint. Jam de tempore reditûs, de inauguratione regni, de terminis modisque administrandi, de vita ac morte Dagoberti, de liberis ac conjuge incerta sunt omnia.

Hæc aliaque ejusmodi sunt, quæ si momentis suis ponderâsset Valesius, reperti fortassis Dagoberti ambitione tactus moderatiùs fuisset, neque in alterius grassari voluisset famam, ut sibi hanc vendicaret satis ancipitem gloriolam: aut S. Irminam Dagoberto Regi, adeò temerè, ut alibi videbimus, eripuisset. Commentatione planè egregiâ, & summis in historia ingeniis dignâ Sanctorum vitas P. P. Bollandus & Henschenius illustrârunt hactenus, quos aspernari quidem Valesius potuit, nondum tamen est illâ, quâ illi res quasque tractant, accuratione assecutus.

XX. Valesius historiographus contra Henschenium hujus Regis inventionem ambit.

suis probè omnia locis Historicorum stabiliunt, neque ex universali autorum citatione ac censura, omnia more Valesiano statuunt definiúntque, qui id denique voluisse est visus, ut plurimum in historia sibi crederetur. Quod certè historicorum differentia & lapsus frequens non patitur, sed tantùm cuique in veteri historia credendum est, quantùm autoritate Majorum evicerit, quam si quis antiquitatum scriptor neglexerit, is meritò est negligendus. Quid igitur de Dagoberto Sigeberti filio nobis veteres reliquerint, ex priscis, ab Henschenio partim adductis, partim inspectis autoribus producemus.

XXI. Childeberti Grimoaldi filii breve regnum.

Memoravimus jam ante Grimoaldi ambitione in locum Dagoberti procul amandati S. Sigeberto Austrasiorum Regi Childebertum Grimoaldi Ducis filium surrogatum esse, quem

Sigebertus in Chronic. & Aimoini continuator.

quem ut in regno stabiliret pater, Dagobertum fato functum, Childebertumque à Sigeberto cooptatum heredem vulgato rumore suasit. Verùm altero regni anno Childebertus cum patre Neustrasiorum Regi Chlodoveo traditus, ejus filium Childericum successorem habuit. Sed illo, quo hæc aguntur tempore, Chlodoveus morbo ad extremam vitæ lineam adactus, Bathildi conjugi mutationis cœptæ executionem reliquit, ut ex coævo vitæ tempore se tradere profitentur PP. Bollandus & Henschenius. *Deo*, inquit ille, *jubente, vir ejus migravit de corpore* ... *Et Austrasii ordinante Domnâ Bathilde per consilium quidem seniorum, receperunt Childericum filium ejus Regem Austri.* Ita si annis XVI. Regis Sigeberti Childeberti duos junxeris annos, conficies XVIII. Chlodovei, quem usitatiori calculo, Henschenio probante, Historiographi tribuunt. At probare cum eodem nequeo adversus communem sensum, ex hac Bathildis vita, quod Sigebertus frater Chlodoveo superstes fuerit. In hac regni catastrophe ablegatus in Hiberniam Dagobertus, Austrasiis ex recordatione patris natalisque soli gratior animum subiit: aspirantibusque ad eundem Austrasiæ quibusdam Proceribus, ita res cum nepote Childerico ab Imnichilde Dagoberti matre, in Childerici aulam recepta, cœpit transigi, ut Dagobertus in Rhenanæ Austrasiæ possessionem admitteretur. Quod pluribus autoribus monumentisque publicis, ut credamus, debere videmur, ac scriptorum ejus temporis imputare tam raritati, quàm jejunitati, quòd hic Rex ab illius ævi Historicis, ut & plurium annorum res gestæ neglectæ fuerint. Ita sanè à Divina Providentia comparatum est, ut cùm omne studiorum genus suam habere difficultatem voluerit, tum Historico suos etiam dederit recessus, ne vulgari omnia oculo paterent, sed industriæ doctrinæque suus esset in abditis scriptorum fructus repositus.

Bolland. & Hensch. 26. Jan. in vit. SS.

XXII. Dagobertus ex Hibernia in Austrasiam reversus est.

Wilhelmus igitur Malmesburiensis vetus autor in Pontificum Anglicorum gestis, dum S. Wilfridi Archiepiscopi Eboracensis vitam prosequitur, Dagobertum singulari amicitiâ eidem sociatum fuisse commemorat. *Wilfridus*, ait, *itinere reincepto ad Dagobertum Regem Transrhenanorum Francorum venit. Is non immemor, quòd eum, quondam factione Magnatum pulsum, & de Hibernia ad se venientem hospitio receperit, & equis sociisq; adjutum patriæ remiserit, benignè habuit, multisq; precibus fatigavit, ut provinciam remanentiâ suâ dignaretur, Episcopatum Strateburgensem accipiens. Cùm ille rogantem ad reditum suum Româ distulisset, cum Deodato Episcopo suo ire laxavit.* Hæc ille ex Heddio Stephano Cantorum Eboracensium Magistro, ab ipso S. Wilfrido constituto. Quo verò tempore illum regnantem in Austrasia Wilfridus repererit, tum ex eodem Malmesburiensi & Beda, tum ex Romana Synodo sub Agathone Pontifice habita, cui Wilfridus Romam cum Deodato profectus interfuit, haud difficulter intelligimus. Constat enim Wilfridum, sub Theodorico Rege, & Ebroino aulæ Magistro, ab Egfrido Northumbrorum in Anglia Rege sede Episcopali dejectum exulâsse,

Malmesburg. lib. 3. de gestis Pontificum Anglor.

XXIII. Quo tempore in Austrasia regnavit.

quem Beda testatur anno Christi 678. expulsum esse, & cùm haud multò post Ethelredus Merciorum Rex Egfridum bello aggressus, gravi prœlio ad fluvium Trentam profligâsset, Winfridum Ceddæ Episcopum ab Ethelredo pari esse sorte deturbatum, regnoque ejectum. Qua in vindicatione illud dignum literis Malmesburiensis refert; quod Winfridus in pœnam, non exilii solùm, verùm & captivitatis Wilfrido in Francia præparatæ inciderit, solâ nominis affinitate Francis ad errorem inductis. Etenim Rex Northumbrorum apud Theodoricum & Ebroinum per Legatos egerat, ut transeuntem ad se Wilfridum Episcopum caperent ac spoliarent. Sed illi nominis affinitate delusi, venientem ad se primò Winfridum Northumbrorum Regis fautorem, interceptum, ac nequicquam sui Regis amicitiam obtendentem, sociis viæ occisis, pessimè multant, rebusque omnibus spoliatum dimittunt. Wilfridus verò de insidiis sibi præparatis monitus, aliò viam per Oceanum Septentrionalem in Frisiam deflexit, ubi ab Adalgiso Rege, quantumvis gentili, omni honore exceptus cultúsque, aliquanto tempore ad gentis illius instructionem substitit. Quo cognito, Ebroinus magnâ pecuniæ vi Frisonum Regem ad Wilfridi necem, & jus hospitalitatis violandum impellere conatus est. Potior tamen barbaro Regi fides, quàm pecunia fuit. Quare exactâ istic hyeme, Wilfridus anno salutis 680. ad Dagobertum pervenit, omnique observantiâ cultus est; ipsémque sui reducis in administrando Episcopatu Argentoratensi fecit, cùm Romam ad Agathonem Pontificem proficisceretur. ubi, ut Beda habet, Synodo centum viginti Episcoporum interfuit, &, cum iis, epistolæ ex hac Synodo ad Constantinum Imperatorem, & Heraclium, Tiberiúmque Augustos missæ, subscripsit. Refertur illa in sexto Concilio Oecumenico, Constantinopoli eodem anno 680. mense Novembri inchoato. Ex quo duo à nobis haud temerè colligentur, primò quidem Childericum jam in Neustria anno salutis DCLXXVIII. ab insidiatoribus oppressum, regnare ante hoc tempus desiisse, ac Theodoricum cum Ebroino Duce, hoc saltem anno fuisse surrogatum; cùm ad eos Egfridus Legatos miserit. Alterum hinc etiam liquet: Nempe jam tum quietè apud Transrhenanos Austrasios imperâsse. Et hoc ipsius imperium deinde sese extendisse cis Rheni Mosellæque limites, per Trevirensem Archidiœcesin, Arduennam ejúsque accolas, ex diplomatum indultis patebit. Quot verò jam anni ab eo fluxerint tempore, quo Wilfridus Dagobertum suis fultum opibus ad patriam remiserit, haud satis manifestum est. Hoc ipsius latiùs, quàm per Rheni tantùm limites propagatum imperium post Childerici fata ex utriusque diplomate, quod Childericus anno regni sui octavo, Dagobertus verò deinde Stabuletano ac Malmundariensi Monasterio ad firmandam Divi Sigeberti donationem contulêre, apertum est. Henschenius ex utroque exemplari quædam recitat, cum quo & nos pauca delibabimus: Rex in primo ita loquitur:

Beda lib. 4 c. 12.

XXIV. S. Wilfridi ...

Malmesbur. lib. 3.

Beda lib. 5 c. 20.

XXV. Synodus Romæ & Constantinopoli celebrata, Dagoberti I tempore.

In Diatriba de tribus Dagob. lib. 2. cap. 1. & 1. Febr. de S. Sigeberto.

XXVI. Childerici Regis Diplomate confirmatur S. Sigeberti fundatio Stabuleti & Malmundarii facta.

Childericus Rex Francorum, Emmechildis & Bilichildis Dei gratia Regina, cum viris illustribus Gundoino Duce, & Hodone domestico. Ad æternam procul dubio mercedem credimus pertinere, si petitiones Sacerdotum, vel quorumlibet devotorum justa petentium perducamus ad effectum. Igitur Dominus & pater noster Remaglus Episcopus clementiam regni nostri petiit pro Monasteriis suis Stabelau, sive Malmundario, qua bona recordationis avunculus noster Sigebertus quondam Rex suo construxit opere: Unde & ipsius Principis regiminis tale præceptum nobis ostendit relegendum... ut per consilium Pontificum ipsius temporis, id est Chuniberti, Nemortani (qui & Numerianus dicitur Trevirensis Archiepiscopus) *Gisloaldi, cum viris illustribus Grimoaldo, Fulcoaldo, Adregisilo, Bobono, Ducibus Chlodulfo, Ansegisilo, Gariberto domesticis taliter actum fuit, &c. Unde jussimus pro hac re Domno & Patri nostro Theodardo, vel inlustri viro Hodoni domestico cum forestariis nostris ipsa loca mensurare & designare per loca denominata... Ut absque impugnatione forestariorum, vel cujuslibet personæ liceat ipsam familiam Dei quieto ordine residere*, &c. Subsignavit Rex anno regni sui VIII. cum utraque Regina, hoc est Imnichilde Dagoberti matre, & Bilichilde Childeberti conjuge, & Gundoino, ut videtur, militiæ Duce, quem Pipinus deinde necem Ansigisi patris ultus interemit.

Dagobertinum verò diploma, Remaclo Episcopo Trajectensi & Abbate Monasteriorum illorum jam defuncto, obtinuit Godwinus Stabulai & Malmundarii Antistes, iis quibus sequitur verbis:

XXVII. Et Dagoberti Regis diplomate eadem stabilitur.

Dagobertus Rex Franchorum illuster vir. Illud nobis ad stabilitatem regni in Dei nomine provenire confidimus, si facta Domini & genitoris nostris Sigeberti quondam Regis pro nostris oraculis in Dei nomine firmare deliberamus. Atque ideo vir venerabilis Godwinus Abba de monasterio Stabulau & Malmundario Clementiæ regni nostri suggessit, eo quod Dominus & genitor noster Sigebertus Rex S. Remaclo in villa cognominante Germaniaco, in pago Remense, ad suprascripta monasteria, quæ sunt in Arduenna, quæ ipse princeps suo opere construxit, ipsa villa Germaniacum, cum omni integritate appendiciis suis pertinentibus ad se, id sunt, molendini duo sub uno tecto, cum area super fluvio Suppia, vinea in Beterio cum vineatore, hoc totum & ad integrum ad ipsa monasteria, quæ sunt in honore Patronorum nostrorum SS. Petri & Pauli, & S. Martini, vel Sanctorum cæterorum, qui ibidem ad ipsa loca venerari noscuntur, per suam præceptionem concessisset. Unde & ipsam præceptionem memoratus vir venerabilis Godwinus Abba, suis etiam manibus roboratam, nobis in præsenti protulit relegendam.... Et petit ut pleniùs ex hoc ad supradicta monasteria per nostram præceptionem in Dei nomine confirmare debemus. Cujus petitionem (sicut unicuique justa petentibus) præstitisse, & in omnibus confirmasse cognoscite, &c. *Et ut hæc præceptio pleniorem obtineat, Dei nomine nostris & futuris, auxiliante Deo, temporibus vigorem, manus nostræ subscriptionibus subter eam decrevimus adfirmare.*

De tribus Dagob. lib. 2. cap. 8.

Subinde Leonis IX. & Gregorii V. Pontificum, Romanorum etiam Cæsarum Ottonis II. & Henrici II. Diplomata producit Henschenius, quæ eorum Monasteriorum Dagobertum constructorem cum Sigeberto, Chlodoveo, & Childerico Regibus appellant, firmantque collata ab illis beneficia. Denique regni illius Dagobertini tempora stabiliuntur ex historia vitæ B. Salabergæ Abbatissæ Sanctimonialium montis Vosagi, seu ut plerique scribunt, Vegesi: hæc enim Blandino aulico Principi Regis Dagoberti Magni secundis nuptiis, patre Gundoino volente, tradita; cùm ex eo S. Balduinũ & S. Austrudem præter Saretrudam & Ebanem filias suscepisset, marito sanctiorem vitam complexo, & ipsa, & proles secuta est, possessionesque ad Dei honorem convertit. Quare, ut coætaneus S. Austrudi scriptor memorat: *Cœnobium puellarum, in suburbio Lingonicæ urbis, in hæreditate vel successione paterna conatur extruere.... Sed cùm jam pars maxima fabricæ monasterii instructa esset, cœpit famula Christi præsaga, utpote Spiritu Dei repleta, sagaci cum viro trutinare animo: Non esse in eodem loco puellarum cœnobium tutum, nihilq; stabilitatis habere, munitionisq; locum. Nam licet barbaries procul abesset, Regum tamen limitibus hinc inde admixtis periculi indicium futuris temporibus erat. quod periculum nos deinceps vidimus. Denique nuper civile bellum inter Reges Francorum Theodoricum, & Dagobertum circa illos fines est actum, loca vicina quoque depopulata, agri, villæ, ædes, & ipsa, quod gravius est, Sanctorum corpora igne sunt cremata. Unde liquidò patet, divino eam spiritu fuisse imbutam, quæ pridem anticipavit discrimen.* Ut primùm enim Childerico sublato Dagobertus, ceu legitimus heres, patris Sigeberti possessiones latiùs occupare cœpit, Theodoricus patruelis, fratris locum subire gestiens, arma Ebroïno Duce per Austrasiam circumferre cœpit. Verùm illi sese cum Austrasiæ proceribus, non tam Regis, quàm Ebroïni tyrannidem perosi, opposuêre. Ut quemadmodum Dagobertum amor patriæ hereditatis; ita ceteros etiam odium superbi dominatoris ad justam defensionem excitet. Quo bello Neustrii cum Austrasiis collisi, illam, quam ante retulimus, præcoci mente exhorruisse Salabergam, utriusque regni finibus vastitatem intulere.

Andreas Chesnius Tom. 1. scriptorum historiæ Francicæ.

XXVIII. Bellum inter Dagobertum & Theodoricum fratres, quo Austrasia excisa.

Sed quo tempore regnum Dagoberti II. cœperit, quo finitum sit, vix satis consentiente Chronographorum calculo potest definiri. Tempore illum Numeriani Trevirorum Archiepiscopi, Deodati Nivernensis, Arbogasti & Florentii Argentinensium Episcoporum vixisse tradit Henschenius. Est verò Deodatus is quem supra memini ex Malmesburiensi cum Wilfrido Eboracensi Archiepiscopo Romam annuente Dagoberto contendisse, qui Childerico Rege jam antea favente monasterium celeberrimum Vallis Galilææ excitaverat. De quo sociisque vita S. Florentii his verbis loquitur: *Temporibus Dagoberti Regis S. Florentius, comitantibus secum S. Arbogasto, Theodato, atque Hildolpho de Scotia venit in Alsatiam.* In vita quoque S. Deodati habetur, quod *præ ceteris illi comites adhæserint Arbo-*

XXIX. Diversi viri sancti qui Dagoberti II. tempore vixerunt.

Breviarium Argentinense, & MS. Coloniensia.

gastus

Surius 19. Iunii edit. poster.

gastus & Florentius, quorum prior in sacro nemore, quod Teutonico idiomate Heiligenfort vocitatur, eremiticâ vitâ est functus, indeque ad Episcopatum Argentinæ civitatis raptus; cui decedenti alter (Florentius) *à solitudine Hasale abstractus successor est datus.* Quod sub Dagoberto II. factum Henschenius credit.

Bruschius in Catalogo Episc. Germ.

Nam Rex Childericus, ut Bruschius ex diplomatibus certum esse tradit, Argentinensibus Ansoaldum Episcopum, & post hunc Rotharium præfecerat. Sub quo etiam Rege S. Deodatus jam Episcopus Nivernensis Monasterium Vallis Galileæ ad Mortam fluvium instruxit, ejusdem liberalitate ex fisco regio, ut in vita S. Deodati est dotatum. Numeriani quoque Archiepiscopi Trevirensis diploma concessum Deodato à Joanne Ruero memoratur, quod ad Episcopos eidem subjectos Metensem, Virdunensem, & Tullensem hoc titulo dirigitur: *Dominis sanctis & summi culminis Apostolici Pontificalis cathedræ speculæ præsidentibus in Christo fratribus* * *Chidulpho Clodoaldo & Eborino Episcopis comprovincialibus Numerianus Archiep. supplex & fidelis vester præsumit mittere salutem*, in quo, præter cetera, preces pro Rege Childerico Dagoberti patruele in Austrasia corregnante flagitat. His vita sancti Arbogasti consentanea refert. Venisse illum tempore Dagoberti Regis ex Aquitania, atque ex eremo Heiligenforstana, ad Argentinensem cathedram productum, singulari Regis familiaritate fruitum esse. Quibus autor Fragmenti, in Chronico Alberti Argentinensis apud Urstitium præfixi, addit: *B. Arbogastum & Florentium circa annum Dominicæ Incarn. DCLXXIII. claruisse.* A quo tempore, cùm adhuc per septennium Childericus regnaverit, Dagobertus nondum Argentinensem his cathedram, ante Wilfrido oblatam, deferre potuerit, cum id juris sibi Childericum vendicasse cognoverimus. Facilè igitur decennio integro transrhenanis solum regionibus limitata satis potestate Dagobertus sub Childerico Austrasiorum Rege potitus est, maternò Imnechildis favore, & patruelis Regis fretus indulgentiâ, antequàm latiùs in Austrasia, Childerico demum sublato, cœpit imperare. Quanquam fas sit credere, quod Childericus monarchiâ jam occupatâ Argentinensis Ecclesiæ curam Dagoberto reliquerit. Certè ab ejus morte rerum illic potitum constat, ex bello quod ipsi cum Theodorico Neustriæ Rege & Ebroino Majore domus fuit. A quibus denique cum Vulfoaldo aulæ præfecto superatum traductúmque in Theodorici potestatem sepultura illius fateri videtur. Siquidem in vita S. Audoëni de ipso traditur: quod Dagoberti Regis corpus Clypiaco Rotomagum delatum, in Basilica B. Petri Apostoli sepultum sit. *Ubi requiescunt*, inquit autor, *Dagobertus filius Sigeberti Regis, quem totondit Grimoaldus, atque etiam Childericus Rex frater Theodorici, cum uxore Bilichilde.* Porrò eodem ferè tempore Valesius non malè auguratur Vulfoaldum extinctum esse. *Circa Regis*, ait, *Dagoberti mortem discessit & Vulfoaldus, qui Præfectus Palatii Childerici fuerat... ac eundem sub Dagoberto magistratum gesserat. Vulfoaldum paulò post Dagobertum & circa Leodegarii cædem, hoc est Principatûs Theodorici anno VII. excessisse è vita gesta Francorum videntur indicare.* Quod sanè admodum verisimile est, neque enim Dagobertus Rex si Vulfoaldi superstes vixisset, Pippinum, Grimoaldi, à quo regno domoq; expulsus fuerat, sororis filium, præfectum palatii sui habiturus, aut passurus fuit. *Obiisse eum* (Vulfoaldum) *docet Sigebertus anno Theodorici VIII.* Quare annos regni septendecim Dagoberto huic alteri haud immeritò tribues. Hi tamen cùm minùs certi sunt, rectiùs ex annis Regum Neustriæ, ut supra factum, Chronologia stabilitur. In qua plerique conveniunt, quod post Chlodoveum III. filium Theodorici, quadriennio tantùm sub Pippini cura regnantem, Childebertus ejus frater secutus anno Christi DCCXI. Dagoberto III. filio suo locum fecerit, Pippino per triennium adhuc superstite, cujus ex Carolo Martello filio nepos Pippinus communi historicorum calculo, anno Christi DCCL. in Regem Francorum, Zachariæ Pontificis indulto, per S. Bonifacium Moguntinensem Archiepiscopum inunctus est, Childerico Merovingorum Regum ultimo in S. Bertini apud Belgas monasterium abdito. Sufficiet igitur Chronologiam, quæ in particularibus Francorum Regibus multis locis vacillat, his saltem terminis ita firmari, ut in certis Christi annis, per quos deinde computari cœptum, pedem impostèrum securiorem figere liceat.

* Chidulpho.

Ita Henschen. ex duplici Codice MS.

XXX. Dagoberti Regis potestas sub Childeberto patruele satis limitata per decennium.

XXXI. Childerico sublato cũ Theodorico ejus fratre bellum gerit & succumbit.

Val. rerum Franc. lib. 22. ad an. 690.

XXXII. Chronologia ex annis Regum Austrasiæ incerta, ex annis Regum Neustriæ stabilitur.

Ceterùm licet autorum, hoc initium regnantis Pippini statuentium, catalogum texere supervacuum existimem, unum tamen ex Trevericis archivis testimonium prætereundum non censeo, quod ex diplomate donationis Epternacensis à Miræo, & Henschenio etiam, signato depromam, in quo postquam avita privilegia novis auxit, sic condit: *Ut hæc traditio nostra regali autoritate firmata inconvulsa permaneat, hanc traditionem manu propria subter firmavimus & sigilli nostri impressione fideliter signavimus. Signum Domini Pippini Regis gloriosissimi. Bonifacius Archicancellarius recognovi. Datum III. Nonas Maii, anno Incarnationis Dominicæ DCCLII. Indictione V. anno verò Domini Pippini Regis tertio. Actum Compendio palatio in Dei nomine feliciter. Amen.* Hic ergo si annus Pippini regnantis tertius fuit, cœpit utique anno salutis DCCL. Quanquam Valesius in sequentem DCCLI. ejus principium differat. Sed hæc unius anni dissensio apud historicos frequens est: dum alii unius sæpè regni exordium cum fine alterius in eundem annum compingunt, alii segregant. Quæ differentia tamen si cónstans sit, magnum sensim annorum discrimen ad historiam infert, iccirco minimè negligenda. Ad hunc locum quod attinet, facilè Valesio concesserim, Childericum monasterio anno LI. inauguratum, à quo si ducat Pippini exordia, non nisi verbis dissidemus.

XXXIII. Pippini ex Carolingis primo regnantis initium certã Chronologiam deinde per Christi annos firmat.

Vide Annal. Franc. rerum Egenhardi, Henr. Canisii Tom. 3. ant. lect. Metenses, Bertinianos ab Henschen. tribuit. Dagob. lib. 3. cap. 6. n. 18.

Sed ut ad Dagobertum alterum revertamur, regnique illius tempus vestigemus certiùs, paucis expendendum videtur, quibus ille potissimùm, & quando suis Ecclesiam Dei largitionibus amplificaverit. Henschenius perquàm eum munificum, pluriumque Ecclesiarum dotatorem nobis efformat. Et apud

Trevirenses regale Horreum Palatiumque Virginibus S. Benedicti institutum, sub filiarum ipsius Irminæ & Adelæ auspicio profitentibus, facit elargiri. At nos Dagobertum hunc alterum, Horreum Palatiumque Regium possedisse Treviris, nullo argumento deprehendimus, cùm alibi, quàm hìc sedem fixerit: imò nec liberos quidem ex ipso relictos agnoscimus. Et de mascula id satis prole est exploratum, cùm nullus ab ipso ad regni hereditatem capessendam idoneus innotuerit. Quod tamen quo pacto nobis persuadere Henschenius conetur, operæ pretium erit expendere.

XXXIV. Dagobertus alter prole nullâ est cognitus.

Henschen. de trib. Dagob. l. 2. cap. 5.

Autor fragmenti Historici inquit, Alberto Argentinensi præfixi, tradit, *filium Dagoberti per S. Arbogastum à morte suscitatum. Erat is calcibus equi miserabiliter protritus. Evocatus S. Arbogastus in oratione pernoctavit. Inter orandum puer quasi de gravi somno excitatus, caput extulit, quem vivum erexit Arbogastus.* Ita in Manu-scriptis actis S. Arbogasti. Hæc ille, subjicitque ex iisdem, quod Rex accito Cancellario testamentariis tabulis Rubiacam cum vicinis agris Argentinensi Ecclesiæ legârit, quem terrarum tractum longè amœnissimum fecundissimumque hodiedum a'hea possidere Coccius in suo Dagoberto memorat, eidémque Mundati, quasi manudati appellationem, à singulari exemptionum prærogativâ, hærere cum Wimphelingo asserit. Interponit verò Dagoberti diploma à Jodoco Coccio productum cap. 15. quod tale est:

XXXV. S. Arbogastus Regis filium à morte excitasse dictus; sed primi non alterius improlis.

Coccius in Dagoberto Wimphel. in Arbogasto.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Tagobertus divinâ favente clementiâ nobilissimus Rex. Notum sit omnibus S. Dei Ecclesiæ fidelibus natis & nascendis qualiter ego Tagobertus exhereditatus, Christo volente, propriis filiis (non *bonis*, ut corrigit Henschenius) *S. Mariam mihi in hereditariam heredem acquisivi, dans in honorem Matris Domini ad Ecclesiæ Argentinensis Monasterium tres curtes meas optimas & electas*, &c. *Acta sunt hac IV. Non. April. Luna VII. Anno ab Incarnatione Domini DCLXII. Indict. V. Regnante Tagoberto Rege, anno regni XXXII.* Si annos à natali inchoës.

XXXVI. Diploma Dagoberti improlis.

Pergit capite insequenti Henschenius. Et eodem tempore, ait, S. Florentius, qui Arbogasto postea in Episcopatu successit, apud Haselacenses, ut supra dictum est, degebat, haud procul à Kircheimio Regis Dagoberti Palatio, cujus filiam à dæmonio vexatam liberavit, uti legitur in fragmento historico supra citato. Acta ejus varia hanc Regis filiam tradunt à nativitate cœcam & mutam fuisse. *Rex igitur ne ingratus videretur, domicilium quod ipse inhabitabat, Kircheim scilicet, cum omnibus suis appendiciis liberè contradidit*, donationemque factam autoritate regiâ roboravit. quæ ex actis MS. Bodeciensibus recitat. Addit ex Coccio Regem in balneo constitutum, dum Asino vectus adventabat Florentius, tantùm ipsi in circuitu Haselaci terrarum obtulisse, quantùm dum ipse lavaretur, Asino circumvectus designâsset, quæ in Breviario Argentinensi Leoninis his versibus describuntur:

XXXVII. S. Florentius filiam quoque Dagoberti restituisse creditus, & fundasse monasterium Haselacense.

Coccius in Dagob. cap. 17.

Charta perpetua, sub confirmante libello,
Rex concessit ei, quantùm transiret Asello,
Balnea dum fineret, & ab his vestitus abiret.
Tempore duplato non iret eques stimulatus,
Quantùm transivit prunellis pes agitatus,
Donec Rex sumpsit chirothecas amne rigatus.

Diploma porro fundationis Haselacensis recitat idem Coccius, ubi postquàm Rex memorâsset, se ad Dei raptum judicium, atque à Deipara & S. Michaële graviter accusatum, intercessione D. Dionysii servatum, Dei Sanctorumque honori Monasterium Haselaque, ad amici Dei Florentii istic commorantis postulationem regali munificentiâ dotare statuisse, atque iccircò vallem Vosagi, cum adjacentibus prædiis, agris, silvisque, tum Kirchaim cum suburbiis Marley, vicinisque locis usque ad rivum Osellum assignâsset: denique ita subscribit. *Datum cum filiis meis, Clodoveo scilicet atque Sigeberto in dicto Haselacensi Monasterio, fratribus ibidem divino famulatui insistentibus. Huic traditioni interfuerunt Nanthildis Regina Francorum mea legitima cum filia nostra Rathilde*, &c.

XXXVIII. Diploma fundationis Haselacensis repugnat Dagoberto II.

Ut prius horum diplomatum Dagoberto primo non convenit, qui neque sine filiis, neque sine bonis fuit: ita meritò Dagoberto II. tam à Coccio, quàm Henschenio assignatur, eo tamen discrimine, quod quem hic secundum statuit, ille ignorârit. Verùm non intelligo, quo pacto Rex ille in diplomate suo, ab Henschenio corrigatur, ut dicat, se *exhereditatum propriis bonis:* cùm manifestè scribatur *filiis*. Quomodo enim sine *propriis bonis* ea legare Ecclesiæ Argentinensi potuit, cùm aliena nefas fuerit largiri? Si autem sine liberis fuit, ut ex illo patet, quòd heredem se facere bonorum suorum Deiparam asserat; quomodo verum est, quod Arbogastus mortuum Dagoberto restituerit filium, filiam cœcam Florentius? Hæc igitur de liberis si fidem mereantur, planè ad Dagobertum primum sunt referenda: præsertim cùm ab aliis historicis id factum Henschenius agnoscat, adeò ut filium Regis fuisse memorent Sigebertum in venatione protritum, filiam Rathildem, Irminæ tertiam fortasse sororem, in ipso etiam diplomate nominatam. Jam hoc alterum diploma à S. Florentio impetratum tale est, totque argumentis Dagoberto Magno tribuitur, ut qui aliud fecerit, hic totam ejus veritatem funditùs destruat. Ipse causas enumerat, quarum fidem cùm Fredegarius ejus ætatis scriptor non stabiliat, à nullo requiram. Cur tamen prorsus ut fictas damnemus, licèt insolentes sint, non satis assequor: pari enim cum hæreticis critirio plerasque Sanctorum vitas subvertemus. Verùm, ut dixi, fidem in tam ambiguis nec præsto, nec exigo præstandam.

XXXIX. Sigebertû Dagoberti I. filium, & Rathildem S. Irminæ sororem restitutos divinitùs ferunt.

Nam quod Valesius, ad quasdam Monachorum de hoc Rege historias, & spectacula divinitùs objecta, notat: ejusmodi hos figmenta ad concitandam vulgi de prima sua origine admirationem sectari; in hac prolis Dagobertinæ nomenclatura locum non potest reperire. In reliquis spectaculis ut fidem nullius certam exigo, ita nec scribentem temeritatis censeo arguendum. Vix enim nisi miraculorum gloriæ, religionis Christianæ prima incrementa debemus.

Accedit,

XL. SS. Arbogastus & Florentius sub Dagoberto I. in Germaniâ, & ante II. ad Cathedram Argentinensem promoti sunt.

Accedit, quod Bruschius & Argentinensis Chronici augmentator, quorum fide Henschenius nititur, Arbogastum & Florentium sub Dagoberto I. producant. Catalogúsque Episcoporum Argentinens. hos Ansoaldo & Rothario Episcopis sub Dagoberti II. apud Transrhenanos regno, à Childerico præfectis, anteferat, ut locus tempúsque non appareat, quo Dagobertus alter eosdem ad infulam hanc vocare potuerit. Nam cùm post Childerici mortem, Wilfrido Romam cum S. Deodato cogitanti, vacantem offerret Cathedram, non multis post annis Dagobertus in regno superfuit, ut Arbogasto Florentióque locus deinde non reperiatur. Quidquid igitur de primo horum ex Scotia in Germaniam adventu refertur sub Dagoberto I. evenisse, nimium certis argumentis exploratum est, ut reliquis conjecturis tutò fidem præstare non liceat. cui non obstabit quod ad 673. Christi annum Florentius cum Arbogasto claruisse ferantur, aut Deodatus cum Wilfrido sub Dagoberto altero Romam amandatus; cùm hæc tempora vix triginta annorum intervallo separentur, quale, ut in Germaniam prodirent, latéque suâ inclarescerent virtute, requiri visum est. quod sub Dagoberti II. regnantis angustias restringi vix poterit: ut ante illos in Alsatiam appulisse jure sentiamus.

XLI. Monasterii Weissenburgensis & Horrei Trevirensis fundatio Dagoberto, I. debetur, cujus filia hic Antistes istic moritur.

Ad Weissenburgensis Monasterii diploma fundationémque à Coccio propositam, ab Henschenio quoque tactâ quod attinet, manifestiùs illa etiam Dagoberto I. tribuitur, quàm ut ad alterum possit detorqueri. In hoc, ut alibi vidimus, requiescit Irmina Regis illius filia, donationis jam tum factæ locuples testis, quæ Trevirensis in Horreo Cœnobii Antistes vitam beato istic fine conclusit. Neque alterius Dagoberti filia cum sorore Adhela potest censeri, cùm in producto superiùs diplomate Rex ille sine liberis fuisse memoretur, atque iccircò Deiparam heredem instituere. Id quidem non diffiteor, Irminam cum Adela pleni annos senii consecutas; sed quòd in continenti vita vix habeat admirationem; illâ præsertim ætate, quando non pauci hominum moderatè viventium centenarium annorum numerum vivendo sunt assecuti. Utriusque infra hanc vitæ metam subsistentis, lector annos apud Browerum deprehendet, quem ut Henschenius suæ minùs faventem opinioni refutet, sine fundamento ad Theodorici ultimi annos Adhelæ diploma Palatiolense transfert, & S. Hildulphum anno IV. Childeberti Regis pro Basino, ante Lutwinum Ecclesiæ Trevericæ præficit, cùm Irmina in suo diplomate Epternacensi se illud *ex consilio Apostolicorum virorum Basini & Lutwini* dicat instituere: contra de Hildulpho in ejus vita dictum, fatente Henschenio, sit, quòd *Miloni Archiep. Trev.* successerit; his verò omnibus ætate suppar Adhela sit, ut tam procul non fuerit rejicienda.

Henschen. de tribus Dagobert. l. 2. c. 11. & 14. & lib. 4. c. 5. Browerus sub Basino & Lutwino.

****
**

XV. ANNOTATIO
ad Annum 773.

De Moguntino Archiepiscopo à Trevirensi pro Pallio examinato.

Archiepiscopi Mogũtini mores ante confirmationem Põtificis examinantur à Trevirensi & aliis.

NOn omittendum quod hoc anno 773. Adrianus Pontifex Tilpino Archiepiscopo Rhemensi confirmatis Ecclesiæ ipsius juribus commiserit, unà cum Weomado (quem Wiomagum appellat) Trevirensium, & Possessore Episcopo Caroli M. Legato, ut in mores & vitam Lulli Archiepiscopi Moguntini sedulò inquirerent, ne sedes Apostolica, à qua confirmationem electionis cum Pallio Archiepiscopali flagitabat, indigno hos honores decerneret. His enim verbis Tilpinum alloquitur. *Injungimus etiam fraternitati tuæ, ut quia de ordinatione Episcopi nomine Lulli S. Moguntina Ecclesiæ ad nos quadam pervenerunt, assumptis tecum Viomago & Possessore Episcopis, & Missis gloriosi ac spiritualis filii nostri Caroli Francorum Regis, diligenter inquiras omnia de illius ordinatione, & fidem & doctrinam illius, atque conversationem & mores ac vitam investiges; ut si aptus fuerit & dignus ad Episcopalem Cathedram gubernandam, expositam & conscriptam, & manu suâ propriâ subscriptam Catholicam & Orthodoxam fidem per Missos suos, cum literis & testimonio tuo, seu aliorum Episcoporum, quos tecum esse mandavimus, ad nos dirigat, ut pallium illi secundùm consuetudinem transmittamus, & ordinationem illius firmam judicemus, & in eadem S. Ecclesia Moguntina Archiepiscopum constitutum esse faciamus.*

Sirmondus tom. 2. Concil. Gall. fol. 75.

Ex qua Epistola non minùs potestas olim in universam Ecclesiam Pontificia, quàm rigidum examen Episcoporum constituendorum eminet. Vita cujusque moresque à probatissimis perspicacissimisque viris expenduntur: Nec satis est juratam ore profiteri fidem; sed hæc scriptis subscriptisque propriâ manu literis ac denique Legatorum Pontificiorum testimonio firmanda erat: ne pro Pastore forsan vastator ovium in Christi ovile reciperetur. Quâ curâ aliquando neglectâ, dum favore magis potentium, quàm propriæ virtutis doctrinæque patrocinio, sine integerrimorum virorum delectu, sine morum scientiæque maturâ ponderatione, ad officia Episcoporum vel Angelicis mentibus formidanda, admittuntur Præsules, tantam Ecclesia per hæreses defectionésque ac schismata cladem accipit, quantam singulis penè seculis per diversas terrarum Diœceses observamus. Sed væ hominibus, quorum dissimulatione aut favore etiam hæc in Ecclesiam scandala ac damna irrumpunt! hi nimiùm quantùm à prisca Majorum nostrorum vigilantia degenerant!

****
**

XVI. ANNO-

XVI. ANNOTATIO ad annum Christi 832.

Ad Chronologiam successionis Hetti Archiepiscopi.

I. De Hetti annis aberratio Broweri.

Labbe de scriptor. Eccles. in Addendis tom. I. p. 695.

OBservandum hoc loco est, Browerum seriùs, quàm oportuit, Hettum Archiepiscopum Amalherii facere successorem, quod ex perspicacissimo antiquitatum vestigatore Sirmondo, inter ejus Annotationes, Epistolâ quâdam à P. Philippo Labbeo vulgatâ, cognoscimus, neque obscurè evincitur ex literis inter Epistolas Frotarii Episcopi Tullensis, quas vetus codex Monasterii S. Petri Carnotensis exhibet, repertis. Operæ pretium fuerit illas hîc recitâsse; non solùm Chronologiæ, sed & dignitatis Metropoliticæ apud Treviros stabiliendæ gratiâ.

II. Hetti Archiepiscopi Trevirorū Tullensi Episcopo sibi subdito mandatum Imperatoris de bello Italico exponit.

Hetti misericordia Dei Archiepiscopus Diœceseos Trevirensis, & Legatus Hludovici Serenissimi Imperatoris Venerabili fratri Frotario Tullensi Episcopo æternam salutem.

N*Otum sit tibi, quia terribile imperium ad nos pervenit Domini Imperatoris, ut omnibus notum faciamus, qui in nostra Legatione manere videntur, quatenus universi se præparent, qualiter proficisci valeant ad bellum in Italiam. quoniam, insidiante Satanâ, Bernardus Rex disponit rebellare illi. Propterea tibi mandamus atque præcipimus, de verbo Domini Imperatoris, ut solerti sagacitate provideas, cum summa festinatione omnibus Abbatibus, Abbatissis, Comitibus, Vassis Dominicis, vel cuncto populo Parochiæ tuæ, quibus convenit militiam Regiæ potestati exhibere, quatenus omnes præparati sint, ut si vespere eis annuntiatum fuerit, manè; & si manè, vesperi absque ulla tarditate proficiscantur in partes Italiæ; quia Dominus Imperator suum iter præparat, ut quantò citiùs poterit, in partes illas unà cum fidelibus suis pergat.*

Ita Hettius. Jam si horum temporum Annales, ipsiusque Broweri historiam consulas, reperies hanc à Bernardo adversus Ludovicum patruum seditionem anno salutis 817. concitatam esse, adeoque jam tum Hettium Archiepiscopum creatum, & Legationibus Regis præfectum fuisse oportuit, sicut & Amalherium à Legatione in Orientem obitâ defunctum. Quæ veritas ex Annalibus Francorum stabilitur. ubi (ut Labbeus memorat) anno salutis 814. abiisse vitâ, & Archiepiscopatu notatus est. Nec dissentiunt probatissimi Annales Trevirorum, quos ante annos trecentos Balduinus Archiepiscopus ex Archivo principali magnâ curâ colligi jussit. in quibus hæc lego. *Defuncto itaque Wiomado Richbodus ordinatur Episcopus, deinde Wazzo, qui ambo, alter alteri succedens, Abbates extiterunt Mediolacensis Cœnobii, post quos Hamilarius Fortunatus Cardinalis Romanus, qui librum officiorum conscripsit.* * *Hic missus est à Carolo Magno Constantinopolim, propter pacem cum Michaële Imperatore firmandam ... Post Fortunatum Trebirorum Hetti præfuit Abbas Mediolacensis. Hic* * *amonitus in visu à S. Materno in vicesimo tertio anno Ludovici Imp. asportavit corpus S. Castoris de loco, qui vocatur Cardona, ad Confluentiam, ad Monasterium quod ipse construxerat, & V. Idus Decemb. consecravit in honorem S. & omnium Confessorum, & post consecrationem sanctum corpus in Ecclesia recondidit, ibiq; Ludovicus Imperator multa dona præsentavit. Dicunt eum aliqui rei Ecclesiarum S. Eucharii & S. Luitvvini principibus suis in beneficium tradidisse. Post XXXVII. annos sui Sacerdotii obiit, & sepultus est in monasterio S. Eucharii ante altare S. Ioannis Baptistæ, in abside Aquilonari, ad cujus dexteram in altera abside requiescit vir valdè magnificus Ingervinus, nobilitate clarus, ejusdem Hetti germanus, nomine Ruthgaudus. Anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo quinquagesimo porrò Cathedram Hetti Thietgaudus obtinuit.* Hinc abundè Chronologiam præsentem stabilias, si hîc, ut oportet, cum Episcopatu Sacerdotii annos æquari intelligas: neque enim aliud quàm regiminis tempus scriptor designâsse existimandus est. Quod si igitur annos septem & triginta quinquagenis detraxeris, tredecim relicturus es, quos Amalherius non longi temporis regnator, cum Wazzone partietur, post quos Legatione Orientali jam expeditâ, vitâ simul ac munere cesserit. Porrò Legationem hanc absolvisse anno 814. Baronius ex Thegano ejus temporis scriptore memorat. Etenim defuncto hoc eodem anno Carolo M. Ludovicus filius Imp. successerat. *Legati* igitur ad hunc *venerunt ex omnibus regnis & provinciis, & ex ceteris nationibus, & omnes qui sub ditione erant Patris sui nuntiantes pacem, & fidem erga eum observare, & spontaneum obsequium non coacti obtulerunt. Inter eos venerunt Legati Græcorum cum Amalario Trevirensi Episcopo, qui erat Legatus piæ mem. Caroli ad Principem Constantinopolitanum.* Sed jam anno Christi 819. ex eodem autore Hettium successisse in Archiepiscopatu juxtà compertum est, quando Ludovicus de Ecclesiastica disciplina, quæ multis locis intercideràt, ad pristinum decus vigoremque per Imperium revocanda, raro & illustri exemplo sollicitus, Aquisgrani Procerum secularium simul atque Ecclesiasticorum Comitia instituit, communibusque suffragiis sanxit, ut junctis consiliis opibusque per certos utriusque partis Legatos, quos Missos Dominicos appellabant, Ecclesiarum & Monasteriorum priscæ leges, novis capitulis firmarentur. Hæc in Concilio unanimi consensu instituta, & libris aliquot collecta, per Legatos hosce in Provincialibus conventibus proposita, ac subinde per Episcopos, eosdemque Legatos, mutuâ ope in usum traducta sunt. Et præfecti quidem huic operi perficiendo fuerunt, ut liber Capitularis loquitur, *In Moguntia, quæ est Diœcesis Heistulphi Archiepiscopi, idem Heistulphus Episcopus & Doutbertus Comes. In Treviris Hetti Archiepiscopus & Adalbertus Comes. In Colonia Hadalboldus Archiep. & Æmundus Comes. In Rhemis Ebo Archiep. quando potuerit, & quando non licuerit, Routbardus Episcopus ejus vice, & Rhuofridus Comes.* Ab hoc ergo conventu tam fuisse Amalherium jam mortuum certum

Ordulphus l. 2. c. 13. Annal. Trev.

* ut nonnulli, sed malè, sentiunt.

* admonitus

III. Hetti corpus S. Castoris Cardonâ Confluentiam transfert.

Baron. ad hunc annum ex Thegano in vita Ludov. Pii.

IV. Amalherius in legatione Orientali vita functus Hetti locū cessit.

Baron. ad an. 819.

VI. Ludovicus Rex de Ecclesiastica disciplina sollicitus Aquisgrani & alibi comitia instituit.

Ansegisus lib. 2. cap. 25.

est, quàm

est, quam Hettium successorem fuisse præsentem.

Sirmondus in tom. 2. Concil. Gall. Burchardus lib. 6. c. 5. Ivo p. 10. c. 134.

Accedit, quod Sirmondus ex Burchardo & Ivone notet Hetti jam anno Christi octingentesimo vigesimo primo Concilio Theonisvillæ à Ludovico Rege instituto adfuisse. Ut Browerum alterius illic habitæ Synodi anno salutis 806. meminisse necesse sit. Quandoquidem hæc nostra Synodus de percussoribus clericorum, illa de rebus longe diversis tractat: adeóque personis, & constitutionibus minimè conveniunt. Ceterùm illi interfuisse memorantur, *Aistolphus Moguntinensis Archiepiscopus, cum suis suffraganeis, Hadabaldus Coloniensis cum suis suffraganeis, Hetto Trevirensis Archiepiscopus cum suis suffraganeis, Ebbo Remensis Archiep. cum suis suffraganeis: cum nuntiis reliquorum Episcoporum Galliæ & Germaniæ, ob nimiam præsumptionem quorundam tyrannorum in Sacerdotes Domini debacchantium*, & propter factum recens in Vastonia patratum, ubi inhonesto ac crudeli mortis genere Joannem Episcopum trucidarunt. Decretum verò est, ut, juxta canones pœnasque olim statutas, si quis Subdiaconum, Diaconum, Sacerdotem, Episcopum vulnerarit, vel occiderit, tam per Ecclesiasticas, quàm pecuniarias pœnas coërceatur, quas Ludovicus Pius Tiburiæ in alio conventu auctas publicavit.

His etiam Sirmondus rectiùs jungit illa, quæ Browerus in Synodo Theonisvillana anno Christi 835. gesta recenset, cùm Aistolphus qui cum Ebbone interfuisse dicitur, jam ante novennium mortuus Otgerum vel Odagerum habuerit successorem; hic verò hoc eodem anno exautoratus sit.

VI. Amalherius Archiepisc. Trev. libros Officiorum & Antiphonarium non conscripsit, sed Amalarius Metensis.

Unde & alius error de libris officiorum & Antiphonario, à Browero aliisque in bibliotheca Patrum Amalherio Archiepiscopo Trevirorum adscriptis, detegitur. Nam à morte hujus Antistitis hi libri primùm conscripti sunt; cùm officiorum autor Judithæ Reginæ meminerit, quæ Irmingarde mortua, in thalamum Regis Ludovici hoc eodem anno 819. introducta est. Magis verò Antiphonarii scriptio ab eodem Amalherio aliena est, cùm ejus concinnator cap. 58. dicat: *post veniens Romam anno ab Incarnatione Domini 831. indictione nona, sub imperio Domini & piissimi Imper. Ludovici & Apostolatu gloriosissimi Apostolici Gregorii interrogavi de ordine Responsorum à festivitate pentecostes usque ad adventum Domini.* Unde & alium fuisse Antiphonarii autorem manifestum est, Archiepiscopo jam dudum è vivis sublato, & quanta Rex cura Ecclesiam suam in ritibus Romanæ voluerit conformari, nobis hoc exemplo declaratur.

Lib. 4. c. 3.

Fefellit itaque tam Browerum, quàm Trithemium, Bellarminum, & Collectorem Bibliothecæ Patrum, aliosque similitudo nominis, temporisque affinitas, & cum Rege etiam Ludovico Amalarii cujusdam Metensis consuetudo non quidē Episcopi (ut malè de luminaribus Ecclesiæ Honorius Augustodunensis) cùm illum ad Episcoporum catalogum nemo aliorum Scriptorum admiserit; sed vel Diaconi, ut ex Ademaro Simonenus, vel Abbatis, ut ex codice bibliothecæ Thuanæ nonnulli eruunt. de quo consule, si placet, Labbeum.

Loc. c. pag. 691

Quòd verò Metensi Ecclesiæ addictus fuerit, vix dubitare nos patitur in suo autor Antiphonario, dum Metensis Ecclesiæ Antiphonarium appellat suum, quod litera M signat, opponitque Romano literâ R, ad distinctionem utriusque, insignito.

VII. Amalherio Trev. tribuitur liber de sacro Baptismate.

Ne tamen omni scriptionis honore Amalherium Trevericum Antistitem spoliet Sirmondus, qui hunc nobis errorem detexit, librum illi tanquam viro eruditissimo tribuit, de sacro baptismate ad Carolum M. Imperatorem scriptum. Cui quidem sententiæ non est quod repugnemus; credimúsque Annales Trevirorum supra à nobis citatos, pro tractatu hoc, libros officiorum, vulgato ex nominibus errore, designasse, nullâ Antiphonarii memoratione inductâ. Qui illum præterea honorem Amalherio Trevirorum Antistiti vendicant; quòd Romanæ faciant Ecclesiæ Cardinalem: ut facilè constet, apud summos infimósque magnæ illum existimationis, tam à virtute, quam eruditione habitum Principem, sine quibus exteræ nationis homo, non facilè inter Romanos ad hunc dignitatis gradum enititur.

XVII. ANNOTATIO

Ad universam Broweri Chronologiam melius penetrandam.

QUOD Chronologicæ Broweri rationes nonnunquam vacillent, & ab æra Dionysii vulgata nunc uno, nunc altero anno deflectant, hoc partim varietati sententiarum, quibus Christi Natalis controvertitur, partim fundamentis Chronologiæ à Browero ancipiti loco ac tempore constitutis tribuendum. De utrisque pro Conclusione harum Annotationum, & majori temporum luce, paucis disserendum est.

I. Æra Dionysiana vulgaris in quod tēpus Christi Natalem conjiciat.

Natalis Christi annus, juxta vulgatam Dionysii Abbatis æram, quæ communi Ecclesiæ usu passim recepta fuit, in annum Julianum 46. Urbis Conditæ 754. regni ab Herode cœpti 41. Augusti à nece Cæsaris 45. & Olympiadem 195. consulatum verò C. Cæsaris Nepotis & L. Æmilii Pauli incidit, quem Paulus Forosemproniensis Episcopus, Petrus de Aliaco, Alexander Scultetus, Bellarminus, Azor, Beda, Martyrologia, & Breviaria Romana communi calculo tuentur.

II. Alia Chronologia probatior.

Sed qui probatiorem Chronologiam sectantur, hi aliquot annis Christi natales anticipandos censent, ita ut in annum Julianum 45. vel 44. aut 43. aut 42. vel 41. primum Nativitatis Christi diem transferant.

Annum correctionis Julianæ 41. nonnulli olim amplexi sunt, quos novissimè Petavius in Rationario temporum, & Ægidius Bucherius Atrebas, è Societate JESU in Belgii Romani Chronologia, eruditus uterque Scriptor, consectatus est, asseritque Christum incarnatum 25. Martii, natum verò 25 Decembris Augusto XII & L. Sylla consulibus. Præcipuum hujus sententiæ fundamentum est, quod Christus natus dicatur *in diebus Herodis Regis*, qui juxta Josephum, Dionem Cassium, Appianum, Severum Sulpitium, Eusebium Cæsar. Nicephorum, Cedrenum, aliosque anno

Joseph. lib. 14. Antiq. c. 26. & lib. 17. c. 10. & 15.

Juliáno 43. extinctus est; nemine Veterum, ut Sigonius tradit, cum post hunc superstitem, sed Archelaum filium successorem, commemorante. unde manifestum est, ante hoc tempus Christi Natalem referendum, & Herodem qui anno 6. Juliano regnum auspicatus erat, anno illud regni 37. (quot communiter tribuuntur) conclusisse, intra biennium verò cædem infantium perpetrasse; cùm omnes à bimatu & infra tolli mandaverit. Præter hæc alia Bucherius argumenta ducit à Nativitate S. Joannis Baptistæ, à censu seu descriptione orbis per Augustum sub Præside Syriæ Cyrino instituta, quæ apud eundem licebit latius diducta intueri. Qui tamen hanc sententiam præferunt, solidos Christi annos, non nisi à 42. Juliano auspicari possunt, quod in 41. finem ejus Nativitas incidat, nec dies pauculi in anni censum inducendi videantur.

Bucher. in Belg. Rom. lib. 2.

III. Alia usitatior, quam Browerus principio amplexus postea è omisso pari Consulum, deserit.

Alia paulò communior sententia est, quam cum Baronio Browerus etiam principio pag. 133. admittit. Christum videlicet sub finem 43. anni Juliani 25. Decemb. natum, Corn. Lentulo & M. Valerio Messalino Consulibus. ita ut solidus Christi annus inchoëtur à Calendis Januariis anni Juliani 44. biennio ante æram vulgarem Urbis Conditæ 752, regni Herodis (hoc enim longiùs producunt) 39. Augusti 43. quando is XIII. cum M. Silvano Consul fuit. Verùm, cùm in hac sententia Browerus constanter non subsistat; sed omisso consulatu Corn. Lentuli & Calphurnii Pisonis, qui in annum Julianum 45. cadit, C. Cæsarem Nepotem filium Augusti & L. Æmilium Paulum pag. [illegible]4. secundo Christi anno Consules creatos asserat (qui tamen erat Broweri tertius, & æræ vulgaris primus, hic illius neglectus saltusque Chronologiæ studioso observandus est. Nam cùm in hoc subsistat, is, qui initio duobus annis prævertere vulgarem æram est visus, non nisi unico deinde in rebus Augusti Tiberiique antecedit. Unde non rarò duplicem annorum numerum præfigit, ex quibus prior ab anno Juliano 45. qui est calculi Broweriani, alter à 46, qui est æræ vulgaris, ducendus est.

IV. Baronii fortè exemplo, qui duo Cõsulum paria transiliit, ut æræ vulgari Dionysianæ accedat.

Fortè Baronii se exemplo tueatur, qui ne ab æra vulgari totus dissideret, in progressu historiæ duo Consulum paria transiliit. Nimirum anno Christi 259. Fulvium Æmilianum, & Pomponium Bassum, anno verò Christi 260. Cornelium Secularem & Julium Donatum. Sed utriusque Chronologiam certiorem reddidisset, si totos sese æræ vulgari aptassent, cum Observatione præmissa, quod ad veriorem Chronologiam, duo ubique anni adjiciendi essent, ut, & hi qui 4. apponendos censent, jure id præmonent; communiori tamen retento Dionysii calculo. Sine quo, ob constantem hactenus usum, magnam temporum rerumque confusionem oriri necesse est.

Cui sed cavendâ confusionem, cum aliquâ præmonitione, adhærendum est.

Verùm ex hoc Broweri calculo aberrationes aliquæ sequuntur. Ut cùm juxta suam Chronologiam statuit pag. 133 annum correctionis Julianæ (quem à Calendis Januarii Julius Cæsar duxit ante à Palilibus, hoc est XI. Cal. Maii ductum.) præcessisse Natalem Christi annis 45. Hoc enim non juxta Browerianum, sed vulgaris æræ calculum verum est, qui ab anno Juliano 46. auspicandus est.

Browerus in paucis corrigẽdus.

Rursum cum pag. 141. n. 181. Browerus Christum, anno 33. & mense 3. ætatis, Cruci affixum sub Domitio Ahenobarbo & Vitellio Nepote Coss. asserit, necesse est, ut annum, Consulesque ante à se omissos rursus in ordinem cogat; aliàs non reperiet nisi annos Christi 32, adeóque à communi sensu deflectet. Neque commodè hoc loco poterit Seianum inter hostes Christiani statuere nominis; cùm ante horum Consulatum, Christique mortem, anno Julianæ emendationis 76. à Tiberio occisus sit. Quæ, ad Browerianæ Chronologiæ rationem facilius penetrandam, præmittenda censui.

Illud tamen non omisero: Browerum anticipatione unius anni in historia Treverica ideirco fortassis delectatum, quòd Ecclesiasticus Trevirorum annus ab Incarnatione Dominica olim cœptus, integris novem mensibus æram vulgarem, à Nativitate ductam, præcurrat, adeoque initium sortiatur à 25. Martii & festivitate Annuntiatæ Salutis. Quem constanter hactenus calculum Ecclesia Trevirensis in suis Constitutionibus decretisque secuta est. Licet in ceteris à vulgari non deflectat. Quod & alicubi Browerum monere ac sequi animadvertes.

V. Browerus anticipatione unius anni fortè ob Trevirensis Ecclesiæ calculum, quãdoque usus, quod hic ab incarnatione Christi ducatur.

Ceterùm postquam ille in Augusti Tiberiique Cæsarum actis anno prævertisset, in Caligulæ morte convenit ac deinde per vulgarem plerumque æram incedit. Quanquam pro autorum quos sequitur varietate, in particularium regũ temporibus subinde variet. Mihi, in rebus à me scriptis, vulgari magis ærę acquiescere placuit, quanquam potiorem illum calculum habeam, qui hanc Chronologiam quadriennio antevertit.

Denique ad calculum Æræ Vulgaris accedit.

Atque hanc ipsam sententiam in plerisque amplecti novissimè video in Dissertatione doctissima de annis Christi nati & baptizati R. P. Michaëlem Seneschallum Soc. Jesu, in Universitate Duacensi olim Theologiæ Professorem, qui & hanc Broweri à cæteris dissensionem pro veteri amicitia literis ad me datis minùs probavit.

FINIS.

INDEX

INDEX HISTORICUS
TOMI PRIMI
ANNALIUM TREVIRENSIUM
R. P. CHRISTOPHORI BROWERI S.J.

AD LECTOREM.

Observet Benevolus Lector in bujus usu Indicis, primarias ferè res, personasq́, quò cæteræ referuntur, investigandas esse, ut si quid de Veterum Templis, castris, viis militaribus, theatris, scire desideres, quæras in voce Antiquitates. *Si quid de Tunica Christi, clavis, lancea, Cruce, quæras in persona IESUS Christus ad quem ista spectant. & sic de cæteris. Quod consilio factum, ut res eòdem spectantes velut in synopsi collectæ suggerantur: ne tamen in incertum fluctues in præcipuis, tibi digitum intendimus. Fruere hoc labore nostro, & vale.*

A

Da Caroli Magni soror Christo se vovet. *Pag.* 393. Epitaphium illius pium ad S. Maximini. Et munificentia. *ibidem.*

Adela Dagoberti I. filia Palatioli infra Trevirim monasterium construit, seque ibidem Deo consecrat. 350. Ejusdem testamenti tabulæ in favorem dicti Monasterii. 357 *& seq.* Defenditur filiam fuisse Dagoberti contra Valesium Gallum historicum. 609. & *seq.* Vide Palatiolum.

S. Adelbertus Magdeb. Episc. Ex monasterio S. Maximini Trevirensi in Russiam Apostolus mittitur. 465. Re infectâ redux Abbatiæ Weissenburgensi præficitur. 470. Mox novo Archiepiscopatui Magdeburgensi. 471. *& seq.* Visitationi Diœcesis immoritur. 485 *& seq.* Ejus elogium & epitaphium. *ibid.*

Adrianus Imperator. Vide *Hadrianus.*

Aetius cælitus datus Valentiniano III. Dux Theodor. Goth. Regem ab Arelate depellit. 284. Clodionem Pharamundi F. in Atrebatibus nuptiis vacantem opprimit. *ibid.* Et Burgundos Belgis molestos. 286. Attilam ab Urbe Aurelianensi abstractum in Pannoniam rejicit cæsis 162. Millibus hominum. 294. Fraude Maximi, jussu Valentiniani occiditur. 295. Et in ejus ultionem ipse Valentinianus. *ibid.* Elogium ipsius felicitas in bello, invidia in Bonifacium Ducem ruina ipsius. 589 *&* 592.

S. Agritius Trev. Episc. à S. Helena volente S. Sylvestro P. Antiochiâ Trevirim trāsfertur Episcopus Patriarcha Galliæ. 215. Treviris templa statuit auspiciis S. Helenæ & Constantini Junioris. 220. Platonicis philosophis Christi fidem lacerantibus resistit. *ibid.* An fuerit Patriarcha Antiochenus? 216. Idola & Ludos Circenses & theatrales favente Constant. utroque tollit. 225. Concertatio de sepulchro ipsius inter S. Mathiæ & S. Maximini Cœnobitas. *ibid.*

Alboinus Longobardorum Rex à S. Nicetio Trev. Episc. per Epistolam ad uxorem datam ad Christi fidem invitatur frustra. 605. *& seq.* Veneno Rosimundæ secundæ uxoris perit, irritatæ cranio patris in poculum verso. *ibid.*

Alexander Severus Imp. à Christianis leges mutuatur. 180. incitatus in eosdem à Juris pp. Paulo & Ulpiano tres Pontifices Romanos & S. Cæciliam Martyrio coronat. *ibid. & seq.* Provinciarum gubernationem etiam Belgicam mutat. *ibid.* Parthos ad Rhenum ducit, & pontem in Treviris imponit Rheno. 181. Wesaliæ in Treviris cum Matre Christiana à suis trucidatur. *ibid.* Matris Mammææ monumentum Wesaliæ. *ibid.*

Amalarius Fortunatus Trev. Episc. Alcuini discipulus. 393. Trev. Episcopus à Carolo M. Legatus mittitur ad Imp. Constinop. 394. Scribit opus de divinis officiis. 395. *&* 400. In quo meminit silentii æris campani triduo Passionis in Græcia & Gallia. *ibid.* Assiduus est in choro, canitque. *ibid. &* 403. Romam adit pro conformitate rituum Ecclesiæ. *ibid.* Cum opinione sanctitatis & miraculorum moritur. *ibid.*

S. Ambrosius Bis Trevirim accedit ad Maximum Tyrannum pro cadavere Gratiani & pace, sed frustra. 262. *& seq.* Ejus magnanimitas coram Tyranno & vitandis Episcopis se subjicientibus sæculari tribunali. 263. S. Augustinum ab hæresi Manichæa abducit. 264. Frustra accersitur à Valentiniano II. capto & mox strangulato. 272.

Amphitheatri Apud Treviros imago, ejusexplicatio, & rudera. 83. *& seq.* Solennis proces-

ſionis qua ſpectacula adhibantur, deſcriptio. 84. Variæ in eodem pugnæ. *ibid.* Sublatæ à Conſtantino Magno. 85.

Andernacum oppidum ad Rhenum Antonacum olim dictum præſidium Rom. limitis Rhenani 136. à Juliano recuperatur ejectis Germanis. 254. Gloriatur oſſibus Valentiniani I. an II.? 254. Palatium fuit Regum Auſtraſiæ. 323. Juxta illud cruento prælio ſternit Ludovicus Germ. R. Carolum Calvum patruum. 429. Eccleſia Andernacenſis à Ludovico Imp. Anno Chr. 911. Trevirenſi Archiepiſcopo donatur. 455. Otto I. Imp. illuſtri victoriâ potitur ibidem hoſtium duce in Rheno merſo. 454. Tempore Aëtii ultimum Rom ad Septentrionem præſidium fuit Andernaci. 589. Venantii Fortunati deſcriptio elegiaca Palatii Andernacenſis. 322. *& ſeq.*

Anglicana Vide Britannica.

S. Anno Colon. Epiſc. Sibergæ Henricum Palatinum cogit condere Monaſterium. 537. Unde atrox bellum, quo Palatinus in rabiem verſus Epternaci includitur. *ibid.* Henrici IV. Imp. tutelam ſuſcipit invitâ matre. 538. Malmandarium à Stabuleto abſtractum jungit ſuæ Diœceſi. *ibid.* Periclitatur ab Henr. IV. jam pubere. *ibid.* fundat Collegium Canonicorum ad gradus Mariæ Coloniæ. 539. Ideo cum Brawilerano Abbate jure experitur pro pago Cloter ad Moſellam & cadit. 538. Quanta ejus in Imperio authoritas conferendi Epiſcopatus. 542. S. Conon ab ipſo Trevirenſibus datus Epiſcopus crudeliter necatur. 543. Imperii gubernacula rogatu Henrici IV. recipit. 547. Decedit cum opinione ſanctitatis, præmonitus cæleſti viſo civibus ſuis ignoſceret. 553.

Antiquitates Trevirenſes Hodiedum viſendæ ad S. Maximini & S. Paulini. 39. *& ſeq.* Urbis Trevir. Capitolium, Campus Martius, palatium. *ibid.* Pons Moſellæ impoſitus. 41. Ab à Trebeta? 97. Ejus longitudo, firmitas, icon. 41. *&* 97. Pons Contzenſis in ſuburbio veteris urbis Saravo additus ante Romanos. 37. *&* 93. Arcus triumphalis Valentiniani & Gratiani ex quibus palatium Dominorum de Ponte. 43. *&* 93. In cujus ſummitate piſcinæ penſilis imago. *ibid.* in pavimento fornaculæ ſubterraneæ, earum icon. 46. *&* 94. Mirandi operis turris ſuburbana & fanum cum ſubterraneis meatibus ad quatuor alias in urbe turres. 46. *&* 96. *& ſeq.* Ars ædificandi veterum firmior noſtrate. *ibid.* etiam ſine calce & ferramentis. 96.

Mauſolæum Secundinorum, quo cis Alpes nihil antiquitatis illuſtrius. Ejus altitudo 100 pedum, icon, explicatio. 42. *&* 87. *& ſeq.* An Conſtantii & Helenæ nuptiale monumentum? *ibid.* Globus in ſummo pyramidis reconditorium cineris Secundini. 86. *&* 89. Aquila illi inſiſtens apotheoſis ſymbolum. *ibid.* Ritus cremandi corpora. *ibid.* *&* 91. & apotheoſios. *ibid.* Mansfeldus hanc pyramidem fruſtra laboravit transferre in hortos ſuos. 87.

Lapidum antiquorum variæ inſcriptiones apud Treviros. 50. *& ſeq.* Cur columbæ binæ in Chriſtianorum ſepulchris. 61. Cur Chriſtianorum ſepulchris inſcribatur ☧ Pax, Ethnicorum Diis manibus. 64. Cur θ græcum. *ibid.* Sarcophagi ſex anno. 1656. detecti ad S. Maximini. 92. Imago unius emblematis ornati; ejuſque explicatio. *ibid.* *&* 103. Lampades ſepulchrales, & quædam ſemper ardentes. Quo alimento flammæ? 57. *&* 93.

Centifanum vel pantheon urbis Trev. nunc conſecratum SS. Triadi. 101. Circus in palatium recens verſus. 47. Ejuſdem ectypon. 100.

Monumentum Trevericum recens detectum in oppido Woringen agri Colonienſis. 102.

Viæ militares opus Agrippæ anno 17. ante Chriſtum. 129. In Alſatia ſarcophagus in quo conſaneſcunt febricitantes. 144. Idolum Veneris, an Dianæ? Treviris ad S. Mathiæ. 160. Sculptura frontiſpicii portæ S. Euchari Treviris explicatur. *ibid.* Caſtra Conſtantini Noviomagenſia 14. turribus cincta. 206. Viæ militaris veſtigia inde Trevirim tendentis. *ibid.*

Antoninus Pius Belgicam & Treviros munit & ornat 169. Provincias pacificè totis 23. annis gubernat. *ibid.* Chriſtianos perſequitur & inter illos S. Celſum Trev. Epiſcopum. *ibid.* precibus legionis fulminatricis Chriſtianæ vincit Bohemos. 171

Aquæductus Oleviani Trevirenſis tenuia veſtigia. 38. Agrippinenſis per Eifliam immenſa opera. *ibid.* *&* 82. Hujus duplex caput ad fontes Orfæ rivi in Eiflia. 82. Cauſa ob quam ſtructus vera & fabuloſa. 83. Oleviani concertatio fabulola cum ſtructura amphitheatri. 86. Et Agrippinenſis cum fabrica ſummæ ædis. 62. Hic protenditur à Rheno uſque in Waſſerbillich ſupra Trevirim. 82. Aquæductus ab Erubro ductus ad palatium. 40. Longus paſſuum millia duodecim. Alius ex monte Apollinis ſubtus Moſellæ alveum aquas derivans in turritam piſcinam Dominorum à Ponte. 93. *& ſeq.*

Aquiſgranum cum Baſilica à Carolo M. conditur. 386 Nomen Caroli M. expungitur ominosè anno mortis Caroli ex inſcriptione coronæ in medio Baſilicæ pendulæ. *ibid.* Legatio Perſica & Conſtantinopolitana Carolum M. Aquiſgrani adit, cum elephanto & muneribus. 391. Aquiſgranenſia Concilia. vide verbo *Concilia.* Carolus Aquiſgrani filium Ludovicum coronandum curat. 394. Sub Ludovico Pio Aquiſgranum concutitur terræ motu, & igne de cœlo feritur. 399. *&* 401. Synodus prædatoria Aquiſgranenſis pro Waldrada pellice Lotharii Junioris. 418. Aquiſgranum & Monaſterium ad Indam incenditur à Nortmannis. Anno Chriſti 882. *p.* 432. Cæremoniæ coronationis Ottonis I. iſtic peractæ. 452. Ex Monaſterio Indenſi reformatur mediolacenſe in Trevirenſi ditione. Otto II. coronatur Aquiſgrani Rex Lotharingiæ & Germ. 466. S. Henrici Imp. coronatio Aquis inſtauratur. 496.

Archicancellarius quis dicatur? ejus origo & etymon. 441.

Arduenna à Rheno ad Rhemos & Nervios olim extenſa 47. & ſeq. à S. Remaclo purgatur ab idolis circa Malmundarium, inde dictum quaſi malum mundatum. 52. In ea Galli veteres conventus inſtituebant & concilia, nominatim in pago Salmenſi. 121. Dianæ cultus in Arduenna aris, ſtatuis, Sacerdotibus propriis. 51.

Arelatenſe regnum oritur Anno C. 1032. à Rudolpho Imp. 516. Sedes Imperii Arelatenſis à Stilicone Treviri tranſlata, fuit ruina Imperii Gallicani. 588. & 590.

Argentoratenſia. S. Maternus circa Argentoratum vitæ redditus, Argentoratenſes Chriſtum docet. 144. Apud illos S. Petro templum locat hodie Dompieter dictum. *ibid.* Inſcriptio ſarcophagi febricitantibus ſalutaris. *ibid.* In pago Ellum conditorium oſtenditur in quo S. Maternus 40. diebus tumulatus fuit. 145. Julianus Imp. prope Argentoratum Alemannorum 60. millia delet.

delet. 241. Childebertus Francorum Rex regium istic habet. 334. Ægidius Rhemensis Episcopus istic exu'at. *ibid.* Ruthardus Episcopus Argentinensis Corbeiæ jubetur exulare. 454. Argentina & Spira à Wandaiis capitur. 536.

Arlunensis. Comes Arlunensis Anno C. 1032. fit Beneficiarius Ecclesiæ Trevirensis. 530. Henricus Lymburgensis Arlunum repetens vincitur prælio. 568. Excommunicationis fulmen deridens, à cane illud discit timere. *ibid.*

S. Arnulphus Episc. Metensis. Virtutes illius in vita sæculari, & Episcopali. 341. & miracula. *ibid.* Dagoberto Regi puero moderator adhibetur. *ibid.* Ex filio Angiso avus fit Pipini Brevis. 342. Epistola Clotharii Regis quâ illi negatur missio ab aula. 342. Rhemensi Synodo interest. 344. Dagoberto in sordes effuso eremum petit. *ibid.* Annulum dejectum in Mosellam à pisce recipit signum remissorum peccatorum. 345. Id factum à superstitione purgatur, exemplo S. Attilani Episcopi. *ibid.* Carolus M. ejus trinepos ejus acta conscribenda curat. *ibid.* Successorem suum S. Albonem à cæcitate liberat. 346. Doda ipsius uxor Treviris Monasticen colit. 348. Filius Clodulphus in palatio sanctitate floret. *ibid.* Mortuus celebratur & frequentatur. *ibid.*

Arnulphus Imp. Carolomanni filius patruo Carolo Crasso viventi substituitur in Imperio. 435. S. Servatii Abbatiam Trajecti donat Ecclesiæ Trev. *ibid.* Lovanii Normannos delet duobus illorum Regibus cæsis. 437. Zuendiboldum nothum Lotharingiæ Regem creat. 438. Romam rogatu Formosi Pontif. capit. *ibid.* Ex monasteriis S. Maximini & Epternacensi profanos locupletat. 439. Moritur Ratisbonæ Ludovico filio succedente. 442. Zuendebolbus nothus regno Loth. dejicitur & occiditur ob tyrannidem & Trev. Episcopum fuste mulctatum. *ibid.* In Ludovico filio Arnulphi, Caroli M. mascula stirps occidit. 445.

S. Athanasius Eusebium Nicomediensem cum toto Arianismo hostem habet. 225. Illorum machinationes elûdit in conventiculo Tyri. *ibid.* Ob calumniam prohibitæ frumentationis, à Constantino Imp. securitatis gratiâ Trevirim mittitur. 226. Post biennii istic moram Alexandriam remittitur. 227. Refutatur plebëia opinio de sexenni latebra in cisterna Trevirensi. 228. *& seq.* An Romæ an Treviris composuerit symbolum Quicunque &c. 229. Denuo exul cum Paulo Constantinop. excipitur Romæ à Julio Pontifice. 231. Ubi cum illo communicat S. Maximinus Trev. vitatis Arrianis. *ibid.* Absolvitur in Concilio Sardicensi. *ibid.* Encomium quod ipse dat S. Paulino Trev. & aliis ipsius causa exulantibus. 239. Scribit vitam S. Antonii Treviris deinde lectam. 241.

Attalus S. Gregorii Lingonensis Nepos è dura servitute Treviri mirabili fugâ evadit. 310. *& seq.*

Attila Hunnus Totum Septentrionem armat in Galliam. 287. frustra Gothum Theodoricum invitat ad societatem armorum. *ibid.* Trevirim, Tongros, Coloniam evertit, & ad hujus mœnia 11. mil. Virginum exercitum martyrio coronat. 288. & seq. Metas divinitus stratis muris exscindit. 293. captivos Metenses miraculo Episcopi remittit in Urbem. *ibid.* Romanorum munimenta ad Rhenum sternit. 294. Aureliam captam prohibetur perdere ab instante Aëtio & Confœderatis. 294. à Quibus fractus cruento prælio retruditur in Pannoniam. *ibid.* In Italia ad Appennium usque omnia obterens, à S. Leone repellitur. 295. Quingentis millibus pervastat Occidentale Imperium. 592.

S. Auctor Episc. Trev. Sedit in Trev. Cathedra Anno 237. 182. Ejus corpus Brunswicum transfertur. *ibid.* 281. Inde in Monasterium Padibornense. 182. Distinctio trium SS. Auctorū Episcoporum. 281. Auctor Metensis Ep. miraculo cives suos liberat è captivitate Attilæ. 193.

Augustus Cæsar Triumvir declaratur octavus Galliæ Præses. 126. Coloniam Ubiorum condit Anno 32. ante Christum. *ibid.* Actiaca ipsius victoria. *ibid.* Claudit templum Jani, & callidè Imperium acceptat. 127. Germaniam Cisrhenanam flumine Nava dividit in primam & secundam. 128. Galliam in quatuor Provincias. 127. Gallos jugi intolerantes pacis artibus emollit. 128. Movet in Germanos Lollianâ clade feroces. 129. Trevirim Coloniam Romanam facit. Et Tungros. *ibid.* Aras sibi cum Sacerdotibus & victimis ut Deo erigi permittit Bonnæ & alibi. 131. Caput foribus allidit ob cladem Varianam. 135.

S. Augustinus Convertitur à sæculi vanitate auditâ vocatione duorum aulicorum Gratiani apud Trevirenses. 264. Invectiva ipsius in Circensium insaniam ruente Imperio. 283.

Aureæ Vallis Monasterium Conditur Anno C. 1070. religiosis S. Benedicti ex Italia accitis. 546.

Aurelianus Imp. Triumphat de Germanis & Zenobia. 188. Nonus Christianorum persecutor, fulmine territus, necatur à servo. 189.

M. Aurelius Imp. Trevirenses & Agrippinenses consortes facit juris Romani. 172. Vectigalium tabulas in foro Romano cremat. 173. Christianorum sanguinem fundit & inter eos duorum Pontif. Rom. 173. flagitiosissimum filium Commodum successorem habet. *ibid.*

Auritus Imp. Francis in Gallia sedes permittit quas hodie obtinent. 296. Treviris lasciviâ diffluit, & obscæno sarcasmo proditioni ansam præbet. *ibid.* Ex Imperatore fit Episcopus metu Recimeris M. Equitum. *ibid.*

Ausonius Burdigalâ evocatus datur magister Gratiano & Valentiniano. 250. Describit versu triumphum Valentiniani Trevirensem. 251. Creatur Præfectus Galliarum, & deinde Consul Rom. 255. & seq. Putatur fuisse Christianus. 258. S. Paulinus Nolanus illum præceptorem & patrem compellat. *ibid.*

B

B*Arri* Ducatus Barrensis auctor vel restaurator Fridericus Mosellanorum Dux Anno C. 959. 465. Castri situs. *ibid.*

Batavica. Cohortes Batavicæ à Vitellio ex Italia domum remittuntur ob tumultum excitatum. 153. Claudius civilis Batavus Romanos tota Batavia ejicit. 154. Vetera & Xanctos in clivia oppugnat. *ibid.* Ad Novesium cædit. *ibid.* Jungit sibi Classicum Trevirorum. 155. Toto limite Rhenano Romanos ejiciunt. *ibid. & seq.* In & ad pontem Urbis Trevirensis vincunt, & vincuntur à Romanis. 158. Et in Bataviam suam rejiciuntur. Aucti Germanis exturbant Romanos. 159. Gennebon Bataviæ Rex Maximiniano Imp. reconciliatur, & incolas agro Trev. transmittit. 198. Franci Salii ab Isala dicti, & progressi ex Batavia ad Rhenum & Mosam à Juliano opprimuntur. 243. à Pippino Herstalio subjugantur,

& à S. Wilibrordo ad Christum convertuntur. 359. Radbodus Frisius Pipini filium Grimoaldum Leodii interficit. 362. Carolum Martellum prælio vincit. *ibid.* Baptismo illudit. 363. S. Gregorius Ultrajectensis adolescens S. Bonifacio laborum socius adhæret in Treviris. 365. Batavi à Normannis tribus præliis fracti vastantur. 407. Hollandiæ nomen à Normannis derivatur, antea Fladertinga dicta. 480. Romanum jugum Batavi excutiunt sub Honorio Imp. 588.

S. Basinus Episc. Trev. Ex Abbate S. Maximini sanctitate illustris. 357. S. Willibrordi fautor. 359.

Belgica. Belgæ unde dicti an à Rege Belgo, an à voce Bilgen quod est pugnare? 22. Origine sunt Germani Cæsare & Strabone teste. 21. Belgicæ antiquæ situs. 107. à Belgio Duce turpiter cæditur Ceraunus Macedonum Rex. 108. Vastati Belgæ à Cimbris & Teutonibus, iis sedes dant ad Scaldim, ubi nunc est Antuerpia. 110. Anno 55. ante Christum 270. millia illorum cæduntur à Cæsare. 115. Nervii ab eodem vincuntur. 116. ante Christum anno 47. rediguntur in Provinciam (sic dictam quasi provictam) coacti leges Roman. recipere. 124. Constantius Imp. novos incolas in Belgium adducit Francos & alios. 199. Saxones Belgium prædantes à Valentino I. delentur. 252. Franci ultra Rhenum rejiciuntur à Valentiniano II. 271. Belgæ sub Honorio Imp. à Romanis deficiunt, à Wandalis vastantur. 280. Clodio Pharam. filius Cameracum occupat, & mox ab Aëtio in nuptiis opprimitur. 284. Antuerpia & vicinia à Normannis ferro & flamma fœdantur. 407. Iterum Anno Christi 882. *p.* 432.

S. Benedicti Abbatis Veneranda ossa, & S. Scholasticæ sororis transferuntur in Galliam Trevirensem. 427.

Bern-castellum oppidum Mosellæ Funditus evertitur Anno C. 1017 à Poppone Archiepiscopo Trevirensi. 506.

S. Bonifacius à Sergio Pontif. mittitur ad Germanos Orientales, fovetur à Carolo Martello. 364. Palatioli prope Trevirim adjungit sibi S. Gregor. Ultraject. deinde Episcopum. 365. Trevirensis & Rhemensis Ecclesiarum administratio illi committitur pro Milone. *ibid.* Centum millia hominum auspiciis Caroli Martelli ad Christum adducit. 368. Ejecto Gervilio Moguntino Epis. substituitur. 369. Cedit improbitati paucorum Episcoporum. *ibid.* Pro Christi fide vitam gloriose ponit. 372. Indices ipsius de sepulchris Apostolorum. 532.

Bonna oppidum ad Rhenum. Castellum cum ponte Rheno imponitur à Druso. 134. Ara Ubiorum ibidem Augusto Cæsari erecta, cum victimis & Sacerdotibus. 131. Legiones illic rebellant Germanico. 137. Batavi ibidem cædunt Romanos & Trevirenses. 154. Thebæi milites Ducibus Cassio & Florentio ibidem pro Christo occumbunt. 195. à Juliano cum sex aliis Rheni oppidis recuperatur exturbatis Germanis. 244. In conventu Bonnensi Carolus Simplex Lotharingiæ regnum Henrico Imp. cedit. 449. à Normannis incineratur Anno Christi 882. *pag.* 432. Concilium Bonnense Anno Christi 942. *pag.* 455.

Brauwiler Monasterium prope Coloniam Clottenum pagum ad Mosellam sibi vendicat contra S. Annonem Episcopum Coloniensem. 588.

Britannica. J. Cæsaris in Britanniam navigatio à Trevirensibus aliquamdiu impeditur. 119. Vectigalem Britanniam Romanis facit Cæsar. *ibid.* Christi fide imbuitur incertum an à Marcello Trev. & Tung. Epis. 177. Lucius Rex Britanniæ cum populo Christi fidem complectitur. 178. Eandem Germanis tradit & sanguine suo confirmat. *ibid.* Britannia à Scotia dividitur muro 132 Milliarium jussu Severi Imp. 179. Constantius Imp. Eboraci moritur, nominato successore Constantino. 202. S. Helena an Britanna, an Græca, an Trevirensis? 219. & 576. Theodosius Theodosii pater res Rom. in Britannia erigit. 249. Britannia servatur ab erroribus Pelagii per Epis. Trev. S. Severum & S. Germanum Parisiensem. 285. & seq. Scoti & Hiberni Christum agnoscunt per Palladium Diaconum. 285. Britanni afflicti à Pictis hostibus, & Anglis sociis migrant in Britanniam Gallicanam. 291. Gaufridi fluxa fides historiæ Ursulinæ latè exploditur. *ibid.* Britannia à Maximo Tyranno juventute spoliata Pictis & Scotis fit præda. 292. S. Gregorius M. per S. Augustinum Anglo-Saxones ad Christum traducit. 335. & seq. S. Wilibrordus cum 12. sociis ex Anglia proficiscitur ad Batavos & Frisios Evangelio illustrandos. 358. Sub Honorio variis Tirannis Britannia subjicitur. 586.

Brunechildis Filia Visigothorum Regis Sigeberto Austrasiæ R. nubit. 326. Ex Arriana fit Catholica. *ibid.* Post mariti cædem Lugdunum captiva deportatur, & liberatur ab Austrasiis. 328. Mæroveo Nepoti incesto thoro copulatur. 329 ejus suasu Theodobertus R. Austrasiæ ex filio Nepos attendetur à fratre in Monachum, & cum filiis occiditur. 338. Sigebertum spurium Theodorici Nepotis regno admovet. 339. Post decem Reges sublatos equi caudæ alligata discerpitur. *ibid.*

Bruno Colon. Archiep. Ottonis I. Imp. frater Regnum Lotharingiæ administrat. 460. interest translationi miraculosæ S. Firmini Virdunensis Ep. 463. Lotharingos rebelles componit. 464. Ottonem II. ex fratre Nepotem Aquisgrani coronat. 466. Frustra tentat è Caprimonte prope Leodium ejicere Imonem Dynastam. 465. Rhemis exstinguitur & transfertur Coloniam ad S. Pantaleonis Templum ab ipso inchoatum. 470. Elogium illius *ibid.* Miraculum Clavi Dominici sanguine fluentis, dum dolo Brunonis educeretur Treviri. *ibid.* Baculum S. Petri cum Trev. dividit, Coloniensibus relicta superiori ejus parte. 482.

Burgundica. Burgundi trans Rhenum cum Allemannis pro salinis contendunt. 252. Valentiniano societate belli junguntur. *ibid.* Christum docentur à Trevirensibus & Moguntinis. *ibid.* Ab Honorio Imp. in Sequanis sedem accipiunt. 281. & 586. Baptismi beneficio de hostibus triumphant: sed victoria insolescentes contra Belgas delentur ab Aëtio. 286. & 590. & seq. à Clodoveo Franc. Rege vincuntur, 304. Sabaudiam & Genevam sibi subdunt. *ibid.* Sigismundus Burg. Rex à filiis Clodovæi acie vincitur, occiditur cum uxore & liberis. 308.

C

J. Cæsar Ariovistum cædit. 115. Treviros adit. *ibid.* Belgas domat. 115 Gallias subjugat 10. legionibus quæ conficiebant 63000, præter socios. 117. Germanorum quadringenta triginta millia ad Confluentes Mosæ & Rheni incauta obruit. 118. Trevirorum motus sola præsentia compescit. 119. Britannos unâ æstate Romanis adjungit. *ibid.* Menapios & Nervios vastat.

vastat. 122. Eburones ob deletam legionem domat. 123. Rhenum apud Confluentes transmittit, irrito in Germanos bello. *ibid.* Novennii spatio à Rheno usque ad Pyrænæos omnia Romanis subjicit fascibus. 124. Primus Galliæ Comatæ præses. 125. Bellum civile orditur evocatis è Gallia in Italiam Legionibus. *ibid.* Cæso Pompëio in illius Curia, & ante illius statuam interficitur anno ante Christum 41. *pag.* 126.

Caligula In Treviris natus Meinfeldiæ. 135. Tiberio in Imperio succedit. 141. Ejus crudelitas in Gallos. vecordia in castris. *ibid.* funestus interitus 29. ætatis anno. 142.

Cappellani Etymon à cappa S. Martini à tempore Clodovæi in castris servata cum aliis reliquiis Sanctorum. 447. Cappellani Regii munus olim quod nunc Cancellarii & Secretarii Regii &c. 542. Tales fuerunt S. Heribertus Coloniensis. Bruno Tullensis Episcopus, deinde Papa Leo IX. &c. *ibid.*

Carolus Magnus Imp. S. Arnulphi Metensis Episc. tritavi sui acta à Paulo Diacono collecta studiosè legit. 345 Patri Pipino succedit in regno. 378 More tum Regibus usitato Natalitia Domini à negotiis liber peragit. 379. Succedit fratri Carolomanno in regno Austrasiæ, exclusis Nepotibus. 380. Heristalii Trevirensi Episc. dat diploma confirmatorium donationis monasteriorum S. Maximini &c. *ibid.* Desiderium Longobardorum Regem Leodium exulatum mittit. 381. Vulgi opinione Ingelhemii natus est. 382. Vincit Saxones per annos triginta. 380. & 383. Et Forolivienses, & Saracenos in Hispania. *ibid.* Cantum Ecclesiasticum Romanum restituit per Germaniam & Galliam. *ibid.* & 385. Domat Ostphalos & Westphalos, Hunnos, Boios & Italos. 384. & *seq.* Usus est Germanico idiomate, quo ventis & mensibus nomina dedit. 387. Aquisgranum condit. Leonem III. Pont. restituit. *ibid.* & *seq.* Romæ coronatur Imperator. 389. Leges condit. 391. Tempestate cogitur venerari S. Goaris Basilicam. 392. Theonis villæ regna partitur in tres filios. *ibid.* Mobilia sua distribuit quatuor Austrasiæ Metropolitanis. 394. Ludovicum filium Aquisgrani coronat & instruit. *ibid.* Ejus encomium. *ibid.* Anno C. 1000. ab Ottone III. tumulo illius aperto, reperitur sedens, purpuratus, auream crucem gestans. 495.

Carolus Calvus Ludovici Imp. filius cum patre, matre captivus attinetur Compendii in Monast. 402. In partitione paterna Mosa in Occidentem versus regni ipsius limes. 408. Cum Lothario victo Fontanaensi prælio aliter regnum partitur. 409. à Fratre Ludovico regno pellitur, & mox à suis restituitur. 416. Lothario Nepoti in Italia defuncto subrogatur in regno Austrasiæ. 424. dividit cum Fratre Ludovico Austrasiam Mosa mediante. 425. Carolomannum filium malè attonsum excæcat. 426. Coronatur Romæ Imp. *ibid.* à fratris filio turpiter ad Andernacum cæditur, inhians ipsius regno. 429. Mox à familiari Judæo veneno tollitur. *ibid.*

Carolus Crassus Ludovici Germaniæ Regis tertio-genitus 428. Italiæ Regnum sortitur. 430 Mox Lotharingiæ fratre defuncto. 433. Normannos auro & fratris filia data submovet. *ibid.* Eosdem Franciæ Rex creatus obsidet. *ibid.* Godefridum Normannorum R. per insidias interficit. 434. Hugonem Waldradæ filium res novas molientem excæcat; & Prumiæ cucullo induit. *ibid.* Richardim Conjugem virginem ob Zelotypiam à se dimittit. 435. Ipse in ordinem redigitur substituto Arnulpho fratris filio. *ibid.* In Augiæ Monasterio moritur multis egens. *ibid.*

Carolomannus Calvi filius Cogitur esse monachus. 426. Dux prædonum excæcatur à Patre. *ibid.* à Patruo Ludovico donatur Monast. Epternacensi. *ibid.* Inde ejectis Monachis substituit Canonicos. *ibid.*

Carolus Martellus Aquisgrani carcere coërcetur à Plectrude noverca. 362. Elapsus ad Ripuarios cum Fr siis infeliciter pugnat. *ibid.* Feliciùs ad Cameracum cum Childerico Rege. *ibid.* Occupat Coloniam Agrippinam. *ibid.* S. Bonifacio favet in conversione Hassorum & Thuringorum. 364. Chilpericum Regem capit, & pro illo regit. 366. à S. Maximino miraculo sanatur, & de moribus mutandis in meliùs admonetur. *ibid.* Allemannos & deinde Saracenorum 375. millia acie cædit. 367. Luitbrandum Longob. R. deterret à Pontifice vexando. 368. Ipsius auspiciis S. Bonifacius 100 millia Christo adjungit. *ibidem.* Moritur & in Sancti Dionysii Parisiis sepelitur. *ibid.*

Carolomannus Martelli filius Diviso cum Pipino fratre regno Francorum, fit Rex Austrasiæ & Allemanniæ. 369. Putatur per Comites & Duces primus gubernasse. *ibid.* Moguntinum Concilium procurat pro Cleri reformatione. *ibid.* Junctus Pipino fratri Grifonem fratrem & Allemannos profligat. 370. Mox diademate posito S. Benedicti institutum assumit. *ibid.*

Carolus Simplex Lothar. Rex Victor Alsatiam volens coronæ suæ jungere, ipse suâ coronâ spoliatur. 449. Bonnæ Henrico Imp. Lothar. regnum restituit. *ibid.* Ideòque semel iterúmque in custodiam datus, moritur Peronæ in vinculis. *ibid.* & 451.

S. Castor Ex schola S. Maximini Trev. Episc. Apostolus Carduni ad Mosellam. 226. Ejus sacrum corpus Confluentiæ quotannis spectabile. *ibid.* Elogium illius ryhtmicum, & Archidiaconatus ab ipso nominatus. *ibid.* Corporis inventio & translatio. 384. Ornatur Collegio Canonicorum Confluentiæ. 407. à Poppone Archiep. locupletatur. 523.

S. Celsus quintus Trev. Episcopus Martyrio coronatur. 169. Ejus sacrum corpus Anno Chr. 979. reperitur suavem spirans odorem. 482. Digitus in igne illæsus. *ibid.* Solenniter & cum miraculis elevatur. *ibid.* & 498.

Childebertus Austrasiæ Rex Sigeberti filius cæso patre, Parisiis puer Metim furtim translatus coronatur. 328. Conjurat contra Guntramnum patruum à quo adoptatus fuerat. 329. In Longobardos movet irrito conatu. *ibid.* Confluentiæ degit in Castro. 330. Violat asylum Ecclesiæ Virdunensis nece Berthefredi conjurati. 332. Burgundiæ regnum illi accrescit morte Guntramni R. 335. S. Petri reliquias ex collo gestat. *ibid.* Moritur non sine suspicione veneni post infelix prælium contra Fredegundam. 336. Filii ipsius Reges Austrasiæ & Burgundiæ post mutuas clades fœdè pereunt cum filiis. 338.

Childericus I. Franciæ Rex Ejicitur à suis ob libidinem, & revocatur. 300. Ægidium Rom. acie vincit. *ibid.* Coloniam Agrippinam; Trevirim, & totam Galliam sibi subdit. 301.

Childericus Austrasiæ & Franciæ Rex S. Lamberti linguam organum veritatis, pectus Spiritûs S. domicilium appellat. 356. Favet parri-

cidis

cidis S. Theodardi Leodiensis Episcopi. *ibid.* à suis in venatione occiditur. *ibid.* Theodorico fratri in vivum humab ipso attonso locum in throno regio faciens. *ibid.*

Claudius Cæsar Reliquias Druidum immanis superstitionis in Gallia tollit. 148. Trecentos Romanos Equites & 35. Senatores minimis causis è medio tollit, ipse veneno interit. *ibid.*

Chori-Episcopi Nunc Suffraganei: Coëpiscopi nunc Archidiaconi. ex epistola Leonis Pontificis dicuntur Et Proepiscopi qui nunc Vicarii Generales. 298 *&* 597.

Clivensia. Trajanus Imperator Xanthos Coloniam ducit ab ipso Trajanam dictã. 163. S.Victoris & Sociorum 330. ibidem gloriosum pro Christo certamen. 195. An Clivis, an Augustoduni à Constantio Imp. constitutum sit Gallicæ juventutis Gymnasium. 201. Geldubæ in Clivia à Druso Castrũ & pons Rheno imponitur. 134. S.Martini templum Embricæ à S. Wilibrordo numerosis reliquiis SS. ditatur. 364. Vide Batavica & Coloniensia.

Clodovæus Francorum Rex Quo anno regnare cœperit. 302. Reliquias Romanorum in Gallia extinguit cæso Syagrio Ægidii filio. 303. Clotildem ducit. *ibid.* Ad Tulpiacum Victores Allemannos vincit voto facto. *ibid* Rhemis cum 3000. Francorum Baptismo tingitur. 3c, Burgundos, Gothos, & regulos Colonienses & Trevirenses ferro & dolo subjugat. 304. *& seq* Parisiis sedem regni collocat. 305. S. Petro aureum diadema cui nomen regnum, dono mittit. 306. Anno trigesimo regni humana moriens delerit. *ibid.* Epistolæ Theodorici Gothorum Regis, & S.Remigii ad Clodovæum. 599. *&* 601.

Clotharius I. Francorum Rex Clodovæi filius illustri miraculo servatur ab armis injustis fratris & nepotis 317. Utroque sine prolibus mortuo succedit in regno totius Franciæ. 321. Variè intestuosus S. Nicetium Trev. Episc. fulmen excommunicationis in se vibrantem exulare cogit. *ibid.*

Clotarius II. Francorum Rex lactens à Fredegunde matre in prælium illatus vincit, cæsis 30 millibus Austrasianorum. 337. Mutuis cladibus attritis Austrasiæ & Burgundiæ Regibus fit Monarcha. 339. Filios Theodorici tollit è medio. *ibid.* Trevirensem Ecclesiam auget opibus & dignitate. 340. Nascitur illi Dagobertus. *ibid.* Dagoberto contra Saxones pugnanti auxilio veniens omnes mares gladii longitudinem attingentes obtruncat. 342. Cum Dagoberto controversiam de finibus componit *ibid.* Defungitur vitâ beneficus in Ecclesiam Trevirensem. 344.

Coloniensia. Colonia Agrippina conditur ante Chr. anno 32. loco castrorum & pontis Jul. Cæsaris. 126. & 129. Ejus stupendus aquæductus supra Trevirim excurrens 82. *& seq.* Destinatur excidio à quatuor legionibus Germanico rebellibus, 137. Rebellium ibidem supplicii modus militaris. 138. Anno Chr. 51. ab Agrippina Claudii Imp. uxore augetur novis Colonis Romanis, quòd illic nata esset. 148. Vitellius illic salutatur Imperator. 152 Cives Agrippinenses oppressis per hospitia Germanis anxie sollicitant opem Vespasiani. 158. Posthumus ibidem sumit Imperium cæso Salonino. 186. Victorinus isthic Imperio & vitâ exuitur cum filio ob libidinem. 187. S. Gereonis & sociorum aureorum Martyrum certamen ad illius mœnia. 195 Constantinus ibi Rhenum ponte sternit, verso deinde in Templum S. Panthaleonis. 205. Divitense munimentum unde sic dictum. *ibid.* Sylvanus Tyrannus insurgit in Constantium Imp. sed Coloniæ in asylo Christianorum confoditur. 138. *& seq.* Anno Chr. 355. Colonia à Transrhenanis excinditur. 240. A Juliano Imp. recuperatur 241. S. Eliphii sub Juliano Martyris corpus Coloniam deportatur Tullo. 247. An Agrippinam? an Moguntiam excisam ob lasciviam & ebrietatem Salvianus defleat? 278. *&* 588. Ab Attila vastatur, & in illius conspectu 11000. Virginum martyrio coronantur. 288. Ægidius Romanus Coloniæ vincitur à Childerico, & ipsa fit Francorum. 300. *& seq.* Sigebertus Coloniæ Regulus in prœlio Tulpiacensi claudus à filio occiditur, dolo Clodovæi R. 305. Occiso parricidæ succedit Clodovæus. *ibid.* Colonia diripitur post celebre prœlium Tulpiacense inter Theodebertum & Theodoricum fratres Austrasiæ Reges. 388. Occupatur à Carolo Martello. 362. A Plectrude honoratur Virginum monasterio, quas inter S. Noitburgis neptis. *ibid.* In dedicatione Templi S. Petri dæmones ex illo exturbantur. 426. Colonia, Novesium, Bonna à Normannis incinerantur Anno Christi 882. 432. Vide *S. Maternus. Bruno. Heribertus.*

Maternus II. in Episcoporum Colon. catalogo omissus cognoscit de controversia Cæciliani & Donati Africanorum. 209. *Euphrates* Col. Ep. ad Sardicense Concilium proficiscitur, inde Antiochiam pro Athanasio ad Constantium. 231. *& seq.* Ejus pudicitiæ ibidem illuditur ab Arrianis. 232. Dubium an damnatus sit in Synodo Colon. de Arrianismo. *ibid. & seq.* **Raginfredus** Colon. Episc. mancipia Saracenorum emit à Carolo Martello in fide instruenda. 367. Vide ***Tolpiacum*, *Bonna*, *Novesium*, *S. Gereon*, *S. Ursula*, *Concilia*.**

S. Columbanus Hibernus Austrasios & Burgundos excolens à Brunechilde vexatur. 338. Prædicit Regum Austrasiæ fratrum & filiorum mutua prælia & exitium. *ibid. & seq.*

Commodus Imp. flagitiosissimus Gallias vexat. 173. Christianis pacem auro vendit. 174. Strangulatur à quodam athleta. 175.

Concilia. Arelatense An. Christi 314. in causa Donatistarum. 210.

Romanum An. Christi 313. in causa Cæciliani. 209.

Nicænum generale Anno Chr. 325. contra Arrium. 213.

Pseudo-Synodus Tyri An. 335. contra Athanasium. 225.

Sardicense An. C. 345. contra Arrianos. 231.

Pseudo-Synodus Philippopolitana contra Athanas. *ibid.*

Coloniense An. C. 348. de Euphrate. 232.

Pseudo-Synodus Sirmiensis circa annum Chr. 351. 237.

Et Mediolanensis Arrianorum An. 355. 238.

Ariminensis eorundem An. Chr. 359. 346.

Et Seleuciensis. *ibid.*

Burdigalense An. Chr. 385. contra Priscillianistas. 265.

Trevirense Anno 386. Ejusque lapsus contra eosdem. 267.

Aurelianense Anno 510. pro disciplina Ecclesiastica. 305.

Trullanum Anno C. 680. contra Monothelitas. 356.

Francofurtense Anno 794. contra Felicem Semiarrinum. 386.

Theonis-villanum An. 806. de immunitate cleri. 392.

Aquisgranense eodem anno de appendice symboli *Filióque*. 392.
Aquisgranense II. An. 816. de vita Canonicorū. 396.
Aquisgranense III. An. 818. eadem de causâ. 398.
Theonis-villanum An. C. 835. in causa Ludov. Imp. 406.
Trevirense in causa Ebbonis Episcopi Rhem. depositi. 412.
Moguntinum contra Godscalcum Monachum. 412.
Tullense in causa Guelinonis Senonens. Arch. 416.
Pseudo-Synodi Metensis & Aquisgranensis in causa Waldradæ. 418.
Lateranense in eadem causa exauthorans Archiep. Coloniensem & Trevirensem. 420.
Coloniense pro dedicatione templi S. Petri. 426.
Triburiense supra Moguntiam pro dignitate Eccl. *ibid.*
Confluentinum de gradibus cognationum 448.
Duisburgense An C. 927. contra Metenses excæcantes Bennonem Episcopum suum. 450.
Trevirense eodem anno pro disciplina Ecclesiæ. *ibid.*
Erfurtense Anno C. 932. commendat festa Apostolorum pervigilio & jejunio veneranda more antiquo. 451.
Bonnense An. C. 942. *pag.* 455.
Virdunense, Trevirense de schismate Rhemensi. 456.
Francofurtense de Episcopatu Bamberg. à S. Henrico fundato. 498.
Rhemense contra Simoniacos. 528.
Moguntinum contra eosdem & Episc. Spirensem divinitus punitum ob adulterium. 529.
Quedlinburgense contra schismaticos. 564.
Claromontanum pro bello sacro. 570.
Tullense contra incestuosos Francos authore S. Nicetio. 602.
Confluentia oppidum. Castellum tempore Juliani Imperatoris. 241. Ripuariam Provinciam terminat cum Andernaco, Meinsfel lo, Mosella, Rheno. 136. Childebertus Austrasiæ R. in ejus castro degit. 330 S. Magnericus Trev. Episc. à submersione illic eripitur reliquiis S. Martini *ibid.* S. Noitburgis corpus transfertur Coloniâ ad montem S. Beati prope Confluentiam. 362. *&* 507. Valendaria propè Confluentiam malè gloriatur de reliquiis SS. Marcellini & Petri, quæ V lencenis in Hannonia asservantur. 400. Confluentia augetur Collegio S. Castoris. 407. Ornatur conventu celeberrimo trium Regum. 417. Et Concilio An. 922. in quo de gradibus cognationum. 448. S. Florini Ecclesia locupletatur à S. Mechtilde Ottonis I. matre. 458 Confluentia à S. Henrico Imp. donatur Ecclesiæ Trevirensi, sicque oppidum cum ante curtis regia appellaretur. 507. Confluentinum & Gulsianum antiquitatis monumenta. 57. *& seq.*
S. Conon vel Conradus Trev. Episc. Post carcerem ter de monte in Uczig præcipitatur inhonoriè. 543 Conficitur gladio, miraculis claret. 544. Parricida sacrilegus in peregrinatione Solymitana mergitur cum sociis mari 545.
Constantius senior Imp. Ejus eximiæ dotes. 198. à Maximiniano Cæsar & gener adoptatur exclusa S. Helena. *ibid.* Gessoriacum portum in belgio improvisus occupat. 199. In Belgium ducit novos colonos ex trans-rhenanis. *ibid.* Ab Allemannis cæditur, ut fune in Lingonensem urbem attrahendus fuerit, eorum mox 60. millia sternit. 200. Britanniam decennio Romanis abstractam restituit cæso Carausio & Aëtio. *ibid.* Gymnasium literarium an Clivis, an Augustoduni juventuti galliæ instituerit? 201. Maximiniano in Christianos sæviente, illis in Gallia parcit. 202. Eidem imperium abdicanti succedit. *ibid.* Ejusdem in Gallos moderatio & liberalitas. 203. Eboraci in Britannia è vita migrat, Constantino filio nominato successore. *ibid.* à S. Helena ante mortem ad Christum conversus. 580. Stratagema ipsius ad cognoscendos domesticos Christo fidos. *ibid.*
Constantinus Imp. Ex Asia metu insidiarum Galerii fugit in Galliam. 203. In Britannia à Patre moribundo, & ab exercitu nominatur Imp. *ibid.* Treviris triumphat de duobus Francorum Regibus. *ibid.* Treviri domicilium figit, eamque ornat. 204. Maximinianum fugitivum ex Italia Treviris recipit, ejusque filiam Faustam ducit. *ibid.* Coloniæ Agrippinæ pontem Rheno imponit. 205. Castra Constantini Nivomagi 24. turribus cincta. *ibid.* *&* 573. Maximinianum Treviri vitæ ipsius insidiantem & Massiliam fugientem cogit ad laqueum. 206. Militum ardor ad persequendum Maximinianum. *ibid.* Redux Massiliâ iterum Treviri triumphat de cæsis Germanis & urbis natalem celebrat. *ibid.* Crucis cælestis visio plena meridie, & ipsius Christi nocte ipsi Treviri oblata. 208. *&* 573. Controversiam Cæciliani & Donati ad Ecclesiam remittit præclaro cum dicto. 209. Licinium persecutorem Christianorum bis acie vincit. 210 Crispum filium Trevirim mittit literis instituendum à Lactantio. 211. Rescripto Treviris prohibet Matronas ob debita extrahi domibus. *ibid.* Veteranos in Belgio tumultuantes compescit. 212. Cum S. Sylvestro in Arrium insurgit. 213. Crispum filium, & Faustam è medio tollit. *ibid.* Ideò leprâ percussus Baptismi lavacro sanatur. *ibid.* Gladiatoria spectacula abolet. *ibid.* Imperii sedem in Orientem transfert, Galliis filiis committens. 221. Constantinopolim condit absque ullo fano & idolo. 222. Idololatriam eliminat ipse in Oriente, filius Treviri & in Gallia. 225. Circenses & Theatrales ludos tollit. *ibid.* S. Athanasium odiis Arianorum subductum mittit Trevirim. 226. Catholicus, non Arianus vitâ fungitur. *ibid.*
Constantinus Junior idololatriam in Occidente Treviri residens exscindit. 225. S. Athanasium ibidem honorificè excipit. 226. *& seq.* Ejus epistola ad Alexandrinos de eodem. *ibid.* Ex testamento Patris sortitur Galliam, Hispaniam, Britanniam. *ibid.* Constantem fratrem bello petens Imperium & vitam perdit. 229. Ejus studium in propaganda Catholica religione; & res gestæ contra Allemannos & Britannos. 230.
Constantinus Tyrannus felix in Wandalos & Honorium Imper. metu consultore fit Sacerdos. 587.
Constans Imp. Constantino Patri succedit in Imperio Italiæ, Africæ & Illyrici. 227. Et Constantino fratri invasori in Gallia, Hispania, Britannia, illo cæso. 229. Ardor illius contra Arianos in Concilio Sardicensi. 230. *& seq.* Et pro reducendo S. Athanasio & Paulo Constantinop. Ep. 232. Occiditur in venatione à Magnentio, luctuoso interitu Ecclesiæ.

Constantius Junior Imp. testamento Patris Orientale adit Imperium. 227. Arianis se corrumpendum præbet, & Athanasium pellit. 231. Conciliat sibi Germanos muneribus contra Magnentium. 237. Eundem cruento prælio cæsum cogit ad mortem sibi ipsi inferendam, ejusque fratrem Decentium. 238 Ab Ursacio & Valente improbis Episcopis adolescentulis efferatus S. Paulinum Trev. Episcopum & alios in exilium projicit. *ibid. & seq.* Sarmatas & Quados victos transfert in Trevirorum ditionem Hunsruck dictam: 244. Ariminensis Synodi Patres omnes, 20. exceptis, dolo & minis in errorem trahit. 245. S. Hilario exuli reditum ad suos permittit. *ibid.* Movens in rebellem Julianum febri exstinguitur. 246.

Conradus Lotharingiæ Rector pro Ottone I. Imp. Berengarium Italiæ Regem debellat & capit. 460. Conjurat in Ottonem accitis in Lotharingiam Ungaris. *ibid.* Ad Lycum flumen in prælio ab Ungaris redit ad Ottonem & fortiter pugnans & pœnitens ex voto cadit. 461.

Coronæ Imperatorum & Regum Franciæ diversæ. 613.

Contzium arx & pagus Ad Confluentes Saræ & Mosellæ, à Concha nomen ducit, nobili ponte ornatus & arte munitus. 37.

Crispus Constant. filius. Lactantio Treviri instruendus traditur. 211. Lactantii mores, ingenium, voluntaria paupertas. *ibid.* Crispus nominatur Cæsar & Allemannos domat. *ibid.* Galliæ regendæ præficitur. 212. Faustæ novercæ impuro odio occumbit. 213. à pœnitente patre aureâ statuâ honoratur. 214.

Crochus Wandalorum Rex impiæ matris consilio ad nominis immortalitatem consequendam exscindit Moguntiam, Metas &c. 279. à Trevirensibus repellitur. *ibid.* Captus ad Arelaten, per urbes Galliæ per ludibrium ductus, inter cruciatus perit. *ibid.*

Crux Cœlitus oblata Constantino conversionis initium. 128. Vide Jesus Christus. Crux in curru prælatâ magnâ strage Schismaticos Henrici IV. ad Herbipolim sternit. 556.

S. Cunibertus Colon. Episc. Dagoberti Monarchæ moderator sanctus. 616. Ex aula Dagoberti seminario SS. Episcoporum prodit. 343. ab eodem regni negotiis præficitur. 344. Subscribit diplomati Dagoberti quo S. Petro Trevirensi subdit Ecclesias quæ intra Rhenum sunt & Ligerim. 351. à Sigeberto II. Dagoberti filio Legatus mittitur ad fratrem pro paterna gaza dividenda. 355. Ipso amoto Dagobertus in omne scelus se præcipitat. 616.

S. Cunigundis Vide S. Henricus Imp.

D

Dagobertus I. Rex Franciæ Clotharii Regis filius S. Arnulphum moderatorem pueritiæ habet. 341. à Patre Clothario Rex Austrasiæ appellatur. 342. Aula ipsius SS. Episcoporum seminarium est. 343. Treviris residens Rodoaldum in aula potentem è medio tollit. *ibid.* Pugnat in Saxones, & cum Patre controversiam de limitibus componit. *ibid.* Defuncto patri succedit in Monarchia Franciæ. 344. Abjectæ uxori superinducit aliam, & hanc sanctimonialem. *ibid.* S. Cuniberto & Pipino regni curam permittit. *ibid.* Ex sordibus libidinis, in sordes avaritiæ devolvitur inhians thesauris Ecclesiæ. 348. Rogatu Heraclii Orientis Imp. Judæos è Francia ejicit. *ibid.* Duas filias Deo dedicat, erectis Horreensi & Palatiolensi Monasteriis. 350. & 606. & seq. Mores in meliùs mutat. *ibid. & 612.* Illius diploma quo S. Petro Trev. subjicit omnes Basilicas quæ sunt Rhenum inter & Ligerim. 351. & 353. Testamentũ illius quo hebdomadatim ter per omnes Ecclesias ad aram se Episcopis commendat. 352. Mors & dotes. *ibid.* Diploma illius pro Horreensi Monasterio. 607. Primus usurpat velut Monarcha Franciæ coronam supernè decussatam. 613. Ejus libido, crudelitas, &c. *ibid.* Cur S. Dionysio præ aliis Cælitibus devotus fuerit duplex causa. 614. & seq. Defenditur contra Valesium novitium historicum. 615. Anima ipsius post mortem à dæmonibus liberari visa per Sanctos Patronos. *ibid.*

Dagobertus II. Rex Austrasiæ. Sigeberti filius regno ejicitur in Scotiam. 355. & 616. Grimoaldus exturbator ipsius carcere & cruciatibus Parisiis pœnas dedit. *ibid.* Revocatur ad regnum. 619. Stabuletum fundat. 620.

Dagobertus III. Rex Austrasiæ Childeberti filius, a Browero II. dictus. 361. Sub quo Pipinus S. Willibrordum donis honorat. *ibid.*

Decius Imp. Septimam in Christianos & gravissimam persecutionem movet. 183. Quam merita esse putantur Christianorum peccata ex securitate nata. *ibid.* Quæ enumerantur à S. Cypriano. *ibid. & seq.* Christianorum fœdi lapsus, aliorum fortia certamina. *ibid. & seq.* Etiam in Gallia, an etiam S. Dionysii ut vult Gregor. Turon. 184. In Mæsia infæliciter pugnans palude haustus sepulturâ caret. *ibid.* Ejus successores in furore erga Christianos peste universali castigantur. *ibid.* Decii persecutio confunditur cum octava Valeriani, eò quod hic sub Decio censor illam inchoârit; postea Imp. continuârit. 185.

Domitianus Imp. Infeliciter movet in Cattos Treviris vicinos, & tamen de illis stolidè triumphat. 161. Secundam in Christianos etiam in Gallia movet persecutionem. 162.

Drusus Augusti privignus, Tiberii frater, Claudii Cæsaris pater Germanos & Frisios ad Albim usque domat. 130. & seq. Spectro fœminæ prohibetur Albim transmittere. *ibid.* In reditu exstinguitur. *ibid.* Variis monumentis & aris colitur, præcipuè Moguntiæ. 132. Quinquaginta & plura castella cis & trans Rhenum exstruxit, inter alia Bonnam, 134. Tiberius funus ipsius Romam pedes deducit. 132. An veneno Augusti perierit? *ibid.*

Duisburgi Anno Christi 927. in Synodo inquiritur in Metenses, qui Bennonem Episcopum suum excæcarunt. 450. Olim Arenacum & Drusoburburgum nunc Duisburgum dicitur. 139.

Druidæ sic dicti à δρῦς græco quod significat quercum Gallorum Veterum & Trevirensium sacrificuli, magistri, vates. 28. Eorum disciplina, & dogmata pythagorica. *ibid.* Humanas victimas Theutati seu Mercurio, & Heso seu Marti immolabant. *ibid.* Quercus & viscum quernum colebant victimis. *ibid.* Ritus Visci colligendi & usus pro fœcunditate & contra venenum. 29. Vastis vimineis simulacris includebant nocentes homines & innocentes, ac vivos cremabant 32. Græcæ linguæ periti. Jurisprudentiam & suam Theologiam profitebantur. 103. & seq. Docebant sine literis solà memoria adjutrice, spatio 20. annorum. 104. Augustodum 40. millia discipulorum numerabant. *ibid.* Reliquiæ immanis illorum superstitionis à

Claudio

Claudio Imp. ex Gallia eliminantur. 148. Quod Tiberius cœperat. 141.

Deodatense Monasterium & oppidum ad Vogesum montem dictum à S. Deodato Episcopo Nivernensi An. C. 768. 376. *& seq.* Conditur ab Hildulpho Episcopatum Trev. abdicante. *ibid.*

E.

EBerhardus Episc. Trev. à Conrado Lutzelburgensi spoliatur & captivus trahitur. 536. Pœnitenti injungit peregrinationem Hierosolymitanam. 537. In qua hic defunctus uxori mandat Monasterii S. Petri in valle Lutzelburgensi fabricam absolvere. *ibid.* Ipse Eberhardus corpus S. Mathiæ Apostoli reperit à S. Helena olim Trevirim missum cum S. Agritio. 31. *& seq.* Treviri Judæos ejiciens ab iis in effigie cereâ baptizata occiditur sacris operans. 539.

Ebroinus Major domûs Theodorici Regis cum ipso attondetur in Monachum. 356. & 617. Cucullo abjecto armis locum priorem occupat, & tyrannicè exercet. 357. & 316. Prœlio victor occiditur per insidias. *ibid.*

S. Ediltrudis Britanna virgo & uxor Egfridi Northumbrorum Regis. 478. In Trevitis eremum incolit defuncto marito. *ibid.* Fons cellulæ ipsius hodiedum salutaris. *ibid.*

Egbertus 71. *Trev. Ep.* ejus laudabilis adolescentia in monastica vita. 480. Ipsius munificentia in Trevirorum templa vastata & squalida. 481. S. Euchario Basilicam fundans reperit corpus S. Celsi quinti Trev. Ep. *ibid.* Dotat etiam S. Paulini Ecclesiam, & ejus invasores anathemate & armis coërcet. 484. Author est processionum amburbalium & aliarum ab anno Chr. 983. usitatarum. 486. Studiosè perquirit reliquias SS. 488. In Monasteria reducit literas & disciplinam. 490. Hirundinibus imprecatur, unde illæ Trevirensem Basilicam impunè non subeunt. *ibid.* Vitam inculpatam finit morte; ejus forma, mores, authoritas. 492.

Egelbertus ab Henrico IV. schismatico Trevirensibus Episcopus obtruditur. 558. Cum eodem Gregorium VII. oppugnat. 564. Moguntiæ à Schismaticis consecratur. *ibid.* Uratislaum I. Bohemiæ Regem inungit 565. Trevirenses ipsum aversantes vexat. 564. Oratorium Trevirens. Martyribus construit 567. Pro Marchionatu Arlunensi contra Henricum Limburgensem anathemate & armis pugnans vincit. 568. Mira vis excômunicationis etiam à schismatico Episc. latæ in cane probata. *ibid.* A tribus Suffraganeis Episcopis spernitur. 569. Judæos à Trevirensibus in desperationem actos ad Baptismum inducit, mox relapsos. 571. Neptem suam Horreensi Monast. præficit discolam, de qua mira Deiparæ visio. 572.

S. Eleutherus Papa. Ejus epistola ad Ecclesias Galliæ de accusatoribus Clericorum & Xerophagiis Montani habetur in membranis Trevirorum. 174.

S. Eligius aurifaber Dagoberti Regis S. Martini sepulchrum auro exornat. 614. Ecclesiæ Turonensi privilegia impetrat. *ibid.*

Epternacense Monasterium Antethanna olim dictus locus ubi S. Martinus ab Angelo reprehensus est ob communionem cum Ithacio. 270. A S. Willibrordo An. Chr. 697. Monasterio ornatur auspiciis S. Irminæ. 359. Carolus Martellus illi donat Bollendorfium. 364. Moritur istic & sepelitur S. Willibrordus. 367. Appellatur Casa Dei. 368. A Ludovico Juniore Lotharingiæ Rege datur Carolomanno à patre Carolo Calvo excæcato. 426. Qui istic moritur & inhumatur. *ibid.* Ab hoc ejecti Monachi & inducti sunt Canonici centum illic annis hæsuri. *ibid.* Radbodo Arch. Trev. recipit fundos abstractos. 447. Ejus facies renovatur An. Chr. 975. exturbatis galeatis Canonicis. 477. Epitaphium Abbatis Ravangeri. 478. Ab Ottone III. Imp. accipit jus cudendæ monetæ. *ibid.* Casu in cineres abit & restauratur An. Chr. 1018. 507. A Pipino Rege Francorum eximitur à vectigalibus toto Regno. 371. Henricus Comes Palatinus per rabiem occisâ uxore, post Coloniam obsessam Epternaci in custodia miserè vitam finit. 537.

Erfurtum fit sedes Episcopalis An. C. 741. à S. Bonifacio & Carolomanno Austrasiæ Rege. 369. Ornatur reliquiis S. Severi Ravennatis Episcopi. 400. Et Concilio An. C. 932. quo pervigilio & jejunio Apostolorum festa antiquo more colenda decernuntur. 451. Thuringiæ Regum & Regni excidium à Francis. 309. Solâ S. Rhadegunde superstite captivâ Clothario Regi, tum Christo desponsâ. *ibid.*

S. Eucharius I. Trevir. Episc. unus è 72. Christi Discipulis à S. Petro Trevirim legatur. 143. Trevirim appellit anno C. 50. priùs Rheni accolis Evangelio lustratis. 145. In foro Trevirensi Christum prædicans lapidatores suos Sacrificulos obrigescentes sanat. 146. Albanæ viduæ filium vitæ reddit. *ibid.* Primas Galliæ Episcoporum constituitur. 147. *& seq.* Primatus ille probatur monumento Trevirensis urbis portæ inserto. 160. Senator Trevirensis cælesti viso monitus baptizatur, cum tanto civium numero, ut in Olivio rivo tingendi fuerint. *ibid.* Angeli voce & luce cælesti ad gaudia cæli evocatur. 160. Ejus Oratorio S. Cyrillus Episc. Trev. Monasterium adjungit, illatis corporibus S. Eucharii & sociorum. 297. Basilicam S. Eucharii erigit An. Ch. 979. & dotat Egbertus Arch. Trev. 481.

Excommunicatio. Ejus vim Henricus Lymburgensis Dux ridens, docetur timere à cane. 568.

F.

S. FIrmini Episc. Virdun. Translatio 13. miraculis illustris. 463. *& seq.* Inter quæ castigationes bajuli impudici clerici, avari, & derisoris. *ibid.*

S. Florinus apud Confluentes celebris. 504. Ejus ortus apud Helvetios. *ibid.* Res gestæ inter quæ aqua in vinum versa. & alia miracula. *ibid. & seq.* Ejus Ecclesia Confluentiæ à S. Henrico Imp. locupletatur. *ibid.*

Formatæ juxta Concilium Nicænum exemplar, datum à Radbodo Trev. Arch. 444. Ejus duplex genus, aliud dimissorium, aliud commendatitium. *ibid.*

Fredegundis Franciæ Reg. Clotharium II. lactentem in aciem defert, & de 30. Austrasianorû millibus triumphat. 337. Sigebertum Austrasiæ Reg. immissis sicariis Tornaci interficit. 328. Austrasiâ vastâs côsceleratę vitę dignâ morte perit. 337.

Frideberga Gunzonis Allemannorum Ducis filia, Sigeberti Austrasiæ Regis sponsa Christo se vovet, & Metis ad asylum altaris fugit. 339. exemplo Ambrosianæ puellæ. *ibid.* priùs per S. Gallum à Dæmone liberata. *ibid.*

Franci Salii à Francis Germanis distincti progrediuntur ex Batavia & Rheni divortio, & Rhenum Mosamque occupant. 243. à Juliano Imp. in Taxandria opprimuntur. *ibid.* Sub Maximo Tyranno in Hannoniam procurrentes cæduntur. 171. Vicissim Romanos persequentes delent. *ibid.* Trevirim secundò incendunt prodromus lasciviâ, avaritiâ, ebrietate civium. 278. & 280. Childerico Rege utramque Belgicam invadentes ab Avito in Gallia sedes capiunt, quas hodie tenent. 296. Treviris illis proditur à Lucio Senatore ob Aviti adulteri obscænum sarcasmum. *ibid.* Francorum prosopographia, arma, felicitas. 306. Clodovæo I vitâ functo regnum suum partiuntur in Austrasiam & Neustriam. 306. Negligentiùs agentes sub Dagoberto à Sclavis & Wendis in Thuringia turpiter fugantur. 349. Decipiuntur à Saxonibus quibus tributum annuum 50. boum remiserant. *ibid.* Post Dagobertum & Sigebertum Reges luxui & saginæ dediti Regnum & seipsos præcipitant. 356. Ultimorum Regum Mærovex familiæ socordia. 371.

Vide *Clodoveus*, *Clodio*, *Clotharius*, &c. *Francorum Reges* supra.

Francofurtum Concilio An. C. 794. honoratur contra Felicem Hispanum semiarrianum. 386. Et à Ludovico Pio Comitiis, & amplificatur. 339.

S. Fridericus Ultr. Episc. Commentarius illius de rebellione filiorum Ludov. Pii contra patrem, ejusque causis. 402. Carpit Ludovicum Imp. ob damnatum Ebbonem Arch. Rhemensem. 406. Ejusdem vaticinium de irruptione Nortmannorum. 407.

Fuldense Monasterium An. C. 741. inchoatur à S. Bonifacio auxilio Carolomanni. 369. Sub Rabbano seminarium disciplinarum est à Gallis frequentatum. 411. Conradus Imp. illic sepelitur. 447. Ecclesia instaurata consecratur à Legato Pontificio coram Ottone I. Imp. 458.

G.

Galba Imp. malè tractat Treviros quòd Neroni contra se faverint. 151. Mox ab Ottone interficitur. *ibid.*

Galenus impiè negat animorum immortalitatem, & Christianorum dogmatum apodixim. 174. Ejus tamen ævo assidua Christianorum miracula, & multi à mortuis Christiani revixerunt. *ibid. ex S. Irenæo.*

Gallicana. Galli veteres post Romanos in historiis ante Christum nominatissimi ob bella cum Græcis, Italis, &c. 80. Ante Annibalem quinquies Alpes superârunt conditis in Italia Mediolano & aliis urbibus. *ibid.* Bellica illorum gloria ex Justino. *ibid.* Partem Bithyniæ in Asia insident, ab ipsis Galatia dictam. *ibid.* & 107. & *seq.* Asiam inter se partiuntur annis ante Christum 200. 108. Infeliciter pugnant contra Capitolium ab ansere proditi, & cum Delphico oraculo spoliato. 80. A 6000. Judæorum cæduntur illorum centum viginti millia. *ibid.* Aurum ipsorum Tolosanum. *ibid.*

Ante Christum anno 119. Narbonensis Gallia facta est Romanorum Provincia. 110. A Cimbris & Teutonibus vexata liberatur à C. Mario, cæsis horum ducentis millibus ante Christum anno centesimo. 111. Armatum Gallorum Concilium in Treviris habetur, ad quod omnes puberes cogebantur, ita ut ultimò accedens dirissimè cruciatus necaretur. 121 Gallia à Pyrenæis ad Rhenum novennii spatio à Cæsare domita fuit. 124. Annuum tributum Romanis pendit decies centena millia aureorum. *ibid.* Dividitur in duas Provincias Romanorum Narbonensem Galliam, & Comatam. *ibid.* Primi præsides Comatæ Caius Cæsar, Trebonius, Ahenobardus, Brutus, &c. 125. & *seq.* Galliæ Proceres adleguntur in Senatum Romanum. 142. Christiani sub Aurelio in Gallia Martyrio coronati. 175. A Severo Imp. nobilitas Gallica utriusque sexûs crudeliter interficitur quòd favisset Clodio Albino. 175. Concilium Gallicanum de Paschatis die præside S. Irenæo. *ibid.* & *seq.* Lugdunum Galliæ sub Severo sanguine Christiano & S. Irenæi totum madet. 178. Galliæ Martyres sub Maximiniano. 202. Rictii Vari infelix interitus spectantis supplicia SS. Crispini & Crispiniani. *ibid.* Galliæ misera facies in Ecclesiasticis & Politicis sub Constantio Arriano. 240. maximè sub Saturnino Arelatensi factioso Arriano Episcopo. 243. Sub Juliano Ecclesia ab Arrianis liberantur agente S. Hilario. 248.

Galliarum sub Maximo Tyranno direptio. 265. Limite Rheni à Stilicone legionibus nudato Wandali Gallias, Hispaniam & Africam inundant. 277. Sub Honorio Galliæ milite Romano nudatæ deficiunt ab Romanis. 279. Gothi in Narbonensi sedes accipiunt ab Honorio Imp. 281. In Aquitania à Valentiniano III. 284. Post Barbarorum inundationem sanctissimi Episcopi Gallias ad Dei cultum formant. 285.

Vide *Normanni*, *Franci*, *Wandali*, *Clodoveus*, *Druidas de Gallorum Religione.*

S. Germanus Antisiodorens. Episcopus cum S. Severo Trev. Episc. Britanniam à peste Pelagii liberant semel, iterumque. 285. & 287. Alanorum Regem in excidium Britanniæ minoris ruentem, manu in frænum injectâ avertit retrò. *ibid.*

Germanica. Multiplex etymon nominis Germanorum. 15. Germani, Celtæ, Galli, Galatæ nomina communia populis ultra & citra Rhenum colentibus. 14. & 16. & *seq.* Germani veteres legitimas proles à spuriis discernebant si clypeo impositi Rheno innatarent. 16. Germani & Tongri idem populus Tacito. 19. & 20. Celtarum nomine antea communi relicto Gallis interioribus, Germanicum assumunt Rheni accolæ. 80. Ex quo tempore Treviri Germanis adhæserunt. *ibidem.* Juncti Cimbris anno ante Christi 111. ad Scaldim sedem figunt, ubi nunc est Antuerpia. 110. Quinque Romanorum Consulares exercitus delent, clade unâ 80. millium Romanorum. *ibid.* à Mario vicissim cæduntur 200. ipsorum millia. 111. Alii 150. millia anno ante Christum 99. *ibid.* Arriovistus Germanorum Rex Gallos subigit, & à Cæsare amicus salutatus cæditur anno ante Chr. 59. p. 112 & *seq.* Quadringenta triginta illorum millia cæduntur à Cæsare ad Confluentes Mosæ & Rheni. 118.

Cisrhenani Germani ab Augusto dividuntur in Superiores & Inferiores Navâ flumine prope Bingium. 128. Turpiter cædunt Lollium Galliæ Romanorum Præsidem. 129. Mox pacem ab Augusto adventante redimunt. *ibid.* à Tiberio 90. millia transrhenanorum ducuntur in Burgundiam nunc dictam anno 6. ante Christum. 132. Pacem universalem anno Christi nati tertio, primi turbant. 134. Anno Chr. decimo Quintilium Varum cædunt. 135. Octo legiones Romanorũ ad Rhenũ tumultuãtes ægrè à Germanico cõpescuntur. 136 Deinde utcunque cladem Varianam reparant. 138

Christiana fides in Transrhenanam Germaniam propagata à Trevirensibus in persecutione Aureliana. 170. Sub Commodo Imperatore frustra jugum Romanum excutere tentant. 173. Tandem sub Valeriano limitem Rheni effringunt, & per vastatas Gallias penetrant in Hispaniam. 185. & seq. Ab Aureliano victi; hoc à servo cæso, 60. urbes Romanis ad Rhenum extorquent. 189. Sub Constantio juniore 40. urbes capiunt, & utramque Belgicâ infestantes reprimuntur à Juliano. 240. Regnû Italiæ ad Germanos devolvitur an. Chr. 952 sub Ottone I. 460. Et Imperium à Francis authore Joanne Pont. An. Chr. 963. 466. Germania schismatica sub Henrico IV. miris modis divinitùs castigatur. 569. In eo tamen schismate 20. amplissimis Monasteriis ornatur, quibus se Duces & Marchiones incluserunt. ibid.

Paradigma linguæ Germanicæ ævo Ludovici Pii. 26. Lingua Francica seu Romana & Teutonica distinctæ sunt circa annum Chr. 861. 417. Germani historias & res gestas præclarorum virorum defectu literarum, cantu quem Liedum vocabant, propagabant. 28.

S. Gereon Coloniæ pro Christo cadit cum sociis dictis aureis Martyribus. 195. Maximinus Abbas S. Gereonis Coloniæ, periclitatur naufragio ob spretum S. Goarum. 397.

S. Glodesinda Metensis virgo nuptias fugiens ab Angelo velum accipit. 349. Treviri Monasticam discit, & Metis exstruit parthenonem 100. virginibus. ibid. Corpus mirabiliter elevatur & transfertur. 410. Metensem urbem servat à Nortmannis. 433.

S. Goarus Gente Aquitanus Trichoriam Trevirensium regionem virtutibus ornat. 308. Calumniatoribus benefacit. 324. Evocatur Trevirim ad causam dicendam. 325. Infantem triduanum jubet nominare Patrem suum. ibid. Febris septennis beneficio liberatur ab Episcopatu Trev. oblato. 326. Mortuus conditur in templo ab ipso ædificato. 327. Miracula & concursus ad locum quem incoluit. 328, Cella S. Goaris ob incolarum inhospitalitatem traditur Abbati Prumiensi. 374. & seq. Nova Ecclesia cum miraculo ornatur. 376. Inventio corporis ipsius & varia miracula. 379. Contemptores puniti. ibid. Inter eos Carolus M. 392. Ejusque quæstor. 395. & 397. & 398. Sanat Ludovicum Imp. 407. Duo illustria miracula ad tumulum ipsius. 411. Lutheri rabies memoriam ipsius abolet apud ingratos cives. ibid. Brachium Confluentiæ honoratur in S. Castoris. 412.

Godefridi Lotharingiæ Duces. Unius insignis pænitentia flagellationis publicæ &c. Aquisgrani. 527. Godefridus Gibber schismatis Henrici IV. complex à coquo interimitur dum alvum levat. 556. Ejus ex filia Nepos Godefridus Bullionius cum Henrico IV. schismatico Romam oppugnat. 563. Solymam expugnat & Rex salutatur. 572.

Gothi à Valente impetrant sedes in Thracia, & mox inde Romanos ejiciunt cæsis legionibus. 255. Ipsum Valentem clade Cannensi simili cæsum, in fuga cremant. 256. Arcadio Imp. Græciam, inde Italiam inundant. 276. & seq. Cæduntur, & fraude Stiliconis revalescétibus Rhenanæ legiones Rheni limite nudato, opponuntur. 277. Romã capiunt & triduo diripiunt. 281. Relictâ ex fœdere Italiâ migrant sub Ataulpho Rege in Narbonensem Provinciam. ibid. Inde in Hispaniam rejiciuntur à Constantino Honorii Duce. 283. Hinc ex fœdere permittuntur migrare in Aquitaniam. ibid. ab obsidione Arelatensi pelluntur per Aëtiũ. 284. Theodoricus Gothorum Rex cilicio & precibus Deum sibi placans Littorium Rom. Ducem ab aruspicibus delusum profligat. 286. Ab Attila ad armorum societatem frustra invitatur. 287. Contra Attilam pugnans equo excussus à suis obteritur. 294. Morum Gothicorum insignis effigies. 298. Gothi Arriani ex Hispania in Galliam irrumpétes in Catholicos sæviunt ferro & exiliis. 302.

Gratianus Imp. Cum Patre Valentiniano Treviris triumphat de Allemannis. 250. Ausonio instruendus traditur. ibid. Ejus in literas amor. 255. Salaria magistrorum auget. ibid. Allemannorum in Gallia 30. millia effusa profligat. 256. In Pannoniam movet, cæsoque à Gothis Valente Imperatore, Theodosium substituit. ibid. Ausonium magistrum suum Consulem Romanum creat; & Trevirim revolat. ibid. & seq. Gothos ex Pannonia ejicit magnâ clade attritos. 256. Priscillianum Gnosticum hæreticum priùs damnatum restituit Ecclesiis Hispanicis corrumpendis. 259. Navicularios Trevirenses equestri dignitate donat. ibid. Circenses Ludos Treviris exhibet. Quales illi? ibid. Treviri fugiens, nullibi receptus, à Maximino Tyranno Lugduni occiditur. 261. Elogium illi à S. Ambrosio & S. Augustino scriptum. ibid.

S. Gregorius Magnus Pont. Galliarum & Austrasiæ vitia castigat 335. Pallium submittit Atrebatensi Episc. suo in Galliis Vicario. ibid. Patrimonium S. Petri in Gallia Childeberto Regi commendat. ibid. Anglos ad Christum adducit. ibid. & seq. Thiedgaudum Episcopum Trevirensem excommunicatum per visum exturbat ex Monast. S. Andreæ Romæ ab se fundato. 433.

Guelphica Familia Principum & Cæsarum genitrix nomen sortitur à catulis canum, quorum instar 12. infantes uno partu fusi, mergendi erant jussu matris. 95. Ideoque nolulatos catellos in insignibus præferunt. ibid.

Guntramnus Boso Dux belli Regis Guntranni Theodorum Massiliensem Episcopum captivum rapit Treviros & Confluentes. 330. Virduni tragicum è vita exitum habet. 331. & seq. Antea Metis sepulchrum effractum spoliaverat. ibid.

H.

Hadrianus Imp. Quartæ persecutionis infamiâ notatur. 165. Provincias Romani Imp. præsens inspicit, & ornat; etiam Treviros. ibid. Caussarios id est justâ causâ inopes sublevat, ibid. Gallias trans-alpinas in 12. Provincias dividit. Belgium in duas, quarum unius Rhenanæ caput Treviris. ibid. Locum Christi nati & crucifixi profanat idolis. ibid. Judæorum 500. millia rebellantium ob prohibitam circumcisionem cædit. ibid. Extremis vitæ annis Christianis benignior, ipsum Christum templis & aris erectis colit. 169. Intercutis tabe exstinguitur. ibid.

Hamburgum emporium Anno Christi 832. ornatur cathedrâ Metropoliticâ, primus illius Archiepiscopus S. Ansgarius consecratur ab Hetti Trevirorum. 404. Benedictus Pontifex exulat Hamburgi, ejus injuriam vindicante Deo clade exercitus Germanici Ottonis I. 468

Hammerstein, arx ad Rhenum Expugnatur à S. Henrico Imp. 510.

S. Helena Salvificam Christi Crucem reperit. 214. & 166. Sacris Palestinæ reliquiis Romam &

Trevirim ornat. *ibid. & seq.* S. Agritium Antiochiâ per S. Silvestrum evocatum Trevirensem Episcopum & Galliæ Patriarcham nominandum proponit. 215 *& seq. & 576. & seq.* Domum suam vertit in Basilicam S. Petro dedicatam. 220. *& 577.* Ejus structura vetus & hodierna. *ibid.* Aliud Templum S. Cruci Treviri locat. *ibid.* Et in Sinzich ad Rhenum. 573. Ejus opulentia & obitus Romæ anno ætatis octuagesimo. *ibid.* Caput Trevirim defertur furtivè, corpus Rhemos. 221. & 412. Non sine miraculis in via. *ibid.* In pago Uhren illi Ecclesia dedicatur. 553. In quo nata putatur. 578. An Constantii Imp. uxor, an concubina? an Judæa priùs quàm Christiana? 579. An natione Græca, Trevirensis, an Britanna fuerit? 219. *& seq. & 576. & seq.*

Hermenfredus Thuringiæ Rex fratrê unum dolo, alterum armis oppressum regno exuit. 308. Ipse à Theodorico Austrasiæ Rege regno pulsus, Tulpiaci è muris dolo dejectus vitâ pellitur. 309. Hermenfredus alius Ebroinum Tyrannum ex Monacho per insidias interficit. 357.

S. Henricus II. Imp. Pater ipsius Henricus Dux Bavariæ cum tutelâ Ottonis III. pueri usurpat Imperium & exulare cogitur. 487. Insigni pœnitentiæ exemplo resipiscit Francofurti in Comitiis. 489. Appellatur deinde Pacificus & Pater Patriæ. *ibid.* S. Henricus Ottoni succedit acceptis à S. Heriberto lanceâ & clavis Domini Regni insignibus. 495. S. Cunigundem Luzenburgicam conjugem Paderbornæ, se Aquisgrani coronandum curat. 496. Ecclesiasticam disciplinam Trajecti, Religiosam Fuldæ & Corbeiæ, &c. restituit. 497. In Papiensi tumultu à Giselberto S. Cunigundis fratre occumbente servatur. *ibid.* Bambergensem Episcopatum ex dote uxoris fundat. 498. *& seq.* Unde nata ingens rebellio Adelberonis fratris S. Cunigundis Cathedram Trevirensem occupantis. *ibid.* Quem S. Henricus Treviri obsidet, tandemque expugnat. 500. Et Episcopum Metensem unà cum urbe. 501. Hungaros cum Rege per sororem Giselam ad Christum convertit. *ibid.* Romæ cum Cunigunde coronatur. 502. Treviri adest consecrationi Popponis Archiepiscopi. 503. *& seq.* Collegium S. Florini Confluentiæ locupletat. 504. Ipsam Confluentiam Archiepiscopo donat. 507. Hammerstein arcem expugnat. 510. S. Heriberto Arch. Colon. fit supplex ex adversario, viso cœlesti monitus. *ibid.* Græcos in Italia domat, exercitu in reditu amisso. 511. Henricum Ducem Luxenburg. fratrem S. Cunigundis restituit Ducatui Bavariæ. 509. Cum Roberto Francorum Rege ad Mosam muneribus certat. 511. Moribundi ultima verba de Cunigundis virginitate illibata. 512. Ejusdem liberalitas in Ecclesiam Trevirensem. *ibid.* S. Cunigundis vidua Deo se consecrat in Monasterio Hassiæ. *ibid.* Migrat ad cœlum. 519. Adalberonis fratris ipsius pœnitentia, & munificentia in loca sacra. 518.

Henricus III. Imp. legem condit de condonandis injuriis, sanxitque exemplo, libertate donans reos læsæ Majest. 521. Ungaros ad flumen Rabam parvâ manu delet. *ibid.* A nuptiis Ingelheimi proscribit omnes ludiones. *ibid.* Aquisgrani in gratiam recipit Godefridum Lotharing. Ducem. 522. Gregorium VI. Pontif. exauthorat. *ibid.* Tres Pontifices nominat. *ibid. & seq.*

Henricus IV. Imp. Aquisgrani coronatur. 535. Limburgensem Ecclesiam ad Lohnam ditat. 536. cogitur à se ablegare Albertum Archiep. Bremensem corruptorem suum. 539. Nundinatur beneficia Ecclesiastica, & deterretur à divortio uxoris. 545. Ejus flagitiosa vita. 549. *& seq.* Saxones victus vincit. 552. Hypocrisis illius erga Pontificem. 553. Gregorium VII. Pontif. in Conciliabulo Wormatiæ exauctorat. 555. Admiranda illius pœnitentia pro impetranda absolutione. 557. Rodulphum Regni æmulum prælio vincit; unde in schismate robustior Clerum vexat. 558. *& seq.* Iterum victus vincit. 560. Trevirentibus Egelbertum Episcopum Schismaticum obtrudit. *ibid.* A Pontifice diris devotus, regno exuitur, & supremo prælio de Rudolpho triumphat. 561. Refutatur fabula de Rudolphi dextra abscissa, monstrata in perjurii pœnam. *ibid.* Romam oppugnat, Gregorio VII. substituit Pseudo-Papam. 562. Uradislaum I. Bohemiæ Regem creat. 565. Magnâ strage vincitur prope Herbipolim ab Hermanno Rege crucem in curru præferente. 566. Nequitia ipsius in Agnetem conjugem & Conradum filium, qui ideò illi rebellat in Italia. 568.

S. Heribertus Arch. Colon. Ottone III. Imp. defuncto, lancea, clavi Domini, aliaque Imperii insignia apud S. Heribertum manent. 495. Tumultum Papiensem contra S. Henricum frustra conatur sedare. 497. S. Henricus cœlesti viso monitus fit illi supplex. 510. Prædicens obitum suum moritur. 511.

Hetti Trev. Episc. ab Hincmaro Rhemensi Archiep. colitur. 411. Sub illo Synodus Treviris in causa Ebbonis Arch. Rhemensis. 412. Et indominicatus seu feudorum ad posteros translatio Ecclesiæ Trev. concessus. 413. Sub ipsius Nepote successore fames ad vorandos liberos parentes stimulavit. *ibid.*

Herbipolensia. Episcopatus Herbipoli & Erfurti constituitur An. Chr. 741. à S. Bonifacio & Carolomanno. 369. S. Burchardus Episc. Herbip. Romam mittitur ad titulum Regium à Chilperico ad Pipinum transferendum. 371. Ad Herbipolim Henric. IV. schismaticus magnâ strage cæditur cruce prælatâ in curru. 566. Adelbero Herbip. Episcopus ab Henrico IV. schismatico sede suâ ejicitur. 564. Megingoz Herb. Ep. è disciplina S. Bonifacii consecrationi templi S. Goaris adest. 379.

S. Hieronymus Româ ad semibarbaras, ut loquitur, Rheni ripas, & Trevirim venit, studiorum istic florentium causâ. 253. Quomodo intelligendum, quod ait, se istic Scotos vidisse humanis carnibus vesci? *ibid.* Trevirorum linguam, ait, tum fuisse Latialem, & Celticam communem Galatis Asiaticis. *ibid.* Ejusdem elogium Galliæ de studiis literarum. 256.

S. Hilarius. Ejus authoritas in Concilio Seleuciensi. 245. Ab exilio redux ad suos Gallias ab Arrianis purgat. 246. *& 248.* Librum ipsius de Synodis S. Hieronymus Treviri exscribit. 253. Damnatur à Luciferianis hæreticis quòd pœnitentes Arrianos receperit ad communionem. 260.

S. Hildolphus Trev. Episc. Trevirensem Ecclesiam sub Milone Episc. gementem administrat. 372. Succedit Miloni ab apro cæso, & restaurat templa. *ibid.* Secedit in solitudinem montis Vogesi. 376. Plura istic Monasteria condit. 377. S. Odiliam oculis corporis & animi captam sanat. *ibid.* Aliis miraculis claret. *ibid.* Theobaldi illustris viri mundum abdicantis ad illum accessus. 379. Ejus obitus, elogium, patrocinium Lotharingorū. 383.

Duorum

Duorum fratrum memorabilis mors. *ibid.*

Historia. Ejus regula & lux Deus. *p.* 1. Æmulatur æternitatem Dei per memoriam. *ibid.* Illius impedimenta intrinseca & extrinseca. *ibid.* Christianorum historiæ unde sint vitiatæ. *p.* 2. Scriptores antiquitatum facilè fallere possunt & falli. 3. Trevirensis historiæ fallax scriptor Kyriander Causidicus Acatholicus. *ibid.* Ejusdem historiæ nucleus & fallacia. *ibid.* Gesta manuscripta Trevir. qualia? Eorum summarium, varius hiatus, & author. 4. Alii quidam Trevirenses Historiographi. *p.* 5. Veterum divisio Historiarum per tempora. Primum obscurum ab ortu hominum ad diluvium Ogygis. Secundum Mythicum seu fabularum usque ad Olympiades. Tertium historiarum verarum inde ab Olympiadibus. 9. Exceptis divinis literis ab ætate Abrahami nihil scriptorum ad nos sincerum pervenit. 11. Germani veteres historias & præclarorum virorum gesta defectu literarum cantionibus, quas Liedos dicebat, propagârunt. 28.

Honorius Imp. Stiliconem seriùs mittit Trevirim ad pacandos Germanos. 275. Rhenum nudat legionibus in Italiam evocatis contra Gothos. 277. atque ita Trevirim, Moguntiam exscindendam offert barbaris, ita exigente avaritiâ & ebrietate civium. 276. Prætorium Galliæ Treviri Arelatum transfert. 277. & 581. Gallia & Britannia ab ipso deficiunt. 278. Constantio duce Constantinum Tyrannum capite truncat. 281. & 587. Atulphum Gothum Narbonâ in Hispaniam rejicit. 283. Eundem Constantium collocatâ illi sorore Placidiâ socium Imperii nominat. *ibid.* Stiliconem socerum proditorem gladio subjicit, abjectâ filiâ ipsius, uxore suâ. 587.

Horreense Monasterium Vide *S. Irmina.* Breve Leonis III. Pont. quo Horreensi parthenoni privilegium dat creandi Antistitam ex suis. 588.

Hungarica. Hungari Anno Christi 906. à Tanai Schytico ejecti novi hostes Germaniæ apparent. 444. Ferrum, flammasque ultra Rhenum in Lotharingiam proferunt. *ibid.* Anno C. 918. iterum in Alsatiam. 447. Delentur ab Henrico Imp. præmisso voto de exscindêda Simoniæ lue ex Germania. 448. Et ab Ottone I. prælio biduano ad Lycum fluvium voto S. Laurentio côcepto. 461. Ad Christû adducûtur cum S. Stephano Rege. 501.

Hugo Capetus Regnum Franciæ adit. 490.

I

IESUS CHRISTUS Nascitur in tertiis, & censui Augusti ascribitur. 133. In Calvaria latronum medius pendet. 141. Tiberius inter Deos referre conatur, repugnante Senatu & Sejano. *ibid.* Lux Evangelica illuxit Imperio Romano, tum quando Roma in capitibus Caligula & Claudio insaniebat. 142. Natalis Christi die consuetudo ter Missam celebrandi tempore S. Materni. 162. Defenditur contra sectarios. 163. Locus Nativitatis & Mortis Christi profanatur ab Hadriano Imp. idolis Jovis & Veneris per duo sæcula. 165. Christi pluviæ & serenitatis beneficium Jovi pluvio attribuitur. 171. Christi Ecclesia initio tertii sæculi toto orbe propagata. 177. Tunica Christi inconsutilis & clavus Anno Christi 317 per S. Agritium à S. Helena Trevirim delata. 216. & 577. Cultellus etiam quo Christus in cœna ultima usus. *ibid.* Possessio Tunicæ Domini Trevirorum defenditur. 217. & *seq.* An illarum plures? *ibid.* Clavorum Christi multitudo asseritur. 218. & *seq.* Qui Treviris asservatur dextri pedis fuisse traditione creditur. *ibid.* Lanceâ Domini & illi affixo clavo gloriantur Norbergenses. *ibid.* Anno Christi 527. incepit æra Christiana authore Dionysio exiguo Abbate Romano. 310. Otto I. Imp. Lancea & Clavis Domini pro vexillo in castris utitur, & nobili victoriâ ad Rhenum potitur. 458. Clavus Christi dexter copioso manat sanguine dum furtim è Templo Treviris effertur. 470. Iterum anno Chr. 1027. 517. Crux curtui in prælio contra Schismaticos ad Herbipolim in posita, magnos illorum acervos sternit. 566. Cruce in dextro humero signati utriusque sexus in Saracenos movent, tanto numero ut urbes vacuarentur. 570. Qui à Rheno profecti in Ungaria pereunt ob solutam disciplinam & lasciviam. *ibid.* Alii Antiochiam & Solymam expugnant. 571. Henricus ab Esch Trevir. Nobilis Antiochiam servat. *ibid.* Crucis cælestè signum an oblatum sit Constantino ad Rhenum, an ad Mosellam, an ad Tiberim? 573. Cuspis Clavis Dominici miraculo Tullensibus communicatur. 582. Schema Clavi, & cuspidis, & spinæ Dominicæ. 585. Christianis solêne siccitates & pluvias deprecari & exorare. 171. Omnibus odio sunt. 178. Crux in foro Trevirensi lapidea An. Christi 958 statuitur ob cruces læso lapsas in vestes, hodie permanens. 462.

S. Irenæus Lugdunensis Episc. Ejus encomium. 174. Ejusdem illustre judicium de successione Romanorum Pontificum contra hæreticos. *ibid.* Ejus ævo assiduitas miraculorum & viventium post resuscitationem à morte. *ibid.*

S. Irmina Abbatissa Trev. Dagoberti Regis filia Deo se vovet in Horreensi Monasterio. 350. Monasterium Epternacense dotat. 359. & 610. Mortuæ corpus Weissenburgum defertur. 361. Nomina Abbatissarum quæ illi successerunt *ibid.* Leucardæ discolæ Abbatissæ 40. anni gubernationis dantur à Deo in pœnam Monialium. 572. Defenditur fuisse filiam Dagoberti contra Valesiû historicum Gallicum. 606. Diploma Dagoberti, & Philippi Regis Galliæ convincens Valesium erroris. *ibid.* & 609. Sancti-Moniales Horreenses initio regulam S. Benedicti, deinde S. Augustini professæ sunt. 608. Adela conditrix Monasterii in Palatiolo soror S. Irminæ. 350. Vide *Adela.*

S. Julianus Martyr Captivum vinculis eximit voto illi Treviris facto. 269. Senes effœtos viridi juventæ restituit. *ibid.*

S. Illidius Arvernorum Episc. Trevirim accersitus à Maximo Tyranno filium ipsius à dæmone liberam facit. 269. Aurum spernit. *ibid.*

Julianus Imperator à Constantio patruele in Gallias mittitur. 240. Ubi ab anu oculis capta illi prædicitur, futurum restauratorem idolorum. *ibid.* Ad Argentoratum 60. millia Allemannorum cædit. 241. S. Martino missionem militiæ petenti negat. *ibid.* Receptis Rheni urbibus Treviri hybernat. *ibid.* Charietonis barbari strenuâ operâ utitur contra barbaros. 244. Ingenium ipsius sub olum. 240. & 245. Christi & Constantii Imp. desertor fit, restituto cultu Deorum, Magorum discipulus. 247. Jovinianus, Valentinianus & Valens ejus in Imperio successores, malunt honoratam militiam abjicere, quàm Christi fidem. 246. Per Obtricense oppidum, nunc Mosæ Trajectum movet in Germanos. *ibid.* Cælesti telo percussus blasphemans perit secundo Imperii anno. 248. Sub ipso Gallia & Italia respiravit ab Arianismo, restitutis Episcopis. *ibid.*

Juliacensia. Carolus M. Marcoduri consilium belli Saxonici suscipit. 383. Monasterium Eifliæ conditur à Marquardo Abbate Prumiensi, illatis reliquiis SS. Chrysanthi & Dariæ, anno Chr. 846. 412. Hinsberga Regia sedes Clodionis Francorum R. 590. Duria in Menapiis inter Austrasiæ oppida frequentiora censetur. 369.

Vide *Coloniensia, Nortmanni, Clodoveus, Belgica.*

Ivodium, aliàs Epoisum oppidum in Treviris, ejus situs. 333. Visitatur à S. Magnerico Trevir. Episcopo. *ibid.* Patria est S. Gaugerici Cameracensis Episc. *ibid.* S. Wolfiliacus Diaconus Monasterium istic condit, & fit Stylita. *ibid.* Ejus ossa Ivodium transportantur intacta à pluvia. 482. Sub Aetio adhuc Romanis paruit. 589. Dianæ Colossum istic evertit S. Wolfiliacus anno Chr. 578. *pag.* 51.

Justinianus Imperator à S Nicætio Trev. Ep. per epistolam revocatur ab hæresi Eutychis. 604. Dictans libellum proscriptionis contra Episcopos Catholicos invisibili ictus plagâ perit. 605.

L

Lacus Treverici memorabiles. Primus ad Monasterium Lacense complexu par urbi ut aiunt Coloniensi. 75. Secundus Ulmelanus in Eifliæ monte bolide 300. ulnarum non mensurabilis *ibid.* In hoc perhibent videri piscem lupi specie tricenû pedum. *ibid.* Illius apparitio fatalis nobilibus arcem incolentibus. *ibid.* Lacensis Monasterii initium Anno Christi 1094. *pag.* 569.

S. Laurentii Craticulæ pars Româ Metas transfertur. 474. Mersburgensis Episcopatus S. Laurentio feliciter vovetur ab Ottone I. Imp. in prælio biduano contra Ungaros. 461.

S. Lambertus à Childerico Rege organum Spiritûs S. & lingua veritatis appellatur. 356. Ejus gloriosa mors. 359. S. Hubertus sacrum ipsius corpus Trajecto Leodium transfert. 361.

Leodiensia. Eburones & Condrusii circa annum ante Christum 99. à Cimbris vexati ad Trevirensium opem confugiunt. 112. Quadraginta millia armatorum jungunt Belgis contra Cæsarem infæliciter pugnantibus. 115. Cum Trevirensibus Romanos callidè opprimunt. 120 Ideò à Cæsare vastantur. 121. A S. *Materno* Evangelii luce donantur. 123. Qui Chinaci quinque ruinâ oppressos vitæ restituit. 163. à *S. Martino* Trevirensi & Tongrensi Episcopo Christum docentur. 204. Julianus Imp. Francos salios in Taxandria Leodiensi opprimit. 245. *S. Amandus* Trajectensis triennio Episcopus, dum Sigebertum Dagoberti filium baptizat infans subjicit Amen, ab Episcopo omissum. 348. *S Theodardus* Tungrens. Episc. crudeliter laceratur. 356. *S. Lambertus* ejus successor pro castitate cæditur. 359. Leodium ex vico fit celeberrima urbs translato illuc S. Lamberti corpore. 361. Grimoaldus Pipini filius Leodii occiditur patrem Jupiliæ aditurus. *ibid.* Leodiensis & Trevirensis Ecclesiæ mutua merita. *ibid.* *S. Huberti* fundatoris Leodii mors. 367. Corpus S. Materni Anno Chr. 767. Treviri Leodium deportatur. 376. Carolus M. Heristalii residens dat diploma Trevirensi Ecclesiæ. 380. Desiderium Longobardorum Regem Leodii jubet exulare. 381. *Franco* Leod. Episcopus in Conciliabulo Metensi Carolum Calvum eligit Regem Austrasiæ. 424. Leodium, Tongri, Trajectum anno Chr. 882. à Nortmannis exscinduntur. 431. Idem Franco erigit fugitivum Zuendeboldum Lotharingiæ Regem. 442. *Richarius* Prumiensis Abbas Leodiensi mytrâ donatur non sine certamine. 448. Caprimons propè Leodium an. Chr. 939. ab Ottone I. Imp. frustra obsidetur, Gallo Alsatiam invadente. 453. *Ogo* ex Abbate S. Maxim. Trev. Leodiensis Episcopus S. Petri Abbatiam vertit in Collegium 30. Canonicorum, augetque proventibus. 455. Caprimons ab Imone Dynasta munitur, & à Brunone Colon. frustra oppugnatur. 465. Monasterium S. Laurentii anno Chr. 1024. restauratur, & incolitur à Religiosis Virduno accersitis. 512. *Wazo* Leod. Gallos à Germania vexanda arcet. 522. Virdunensibus bello ad inopiam redactis auro subvenit. *ibid.* Ejus Epitaphium. 524. Leodium vicus publicus, Heristalium, Jupevilla, Sarcinium in Hasbania inter Austrasiæ oppida frequentiora. 369.

Limburgum ad Lohnam Anno Chr. 909. nobili Ecclesiâ ornatur. 444. *& seq.* Ejus & utriusque Brechenæ origines. *ibid.* Conradi Imp. istic funeralia, cenotaphium, donaria. 447. Otto I. Imperator auget illam proventibus. 455. Et Henricus IV. Imperator. 536 Et Adelheida Palatina. 572.

Litaniarum & Rogationum à S. Mammerto inchoatarum in Gallia occasio. 299.

Lotharingiæ Ducatus Anno Chr. 977. ab Ottone II. erigitur Rheno & Mosâ definitus. 479. Carolus I. Dux à Lothario Rege Franciæ detruditur, mox restituitur. *ibid.* & 481. Lotharingia inferior seu Lotrich intra Mosam & Scaldim conclusa. 479. & 488. Godefrido Bullionio datur Ducatus Lotharingiæ inferioris An. Chr. 1089. 567. Stemmatum Lotharingiæ Ducum descriptor coram Henrico III. Gall. publicam palinodiam canit. 608.

Vide *Godefridus Dux Loth. Lotharius I. II.*

Lotharius Imp. à patre Ludovico fit consors Imperii. 397. Italiæ Rex præficitur. 399. Mittitur cum exercitu contra Saracenos. 401. In Patrem concitatur. 399 & 401. Quas ob causas? *ibid. & seq.* Patrem captivum Aquisgranum ducit, cogiturque restituere Imperio 404. *& seq.* In divisione regnorum à Patre facta sortitur quidquid Mosa & Danubius terminat. 408. Mortuo patre à fratribus cruentissimo prælio vincitur. 409. Cogitur Regni limites contrahere, dans Lotharingiæ nomen. *Ibid.* Filium Ludovicum Romam mittit coronandum. 410. Coronam Imperatoriam cum veste religiosa mutat Prumiæ. 414. Mors ipsius & Epitaphium Prumiæ. 415.

Lotharius Junior quo colore Theutbergam uxorem abjecerit? 415. Prumiæ excipit Ultrajectinum Episcopum à Nortmannis ejectum, eique Monasterium ad Ruram donat. 416 Scortum illius Waldrada Ecclesiam Occidentis turbat. 417. Guntharium Coloniensem & Thiedgaudum Trevir. Episcopos criminis socios facit. 418. Qui mox à Lateranensi Concilio damnantur & exauthorantur. 420. *& seq.* Romæ ex manu Pontificis Eucharistiam perjurus sumens miserè cum sociis in reditu perit. 422. *& seq.*

S. Lubentius Presbyter à S. Maximino ad Ripanos & Cuberinos Christi fide imbuendos mittitur. 235. cùm nihil proficeret istic mortui corpus navigio impositum, adverso Rheno & Lohnâ devehitur in Dietkirchen à Martis templo dictum. *ibid.* Logani accolas feliciùs Christo genuerat. *ibid. & seq.* ab illo Archidiaconatus Trevir. nomen habet. *ibid.*

Lucife-

Luciferianum schisma. Pœnitentibus Arrianis negat communionem. 260. Bonosus ejus sectator Treviri in carcere extinguitur. *ibid.* est ille alius à Trevirensi Episc. ejusdem nominis.

Ludolphus Archiepisc. Trevir. Anno Christi 996, an primus Elector à Greg. II. Pontifice designatus? 493. Clerum Trev. septis includit, immunitatis nomine ab antiquis compellatis. 495. S. Martini Monasterium Treviris Religiosis auferri patitur. 497. Mors & elogium doctrinæ illius. 498.

Ludovicus Pius Imp. Coronatur Aquisgrani jussu patris Caroli Magni. 395. Defuncto patre regna capescit. *ibid.* Rhemis coronatur cum conjuge à Stephano Pontifice. 396 Fovet Synodum Aquisgranensem. *ibid.* & 396. Feliciter in Pannoniam movet tribus exercitibus. *ibid.* Adit Confluentes & Trevirim. *ibid.* Bernardum ex fratre Nepotem Italiæ Regem oculis privat ob rebellionem. 397. complicibus parcit. 399. Lotharium filium Italiæ præficit. *ibid.* Aquisgranense palatium exornat Italis architectis. 401. Causæ cur filii & proceres in illum rebellaverint. *ibid.* & *seq.* Cum Juditha conjuge de adulterio suspectâ detruditur in Monasterium. 402. A Germanis restitutus redit Aquisgranum *ibid.* Pipinum inquietum filium Treviri custodiæ mancipat, mox elabentem. 403. Denuò à filiis exauctoratur, custoditur, mox restituitur. 404. & *seq.* Theonisvillæ & Metis judicia exercet in rebelles. 406. Varia decreta condit de Missis Dominicis. *ibid.* Paradigma linguæ Germanicæ ævo Ludovici. 26. à pedum dolore sanatur per invocationem S. Goaris. 407. Pium illius dictum de viso cometâ. *ibid.* Partitur inter filios regna Mosâ utriusque limite 408. In filium Ludovicum rebellem bis arma movet. *ibid.* In extremo morbo 40. diebus solâ Eucharistiâ vivit. *ibid.* Ejus elogium & munificentia in Ecclesiam Trevirensem & alias. *ibid.*

Ludovicus Junior Rex German. in patrem Ludovicum Imp. bis arma movens domatur. 408. Cum Carolo Calvo fratre cruento prœlio Lotharium fratrem vincit. 409 Dividit novâ partitione cum fratribus regnû patris. *ibid.* Eundê fratrem Carolum regno ejicit; & mox ipse ejicitur. 416. Cum Carolo dividit Austrasiam Mosâ limite constituto. 425. Francofurti decedit è vita. 428. Ejus filius Carolo patruo se invadenti offert innocentiæ probationem ignis ferri & bullientis aquæ. 429. Eundem atroci prælio superat propè Andernacum. *ibid.* Franciam invadens Normannos spoliis onustos profligat. 430. Eosdem Neomagi obsidet. 432. Magno omnium luctu Francofurti vitam deserit. *ibid.*

S. Lutgerus Monast. Episc. Fragmentum epistolæ ipsius de S.Bonifacio,& S Gregorio Ultrajectensi Episc. 365. Et de Canonizatione S. Suiberti. 372. Episcopatum Trevirensem à Carolo M. oblatum recusat, præferens illi rudium Saxonum instructionem. 394.

S. Luitrudis cum quinque sororibus sacrum flammeum suscipit. 479. S. Mauritio basilicam construit, & sibi proximè cellulam. *ibid.* è defunctæ corpore oleum perenne manat. *ibid.* De quo, & de ejus vita liber rythmicus à Theodorico Episc. Trev. scriptus. *ibid.*

S. Lutwinus Trevir. Episc. ex Duce Monachus, Abbas, Episcopus Trev 358. Rhemensem & Laudunensem simul gubernat Ecclesiam; & utrobique eâdem die sacros ordines confert mi-raculosè. 360. & 363. Mortui corpus cymbæ impositum adverso flumine divinitùs devehitur Mediolacum suum olim Monasterium. *ibid.* Milonem filium sibi dissimillimum successorem habet. *ibid.* Epitaphium ipsius & elogium. 363.

Lutzenburgensia. Anno Christi 963. originem sumit Comitatus Lutzenb. à Sigefrido permutante pagum Mentzigovium S. Maximini, cum alio. 467. Corpus Sigefridi detegitur anno 982. in templo S. Maximini. 482. Ejusdem Epitaphium. *ibid.* Non vanè origo illius Comitatûs derivatur à Gisilberto. *ibid.* S. Cunegundis Sigifridi filia coronatur Regina. 496. Ejus soror Ogina Flādriæ Comitis uxor quinquagenaria in foro Attrebatensi parit 497. Ejus Frater Giselbertus Papiensi in tumultu servat S. Henricum Imp. fortiter cadens. *ibid.* Alter Frater Adelbero S. Martini Monasterium Treviri occupat. *ibid.* Et Trevirim contra S. Henricum. 500. Vide *S. Henricus.* Conradus Lutzenburgensis in pœnam capti Eberhardi Episc. Trev. Jerosolymam peregrinatur, & Monasterium condit prope urbem Lutzenburg. 537. Ejus filius Hermannus contra Henricum IV. schismaticum eligitur Rex Germanorum, & victor prælio triumphat. 562. Iterum vincit magnâ schismaticorum strage prope Herbipolim cruce prælatâ. 566. Se regno abdicat, & fragmento saxi occumbit. *ibid.* Lutzenburgensia monumenta ex Treviris in hortos Mansfeldicos translata. 54. & *sequentibus.*

M.

MARIA *Deipara.* Verbum divinum virgo parit pace orbis universali. 133. S. Maternus Coloniæ ipsi ædem sacram construit. 162. Vestis ipsius candida ævo flavescens post 800. annos Treviri reperitur. 364. Ipsa in Horreensi Monasterio apparens Moniali prædicit discolam Abbatissam 40. annis præfuturam ad castigandas Moniales. 572.

Magdeburgum Anno Christi 939. ab Ottone I. Imperatore conditur, & ornatur Abbatia Treviri evocatis Religiosis. 453. Fit Ecclesia Metropolitana & dotatur; Adelberto I. Archiepiscopo ex Monacho Trevirensi. 473. & *seq.* Ejus mors, elogium, epitaphium. 486. Ejus successor Giselarius Simoniacus. *ibid.* Wezilo Episc. Magd. frater S. Annonis Colon. cadit in prælio contra Henricum IV. schismaticum. 560.

Magnentius Tyrannus Constantem Imp. in venatione occidit. 233. Treviri ultimi Gallorum se illi dedunt. 234. S. Maximinum & S. Servatium mittit frustra pro pace ad Constantium Imp. 235. à Constantio bis prælio victus propriâ manu cadit; fratre Decentio se strangulante.. 238.

S. Magnericus Trev. Episcopus An fuerit S. Rustici Episc. decessor, an successor. 324. Dæmonibus est formidabilis. 330. Confluentiæ à submersione servatur reliquiis S. Martini. *ibid.* Grave vitæ incurrit discrimen in tragædia Guntrāni Bosonis. 331. S. Martino templa dedicat Treviri, Caroduni, Ivodii & alibi. 332. Visitat primus Diœcesin reformationis causa. 332. & *seq.* Vitâ defunctus sepelitur Treviri in S. Martini. 336. Ejusdem elogium. *ibid.* Translatio. 455.

S. Marus Trev. Episcopus est Thaumaturgus. 299. Populi supplicationes ad ejus tumulum. *ibid.* Tumuli inscriptio. *ibid.*

S. Maternus Quadraginta dies mortuus resuscitatur, totidem annis præfuturus Treviris. 143. & 160. Loco resuscitationis Ecclesiæ vestigia Alsatæ supplicabundi adeunt hodiedum. 144. Redivivus Alsatas ad Christum convertit, & plures Ecclesias S. Petri nomine construit. *ibid.* Pallium Metropolitanum à Romana Sede accipit. 162. Unde confirmatur Trevirensis sedis primatus. *ibid.* Coloniæ Ubiorum templum unum Deiparæ Virg. alterum S. Petro dedicat. 162 Inde Tungros & Arduennates Evangelii luce illustrat. *ibid.* Festo Nativitatis Domini Angelo vectore divina mysteria celebrat Treviri, Coloniæ, Tungris. *ibid.* Chinaci in Condrusio quinque ruinâ oppressos vitæ restituit. 163. Coloniæ migrat in cælum invitatus à SS. Euchario & Valerio. 167. pro Corporis translatione certamen urbium. *ibid.* Treviri Leodium transportatur. 376. Per visum monet Hetti Trev. Episc. corpus S. Castoris transferre Confluentiam. 407. An fuerit filius viduæ Naim? an ex 72 Discipulis? an natione Longobardus? 167. In urbe Trevirēsi sepultus non obstante lege XII. tabularū. 167.

Maternus dux latronum sub Commodo Imp. Gallias & Hispanias mirè depopulatur. 173 Totis Galliarum viribus opprimitur. 174.

S. Martinus Wormatiæ missionem militiæ frustra à Juliano petit. 240. Est alius à Martino S. Maximini in itinere Rom. socio. 241. Quo tempore Turonensibus sit datus Episcopus variant scriptores triennio. 253. *& seq.* miraculo impetrat aditum ad Valentinianum Imp. obstante Arrianâ uxore, Treviri. 254. Miracula Treviris ab ipso patrata. 266. Ab Ithacianis frustra ab urbe Trevirensi arcetur. 267. Ibidem accumbit primo loco mensæ Maximi, & deinde Reginæ memorabili convivio. 268. Ob brevem & necessariam cum Ithacianis communionem Epternaci ab Angelo corripitur, & pœnitet. 269. & *& seq.* Tetradii Consulis domus dedicatur S. Martino Treviris, ubi nunc est Monasterium ejus nominis. 266. Cælum dives ingreditur, & post mortem Severo Sulpitio splendidus apparet. 276. *& seq.* Controversia de anno obitûs. *ibid.* Ejus reliquiarum miracula. 330. & 333. Plura illius nomini templa eriguntur in Trevirens. 332. E S. Martini Monasterio Treviri discolos Canonicos minitabundus ejicit. 477.

S. Mathias Apostolus. Sacra ipsius ossa Trevirim à S. Helena missa. 216. Basilica S. Mathiæ primorum Trevir. Episcoporum sepulturæ destinata. 225. Monasterium S. Mathiæ miraculis S. Celsi efflorescit. 491.

S. Mauritius cum Thebæa legione pro Christo victima cadit. 191. Ejus cohortes fuerunt Mauri Trevirenses, Colonienses, Solodurani, &c. 193. S. Luitburgis illi templum construit. 479. Et Otto I Imp. Magdeburgi. 471. Mauritiana legio Constantino M. auxiliari visa est. 573.

S. Maximinus secundus istius nominis Trevirens. Episc. Trevirim venit excitus famâ S. Agritii. 226. Divino oraculo illi successor designatur. *ibid.* S. Athanasium exulem honorificè excipit, habetque biennio. 227. Examinatur Athanasii Trevirēsis cisterna. 228. Cœnobium S. Maximini opus Constantini. *ibid. & seq.* & 350. Ejus excidium Normannicum, & deinde tempestate. 229. Romæ communicat cum Athanasio iterum exule, & vitat Arrianos Episcopos. 231. In Sardicensi Concilio, eundem omnium primus absolvit. *ibid.* Unde Arrianorum in illum convitia & pugnæ. *ibid.* An Euphratem Coloniensem damnaverit Arrianismi. *ibid.* A Magnentio Tyranno cum S. Servatio legatur ad Constantium Imp. 235. Salutato ex itinere Athanasio moritur; corpus Trevirim devehitur. *ibid.* Ad tumulum illius divinitùs puniuntur duo perjuri ausi S. Maximinum in testem falsi appellare. 316. Monasterium S. Maximini à Dagoberto subditur Episcopis, dotatur leucâ bannali eâ lege, ut 100. alat Religiosos. *ibid. & seq.* Idem fit ab Hildolpho Episcopo & subjicitur Episcopis Trevirensibus. 373. Varia S. Maximini miracula & apparitio. *ibid.* Ultio divina petulantis in S. Maximinum linguæ, & emendatio. 438. Corporis incorrupti inventio. 440. Idem reconditur non absque miraculo. 448. Religiosos S. Maximini vexat & reformat Gilelbertus Lothar. 450. Idem à S. Maximino vapulans Monasterium Religiosis restituit. 451. Templum collapsum restituit Henricus Auceps Imp. *ibid.* Disciplinam Og[illegible] Abbas. *ibid.* Acolytus discolus vivus mirabiliter flammis perit. 452. Magdeburgum nova Religiosa colonia ex Cœnobitis S. Maximini ducitur. 453. Templi dedicatio, & quinque SS. Episcoporum in illud translatio. 455. Contentio de Monasterii dominio inter Abbatem & Episcopum Ottone I. Imp. favente Abbati 458. Anno Chr. 951. Monasterium disciplina floret, & literis. 460. S. Maximinus plagiarium è ponte Trevir. præcipitat & mergit in Mosella. 467. Abbas Oftradus jus feriendæ monetæ obtinet ab Ottone III. 495. Opulentia Monasterii Anno Chr. 1023. 511. Ericho Abbas Hierosolymam adit. 512. Abbati Popponi discoli Monachi insidiantur. 514. Sub eodem claret Monasterium. 515. Purgatio solemnis jurantium apud reliquias S. Maximini est Canonica. 316.

Maximianus Imp. Thebæam legionem cælo transcribit martyrio. 191. Trevirim incolit & ornat publicis ædificiis, & nuncupatione votorum quinquennalium & decennalium. 197. Quid illa? & quis illorum ritus? *ibid.* Panegyres illi Treviri recitatæ à Mammertino Belga. *ibid. & seq.* Germanos trans Rhenum rejicit, & latè vastat. *ibid.* in agrum Trevirensem & Nervium Francos novos incolas traducit. 198. Constantium consortem Imperii dicit privignâ filiâ in uxorem datâ. 198. Natalem Urbis Romæ celebrat Treviris. *ibid.* Decimâ persecutione annis decem Christiano sanguine orbem cruentat. 201. Imperium abdicat. 202. Maxentium filium fugiens à Constantino genero Treviris recipitur. 204. Treviri ob insidias Constantino positas à filia detectas fugit Massiliam, ibique strangulatur. 206.

Maximus Tyrannus Gratianū Imp. desertum à suis interficit. 261. Ad illum Treviris bis accedit S. Ambrosius, repetitum defuncti cadaver, sed frustra. 262. *& seq.* Ejus per Galliam rapinæ. 265. Priscillianistas cogit adire Synodum Burdigalensem. *ibid.* Priscillianum & socios gladio carnificis subjicit. 267. S. Martinum ipse & uxor ejus convivam habent. 268. Forma mensæ instar Sigmatis, & modus accumbendi. *ibid.* Filia ipsius à S. Illidio Arvernensi Episcopo à dæmonio liberatur. 269. Valentinianum II. ex Italia ejicit. 270. à Theodosio Imp. profligatus, supplex & stratus ad pedes occiditur. 271. Et filius. *ibid.* Ejus elogium. *ibid.* Britanniam juventute spoliatam Pictis & Scotis prædæ exponit. 292. An ipso agente undecim millia Virginum ex Britannia evocatæ sint ad connubia militum? 291. *& seq.* Serus ipsius nepos Petronius Maximus cæso Aetio & Valentiniano

lentiniano III. imperat, sed mox à populo Rom. lapidatus discerpitur. 296 & 592.
Malmundarium Conditur à S. Remaclo circa annum Christi 652, dictum quasi à malo mundatum. 51. à Normannis Anno Christi 883. incenditur. 432. Anno Chr. 1062. per S. Annonem Archiep. Colon. separatur à Stabuleto & Coloniensi Diœcesi adjungitur. 538. Babolenus Abbas successor S. Remacli S. Simetrii Martyris corpus Româ illuc transfert. 147.
Mersburgensis Episcopatus Ab Ottone I. Imp. in bidui prælio contra Ungaros ad Lycum fluvium S. Laurentio feliciter vovetur. 461.
Metensia. Primus Metensium Episcopus *S. Clemens.* 147. *& seq.* Metæ aliàs Diviodurum à Vitellianis capiuntur, cæsis 4000. civium. 152. Julianus Imp. prædam cæsorum 60. millium Allemannorum Metas comportat. 241. à Crocho Wandalorum Duce matris consilio, Deo muros sternente, Metæ exscinduntur. 279. Idem patiuntur ab Attila post cæsum Ursulinum Virgineum exercitum, iterum Deo viam sternente per muros dejectos. 293. Captivi cives miraculo *Authoris* Episcopi Metensis remittuntur in patriam. *ibid.* S. Stephani templum in flammis urbis intactum. *ibid.* Metæ francico idiomate sic dictæ quasi Mater Austrasiæ, & regia urbs. 307. Descriptio urbis versu Venantii Fortunati. 318. *Vibicii* Episcopi Metensis elogium. *ibid. & seq.* Metensis Synodus in causa capitali Ægidii Rhemensis Archiep. 334. Frideberga Sigeberti Regis sponsa Christo se vovet, & ad altaris asylū Metis fugit. 339. *S. Arnulphus* Metensis Episcop. vide sup. *Arnulphus.* Ejus beneficio successor ipsius S. Goëricus à cæcitate, urbs ab incendio liberatur. 344. *& seq.* & 346. *S. Abbonis* Metens. Epistola ad Desiderium Cadurcensem Episc. *ibid.* S. Pirminus an Metensium Episcopus? 366. Compendium vitæ ipsius. *ibid.* *Chrodegandus* Metensis Episc. à Pipino mittitur ad Stephanum Pontificem in Franciam invitandum. 371. Ejusdem obitus, elogium, opera publica, restitutio vitæ Canonicalis. 374. *& seq.* Acta Metensium Episcoporum Paulus Diaconus à Carolo Magno cum Desiderio Longobard. Rege captus literis mandat. 381. Cantus gallicanus Ecclesiasticus ab Ecclesia Metensi propagatur. 382. *Drogo* Caroli M. spurius Ecclesiæ Metensis Episcopus. 399. Fratri Ludovico Imp. contra rebelles filios favet. 405. Eidem morienti assistit, & defunctum Metis sepelit. 408. Drogonis virtutes. 406. Ludovicum Juniorem Romam deducit coronandū. 410. Reducis mors & epitaphium. *ibid.* *Adventius* Metensis Episcopus corrigit narrationem suam de repudio Theutbergæ uxoris Lotharii Junioris. 415. *& seq.* Ejusdem epistola ad Nicolaum Pontificem. 416. Alia ad eundem de Thiedgaudo Trev. Episc. exauthorato. 421. Alia de Nortmannorum irruptione & cæde. 422. *Walo* Metensis Episcopus de Pallio certat cum Trevir. Archiep. 428. Contra Nortmannos fortiter pugnans cadit. 433. Urbs à Nortmannis patrocinio S. Glodesindæ servatur. *ibid.* *Wigericus* Ep. obsidetur à Metropolitano suo, & deditur. 449. *Benno* conditor Eremi Beatæ V. in Helvetia Metensis Episcopus à civibus excæcatur. 450. Qui ideò à Concilio Duisburgensi proscribuntur. *ibid.* Metæ à Conrado Lothar. Duce spoliantur anno Chr. 953. 460. Angelus Divo Clementi I. Metensi Episc. successorum nominum initiales literas diverso metallo & colore scriptas exhibet. 469.
Theodoricus Episcop. ut suum argento scriptum a[u]reum faciat S. Laurentio Monast. condit *ib[id.]* Contra S. Henricum Imp. rebellat, ab eodem o[b]sidetur, expugnatur, & à Synodo sacris interdi[ci]tur. 501. *& seq.* *Hermannus* Episc. constans co[n]tra Henricum IV. schismaticum sede pellitur. 56[.] *& seq.* In itinere Romano carceri mancipatur. 56[.] Cives pseudo-episcopum ipsi substitutum ejic[iu]nt Urbe. *ibid.* Hermannus gloriosior redit ad suos. 56[.] *Poppo* illius successor Treviri postulatur. 56[.] Francorum Reges Austrasii Metis, Neustrii P[a]risiis ut plurimum relictâ Treviri sedes fix[e]runt. 612.
Missæ Sacrificium ter offerebatur die Natal[i] Domini ævo S. Materni 162. Defenditur ha[ec] consuetudo contra sectarios. *ibid.*
Milo S. Luithwino in Cathedra Trevirensi suc[]cedit; Patri sancto filius discolus. 363. Intrudit[ur] à Carolo Martello commilitone in sedem Rhe[]mensem dejecto alio. 562. Per S. Hildulphum & S. Wilibrordum regit Ecclesiam Trevirensem 365. & 372. Ab apro occiditur in venatione. 37[.] Unde sylva Milonis dicta propè Erangium. *ibid.*
S. Modoaldus Episc. Trev. consanguineus & affinis est Regum Carolingorum. 342. Ejus edu[]catio & virtutes. *ibid.* Ambit eremum. 343. Plu[]ra Virginum Monasteria S. Benedicti circa Trev[e]rim condit. 350. Ipsius conditorium in æde S. Paulini. 353. Ad cælum transit cum S. Severa so[]rore, & miraculis honoratus transfertur in Saxo[]niam. 355. Ad ejus tumulum Moniales impetra[nt] mortem ut libidinem Normānorum evadant. 43[.]
Moguntina. An Moguntia cum quatuor ali[is] Rheni celebribus urbibus Treviris paryerit? 4[.] Est una ex Metropolibus Germaniæ primæ. 6[.] Romanorum vetus monumentum apud Moganti[]num pontem. 120. & 170. Et Drusi in colle vici[]no Eichelstein. 132. Legiones Romanæ tumul[]tuantes An. Chr. 70. Moguntiam liberant obsidio[]ne Cattorum, & aliorum. 155. Alexander Imp cum Mammæa matre apud Moguntiam à suis inte[r]ficitur. 181. Obsidetur Moguntia à rebellibus le[]gionibus cæso Posthumo Imp. 186. *Martinu[s]* Moguntinus Episc. S. Maximini comes est in iti[]nere Romano, non verò S. Martinus Turonensi[s] 241. A Francis & Allemannis capta Moguntia Juliano recipitur. *ibid.* Anno Chr. 368. iterum ca[]pta ab Allemannis, cives in servitutem abducti. 245 Valentinianus I. ad Mattiaci vulgò Weisbaden fon[]tes Germanos fugat. 253. Bucinobantibus è regio[]ne Moguntiæ populis Regem imponit. *ibid.* Cum Allemannis fœdus icit. 254. Moguntia à Franci[s] & Wandalis unà cum Treviri exscinditur, prodro[]mis avaritiâ & ebrietate civium. 278. S. Albanu[s] ab Arrianis Mogunt. martyrio coronatur. 30[.] *Sidonius* Moguntiæ Episc. rem Christianam pro[]movet. 318. Baptisterii Moguntini elegans descri[]ptio. *ibid.* Concilio Moguntino Clerus reforma[]tur, interdictis venatione, aucupio, concubinis. 36[.] *Gervilius* Episcop. venator exauctoratur, substitu[]to S. Bonifacio. *ibid.* Illi Suffraganei fiunt Colo[]niensis & Tongrensis. *ibid.* *S. Lullus* succedit S. Bonifacio. 372. In cujus vitam inquiritur antequam Pallium conferatur. 382. *Otgarius* Mogunt. Epis[c.] Harioldum Normannorum Reg. cum conjug[e] & Danorum multitudine baptizat Moguntiæ. 399 Morienti in Rheni insula Ludovico assistit. 408. Lothario armis auxiliatur contra fratres. 409 Moguntina Synodus Anno Christi 848. Godiscal[]cum Monachum Hæresiarcham damnat. 412.

Rabbanus Archiepiscopus illi Synodo præest. *ibid.* *Hildebertus* Arch. Ottonem I. Imp. Aquisgrani coronat, permittente Coloniensi. 453. Ejus successor *Fridericus* Ottoni rebellat, victus Fuldæ exulat. 454. Moguntia ab Ottone Imperatore obsidetur. 460. *Erkenbaldus* Ar. Ottonem Comitem excommunicat ob violatum thorū. 510. Eundem prædatorem operâ S. Henrici exturbat ex castro Hammerstein. *ib.* *Aribo* Archiep. Synodum cogit Seligenstadii. 511. *Sigefridus* Arch. damnatur ob rebellionem contra Pontificem. 553.

Mosella ab Ethnicis ut Dea pictus, quo habitu? 64. Mira vis elementi aquæ, & cultus aris & victimis. *ibid.* Mosellæ etymon. 65. Est idem cum Obrinco (sic dicto quasi supra Rhenum) 65. *& seq.* Nascitur in monte Vogeso supra Trevirim 212. millibus passuum. 66. Rheno jungitur infra Trevirim 50. millibus passuum. 71. Nomina fluviorum & amnium quos alveo suo recipit. 67. *& seq.* Item urbium, oppidorum, arcium, pagorum, montium vitiferorum quos alluit. *ibid.* Pontes quatuor patitur Metis, Mussiponti, Treviri, Confluentiæ. *ibid.* Piscium diversæ species. 74. *& seq.* Anno Chr. 59. frustra à Romanis tentatur ejus conjunctio cum Arari. 148. Covern vicus ad Mosellam frustra à S. Lubentio Christi doctrinâ excolitur. 235. Ejus situs. 235. S. Arnulphus Metens. Ep. ex ponte Trevir. in Mosellam annulum abjicit, & recipit in signum remissionis peccatorum. 345.

Monasterium Meinfeldiæ Oppidum Trevirense Ambitarinus celebris olim vicus castris Romanis. 136. Patria Caligulæ Cæsaris. 135. Riparum sedes inter Rhenum & Mosellam. 136. Agrippina cum filio ex tumultu legionum illuc Coloniâ profugit. 138. Ornatur corpore S. Severi ex Italia translati. 459. Ager Meinfeldensis fertilissimus dividitur. 460. Miraculis S. Severi celebratur & crescit in oppidum. 488.

N

N*Amurcum* Comitatus honorem accipit An. Christi 960. Ejus munitio. 465.

Nassovica familia An trahat originem à Nassua Suevorum ductore contra Gallos An. 56. ante Chr. 183. An Zimmerensis ab ejusdem fratre. *ibid.*

Navigatio. Navium usus tempore Nini. *p.* 8. Inventus & propagatus à posteris Japhet in migratione ad insulas & Europam. *ibid.* Primi nautæ littora minorum marium navigarunt, Oceanum non ausi tentare. *p.* 11. Usus magnetis & acus nauticæ ante Salomonem incompertus. 12. Fabula de Adamo pedibus transvadante maris spatium quod interjacet inter paradisum & orbem habitabilem. *pag.* 12.

SS. Nazarius & Celsus. Illorum Apostolici labores apud Trevirenses, & certamina. 149. Et gloriosa mors. 150. Alterius S. Nazarii Martyris reliquiæ Româ translatæ in Germaniam. 374.

Nero Imp. Colossum 110. pedum sibi statuit, mox capite ipsius dempto Soli dedicandum. 149. Ardente Româ cithara ludit. *ibid* In Christianos sævit, etiam in Galliis. *ibid.* Julius Vindex Gallus ob tributorum enormitatem contra illum insurgit, 150. Sed à Treviris & aliis cæditur. 151. ob rebellionem exercituum propriâ manu cadit. *ibid.*

S. Nicetius Trevir. Episc. Ex Arvernis Trevirim deducitur, ejus educatio. 310. Authoritas apud Theodoricum Austras. Regem. *ibid.* Ex Abbate Lemovicensi creatur Episc. Trevir. 311. Ejus virtutes in ipso Episcopatus aditu. 313. In concilio Arvernensi sacerdotū cælibatum & pudicitiam severis legibus sancit. 314. Theodobertum Austrasiæ Regem ab Adulterio emendat, & socios à sacris removet. *ibid.* Spernens ipsius diras Rex & socii divinitus puniuntur. *ibid.* Arcem Bisschofsteiniam construit, ejus descriptio. 319. In Consilio Aurelianensi præclara decernit morum emendationi. 320. Clotharium multiplici incestu sordidum anathemate fulminat; ideóque exulat. 324. Inguinariam pestem Europam depascentem precibus avertit à Trevirensibus, cum divino ostento. *ibid. & seq.* Prædicit diem & horam reditûs sui ab exilio. 322. Visio ejusdem & Vaticinium de Regibus Francorum. *ibid.* Virtutes, miracula, obdormitio. 323. In Synodo Tullensi insurgit in incestuosos Francos 601. Epistolæ quorundam ad ipsum. 602. *& seq.* Ipsius Epistola ad Justinianum Imp. lapsum in hæresin Eutychetis. 604. Alia ad Clodosindam Alboini Longobard. Regis uxorem, pathetica ad convertendum virum ab Arianismo. 605.

Ninus Assyriorum Rex 50 annis cruentus regnat. 6. Sagittâ ictus in obsidione interit. *ibid.* Ejus filius Trebeta an condiderit Trevirim? 6. *&* 77. Author primus idololatriæ, patre Nemrodo vel Belo pro Deo jusso coli in idolo. *ibid.*

Nortmanni è Dania progressi classe, à Flandria rejecti in Gallias irrumpunt sub Ludovico Pio. 398. Harioldus Nortmannus cum suis Moguntiæ sacro fonte tingitur. 399. Irruit in Nortmannos Franciam vastantes. 401. Nova illorum tempestas Belgio prænuntiatur à Cometa. 407. Nemine occurrente plerasque Galliæ urbes vexant. 413. Recedentes ultio divina assequitur in patria mutuis cædibus, etiam Regiæ stirpis. *ibid.* Ultrajectum diripiunt cæsis, fugatisque Canonicis. 416. Lotharingiam depopulantes à Lothario juniore reprimuntur. 419. Anno Christi 882. urbes Rheni, Mosæ, & Mosellæ exscindunt. 433. Godefridus illorum Rex ductâ Lotharii sorore Christo initiatur, & Austrasiam deserit. *ibid.* Lovanio Parisios movent, & Franciâ ferro flammaque fœdatâ Normanniæ Provinciam ipsis donatam insident. 435. In Christum credunt. *ibid.* A S. Germano Parisiis dejecti Tullum & Virdunum infestant. *ibid.* Trajectum inter & Aquisgranum Christianos fœdè cædunt, mox ipsi ad Lovanium ab Arnulpho Imp. delentur. 437.

S. Notburgis Plectrudis Neptis Coloniæ Monialis 362. Ad invisas nuptias evitandas impetrat à Deo mortem. *ibid.* Transfertur ad Carthusianos proximè Confluentiam. *ibid.*

Novesium oppidum ad Rhenum. Civilis Batavus Romanos haud procul Novesio cædit. 135. Vocula Tribunus Romanus Novesium concedit. *ibid.* Julianus Apostata Novesium, Herculis castrū, aliaque loca restituit. 244. A Normannis incenditur. 432.

O.

S. O*Dilia* oculis corporis & animi capta sanatur utrisque à S. Hildulpho Trev. Episc. 377. Parthenonem construit in edito Alsatiæ monte. *ibid.*

Otto I. Imp. eligitur & coronatur Aquisgrani. 452. Cæremoniæ coronationis. *ibid.* Magdeburgum condit, & ornat Abbatiâ S. Benedicti. 453. Caprimontem proximè Leodium obsidet, abstrahente

hente Gillo. *ibid.* Ad Rhenum gloriosâ victoriâ potitur beneficio Lanceæ & Clavorum Domini, quibus pro vexillo usus. *ibid.* Mox alterâ propè Andernacum, cæsis vel Rheno mersis hostium ducibus. 454. Limburgensem Ecclesiam & alias auget opibus. *ibid. & seq.* Rhemos expugnat, & componit schisma duorum Arch. Rhemensium. 456. Trevirensem Ecclesiam eximit à dominio Comitum. *ibid.* Divæ Mechtildis matris Ottonis sanctitas & liberalitas in Ecclesiam S. Florini Confluentiæ. 458. & 470. Adelheidam Italiæ Reginam captivam liberat, & ducit uxorem, & cum illa coronam Italiæ. 459. De Ungaris ad Lycum voto S. Laurentio facto secundâ die gloriosè triumphat. 461. Moguntiam & Ratisbonam obsidet, hanc expugnat. 460. Ipso externis bellis occupato circa annum Chr. 956. nati sunt Ducatus & Comitatus ad Rhenum & Mosellam. 462. In Italiam contra Tyrannos à Pontifice invitatur. 465. In Russiam mittit rogatu Reginæ Russorum Apostolum S. Adalbertum ex Monast. S. Maximini. *ibid.* Coronatur Mediolani & Romæ. 465. *& seq.* Benedictum Pontificem Hamburgi jubet exulare. 468. Unde exercitus peste attritus. *ibid.* Ecclesiam Trevirensem locupletat bonis rebelliū confiscatis. 470. Magdeburgensem Ecclesiam Metropolim facit & dotat. 471. *& seq.* Purgatur à macula crudelitatis erga Italos rebelles. *ibid.* Moritur, relictâ anniversariâ memoriâ Treviri. 475.

Otto II. Imp. Ottonis I. filius coronatur Rex Lotharingiæ Aquisgrani. 466. Illius illustre testimonium de plagiario divinitùs per S. Maximinum è ponte Treviri præcipitato, & merso. 467. Vivo patre Romæ Imp. appellatur. 471. Bello Bohemico implicatus Lotharingiæ regnum dividit in Lotharingiam Mosellanicam & Lotrichium Brabanticum. 479. *& seq.* Bavaros rebelles vincit, & Passavium evertit. 480. A Lothario Franciæ Rege Aquisgrani inopinatò penè oppressus, eundem Parisios usque persequitur. *ibid.* In reditu damnum ab eodem accipit, & pacem componit. *ibid.* In Calabria victor, vincitur à Saracenis, & natatu servatur. 486. Animi ægritudine Romæ exstinguitur. 487.

Otto III. Imp. succedit patri Ottoni II. puer; & tutelæ prætextu rapitur ab Henrico Bavaro. 487. Mox restituitur matri Theophaniæ magnâ pœnitudinis Henrici significatione. *ibid. & seq.* Romanum Pontificem, & Mediolanensem Episcopum sedibus ejectos restituit. 494. Peregrinatur in Poloniam ad S. Adalberti Martyris corpus. *ibid.* Aquisgrani Caroli M. tumulum aperit. 495. Romæ defunctus Aquisgrani tumulatur. *ibid.*

P.

PAdiborna aliàs dicta Paderesbrunna, ubi Carolus Magnus Leonem Pontificem exulem honorificè excipit An. C. 798. *pag.* 387. S. Cunigundis istic à S. Henrico Regina salutatur, & coronatur. 496. Comitia Procerum Saxoniæ Carolus Magnus Padibornæ habet, à quibus Widikindus abest. 383.

Pænitentiæ illustris exempla Rustici II. Episc. Trev. septennis pænitentia. 325. *& seq.* Conradi Ducis Lotharingiæ gloriosè ex voto cadentis in prælio contra Ungaros. 467. Pænitentia gestatoris compedum ferreorum dissilientium divinitus coram reliquiis Martyrum Trevirēsium. 549. Ernesti Ducis Sueviæ in venatione pro fera vulnerati. 503. S. Henrici Imp. coram S. Heriberto Archiep. Colon. 510 Godefridi Ducis Lotharingiæ Aquisgrani flagellationis publicæ &c. 527. Henrici IV. Imp. admirabilis pænitentia pro absolutione à diris Pontificiis. 557.

Palatini. Illorum varietas, conditio, possessiones. 538. Henricus Palatinus Comes Lacense Monast. loco cælitùs monstrato anno Chr. 1094 ædificat & fundat. 569. Alius Henricus Palatinus Comes arcem suam Sigebergensem anno Chr. 1061 vertit in Monasterium. 537. Ipse ex tyranno monachus, & denuò ex monacho tyrannus fugit in Cochem ab obsidione Coloniæ. *ibid.* Amentiâ correptus uxorem occidit. *ibid.* Epternaci in custodia miserè vivit & moritur. *ibid.*

Palatiolum oppidum infra Trevirim. Dictum à palatio Cæsarum ob situs amœnitatem, olim urbi attributum. 41. Parthenoni deinde cessit & nunc collegio Canonicorum. *ibid.* vide *Adela.* & *Poppo Arch. Trev.*

Parthenius Quæstor Theodeberti Austrasiæ Regis spectro uxoris occisæ agitatur. 319. à populo Trevirensi ex templo raptus lapidatur. *ibid.*

S. Paulinus Trev. Episc. Ex Aquitania ad S. Agritii disciplinam Trevirim accedit cum S. Maximino. 236. Utrique in Episcopatu Trevirensi succedit. *ibid.* in pseudo-synodo Sirmiensi fortiter absens contra Arrianos pugnat *ibid.* crebra ipsius exilia ob defensum Athanasium. 238. *& seq.* Ejus encomium authore S. Athanasio, Hieronymo, Hilario. 239. quarto exilii anno in Phrygia in cœlum vocatur. 241. *& seq.* putatur gladio cæsus jussu Constantii Imp. 242. Ejus sepulchri inscriptio, & martyres vicini. *ibid. & seq.* à S. Felice è Phrygia transfertur Trevirim. 274. in magnifica basilica primò catenis, deinde sine illis in ære suspensa hæret capsa corporis ipsius. *ibid.* & 431. Martyrum Trevirensium anno Chr. 1071 miraculosa inventio. 547. *& seq.* Paulinianæ quædam inscriptiones monumentorum. 54. & 55. duæ græcæ. 63. exploditur Josephi Scaligeri illarum interpretatio. *ibid.* Paulinianæ basilicæ antiquitates. 40.

S. Paulus Episc. Virdunensis eremiticam vitam degens in monte urbi Trevirensi opposito nomen dat. 41. & 347. Inde Monachus Theologiensis Monasterii, & Episc. Virdunensis. *ibid.*

S. Petrus Apostolus Romam venit Claudio imperante. 143. Inde S. Eucharium cum sociis Trevirim mittit. *ibid.* Baculo suo S. Maternum 40. diebus mortuum vitæ reddit. 144. Ideò Pontifex Rom. in sola Ecclesia Trevirensi cum baculo prodire solet. *ibid.* Illi adhuc vivo S. Maternus Ecclesias statuit in Alsatia, hodie superstites Argentorati. 144. Occidentis littora & terras percursans Christum annuntiat. 145. Gloriosam mortem oppetit cum S. Paulo. 150. Initialis littera nominis Petri Π Græcum, una est ex quatuor formatæ Concilii Nicæni. 160. Dens S. Petri, & sandalia S. Andreæ Trevirensibus donata à S. Helena. 216. Clodovæus Francorum Rex aureum illi diadema dono mittit, cui nomen fecit Regnum. 306. Pipinus Franc. Rex victo Longobardo Pentapolin & Exarchatum in Italia S. Petro donat. 372. Contactu catenæ S. Petri Sigebertus Comes à dæmone possessus liberatur. 473. Baculi S. Petri cujus contactu S. Maternus revixit superior pars Coloniæ, inferior Treviris asservatur. 482. *& seq.* S. Petri reliquias ex collo gestat Childebertus Austrasiæ Rex. 335.

Philippi Impp. asseruntur ex Imperatoribus primi fuisse Christiani. 182. Idque operâ S. Pontii Martyris Galliæ. *ibid.*

Pipinus Landensis Dagoberti Austrasiæ Regis Major domus. 344. Elogium defuncti. 353. Grimoaldum filium habet successorem in officio. *ibid.* Conjux vidua, & filia S. Gertrudis Nivellis Deo sacrantur à S. Amando. 354. Filius Grimoaldus Dagobertum II. Sigeberti filium in Scotiam projicit affectans ipsius sceptrum, juxta quosdam. 355. Unde Parisiis in carcere mori cogitur. *ibid.*

Pipinus Heristallius eminet inter Austrasiæ Principes. 357. Infeliciter pugnat contra Ebroinum, feliciter contra Theodoricum Regem. *ibid.* Uxor ejus Plectrudis, filii Drogo & Grimoaldus. *ibid.* Saxones & Frisios domat, & S. Wilibrordum Apostolum illis procurat 538. Ejusdem in lasciviam lapsus & cædes S. Lamberti. 539. Epternacum dotat. 360. Cum ipso extinguitur Austrasiæ felicitas. 361.

Pipinus Brevis Rex Francorum extruso Childerico dividit cum fratre Carolomanno regnum Franciæ. 369. Allemannos, Boios, Saxones domat. 370. Carolomanno coronam cum veste S. Benedicti mutante solus regnat. *ibid.* A Zacharia Pontifice Optimatibus Regni petentibus Regis titulos assumit. 371. A S. Bonifacio coronatur, & à Stephano Pontifice ungitur cum uxore & filiis. *ibid.* Stephanum Pontificem ex Italia profectum deducit stratoris officio fungens. *ibid.* Epternacense Monasterium ditat, & toto regno à vectigalibus eximit. *ibid.* Victo Longobardo Pentapolin & Exarchatum S. Petro donat. 372. Saxones cogit annuum tributum 300. equos pendere. 373. Uxor ipsius Bertrada Prumiense Monasterium condit anno Christi 760. *ibid.* Organum musicum à Constantino Orientis Imp. dono accipit. 372. S. Goaris cellam donat Prumiensi Monast. ad hospitalitatem exercendam. 375. Intercute Parisiis exstinguitur. 378. Ejus in Ecclesiam Trevir. munificentia. *ibid.*

Poppo Trevirensis Episc. ortus ex Marchionibus Austriæ proponitur Clero Trevirensi à S. Henrico Imperatore pro Episcopo. 503. Ernesti fratris pro fera in venatione occisi illustris pœnitentia. *ibid.* Româ accipit Pallium Archiepiscopale. 505. Pallii mystica explicatio, & quibus diebus gestandum. *ibid.* Sikonis stratagemate expugnat prædatoriam arcem urbi incumbentem. 505 *& seq.* Saraburgum capit, Berncastellum evertit. 507. *& seq.* Phyltro veneficæ Monialis Palatioli impetitur. 514. Monasterium Monialium Palatioli ideò vertit in Collegium Canonicorum. *ibid.* Peregrinatur in Palæstinam triennio. *ibid.* S. Simeonem includit Treviri. 99. & 515. Ejusdem Canonizationem impetrat, & templo Collegiato eundem honorat. 520. Lutpoldus frater ipsius Ungaros delet. 521. Popponis mors, liberalitas in egenos, equo proprio illis in escam dato. 523. Christina illius soror Treviris inclusa. *ibid.* Impetrat ab Henrico III. Imperatore jus monetæ, & à vectigalibus immunitatem. 521. Ejus sepultura in S. Simeonis, & Epitaphium. 523. Elogium, forma. *ibid.* Non rectè dicitur Danorum Apostolus & Pontifex Romanus. *ibid.* Oleviæ rivum lapideo opere in urbem Trevirensem inducit. *ibid.*

Poppardia oppidum ad Rhenum. Bodabrigenses Martyres anno Christi 169. pro Christo obtruncati. 171. Peste à Persia ad Rhenum translatâ vindicati. *ibid.*

Probatio remissionis peccatorum per solutionem divinitùs factam compedum, quos rei graviorum criminum ad Templa SS. peregrinantes gestabant. 548. Annuli in flumen dejecti, & divinitùs recepti. 343.

Prumiense Monasterium anno Christi 760. conditur à Bertrada Pipini Regis conjuge. 372. Pipinus *Assuero* primo illius Abbati dat fiduciario jure cellam S. Goaris ad Rhenum. 374. *& seq.* Carolus M. pro tribunali sedens eandem Prumiensibus adjudicat contra Trevirensem Episcopum. 384. Pipinus Caroli M. spurius in patrem rebellis Prumiæ in pium Monachum attondetur. 386. Leo III. Prumiensem Basilicam consecrat 388. *Tancredus* Abbas Prumiensis in naufragio succurrit Maximino Abbati ad S. Gereonis Coloniæ. 397. *Marquardus* Abbas à Ludovico Imperatore ad Lotharium rebellem filium Legatus mittitur. 405. Gerungus palatii ædilis Prumiæ Monachum induit. 407. Idem Marquardus Româ corpora SS. Chrysanthi & Dariæ & aliorum Prumiam transfert. 410. Inde Monasterium Eifliæ ab ipso conditum, & nova cella appellatum. 411. Tulpiaci Basilicam exstruit. *ibid.* Lotharius Imperator Prumiæ vestem religiosam sumit. 414. Ejusdem istic mors & epitaphium. *ibid. & seq.* Catalogus reliquiarum quas Lotharius Prumiæ intulit. *ibid.* Idem apostatam Monachum à vita aulica reducit ad religiosam. *ibid.* *Egil* Abbas munus deponit successore Ansbaldo præstantis virtutis viro. 417. *Walto* ex competitore Episcopatûs Trevirensis fit Prumiæ Abbas. 426. Anno Christi 883. Prumia inceditur à Nortmannis. 432. *Ansbaldo* ad aram faciente admiranda sagitta ex Francia delata per aërem multorum fundorum donationem Monasterio adfert. 435. Iterum à Nortmannis diripitur, cæsis fugatisve Religiosis. 437. *Regino* Abbas libris celebris. *ibid.* Ejicitur à Monachis substituto Richario deinde Leodiensi Episcopo. 442. & 448. *Farabertus* ex Abbate Prumiensi Episcopus Leodiensis. 458. Anno Christi 952. Prumia floret disciplinâ & literis. 460. S. Henricus Imperator inspicit Prumiensem sacram divitem supellectilem. 496. Anno Christi 1018. fundatur Prumiẽse Canonicorum Collegium. 507.

Priscillianus Hæreticus Gnosticus. Infandæ illius hæreses. 358. Ex Ægypto per Hispaniam Trevirim inficiunt. *ibid.* A Damaso Pontifice rejectæ, & damnatæ à Concilo Cæsar-augustano à Gratiano Imperatore restituuntur in Hispania. 259. Treviris judicia Priscillianistæ corrumpunt auro. *ibid. & seq.* Treviris damnatur Priscillianus capite cum sociis aliquot. 267.

Q.

Quidleburgum in Saxonia Inferiore anno Christi 965. à S. Mechtilde Ottonis I. Imperatoris matre parthenone honori SS. Dionysii & Servatii ornatur. 470. A tribus Augustis Adelheida, Mechtilde, Theophania excolitur. 487. Otto III. Imperator ibi excipitur. *ibid.* Synodus Anno Christi 1087. contra Schismaticos pro Gregorio VII. istic instituitur. 564.

R.

Ratisbonensia. S. Erardus Episc. Ratisbonensis S. Hildolphum Episcopum Trevirensem fratrem in eremo visitat. 377. Et ipse paulò

post

post eremicola. 378. *S. Wolfgangus* ex Monacho Episcopus Ratisbonensis. 475. S. Emmerani Abbatiam Monachis restituit Treviri accitis. *ibid.* Arnolphus Imperator istic in statione sua ordinaria moritur. 442.

Reliquiæ Sanctorum. S. Magnericus Trevirensis Episcopus reliquiis S. Martini à naufragio servatur Confluentiæ. 530. Childebertus Austrasiæ Rex lipsana S. Petri ex collo gestat. 335. Egbertus Trevirensis Episcopus studiosè conquirit SS. reliquias. 488. Vide *S. Petrus*, & *S. Helena.*

S. Remaclus Tungrensis Episcopus circa annum Christi 652. Arduennam à Dianæ cultu purgat. 51. Malmundarium condit, dictum quasi malum mundatum. *ibid.* Ex aula Dagoberti Regis Austrasiæ seminario Sanctorum Episcoporum prodit. 343.

S. Remigius. Vide *Rhemensia.*

Rheingrafiorum familia. Ruperti Rheingrafii vidua & filia Crangor anno Christi 765. S. Stephano in Lotisheim fundant Ecclesiam. 374. Uroldus Abbas Prumiensis exRheingrafiis Daunensibus anno Christi 1018. Canonicos Prumiæ fundat. 507.

Rhemensia. Rhemi Principes Galliæ tempore Cæsaris jungunt se Romanis. 114. & 115. *S. Sixtus* cum sociis à S. Petro Rhemorum Apostolus mittitur. 147. Subditur Trevirensi ut Primati ab ipso S. Petro. *ibid.* Sub Nerone cum sociis Martyrio coronatur 150 Rhemensis urbs olim Duricodura dicta, Belgicæ secundæ caput ab Hadriano Imperatore constituitur. 165. *S. Nicasius* Rhemensis Archiepiscopus cum sorore ad altare à Wandalis trucidatur. 279. *S. Remigius* Rhemensis Archiepiscopus Clodovæum cum 3000. Procerum sacro fonte lustrat. 304. Præsidens Synodo Aurelianæ frangit insolentiam Arriani Dialectici. 305. Trevirensem Ecclesiam suæ sororem compellat. *ibid. & 424. & 603.* Ejus eximia eruditio. *ibid.* Ampulla cælitùs missa, & ritus ungendi Reges. 306. Regno Francorum constituto Rhemi & Treviri nominantur duæ Metropoles. 307. Theodulphi Abbatis in Monasterio à S. Remigio ædificato, corpus Treviris incorruptum servatur. 316. *Ægidius* Rhemensis Episcopus propriâ confessione convictus Argentorati exulat. 334. Ejus elogium. *ibid. & seq.* Dagobertus Rex Franciæ Rhemis salutatur. 344. *Sonnatius* Rhemensis Episcopus præsidet Synodo. *ibid.* Ejus decreta. *ibid.* *Rigobertus* Episcopus à Carolo Martello loco movetur, substituto Milone commilitone suo, 362. Permittitur Rhemos redire ut privatus. 365. *Tilpinus* Rhemensis Episcopus jussu Pontificis inquirit in vitam S Lulli Moguntinensis. 382. Falsò illi attribuitur fabulosa Caroli M. & Rolandi historia. 383. Ludovicus Pius cum conjuge Rhemis coronatur à Stephano Pontif. 396. *Ebbo* Rhemensis Archiepiscopus Germanus natione, Danorum Apostolus. *ibid.* Idem ob Ludovicum Imperatorem exauctoratum judicio Episcoporum damnatus seipsum exauctorat. 406. *Hincmarus* Ebbonis successor variis epistolis cum Trevirensi Hetti agit. 411. Ebbo transfertur ad Hildesiensem Cathedram. *ibid.* Hincmarus Carolum Calvum coronat loco Trevirensis. 424. Dehortatur Ludovicum à vexanda Trevirensi Ecclesia. 425. *Fulco* Rhemensis interimitur à Balduino Flandro ob Abbatiam S. Vedasti. 442. Schisma Rhemense inter Artaldum & Hugonem Archiepiscopum tollitur tribus Synodis, & urbis expugnatione. 456. *& seq.* Leo IX. in Synodo Rhemensi Simoniacos persequitur non sine miraculo. 528. Corpus S. Remigii elevat. *ibid.* S. Remigii Epistola monitoria ad Clodovæum I. Francorum Regem. 599. *Mappini* Rhemensis Episcopi epistola ad S. Nicetium Trev. 603.

Romana. Anno ante Christũ 123 Romana arma in Gallias translata. 109 & victis Arvernis, Narbonensis Provincia facta. 110. Origo causæque libertatis Romanæ amissæ discordia. 112 Belgica fit Romanorum Provincia. 114. Reip. Romanæ temperatio ab Augusto facta. 127. Idem Janum claudit. *ibid.* Anno ante Christum 12 Treviris fit Romanorum provincia. 129. Signorum, aquilarum & altarium in castris Romanorum religio. 137. S. Petrus Romam venit circa annum Christi 50, & suos spargit in orbem Rom. 143. Roma una omnium patria, mores, spiritus, linguam omnibus communicās nationibus victis. 145, *& seq. & 215.* Senatus Romani literæ gratulatoriæ ad Trevirenses. 189. Roma obsidetur ab Alarico Gothor. & capitur anno Christi 410. *p* 280, *& seq.* Iterum à Wandalis & 14 diebus diripitur anno Christi 455. *p.* 296. In Augustulo Imperium amittit, accepto Rege Odoacro Herulo. 301. Et hoc casu Theodorico Gothor. *ibid.* Totilas amissam mox recuperat. 318. Romani Leonem III. Pont. in ipsa processione fœdè tractantes à Carolo M. mulctantur. 387, *& seq.* trecentesimo anno post exstinctum nomen Imperatorium, Roma pro Imperatore accipit Carolum Magnum. 438. Indignè habetur per ambitionem quorundam. 443, *& seq.* Fabula de Papa fœmina exploditur. 438. Liberatur Roma à tyrannide Alberici per Ottonem I. 465, *& seq.* Arnulphus Imp. invitatus à Formoso Pontifice eandem capit. 438. Romana res 456 annis ad Rhenum & Mosellam stetit inconcussa, à Stilicone eversa legionibus à Rheni limite amotis. 585.

Rosimunda Longobardorum Regina in ultionem patris Alboinum maritum veneno tollit. 606. Etiam ipsa mori cogitur veneno mixto Helmingo adultero suo. *ibid.*

S. Rusticus II. Trevirensis Episcopus S. Nicetii successor Trevirim evocat S. Goarem ad causam dicendam. 325 Publicè ab infante trium horarum vulgò concepto proditur pater. *ibid.* Septenni pœnitentiâ crimen eluit. *ibid.* Sanctè moritur, & inter Divos relatus miraculis honoratur. 327.

S.

Sabinus, & Eponina nobiles Galli conjuges sub Vespasiano Imp. novenni latebrâ subterraneâ convivunt. 159. tandem ab eodem gladio percutiuntur. *ibid.* generosa moritura Eponinæ ad Imperatorem verba. *ibid.*

Salmensis familia. In pago Salm in gremio Arduennæ Concilium convocat Induciomarus contra Romanos. 121. Vetus istic monumentum Curiæ Arduennæ. *ibid.* Qui ultimus ad hunc conventum accedebat multis suppliciis excruciatus peribat. *ibid.* An filio Albanæ viduæ à S. Euchario resuscitato in sacro fonte nomen sit datum à Simmetrio sexto Salmensium Comite? 147.

Saravus fluvius fuit limes Australis veteris urbis Trevirensis, 37. Ejus pons vetus & sex ostia *ibid.* proximè illum concha arx operis Romani, unde Contzen pagi nomen. *ibid.* Arcis Saraburg descriptio, occupatio à Poppone Archiepiscopo

Trev. & eversio à Joachimo Brandeburgico. 506.
Saturnus idem qui Græcis Χρόνος tempus, dictus quasi saturannis, quòd tempus omnia gignat & consumat. 13. An ab illo & Dea terra, Germanis Herthû, Latinis Vesta, Treviri prognati? *ibid.*
Scabinus, nomen officii à Longobardis instituti, sic dicti à Germanico Schaffen, id est exequi negotia. 391. Sicut Schulteti & Schulteis ab exigendis debitis. *ibid.* Vide alias nomenclaturas officiorum Trevirensium ævo Caroli M. *ibid.*
S. Sebastianus Martyr. Ejus sacra ossa Româ in Franciam, pars cranii Treviros translata. 400.
Semiramis incerto patre nata, educata à Regio Pastore, nubit Memnoni Satrapæ. 7. Ejus ductu Ninus capit Bactreas. *ibid.* non sine arte magica. *p.* 8. Nino jungitur, marito ex mœrore se strangulante. *ibid.* Defuncto Nino flagitiosè vivit, amasios cæsos honorificè tumulat. *ibid.* Trebetam privignum ad incestum frustra sollicitatum, acie victum, exulare cogit. *ibid.* Nemrodo vel Jovi Belo mausoleum struxit vel templû ad stadii altitudinem. 13. Patria fuit Ascalonita, mulierum quæ fuerunt & erunt, improbissima, opinione Strabonis. 10.
Sepulchra eorumq; inscriptiones. Secundinorum illustris Pyramis. 41. & 87. Inscriptiones sepulchrales. 59 *& seq.* Funera & cœmiteria Christianorum. 167. Ethnicorum inscriptum *Diis Manibus*, Christianorum *Pax*. 64. Vide *Antiquitates*.
S. Servatius Tungrens. Episc. cum S. Maximino Trev. Episc. in Orientem & Italiam legatur, à Maxentio Tyranno. 233. Abbatia S. Servatii Traject. ab Arnulpho Imp. datur Ecclesiæ Trevirensi. 425. ablata à Zuendeboldo Lotharingiæ Rege eidem restituitur. 441. Diploma Caroli Simplicis Regis Frāciæ & Lotharingiæ tertiò eandem restituens. 448. Iterum abstrahitur à Giselberto Lotharingiæ Duce, eique adjungitur Gulisa pagus ad Mosellam. Anno Chr. 928. *p.* 450. Giselberto in Rheno propè Andernacum merso, restituitur denuò ab Ottone I. Imp. 454, *& seq.* Baculus & stola S. Servatii in Saxoniam translata, eripiuntur Saxonibus ebriis. 469, *& seq.* S. Mechtildis Ottonis I. mater templum honori S. Servatii condit Quedlinburgi. 470. Abblata S. Servatii Abbatia denuo restituitur Ecclesiæ Trevir. ab Ottone III. 491. S. Henricus Imp. supplicabundus S. Servatium Trajecti adit. 496. S. Servatii ossa Gulissam deportata subitâ morte raptores tollunt. *ibid.* & pueros furtivè botros carpentes castigant. *ibid.* & duos nobiles per ursam, & equum. 535. & Godefridum Ducem Lotharingiæ avum maternum Godefridi Regis Solymæ. 546. S. Servatii cum viginti aliis Episcopis in Ariminensi conciliabulo fortitudo. 245.
S. Severinus Coloniensis Episcopus non Ubiis tantùm, sed toti Belgio invigilat. 272. S. Evergislum Tungrensem format ad successionem. *ibid.*
S. Severus Trivirensis Episcopus S. Lupi Tricassensis discipulus. 285. Britanniam purgat à peste Pelagii. 286.
Severus Sulpitius. S. Martinum spectabilem ab obitu videt cum vita ipsius à Severo descripta. 276. Viduus sæculo renuntiat hortatu Bassulæ. *ibid.*
Severus Imper. Tres Imperii competitores cogit mori. 175. Crudelissimè autem Clodium Albinum Galliæ Præsidem. *ibid.* ejusque odio Gallicam nobilitatem. *ibid.* filius illius Caracalla Christiano lacte in Gallia nutritur. *ibid.* ex fautore fit sævissimus Christianorum persecutor, etiam Treviris. 178, *& seq.*
Sigeberga Monasterium conditur anno Christi 1060 ab Henrico Palatino. *p.* 537. Monachi ex S. Maximini Treviri, & ex Italia eò transferuntur. 549. Vide *S. Anno Episc. Colonien.*
Sigebertus I. Rex Austrasiæ patri Clothario succedit in regno. 322. mox S. Nicetium Trevir. Episc. ab exilio revocat. *ibid.* S. Goarem vult succedere Rustico Epic. Trev. pœnitenti. 326. Hunnos prælio vincit, Suevos in Saxonia collocat. *ibid.* Brunechildem filiam Regis Gothorum in Hispania sibi thoro jungit. *ibid.* in Chilpericum fratrem bis arma movet. 327. Theodobertum nepotem in prælio occidit, & Parisiorum Rex salutatus in obsidione Tornaci fraude Fredegundis interficitur. 328. Ecclesiam Trevirensem tot excidiis fœdatam possessionibus locupletat. *ibid.* Fribeburgam sponsam Christo se devoventem ad asylum altaris, Christo cedit. 339.
Sigebertus II. Austrasiæ Rex Dagoberti filius dum à S. Amando infans baptizatur respondet Amen. 348. Vivo patre admodum puer Rex Austrasiis datur educatore S. Cuniberto. 350. cum Clodovæo fratre paternas gazas dividit triente contentus. 353. Parænetica Desiderii Cadurcensis ad illum Epistola. *ibid.* Infeliciter pugnat contra Thuringos & Thuringiâ mulctatur. 354. Duodecim monasteria condit & inter illa Stabuletum. *ibid.* Aquisgrani diploma dat S. Modoaldo Trevirensi Episcopo contra direptores bonorum Ecclesiæ. *ibid* Mortuus miraculis claret, & annuo festo celebratur. 355. Filius ipsius Dagobertus II. juxta quosdam in Scotiam & Monasterium cogitur. *ibid. & 616.*
S. Simeon Eremita Trevir. Siculus ortu, Bethlemi & alibi eremum colit. 57. ejus adventus ad Treviros. 508. & responsum de S. Martiali uno è 72. discipulis Domini. *ibid.* cum Poppone Archiepiscopo Trevirensi in Palæstinam redit. 514. redux Treviris inclusus vivit septennio. 515. prædictâ morte migrat in cœlum. 517. Divorum fastis adscribitur. 519. refutatur fabula de altari à dæmone curvato, & dæmonis ungue. 527.
Spirensia inter alias 40 urbes ad Rhenum anno Chr. 556 Nemetes capiuntur ab Allemannis. 240. *Basilius* Spirensis Episcopus ex disciplina S. Bonifacii interest consecrationi basilicæ S. Goaris. 379. *Siblicho* Spirensis Episcopus in Synodo Moguntina divinitus punitur sumptâ Eucharistiâ indignè ad purgationem adulterii. 529. *Eginhardus* Episcopus Spirensis malè habetur à Theodorico Comite Trevir. 543. Spira & Argentina à Wandalis capitur. 586.
Spirituum humanorum apparitiones. SS. Eucharius & Valerius Episcopi Trevirenses visibiles invitant S. Maternum ad cæli gaudia. 166. Anonymus sanctus Senatorem Trevirensem in visione hortatur ad fidem & Baptismum Christi, quem plebs imitata triduo baptizatur in rivo Olevió. 160. S. Martinus à morte Severo Sulpitio se lumine circumfusum exhibet videndum. 276. Idem Canonicôs ignavos incolas Monasterii S. Martini pedo minax inde exturbat Treviri. 477. Papianilla à marito Parthenio occisa eundem ad divinum tribunal evocat, mox à plebe Treviris lapidatum. 319. S. Gregorius M. & S. Andræas minaces flagello Thiedgaudum Trevir. Episc. excommunicatum expellunt ex Monasterio 423. S. Maternus conspicuus Hetti Trev. Ep. monet transferre ossa S. Castoris Confluentiam. 403. S. Maximinus plagis inflictis

flictis Gisilbertum Ducem cogit excedere Monasterio suo. 451. SS. Martyres Trevirenses sepulturæ suæ locum manifestant. 549. Anonymus Episcopus sanctus S. Henricum Imp. deterret ab injuria S. Heriberti Arch. Colon. 510. Episcop. Wormaticensis in visione S. Annoni Arch. Colon. persuadet oblivionem injuriarum à civibus acceptarum. 553. Gloriosissima Virgo Deipara prædicit Horreensem Abbatissam discolam 40. annis ob Monialium peccata præfuturam. 572. S. Mauritii legio Constantino Imp. in prælio auxiliaris adest. 573. Drusus à spectro fœminæ prohibetur ultra Albim arma Romana proferre, & mox exstinguitur. 131.

Stabuletum Monasterium conditur inter 12. alia à Sigeberto II. Austrasiæ Rege an. Chr. 651. 354. Incenditur à Nortmannis an. Chr. 882. 432. A Poppone S. Maximini Abbate restituitur disciplinæ religiosæ. 516. Ab eodem nobili Basilicâ ornatur an. C. 1040. 519. Poppo sanctè moritur, & Treviri Stabuletum ad sepulturã transfertur. 524.

Steinfeldia Monasterium an. Chr. 920. Virginibus sacris fundatur. 447. & ornatur plurium SS. Martyrum corporibus Cordena à Mosella translatis. *ibid.* Post Canonicis Springirsbacensibus, nunc Norbertinis datum. 448

Stilico Wandalus socer Honorii Imp. illius in bello felicitas & perfidia. 585. Rheni limitem aperit Germanis. *ibid.* Gladio subjicitur ab Honorio, filia abjicitur. 587.

T.

THeodosius Imp. Maximum Tyrannum percussorem Gratiani Imp. vincit, & supplicem occidi mandat. 271. Mox etiam Eugenium & Arbogastem interfectorem Valentiniani II. victoriâ divinitùs concessâ. 273. Moritur diviso Imperio inter filios Arcadium & Honorium. *ibid.*

Theodoricus I. Austrasiæ Rex Clodovæi filius Metis Regiam Austrasiæ collocat. 307. Danos & Thuringos vincit. 308. *& seq.* Hermenefredum Thuringorum Regem dolo ex mœnibus Tulpiaci deturbatum necat. 309. Arvernos expugnans & spolians ipse dementatur, milites ipsius à dæmonibus correpti seipsos dilaniant. 310. à fratribus dissidet. *ibid.* ejus sævitia in Desideratum Episcopum Virdunensem. 313. moritur in apparatu belli contra Amalesuntham Italiæ Reginam. *ibid.*

Theodebaldus Rex Austrasiæ Theodeberti filius patri puer succedit. 319. Justiniani Imp. armorum societatem contra Gothos repudiat. 320. Contra Narsetem ejusdem belli ducem primò feliciter, deinde infelicissimè pugnat. *ibid.* Moritur absque liberis. *ibid.*

Theodebertus II. Austrasiæ Rex Theodorici filius à S. Nicetio de adulterio reprehẽditur & emendatur. 314. Obit Divorum memoriis Treviri, & perjuri presbyteri subitam mortem ad S. Maximini spectat. 317. Deuteriam pellicem à se removet, ob Zelotypiam propriam filiam in Mosa submergentem. *ibid.* Tempestate à Deo immissa prohibetur oppugnare Clotharium patruum. *ibid.* Virdunensium famem & egestatem levat. 318. Totilæ Gotho filiam desponsandam negat. *ibid.* ejus mors incertum an à Tauro agresti illata. *ibid.* Elogium illius, præsertim rei Christianæ promotæ. 319. Parthenii quæstoris ipsius infelix apud Treviros cædes. *ibid.*

Theodoricus Trev. Archiep. à Joanne Pontif. Primas Germaniæ & Galliæ declaratur, & legatur Legatus à Latere diplomate quod exhibet. 472. & à Benedicto VII. Vicarius Sedis Apostolicę 476 Quatuor Coronatorum cella Romæ, habitationi Trevir. Archiep. donatur. *ibid.* Monasterii S. Martini sarta tecta, & disciplinam restaurat. * 477. ejectis Canonicis visione terrifica S. Martini. *ibid.* sub illo Canonici primarii redeunt ad vitam sæcularem Treviri & alibi. 478. moritur Moguntiæ, ejusdem encomiam. *ibid.* Vitam S. Luitrudis rhytmo conscriptum à se vulgat. 479.

Thiedgaudus Trevir Archiep. Lotharii Junioris stultis amoribus favens exautoratur cum Archiep. Coloniẽsi. 420. Patientiùs fert hanc calamitatem, quam socius spernens fulmen Apostolicum. *ibid.* satisfacit Pontifici. 422. Canis monstruosus in sede ipsius jacere visus. 423. à S. Gregorio Mag. per visum ejicitur ex Monasterio S. Andreæ Romæ. *ibid.* Exul & egens cum suis moritur. *ibid.*

Tiberius Imp. Drusi fratris cadaver pedes Romam è Germania prosequitur. 132. Germanorum 80 millia transfert cis Rhenum ubi nunc est Burgundia. 133. *&* 152. ideoque Romæ ovat anno ante Christum sexto. *ibid.* anno post Christum 7 & 10 redit in Germaniam ulturus Varianam cladem. 134. *& seq.* Succedit Augusto in Imperio. 137. Agrippinæ Germanici uxoris favorem apud legiones suspectum habet. 139. & ipsius Germanici in bello Germanico fortunam; eamque specie triumphi sistit. *ibid.* mittit illum in Orientem periturum. *ibid.* Christum in Deorum numerum referri vult invito Senatu. 141. Druidum humanas victimas in Gallia tollit. *ibid.* Corbulonem cohibet à Germanis bello victis persequendis. 142.

Traianus Imp. Coloniæ Agrippinæ Germaniam, Galliamque moderans assumitur à Nerva in Imperii societatem. 163. Rhenum & Euphratem jungit imperio, ac tertiam in Christianos persecutionem movet. 164. Morborum agmine cruciatus interit. 165. Refellitur fabula de illo salvato precibus S. Gregorii Magni. 164.

Treviris urbs Ethnica. An ejus conditor Trebeta Nini filius? negat Browerus. *p.* 9. *& seq.* affirmat Masenius. *p.* 77. *& seq.* Et quatuor alii celebres historici. *p.* 7. Putatur condita anno Abrahami decimo-sexto, ante Romam annis 1250. *p.* 7. Kyriandri Causidici acatholici opinione vivente Noëmo. 8. In monte occiduo Apollinem olim coluit, in Orientali Martem, hodie manente nuncupatione. 30. Cives Christiani ex Apollinis monte rotam ardentem annuè devolvunt in memoriam triumphati Idoli. *ibid.*

Priscæ urbis longitudo sex millia passuum numerat ab Austro in Boreã, latitudo duo millia. 30, *&* 101. Mosella flumine alluebatur ad modum literæ ∽ jacentis. *ibid.* Aquæductus duplicis vestigia ostentat Oleviani & Agrippinensis. 38. vide supra *Aquæductus.* Alii subterranei meatus, & latibula varia pro Christianis tempore persecutionis, & pro occulto accessu ad arces obsessas. *ibid. &* 82. Amphitheatri icon & explicatio, cum descriptione processionis quâ illud adibatur. 83. *& seq.* vide supra *Antiquitates.*

Latinæ & Græcæ linguæ usus Treviri, etiam ante Romanorum arma. 103. Sub Romanis etiam fœminis familiaris. 104. Salaria Professorum sub Romanis. 104. *&* 255. Bibliothecæ Romanæ ectypon. 105. Varius scriptionis & librorũ modus. 106.

Treviris T. Labienum primum Romanorum admittit Ducem, ante Christum annõ 54. *p.* 117. ab Augusto fit Romanorum colonia, anno ante

Christum 12. *p.* 129 Ideoque jure & suffragiis Romanæ civitatis donata. 130, *&* 145. Quo loco Capitolium Treviris. 146. De porta Martis, antiqua turri & fano. 46. De Palatio urbis. 47, *&* 93. An sit Palatiolum. 500. De propugnaculis, asylis, fanis domesticis. 96. De antiquissimo ponte, ejus icon. 97.

Treviris rebellat Romanis, & à Cereali Vespasiani Legato ad obsequiū reducitur. 157. ad ipsum pontem urbis Batavi, Galli, Germani victores vincuntur. 158. A Germanis in persecutione Valeriani Imp. primò vastatur. 185. Posthumus Imp. instauratam incolit. 185. & alii illius successores quidam & Victorina Victorini Imp. mater; à qua Treverica moneta. 186. Sub Rictiovaro tribus diebus continuis civium & militum Christianorum sanguine Mosellam cruentat decem passuum millibus. 194. Multitudo Trevirensium Martyrum defenditur. 195. Frequens istic commoratio Diocletiani & Maximiniani Impp. unde ingens urbis incrementum. 196, *& seq.* Etiam sub Constantino. 207. Urbis sub eodem idolomania. *ibid.* Constantinus Treviri Prætorium constituit. 223. Icon & insignia Præfecti Prætorii. 224. Ultima Galliæ urbium Magnentium Constantis Imp. percussorem admittit. 234.

Treviris Christiana. Vide supra *S. Eucharius, S. Valerius, S. Maternus,* &c.

Treviris Christiana mater est innumerabilium Martyrum, hospita SS. Athanasii, Hieronymi, Ambrosii, Martini, &c. 36. Ex quatuor portis urbis veteris Alba, Nigra, Media, Inclyta vocatis, sola Nigra superest, Martis dicta, nunc S. Simeonis templo connexa. 46, *&* 48. *& seq.* An illa vetus fuerit Capitolium, suspicatur Browerus. 46. dubitat Masenius. 99. Ejusdem templi admirabilis fabrica & icon. 46, 99, *&* 100.

Treviris altera Roma, Imperatorum sedes tres à S. Petro accipit Apostolos ad fidem in Septentrione propagandam. 101. Druidibus primùm, tum Religiosis Benedictinis, Canonicis Regularibus S. Augustini, denique PP. Societatis JESU utitur Professoribus. 105, *& seq.* Lactantius & Ausonius istic docuerunt, ille Crispum, hic Gratianum, & Valentinianum. 104, *&* 250. S. Wolfgangus Episc. Ratisb. juventutem urbis. 462.

Universitate ornata est anno Chr. 1454. *p.* 106. Electorali dignitate sub Greg. V. & Ottone III. *ibid.* Rhetorica ibi floret Gratiano Imperat. 251. Quatuor olim intra, nunc extra urbis mœnia numerat Monasteria S. Benedicti. 100. Domicilia Monachorum & Monialium Treviris tempore Gratiani. 264. Dum Constantius Pater in Oriente, Cōstantinus filius in Occidente Treviris bellum idolis indicit. 225. Sub Valētiniano I. artibus mechanicis, & publicis ædificiis efflorescit. 257.

Wandali Trevirim delent prodromis avaritia & ebrietate civium, anno Chr. 406. *p.* 278. à Francis anno Chr. 409 incenditur. 280. Iterum ab eisdem exscinditur an. Ch. 413. *p.* 282. Civium insania in hoc excidio pro Circensibus ludis, ex Salviano. 282. Qui incolæ urbis post tot clades. 283. Quartum excidium intra quinquagesimum annum, qui fuit Christi 451 ab Attila. 288. vel potius à Francis. 591. Invitatis à Lucio Senatoris ob Aviti Imp. obscænū sarcasmum. 296. His deinceps servit. *ibid.*

Prætorium Galliæ ab Honorio Imp. Treviri Arelatem transfertur agente Stilicone. 586. Unde ruina Romani Imperii ob desertum limitem Rhenanum. 588.

Sedes Romani Imperii quando, quare, & quādiu Treviri collocata? 585. Diviso regno Lotharingiæ ab Ottone II. in Lotharingiam & Lotrichium Treviris Germanis adhæret, post 140 annū Lotharingici regni 480. Trevirensis urbis Magistratus & Leges sub Carolo M. & successoribus. 391. Exscinditur quintò à Nortmannis an. Ch. 883. *p.* 452.

Trevirensis Ecclesia Primatus & Metropolitani honore ornatur à S. Sylvestro & Hilario Pontificibus. 215, *&* 300. Episcopi Trevirēses domicilium habuerunt, ubi nunc est cœnobium S. Martini. 343. Providentia divina erga Trevir. Ecclesiam sub Milone discolo Episcopo. 372. Treverica sacra occultantur Normannorum metu. 430. Diplomata Arnulphi Imp. & Zuendeboldi Regis Loth quibus Abbatia S. Servatii Traject. datur, & restituitur Ecclesiæ Trevir. 435, *&* 441. Aliud Diploma Ludovici Imp. quo jus urbis Trevirensis Archiepiscopo restituitur. 443. Diploma Caroli Simplicis pro libera Episcopi electione. 446. Otto I. Imper. Ecclesiam Trevirensem eximit ab omni sæculari Jurisdictione Comitum. 456. Crux lapidea in foro Trevirensi collocata anno Christi 958, ob cruces de cælo in vestes deciduas. 462. Ineptiæ Kyriandri de hac Cruce exploduntur. *ibid.* Trevir. Archiepiscopus constituitur Primas Germaniæ, & Galliæ, & Legatus à Latere perpetuus. 472. Idem jus Primatus confirmatur anno Christi 1049, & jus Romanæ thiaræ. 526. Trevirensium Episcoporum S. Materno proximè succedentium nomina. 168. Canonici Metropolitani communem vitam amplectuntur anno Christi 959 suasore S. Wolfgango. 463. sed mox eandem deserunt 478. Martyrum Trevirensium anno Christi 1071 inventio miraculis plena. 547, *& seq.* Trevirensis & Rhemensis Ecclesia sorores se compellant. 305, 421, *&* 603.

Treviri populus. Appellantur Belgarum Principes à Cæsare. *p.* 15. Druidæ illos à Dite vel Mercurio prognatos asserebant. *ibid.* cum Germanis Deam Herthum vel terram, quæ est Vesta, colebant matrem. *ibid.* Quare? *ibid.* Trevirorum & aliorum populorum origines obscuræ sunt, sicut Nili. 14. Treviri à Germanis Transrhenanis orti, juxta Browerum. 18. vel occupati, juxta Masenium. 80. Galatæ in Asia illorum idiomate loquuntur teste S. Hieronymo. *ibid.* Felices quòd in Europa & Asia inter primos Evangelio lustrati ab Apostolis, vel illorum Discipulis. *ibid.* Diu ante Cæsarem Treviri & Nervii Germanicum nomen affectārunt, ut ab inertia Gallorum separarentur, ut Cæsar testatur. 21.

Primâ ætate fuerunt Galatæ, secundâ Germani, tertiâ Romani, quartâ Franci. *ibid. & seq.* Linguâ primùm veterum Gallorum usi, tempore S. Hieronymi Orientalium Galatarum, denique Germanicâ. 25. *& seq.* Hujus paradigma in lege Ludovici Pii. 26.

Ante Christum ex Druidum disciplina humanas victimas immolabant Theutati qui est Mercurius, & Heso seu Marti. 38. Vide supra *Druidas.* sub Romanis idolomaniam illorum sectati sunt. 30. Deinde Christianæ Religionis tenaces. 27.

Veteres Treviri primùm paruerunt Regibus, tum Optimatibus, denique sub Augusto Civitate Romanâ donati, affinitatibus, & subjectione Romani facti sunt. 32. *& seq.* Equitatu excellebant inter alarios Romanos. 34. *& seq.*

Limites veteris Trevirorum Imperii à Rheno usque ad Lingones, Rhemos, Nervios, Eburones.

nes. 47. & 101. An illis comprehensæ fuerint quinque Rhenanæ urbes, Agrippina, Moguntia, Wormatia, Spira, Argentoratum. 49. & 103. Moderni Imperii longitudo & latitudo cosmographica. 71. Politica longitudo 130. milliarium, latitudo minor. 72. Nunc distinguitur in Satrapias 33. plus minus; olim Regum tempore in pagos. *ibid.* Ditionis Trevericæ fertilitas grani, pecoris, vini, metallorum, etiam argenti, acidularum: marmor, lapides molares suppeditat, & sectiles pro tegulis. 75. *& seq.* Flumina, lacus & pisces. 67. *& seq.* & 74.

Romanis societate junguntur Treviri contra Germanos anno ante Christum 56. 114. J. Cæsar castra apud illos figit ad Saram fluvium loco Castellum dicto, illius descriptio. *ibid.* Ab Inducimaro in Romanos concitantur. 119. & 121. Profligantur amisso Rege Inducimaro à Labieno ad Sabin fluvium. 122. Cujus cædem infeliciter ulciscuntur ad Mosam. 123.

Treviri liberi Romanorum socii. 125, *&* 180. Urbe Romana donantur & Senatu. 145. Linguam & ædificia privata & publica imitantur. 146. Romanos juncti Batavis bello petunt sub Vespasiano. 155. cæduntur ad ipsum pontem Trevirensis urbis. 158

Nobilitas Trevirensis, ejus origines, & ministeria. 79

Tullensia. *S. Mansuetus* à S. Petro mittitur Apostolus ad Tullenses. 147. *& seq.* *B. Eucharii* Tullens. Episc. frater S. Eliphius à Juliano Apostata martyrio coronatur. 147. & duæ illius sorores Libaria & Susanna. *ibid.* Liberdunum Tull. ditionis oppidum & castrum. *ibid.* ad quod S. Eucharius caput abscissum defert. *ibid.* S. Eliphius inde Coloniam Agrippinam delatus ad S. Martini monasterium. *ibid.* Vetus inscriptio horum martyrum. *ibid.* Tullensium Episcoporum catalogus parum certus. 298. *Auspicius* an secundus, an quintus Tullensium Episcopus. *ibid.* *Valerius* Tullensis Episc. Aurelianensi Synodo interest; ejus Synodi tria capitula. 320. Tullense prælium fratrum Theodeberti Austrasiæ & Theodorici Burgundiæ Regum, & utriusque interitus cum tota familia. 338. *& seq.* *Adeodatus* Tullensis Episc. nomine Francorum & Austrasianorum mittitur ad Concilium Romanum, eique subscribit. 357. Puella triennio cibi expers manet apud Tullenses, post Eucharistiam in Paschate sumptam. 399. Anno Christi 889 Tullensis ager à Normannis vastatur. 435. *Lutbelmus* ex monacho S. Maximini Episc. moritur cum virtutis fama, Drogone successore. 444. *Bruno* Conradi Imp. consanguineus Tullensis Episcop postulatur. 513. idem invitus Romanæ Sedi præficitur, Leo IX. dictus. 525. Odo Comes Campanus Tullum frustra obsidet. 517. Brunonis duplex visio de annis regiminis ipsius, & simoniæ labe Ecclesiam deformante velut rugosam vetulam. 525. Bruno Tullum revisit, & S. Gerardi decessoris sui corpus elevat. 529. In Synodo Rhemensi miraculose Simoniacos persequitur. 528. *Popponis* Tullensis Episcopi peccata & pænitentia. 551. *Bibo* Tull. Episc. Henrico IV. schismatico penè solus adversatur. 560, *&* 564. *S. Gerardus* Episc. Tull. cuspidem clavi Dominici miraculo Treviri Tullum defert. 582. Chronologia Tullensis Breviarii emendatur. 584. Epistola Auspicii Tull. Episc. de Jamblicho Trevirensi Archiepisc. 596. Tullensis Synodus in causa Guelinonis Senonensis Episcopi. 416.

Tungrensia. Tungrorum civitas anno ante Christum 25 fit ab Augusto Romanorum colonia Octavia dicta. 128. ab eodem Germaniæ secundæ vel inferiori attribuitur. *ibid.* à S. Materno fidem Christi docetur. 162. Tungrensis Ecclesia usque ad Servatium una fuit cum Trevirensi 168, *&* 188. Nomina Episcoporum Tungrensium S. Materno proximè succedentium; eorumque merita. *ibid.* Vanitas quorundam Catalogorum Episcoporum Tungrensium. 188. Acta Episcoporum in persecutionibus & excidiis Tungrorum & Trevirorum perierunt. *ibid.* A *S. Martino* Tungrorum & Trevirorum Episc. Evangelii lucem accipiunt. 204. *S. Valentinus* ultimus Trevirorum & Tungrorum simul Episc. pedum Episcopale aræ Deiparæ imponit. 212. quo facto divisio Episcopatuum significabatur. *ibid.* Julianus Imp. Tungris Salios Francos deludit, & mox in Toxandria opprimit. 243. Ab Attila Tungrorum Colonia exscinditur. 288. & Normannis anno Christi 882. *p.* 432 Clodio II Francorum Rex in finibus Tungrorum sedem regni collocat. 590.

Vide supra *S. Maternum. S. Servatium.*

V.

V*alentinianus I. Imp.* Relegatur à Juliano Apostata quod sacrificulos idolorum male habuerit. *p.* 248. Joviniano Imp. succedit, & Nicæni Concilii fidem defendit in Imperio Occidentis. *ibid.* Treviris commoratur, & plures leges condit. 249. Variis præliis Allemannos glaciatum Rhenum transgressos ex Gallia ejicit. *ibid.* Valentem fratrem, & Gratianum filium Imperii consortes dicit. 248, *& seq.* Allemannos ad fontem Nicri fluminis in aspero monte oppugnat & de victis Treviri triumphat. 250, *& seq.* Treviris sub illo reflorescit artibus mechanicis & publicis operibus. 251. Saxones in Belgica Secunda delet ex insidiis, & Burgundos in Allemannos armat. 252. Treviris fert legem de immunitate Ecclesiastica. *ibid.* Manichæorum conventicula prohibet. 253. Germanos in Wesbaden trans Rhenum opprimit. *ibid.* exercet pictoriam & plasticen. *ibid. & seq.* S. Martinum invitus flammâ prorumpente ex sede audit Treviris 254. Exstinguitur apoplexiâ. *ibid.* ipsius ac filii ossa Andernacenses asservent. *ibid.*

Valentinianus II. Imp. S. Ambrosius ipsius rogatu semel, iterumque Trevirim proficiscitur ad Maximum Tyrannum pro repetendo corpore Gratiani fratris Imp. 262. Ab eodem Maximo ex Italia ejicitur. 270. Illo à Theodosio Imp. occiso Trevirim venit. 272. ab Arbogaste strangulatur. *ibid.*

Valentinianus III. Imp. Honorii Imp. ex sorore Placidia Nepos in Imperio successor Gothos Arelate per Aetium pellit, 284. per eundem Clodionem Francorum Regem ex nuptiis Atrebato ultra Rhenum pellit. *ibid.* Latens ob Attilam ad Apenninum omnia obvia proterentem, desperans à S. Leone Pontif. liberatur. 294. Aetium falsis criminationibus circumventum interfici jubet, & ipse mox cæditur. 295. Eudoxia ejus uxor ultionis causa Gensericum Wandalum evocat qui Romam 14 diebus diripit. 296, *&* 592.

S. Valerius Trevir. Episc. post S. Eucharium 1. annis rem Christianam promovet. 161. Moriturus seipsum sacro Viatico munit. 161. Ejus

præconium

præconium veteri versu descriptum *ibid.* Corpus Goslariam in Saxoniam defertur. 531.

Valerianus Imp. Cur octava ipsius persecutio in Christianos cum septima confundatur. 185. Castigatur Germanorum in Gallias effusione, quâ Treviris vastata. *ibid.* ipsa à Sapone captus, turpiter consenescens, pelle tandem exutus sale conditur. 188.

Udo Trevirensis Episc. à schismate Henrici IV. Imp. se separat. 552, & 554. Conscribit Martyrologium. *ibid.* Schismaticos multos Episcopos ad saniora consilia retrahit. 556. Gregorii VII. ad illum Epistolæ duæ. 559. Mors & elogium ipsius. *ibid.* Est idem cum Adone Episc. Trev. unde supino errore ex uno Episcopo Trev. facti sunt duo. *ibid.* Ipsius morte Ecclesia Trevirensis in tetrum & longum schisma præcipitatur. *ibid.*

Vespasianus Imp. ab Orientali exercitu Imperator salutatus, sollicitat Treviros. 153. Per Cerealem Ducem vincit Treviros & Batavos rebellantes. 186, *& seq.* Epponinæ Sabini Galli conjugis iniquâ cæde familiam suam perdit. 159. per Titum filium Solymam eversam aratro proscindit. *ibid.*

Vindicta divina. In sacrificulos idolorum obrigescentes in conatu lapidandi S Eucharium Treviri. 146. In Julianum Apostatam cælesti telo percussum. 248. In Rictium Varum Christianorum carnificem dum se delectat aspectu suppliciorum SS. Crispini & Crispiniani, seipsum in flammas præcipitantem. 202. In ipsam Treviri rim ob crapulam & civium avaritiam quater spatio quinquaginta annorum excisam. 278, *& seq.* In duos perjuros ausos S. Maximinum in testem falsi appellare. 316. In alium petulanter illudentem S. Maximino. 438. In discolum acolythum in ejusdem Sancti templo divinitus in cineres redactum. 452. In plagiarium è ponte Mosellæ à S. Maximino præcipitem datum, & submersum. 467. In Canonicos ignavos à S. Martino è monasterio Trevirensi expulsos, & mox è vivis sublatos. 477. In Guntramum Bosonem horribili morte cæsum ob Theodorum Massiliensem Episc. malè habitum. 331. In pueros carpentes botros vineæ S. Servatii. 491. Et in duos nobiles tyrannicè habentes S. Servatii subditos. 535. In Brunechildem Reginam decem Regum sui sanguinis interfectricem equi caudæ alligatam & discerptam. 339. In Valentinianum III. Imp. cæsum ob adulterium, & in Maximum ejus parricidam. 295. In Parthenium quæstorem rapacem Theodoberti Regis à plebe Treviris lapidatum. 319. In Hermenefredum Thuringiæ Regem dolo fratres tollentem, dolo Tulpiaici è muro præcipitatum. 309. In Theodobertum Regem & socios spernentes S. Nicetii fulmen excommunicationis. 314. In Lotharium Juniorem & socios, in perjurio sacram Synaxim recipientes. 422. In Siblichum Episcopum Spirensem ob idem crimen. 529. In Henricum Comitem Palatinum vexantem S. Annonem Coloniensem Archiep. 537. In Theodoricum Comitem Trevir. naufragum ob cæsum S. Conradum Episcopum Treviren. 545. In percussores S. Willibrordi cujus posteri claudi nascuntur apud Zelandos. 549.

Virdunensia primus illorum Apostolus à S. Dionysio mittitur *S. Santinus.* 147. *Desideratus* Virdunensis Episcopus vir sanctus vexatur, à Theodorico Austrasiæ Rege exulare cogitur. 313. restitutus à successore in Concilio Aurelianensi sacerdotum cælibatum severis legibus astringit. 314. Deuteria Theodeberti pellex Zelotypa filiam Virduni in Mosa submergit. 316. Desideratus Episcop. populi sui egestatem levat auro à Theodoberto commodatò accepto. 318. Guntramnus Boso Virduni tragicum exitum sortitur. 331. *Agericus* Virdunensis Episcopus Childeberto Regi implacabilis est ob Ecclesiæ asylum violatum nece proditoris. 332. exstinguitur mœrore, ejus elogium. 334. *S. Paulus* ex eremita in monte urbi Trevir. opposito, fit Episcop. Virdunensis. 347. Illius Epistola ad Desiderium Episcopum Cadurcensem. 349. *Hilduinus* Vird. Episc. ævo Ludovici Pii Imp. vir in Imperio spectatus. 399.

Virduni regnum paternum partiuntur Ludovici Imp. filii. 409, *& seq.* Virdunensis Synodus de schismate Rhemensi. 450. *S. Firmini* Virduten. Episcopi translatio 13 miraculis illustris. 463, *& seq.* Virdunenses Wilgfridum Episcop. suum è captivitate liberant, ejusdem successorem Alberonem abjiciunt. 487. *& seq.* Lothario Galliæ Regi se dedunt. *ibid.* Postulante Ottone III. Imp. restituuntur Imperio. 489. Anno Chr. 1045 Virdunum à Lotharingiæ Duce incenditur. 522. *Theodoricus* Virdunen. Episcop. contumacia contra Pontificem frangitur. 551. ejusdem cum Henrico IV. Imp. schismatico familiaritas, & hujus ad illum litteræ. 562, *& seq.*

Vitellius Imp. Coloniæ Agrippinæ salutatur Imp. 152. Trevirensium auxilio vario Marte pugnat contra Ottonem, & à Vespasiano vincitur ad Cremonam. *ibid & seq.*

S. Ursula Virgo & Martyr An ejus passio gloriosa attribuenda sit Maximino Tyranno ad annum Christi 237. *p.* 181. Varia critiria de Cyriaco Papa passionis socio. *ibid.* An referenda sit ad tempora maximi percussoris Gratiani Imp. ad annum Christi 383 ex mente Baronii. 262. Videtur melius referri ad Attilam & annum Christi 451, & ad mœnia Agrippinæ Coloniæ. 288. *& seq.* Examinatur titulus & nota sepulchri S. Aetherei. 289, *&* 593. Clematius ex Oriente peregrinus basilicam S. Ursulæ construit. *ibid.* Virginei exercitus certamen defenditur contra Magdeburgenses Centuriatores. *ibid.* Gaufridi Britanni narratio & fluxa fides fusè exploditur. 290, *& seq.* Crisis decretoria Browerti historiæ Ursolanæ ætatem, opinione potiùs, quàm veritate sustentari. 293. Traditio Coloniensis de historia Ursulina contra Alfordum defenditur ipsis acatholicorum testimoniis. 593, *& seq.*

Wandali Trevirim, Moguntiam, Metas vitiis corruptas exscindunt. 278, *& seq.* à Francis sociis 20 millia Wandalorum cæduntur. 280. à Stilicone in Gallias invitati penetrant in Hispaniam. *ibid. &* 586. Convertuntur ad Christi fidem. 281. Genserico Rege ex Africa Romam invitati 14 diebus diripiunt. 296. Wandalorum persecutio in Catholicos. 303. à Constantino Tyranno vincuntur. 587.

S. Wendelinus ex regia Scotorum stirpe subulcus in Treviris. 346. Deinde Cœnobita in Theologiensi monasterio, *ibid.* Sepulchrum illius miraculis, & oppido ejusdem nominis honoratur. *ibid.*

Wetzlaria oppidum. Ejus origo Anno Christi 897. Ecclesiæ illius Archypresbyter 92 pagis præest. *ibid.* Lutheri peste fœdatur. *ibid.*

S. Willibrordus cum 12 sociis ex Anglia progressus, Pipino Austrasiæ præside favente, Frisios,

& Batavos

& Batavos ad Christum adducit. 358. Epternaci Monasterium condit dotante S. Irminâ. 359. & Pipino. 360. Horreense Monasterium à peste liberat. ibid. S. Pauli illi vicinam Parochiam consecrat. ibid. Trevirensem Ecclesiam pro Milone discolo Episcopo ornat, & vetus Capitolium vertit in Ecclesiam & Cœnobium ad Martyres. 364. Embricam in Clivia sacris reliquiis ditat. ibid. Ipsius sepulchrum Epternaci miraculis clarum. 367. & seq. Supplicatio saltatoria ad illud postridie Pentecostes. ibid. Ejusdem oleum & crux miraculosa. 368. S. Edilrudi Conjugi & Virgini Regiæ fontem excitat. 478. Anno Christi 1031. corpus illius inter miracula levatur. 516. Walachros in Zelandia illustribus prodigiis contra Flandros defendit. 549. Percussoris S. Wilibrordi posteritas mutila membris & morbida nascitur. ibid.

S. Wolfangus Ratisb. Episc. Ex Augia Herbipolim studiorum causâ transit. 462. inde Treverim juventutis instruendæ. ibid. Hic ipso auctore Canonici Metropolitani cœnobiticam vitam assumunt An. Chr. 959. pag. 463. Trevirensem Ecclesiam absente Henrico Archiep. regit. 468. Transfertur ad Cathedram Ratisbonensem. ibid. & 475. S. Emmerani Cœnobium restituit Monachis Treviri accitis ex S. Maximini. ibid. Copiis militaribus Ottonis II. è Francia fugientibus Axonam flumen ipse primus transmittit, & precibus servat. 480.

S. Wolfiliacus Stylita. Ejus excellens virtus 333. Reliquiis S. Martini miracula patrat, & movetur ad sæculum relinquendum. ibid. Ivodii Monasterium condit. ibid. Simeonem Stylitam æmulatur in summa hyemis acerbitate. ibid. Superiorum jussu redit ad Monasterium. ibid. Ejus ossa dum Ivodium devehuntur ab imbre intacta manent. 482.

Errata præli quæ sensum mutant: cætera benevolo Lectori corrigenda permittuntur.

Pag. 31. col. 1. lin. 7.	regione, lege religione.
P. 47. & p. 105. in marg.	æctypon leg. ectypon.
Pag. 141. c. 1. sub fin.	Pontificii, leg. Pontificis.
Pag. 150. c. 1. in med.	interfectorum, l. interfectorũ.
Pag. 153. c. 2. in fine.	aviditas, leg. ariditas.
Pag. 159. c. 2. in fine.	tempus Pascha, leg. Paschale.
Pag. 162. c. 1. in marg.	morum, leg. morem.
Pag. 163. c. 1. initio.	ansus, leg. ausa.
Pag. 169. c. 2. initio.	fere, leg. vere.
Pag. 183. c. 2. initio.	præsidium, leg. præsidum.
Pag. 200. c. 2. in med.	Cæliani, l. Cæciliani.
Pag. 271. c. 2. in med.	mox, l. nox.
Pag. 281. c. 2. in med.	reliquis, l. reliquiis.
Pag. 291. c. 1. in med.	hoc, l. hos.
Pag. 300. c. 1. in m.	cum hosce dies, l. per hosce dies.
Pag. 303. c. 1. sub init.	Silicia, l. Sicilia.
Pag. 306. c. 1. in fin.	expeminter, l. exprimenter.
Pag. 309. c. 1. in med.	elidere, l. edidêre.
Pag. 331. c. 2. ult. marg.	observatur, l. obversatur.
Pag. 340. c. 1.	An Ch 168. l. 618.
Pag. 362. c. 1. in fine.	nomen, l. hominem.
Pag. 370. c. 2. in fine	comitatibus, l. comitibus.
Pag. 453. c. 1. in f.	DCCCLXXXXVIII. expunge unũ X.
Pag. 482. c. 1. in fine.	æra, l. ara.
Ibidem.	sacrificandis, l. sacrificantis.
Ibidem col. 2. in med.	DCCC, l. DCCCC.
Pag. 494. c. 2. init.	sturpe, l. stipe.
Pag. 496. c. 2. in fine.	sodalio, l. sodalitio.
Pag. 550. c. 2. in med.	vocationem, l. vacationem.
Pag. 583. col. 1.	Treviros, l. Treviris.
Pag. 598. c. 2. in med.	decursu, l. decursum.
Pag. 599. c. 2. in med.	Invenibus, l. Juvenibus.
Ibidem.	indultam, l. indultum.
Ibidem.	armitatus. l. admiratus.

FINIS TOMI PRIMI.





Digitized by Google